SCRIPTORVM ILlustriũ maioris Brytannię, quam nunc Angliam & Scotiam uocant: Catalogus: à Iapheto per 3618 annos, usq; ad annũ hunc Domini 1557. ex Beroso, Gennadio, Beda, Honorio, Bostono Buriensi, Frumentario, Capgrauo, Bostio, Burello, Trissa, Tritemio, Gesnero, Ioanne Lelando, atq; alijs authoribus collectus, & IX Centurias continens:

In quo antiquitates, origines, annales, loca, successus, celebrioraq; cuiusq; scriptoris facta, dicta, consilia, scripta, obitus, & alia scitu non indigna recensentur, recta ubiq; annorũ supputatione seruata: ut inde tam reproborum, quàm electorum Ecclesiæ ministrorũ facta, mysterijs in S. Ioannis Apocalypsi descriptis, in stellis, angelis, equis, tubis, tonitruis, capitibus, coronis, montibus, phialis ac plagis, per ætates eiusdem Ecclesiæ singulas, historicè & aptè respondeant:

Autore IOANNE BALEO Sudouolgio Anglo, Ossoriensi apud Hybernos iampridem Episcopo, nunc apud Germanos pro Christi professione peregrino.

Accedunt his, Appendices, unà cum actis Romanorum Pontificum, quæ eorum adulatores, Carsulanus, Platina, Stella, & similes omiserunt. Accedunt & filiorum, monachorum suorum facta: præcipuè fraterculorũ Mendicantium, quos in quarta tertiæ Classis sectione locustæ adumbrant. Atq; hæ Appendices adiunctam habent tam piorum patrum, quàm Antichristorũ in Ecclesijs quasi perpetuam successionem, cum rarißimis diuersarum terrarum ac gentium historijs & exemplis: ex quibus apparebunt eorum adulteria, stupra, contentiones, seditiones, sectæ, inuidiæ, fallaciæ, ueneficia, homicidia, ac Principum proditiones, cum innumerabilibus imposturis.



BASILEAE, APVD IOANnem Oporinum.



DISTICHON ÆGIDII SYNEGORI
Germani in effigiem Ioannis Balei.

Hæc est effigies docti genuina Balei,
Quem studijs natum terra Brytanna dedit.

Ætatis suæ anno 62.

IN EANDEM TETRASTICHON
L. H.

Cur sic attentus pictum mirare Baleum?
οὐκ ἄνθρωπον ὅλον δέρκεαι, ἀλλὰ μέρος:
Sculptor non animum finxit, sed tu cape librum:
ἔστι γὰρ οὐκ εἰκὼν σώματος, ἀλλὰ ψυχῆς.

ILLVSTRISSIMO CLARISSIMO'QVE PRINCIPI, AC DOMINO, D. OTHONI HENRICO, *Palatino Rheni, Duci utriusque Bauariæ, Rom. Imp. Electori, &c. Domino suo Clementissimo s. p.*



VAE res alios deterrere solent, ne magnatibus & principibus uiris scribant: hæc nunc incitant me, Princeps illustrissime, ut tibi non literas solum meas, rudes & impolitas, sed librum etiam hunc & Historiam inscribam. Etenim quamuis eam tuæ dignitatis præstantiam esse fatear, ut non cuiuis è plebe homuncioni obuia & exposita esse debeat: & eam cōtrà abiectam & afflictam conditionē meam hoc quidem tempore agnoscam, ut tali Principi quicquam uulgare, dedicare, audaciæ & arrogantiæ existimari posit: tamen cum illustrem & peruagatā humanitatis, clemētię, facilitatis tuę famam cogito, plurimū me reficit ac recreat: nec tam mihi uenit in mentē potestatis tuæ, quàm æquitatis & lenitatis: nec considero quid propter authoritatem & nobilitatem posis, sed quid propter mansuetudinem & bonitatem & uelis facere, & soleas. Itaque summam quidem tuam amplitudinem, honorisq́ fastigium confiteor libentissimè, & admiror, ac, ut par est, ueneror: sed tuam hanc raram & singularem clementiam amplector, & quod pace tua fiat, anteferendam censeo: quòd ille tuus splendor & dignitas admirationem tantum excitat, hæc uerò amorem conciliat: illa terres, hac allicis homines: illa potes metui, hac soles diligi. Et quid tam populare, tam hominibus accommodatum, *quàm bonitas, quàm humanitas?* Equidem si mihi apud ethnicū quempiam Regem, aut alioqui fastuosum & superbum, titulis tumidum & turgidum, dicendum esset: uererer profectò, ne arrogantiæ suspicionem hoc meum factum temerarium incurreret, quòd ignotus & peregrinus ad eum scribere audeam, qui neq́ de facie quidem mihi cognitus est: & in illius nomine librum publicare, quo cum mihi hactenus nulla societas, aut coniunctio sermonis intercesit. Verùm sic ego, Princeps clementissime, fama nominis tui fretus statuo, mihi quidem cum Principe & potentissimo & suspiciendo rem esse: sed pio tamen etiam, sed affabili et placabili, sed Christiano, ad quem

etiam antehac fratrum meorum, similium mei, id est, exulum & peregrinorum facillimos aditus fuisse intelligo. Nam ab eo tempore, quo excelsum hunc sublimemq́ue gradum ascendisti, ut alios aliarum nationum profugos, Euangelij causa suis bonis patrijs & auitis eiectos, & à te liberalissimè & benignissimè exceptos, amplissimisq́ue salarijs retentos prætercam: de nostris hominibus mihi apud te paulo lõgior habenda esset oratio, nisi quòd huius instituti & temporis non sit, & tuæ generosæ & religiosæ aures laudationem ac prædicationem tuam non ferant. Quare illud non dicam: hoc tantum dicam, unum præ cæteris insigne & commemorabile ad omnem posteritatem propagandæ pietatis exemplum: quod licet ad unam pertinere uideatur, ad uniuersos tamen redundat, quo beneficio cætera omnia, in omnes nostros, cõplexa esse iudicari possunt. Non enim profectò tuam effusissimam beneficentiã tacitus hoc loco præterire potui, qua nobilissimã fœminam, CATHERINAM, Ducis Sudouolgij quõdam florentissimam & coniugem & matrem, Anglorũ exulum decus & ornamentum, indies prosequi non desinis, & quotidianis largissimisq́ue muneribus cumulare: quod sanè egregium facinus utinam satis pro dignitate, non dico exornare, sed enarrare possem: eaq́ue uis & flumen orationis adesset, ut facultate dicendi tuorum meritorum magnitudinem aliqua saltem ex parte ualerem consequi. Sed reddat Deus abundè & cumulatè, quod nostræ tenuitati & meæ infantiæ in eloquendo, agendis'que gratijs non est tributum. Cæterùm, ut dixi, hoc non est huius scriptionis: & nominare uolui, non tractare, quò saltem uerbo testarer gratam memoriam factorum tuorum: & his liberalitatis & munificentiæ documentis exploratissimis & certissimis, meipsum consoler & sustentem, spemq́ue mihi faciam, T. C. meam humilem fortunam non aspernaturam, sed & animum meum gratum, & calamum meum tuæ humanitatis certis indicijs excitatum non repudiaturam, quantumuis homo obscurus & incognitus ac humi repens, crasso filo munusculum ac leuidense offerat.

Quamobrem hac me cogitatione fulciens, consilij mei rationem, & operis huius scopum ac summam breuiter conabor demonstrare: teq́ue, Princeps inclyte, uehementer rogo, paulisper beneuolo animo pro tua humanitate digneris attendere. Duo enim sunt potissimũ quæ mihi in his Centurijs meis proposui: ut & Catalogum Scriptorum illustrium Brytannicorũ recenserem: & Romanorum Episcoporum ac Paparum successiones, uitas, exitus,

exitus, quanta possem fide & diligentia explicarem. Nam, ut de priore, loco priore loquar, quid'nam esse potest lectu uel iucundius, uel utilius, quàm eorum tempora, mores, ætates cognitas habere ac perceptas, qui scriptis suis ad posteritatem transmissis Ecclesiam ædificarunt, hæreses oppugnarunt, ueritatem omni ratione pia conseruarunt ac propugnarũt? Multum enim iuuat minores, maiorum & uidere & sequi uestigia: & quam doctrinam ueteres in suis Ecclesijs retinuerint, ad nos quoq; pertinere iudico: tum ut recta sentiẽtes tanquam duces ac præuios sequamur, tum ut à uia errantes ac deuiãtes digito monstremus posteris, ne ad similes lapsus simili incogitantia impingant. Nam historia ut est testis temporũ, & lux ueritatis: ita index errorũ est & premõstratrix, uirtutis laudatrix, & accusatrix uitiorũ. Descripsi autem non personarum tantum nomina, sed & locorum ubi nati fuerunt: & Regum, quorum patrocinijs & auspicijs floruerunt: ut quid quisq; scripserit, & quæ ingenij sui monumenta reliquerit, & quo Seruatoris nostri anno uixerit, inde facili negotio intelligi percipi'q; posit. Vnde Eusebius, & Hieronymus, & alij, cùm magnam hinc utilitatem emanare ad posteritatem cernerẽt, suis hominibus historias & scriptorum Ecclesiasticorũ seriem ac nomenclationẽ tradiderũt: quæ nostra quoq; memoria auidè arripiuntur, & incredibili cum uoluptate leguntur, uoluuntur, teruntur, magnas deniq; multas'q; ad omnia Ecclesię rei'q; publicę munia atq; ministeria cõmoditates & adiumẽta importãt. Nec sanè tam ingrati atq; adeò impij esse debemus, cùm patres nostri nobis sudarint & alserint, nostram consolationẽ, ædificationem, utilitatẽ suis laboribus diurnis nocturnis'q; quæsiuerint, nos ut ea scripta nobis relicta negligamus, in puluere & situ sepulta iacere sinamus, ubi annorum edax series consumet, & omnis memoriæ hostis delebit extinguet'q; obliuio. Luctuosa profectò iactura nobis uideri debet, tot tantorum'q; clarissimorum monumentorum interitus: quæ cum in claustris Monachorum, uentri & gulæ magis quàm libris aut literis deditorum, clauderentur, uel à tineis ac uermibus corrosa, uel malitia & inuidia hominum de religione pessimè iudicantium deformata atq; dilacerata, in tenebris cæca'q; caligine perierunt, in lucem uerò atq; noticiam hominum bonorum & studiosorum nunquam aut rarò prodierunt. Quod ut in alijs regionibus alij pij librorum & antiquitatis indagatores magno cum dolore senserunt, ita mihi quoq; bibliothecas nostras in Anglia optimis scriptis aliquando instructissi-

mas, perlustranti usu uenit: ubi licet pauci integri inuenirentur, plerique uel sine capite & fronte mutilati, uel prorsus detriti atque corrupti supinitate & ignorantia hominum malè de literis meritorum reperiebantur. Quamobrem ut hoc non sine magno doloris sensu refrico, ita nunc hortor omnes, in posterũ cura & studio prouidere, ne deinceps etiam tot thesauri quouis auro preciosiores, & suo & aliorum maximo damno intereant: sed ut extet ac emineat semper in Ecclesia aliquod uestigium, ne opera simul cum opificibus moriantur & intercidant. Quantulumcunque uerò facultatis mihi à Domino concessum est, id ego totum ad hanc rem contuli, & præstantissimos scriptores Angliæ, quibus olim ea regio inclaruit, licet ultra Oceanum, non ita percelebratis, quanto potui labore & industria à ruina & naufragio uindicaui. Et quamuis apud exteros multi, quos cito, non innotuerint: tamen & Typographis diligentibus, & rei Christianæ ac literariæ bene uolentibus, ad conquirendum, ac studiosis ad legendum discendumque ualde profuturum existimo, nomina saltem eorum authorum tenere, & domicilia ac sedes cognoscere, ubi lateant, quò ab illis eruantur, & inuestigentur: ab alijs, inuestigati tandem ac inuenti emantur, distrahantur ac circumferantur. Atque hæc est prima & præcipua operis nostri pars, illustrissime Princeps, quæ licet unius gentis propria sit historia, ad omnes tamen illius utilitatem cum iucunditate non cõtemnenda coniunctam, permanaturam confido.

Alterum membrũ, Romanorum episcoporum & patriarcharum ac Paparum enumeratione descriptionemque continet, quæ summatim in tres quasi classes ac ordines diuisa est. Nam & incorruptum integrumque Romanę ecclesiæ statum prima puraque ætate complector, ab Apostolis ad Syluestrũ primum usque continuatum. A' Syluestro deinde, ad Bonifaciũ tertiũ produxi: quę sanè facies Ecclesiæ fuit mediocriter sana, & tolerabilis. Vltima uerò, ad Paulum quartum usque, deprauatissima & contaminatissima: ita ut primam, si placet, auream: secundam, argenteam: tertiam hanc, planè ferream optimo iure appellare liceat, quemadmodum seriem seculorum poetas olim distribuisse in fabulis est. quibus etiam ad Apocalypsin Ioãnis pro uirili & ingenij mediocritate accommodatis, equos albos quidem, innocentes ac candidos ministros enumeraui: rufos uerò ac sanguinarios, Aposcopos depinxi: nigros deinde, hęreticos: ac pallidos, inuidia contra ueram Christi Ecclesiam contabescentes, prout potui, ex optimis

mis quibusque authoribus collectos, in apertũ ac solem ex umbra & curiæ Romanæ latebris eduxi, quò conspici omnes in genere ac diiudicari possint: boni uidelicet ad imitationem, ut etiam me dii: postremi uerò ac pessimi, ad euitationem, ut caueantur, refel lantur, contemnantur. Hæc enim est illa Helena, hęc meretrix Babylonica, quæ uelut Circe quæpiã, uenenatis poculis & reges dementauit, & populos: hęc hydra Lernęa illa, ad quã iugulandam & exterminandam non unus Hercules, etiam cum suo Theseo, satis erit: hæc cloaca & sentina, in quam omnes sordes ac labes, & cœnum superstitionum, impuritatumque influxerunt. Nam quod de uno illius gregis porco uerè dictũ est, id de toto genere nõ falsò dici potest: Vt uulpes ad gubernaculum Papale assilire, ut lupos grassari, ut canes perire ac interimi. Quid enim aliud habet ingressus, quàm largitiones, corruptelas, mendacia, hypocrisin, fraudes, ac uulpinam uafriciem? Quid progessus & regnũ aliud est, quàm laniæna piorũ, & carnificina conscientiarũ? quàm omnium in Ecclesiam tumultuum, seditionum, discordiarum, ac ciuilium tragœdiarum bellorumque epitasis? Quid exitu & occasu regni fœdius, quid horribilius, cum alii ueneno tollantur, alii gladio & bello occidantur, multi anno tantum uno præsideant: non pauci mensem, quidam unicum duntaxat diem, Papismum suum, id est, Phalarismum & Sardanapalismum exerceant? Sic Deus elatos frangit, ac deiicit fortissimo suo brachio: sic, ut Ieremias scribit, qui sedent in Libano, et nidos in Cedris erigunt, quasique in cœlum ponunt os, ac uerticem in sidera, ut Psalmus dicit: de gradu, quod aiunt, deiici, omnique honore spoliari atque nudari necesse est. Nec enim qui sic dominantur ac uiuunt, aliter quàm sic mori possunt: trahitque luctuosam ac calamitosam catastrophen talis prologus, Imperiique protasis. Quod enim de Sodoma Ezechiel, idem de Roma nos iustissimè dixerimus: superbiã, saturitatem panis, ac luxum in tranquillitate, matrem malorum illi extitisse, & exitii fore causam: ubi ipsi, qui cęteris calicem idololatriæ propinarint, & mundi principes inebriarint, improbitatis ac nequitiæ suæ feces exhaurient atque ebibent. Nam Dominus spiritu oris sui Antichristum dissipabit, & Babylonem ruituram Ioannes reuelat: & ignis stipulam ac quisquilias Romanas olim proculdubiò cõburet atque consumet. Est enim, est Dominus dominorum zelotypus, nec alteri gloriã suam tribui uult: nec tam portentosas feret blasphemias, ut quis humana figura præditus, & ab Adamo oriundus, se supra hominem efferat, meliorem an-

gelis, & Deo similem se iactet, Ecclesiæ supremum caput, Christi uicarium, Petri successorem: cœli, terræ, inferorum ac purgatorij se dominatorē & scribat & dictitet. Hæc inquā monstra & portenta, mitratos cerberos, pestes animarū, & bonorum locustas, ignauum pecus, & in alueario Dominico fucos, & in gente Christiana crabrones, expellet aliquando sibilo suo Deus, de throno deturbaturus eos, qui nunc contra pios tonant & fulminant, contra Christum Gigantum more cyclopicè & barbarè plusquam Papaliter bellum gerunt. Hæc scitu necessaria, fugienda ab omnibus, proposui hoc tempore, Princeps amplissime & potentissime: ut magnam hanc Ephesiorum deam auro & purpura ornatam foris, intus uerò caluariā & Golgothot, & sepulchrum dealbatum, Romam dico, Hierusalem illam prophetarum sanguine saturatam, suis coloribus saltem adumbratam à me uideant, uisamq; detestentur, & omne illud Papisticum satellitium ex animo planè odio habeant cum Dauide, ut Ecclesiam malignantiū, & illius dogmatis impijs atq; Antichristianis renūcient. Dominus IESVS, qui unicus est Ecclesiæ princeps, uera sapientia & caput suorum in terris membrorū, in quo totum corpus per commissuras compactum & coagmentatum est, oculos cæcorum aperiat, surdis aures, malis mentem meliorem, stupidis & torpidis sensus ac intelligentiam, imperitis ueram sui uerbi cognitionem, tepidis ardorē, ardentibus & feruentibus spiritibus iustam moderationem & æquitatem tribuat, ut omnes unum Deum, fidem unam, unum baptismum confiteamur, & celebremus.

Hæc ego, Princeps, bono certè animo recitaui, ut pietatis cultum amandum & amplexandum proponerem: laruas Ecclesiæ, Papas, Cardinales, monachos, Cretenses, uentres pigros & mendaces deridendos, contemnendosq; suo iustissimo merito propinarem. Si qui uerò sint, qui meam in accusando acerbitatem reprehendent, ij hoc responsi à me ferant, non ex linguæ petulantia, aut naturæ morbo id proficisci: sed hæc est ratio mea, & sic animum induco meum, ad uirtutē oportere cohortari ardenter, uitia notare acriter, laudare amplè, uituperare improbos asperè: & scriptorem non tam auditorum aut lectorum rationem habere, quàm rei ipsius, & ueritatis, debere, à qua nullo modo uel latum unguem est recedendū. Simplex ueritatis & aperta oratio, suis quamq; rem terminis circumscribit, suis meritis ornat: non auribus seruiens, nec hominum uitijs ac moribus sese accōmodans. Vt medicus morbis grauioribus ancipites ac periculosas

curationes

curationes adhibet: sic oratio plus fellis etiam quàm mellis habere, & aloen atque absinthium apponere debet, modò improbitatē sanare, & sceleribus medicinam ullam posit facere. Nec uerò ulla remedia tam dolorem faciunt, quàm quæ sunt salutaria: si Ethnico illi oratori fidem habere uolumus. Quorsum autem blanda illa Rhetorica, *uirtutū propè nomine uitia obtegens*? Et sanè haud scio, an impia etiam sit titillatrix eloquentia, quæ ne aures molles radat, dissimulat, ut nec scapham audeat uocare scapham, ficum ficum. cumque Esaias clamitet: Væ illis qui bonum appellant malum, malum bonum: blandientes, cum esset obiurgandum: leues, cum acres esse deberēt: *in stomacho ac ira iusta indulgentes, lenitate ac mollicie uerborum seueritatem rei eleuantes.* quo fit, ut dum ipsi mites ac sedati haberi uolunt, ueritatem aut amittāt, aut pallient: uitiaque eorū foueant alantque, quos stimulare, pungere ac cruētare *etiam ui orationis oportuit*. Magis certè *hic conscientiæ seruiendum*, quàm opinionibus aut affectibus hominū. Et uerò schola Christi tales Gnathones & palpones nō emittit, qui scabere potius discant, & suffricare, quàm rodere ac uulnerare. Itaque si Romanos Papas, quibusuis Pharisæis nequiores, progeniem uiperarū, cum Baptista: duces cęcos, & sepulchra dealbata, cū Christo: canes ac malos operarios, cum Paulo: nebulas, fontesque sine aqua, aut planetas errātes, cum Petro: cum Ioanne, Antichristos, aut bestias, aut meretrices nominem: an, ut nimium aculeatus & dentatus, nimiæ morositatis accusandus sum? ac non potius ut uerus existimandus, qui suo quodque nomine appello, citra ambages & fucos, nullo circuitu uerborū usus? Si porrò quid obscœnum fortè occurret, castas aures non offendat turpitudo uocis, sed facti: et illos fecisse talia pudeat, non me dixisse. Nec enim erubescā scortatorem eum dicere, qui scortari non erubuit. Et quis obsecro pudicè simul et uerè de scorto Babylonico, sine offensione aliqua aurium posit dicere? Huc ergo me trahit aduersariorum aperta, desperata & obfirmata malicia: non ducit affectus, aut maledicendi studium. sed eum fateor & esse & fuisse zelum meum, ut hostes ac proditores Ecclesię, & carnifices Euangelicorum, non posim sine aculeo infixo relinquere. Quāquam plerisque in locis authorum, quorum fide nitor, ipsa uerba refero, non mea, quo plus non authoritatis solum, & fidei, sed splendoris etiam & gratiæ orationi meæ accederet. Quàm enim hæc doctrinarū adiumenta & præsidia eloquentiæ me deficiant, iam dudum sentio & agnosco: quippe qui semper ab ineunte ætate in

peruestigatione rerum atq; librorum uersatus, nunquam satis sedulò ac seriò ad poliendam orationem, comparandamq; styli elegantiam animum meum adiecerim. Quicquid sit, quod potui, uolui: & uolui lubens atq; alacer. tandiu autem uelle me debere sentio, quoad, quantum studia hominum doctiorum iuuero, nõ poenitebit. Tuam autem clementiam oro atq; obsecro, Princeps æquissime, ut hanc audacẽ epistolam, atq; adeò totam hanc meam indignam tua prudentia & grauitate scribendi imperitiam, æqui boniq;, sicut æquum bonumq; principem decet, consulas. CHRISTVS IESVS Cels. Tuam, ad nominis sui gloriã, et Ecclesiæ utilitatem, ad multos adhuc annos tueatur atque conseruet incolumem. Basileæ, M. D. LVII.
Mense Septembri.

Clementiæ tuæ deditissimus,
Ioannes Baleus Sudouolgius
Anglus.

COELIUS SECUNDUS CURIO CANdidißimo Lectori S.

SI hanc Ioannis Balei, boni & doctißimi senis, industriam quisque in sua gente & natione, aut saltem patria imitaretur, aut olim mortales præstitissent: in tanta uetustatis, omniumque rerum ignorantia non uersaretur humanum genus. Scripsit enim quas uides Centurias, quibus suæ gentis, hoc est Anglorum scriptores omnes, Ecclesiæ Regnique mutationes, Reges, Episcopos, sectas, Pontificum Romanorum uitas, & mores, atque alia propemodū infinita scitu & memoratu digna, complexus est: temporum, quoad licuit, ordine seruato. Comprehendit etiam exterarū gentium multa. Magna est orationis perspicuitas, par fides, indefessa diligētia. Lege amice, quisquis es, & plura huic meo adijcies calculo: & Vale.

Basileæ, XIII Cal. Sept.
M.D.LVII.

LIBER AD LECTOREM, AUTORE Ioanne Lithodio.

En tibi nota quidem, sed nunc referenda per orbem
Denuò clara uirûm nomina amice damus.
Ingenijs quorum per secula plurima tellus
Anglica culta fuit, percelebrisque manet.
Fusius istorum quæ magna uolumina tradunt,
Complexus tenui fasce coacta fero.
Pulchrum, quæ nostri rectè docuere parentes
Nosse: labor laudem hic nam pietatis habet.
Ergo me lector modico nunc perlege sumptu,
Cuius te nunquam pœnituisse potest.
Singula si inspicias, erit hinc tibi tanta uoluptas,
Quanta uix alius præstitit antè liber.

EPIGRAMMA HENRICI BOMELII, VERBI diuini apud Vuesalienses ecclesiastæ, ad reuerendum D. Ioan. Baleum.

Tu uenerande senex solita non desinis arte,
Ad ueterum normam ducere cuncta uirûm.
Scribis enim patrum (per quos Ecclesia cœpit
Augmentum) mores, dogmata sacra, fidem.
Contrà, nec reticens, per quos incommoda passa est
Sponsaque chara Deo, scandala multa nimis.
Ut prudens lector discrimina discere ueri
Ac falsi poßit, commodiora sequens.
Nam solet indoctum mirari uulgus auorum
Doctrinam, mores, factaque prisca simul.

Hæc

Hæc ubi scripta leget, quantum est discriminis inter
Priscos atq; nouos, sentiet ingenuè.

NICOLAVS KERVILVS ANGLVS,
ad Ioannem Baleum.

Isse redisse ferunt quosdam de Tartare: quosdam
Cœlestes referunt isse redisse uias.
Tu reduces alios superûm de sede Brytannos,
Sanctos scriptores (ecce Balee) facis.
Martyrio claros, claros uirtute docendi,
Tu reduces claros nobilitate facis.
Altera ab inferno non cognita facta malorum,
Docta tamen per te turba reducta uenit.
Turba sequens Papam σκολιοῖς fulcita Scotistis
αἱρετικῶν per te turba reducta uenit.
Clara tenebrosis dum sunt collata Scotistis,
Lumina sanctorum splendidiora nitent.
Splendida sic fuscis dum sunt collata refulgent,
Et radijs fiunt splendidiora suis.
Quando pererrasti longissima tempora mundi?
Qui, quæ tum fuerant scripta, Balee doces?
Quæso Balee Deum quis te per tempora tanta
Duxit? Dux tantus quis tibi quæso fuit?
Unde tot authores didicisti docte Balee,
Tot doctos patriam, tot peperisse tuam?
Ergo ferax adeò doctorum terra Brytanna?
Ergo tot illustres terra Brytanna dedit?
Ergo sit tua chara tibi (Germania docta)
Moribus apta tuis Anglia docta soror.
Reddidit Hispanos hominum sapientia claros:
Hac uiget & Roma, hac Græcia tota uiget.
Clara Dei uerbo facta es Germania, parte
Hac tibi fit similis terra Brytanna soror,
Fertilis insignes peperit quos Anglia doctos,
Scriptorés ue pios, iste libellus habet:
Quos tu Christe dabas, quos tu turpissime Papa,
Quos tu nate Noach, ô Iapete, dabas.
Hunc lege: pura tibi monstrabit lectio, Christum
In terris cœtum semper habere suum.
Quodq; Dei bonitas terras sit sparsa per omnes
Hinc poteris Lector discere: disce, uale.

ROBERTUS VUYSDOME,
ad lectorem.

Si cupis antiquos doctrinæ munere claros
Noscere, quos fœlix terra Britanna tulit:
Et qui regnanti Christo pia scripta dedere,
Et qui Romanæ sceptra dedere lupæ:
Libros, ô lector tibi dat quos æque Baleus,
Perlegito: inuenies, quod didicisse iuuet.

ANDREAS SADELERUS BRYTANNUS,
apud Vuesalienses ludimagister.

Accipe doctiloqui pulcherrima scripta Balei,
Qui fidei lucem cum pietate sitis.
Intentis neruis namq; hic insudat ubiq;,
Ut spargat uerbi pabula uera Dei.
Hunc pete Christicola, nil non peramabile cernes,
Eximia uolues utilitate librum.
Aurea quos tulerit, quos ferrea protulit ætas,
Ecce Britanna tibi iam dabit ora uiros.
Si cupis astrigeras lætus conscendere sedes,
Et Christum uera relligione foues:
Huc age, peruoluas myrothecia sancta Balei,
Hic pectus plenum relligionis habet.
Omnibus in mentem ueterum monumenta reducet:
Hunc sequere, & sacras accumulabis opes.
Gaude his muneribus, tibi sunt quæ tradita gratis:
Uitales scatebras, castaq; scripta uides.
Quæcunq; obscura iacuerunt nocte sepulta,
Hoc libro fulgent lucidiora die.
Obsecro nunc meritas grates persolue Baleo,
Cuius ab ingenio talia scripta fluunt.
Non huic cuncta parem fuderunt antè Britannis
Secula: sic Christi dogmata luce nouat.
Difficile est dictu, Christo quàm consona promit,
Ingenij magna sedulitate sui.
Quo Christum imbiberent Angli, pars optima mundi,
Non metuit scapulas supposuisse malis.
Non metuit uarijs sese obiectare periclis,
Omnibus ad cœlos ut patefiat iter.
Inscitiæ proceres superans infudit Iesum,

Hinc fertur nostri gloria prima soli.
Hi Demostheneis dictis, Cicerone triumphent
Ausonij, celebret Anglia at huncce uirum.
Cuius ab ingenio sacrati fluminis unda
Effluit, & sophia, qua rigat usq; pios.
Asserit hac dextrè saluantis dogmata Christi,
Tales scriptores Anglia ferre solet.
Ecquid adhuc ueteres iuuat obseruare tenebras,
Prodit ueridicus commoda multa ferens.
Ediderit licet hic præclara uolumina magno
Cum fructu, palmam præripit hoc alijs.
Ergo opus hoc placido sumat nunc Anglia uultu,
Autori grato quod facit usq; fauens.
Si tibi quid melius potuisset ferre Baleus,
Promeret æterno tempore digna legi.

EPIGRAMMA IOANNIS LITHODIJ, ad Lectorem.

Scripta legis passim lector iactata per orbem
Plurima, quæ minimum commoditatis habent,
Nam decus ille suum, dum spendida nomina captat:
Sollicitas studet hic quærere auarus opes.
Candida nunc Siculis turgescit pagina gerris,
Sæpe bonis studijs quæ exitiosa fuit.
Imprudens his nam nimium remorata iuuentus,
Optima quæ fuerant, illa legisse nequit,
Ergo tuis rebus consultum qui cupis esse,
Perlustres nullus friuola scripta caue.
Ut fugienda tamen sunt hæc, sic illa petenda,
Iucunda utilibus quæ bene iuncta docent.
Inter quæ meritò docti sunt scripta Balei,
Uel non postremo connumeranda loco.
Qui ueterum gnauus magno collecta labore
Nomina, cum rebus nunc relegenda dedit.
Tempora quos næuis iamdudum longa notarant,
Nunc nitidi redeunt ueste decente patres.
Ut non Romulea minor est uirtute Camillus:
Tutor hic urbis erat, conditor ille fuit:
Sic tua nunc summis æquanda est gloria rebus,
Quas gestas calamo docte Balee tuis.

EPIGRAMMATA.

M. IOANNES MVRSAEVS
candido lectori.

Quisquis uirtutum studijs componere mentem,
Aut lætus propria uiuere sorte cupit:
Quisquis posthabito uitiorum tramite, strictum
Occupat, & pedibus scandere gestit iter:
Hunc manibus uerset, me consultore, libellum,
Quem dat Ballei Musa canora uiri.
Aureus iste liber paruo nunc ære paratur,
Cui poterat stupidi cedere gaza Midæ.

HENRICI PANTALEONIS BASILIENSIS,
in D. Iohannis Balei Opus, Duodecastichon.

Magnanimis quondam Græcis, gentiq; togatæ,
Cuncti mortales Barbara turba fuit.
Horum censuram generosa Brytannia falsam
Artibus, & linguis, ingenijsq; docet.
Fertilis Oceanus, qui rura Brytannica ditat,
Separat à nobis corpora pulchra sibi:
Anglorum ast animos, in quoq; excelluit omnis,
Tu modò seiungis docte Balæe magis.
Necdum contentus, Romanos inseris arte
Pontifices, uerum & relligionis iter.
Gloria magna tibi in terris uirtute parata est,
Attamen in cœlis gloria maior erit.

HERMANNVS PINCIERVS
Vuetteranus.

Ut, nisi diuersis è floribus abdita mella
Collecta in fauulos, accumularet apis,
Non suauis mulsi, liquidi nec nectaris usus,
Nec pinguis ceræ, aut luminis ullus erat:
Sic quoq; ni scriptis hominum labor improbus esset
Deditus, & uarium conderet orbis opus,
Historiæ caderent, uitæq; periret imago,
Mortales possent nec meminisse sui:
Omnia ferrentur confuso turbine, & esset
Optio nulla boni, cautio nulla mali.
Exulis, hoc patriæ metuens, pia cura Balei
Contulit, ingratis munera grata uiris.

Anglorumq; simul res & monumenta, genusq;,
Omnia nunc uno concipit arte libro.
Insuper & cleri fraudes, Romanaq; monstra,
Ponderat ex factis perniciosa suis.
Cedito Mome procul, laus est inuenta, laborq;,
Ordine scriptorem disposuisse bono.

IN CENTVRIAS SCRIPTORVM ANGLIcorum, à Ioanne Baleo Anglo conscriptas,

GVILHELMVS XYLANDER Augustanus.

INsula, quam nostro rapidis Atlanticus orbe
Fluctibus, Europæ diuidit Oceanus,
Nobilis Arcadias deuexa Brytannia ad Arctos,
Vbere telluris, diuitijsq; potens,
Fœlix cultura, felix uictricibus armis,
Paceq; laudatis, militiaq; uiris:
Plurima cum tuleris toto notissima mundo,
Vnde tibi meritæ præmia laudis habes,
Nil tamen ingenijs peperisti pulcrius istis,
Quorum fœturas nos docet iste liber.
(Quem pius in patriam multo sudore Baleus,
Doctrina pollens, & pietate senex,
Condidit, ut memori meritos transmitteret æuo,
Ut famæ gentis consuleretq; suæ.)
Nempe ut, quod Sophiæ studio præstantiùs, atq;
Encyclopædia sit, nihil orbis habet:
Ut non est homini donum diuinitùs ullum
Nobilius (cum sint plurima) mente datum:
Sic neq; tu potius re te iactaueris ulla,
Innumeris quanquam sis cumulata bonis,
Quàm tot doctorum quia fœlicissima partu
Non ulla temerè sis natione minor.
Non iam Parnaßi rupes, famosa úe Tempe,
Grynæum Græcis inuideas úe nemus.
Certè equidem Sophiæ quicquid penetralia condunt,
Quicquid habent Musæ, quicquid Apollo docet,
Immò (nam uanis maneant ea nomina Graijs)
Quicquid doctrinæ nomine percipimus,
Quicquid diua suo Sapientia continet orbe,

Ad

Ad literas ue licet iure referre bonas:
Omne tui scriptis demonstrauêre Brytanni,
Semper uicturis id docuêre libris.
Qui si (nec dubium) præconia summa merentur,
À grata digni posteritate coli:
Quas illis pietas dabit, & constantia laudes,
Et ueræ flagrans relligionis amor?
Quanta fides, castaq; ea spectatißima uita,
Notaq; honorandis facta uoluminibus?
Quæ tantisq; subinde malis tentata, tenorem
Inconcussa tamen seruat adusq; suum.
(O utinam tantis potuisses dotibus uti,
Ah tua quàm uerè regna beata forent)
Horum scripta igitur fido pius indice monstrat
Autor, & enumerans ordine quæq; refert.
Ergò illum semper pietatis fama manebit,
Qua Dominum summa, qua patriamq; colit.
Doctorum referet grates celeberrima turba,
Præmia ut exhausto digna labore ferat.

CATALOGUS SCRIPTORUM BRITANNIAE MAIORIS, QUI HIS NOVEM Centurijs continentur, ordine Alphabetico.

Ethel-

Ioannes

ROMANORUM PONTIFICUM, QUOS IN HOC OPERE DESCRIPSIMUS,

Catalogus.

FINIS.

ONUS SEU PROPHETIA ROMAE, Laurentio Hunfrido authore.

Roma superba licet, iudex uindexq; piorum,
At Christi Domini discito iudicium.
Dura licet, ferrum si sis, mollescito uerbis:
Si lapis & saxum, frangere Roma tamen.
Audi Sodomæ princeps, Gomorrhaq; tota,
Quisquis Romano de grege, quisquis eris:
Audi surda, & cæca tuas spectato ruinas,
Hoc lege, quòd pereas: aut sape, ne pereas.
Roma rues, quondam ueræ pietatis asylum,
Musarum portus perfugiumq; choro.
Roma uetus quondam multorum uecta per ora,
Quam celebri Paulus prædicat elogio:
Nunc scelerum sedes, nunc nunc erroris & antrum,
Degener ah nimium Roma nefanda rues.
Roma rues, uirgo quondam, purissima uirgo,
Cuius casta fides, integra relligio,
Intemerata thoro, thalamis non cognita multis,
Uni sed sponso sponsa dicata Deo:
Impia nunc Christo Domino diuortia scribens,
Ac effrons meretrix, perfida Roma rues.
Roma rues, mundi lux olim, stellaq; terræ:
Nunc tenebræ, ac alto stella caduca polo.
Cuius ad astra decus quondam sublime uolabat,
Corruit, ac terræ est Tartarus Italia.
Roma caput mundi, iam toto uertice calua,
Capta tuis membris Roma misella rues.
Ille cruore petit, qui fundit Roma cruorem:
Sanguine qui gaudet, sanguinolentus obit.
Ut lupus agnellum sequitur, Cainus Abelum,
Ut Iacobum Esau, legitimosq; nothi:
Sanguine tu fundata, pio nunc sanguine crescis:
Ergo concludam, Roma cruenta rues.
Roma rues, quoniam uictrici turgida lauro,
Antiquis spolijs fœta feraxq; tuis:
Inq; de auratis circumgestata quadrigis,
Et satrapis mundi principibusq; praes.
Calcandus fastus, frangenda superbia: cedrus

Alta

Alta ruit, sic tu Roma superba rues.
Roma rues, mercesq; tuæ, thesaurus & ingens:
Gemmas & coccum, thuraq; nullus emet.
Et peris & perdes, occidis & óccidis ipsa,
Idq; malo merito uipera sæua tuo.
Roma rues, regnumq; tuum: uanescet & aurum,
Nomen, apex, sceptrum, fulmina, mitra, thronus.
Et cur Roma rues? prudensq; uidensq; peribis?
Ergo uolens tibimet tu paris exitium?
Dum fallis, falsa es: tua iam spelunca retecta est,
Occulti coitus, frausq; Venusq; patent.
Ergo tuas labes, & fœdas aspice sordes:
Uitaq; nota alijs, sit quoq; nota tibi.
Plurima Lutherus patefecit, Platina multa,
Quædam Vergerius, cuncta Baleus habet.
Ille tuam mouit Camerinam, motaq; fœtet,
Pandoræ Latiæ pyxis aperta uolat.
Ille tuos cæcos uidit, proditq; recessus:
Furtiuos memorat, Roma petulca, thoros.
Aulam lustrauit, rimas perspexit & omnes,
Ingreditur lectos, concubitusq; tuos.
Secretum nihil est, tenebrosa cubilia pandit:
Nox nihil inuoluet, nulla latebra teget.
Huc ergò uenias, speculum uideasq; malorum,
Hic & auos, proauos, hic atauosq; uide.
Nunc uocat & reuocat pansis Deus optimus alis,
Sanctam flens urbem te cupit esse suam.
Roma quidem ῥώμη dicta est, sed nomine uerso,
Dici Roma potest improbitatis amor.
Ah pigeat, pudeat: mores cum nomine muta:
Roma ueni, ad Dominum uertere, Roma ueni.
Si nil frontis habet meretrix, si stercora nolis
Scire sciens: cogor dicere, Roma rues.

RESPONSUM MALI GENII AD EXORCISTAM quendam Romanũ, cuius mysteriũ & artificium retrò legens intelliges.

Signa te, signa, temere me tangis & angis,
ROMA, tibi subito motibus ibit AMOR.

ERRATA ET OMISSA QVAEDAM, *sic emendabis.*

Pag.2.uers.38.primo.
3.38.pone numerum 1913.
8.2.Lergecia.
49.5.Engistum.
127.24.Omissum, Mantuanus ad reges Christianos:
Tu quoq;,quem grauidæ monstrarunt somnia matri
Ethelstane,nouæ pulchra sub imagine lunæ,
Inter præclaros sortiris nomina reges.
227.20.Nulloq; sciente sororem
Cum quocunq; suo fratre manere licet.
296.39.Stockius.
369.46.Papæ potestate
382.38.Omissum & illud,
Maior in exiguo regnabat corpore uirtus.
579.20.& 21.Thorpe.
611.39.& 40.Stanbery.
736.43.Vuhitus.

Reliqua errata in fine Centuriæ duodecimæ inuenientur.

GEN. XIX.

Surgite,egredimini de Sodoma:quia delebit Dominus ciuitatem hanc.

HIER. L.

Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini.

II. COR. VI.

Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?

APOC. XVIII.

Et audiui aliam uocem de cœlo dicentem : Exite de illa populus meus, & ne participes sitis delictorum eius:& de plagis eius non accipiatis. Quoniam peruenerunt peccata eius usque ad cœlum:& recordatus est Dominus iniquitatum eius. Reddite illi, sicut & illa reddidit uobis:& duplicate duplicia, secundum opera eius. In poculo quo miscuit uobis, miscete duplum. Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit: tantum date illi tormentũ, & luctum, quia in corde suo dicit: Sedeo ut regina, & uidua non sum, & luctum non uidebo. Ideo in una die uenient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis est Deus, qui iudicabit illam.



SCRIPTORVM ILLVSTRIVM MAIORIS BRITANIAE, QVAM ANGLIAM nunc dicimus, authore Ioanne Baleo Sudouolgio Anglo.

CENTVRIA PRIMA.

SAMOTHES GIGAS. I.



SAMOTHES gigas, qui & Mesech, Gomeri ac Tubalis frater, ipsiusq; Iapheti Prisci sextogenitus, Dis à Cęsare Iulio in Gallici belli commentarijs adhuc cognominatur. Ita hic cœlestis numinis gratia duce, in aui Noachi schola profecit, Cœlestis inde nũcupatus, ut eius tempore nullus in toto terrarum orbe fuerit, ingenio pio atq; studijs sacris illi conferẽdus. Ante Sibyllas namq;, ac philosophos, mortaliũ omnium sapientissimus, origini sui regni, quod primus apud Celtas habebat: disciplinis, literis & legibus sanctissimis, mirum in modum succurrit. Celtæ populi sunt, à quibus tota fere Europa uocabulum sumpsit: pręsertim Galli ac Britanni, ut author est Ioannes Annius in commentarijs Berosi. A' Samothe (libro quinto inquit) Britanni primùm, inde Galli, Samothei dicti fuerũt: præcipuè quidem eorum philosophi atq; theologi, qui sectatores eius erãt, &c. Samothes iste sulcato Oceano, in suam sortem terras Celticas accepit, & colonias in eisdem posuit, anno post idem Diluuium 143, in Britannia uerò 252. Hinc uerum uidetur, quod ex Gilda Polydorus in primo Anglicæ historiæ libro protulit, Britannicam nempe insulam, incolas obtinuisse statim post inundationem illam aquarum, quę incidit tempore Noachi: & habitatores eius primos, cognitionem Dei illic tunc habuisse perfectissimam. Vnde dilatatus Iaphet, iuxta spiritus Dei promissionem, habitauit in tabernaculis Sem, Gen. 9. hoc est, permansit in ea illic religionis fide, qua Semi posteritas in Asiæ regionib. Nam & istis filijs suis ac nepotibus, in multas generationes tũc sparsis, Samothes ille sanctissimus, retroactorum seculorum mysteria reuelauit, sicut & alijs per Europam gentibus. Saluberrimis etiam præceptis eos formauit, & optima uitæ institutione decorauit: ita ut nisi Chami maledicti progenies mundum uiolenter corrupisset, uirtus & uitæ innocentia ubiq; per eius regnasset ditiones. Iure ergo (ut apparet) gloriari poterunt Britanni & Galli, hunc se sui generis authorem habuisse primum, post cataclysmum (absit inanis iactantia dicto) sicut Itali Gomerũ, Hispani Tubalem, Sarmatæ & Germani Thuysconem gigantem. Iste uerò tandem Celtarum Saturnus, pro religionis cõseruatione literis mandauit,

Rituales canones.

Præterea leges illum edidisse Berosus demonstrat, quibus sub Nino Assy-

riorum imperatore, Celticas formabat gentes. Docuit multiplices astrorum & siderum cursus, inferiorum rerum naturas uarias, & alia pleraque ad uitam moralem, politiã, & œconomiam pertinentia. Deditq; suis populis literas Sagas, seu Phœniceas: à quibus postea suas eruerunt Greci. Obijsse fertur Samothes, anno cõditi mundi 1956. & ante Christi aduentum in carnem, 2014. quũ Celtis uniuersaliter omnibus 156 annis præfuisset, Brytannis interim 47. Assyrijs & Babylonijs imperante eodem Nino. De religione & doctrina huius temporis sic scribit Baptista Mantuanus in lib. 2. de uita D. Blasij:

Ianus enim, si uera potes perferre loquentem,
Venit ab Aßyrijs, postquam mare in ardua quondam
Diffusum iuga, se primam contraxit in aluum.
Viuusque Dei cultum tulit, atque reliquit
Omnibus in terris. Sed non tenuere nepotes
Diuinos ritus, & quæ uulgauerat ipse
Sacra per Armenios, & circunstantia regna.

MAGVS SAMOTHEVS. II.

MAgus Samotheus, secundus Celtarum rex, Samothis prædicti filius, ac paternarum uirtutum dignisśimus hęres, anno Nini Assyriorum regis 51, ut author est in quinto suarum Antiquitatũ libro Berosus, eidẽ suo genitori succeśsit. Scientijs & moribus, ut illa ferebat ætas, ab auo ac patre tam probè institutus hic fuit, ut omnia sub eius manibus mirificè tunc prosperarentur. Tectorum inuentor primus, & œcumenicus sui populi prouisor, castra, domus & oppida in suis ditionibus constituit, posuit, firmauit. Vnde ab eius appellatione, ueteres authores antiquiśsimarum urbium nomina adhuc in scriptis referunt, tam ex nostra Brytannia, quàm etiam ex Gallijs, & ex Germania magna. ut sunt apud Ptolemæũ & Antoninũ, Breuiomagus, Berbetomagus, Nouiomagus, Rothomagus, Rigomagus, Duromagus, Vindomagus, Gabrumagus, & his similia sine numero. In nostra uerò Britannia, prę fatus Antoninus, diligens mundi peragrator & urbium quæsitor, Sitomagũ, Neomagum, Niomagum, & Nouiomagum inuenit. Quorum Neomagum, Thomas Eliota in suo Dictionario, fuisse olim dicit, ubi nunc est Cestria: Niomagum autem, ubi iam Bokingamia manet, Georgius Lilius in antiquorũ locorũ nomenclatura ponit. Non solum per Europam, sapientiæ & eruditionis huius principis uolabat fama, sed etiam per uniuersas Asiæ & Aphricæ regiones. Quippe tam Persæ quàm Scythæ, & aliæ adhuc Orientalium ac Septentrionalium gentes, suos sacerdotes & philosophos, in hunc usq; diem Magos ab eius nomine uocãt. Quid interea Magus apud eos sit, aut à quibus officijs noscatur, Baptista Mãtuanus his uerbis explicat in quinto Fastorũ libro:

Ille penes Persas Magus est, qui sidera norit,
Qui sciat herbarum uires, cultumq; deorum,
Persepoli facit ista Magos prudentia triplex.

Hæc omnia Magum hunc nostrum, suos docuisse Brytãnos, nulli dubium est, quum naturalis philosophiæ penitiorem illam habuerit cognitionem. Obijt anno à mundi origine 2009. & ante Seruatoris nostri apparitionem in carne, 1961. quum 53 annis subiecta sibi gubernasset regna, Assyrijs ac Babylonijs dominante Zameio Niniate.

APPENDIX.

Plura possent hic narrari, de Oceano Chami filio: ab aliquibus Mena, ab alijs Mizraim dicto. Vt quod anno mundi 1802, secundus Aegypti dynastes & conditor fuerit, colonias ad Nilum in ea posuerit,

erit, Nymphas ex Thetide sorore genuerit, atque maiorem orbis partem post septimū annum regni nauigio quæsiuerit. Nam summus in re nautica factus, illi maris parti, quam longissimam trasfretauerat, in rei gestæ memoriam, suum reliquit nomen: ut Oceanum mare, quod & Britanniā alluit totam, deinceps diceretur. De Pruto etiam, Noachi ex Araxa filia pronepote, quem primo Nennius, postea Gildas quartus, in historijs de Britannorū origine, mutatis duabus literis, Brytonem Isiconis filium uocant, quædam adferre commodum ducerem: sed his immorari diutius non licet, quum res me aliorsum euocent.

SARRON MAGIVS. III.

SArron Magius, Celtarū rex tertius, patri Mago, ut infert prędictus Annius super quinto Berosi libro, in Galliarum ac Britanniarum regnis, princeps integerrimus & prudens succesit. Literas ab ipsa pueritia in summis delicijs habens, ingenio nobilissimus, præclaras artes, academiā, ac publica literarum studia, primus in toto terrarum orbe, exposuit, instituit, promouit. Hic ea ætate regnabat, quam P. Ouidius in primo Metamorphoseon libro Argenteā prolem uocat, aurea matre, priore uidelicet seculo deteriorem. Et nouerat, sub infamibus monarchis, Nino ac Semiramide, infinitas per mundum dispergi atq; regnare fœditates, pompas, oppresiones, bella, cædes, tyrannides, luxurias, idololatrias, & alia id genus uenena mortifera. Perceperat postremò, impijssimum Chamum Aegypto pulsum, omne mortalium genus per Italiam atq; alias nationes, infandis corrupisse sceleribus. Disseruerat enim infamis ac impudicus ille, præter magica & uenefica præstigia, congrediendum esse, ut ante Cataclysmum, cum matribus, filiabus, sororibus, masculis, brutis, & quouis alio promiscuo genere. His tempestiuè malis obuiare satagens pijssimus Sarron, pręteritæ cladis sub diluuio non immemor, ut contineret férociam hominum, inquit Berosus, utq; cum patrum placitis priscam conseruaret religionem, ingenuarum artium gymnasia per omnes suas ditiones in Britannia & Gallia constituit, firmauit, stabiliuit. Vnde Diodorus Siculus, in sexto historiarum suarum libro, hanc de eius sectatoribus producit sententiam: Sunt, inquit, apud Celtas theologi ac philosophi, quos uocant Sarronidas, qui præcipuè ab eis coluntur. Nam moris est apud illos, nullum absq; philosopho sacrificium facere, &c. Iste Sarron, ut non impiè coniectare licet, quasdam edidit piæ doctrinæ præceptiones,

Quia cōstabiliuerat Deus, ut habet Martinus Lutherus in Genesim, insularum regna, quum essent à patribus diuisę, uidētur tenuisse cultus ueros ab illis acceptos. Nam impiorum & idololatrarum regna non constituit Deus, sed euertit. Mortuus est Sarron, anno formati Adami 2057. & ante magni Mesiæ natiuitatem 1013. quum 48 annis regnasset, Assyrijs & Babylonijs imperante Ario.

DRVYS SARRONIVS. IIII.

DRuys Sarronius, quartus Celtarum rex, Sarronis filius, ut Berosus planè rē narrat, peritiæ plenus, post prudentissimū patrē doctissimus regnabat, nō sine magno literarū & doctrinarū lucro. Ab eo autem sapientū atq; augurioru doctore, philosophi illi quos Druydas uocamus, & originē & nomē in Britānia primùm sumpserūt, ut ex ueteribus tam Gręcis quàm Latinis multi authores produnt. Hos habebāt & Galli cum Britannis communes sacrorum rituum ministros ac sacerdotes, usq; ad Christum natum: qui propulsis errorum tenebris, Euangelicæ ueritatis lumen pijs hominum pectoribus infudit. Ab illis interim utraq; gens, Gallorū ac Britannorum,

uarijs disciplinis erudiebatur: quæ tamen, ne uulgò communes factæ uilescerent, literis rarò committebantur, retinentibus eas librorum loco, memorijs hominum. Tradebant Druydes, animas non interire, sed ab alijs post mortē transire in alios, ut ita mortis metum animis excuterēt, ad uirtutesq; excitarent. Simul docebant de sideribus & eorum motu, de mundi atq; terrarum uastitate, de rerum naturis, ac deorum immortali potentia, & similibus: Græcisq; literis utebantur. Has sanè disciplinas in Britannia primùm repertas, Druydes ad Gallos comportasse, author est Cæsar Iulius, in sexto libro de Gallico bello. Vnde post Diodorum Siculum, Aristotelem, Secionem & alios, Polydorus Vergilius in primo de Inuetoribus rerum, hoc habet: Apud Britannos & Celtas, siue Gallos, Druydes, authore Laertio, pro sapiētibus habebātur, &c. Hi tam sacra quàm ciuilia instituta posteris suis, Græcis uersibus reliquerunt.

Inde sermonis Græci uestigia in idiomate Cambrico adhuc remanere dicuntur. Druydarum sic doctina, qui & Samothei uocabantur, in toto occidente, Britannia maximè, floruit, ante ullam inter Babylonios aut Græcos publicam literarum memoriam. Ita consuluerat Noachus Ianus, dispersæ per orbem primogenitorum suorum familiæ. Regnum cum uita reliquisse fertur Druys, eruditus princeps, anno fabricati seculi 2069, & ante Seruatorem natum 1901, cum 12. annis gubernasset, Aralio Babylonijs imperante.

BARDVS DRVYDIVS. V.

BArdus Druydius, ex prædicti Druydis filio, Celtarum rex quintus, carminum inuentione celebris in Beroso claret: qui tamē immodico musicæ artis usu, paterna seueritate neglecta, ut eius est natura, omnia uertit in delicias, molliciem & luxum. Talis etiam ea tempestate erat Aralius, potentissimus Assyriorum monarcha, qui, eodem Beroso teste, primus adauxit pompas in gemmis, monilibus, atq; alijs muliebribus illecebris, idololatria sensim acquirente uires. Ab huius regis nomine, & utraq; canēdi arte, processerunt illi quos Bardos appellant authores: etiam in Britannica insula, teste Cæsare. Hi poetæ erant, & fortia clarorum uirorum facta uersibus heroicis celebrabant, dulcibusq; lyræ melodijs, ad exhilarandos in conuiuijs uirorum animos, decantabant. Sunt apud Celtas, inquit Diodorus Siculus, melodiarum poetæ, quos appellant Bardos. Isti cum organis, ueluti cum lyra cantant, hos laudantes, alios uituperantes. Strabo Geographus, illos rebus studuisse poeticis: & Nonius Marcellus, cantores nobilitatis fuisse, tradunt. Tales in nostra Britannia apud Cambros, seu Vuallos, adhuc sunt, qui & patrio eorum sermone Bardi hucusq; appellantur. Ipsi heroum nobilium illustria facta colligunt, in rhythmos aptè & ingeniose redigūt, ac passim in solennioribus epulis seu symposijs, lyra & uoce concinunt. Vt ante natiuitatē Christi erant Plenydius & Oronius: post eandem uerò, Syluius, Teliesinus, Melkinus, Nennius, Donakamenus, Glaskirion, Saliphilax, Dauid Landauius, & consimiles multi. De Bardis enim hæc reperi apud Lucanum:

Vos quoque, qui fortes animas, belloq; peremptas,
Laudibus in longum uates dimittitis æuum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Obijsse fertur rex Bardus, anno à mundi origine 2138, & ante incarnatum Messiam 1832. quum regnasset 69 annis, Baleo Xerxe Assyrio moderante. Bardo successerunt Longho, iunior Bardus, Lucus, Celtes, & alij, per 80

plus

plus annos, usq; ad Albionem: qui Neptuni patris ductu Britanniam intrans, uiolenta manu regnum est auspicatus, anno mundi 2220. Quo etiam anno, subactis Samothæis, & cassatis Celtarum, Oceanorum, ac Neptunicolarum, quæ apud authores inuenio, nominibus, cœperunt Albiones deinceps appellari.

APPENDIX.

Non est opus, ut uates Britannorum gentilium hic commemorem: quos Eubages, Christophorus Mylæus nominat. Bardis, inquit, grauiores erant Eubages, qui sacra, cæremonias, auguria, diuinationes, naturæ etiam causas profitebantur. Cuiusmodi apud ueteres Britannos erant Aquila & Perdix: ac tandem post acceptum Christianismum, Patricius, Madocus, Maugantius, uterq; Merlinus, Cadocus, Gildas, Iltutus, Kentigernus, Eluodugus, Samuel, & alij sine numero. Sed & flamines atque archiflamines, qui etiam apud Britanos celebres erant, breuitatis causa prætereo. Nam & ipsi Lucij regis tempore per Euangelij prædicationem, cum Druydis in Britannia finem habuerũt anno Christi 179. Sed qui de his plura adhuc scire desiderat, Lelandũ nostrũ quærat de Viris illustribus.

OSIRIS OLYMPIVS VI.

Osiris Olympius, Argiuorum atq; Aegyptiorũ rex, ex pessimo patre Chamo (ut produnt authores) optimus certè filius, ac Mizraim à Mose dictus, maximum in mundo ob inclytas actiones acquisiuit nomen. Anno post diluuiũ 350, cœpit hic in Palęstina primùm instruere sanctificatos Semi filios, in his quæ cum Iside sorore, in frumento & frugibus ingeniose conceperat. Hinc rex pacis Melchisedech, qui idem & Semus erat, peractis inde 24 annis, ad uallem Mamre, prope Hebron, panem & uinum protulit, in quadam gratiarum actione Deo, pro Abrahæ contra Gentiles uictoria. Tandẽ ex Aegypto profectus Osiris, acsi ad illum, atq; ad alterũ Noachũ, omniũ regionũ spectaret cura, lustrauit Aethiopiã, Aphricã & Asiam, usq; ad inaccessa Indorum deserta. Postea inuisit Europæ prouincias, Thraces, Macedones, Cretenses, Italos, Hispanos, Germanos, Gallos & Britannos: docens quęcunq; aut arte inuenerat, aut uigilantis animi industria compararauerat. Ideo communi omnium fauore, & meritò quidem, pius pater acclamabatur. Splendidè eo pacto, uniuerso ferè imperauit orbi: exceptis illis solum nationibus, quæ Babyloniorum tyrannidi, immodicisq; eorum molestijs subiectæ tunc essent. Ferocientes interim Gigantes, ac nimia corporũ proceritate, summa usurpantes tyrãnos, qui diruptis legibus, gentes in omnimodam seruitutem redegerant, ubiq; deprimebat: iusticiam cunctis imperans, omne suum studium in puniendis malis, atq; honorandis bonis impendit. Quæ autem cum Iside sorore in illis docuerit regionibus, paucis his explicat Albius Tibullus, eques olim Romanus:

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitauit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomaq; non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adiungere uitem,
Et uiridem dura cædere falce comam.

Atq; alia plura. Hunc audax inter Albionum scriptores pono, quòd patrui Iapheti posteros in Britannia hæc certò docuerit, et uentri cereuisiam uini loco parare: id cęteris nationib. commune relinquens, apud quas etiam similia fecit. Non enim erat in orbe locus, quem pro plebe instruenda, non adiuerit Osiris: ut in columna triumphali scriptum reliquit, in Aegyptum denuò reuersus. Occisus demum est à Typhone fratre, & in XXVI partes

discerptus, conscijs ubiq; Gigantibus: anno à mundi origine 2225, & ante Deiparę partum 1745, Assyrijs imperante Baleo iuniore. Istum in forma bouis Aegyptij coluerunt, ut nostri temporis Papistæ Lucam euangelistam.

NEPTVNVS HELICONIVS. VII.

NEptunus Heliconius, Osiridis præfati ex Iside matre filius (Moses in Genesi Nepthuim uocat) à patre, antequam exiret Aegyptum, maris atq; insularum dominium accepit. Vnde quum esset nauigandi arte egregie imbutus, aquarum præfectus cōstitutus, classem instruxit nauticam, atque omnes Asiæ & Europæ terras inuisit. Quum eius pater Osiris, Iupiter iustus appellatus, totum, ut præmittitur, peragraret orbem, ut à se inuenta doceret: gentes ubiq; uidit inertia, luxu & ocio, alijsq; naturę inquinamentis fœdari. Nam ab initio Bardicæ sectæ, qui musici erant, homines laborū obliti, ex una parte uoluptatibus ac lasciuijs indulgebant: ex altera uerò, aut glande uictitabant, aut ubi nihil comedendum erat, famè absumebantur. His adhibere remedia curans Osiris, agros colere, uites scindere, & plantaria inserere docuit, panemq; & potū ex granis conficere, iusticiā omnibus arctè præcipiens. Et ne post eius decessum ab eis, pia hæc instituta penitus deperirent, interemptis, aut saltem profligatis tyrannis oppressoribus, aliquot populis suos filios & nepotes reges dedit. ut Maronem uinearū cultorem Thracibus, Triptolemum tritici satorem Atticis, Orum diuinatorē & medicum Aegyptijs: Neptunum nauticæ artis inuentorem ac maris dominum, insulis marinis (qui & Britanniam Albioni filio gubernandam tradidit) Lybiū, Lydum, Meonē, Macedonē, & alios alijs. Neptunus uerò, ex summa nauigandi peritia, maris & deus & imperator à doctis est habitus. Peruium porrò Oceanum ad mediterraneum mare factū, eius solius industria, scriptores esse asserunt.

Præter hæc ingentia facta, equitandi, & instrumenta quædam formandi artes eum exhibuisse, Diodorus ac Vergilius affirmāt. Hinc Hippius, hinc Ennosigæus, hincq; Tridentifer à quibusdam est authoribus cognominatus. Claruit Neptunus, anno à creaturarū initio 2212, & ante incarnationem Dominicam 1758, Assyrijs imperante Baleo iuniore: & insularum regna filijs tandem distribuit.

ALBION MAREOTICVS. VIII.

ALbion Mareoticus, Gigas, Neptuni potentissimi ex Amphitrita coniuge, quartus filius, Samotheorū in Britannia rex, coæuos ferè omnes animi excellentia & corporis uiribus excessit. Tam magnus sua uirtute, ac patris & aui Osiridis authoritate fuit, ut per eum in Britānia translatum sit tam regnum quàm nomen à Samotheis, atq; ita à religiosa Iapheti stirpe, ad iniquam Chami progeniem: id fortè merentibus hominum peccatis. Sic enim post aureum seculum in orbe toto, ducentorum & quinquaginta ferè annorū, sub Noacho sanctissimo post diluuium (de quo tanta scribunt Fabius, Myrsilus, Trogus, Diodorus & alij) sequebatur in particularibus regnis, ad eandem circiter temporis mensuram, sub Iapheti filijs ac nepotibus ætas argentea: ut est apud Vergilium, Ouidium, reliquosq; authores. Tandem successit, sub opprimentibus Chamesenis tyrannis, tempus omnino ferreum, spurium, ac spurcum: degenerantibus à priorum patrum instituto filijs, ut author est Philo Iudæus. Ita possederunt eos, rectores absque Domino, Esa. 26. Atq; hoc in Britannia durauit ad Brytum usque: adhibito deinceps insulæ, Albionis huius nomine, ob constabilitam illi per auum Osiridem

tidem ac genitorem Neptunum Heliconium in ea monarchiam. Inde est, quod Nicolaus Perotus in Cornu copię, Ringmannus Philesius in descriptione Europæ, aliję cum Aristotele graues authores, tā Græci quàm Latini, ferant in suis opusculis, Brytanniam ab Albione Neptuni præfati filio, Albionem olim uocari. Et hæc fiebant anno post Cataclysmū, circiter quingentesimo sexagesimo secundo, & mundi 2219, quum Phorcus Sardiniam, Læstrigo Italiam, Polyphemus Siciliam, Bergion Orchades & Hiberniā, ac cæteri eius fratres, triginta numero, alias mundi insulas sub illis quoque possiderent. Nam ab Osiride patre, cum uniuerso, Babylonijs demptis, imperaret orbi: susceperunt duo fratres, Neptunus maris imperium, & Hercules Libyus militiæ principatū. Atque ita deuenerunt filij ad insularum dominia. Inter alias, Diodoro teste, ab auo & patre inuētas artes: hic Albion, primus in Brytānia docuisse credit astrorū scientiā, ac diuersi generis nauigia.

Nec in hac re desunt Ioannis Textoris & Polydori Vergilij testimonia, rates fluuiales in Oceano Brytannico fuisse primùm inuētas, corio circumsutas. Ad Rhodani ostia tandem est Albion cum Bergione fratre, in Herculis patrui gratiam, à Ioue, lapidum imbre interēptus: anno à condito mundo 2262, & ante Christi incarnationem 1708, quum XLIIII annis regnasset, Assyrijs imperante Baléo iuniore. Et hoc illis accidit, quia tentabāt eius impedire transitū: ut testes sunt Diodorus Siculus, Pomponius Mela, Ioannes Boccatius, Eliota, Cybenius, & alij.

APPENDIX.

Albionis demonstrationes instrumenti Geometrici, quas clarissimus uir Conradus Gesnerus in uniuersali Bibliotheca extare dicit, canones sunt. Hos nō edidit præfatus rex Albion, sed monachus quidam Anglus, Ricardus Vualingfordus, pro regendo & conseruando Albanensis monasterij horologio, quod non sine artis & ingenij excellentis miraculo ibidem fecerat. Albion enim omnia per unum illic Brytānicè sonat, arridetq; cœnobij uocabulo. Hæc, ne nominis æquiuocatio lectores amplius suspensos teneret, ad præsens indicaui: plura de illis postea dicturus in eodem Vualingfordo.

APPENDIX ALIA.

Ioannes Hardingus, in primo suorum Chronicorū libro narrat, Danai Argiuorū regis filias, Albionem intrasse, anno 72 Aiothi iudicis Israel, anno scilicet mundi 2604. Sed Gildas quartus, in historia de primis habitatoribus Brytanniæ, 36 annos adimere uidetur: ac tradere, quòd anno à mundi origine 2568 intrauerint: qui fuit Aiothi iudicis 36, cum hac additione: Ab aduentu dominarum, inquit, usq; ad Bruti, potius Bryti, introitum, anni fuerūt 266. Qui faciunt à mundi creatione 2828 annos. Inde, inquit, fluxerunt ad natum Christum 1136 anni. Quibus ego sex annos adijcio, Pantaleonem in Bibliorum supputatione secutus. Sic sunt à mundi initio ad natum Seruatorem, anni 3970.

Guilhelmus Caxtonus, & ante illum scriptores aliquot, Anglorum Chronica sunt exorsi ab Albina quadam Diocletiani Syriæ regis filia. Quam dicūt unà cum 32 sororibus, quæ totidem maritos interfecerāt, à patre expulsam, in eam uenisse insulā, & à suo nomine Albionem appellasse. Tandemq; quū illic nō inuenissent homines, cum dæmonibus ipsas coijsse ferūt, ac immanissimos peperisse gigantes: quos omnes Brytū cum suis Troianis demū occidisse, etiam fatentur. Sed hæc fabulosa sunt, immò falsissima, quum nullibi inueniatur Diocletianus ille Syrus, fortassis Danai loco confictus. Yuandus doctor Tolosanus, in libro suo de Genealogia Iapheti, similiter scribit: quòd post Troianæ urbis uastationem, Brytannia à Babylonijs inhabitata primùm fuerit, Bryti fortassis cōmemorans historiam.

BRYTVS IVLIVS. IX.

BRytus Iulius, Dardanius (alij Brutum, mutata Latinorum more y in u, uocant) Aeneæ Troij, magni Latinorum regis, ex Iulio Syluio Ascanij regis filio, & Lauiniæ nepte, pronepos: utrunque parentem (quod Mathematici præsagierant) matrem in partu, ac in uenatione patrem, inuitus interemit.

remit. Ob id Italia per auum Ascaniũ pulsus (quicq; paulo mox optato hęre de destitutus perijt) in Lergeciam insulam socijs quibusdam comitatus, anno ętatis XVI abijt. Vbi inter lachrymosa, & ex tam infaustis succeſsib. quotidiana suspiria, oraculum à Diana Cynthia tandem accepit, quòd esset nobilisſimam extremi Occidui possessurus insulã. Quod elegantisſimis carminibus deprompsit Gildas Cambrius poeta Britannus ac uetustisſimus scriptor, ut habet Ponticus Virumnius, in suo Britannicæ historiæ libro primo. His Brytus lętior factus, atq; eorum Troianorum, qui profugi incertis sedibus uagabantur, dux constitutus, generis sui reliquias à Græcorum seruitute, Pandraso rege captiuato, liberauit. Erat enim Brytus, uir prob. sapiens ac bellicosus: qui ducta in uxorem prædicti regis filia Ignogene, cum trecentis & 24 Troianorum nauibus, fortisſimoq; duce Coryneo, Albionem, post nouem annorum in terra mariq; labores, feliciter intrauit. Quòd alios tunc non habuerit populos ea regio, quam Gigantes, ineptisſimũ est figmentum. Vndiq; per Europam diffusa Iapheti posteritas, adhuc in ipsa insula, licet sub Chamesenorum tyrannide, manebat: plerisq; eorum, iuxta diuinam uocem, sub tentorijs Sem, in fide promisſi seminis cõmorantibus. Hos ualida manu, ab immanisſimorũ gigantum oppreſsione ferè per decẽnium, multorum cæde liberans, tandem peruenit ad totius insulæ regimen, anno 18 Heli sacerdotis, Israelem iudicantis: qui fuit annus à mundi origine 2828, & ante Seruatorem natum 1142. Illicq; regno deinceps, à suo nomine, obliterato Albionis uocabulo, Britanniæ nomen imposuit. Scripsit inter cętera, Græco sermone, Brytus,

Ad Pandrasum regem,	*Epist. 1.*
Ad Troianorum profugos,	*Epist. plures.*
Legesq; Britannicas,	*Lib. 1.*

Ex Troianorum cõsuetudinibus has esse collectas, affirmat Hardingus, primo suorum Chronicorum libro, cap. 14. Mirũ in modum circa Bryti huius originem se torquent Boccatius, Polydorus, & consimiles Italorum scriptores, ad nauseam usq; dedignabundi, quòd Britannica barbaries ad eorũ claritudinem, latrocinio, meretricio, tyrãnide, & patriæ proditione partam, aspiraret. Mitior est illis Suidas, Græcus author: qui cum nostro Casſibellano, ex hac Iuliorum familia descendisse Cęsarem Iulium, commemorat. Rebus rectè diſpositis, tandem fato conceſsit Brytus, cõpleto 24 sui regiminis anno, ætatis uerò 53. scilicet anno formati Adami 2852. & ante incarnatum Mesſiã 1118 Trenouãti, urbe à se cõdita, sepultus, Samuele Iudæis pręsidẽte.

APPENDIX.

Penè omiserã, quæ nunc sum dicturus, ad longinquiorem Britannici nominis antiquitatem. Ante Brytum ad aliquot annos, fuit Brytona nympha Cretensis, Martis Aetoli filia: quæ inter uenatrices puellas, & Dianæ comites numeratur. Hæc quũ esset formosa, & perpetuo uirginitatis uoto astricta uenationi uacasset, ad uim & stuprum Minois Cretensium regis declinandum, se in aquas præcipitem dedit. Testem super his omnibus Textorem habebis, in Officina. Claruisse fertur Brytona, anno mundi 2740, Mytræo Aſsyrijs imperante. De superstitione huius ætatis, sic habet Baptista Mantuanus, in primo libro De uita D. Blasij:

Aeneas etenim, quando ad Lauinia uenit
Littora, sacra tulit secum, uictosq; penates:
Et dedit indigenis, docuitq; arcana deorum
Orgia, quæ æternos ea gens seruaret in annos.
Multa quoque Euander prius, & Carmenta sacerdos,

Arcadijs

Arcadijs olim tulerant libamina ab oris
In Latium, quæ pòst obseruauere nepotes.
Thusci etiam quædam deliramenta tenebant,
Quæ genitus tellure Tages inuexerat olim.

Vt de politicis Brytannorũ atq; aliarum gentium legibus aliquid dicam ex Bibliandro: Nullus enim à condito mundo fuit magnus aut paruus populus, qui ordine publico & forma reipublicæ prorsus caruerit: qui non magistratum aliquem, non leges scriptas, aut memoriter conseruatas habuerit: aut qui non seueriter animaduerterit in seditiosos reipublicæ turbatores: non oderit seditiosos: non hoc putauerit atrox uel crimen uel conuicium: aut qui sublato publico ordine, & inuecta ἀταξία, *diutius consistere potuerit. Est nanq; ciuilis gubernatio desumpta ex idea & exemplari diuinæ gubernationis, quæ uniuersum mundum continet ac seruat. Et ne domus quidem ulla incolumis durare potest, quæ non ratione ad exemplum ordinis diuini regitur. Si ergo Deus amat homines, et illis prouidet, politias non potest non amare bonas & iustas, quæ ad seruandas res mortalium unicè pertinent. Longum sanè foret, ac propè infinitum, si quis argumenta omnia persequi uelit, quæ probant, Deum politias bene constitutas maximopere diligere, & ornare, & tueri, & ordinare, deniq; præsidere, ac gubernaculum in nauigijs, quæ tot corpora & fortunas in pelago æstuantis mundi uehunt, ipsum tenere. Sed pauca duntaxat delibare uisum est.*

Quantum ad religionem spectat, Paulus apostolus scribit ad Romanos, Deum manifestasse ueritatem Ethnicis. Inuisibilia (inquit) Dei ex creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; ipsius uirtus & diuinitas. Atq; in concione Atheniensium testatus est, Deum qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, omnibus donare uitam & inspirationem, & omnia, ut quærant Deum, & inueniant, adeoq; contrectent: siquidem non longè abest ab unoquoq; nostrûm: in quo uiuimus, & mouemur, & sumus. Quod Plato agnouit, alijq; cordatiores Ethnici. Nonnullos autem ita cæpit mundi pulchritudo, et hominum utilitati accõmodata perfectio, ut Deum esse putarent mundum, dilapsi uidelicet à creatoris cõsideratione, ad opus faberrimè ab illo factum.

GERION AVGVR. X.

GErion Augur, heros inclytus, ut Ponticus habet, uates antiqui nominis, ac deorum minister, in omni Græcorũ sapientia præstantissimus, præfato regi Bryto à futurorum consilijs erat. Quum inuocanda essent numina, aut oracula dicenda, ante Iouis & aliorum deorum aras, solennes sacrificiorum ceremonias põtifex disponebat. Templorũ sacrificulis cohabitãs, principum filios in moribus & scientijs instituit: magorum præsagia exposuit, uirorum fortium gesta collegit, iuuentutemq; ea canere docuit. Certis anni temporibus, ingenij exercendi gratia, & pro addiscendis astrorũ motibus, in solitudine, non in urbibus morari consueuit. Eo tempore cibus illi parcus erat, potusq; tenuis. Græco sermone in sacris utebatur, nec alterius linguæ commixtionem admittebat. Dum inter nauigãdum Brytus ad Lergeciam desertam insulam uenisset, & illic post uenationẽ, in urbe quadam, Dianæ reperisset templum, Gerion pontifex, circundatis, protoflaminum more, tempora uittis, ueterrimo ritu tribus dijs, Ioui, Mercurio, & Dianæ libamina dedit, erumpente in hæc uerba Bryto:

Diua potens nemorum, terror syluestribus apris,
Cui licet anfractus ire per æthereos,
Infernasq; domos: Terrestria iura resolue,
Et dic quas terras nos habitare uelis.
Dic certam sedem, qua te uenerabor in æuum,
Qua tibi uirgineis templa dicabo choris.

Sequenti nocte, quum in ara Dianæ, circa horam tertiam, dulciore premeretur somno, hoc responsum ab eadem soporatus accepit, ut testes sunt

Galfridus Monumetensis ac Ponticus Virunnius in Brytannorũ historijs:

Brite, sub occasum solis trans Gallica regna,
Insula in Oceano est, undique clausa mari.
Insula in Oceano est, habitata Gigantibus olim,
Nunc deserta quidem, gentibus apta tuis.
Hanc pete: namque tibi sedes erit illa perennis,
Hæc fiet natis altera Troia tuis.
Hic de prole tua reges nascentur, & ipsis
Totius terræ subditus orbis erit.

Hos uersus è Græco in Latinum transtulit Gildas Cambrius, Brytannorum poeta nobilissimus, qui floruit circa imperatoris Claudij tẽpora, ut habet sæpe dictus Virunnius. Claruit Gerion sub Brito antè dicto, anno à mundi origine 2840. & ante uirginis partum 1130. Heli summo sacerdote apud Israelitas dominante.

AQVILA SEPTONIVS. XI.

AQuila Septonius, ex supernaturali astrorum scientia atq; corporum cœlestium inspectione, futura prænoscens, uates apud Brytannos ætate sua ualde celebris habebatur. Non enim minoris æstimabant Brytannici regni primores uiri, huius præclari hominis sentẽtias graues, & in rebus agendis matura consilia, quàm Apollinis oracula Delphij, aut Numę Pompilij iudicia Romani, quibus apud eos meruere statuas. Incidit Aquila in illud seculum, quo Rudibrasius Luelli regis filius, politicus princeps, Brytanniæ regno nonus præfuit. Quum ille Septoniæ, Paladuri montis nouæ urbi (Shaftesburia nunc dicitur) quam inter aliquot pulcherrimas ciuitates condidit, locum designasset, ac murorum fundamenta posuisset, rogatus Aquila, ut inspecto urbis horoscopo, de eius fortuna & duratione aliquid proferret, plura uaticinatus fuisse perhibetur: quæ chartis imposita, Brytanni postmodũ, idq; cum religione quadam, legebant frequẽter. Huic rei argumẽto esse possunt Cadualladrus & Alanus apud Galfridũ, utriusq; Brytannię reges. Qui cum uiderẽt omnia ad internecionem, anno Domini 686, partim Saxonum tyrannide, partim dira fame & peste tendere, ad eius libros tanquam ad sacram anchoram confugiebant. Sed quum nec in illis quidem (ita tunc respondebat euentus oraculis) ullam remedij spem inuenissent, coacti sunt de recuperando Brytannorum imperio omnino desperare. Edidit Aquila

Prophetiarum suarum, *Lib. 1. Arbor sterilis à primo trunco.*

Et alia quædã: quę Brytanni in summo precio, æquè ac olim Romani Sibyllinos libros, habuerunt: ut Galfridus docet lib. 9. cap. ultimo suæ historiæ. Fragmenta quædam harum prophetiarum uidi, legi, habui. Claruit Aquila sub prædicto rege Rudibrasio, anno à mũdi initio 3070. & ante Messiam natũ 900. prophetãte in Israel et Samaria, post sublatũ Heliam, Heliseo.

BLADVDVS MAGVS. XII.

BLadudus magus, Brytannorum rex decimus, adolescens adhuc, perdiscendæ philosophiæ gratia Athenas, celebratissimam Atticæ Græciæ frequentabat urbem. Abhinc tandem, prudentissimo patre rege Rudibrasio defuncto, post aliquot annorum studia, longo itinere in Brytanniam reuersus, quatuor multarum scientiarum magistros secum adduxit: ne tam rarissimo uirorum ornamento sua deinceps careret patria. His apud Stanfordiam, loco amœnissimo (ut author est Merlinus) rei literariæ gymnasia constituit,

constituit, ut artes liberales inibi doceret: habebantque subinde non infrequens illic auditorium. Vir erat tam profanis ethnicorum scientijs, quàm omni Græcorum sapientia edoctus: mathematicarum artium præcipuè studiosus & eruditus. Vnde ad eum Sibylla quædam eius temporis, audita illius nominis & doctrinæ fama, librum futura præsagientem edidit. Bladudum ferunt authores Bathoniam urbem condidisse, ac thermas, in eadem (quæ hucusque durant) arte mira ad plebis usum locasse: Mineruam, erecta æde, quo nusquam deficeret, deam constituisse seruatricem: docuisseque per uniuersam illam regionem, necromanticen. Sed hæc esse pro maiori parte conficta, certissimus iudico. Sunt enim, fateor, thermæ, quæ natura sunt, & quæ industria incalescant. Aqua nempe (ut habent Basilius ac Bedas) per terræ uenas aut fistulas permeans, & ex metallis discurrens, sæpenumero feruescit. Sed hæc abeant. Edidisse perhibetur Bladudus,

De magia Mathematica, Lib. plures.

Aliaque reliquisse perspicacis ingenij monimenta. Vt Proteus alter (inquit Virumnius) in uarias se uertebat formas, et insolito motu turbabat elementa. Comparatis tandem magicis carminibus, alis Dædalinis in aerem præsente populo uolare tentabat: ceciditque præceps super Apollinis aram 21. sui regiminis anno. Quo casu collisus, è uita excessit: Trenouanti sepultus anno conditi mundi 3104. & ante incarnatum Dominum 866. Helisæo in Israel prophetante.

PERDIX PRAESAGVS. XIII.

Perdix Præsagus, Brytannicus uates, ingenio & multiplici rerum usu præcellens, atque in mathematicis doctrinis exercitatus, oscitantes multorum animos ad easdem & alias ingenuas artes suo erigebat exemplo. Erat hic uates ex curiosa & assidua, nescio an superstitiosa, stellarum obseruatione prognosticator insignis. Quum uerò in Brytannia, Riuallonis regis tempore, circa annum à mundi exordio 3198. sanguinem triduo pluisset, tanta muscarum affluentia homines inuasit, ut ex illarum molestia & aeris contagione sine numero morerentur. Regi igitur in Dianæ templo eam ob rem sacra (ut moris tunc erat) facienti, accurrit Perdix: ac non solum eius plagæ causas exposuit, sed & futurorum euentuum prophetiam præsens edidit. Eam ilico Rex iussit in eodem templo, in rei gestæ memoriam, grandi marmore notari. Quam postea Gildas Cambrius, historiographus & poeta apud Britannos nobilissimus, in idiomate peruetusto scriptam reperiens, in Latinam linguam transtulit, ac uersu eleganti exposuit. Ignoto Perdicis huius etymo deceptus Virunnius (sicut ante ipsum in Aquila Galfridus) auem interpretatur, ac fingit incredibili per templum pennarum magnitudine aduolitantem. Sed de his satis. Perdix, ut præmittitur,

Prænotiones edidit, Lib. 1.

Gildasque nobili epigrammate (ut Virunnius habet) easdem est complexus, ac earum dicta memorabilia uersibus commentatus heroicis. Claruit Perdix sub præfato Riuallone, solerte & officioso Britannici regni gubernatore (Fortunatum Galfridus insinuat) anno formati orbis 3210. & ante Christi aduentum 760. Esaia super Iudam & Hierusalem prophetante.

DVNVALLO MOLMVTIVS. XIIII.

Dunuallo Molmutius, Clotenis Cornubiensium Ducis filius, sapientia & pulchritudine proauos omnes longè exuperans, deuictis Loegriæ, Cambriæ, & Albaniæ tyrannis, solus apud Brytannos tertius & uicesimus

rex imperabat. Is enim à principio, sapientissimi Salomonis instar, cogitare cœpit, quæ regni sui Reipublicæ magis utilia forent. Ad insulas procul (inquit Iesus Sirach) peruenit Salomonis nomen, & ex eius pace charus hominibus erat, Eccl. 47. Viros bonis artibus eruditos, opibus rex Dunuallo & fauore iuuit: ac militarem artem penitus obliteratam, ad pristinum reuocauit usum. Et primus hic omnium in Brytannia fuit, qui aureo diademate caput insigniuit regium. Templa deorum asyli loco constituit: aratra colonum, urbes, & uias ad eas publicas ordinauit, ponderaq; ac mensuras rebus uendendis disposuit. Postremò fures & omnem noxiorum hominum colluuiem, iusta seueritate puniuit. Protulitq; tandem sermone suo uulgari Brytannico, pro his perpetuò seruandis,

Statuta municipalia, *Lib.1.*
Leges quoq; iudiciarias, *Lib.1.*

Has post mortem patris, Belinus rex cõfirmauit: iussitq; Molmutinas uocari. Easdem etiam Gildas Cambrius, in Latinum sermonem transtulit, & Alphredus Magnus in Saxonicũ. Senectute confectus, fatum obiuit: postquam XL annis magnificè regnasset, ad templum Concordiæ (quod condiderat) Trenouanti sepultus, anno post Adami formationem 3540. & ante Seruatorem natum 430. florente Esdra Hebræorum magistro.

CAMBRA FORMOSA. XIIII.

CAmbra formosa, Belini Brytãnorum regis nobilissimi filia, ob naturæ dotes amplissimas celebrata, Antenoris secundi Francorum regis copulam inijt coniugalem. Hæc fatidica mulier (Ioanne Tritemio teste, in annalium suorum compendio) super totius regni filias speciosissima, tantæq; prudentiæ, ut eius consilijs rex & princeps Francorum, non secus ac numinis cuiusdam adhortamentis, obtemperare consueuerint. Earum gentium mores, feritate Scythica nimis adhuc rudes, modestis præceptionibus cultiores reddidit. Cumq; fœminam sexu, regem uerò ac sacerdotem gereret animo: Saxonibus in prouerbium uenit, quoties quispiam prudentius loqueretur, Si Camber: quod, ecce Camber, latina sonat lingua. Inde Sicambrorum nomẽ postea, tam apud Græcos quàm Latinos, ad quadringentos fermè annos populo remansit, donec à Franco quodam eorum rege Franci dicerentur: ut uetustissimus author Hunibaldus habet, in historia de Francorum origine. Hæc urbes & castella, proceres ædificare docuit: frontis cultum instituit: linum serere, canabimq; terræ cõmittere, ac in uestem usumq; uarium texere & aptare, mulieribus artem dedit. In plebe ius dicebat, se uatem & Dianæ pontificem exhibebat, atq; inter cætera composuit

Leges Sicambrorum, *Lib.1.*

Vnicum hæc peperit Antenori marito filium, Priamũ iuniorem, qui patri in regno ad 26 annos successit. Conditis demum urbibus, uitæ finem accepit circa annum à cõdito mundo 3590. & ante Messiæ natiuitatem, 380. anno à patris morte 20. Neomagi sepulta, Ioanne Ben Resa summo sacerdote Iudæis præsidente.

MARTIA PROBA. XV.

MArtia Proba, Brytannorum regina, Guithelini modestissimi regis olim uxor: mulier, ut altera Abigail, et prudẽs & pulchra floruit. Sunt Anglicarum rerum pleriq; scriptores, qui ab ista regina, Merciorũ prouinciam nomen traxisse primùm affirment. Sed egregiè falluntur hi homines: quum Mercij ex Germanis processerint, & ipsa fuerit Brytanna. At Martia omnibus

omnibus penè liberalium artium disciplinis imbuta, plura & inaudita proprio ingenio adinuenit: totiusq; regionis gubernacula, uicesimoseptimo regnantium loco, sola suscepit, eo quod nondum esset filius ob puerilem ætatem imperio maturus. Pacem præ bello amplectẽdam hæc docuit: & quæ concordiarum erant, diligentissimè omnia curauit. Imò rempublicam Brytannicam, uitijs antea deformatam, integris moribus ornare, & ad pristinũ statum reducere, ut acceperat à marito, magnopere laborabat. Et quo ea citius sortirentur effectum,

Salutares condidit leges, Lib.1.

Has Gildas Cambrius postea Latinas fecit, & Alphredus rex sua uersione Saxonicas: Martianæq; à posteris dicebantur. Claruit anno à primi hominis plasmatione 3615. & ante Seruatoris aduẽtum 355. Iaddo Ioannis filio existente Iudæorum pontifice. Et post septem sui regiminis annos ab hac luce migrauit, relicto filio rege Sisillio.

PLENYDIVS SAGAX. XVI.

PLenydius Sagax, insignis Brytannorum uates ac philosophus (Plemmydium Lilius Gyraldus appellat) ex Druydarum religione uetusta, clarissimus olim apud illos habebatur. Sub frondosis arboribus, literis eo tempore Druydum sapientes uacabant: nobiliumq; liberos post inuocata numina docebant. Quod Plenydij fuisse exercitium, non leuibus argumentis credere compellor, uisis quorundam authorum scriptis. Dum uerò colligeret Cambrorum annales Gildas, historicus ac poeta facundus, describeretq; eius gentis originem, progressum, & inclyta principum facta, huius atque sequentis Oronij obliuisci nequaquam poterat, præsertim in erudito Cambreidos opere. Vnde Ponticus Virunnius in primo cõpendij Brytannici libro istum innuisse uidetur, Græcè ac Latinè protulisse quædam.

Mirum est (inquit) quòd in tot atq; tantis rerum turbinibus, literas Brytannia semper amauerit, ac utraq; lingua plurimùm floruerit. Exemplo sunt Plenydius & Oronius, alijq; philosophi & oratores. Et hac ætate claruisse uidentur.

ORONIVS MODESTVS. XVII.

ORonius Modestus, magnus Brytannici generis uates, ex Bardorum seu poetarum (ut apparet) numero doctissimus, hac ætate præfato Plenydio æqualis agnoscebatur. Et quamuis esset priscorum more, in physicis ac moralibus doctrinis eruditus: animum tamen edendis in suæ gentis fauorem carminibus, potissimũ adiecit. Porrò quicquid egit, quicquid docuit, quicquid composuit, ingenium semper paratum habebat, ita ut ab eius consilio penderent multi. Inter occupationes uarias, heroum ac nobilium filios probè instituit, somnia rara quorundã exposuit, & futura ex stellis prædixit. Atq; ipsum ex sæpedicto Gilda, Lilius Gyraldus in secundo de Historia poetica dialogo, testis est inter alios locuples, ex utroque sermone, Latino & Græco,

Poemata quædam eruisse.

Nam & Brytanni (inquit) licet toto penitus orbe diuisi, poetas semper amauerunt, coluerun tq;. Et hos duos prolatis nominibus introducit. Claruit Oronius eodem tempore, quo præfatus Plenydius, Machabæis in Iudæa pro Dei lege pugnantibus.

BLEGABRIDVS SYLLIVS. XVIII.

BLegabridus Syllius, Syllij seu Sisillij regis filius, primus & sexagesimus

Brytãnicarum rerum moderator, musices peritissimus ætate sua ferebatur. Omnes enim quos prior nutriuerat mundus, in modulationibus ac instrumentis dulcisonis, Galfrido atq; Virunnio censoribus, longo interuallo superabat. In metris & carminum rhythmis (quæ ad poesim quoq; spectant) excellens & copiosus artifex erat: natura periocundus atq; hilaris. Propterea facetiarum parens, et ioculatorius à suo seculo dicebatur Deus. Scriptis reliquit sermone Brytannico, ad posterorum oblectationem,

Diuersi generis cantiones, Lib.1.

His & similibus, ut Orpheus alter, mouendorum affectuum imperium habebat. Circa annum formati Adami 3858. & ante natum Dei filium Iesum 112. claruisse scribitur, et regnum in magnis delicijs XX annis administrasse, Ioanne Hyrcano Iudæos moderante.

CASSIBELLANVS. HELIVS. XIX.

CAssibellanus Helius, fortissimus princeps, Helij regis filius magnificus, Brytannicæ reipublicæ monarchiã non sine splendore quodam, post patris mortem septuagesimustertius retinuit. Istũ Põticus Virunnius, in 3. Britannicæ historiæ libro, pium & sanctissimum uocat, quòd Luddi fratris sui defuncti regios filios adhuc pueros sine regni portione esse noluerit. Largus enim & probus erat, facundus, prudens ac modestus, antiquitatum atq; rerum gerẽdarum studiosus: rhetoricen callebat maximè. Caium Iulium Cæsarem à sua Brytannia bis bello repulit: sed tertiò deuictus, in subiectionem cum suo populo uenit, tributumq; Romanis anno mundi 3921. & ante natũ Seruatorem 49. pendit. Biennio tamẽ ante illam deditionem, ad eundem Iulium eleganti fructura composuit,

De seruitute non ferenda, Epist.1. *Miranda est, Cæsar, populi Rom. cupid.*

Hanc solam Galfridus cõmemorat: quamuis multo plura adhuc scripsisse illum alij putent. Postquam Cassibellanus 16. annis regnasset, morte absumptus est, atq; Eboraci terræ cõmendatus, anno à condito seculo 3928. & ante incarnatũ Christũ 42. quo imperare cœpit Octauius Cęsar Augustus.

NENNIVS AVDAX. XX.

NEnnius Audax, Loegrię Dux, Luddi & Cassibellani Brytannicorũ regum ex Helio genitore frater, heroicę uirtutis specimen illustribus factis ostendit. Is, ut erat magnanimus & fortis, Brytannos, populũ ab origine semper liberum, prorsus negabat Romanis debere subijci. Et pro patria strenuè sub Cassibellano dimicãs, è manibus arrepto in pugna Cæsaris Iulij gladio, Labienũ Romanæ nobilitatis tribunum interfecit: præter alia ab illo insigniter gesta. Quum præfatus Luddus ante 14. circiter annos, Londinum inclytam urbem splendidioribus ædificijs ornasset, & à suo nomine, Trenouante sublato, nomen illi dedisset, ingens inter hunc & illum orta est contentio, quòd ita Troię uocabulum à patria uellet deleri. de qua lite, plura eleganter narrat Gildas poeta & historiographus, ac post ipsum Galfridus, & Ponticus in historijs Britonum, sopito tãdem dissidio. Nennius igitur omnium primus, ex Bardorum cantionibus & flaminũ scriptis, Britannicæ nobilitatis res gestas collegisse, ac Vesthaldi Franci, Reuthæq; Scotorum regis exemplo in ordinem redegisse, scribẽs patrio sermone de eorum progressu atque origine

Historiam perpulchram, Lib.1.

Hanc postea Nennius alter in latinũ uertit. Quintodecimo die post initum cum Caio Iulio duellum, ex cõtracto uulnere interijt uir nobilissimus, anno

anno post formatũ Adamũ 3919. & ante Seruatorẽ procreatũ 51. ad portã aquilonarẽ Lõdini tumulatus: adiuncto illi, ut uiuẽs iusserat, Cæsaris gladio.

ANDROGEVS COMES. XXI.

ANdrogeus, Londinensiũ & Cantiorum comes inclytus, Luddiq; nobilissimi regis primogenitus, naturæ atque animi dotibus uarijs emicuit. Magnam in dicendo habebat gratiam (ut Hector Boethius in tertio Scoticæ historicæ libro commemorat) & in ambiguo marte fortunam prosperam. Quum ex defensa Euelini parricidæ causa, tam succensum erga se uideret Cassibellani auunculi regis animũ, ut nullo posset medio sedari: Caiũ Iulium bis antea repulsum, literis & obsidibus in Brytanniã reuocabat. Atque ita patriæ proditor, suos Brytannos pristina libertate priuãs, Romanis uectigales fecit. putabat nempe, se atq; suos aliàs non posse ab imminente mortis periculo seruare. Minis tamen non leuibus prohibebat interim extremam in captum Cassibellanum ultionem fieri, ut est apud Galfridum & Põticum: Sufficiat tibi (inquit) subditum fieri Cassibellanum. leue enim nõ erit, hunc interficere, me uiuente. In sua ueruntamen antehac ad Scotos & Pictos legatione, pro confirmando cum illis fœdere contra hostes, ad Ederum & Gethum reges oratorio filo contexuit,

Aduersus Romanorum tyrannidem, Lib. 1.
Ad Cæsarem Iulium quoq;, Epist. 2. *Caio Iulio Cæsari Augusto.*

Claruit anno conditi mundi 3922. & ante Messiæ natiuitatem 48. ac Romę tandem, ubi apud Cæsarem deinceps manebat, & uita fertur excessisse. Non enim ab eo tempore audebat ex gẽtis odio in Brytanniam redire: sed hæreditarium ius iuniori reliquit Theomantio fratri.

IOSEPHVS ARIMATHIENSIS. XXII.

IOsephus Arimathiensis, Iudæus genere, pius quidem & prudens suæ ciuitatis senator: Decurio olim nobilis ac diues, atq; ob pontificiæ tyrannidis metum, clandestinus Christi discipulus: corpus eius officiose, à Pilato permissus, sepeliuit. Istum in dispersione Philippus apostolus cum non paruo comitatu, à Galijs in Brytãnias misit, nostrę Salutis anno lxiij. ut post Flemingũ, Capgrauũ, Scropum, & alios scriptores Anglicos, testis locuples est Polydorus Vergilius lib. 2. suæ historię. Vnde Dominus per ꝓphetã: Mittã ex eis (inquit) qui saluati fuerint, ad gẽtes in mari, & ad insulas remotas, quę non audierunt prædicationem meam, neq; uiderunt gloriam meam inter gentes: Esa. 66. De Philippi in Gallijs apostolatu, præter istos, Isidorũ authorem habes, in libro de Vita & obitu sanctorum patrum: Freculphum Lexouiensem, in secũdo suorum Chronicorum tomo, lib. 2. cap. 4. & in collectionibus Nenniũ. Quum tandem in Brytannia, tam ipse Iosephus quàm cæteri eius socij, Euangelicum dogma sedulò ministrassent, multi per hoc ad pietatem traducti sunt, & baptisati. Inde parum terræ ad uitæ sustentationem, Aruiragi regis pagani benignitate, non procul ab urbe Vuellia nacti, prima Christianæ fidei fundamenta per circumiacentem regionem non absq; fruge posuerunt. Iosephus iste, scriba doctus in Dei regno, ac optimo Christi spiritu eruditus, linguam habebat pro calamo fluentem. Neque desunt qui ex coniecturis habeant, contexuisse illum

Ad ecclesias Brytannorum, *Epist. quasdam.*

Commune admodum tunc erat discipulis, ad ecclesias gentium particulares epistolas mittere. Ad Trallianos scripsit Ignatius, à Tholosatę Martialis, præter eas quę in Biblijs clarent. In sancta senectute Iosephus inter disci

pulos

pulos tandem, quietam morte carnis dormitionem accepit, in Aualonica solitudine sepultus, anno à Christi incarnatione 76. Mario regnante in Brytannia. Postea translatum est eius corpus ad Glascouiense monachorũ collegium, & in preciosa theca repositum.

APPENDIX.

Ioannes Lelandus, Antiquarius ille, hunc alium ab Arimathiano, Iosephum Hebræum fuisse putat. Et ego à Philippo Euangelista, non Apostolo, Iosephum prædictum missum crederē, si non obstaret Freculphi, Isidori, & Nennij authoritas: qui dicunt illum scilicet Apostolum gentes Oceano iunctas ad fidei portum deduxisse, & in Scythia nouem solùm annis prædicasse. Apprehendent (inquit Dominus) decem uiri gentiles, pallium uiri Iudæi (qualis Iosephus erat) & dicēt, Eamus uobiscum, quoniā apud uos est Deus. Zachar. 8. Vnde Gildas monachus testatur, Brytannos ab initio orti Euangelij, Christianam accepisse religionem. Et quamuis (inquit) à quibusdam incolis tepidè suscepta fuerit, apud quosdam tamen interea usq; ad Diocletiani tyranni persecutionem remansit. De Iosepho sic scribit Georgius Maior, in quadam præfatione: Mox post Christum resuscitatum, sub Claudio Imperatore Ro. uoce Iosephi Arimathiensis, qui Christi corpus sepelierat, Euangelij lucerna primùm in Brytannia accensa est. Concludit Mantuanus:

Sicut aquis quondam Noe sua misit in orbem
Pignora sedatis, ut gens humana per omnes
Debita cœlituum patri daret orgia terras:
Sic sua cum uellet Deus alta in regna reuerti,
Discipulos quosdam transmisit ad ultima mundi
Littora, docturos gentes, quo numina ritu
Sint oranda, quibus cœlum placabile sacris.

APPENDIX ALIA.

Exordiens hoc loco Romanorum pontificum, seu Latinæ ecclesiæ ministrorum catalogum, qui optimè fundatam ab Apostolis ecclesiam, in magnis persecutionibus gubernabant, ad Syluestrum & Constantinum magnum, Brytannum, Cæsarem usq;, per ducētos & septuaginta annos, à Petro, cæterorum chronographorum more, non tamen Damasum, Martinum Carsulanum, Platinam, Blondum, aut Stellam sequutus, incipiam.

Petrus autem, cum ex Christi Domini iussu ac præcepto circumcisionis apostolus fuerit, Gal. 2. æquum profectò non erat, ut relicto Iudæorum grege, 25 annis. (ut somniant Papistæ) apud gentes incircumcisas Romæ sederet, aut illic gentilium regum more imperaret. In Iudæa ergo ac finitimis regionibus, Christi mandato obstrictus permansit, prædicans in maritimis urbibus Euangelium regni Dei: quod et ipsa testantur miracula, quæ per illum Deus operabatur. Nam Lyddæ paralyticū Aeneam sanitati restituit, Tabitham Ioppæ à mortuis excitauit: in Cæsarea centuriorem Corneliū baptizauit, atque alibi alia plura fecit. Quæ omnia declarant illum nec sedisse, nec mortem obijsse Romæ. Vnde Baptista Mantuanus in sexto Fastorum libro:

Vrbibus Assyrijs Christi post funera, postquam
In cœlum reditus, bisseptem dicitur annos
Impendisse, graui uexans mala numina bello.
Mox maria ingressus, longaq; ambage uiarum
Circumlatus, iter uertit Bithynica uersus
Littora, Cappadoces, Galatas, Pontumq; peragrans.
Quotquot erant illis Iudæa ab origine regnis,
Edocuit Christum, ueteriq; retraxit ab usu.

Hieronymus etiam atq; Lyranus super illa Christi uerba, Ecce ego mitto ad uos prophetas ac sapientes, &c. asserunt Petrum fuisse à Iudæis Hierosolymæ crucifixum: quod & illis uerbis aptißimè respondet.

SEQVITVR

SEQVITVR PRIMA ROMANORVM EPISCOPORVM classis, ab Apostolis ad Syluestrum. Qui omnes fuere pastores absque mitris simplices, & in Euangelij messe ad martyrium usque laborantes.

1. Linum uerò Thuscum, Apostolicum uirum, ac uitæ sanctitate conspicuum, Romanum episcopum, & omnium primum fuisse, non nego: qui Cæsaris Vespasiani tempore, ob Euangelij prædicationem, sub Saturnino consule, anno Christi 82, martyrij pœnam subijt. Sed quòd cõstituerit ex mortui Petri mandato, ne qua mulier, nisi operto capite templum ingrederetur, insigne mendacium est, quamuis id Platina dicat: cum ante Constantini imperium, templa Romæ non habuerint Christiani. Paulus etiam Corinthijs similia proponens, de templo non loquitur. Vide in primo Fastorum prædicti Mantuani:

Nam cum Cæsarei, gens sanguinolenta, tyranni
Prædarentur oues Christi, nullasq; liceret
Christigenis habitare urbes impunè, ferarum
Consortes facti, fines tenuere supremos
Orbis, & ardentes Cancri feruentis arenas.

2. Anacletus Atheniensis, quem Irenæus post Linum ponit, doctrina & spiritu eximius, ueræq; Ecclesiæ plantator assiduus, usque ad Domitiani tyranni tempora uixit: cuius mandato anno Salutis nostræ 94. martyrio coronatus fuit. Epistolæ ac decreta, quæ illi assignantur, de Episcoporum ordinatione ac primatu, horribilibus mendacijs scatent. Quoniam, ut est apud Mantuanum,

Per spelæa diu traxit syluatica uitam.

3. Clemens Romanus, uir longè doctissimus, Anacleto succedens, religionem Christianam, non leges condendo, ut somniant Papicolæ, sed Euangelium prædicando, ac uirtutes operando, adauxit plurimum. Qualiter ille Romanæ urbis regiones in Ecclesias distribueret, qui uix domunculam in eadem habuerit urbe, non calleo. Aut quo modo puerorum confirmationes, missas, uestes, ac papistica sacra disponeret, qui & ipse à Cæsare Traiano, ad marmora secanda in exilium erat pulsus, & anchora ad collum eius appensa, anno Domini 102 in mare tandem præcipitatus, certè non uideo. O diabolici Christicolarum derisores Papistæ. Mantuanus enim in 11 Fastorum libro sic habet:

Hic quia Faustinam magni de sanguine Neruæ,
Sisiniumq; uirum illustrem cum coniuge Christo
Subdiderat, Roma procul ablegatus ab urbe,
Hellespontiacæ petijt confinia terræ,
Peruenitq; Paron, lapides ubi multa secabant
Millia Christigenûm Parios, quibus alta theatra,
Templa Deûm, regumq; domos ornare solebant.

4. Euaristus Græcus, Dei gratia præfulgens, fidelium Christianorum ecclesiam concionibus sacris auxit, tempore persecutionum, donec esset anno Christi 110 sub dicto Traiano etiam martyrio sublatus.

5. Alexander Romanus, ecclesiam Romanã prædicando & baptizando in primis iuuit: qui Christiani nominis gratia, sub præside Aureliano, supplicia grauissima, anno Domini 121. ad mortem usque passus est.

6. Sixtus quoq; Romanus, in sermone & opere uir potens, Ecclesiam ipsam pijs quibusdam factis ornauit, pro Dei grege solicitus semper. Ob fidem Christianam hic terrenam uitam amisit, anno Domini 129, ut longè in cœlis meliorem inueniret. His itidem tribus Episcopis, Euaristo, Alexandro, & Sixto, iniquè tribuuntur decreta papistica, de ordinatione cleri, aqua lustrali, ac uasibus sacris: cum de illis atq; alijs eius temporis Episcopis proferatur hoc monostichon,

Vrbibus antiqui patres fugere relictis.

7. Telesphorus Græcus, eruditione ac pietate uir insignis, sub Antonino Cæsare, tam ore quàm sanguine, fidelis Iesu Christi testis fuit, anno Domini 140. qui non tres missas in Christi natali, ut Pa

pistæ nugantur, celebrari iussit. Quia nondum erat per meretricem Babylonicam concepta, nec per ipsum Satanam genita, Missa illa diabolica: nec contra ipsius D. Pauli doctrinam, Gal. 4. superstitiose adhuc obseruabant dies, menses, & annos. Sed cuiusq; eorũ hæc erant exercitia quotidiana, ut est apud Mantuanum:

Tunc ubi iam primæ laudes exsoluerat horæ,
Ad ruris transibat opus: ne lenta nocentes
Ocia nutrirent curas. Deducere riuos,
Florentem riguis adaquare canalibus hortum,
Vertere tellurem, committere semina sulcis,
Exercere solum, teneras depangere plantas,
Cura erat, & totam sudando absumere lucem.
Segnitiem fugiens, exercuit omnia pastor:
* Non uinum libare Deo, non frangere panem,
Tunc poterat: fortuna uiris præstantibus atrox.

Si ieiunia Christianis tunc suaserit, religiosa ac libera erant, et non cum obseruatione dierum, aut in superstitione, coacticia uel tyrannica. nam tales ieiuniorum leges, non Telesphorus, sed Montanus hæreticus imposuit primùm: qui & nuptias soluere liberum permisit.

8. Higinus Atheniensis, ex philosopho Christiano episcopus factus, officia boni pastoris et Ecclesiastici operatoris in messe Domini perfecit: ac morte non incruenta tandem, anno Christi 144 sub mundi tyrannis uitæ finem accepit. Epistolam hic scripsisse fertur ex antro seu latibulo, de Deo, ac de filij Dei incarnatione. Nam & talis iuxta Mantuanum erat,

Vt nemoris uasti latebras habitaret & umbram.

9. Pius Aquileiensis, sub Antonino Vero, multa ueræ pietatis opera, in agro Christianæ Ecclesiæ fecisse phibetur: martyrij gloriã anno Domini 159, in sui sanguinis effusione tum demũ adeptus.

10. Anicetus Syrus, Romanæ Ecclesiæ in uerbi ministerio sacro, laboriose præfuit: & anno nati Seruatoris 169, in magna Christianæ fidei constantia, pro Dei ueritate sanguinem postremò fudit.

11. Soter Campanus, in armis spiritualibus Christo fideliter militauit, sub Antonino Commodo: hoc unum agens præcipuè, ut animas per baptismum Christo dicatas, doctrina & exemplo illi suo sponso saluandas adduceret: mortemq; sui corporis anno Domini 177, pro Christi ipsius testimonio pertulit.

12. Eleutherius Græcus, ut bonus paterfamiliàs, de thesauro suo noua cum ueteribus proferens, effecit, ut confirmatis & consolidatis Brytannis, in suscepta prius ab Apostolis doctrina, totum illud regnum in eius fidei uerba iuraret. Quibus temporibus, tyrannorum persecutio paulisper cõquieuit: multiq; scriptores pij, contra prauorum dogmatum disseminatores fortiter dimicarũt: ipso etiam Eleutherio aduersus Tatianum, nullum usualis uictus reijciendum esse genus, decernente. At quamuis ille tunc uiderit tempora paululum tranquilliora, quòd multi ex Romana nobilitate iam Christo credidissent, defunctum tamen anno Domini 191, capitis obtruncatione, Massæus affirmat.

ARVIRAGVS TEGENVS. XXIII.

Aruiragus Tegenus, ex ea Brytannorũ regione oriundus, Theomantij iunior filius, Brytannicus rex, Voadam coniugem, Caratáci Scotorum regis sororem, in gratiam Romanorum exclusit, ut suum cum eorum sanguine genus permisceret. Ita colligit ex Veremũdo, Ioanne Campobello, Cornelio Hiberno, ac alijs authoribus, Hector Boethius tertio suorum Chronicorum libro. Et accepit Claudij Cæsaris post mutua bella dono, filiam eius notham Gennissam, miræ pulchritudinis puellam: eratq; nuptiarum locus, Claudiocestria, in celebrem rei gestæ memoriam deinceps dictus. Condi etiam illic fecit suę gentis historias, uersus & poema Cambren, Pontico Virunnio teste: ac uerti in Latinum sermonẽ patrias leges per Gildam, insignem eius temporis poetam; nouasq; ueteribus addidit leges. Apud

pud Douorenses memoria proditum est, in uicini eorum ciuitati montis uertice, Aruiragum posuisse inexpugnabilem arcem. *Nullus eo fuit* (Galfrido teste) *in prælijs gerendis animosior, aut in pace clementior. Nullus in conuiuijs hilarior, neq; in donandis muneribus profusior: facie affabilis, proceritate mediocri, subnigrisq; capillis.* Quum accepisset alterius reginæ repudiū à Brytannorum maioribus ægrè ferri, præsertim Tegenis & Cambris, contra illos scripsit, ad eorum ducem Comum,

Super Gennissæ connubio, Lib. 1.
Ad suos quoq; proceres, Epist. plures.
Ad regem Caratacum, Epist. plures.
Ad Corbredum, Comum, & alios. In præfato libro protulit, eo sibi plures licere coniuges ducere, quòd leges Brytannorū illucusq; id nunquam prohibuissent. Vitæ compleuit cursum, anno ab incarnato Dei uerbo 74. regni 31. Claudiocestriæ sepultus. Eius historiam edidit Gildas, aduersus assentatorem Iuuenalem, qui Satyra quarta in eum delirarat. Sed omnino deperditā narrat prædictus Ponticus.

GILDAS CAMBRIVS. XXIIII.

Gildas Cambrius, poeta Brytannus, eo tempore natus erat, quo maximè per uniuersum mundum eloquentia Romana floruit. Literis iste tam Græcis quàm Latinis, sub optimis præceptoribus insignem nauabat operam. Vnde inter nobilium liberos & obsides Brytannos, quos Romæ sub Augusto Cæsare nutritos narrat Galfridus Monemutensis, hunc fuisse puerum nobilem, nō leuis est mihi coniectura: ac Titum Liuium illic audiuisse. Ad Titum Liuiū (inquit ad Paulinū, ex Plinio, Hieronymus) lacteo fonte manantē, de ultimis Hispaniæ Galliarumq; finibus, quosdam uenisse nobiles legimus, &c. Maximo namq; apud Augustū in honore habitus fuit Liuius, ac multis honoribus donatus. Obtinuit ea ætas celeberrimū & inauditum omnibus seculis Latinæ elegantiæ miraculum. Coætaneus erat Gildas Martiali, Flacco, Silio, Statio, Stellæ, Iuuenali, & id genus alijs: sed neq; ipsis inferior iudicatus. Illū Lilius Gyraldus Ferrariensis, copiosus scriptor, in Poetarū historijs, dialogo 5. meminit se legisse, Alcuino, Beda, Godelberto, Aldhelmo, Sedulio, & alijs poetis Brytannicis longè antiquiorē. Cuius elegiacum carmen inde commendat, quòd mira facilitate sit conscriptum. Versiculos eius è Græco Latinè redditos, de Bryti ad Dianam uoto & illius denuò responso, uterq;, Galfridus tacito, Virunnius detecto nomine, in Brytannicis historijs recitat. Referunt enim, censore Lelando, aurea fluente uena, antiquitatis inimitabilem quandam tum eloquentiā, tum maiestatem, quam cum admiratione poterit posteritas facilius suspicere quàm exprimere. Non cum Ouidio lasciua congessit, sed cum Valerio pudica & grauia, Romæ etiam seriò lecta. Nobilissimus hic poeta, mathematicus, rhetor atq; historicus, Aruirago regi charus, & ab eo rogatus, composuit

Annales suæ gentis, Lib. 1.
Historiam Aruiragi contra Iuuenalem, Lib. 1.
Epithalamion Gennissæ, Lib. 1.
Cambreidos carmen, Lib. plures
Lites Luddi & Nennij, Lib. 1.
Poemata diuersi generis, Lib. 1.
Epigrammaton quoq; Lib. 6.
De Perdice prophetante, Lib. 1.

Prophetiam eius transtulit, Lib.1.
Statuta Dunuallonis uertit, Lib.1.
Leges Molmutinas, Lib.1.
Leges Martianas, Lib.1.

Multaq; alia scripsit, dum esset Brytannia plus omnibus mundi nationibus, Romanorum bellis uexata. Cambreiden, cum alijs quibusdam Gildæ opusculis, Blasius Biragus Italus anno Domini 1460, ex Hibernicis insulis in Italiã transportauit. Deperditã illius utranq; historiã conqueruntur Galfridus & Ponticus. Claruit sub Aruirago Brytannorum rege (ut idem Ponticus habet) anno incarnati Messię 60. & Claudiocestrię cum eo tandem uitæ suæ finem accepisse uidetur.

BVNDVICA BELLATRIX. XXV.

BVnduica Bellatrix, heroici spiritus incredibilisq; uirtutis fœmina, ex regio nata sanguine, collapsam Brytannorum Rempublicam uarijs honoribus auxit: eosq; à uicinorum Gallorum iniurijs, ac sæuientiũ Italorum oppressionibus uindicabat. Non ut opes aut dignitates tueretur, militiam exercuit hæc, sexus oblita, nobilissima ductrix: sed ut libertatem amissam recuperaret, ac uiolatam uirginum pudicitiam ulcisceretur, indignata eò turpitudinis deuenisse Romanorum libidines, ut nihil non pollutum relinquerent. Videbat Neronis tempore, eorum legatos in sanguinem, ac procuratores in bona sæuire, & regnum à cẽturionibus ubiq; uastari. Tandemq; audiebat immanissimam Paulini Suetonij crudelitatem, quòd in Mona insula mulieres per capillos suspendisset, ac mammas abscisas in os mandendas ligasset. Qua stimulata tyrannide, collectis ex omni Brytannia electissimorũ militum copijs, Romanorum deleuit exercitũ: et captum Paulinum, eadem affecit pœna. Hæc, & ea quæ sequuntur, ferè omnia, incomparabilem hanc depingens uiraginem, Ponticus Virunnius in Epitome Brytannica narrat. Erat enim corpore speciosa, procera, culta, candida, & magnanima, comam habens ad crura protensam. Addit Dion Cassius, historicus Græcus, uestitum quoque (quem pœcilin uocat) segmentatum, seu bracteolis aureis picturatum. Bonis erudita literis, ad urbium & prouinciarum municipes lucubrabat

Pro excutiendo Romanorum iugo, Epist. plures.

Et alia. Venit tandem in Gallias, ob illatas Brytannis iniurias, cuncta armorum strenuitate inuadens & euertens. Inde festinabat Italiam armis petere: sed prope Alpes, bellorum molestijs superata, ægrotauit, ac perijt mulierum sanè gloria. Claruit sub Aruirago Brytannorum rege, anno post natum Dei filium 70. Tantus tunc terror (inquit Ponticus) Romã & Italiam inuasit, quantus antea nunquam, neq; in aduentu Brenni, neque Hannibalis, aut alterius cuiuscunq;.

APPENDIX.

Longè alia hæc ab illa uidetur, quam Boudiceam reginam Curtius Quintus, Tacitus et Textor appellant: quum illa ueneno, ne in hostium ueniret manus, turpiter in Brytannia mortem sibijpsi intulerit. Hæc Gallomastix inclyta, Ioannam illam Dampremam, porcorum primò, postea Gallorum ductricem, longißimo interuallo exuperat: quam eorum Chronographi tam crebrò ab Anglorum iugo liberatricem, non absq; insigni suorum principum ignominia, iactitant.

CLAVDIA RVFINA. XXVI.

CLaudia Rufina, Brytannici generis nobilissima mulier, nominis claritudinem ex ingenti utriusq; linguæ Latinæ & Græcæ noticia per Italiam

liam & alias mundi nationes commeruit. Maritum habebat fortunis atque eruditione sibi non dissimilem (à quo cognomentum accepit) Aulum uidelicet Rufum, cognomine Pudētem, Etrusca nobilitate equitē insignem, poetam Bononiensem, ac Stoicæ sectæ philosophum eruditum. Qui tandem post Romanæ militiæ tribunatum, senatorij ordinis Romę uir factus, Claudianorum acta chartis commisit, & hominum uitia Socratico more satyris corripuit: adigebatque Martialem poetam (ut cui amantissimus erat) calamo plura reformare. Claudiam istam in Epigrammatibus suis idem Martialis Valerius uariè commendat, à forma, fœcunditate, fide cōiugali, doctrina, linguis, & literis: uirum uerò ab humanitate, amicitia, liberalitate, pietate, eruditione, studio, atque eloquentia Tulliana. Et ne de eius nomine subdubitetur, post subactam à Claudio Cæsare Albionem, frequēs nobilioribus Brytannis erat, Romanorum nomina suis hæredibus ac filijs imponere, ut inde apud illos fauorem & honorem adipiscerentur. Hæc magno prędita ingenio mulier, tam Latinè quàm Græcè,

Epigrammata edidit, Lib. 1.
Elegiam in mariti obitum, Lib. 1.
Diuersi generis carmina, Lib. 1.

Et alia, in utroque scribēdi genere nō pauca. Consueuit illa Martialis prædicti (qui & Epicedio uirū eius in Cappadocia defunctū celebrarat) poemata colligere, & ad Brytānos xenij loco mittere. Vnde idem poeta scribit:

Dicitur & nostros cantare Brytannia uersus, &c.

In Vmbria uerò (ubi municipium à uiro relictum habebat) audita eius morte, cum liberis remansisse putatur. Claruit anno salutis humanæ 80. Mario apud Brytannos regnante. de qua Martialis lib. 11. Epig. 54.

Claudia cæruleis cum sit Ruffina Brytannis
Edita, cur Latiæ pectora plebis habet?
Quale decus formæ? Romanam credere matres
Italides possunt, Atthides esse suam.
Dij bene, quòd sancto peperit fœcunda marito:
Quot sperat generos, quotque puella nurus.
Sic placeat superis, ut coniuge gaudeat uno,
Et semper natis gaudeat illa tribus.

APPENDIX.

Claudiam hanc Brytannam cum Pudente marito fuisse Christianam, ac diui Pauli discipulam, et tempus & locus concordant: immò ipsius beatissimi Apostoli posterior ad Timotheum epistola planè declarat. Qui dum Romæ esset altera uice sub impio Nerone captiuus, anno Christi 70, contracta cum istis ex diuini uerbi ministerio intima amicitia, hanc sententiam in ipso epistolæ fine addidit: Salutant te Eubulus & Pudens, & Linus & Claudia, & fratres omnes. 2. Timoth. 4. Vnde et Paulum ipsum quidam Græcorum doctores, inter alias gentes Occidentales, Brytannis post captiuitatem Romæ priorem, Euangelium prædicasse affirmant: præsertim Theodoretus lib. 9. De curandis Græcorum affectionibus. Nostri piscatores (inquit) & publicani, sutorque ille noster (Paulum intelligit) cunctis mundi nationibus legem Euangelicam detulerūt. Et Brytannos illic nominatim recitat. Idemque ferè tradit Sophronius patriarcha Hierosolymitanus. Nam & ipsemet Apostolus, Col. 1. atque 2. Timoth. 4. testatur, Euangelium per eum peruenisse ad omnes gentes. De Pudente Volaterranus lib. 18. sic habet: Pudens senator Romanus cum tota domo Christianus factus, filios habuit, Pudentianam, Praxedem & Nouatum, omnes inter sanctos unà cum patre relatos. Hæ sorores post mortem parentum, ex eorum facultatibus sanctis ministrabant, & martyres sepeliebant. Martialis ad Pudentem lib. 7. Epig. 10.

Cogis me calamo, manuq; nostra
Emendare meos, Pudens, libellos.
O' quàm me nimium probas, amasq;,
Qui uis archetypas habere nugas.

ELVANVS AVALONIVS. XXVII.

ELuanus Aualonius, Brytannorum magister & doctor, uir grauis atq; eruditus, ab ipsis Apostolorũ discipulis Christianæ fidei mysteria per Euangelium illi populo prædicanda suscepit. Ex paludoso igitur discipulorum collegio, quod Aualoniȩ prædictus Iosephus plantauerat, diuina sparsurus semina processit, ut inde Christianorum per eam ætatem religio incrementa sumeret. Creuit quotidie credentium illic numerus: sed rex interim Lucius, à Druydis suis persuasus, animo uariè fluctuabat. Erat illis diebus (ut Radulphus Niger in Chronicis habet) uates quidam paganus in Brytannia, qui ex stellis natiuitatem Dominicam præteritã narrauit. Lucius ergo domesticis, seu popularibus suis non credens, ad Eleutheriũ pontificem, Eluanum istum cum socio Meduino, Romam misit: & eo celerius, quòd audisset Christianum nomen ubiq; terrarum creuisse, pluresq; de nobilitate potissimum Romana, cum cõiugibus & liberis, in Christi fidem iurasse. Hæc, à longo itinere in Brytanniam denuò reuersus Eluanus, chartis commisisse dicitur, & ita scripsisse,

De origine Ecclesiæ Brytannorum, *Lib.1.*

Post Apostolorum tempora, Deus sic excitauit doctores pios, & per illos exhibuit testimonia puræ doctrinæ. Erat eo tempore (ut Egesippus refert, qui tunc Romæ cum Eleutherio fuit) Ecclesia uirgo, nondum corruptelis doctrinæ & falsorum cultuum uitiata. Claruit Eluanus anno 170. post incarnatum Virginis filium.

MEDVINVS BELGIVS. XXVIII.

MEduinus Belgius, apud Brytannos natus (nam & Vuellensium patria, Belga dicebatur olim) imbibitis primùm bonarum literarum disciplinis, scientiam habebat cum eloquentia nõ infœliciter coniunctã. Per Apostolicos uiros, cum Eluano socio, in Christo renatus, adeò scripturis sacris operam dedit, ut in dispensandis Dei ministerijs inter primos haberetur. Per eum igitur ac socium rex Lucius (cui tam sæpe Christum exposuerant) apud Eleutherium pontificem egit, Ioanne Capgrauo teste, ut Romanorum more per baptismum Christianorum consortio adiungeretur: quum in fine, spretis Druydarum disciplinis, omnia essent ordinatione quadam per legatos, Fugatium & Damianum, in rem Christianam permutata. Non enim poterant plenè abolere in tam paruo temporis momento, quæ cæca gens à tam longa consuetudine in suam perniciem corraserat. Vt clariora posteris manerent, quȩ ab illis tractata tunc erat, Meduinus membranis dedit,

Acta per legatos, *Lib.1.*

Inde ad nos hoc medio peruenerunt. Dum Aualoniæ oratorium antiquum Patricius reficeret, inter neglectas reliquias librum carie penè deletũ reperit, in quo descripti erãt Apostolorum actus, unà cum rebus à Fugatio & Damiano in Brytannia gestis. Claruit cũ socio Meduinus 170. anno post Seruatorem natum.

APPENDIX.

Ex ordinatione cleri in Brytannia per hos legatos, flaminibus in episcopos mutatis, & templis in ecclesias,

ecclesias, cœpere postea Romani pontifices occasionem diuidendi prouincias in parœcias & diœceses, quo demum eorum auaricijs abundè prospectum est. Vt olim Moses apud Israelitas, morem tunc gerentes imbecillitati, seu potius cordis duriciei, indulgebant pij homines plebis errori, ut ab idololatrijs reuocarent. Inde tamen (ut author est Eusebius) magna pars cæremoniarum, ne dicam superstitionum, in Christianam quoq; religionem commigrauit. De his Dei cultoribus & alijs sequentibus sic scribitur:

Sicut erat celebris cultu numeroq; Deorum,
Cum Iouis imperium staret, Brytannica tellus:
Sic ubi terrestres cœlo descendit ad oras
Expectata salus, patribus fuit inclyta sanctis:
Qui Neptunicolûm campos & Cambrica rura,
Coryneasq; casas, loca desolata, colebant.

LVCIVS PIVS. XXIX.

LVcius Pius, Coilli filius unicus, Romanorũ fautor, Cæsaris Marci Antonini Veri tum beneuolentia, tum authoritate, Brytãnis post patrem imperabat. Hic sanè uir bonus erat (inquit lib. 4. Virunnius) & erga suos populos laudabilis. Viros doctos summa prosequebatur beneuolentia, augebatq; honoribus, uirtutis & ipse cultor. Serenauerant eius mentẽ credentium in Christo (quæ indies fiebant) miracula, ut Gildas Albanius tradit, in libro quem scripsit de uictoria Aurelij Ambrosij. Erat tamen aliquantulum (ut apparet) in Christo paupere cum Iudæis scandalizatus. Nam licet à centum & amplius annis propagata fuisset per Brytanniã Christiana religio, ei nihilominus debito uidebatur carere splendore, quòd illucusq; administrata fuisset per solos pauperes, abiectos & simplices homines, saltem non fulcita Romana authoritate. Quum audisset igitur per Cæsaris legatos Trebellium & Pertinacem, Romanorũ illustres aliquot, acquiescente persecutione, illam admisisse, cogitabat aliquanto rem esse digniorem. Vnde statim, ut præfatum est, per eruditos Brytannos, Eluanum & Meduinum, ad Eleutherium Romanum pontificem misit, ac eleganter scripsit

Pro induendo Christianismo, Epist. 1.
Pro catholicis doctoribus, Epist. 1.

Cum quibus ille suos remisit legatos, Fugatiũ & Damianum, qui nouis ritibus ac solenni episcoporum dispositione eam formarent ecclesiam. Hęc contigerunt anno à Christi aduentu in carnem 179, ut ueriores annales commemorant. Claudiocestriæ tandem post 12 suæ gubernationis annos, tertia die decembris, cum sepultura uitæ finem accepit.

APPENDIX.

Fugatij & Damiani doctrina Brytannorũ in Christo fidẽ breui fuisse corroboratam, Virunnius narrat. Hinc est quod Sabellicus dicit, Brytanniam omnium prouinciarum primam, publicitus cum ordinatione, Christi nomẽ recepisse. Quam sanè pietatem, usq; ad furẽtem Diocletiani insaniam, eatenus integram seruarũt. Bauari, per huius Lucij apostolatum se fidem suscepisse Christianam, adhuc gloriantur: sed quibus præsidijs fulti, nescio. Soror huius regis Emerita dicta, inter persecutionum procellas, pro Christi nomine flãmis est extincta: imò inter schismata et dissensiones, quæ post eius mortem 15 annis durabant. De Druydis autem & Lucio sic habet Lelandus: Superest (inquit) ut insinuem casum, qui tantã è medio tulit superstitionem. Edicto cautum Romano, ne usus aut existimatio in prouincijs, religioni Druydarum ulla exhiberetur. Barbaræ tamẽ gentes, patrios ritus ab ipsis Druydis ante tot secula datos & acceptos, mordicus retinuerunt: donec Christus Seruator optimus maximus, discußis errorum & crassæ ignorantiæ tenebris, lumen uniuerso, consultore suo spiritu, conspicuum orbi infunderet. Tunc Lucius ille Magnus, Brytannorum decus immortale, spreta

Druydarum disciplina, Euangelicam lubens doctrinam suis omnibus communem esse uoluit. Eluanus ergo et Meduinus, nobiles Brytãni, oratores à Lucio ad Eleutherium Romam missi: ac Fugatius unà cum Damiano, à Romano huc remissus, religionem nunquã morituram, Deo propitio id uolente, solidè constituerunt, &c.

APPENDIX ALIA, DE ROM. Episcopis.

Vt uerò ad episcopos Romanos iam denuò reuertar, quorum Catalogum in hoc opere cum breuissimis annotationibus intexere necessarium duxi.

13. Victor Aphricanus, post Eleutherium, sub Aelio Pertinace, ecclesiæ curam à seculo diuisus gessit. Hic aliquantulum sedata persecutionum procella, primus erat, qui authoritate in externos usurpata, in messem alienam falcem misit. In prædictis põtificibus (inquit Vuicelius) abundabat spiritus, sed in posterioribus malesuada caro. Victorem hunc increpare ausi sunt Polycrates Ephesiorum episcopus, & Irenæus Lugdunensis: ut qui fratres in Asia communione priuauerat, quòd in paschatis obseruatione morem à Romana consuetudine diuersum sequerentur: ita ut ecclesia tunc pateretur naufragium, ob eius pertinaciã. Non potuit nihilominus hic pontifex anno Domini 203 euitare mortis supplicium.

14. Zepherinus Romanus, rei diuinæ magis quàm humanæ intentus, ut scribunt authores, uitreos calices pro ligneis ordinauit: & anno Domini 220, Aurelij temporibus martyrio coronatus est. Sub hoc episcopo Artemonitæ, per Aristotelem ac Theophrastum, scripturas sacras corrupisse, atque in quæstiones omnia, nostri temporis sophistarum more, posuisse dicuntur.

15. Calixtus Rauennas, feruente rursum persecutione, constans Euangelij testis in Ecclesiæ ministerio perseuerans, in quodam loco secreto trans Tyberim cum multis Christianis latitabat. Ea tempestate (inquit Platina) ob crebras persecutiones, occulta erant omnia: etiam ipsa sacella potius abdita, & plerunq; subterranea fuerunt, quàm publicis in locis aperta. Calixtus demum Alexandri Seueri Cæsaris iussu, anno Domini 226 capitur, fustibus cæditur, in carcere recluditur, è fenestra præcipitatur, corpusq; eius in puteum profundum demergitur. Quòd ille per quatuor temporum ieiunia, Dei populum denuò iudaizare fecerit, fabulam esse credo.

16. Vrbanus Romanus, sub libidinosissima bestia Heliogabalo Cæsare uixit, et uitæ sanctitate ac doctrina singulari, multos undiquaq; mortales ad Euangelium traxit. hic sæpenumero pro fide Christiana, ab urbe proscribebatur: sed à fidelibus iterum clàm reuocatus, martyrij coronam anno Domini 233, imperante Seuero, tandem accepit. De quo Mantuanus in quinto Fastorum libro sic habet:

Magnus hic ille Dei cultor, qui conditus antro,
Appia Campanos qua se uia flectit in agros,
Cæciliam lauit: lauit cum fratre maritum,
Patricios iuuenes. Demum iam grandior æuo,
Principe Alexandro, liuentis uerbera plumbi
Pertulit: & iussus Marti dare thura, Deorum
Expuit in facies, conflataq; polluit æra:
Mox secta ceruice, solum mutauit Olympo.

17. Pontianus Romanus, prædicti Alexandri Seueri Imperatoris tempore, Christi minister, ac dispensator mysteriorum Dei, exilium & supplicia pro Euangelio, proq; ecclesia passus est. Cum enim pro Dei uerbo ad illum concursus fieret, mandato principis, idolorum sacrificulis instigantibus, ab urbe Roma in Sardiniam insulam deportabatur. In qua post multas calamitates & grauia tormenta, anno Domini 239, pro Christi fide martyrij pœnam subijt.

18. Antheros Græcus, uir Dei, si quis alius, sub Maximini Imperatoris tyrannide, Christum constanter docuit. Hic pontifex omnium primus curauit, ut martyrum res gestæ diligenter & accuratè à notarijs scriberentur, ne unà cum uitis, fortissimorum Dei militum aboleretur memoria. Quæ utinam (inquit Crantzius) diligentius conscriptæ legerentur. Decorauit autem hic Antheros anno Domini 243, ecclesiam suo sanguine, quam antea pauerat uerbo: in uia Appia sepultus.

19. Fabianus

19. Fabianus Romanus, cum ex agris, Eusebio teste, reuerteretur, & unà cum suis conciuibus adesset pro nouo eligendo pontifice, uisa est columba eius insidere capiti: & subitò, quod non expectabat, ecclesiæ pastor est creatus. Viuens ipse uigilauit quoq;, ut conscriberentur martyrologia, martyribusq; cœmiteria pararentur. Qui et sub Decio postea sæuiente in fratres, capitis obtruncatione, anno Domini 250, uitam gloriosa morte cõsummauit. Sub eo laborauit adhuc Origenes in uinea Domini, theologiæ professor: qui contra Celsum scribens, multis rationibus docet, templa Christianis, ad uerum Dei cultum ueramq; religionem nihil conuenire.

20. Cornelius Romanus, sub persecutore Decio, quem septimum hostem Christi & Ecclesiæ numerant, de salute proximorum piè solicitus, quotquot in tormentis Christum negauerant, ubi facti sui pœnitere cognouit, benignè suscepit, Ecclesiæq; restituit. O' spiritum Christi in hoc pontifice magnum, ô Euangelio dignum ministrum. Cæterùm homo Dei Cornelius licet in exilium deportatus, regno tamen Christi minimè unquam defuit: quin optimus eius athleta, in ueritatis assertione anno Domini 253, Decij mucroni ceruicem ut ouis mansueta præbuit. Vnde Mantuanus:

Incidit in rigidos præsul Cornelius enses.

21. Lucius Romanus, fidelis in domo Domini seruus, ab insectatore Christiani nominis Gallo Hostiliano in exilium actus, à sancto Cypriano per literas confortabatur. Tandemq; eo mortuo per uoluntatem Dei, Romam reuersus, Ecclesiam salubri doctrina locupletauit, ac paradisum cœlestem anno Domini 255 à Valeriano occidi iussus, & in sanguine agni dealbatus, penetrauit.

22. Stephanus Romanus, uir per omnia rectus & bonus, atq; Ecclesiæ ministerio dignus habebatur. Vnde optima (inquit Vuicelius) Pontificum exempla nobis Ecclesia proposuit, quamdiu uel nominabantur tantum Romanæ urbis episcopi. Furente Galieno iniquo Cæsare, Stephanus anno Domini 257, cum multos Gentilium ad Christi fidem conuertisset, capite mulctatus, cum plerisq; alijs fit uictima Deo, accepta iusticiæ corona. Additq; Mantuanus:

Et quia tunc regnabat adhuc antiqua deorum
Impietas, multi nostrûm diuersa ferebant
Supplicia, exilium, gladios, ignemq;, ferasq;,
Vincla, famem, Plutone truces agitante tyrannos.

23. Sixtus secundus, natione Græcus, patria Atheniensis, ex mundi philosopho Christi discipulus, & è terreno cœlestis œconomus factus, Christiani gregis decus atq; imitandum exemplar effulsit. Istum absumpsit quoq;, unà cum tot martyrũ chiliadibus, Deciana atq; Valeriana persecutio, salutare Dei uerbum populo proponentem, anno Domini 267. Huic sancto episcopo sanctus diaconus Laurẽtius inseparabiliter adhæsit, usq; ad ultima uitæ supplicia. Quorum alter gladio, alter igne, terris eximebatur. De quibus Mantuanus in. 8 Fastorum libro:

Hos Decius sanctis florentes moribus, inter
Christigenas iussit uinclis & carcere claudi.

Sub hoc Pontifice, circa annum Christi 260, immani tyrannorum persecutione perterritus Paulus primus Eremita, solitaria loca petijt. Nam multi eo tempore Christiani, Eusebio teste, mortis metu fidem abnegabãt: sicut nũc apud Anglos sub regina Maria. Hinc monachatus originem sumpsit, ut Hieronymus refert in uita eiusdẽ Pauli: et post eum Baptista Mantuanus, in primo libro de uita Blasij:

Tum pleriq; patres sancti, cum tale uiderent
Excidium, fugêre urbes, & more ferarum
Per deserta uagi, cæcis latuere cauernis.
Ista ego crediderim per noxia tempora, Paulum
Niligenam, sole ardentem, qui primus eremum
Incoluit, liquisse urbes, patriosq; penates,
Et didicisse togas textis componere palmis.

24. Dionysius Græcus, à Damaso pontifice monachus, & à Nicolao Harlemensi in Chronico temporum, Carmeli solitudinis incola nuncupatus, fidei documẽtis sub Claudio secundo clarus, & Christianæ ecclesiæ amplificator insignis effulsit. Nec illi defuerunt aliæ ecclesiæ, subortis tunc hæ

d resibus,

resibus, ueritatis doctrina succurrere. ut patet de Antiochena: quae congregata synodo, anno Domini 273, Paulum Samosatenum erroris conuicit, cum ille tamen prae senio interesse non posset. Cyrillam Decij Caesaris filiam, cum Triphonia matre, & 46 militibus, ad Christi fidem Dionysius cōuertit: & cum eisdem tum demum atq; alijs nonnullis, anno Domini 277. martyrij palmam ad Salariae portam suscepit. De quo Mantuanus:

Hic erat occultus Christi de gente sacerdos.
Graius enim, dudum Carmelo à monte profectus,
Vertice Carpathijs alto qui prominet undis.

26. Felix Romanus, saeuiente in fratres Imperatore Aureliano, uir integer ac bonus in uerbi ministerio floruit. Quo homicida infelicißimo tyrannidem exercente, Felix anno Domini 282 inter alios martyres ad Christum, hoc est, à morte ad uitam fœlicißimè transijt. Quòd martyrum gloriae consulens, statuerit templa fieri, & sacrificia in eorū nomine quotannis celebrari, aperta blasphemia est. Quis enim crederet, pios Ecclesiae primitiuae patres, lapides, ligna, aut mortuorum ossa tam anxiè curare, inter tot persecutiones & haereses, ac si nihil aliud agendum tunc esset? Sed talia sunt Romanistarum commenta, ut eorum idololatriae approbarentur.

FVLGENIVS HEROS. XXX.

FVlgenius Heros, uir sanguine regio clarus, ut uidit suis Brytānis ademptam publico & perpetuo Romanorum decreto dignitatē regiam, animo magnopere cōdolebat. Aegerrimè etiam tulit, gentem illam natura sibi coniunctam, tanta & tam misera seruitute indies premi, totq; iniurijs atque contumelijs per ferocientes illos affici, direptis etiam hominum fortunis, & constupratis eorum uirginibus. Vnde collectis tandem Brytannorum primorib. concione longa hortatus est eos ad defectionem: adijciens, tunc maximè tempus adesse, quum debilitatae forent Romanorum uires. Et extemplò super ea re scripsit ad Donaldum Scotorum, ac Thelargum Pictorum reges, eorum auxilia postulans. Ad suos quippe Brytannos (Boethio in Scoticae historiae lib. 5. teste) longas orationes sub his titulis fecit,

De Romanorum iniurijs, *Orat. 1.*
Pro uindicanda libertate, *Orat. 1.*
Ad Donaldum regem, *Epist. 1.*
Ad regem Pictorum, *Epist. 1.*
Ad suos Brytannos, *Epist. plures.*

Et alia quaedam edidit. Ex prima Septimij Seueri Caesaris ac Brytannorum regis pugna superatus, in Daniam aufugit. Postea conducto exercitu, cum magno nauigio reuersus, Eboracum obsedit: ubi, anno ab incarnato Mesia 212, Caesare interempto (ut Galfridus, Pōticus ac Tritemius sunt testes) ipse etiam lethaliter uulneratus occubuit: in eadem urbe sepultus.

MELLANIVS PROBVS. XXXI.

MEllanius Probus, aliàs Mellon, Brytānici generis & nationis homo, post maturae pubertatis annos, relicto natali solo, amore bonarum literarum Gallias & Italiam inuisit. Romae tandem ad tam exquisitae cognitionis omnium scientiarum notitiam peruenit, diuinarum rerum prȩcipuè, ut aequo Stephani pontificis Rom. iudicio, Rothomagi episcopus designaretur. Vnde Georgius Maior, eam aetatem Ecclesiae describens: Doctrinam (inquit) & ueros cultus, ab apostolorum discipulis acceperūt Brytanni, cuius puritatem paßim in omnibus Ecclesijs magno studio tuebantur. Fertur iste insignis Ecclesiae doctor inter caetera scripsisse,

Quasdam homelias, *Lib. 1.*

Caetera ab archiuis Rothomagensis ecclesiȩ, aut ex libro de eius uita, petenda

tenda sunt. Claruit anno post Seruatoris aduentũ in carnem 260, apud Brytannos regnante Asclepiodoto. Ex Bannochorensi Christianorum philosophorum collegio Mellanium prodijsse puto, quod anno Domini 182 fundatum, Polydorus in suo Gilda tradit.

ALBANVS VEROLAMIVS. XXXII.

ALbanus Verolamius, nobilis & Christiani generis Brytannus, in ætate florida, cum utriusq; philosophię studio rei militaris exercitium, ornatissimus iuuenis copulabat. Eo quo floruit tempore, Romanorum beneficio bonæ literę usqueadeò in Brytannia enituerunt, ut nobilium uirorum filij, uotis omnibus eloquentiam unà cum receptis artibus excolerent. Monuerat olim Iulius Agricola, sub Vespasiano Cæsare in Brytannia consul, principum liberos bonis artibus imbuendos: longè præferens eorum ingenia Gallorum studijs, quòd Romanæ eloquẽtiæ pro uiribus studerent: deditq; illis ad id instituta Romana, ut author est Cornelius Tacitus in uita eiusdem Agricolæ. Cum Amphibalo, Legionum urbis alumno, & alijs præclarorum ingeniorum Brytannis, Romam petijt Albanus: ubi sub Diocletiano tribuno, seu dictatore, 7 annis militauit. Reuersus in patriam denuò, & magistratus insignitus munere, Verolamium nobile municipium peruenit, atq; in proprijs ex hæreditate paterna ædibus mansit. Quòd uerò literarum aliquid emiserit, non inuenio. Hoc tamen apud Fortunatum presbyterum reperi, in libro de Laude beatissimorum martyrum,

Albanum egregium fœcunda Brytannia profert.

Quum illic postea crudelis & atrox esset in Christianos persecutio, sub præfato Diocletiano, & ubiq; essent scripturę in plateis exustę: instantibus sacerdotibus auaris, Amphibalus post pias aliquot conciones, ad mortem quærebatur. Sed ut pro ampliando Christi regno tunc euaderet, inquisitoribus sub eius amictu se obtulit Albanus. Qui tormentis exagitatus, securi demũ martyr percutitur, anno Christi 286, regnante apud Brytannos Coelo. Locusq; in hodiernum usq; diem Albani fanum nuncupatur.

AMPHIBALVS ISCAELEGIVS. XXXIII.

AMphibalus Iscælegius, seu Legionensis, in celeberrima apud Brytannos Legionũ urbe natus, literas tam Græcas quàm Latinas, unà cum Christiana religione, ab ipsa pueritia hauriebat. Quum postea Romæ per annos aliquot cæteris artibus operam suam daret, edictum exijt crudele ab utroq; tyranno, Diocletiano et Maximiano, urgentibus ad suum quæstum sacrificulis, ut Christiani nominis professores ubiq; terrarum exquisitis pœnis cruciarentur, ac libri eorum sacri comburerentur. Perterritus hoc tonitru Amphibalus, in Brytanniam redijt, Verolamiumq; ad ueterẽ amicum Albanum peruenit: ubi non leuia eruditionis uestigia, in persuasa per conciones & lecturas Christiana religione ostendit. Sed perempto per tyrannos immanissimos hospite Albano, ad Venedotas primùm, postea Demetas Cambriorum gentes, demumq; ad Scotos & Pictos, cum magno piorum numero, Euangelium ubiq; prædicando, diuersitabat. Apud quos sub rege Crathlinto (si Hectori Boethio credimus) in Mona insula, primus Druydum loco Episcopus constituebatur. ubi post functiones tam publicas quàm priuatas, posteris reliquisse fertur

Christianæ uitæ instituta, Lib. 1.
Contra Druydum errores, Lib. 1.

Et alia. Captus tandem à Christiani nominis hostibus, ac Rudbornum à

 Verulamio

Verulamio non procul perductus, solicitantibus ob uentrem templorum pseudoministris: carcere, ferro, flagellis, lanceolis & lapidibus obrutus, ut alter Stephanus, uiso ad patris dextram Christo, martyrij palmam cum decem socijs accepit, anno Domini 291, regnante apud Brytannos Constantio Chloro.

APPENDIX.

Nunc quia de Druydis sermo est, ac de Diocletiano Cæsare, narrabo quod apud plures authores legi. Mulier quædã ex præsagis, quas Druydas uocant, Diocletiano imperij apicẽ tenente, anno Domini 287 uaticinata: Diocletiane (inquit) iocari noli. Nam Imperator eris, quum aprum occideris. Idq; mox euênit. Apro enim præfecto prætorij, quòd Numerianum occidisset, sua manu interempto, Augustus est appellatus. Tales nimirum fuerunt illis diebus multæ Gallicæ seu Brytannæ mulieres. Apud Flauium Vopiscum et alios authores ueteres hanc reperies historiam. Druydas uerò, ob euersa idolorum templa, hostes tunc infensissimos Amphibalus habebat. Cuius corpus anno Domini 1178, & à sua paßione 887, ad fanum Albani tandem cum socijs est translatum.

IVLIVS ET AARON. XXXIIII.

IVlius & Aaron, famigeratæ Legionum urbis ciues præclari, & Amphibali prædicti in Christo discipuli, pietatis ornamenta planè illustria in Brytannia fuerunt. Non solùm in sua patria literis obnixè inuigilabant, sed & exteras regiones pro bonis artibus addiscendis petebant, Romæq; potissimum studuisse leguntur. Inde insigniter eruditos fuisse illos, Cambriana passim narrat historia: & Gyraldus illud idem in Hodœporico suo confirmat, adiecto etiam nobilitatis calculo. Hi tandem cum alijs utriusque sexus non paucis (ut authores sunt Gildas Badonicus in Excidio Brytanniæ, Galfridus et Ponticus in Chronicis) magnanimitate summa in acie Christi perstantes, martyriũ infractis animis pertulerunt. Vnde & Bedas cap. 7. primi libri Anglicanæ historiæ, post Albani mentionem hæc scribit: Passi sunt ea tempestate Aaron & Iulius, Legionũ urbis ciues: alijq; utriusque sexus diuersis in locis perplures. Qui uarijs cruciatibus torti, & inaudita membrorũ discerptione lacerati, animas ad supernę ciuitatis gaudia perfecto agone miserũt. Et ista fiebant anno Christi 292, regnante in Brytannia Constãtio Chloro. Sub cuius postea regimine, quum Imperator esset, à tanta clade ita immunes eius urbes erant, ut asylum Christianis afflictis tutissimum foret illa ipsa Brytannia.

APPENDIX.

Refert Ioannes Rossus Vuaruuicensis, in libro suo de Vuigorniensibus episcopis, magnum in Brytannia Christianorum numerum, quòd prædictum Amphibalum prædicantem audiuerit, impiorum telis occubuisse, in loco qui ab euentu Lichefelde uocatur: id est, cadauerum campus. Sæuitia (inquit Georgius Maior) & furoribus Diocletiani, uehementer labefactata est Christiana religio in gente Brytannorum. Ea enim labes, teste Gilda, ita mortales generatim corrupit, ita Christianam religionem exinaniuit, ut illa admodum in paucis integra remãserit. Hinc Tertullianus, magnus ecclesiæ doctor, ante aliquot annos opportunè dixerat in opere suo contra Iudæos: Brytannorum inaccessa Romanis loca, uero regi Christo esse subdita. Doctrinam (inquit prædictus Maior) et ueros cultus, ab Apostolorum discipulis acceperunt Brytanni: cuius puritatem paßim in omnibus ecclesijs magno studio ac martyrio tuebantur.

DE ROMANIS EPISCOPIS

Appendix.

26. Eutychianus Thuscus, uir Deo deditißimus, à doctrina & uirtutibus ecclesiæ commendatus, diuini uerbi prædicatione salutem multis attulit populis. Hic trecentos & 42 martyres sepeliße proprijs manibus dicitur, & constitutionem fecisse de ritu tumulandorum martyrum, martyr & ipse an-

pse anno Christi 283, Domino tandem consecratus. Istum, ne nihil fecisse pro confirmandis hypocritarum insaniis uideretur, fabas atq; uuas in altari benedixisse fabulantur Papistæ, et in collobiis purpuratis mortuos sepelisse. Officium certè Christi martyre dignum. Sed tales sunt Papicolarũ nugæ.

27. Caius Dalmata, Cæsari Diocletiano cognatus, præpositus domus Dei in ecclesia Romana probatissimus, Eutychiano in salutaris uerbi sacro ministerio successit. Hunc referunt ex suo Damaso, Paparum adulatores Carsulanus & Platina, cleri dignitates mirum in modum auxisse, per uarias ordinum distinctiones, ut per certos gradus ascensus fieret ad episcopatus apicem. Ogganniunt etiam insulsissimi Papicolæ, uetuisse illum, sacris initiatos à profanis hominibus, paganis & hæreticis, in ius uocari: si tam fatuus quispiam sit, qui credat tantam tunc fuisse Ro. Pontificum authoritatem, regnantibus ipsis paganis, ac politica iura administrantibus. Peruenit Caius ad imperij tempora Diocletiani prædicti, sub quo continuata fuit sæuissima persecutio, ita ut in cryptis & terræ cauernis, non in Papali palatio aut templo magnifico, latuerit diu: atque inde eductus anno Domini 295, unà cum Gabinio fratre, presbytero coniugato, sub gladio uitam finiuerit. De Caio, atq; eius successore Marcellino, sic habet Mantuanus in uita Blasij:

Tum Caius, qui præsul erat Romanus, in altis
Delituit cryptis. Tunc Marcellinus & ipse
Romulidûm pastor, uictus formidine, Christum
Prodidit, & plena Marti libauit acerra.

28. Marcellinus Romanus, decima persecutione post Neronem, cum grauissimè sub Diocletiano & Maximiano à tortoribus urgeretur, pœnarum timore correptus, thuris granum idolis adoleuit. Erant tunc sacræ scripturæ (inquit noster Gildas) quæcunq; inueniri poterant, in publicis plateis exustæ: & electi sacerdotes gregis Domini, cum innocentissimis ouibus trucidati. Sed in se statim reuersus Marcellinus, agnito errore, Diocletianũ ipsum redarguit, et ad necem pro Christi ueritate seipsum libens obtulit, anno Domini 303: fortissimeq; pugnans uicit, accepta martyrij laurea. His astipulatur prædictus Mantuanus in suo Blasio:

At scelus id mox erubuit, sensuq; recepto,
Incœpit damnare deos, extollere Christum:
Nec mors horribilis uisa est, sed spontè cucurrit
In medios hostes, iugulumq; tetendit ad ensem.
Fortior in pugnam post signa amissa reuersus
Victor, & ornatus uiridi discessit oliua.

29. Marcellus Romanus pastor erat, ecclesiam pascens prudentia & doctrina, ac uir secundum cor Dei, ut cum Propheta loquar, et plenus operibus Christianis. Hic Maximianum Augustũ piè admonuit, atq; auertere nitebatur à persecutione sanctorum. Augustus autem magis induratus, ipsum fustibus cædi iussit, et urbe expelli. Intrauit ergo Lucinæ uiduæ domum, ibiq; ecclesiam occultam tenuit. Quod audiens tyrannus, ex eadem domo iumentorum stabulum fecit, & curam eius episcopo Marcello commisit. Epistolis inde sine alio uerbi ministerio ecclesiam gubernauit, ad sordida officia damnatus. Et in pædore atq; immundicijs quotidie cruciatus, anno Domini 308, spiritum seruatori Christo reddidit tandem.

30. Eusebius Græcus, homo pijssimus, Romanæ ecclesiæ in magna persecutionum procella Christianorum doctor ac magister præfuit. In uerbo Domini tam Romæ quàm alibi per patriam fortiter ille laborabat, sub Maxentio horribili tyranno, donec esset, Massæo teste, martyrio & ipse, anno Domini 309, consumptus. Vnde Angelus ad Blasium, ex Mantuano:

Quod mihi scire datur, fabor tibi. Læta propinquant
Tempora: Principibus lex est imposta cruentis,
Ne possint sæuire diu. Quod sanguine gaudet
Hoc crudele genus, paucis abolebitur annis.
Roma suos omnes mersos in sanguine uidit
Pontifices: posthac tres est uisura cruentos.

Illic finis erit: lugubria secula claudet
Melciades, pax est illo uentura sepulto.

31. Melchiades Apher, uir admodum religiosus, et gregis Dominici ductor, in Euangelicæ religionis ministerio, ac diuinæ ueritatis negotio usq; ad sui sanguinis effusionẽ sub Maximiano Galerio processit: & anno Domini 314, in eiusdem ueritatis confessione uitam finiuit. Legatur hoc loco Eusebij Cæsariensis episcopi historia Ecclesiastica, de tot, tamq; inusitatis & acerbissimis sanctorum eius temporis mortibus.

Plaustra decretorum ac mendaciorum Carsulanus, Platina, Stella, & alij Paparum adulatores, his Christi martyribus, sed falso, tribuunt: ut suarum cæremoniarum, ne dicam blasphemiarum, institutio diabolica, eorum authoritate comprobetur. Non enim sunt ueriti spurcissimi nebulones Papicolæ, pulcherrimam hanc Ecclesiæ primitiuæ faciem, ac suo capiti Christo ex assidua persecutione similem, ad sui Abadonis solium erigendum, impijs his stercoribus fœdare, martyrumq; sanctorum polluere sanguinem. Sed quis sapiens putaret simplices uerbi ministros & pastores, quales tunc erant Romani pontifices omnes, in latibulis, cryptis ac specubus habitantes, & nihil sub tyrannis præter mortem indies expectantes, de fastu Pontificio, ædificijs, aut ordinationibus Papisticis cogitare, quũ nec templa, nec certas ædes haberent? Non adhuc erat Ecclesiæ pax data, nõdum fruebantur inutili ocio ac summis mundi delicijs: nec fuit ipsi Iesabeli, quæ se dicebat esse prophetam, Apoc. 2. paratus adhuc lectus. Talia ueruntamen erant pseudoprophetarum pro suo uentre commenta: atq; sic est Papistica synagoga illa in splendidis mendacijs fundata. Sed ridiculis his, ac Satanæ nugis ad sacrificulorum quæstum confictis, superioris seculi more credere, stultissimum certè esset. Potius forent hoc loco spiritus explorandi, ut Ioannes iubet, num sint ex Deo: 1. Ioan. 4. quum multi pseudouates prodierint in mundum. Hucusq; stellæ pastores erant, in Ecclesiæ firmamento tam doctrina quàm exemplo coruscantes, in eiusq; seruatæ dextra manu, qui in septem candelabrorum deambulabat medio, Apoc. 1. Hucusq; habebantur angeli, æternam Dei opt. max. uoluntatem, sine figmentis hominum purè nunciantes. Imò hucusq; per equũ album in mysterio figurantur, qui Christum uictorem tam corde quàm corpore, tam ore quàm opere, fideliter ferebant: Apoc. 6.

32. Syluester primus Romanus, prædicto Melchiadi in uerbi ministerio succedens, adhuc in Soracte monte ob mortis metum, more suorum prædecessorum, solitarius latitabat. Qui tamẽ, quiescente tum demum ab affligendis Christianorum ecclesijs Tartareo dracone, Apoc. 12. cessanteq; sub Cæsare Constantino tyrannorum sæuitia, Romam redijt: desijtq; in illo Romanorum episcoporum persecutio. De quibus omnibus Baptista Mantuanus in 12 Fastorum libro:

Multa sub atroci, uitæ discrimina passus,
Tarquino præfecto urbis, secessit, & altum
Se in Soracte tulit, sub quo delabitur amnis
Albula, & in tacito fugit mala tempora saltu.

De Constantini regno:

At postquam soboles Helenæ sanctissima, Cæsar
Constantinus, apud diuos hominesq; fauorem
Nactus, in excelso uidit crucis aere formam,
In terrena Deus fecit descendere pacem
Regna, cruentatos prohibens regnare tyrannos.

De reditu Syluestri:

Tum redijt tandem Romam Soracte relicto,
Atq; sub Augusto magnos sortitus honores,
Credidit è Stygijs umbris se in sidera tolli.

De synodo Nicæna:

Tunc synodus Nicæna fuit celebrata sub ipso
Cæsare, & impietas Arri damnata, uolentis
Partiri naturam unam natiq; patrisq;.

De

De Christianorum templis:

Cæsar hic in nostram gestans pia pectora gentem,
Maxima templa Deo diuisq; eduxit in auras:
Immensas donauit opes, uasa aurea, fundos,
Vnde sacerdotes magnis prouentibus aucti.

Huius Syluestri permulta feruntur instituta, de chrismate consecrando, ordinibus dandis, pueris confirmandis, templis ornandis, altaribus tegendis, missatoribus constituendis, ungendis, uestiendis: hostijsq; (ut uocăt) deificandis, adorandis, seruădis. Item de dalmaticis, cappis, corporalibus, albis, mitris, pallijs, pannis, peplis, sindonibus, sacrificijs, cæremonijs, asylis, extremis unctionibus, alijsq; ritibus, non solum Iudaicis, *sed & ethnicis, superstitiosis ac diabolicis, ab apostolo* Paulo *atque ipso* Christo *damnatis.* Dicitur *quoq; à* Polydoro, *Platina, & alijs Romanistarum scriptoribus, Ethnica dierum nomina,* Solis, Lunæ, *Martis, Mercurij,* Iouis, *Veneris & Saturni, ad Christianorum usum, in Iudæorum ferias commutasse, ac Phrygiam mitram aurei diadematis loco occupasse.* De *eius uero miraculis sic scribit prædictus* Mantuanus:

Magna quidem memorant alij miracula ab ipso
Aedita Syluestro: *sed nullus idoneus author,*
Nec testis productus adhuc: ideoq; relinquam
Talia, quæ possunt quædam figmenta uideri.
Nostra etenim nugas, deliramentaq; damnat
Relligio, nec dat linguis mendacibus aures.

Syluester anno Domini 334, *confessor obijt.*

HELENA FLAVIA. XXXV.

Helena Flauia, Augusta, serenissimi Coeli Brytănici regis hæres & unica filia, magni Constantini Cæsaris mater, incomparabili decore, fide, religione, bonitate ac magnificentia pia, Eusebio etiam teste, per totum resplenduit orbem. Inter omnes ætatis suæ fœminas, nulla inueniebatur ea in liberalibus artibus doctior, nulla in instrumentis musicis peritior, aut in linguis nationum copiosior. Innatam habebat ingenij claritudinē, oris facundiam, ac morum ornatissimam compositionem: Hebraicè, Græcè & Latinè erudita. Caruerat pater alia sobole (inquit Virunnius) quæ regni solio potiretur. Illam propterea his instrui fecit per optimos præceptores, ut eo commodius regni tractaret negotia. Vnde ob incredibilem eius pulchritudinem, atq; alias eximias animi et corporis dotes, Constătius Chlorus Cæsar illam duxit in uxorem: atq; ex ea filium in Brytannia genuit, Constantinum Magnum. Sed eo tandem Eboraci defuncto, cum Anna illa Euangelica, in sancta uiduitate perdurauit ad ultimum uitæ diem, tota Christianæ religioni dedita. Sunt enim authores, qui narrent, per istam, cessante persecutione, pacem Ecclesijs datam. Ad tantam cœlestis philosophię cognitionem eam ferunt post agnitum Euangelium peruenisse, ut olim ediderit,

De prouidentia Dei,	Lib. 1.
De immortalitate animæ,	Lib. 1.
Normam rectè uiuendi,	Lib. 1. *Domino semper Augusto filio.*
Epistolas ad Constantinum,	Lib. 1. *Veritatem sapientis animus non re.*
Reuelationum suarum,	Lib. 1.
Monita pia ad filium,	Lib. 1.
Ad Syluestrum pontificem,	*Epist. plures.*
Ad Antonium abbatem,	*Epist. plures.*
Carmina quædam Græca,	Lib. 1.

Quæ hucusq; à Pontico superesse perhibentur. Visionibus admonita, Hierosolymam

Hierosolymā petijt, & omnia Seruatoris loca perlustrauit. Romæ tandem octogenaria fœliciter in Christo quieuit, 15. Calendas Septēbris, filio adhuc superstite, anno Salutis humanæ 337, regnāte apud Brytānos Octauio. Huius corpus non minima nunc cura Venetijs seruatur.

CONSTANTINVS MAGNVS. XXXVI.

FLauius Constantinus, cognomēto Magnus, post genitorem Constantium Brytannorum rex, ac Romanorum Cæsar Augustus, ex Brytannica matre in Brytannia natus, & in Brytannia creatus Imperator, patriam natalem magnificæ suæ gloriæ participem fecit. Profligatis Alemanis, Hispanis, & Francis, eorumq; regibus pro spectaculo bestijs obiectis, Galliā subiectam tenuit. Tres Helenæ matris auunculos Brytannos, Leolinum, Traherum, & Marium, quos cæteris semper fidentiores habuerat in suis fortunis, Italis à Maxentij tyrannide fœliciter liberatis, in Senatorum ordinem Romæ promouit. Innumeræ in eo, ut Eutropius habet, claruere tam animi quàm corporis uirtutes, dum appetentissimus esset gloriæ militaris, successu semper in bellis prospero. Inter literas tam Græcas quàm Latinas, à Christianissima matre Helena Christi fidem edoctus, eos honorabat præcipuè, qui in philosophia Christiana uitam reclinassent. Vnde ab Oceani finibus, nempe Brytannis incipiens, ope fretus diuina, religionis curam in medijs superstitionū tenebris cæpit, ab occiduis ad Indos, innumeras ad æternæ spem uitæ erigens gentes. Animum diuinis exercendo studijs, noctes trahebat insomnes, & quæsita scribendi diuerticula per otium frequentabat: Imperium oratione ac sanctis operationibus continendum ratus. Egregius Christianæ disciplinæ præco, filios ac proceres docuit, pietatem dl uitijs omnibus, atq; adeò ipsi anteferre totius mundi monarchiæ. Falsorum deorum euersor, imaginum cultus per Græciam, Aegyptum, Persidem, Asiam, & uniuersam ditionem Romanā, repetitis abrogabat legibus: iubens per edicta Christum coli, Euangelium prædicari sacrum, ministris honores & alimenta dari, atq; idolorum ubiq; destrui templa. Et ut fidei forma cunctis uideretur, Euangelium IESV Christi ante se semper ferri fecit, et Biblia sacra ad omnes prouincias destinari: diademaq; monarchicū primus Brytannis regibus dedit. Ecclesijs infinita præstitit: agros, annonam, stipem egenis, ægris, uiduis, ac orphanis, pro quibusq; ut pater solicitus. Eusebium, Lactantiū, & similes, familiarissimos habuit. & hanc ad Deum orationem indies ipsis in eius uita testibus, fudit: Vnum te Deum esse nouimus, unum te regem intelligimus, appellamus adiutorē: nobis abs te uictoria cecidit: ex te aduersarium fudimus, &c. Pro delicijs habuit, ut Sextus Aurelius tradit, literarū studia colere, bonas artes fouere, legere, scribere, meditari. Composuit interea Græcè & Latinè, ut ex authoribus collegi,

Geoponica Græca,	Lib. 20.
De re rustica,	Lib. 1.
Dogma basilicum,	Lib. 1.
Ad nationum præsides,	Lib. 1.
Confeßionem fidei,	Lib. 1.
De synodo Nicena,	Lib. 1.
Ad senatum Romanum,	Lib. 1. *Serenißimum Dei solisq; iubar.*
De Dei prouidentia,	Lib. 1.
Reipublicæ leges,	Lib. 1. *Curiales omnes iubemus, intermi.*
Nouam Aegyptiorum legem,	Lib. 1.

Leges

Leges Christianorum,	Lib.1.
Contra gentium superstitiones,	Lib.1.
Vitæ instituta ad filios,	Lib.1.
Ad Eusebium Cæsariensem,	Epist.1. Adhuc mi charissime frater.
Ad incolas Orientis,	Epist.1. Quæ cum summis atq; præclaris.
Ad Palæstinæ prouinciales,	Epist.1. Olim atq; dudum præstantia.
Ad Alexandrum & Arrhium,	Epist.2. Rationem contigisse duplicem.
Expostulationem cum ipsis,	Epist.1. Didici natam præsentis quæstio.
Pro pace religionis,	Epist.1. Vestra discordia emergent.
De Arrhio & eius scriptis,	Epist.1. Malignos & impios Arrhia.
Ad Nicomedienses,	Epist.1. Quis imbuit talibus innocen.
Ad Saporem regem Persarum,	Epist.1. Sacrosanctam fidem obseruans.
Ad Ecclesias omnes,	Epist.1. Ex facili Reipublicæ nos.
Ad patres conciliorum,	Orat.plures.
Ad præfectos gentium,	Epist.plures.
Ad ciues Antiochienses,	Epist.plures.
Ad Macharium episcopum,	Epist.1. Tanta est Dei nostri benig.
Pro instaurandis sacris,	Epist.1. In urbe multi cognomine.
De controuersia Paschatis,	Epist.1. Ardua mediusfidius & quam.
Ad episcopos Palæstinæ,	Epist.1. Hoc unum summum curæ meæ.
Ad populum Antiochenum,	Epist.1. Huius uniuersitatis altitu.
Ad Eusebium super episcopatu,	Epist.1. Plenissimè episcopatum noui.
Ad Theodotum & alios,	Epist.1. Legi literas uestras & Eu.
In sui temporis hæreticos,	Epist.1. Ex promulgatione edicti.
Ad Tyriorum synodum,	Epist.1. Consentaneum erat isto seculo.
Ad eandem pro Athanasio,	Epist.1. Nescio quid tot conuentibus.
Pro Athanasij causis,	Epist.1. Ego quidem ignoro quæ.
Ad Antonium abbatem,	Epist.1.
Ad Probum contra Arrhium,	Epist.1.
Ad Diocletianum,	Epist.1.
Ad Acurium comitem,	Epist.1.
Ad suum quæstorem,	Epist.1.
Ad Acesium Nouatianum,	Epist.1.

Et adhuc longè plures tam orationes quàm epistolas. E' uita Nicomediæ discessit senex, ætatis suæ anno 66. & Imperij 32. à Christi uerò incarnatione 339. Constantinopoli sepultus, Octauio in Brytannijs regnante. Eius uitam in quatuor libris Eusebius Cæsariensis Græcè scripsit, & Ioannes Portesius Gallus in Latinum transtulit sermonem. Huius Constantini uxor erat Fausta, Maximiani Herculij filia.

APPENDIX.

Quòd Romano Pontifici coronam imperialem cum regno Italiæ, aut Cardinalibus cum senatoria dignitate coccineas dederit uestes, uel quòd fuerit ob martyrum cædem elephantiæ morbo percussus, infantum sanguine lotus, aut à Syluestro baptizatus, Papistarum sunt commenta ridiculosa, quamuis in eorum sanctissimis habeantur decretis. Eius in animo (inquit Eusebius) fidei uis insita, quæ & qualis fuerit, inde conijcias. Aurei nummi, erecto illum uultu, ut cœlo intentum gerebant. Lege etiam interdixit, ne quis eius signa, præcedētium Imperatorum more, in sacellis aut lucis idolorum dedicaret. His temporibus primum Syluester pontifex Rom. moliri cœpit fundamenta Papisticæ monarchiæ (si uera sunt quæ Papicolæ referunt) et reperta claue, abyssi puteū aperuit: ex quo locustæ prodierunt, & ex locustis rex locustarum Abbadon, uel exterminator Antichristus, Apoc.9. His

etiam diebus exclamationem quandam inuectiuam in clericos, notant Eusebius & Nauclerus: ac Cestrensis, uenenum, angelo nunciante, in Ecclesiam effusum.

APPENDIX ALIA.

Baptista Mantuanus in secundo libro de Vita diui Blasij, adducit angelum ad eundem Blasiū inter alia sic loquentem, de prædicti Cæsaris Constantini magni imperio, deq; futuro ecclesiæ statu pacis tempore, de Cleri & populi uitijs, ac tandem plagis.

De Constantini imperio:

Nunc bonus, expulsis Romana in regna tyrannis,
Adueniet princeps, sub quo pacabitur orbis,
Et finem accipiet ueterum cultura deorum.
Constantinus apud Thraces, qua Bosphorus æquor
Thracius Euxinis Aegeum ingurgitat undis,
Constituet sedem imperij, Latiumq; relinquet
Christo, & Romuleam septem cum collibus urbem.
Tunc insigne crucis, quondam damnabile, surget
Ex humili in sublime loco: præcedet honore
Romanos fasces, & regia signa, coronas.
Tunc inter superos una lætabimur ambo,
Istaq; ab excelsa mundi speculabimur arce.

De ecclesiæ damnis post pacem:

Hac tamen, ô Blasi, de tempestate quietis
Pacificæ, clades heu deploranda sequetur:
Et graue manabit dulci de melle uenenum.
Vox est blanda, quies: pax, delectabile nomen.
Plura tamen de pace fluent opprobria, damna,
Dedecora, ærumnæ, quàm de crudelibus armis.
Degenerabit enim uirtus antiqua, uoluptas
Inter opes & delicias delumbia reddet
Corpora, & amittet mens eneruata uigorem.
O studia, ô mores, ô tempora sordida. cerno
Oblitos Christum populos, incredula corda
Conculcare fidem, scelus omne incurrere facto
Agmine certatim, fieriq; animantia bruta,
Et Romam in caulas atq; in magalia uersam.

De plagis quæ sequentur:

Cœlicolæ, in gentes malè tunc animabimur illas,
Atq; sua superi quando impia secula cernent,
Destituent ope terrigenas caua tartara olentes.
Irascente Deo, coitum mala sidera in unum
Conuenient, tristes in humum iaculantia flammas.
Atq; uiam cœlum inueniet, qua conterat illud
Infidum, crudumq; genus. Soluentur ab Arcto
Terribiles hominum uultus, animiq; feroces
Sauromatæ, sine diuina sine lege humana
Viuentes, Hunni, Alani, Turci, atq; Agathyrsi.
Adde, quòd inter se Christi intestina, nepotes
Mutua more canum rabidorum in uulnera uersi,
Bella gerent: Græcis Itali, Gallis Alemani,
Certabunt odijs plusquam capitalibus, utq;
Se extirpent, parcent Turcis, parcent Agarenis.

SECVNDA ROM. EPISCOPORVM CLASSIS, à Syluestro ad Bonifacium tertium, in qua mitrati pontifices erant, canonibus ac decretis suis Antichristo magno sedem parantes.

PONTIFICES, VEL ARCHIEPISCOPI ROMANI.

1. Marcus Romanus, Hostiensem episcopum, qui Rom. Pontificem præ cæteris cõsecraret, pallio donauit: & symbolum Nicænum, in diebus Dominicis post lectum Euangelium, à clero et populo decantari præcepit. Templa construxit, ac uarijs donis ornauit: & anno Domini 335 confessor demum obijt.

2. Iulius primus, Romanus, constituit, ne sacerdos alibi quàm apud ecclesiasticum iudicem, causam diceret: & Orientales episcopos reprehendit, quòd sine sua authoritate concilia celebrassent. Cœmiteria fieri fecit, atq; in pace tandem anno Domini 351 confessor mortuus est.

3. Liberius Romanus, ambitionis gratia in Arrianam hæresim, Hieronymo teste, prolapsus, à fidei integritate recessit, & dictis Arrianis subscripsit. Qui anno Domini 366 moritur, & ille confessor.

4. Fœlix secundus, Romanus, pulso Liberio, ab Arrianis præficiebatur, sperantibus quòd cum illis in doctrina sentiret. Qui secundo sui pontificatus anno, Liberio iterum restituto, sede sua depellitur: & anno Domini 359, cum quibusdam presbyteris in quodam tumultu occiditur. Hic, teste Isidoro, leges pro cleri defensione composuit.

5. Damasus Hispanus in quadam contentione pontifex factus, & de adulterio uehementer accusatus, Liberij facta damnauit, templa construxit ac muneribus ornauit, fundos & balnea clero dedit, cultus peregrinos auxit, Missæ confeßionem addidit, Psalmorum cantiones instituit, & Hieronymi translationem approbauit. Ambitio enim pontificum animos impensius tunc subire cœpit. Postea Damasus, diligens temporum supputator, uitas et statuta suorum prædecessorũ Rom. pontificum, quamuis non sine apertißimis mendacijs, succinctè digeßit: atq; anno Domini 384, cõfessor in pace quieuit.

6. Syricius Romanus, multa constituens, bigamos à Missæ ministerijs submouit: & monachos primus ad ordines, ob cœlibatus fucum, admisit, qui prius nec inter clericos habebantur. Antiphonas psalmis admiscuit, Missæ memorias adiunxit, ordines per interualla dandos sanciuit: & anno Domini 399, confessor occubuit.

7. Anastasius Romanus, ordinauit, ut stantes, & non sedentes, Euangelij lectionem audirent. Mancos uerò, debiles & morbosos, à ministerio reiecit: atq; in pace confessor, anno Domini 404, cum patribus obdormiuit.

8. Innocentius Albanus, sedem Romanam omnibus alijs prætulit, ac nullius iudicio subiectam esse censuit. Sabbati ieiunium fidelibus indixit, ut Christum eo ipso die tumulatum, cum Magdalena dolerent. Vt pax in Missa daretur, ordinauit: ac templum semel consecratum (res magni momenti) non amplius esse consecrandum, decreuit. De Iudæis, paganis & monachis, regulas quasdam tulit, et ex infirmorũ unctione sacramentũ fecit: interq; mortuos confessores anno Domini 416 numeratur.

9. Sozimus Græcus, constituit ut cereus sabbato sancto benediceretur: & ut in celebrationibus, diaconi læuas lynostimis tectas haberent. Vetuit etiam, ut clerici in publico biberent, aut tabernas fouerent, ac ne serui in clerum reciperentur. Et anno Domini 420, rebus humanis confessor excesit.

10. Bonifacius Romanus, sacerdotis Iucundi filius, in magna cleri seditione electus, ualde necessarias (si dijs placet) constitutiones fecit: scilicet, ne mulier, quamuis uelata monacha, altaris pallam aut uasa attingat sacra, neq; incensum adoleat, nec ante tricesimum ætatis annum sacerdos quisquam ordinetur. Hic anno Domini 426, post institutas sanctorum uigilias, confessor occubuit.

11. Cœlestinus Campanus, introitum, graduale, responsorium, tractum & offertorium, ut propria inuenta, papisticæ Missæ inseruit: atq; ut sacerdotes pontificum canones scirent, arctè præcepit. Germanũ in Brytanniam, Palladiũ in Scotiam, et Patriciũ cum quodã Segetio in Hyberniã, ut Pelagianas hæreses extirparent, episcopos misit. Obijtq; anno Christi 435, confessorũ numero ascriptus.

12. Sixtus tertius, Romanus, ecclesiarum ditator nominatus, ecclesiam Mariæ maioris post miraculum niuis extruxit, ac magnis muneribus ditauit, argentoq; & auro basilicas decorauit. Eudoxiæ mulieris adhortationibus, Petri catenas consecrauit, & eisdem annuale festum fieri confirmauit. Obijt confessor anno Domini 440, in urbe sepultus. De templo Mantuanus:

Hoc Mariæ templum dixit maioris, & ipso
In frontispicio templi niuis albicat imber.

Et de catenarum festo:

Sic quoq; decretum est, Petro debere calendas
Esse sacras posthac, & dici, Ad uincula, festum.

Non incommodum duxi, adijcere hoc loco Ioannis Sleidani uerba, ex secundo libro de quatuor imperijs: Tunc primum (inquit) episcopi Romani cœperunt esse in tuto: nam hucusq; pleriq; omnes fuerant affecti supplicijs. Numerantur autem inde à Petro, quem ipsi primum fuisse uolunt, ad hoc usque tempus, triginta tres. Horum decreta sunt in libris inserta Conciliorũ: sed ex his pleraq; tam sunt leuicula, tam nugatoria, tam aliena prorsus à sacris literis, ut credibile sit, ab alijs longo post tempore fuisse conficta. Sin autem uera sunt, & ab illis emanarunt, tunc sanè, quod uaticinando Paulus dicebat, filium illum perditum hominemq; peccati iam tum operari cœpisse mysterium iniquitatis, rectissimè uidetur hanc etiam ad partem accõmodari posse. Anacleto, qui ponitur quartus à Petro, tribuitur & extat decretum, quo statuit ecclesiam Romanam esse mandato & institutione Christi, caput aliarum ecclesiarum: alteri post eum Alexandro, decretum ascribitur, quo mandat, ut aqua cum sale consecretur, ad expurgandum populum, & amoliendum insidias diaboli. Quæso, quantum ista differunt ab Apostolorum illa maiestate? quantum autem à Ioannis Euangelistæ scriptis, qui propè ad hoc usq; tempus ætatem produxit? hæc duo posui solum, ut de reliquis iudicium fieri posit. Nam ferè sunt eius generis, & ambitionem apertè præ se ferunt. Et ut sermo est illotus, ita quoq; res ipsa nihil habet salis, quem in ecclesiæ ministris Paulus requirit. Huc etiam pertinet illud Constantini Cæsaris edictum, quod suis libris inseruerunt, ipsorum potentiæ uidelicet fundamentum atq; robur, &c.

KEBIVS CORINIVS. XXXVII.

Kebius Corinius, Brytannus, Salomonis Cornubiæ ducis filius, uirtute & ingenio præclarus, maiori literarum, ut tunc erant, quàm paternarum opum studio tenebatur. Sed quoniam rariusculum est (ut Lelandus habet) uidere prophetam inter suos habitantẽ, reputari, censeri, aut in precio haberi, foris apud exteros ingenij periculum facere omnino constituit. Galliam ergo petijt, & Pictonum inuisit urbem, numero doctorum uirorum celeberrimam: cui tunc præfuit Hilarius pontifex sanctus, theologorum planè decus eximium. Kebius hinc anchoram altius figendam existimans, gratiam eius antistitis modis omnibus sibi cõparare satagebat. Tandemq; quod uoluit, maximè impetrauit: illius nempe familiaritatem ac beneuolentiam. Non ut ab eo Episcopus in Monam insulam designaretur, ut idem Lelandus habet: quoniam à populi suffragijs põtificum electio tunc pendebat, non ab extraneæ gentis antistite. Venedotas ergo & Monadas, gentes Cambriæ uersus Boream, patrię redditus, exemplis & sana informauit doctrina. Scripsisse fertur,

Ad Hilarium Pictauiensem, Epist. plures.

Et alia. Claruit anno Salutis humanæ 380. & apud illum, sicut & apud alios in Ecclesia multos, concordiæ studium tunc erat. Pastores adhuc (inquit Georgius Maior) fuerunt Brytannorum episcopi, nõ quæstores, non prouinciarum compilatores.

PELAGIVS CAMBRIVS. XXXVIII.

Pelagius Cambrius, ex ea Brytannię parte oriundus, hæresiarches, famati illius collegij Bannochorensis, ab altera Legionum urbe (nunc Cestria)

stria) non procul, præpositus erat : in quo Christianorum philosophorum duo millia ac centum, ad plebis in Christo commoditatem, militabāt, manuum suarum laboribus, iuxta Pauli doctrinam uictitantes. Post quamplures exhibitos pro Christiana republica labores, uir eruditione insignis, & tum Græcè tum Latinè peritus: ut Tertulianus alter, quorundam clericorum lacessitus iniurijs, grauatim tulit, ac tandem à fide defecit. Peragratis igitur deinceps Gallijs, in Aegyptum & Syriam, aliasq; Orientis regiones demum peruenit. Vbi ex earum partiū monacho præsul ordinatus, sui nominis hæresim fabricabat: asserens, hominem sine peccato nasci, ac solo uoluntatis imperio, sine gratia, saluari posse: ut ita nefarius baptismū ac fidem tolleret. Cum his & consimilibus impostricis doctrinæ fecibus in patriam suam reuersus, omnem illam regionem, Iuliano & Cœlestino pseudoepiscopis fautoribus, conspurcabat. Ante Pelagium non nouit Brytannia monachismum superstitiosum, neq; Christi gratiæ per confictas allegorias anteferre iusticiam operum. Ex illo enim hæc pestis primùm uenit, ut ex arbore mala fructus iniquus. Veruntamen ante conditas has hæreses, studia tractabat honestissima, ut post Gennadium, Bedam, & Honorium alij ferunt authores: composuitq; ad Christianam utilitatem,

De fide trinitatis,	Lib. 3.
Expositiones in Paulum,	Lib. 14.
De uigore epistolarum eiusdem,	Lib. 1. *Primùm quæritur, &c.*
De moribus clericorum,	Lib. 1.
Pro uita actuali,	Lib. 1.
Eulogiarium ex scripturis,	Lib. 1.
Ad Bonifacium comitem,	Lib. 2.
Ad Albinam & Melaniam,	Lib. 1.
Epistolas ad diuersos,	Lib. 1.
De liberi arbitrij uigore,	Lib. 1.

At postquam est hæreticus publicatus, multo plura edidit hæresi succurrentia, & ex diametro cum uera pietate pugnantia. Vnde erat à suis Brytannis in exilium pulsus: ut in epistola ad Martinum quintū Valdenus habet. Claruit anno post Christum incarnatum 390, sub Maximo Brytannorū rege: cōdemnatus tandem per Episcopos, in Ephesino, Carthaginēsi, & Mileuitano concilijs. Qui tamen in papismo errores in hodiernum usq; diem defenduntur.

APPENDIX.

Aduersus hunc & eius errores pestilentissimos scripserunt Augustinus, Cyrillus, Hieronymus, Orosius, Innocentius, Gennadius, & ultimo apud Anglos Thomas Braduuardinus. Terribilia hoc tempore portenta in aere uisa sunt, præcipuè columna pendens & ardens per triginta dies, quod aliqui interpretantur Pelagium significare. Ante aliquot uerò annos, ex Nicæna synodo Brytānorum ecclesiæ, anno scilicet Domini 338, fidei symbolum contra Arrhianos acceperunt. Inde est, quòd Basilius, Chrysostomus, & alij Græcorum doctores, tam crebrò scripserint, insulas Brytannicas, extra mare suum positas, & in ipso Oceano sitas, uirtutem sensisse diuini uerbi, atq; ecclesias habere perfectè institutas. Vide Chrysostomum ipsum in demonstratione aduersus gentiles. Ex eius tamen synodi statutis lectum Iesabeli (malignanti ecclesiæ) ut ingenuè fornicetur, prælati parabant, Apoc. 2.

VRSVLA CORNVBIA. XXXIX.

VRsula Cornubia, genere Brytanna (sunt qui Cynosuram cognominent) Christiani principis Dionoti Cornubiensium ducis filia florentissima, liberaliter instituta bonis artibus, se Musis non renitētibus commi

ſcuit. Ingenium habebat fœlix, ac ſerijs negotijs accommodum hæc inclyta & laudabilis pudicitiæ fœmina, ut pleriq; propalant Chronicorum fabricatores. Magnopere nihilominus diſſentit unus ab altero, exteri ab intraneis & domeſticis, in rerum illius geſtarum enarratione. Non enim ſinunt præſtigioſi ſophiſtæ, apud proprios & oculatos ſcriptores, hiſtoriæ manere ueritatem: ſed omnia pro ſuo uentre, ac fœdiſsimo illo eorũ cœlibatu (qui tot prodigioſarum uenerum & execrabilium libidinum peperit mõſtra) mendacijs impudentiſsimis cõmaculant. Affirmant authores Brytannici, quòd poſt ſubactas à Maximo eorũ rege, Romanoq; Cæſare, Armoricas terras (minorem Brytanniam nunc uocant) Gallicarum mulierum aſpernati connubia Brytanni, uxores ex ſua petebãt natione. Quo factum eſt, ut frequẽs mulierũ numerus illuc ex inſula nauigare ſtatuerit: & inter illas Vrſula, Conani eorum ducis chariſsima cõiunx deſignata. Quæ cum 11 utriuſq; ſexus millibus, ui tempeſtatis perijt: cæteris ad litus à cõtrariarum factionum tyrannis interemptis. Vnde ergo nunc hauriunt mendaciorum magiſtri, & immundiſsimi Papæ Gomorriones, ſuperſtitioſam tot uirginum ſqualidarum ad Romam uſq; peregrinationẽ per Rhenum? Aut quibus collectoribus iam gaudet Agrippina Colonia earũ oſsibus, ex Ponti ſeu furentis Oceani fundo tranſportatis? Qui iſta ingenioſe commentãtur, etiam addunt, quòd ſcripſerit,

De arcanis uiſionibus, *Lib. 1.*
Documenta fidei, *Lib. 1.*

Epiſtolas quoq; tam ad doctores Græcos quàm Latinos, ut forent prædictæ peregrinationis ſocij. Quod ſi uerum ſit, poteritis & uos pro uero celebrare. Claruit Vrſula anno in carnẽ uenientis Meſsiæ 390, Gratiano apud Brytannos regnante. Ac paulo pòſt, naufragium paſſa, & à Barbaris iugulata, interijt.

APPENDIX.

Admirarer ſanè his diebus tam ſtolidè delirare in Chronicis Boethium Scotum, et in Hagiologio Vuicelium, potiſsimum in tanta lucis plenitudine, foreq; tam cæcos (quorum primus monialem facit Vrſulam, alter Romanarum peregrinarum ductricem per Rhenum:) niſi ſcirem, illud hominum genus ad impoſturas & mendacia natum. Maximus in Brytannia factus Imperator, bonus princeps erat, ſed deprauatus cõſilio ſacerdotum: Sulpitius Seuerus in uita D. Martini. Nam illis inſtigantibus, anno Domini 384, contra Arrianos nihil efficiebat.

APPENDIX ALIA.

Exortæ quædam ſuperſtitiones, ſunt hac tempeſtate à pijs in Eccleſia doctoribus fortiter impugnatæ, ac uera Chriſti religio uiriliter defenſa. Lactantius Firmianus dicebat, imagines in templis eſſe cacodæmonum inuentum: deq; uero Dei cultu atq; æterno Chriſti ſacerdotio eruditè diſputabat. Spiridion Cypriorum epiſcopus, domi uxorem ac liberos habuit: qui in quadrageſima, aduenienti hoſpiti porcinas carnes apponi iuſsit, dicens, eſſe omnia pura puris. Epiphanius uehementer improbabat imagines: Collyridianosq; hæreſeos damnabat, quòd Mariam Chriſtiparam adoraſſent: uetans quenquam adorari, præter ipſum unicum Deum, in ſpiritu ac ueritate. Vigilantius oppugnauit diuorum cultum, reliquiarum ac ſimulacrorum uenerationes, & ſacrificulorum ſui temporis cœlibatum, quum ille tamen cœlebs eſſet: diciturq; habuiſſe multos Epiſcopos tunc ſibi conſentientes. Paphnutius etiam, uir pietate inſignis ac cœlebs, contra eos qui in Nicæna ſynodo epiſcopos & ſacerdotes uxorum uſu priuare nitebantur, Scripturis probabat, concubitũ cum propria coniuge, caſtitatem eſſe: ne Satan cœlibatus fuco Sodomiſmum in Eccleſias inueheret. Multi præterea in ipſo clero tunc erant, qui libidinis impatientia ſeipſos caſtrabant: quos ea tamen ſynodus, ad ſacerdotium non eſſe admittendos decreuit. Reſtitutus Brytannus, Londinenſis archiepiſcopus uxoratus, & Hilario Pictauienſi

uiensi episcopo pariter coniugato notus, Arelatensem in Gallijs synodum adijt religionis gratia, anno Domini 350. In qua liberis diaconorum coniugijs, etiam post susceptos, ut tunc erant, ordines, cũ cæteris & ipse consensit, eaq; statutis legibus pacificauit. Antonius Eremita, quibusdam monachis, piæ uitæ regulam petentibus, Euangeliorum codicem obtulit, dicens, illum omnia ad salutem necessaria cõtinere. Hilarius Pictauiensis episcopus in libro contra Auxentium Arrianum, conqueritur formam ueræ ecclesiæ deperditã esse. Et cum Liberio Rom. pontifice, anno Do. 362, in Ariminensi synodo durißimè concertabat, quòd Arrianis consensisset, ut Oxonienses atq; Pragenses in quibusdam epistolis ad Parisienses testantur. Habuit hic Hilarius etiam in episcopatu uxorem et proles, ut docet Baptista Mantuanus in primo Fastorum libro, eum sic alloquens:

Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor,
Legitimo coniuncta thoro. Non horruit illa
Tempestate Deus thalamos, cunabula, tædas.
Sola erat in precio, quæ nunc incognita, uirtus
Sordet, & attrito uiuit cum plebe cucullo. Et cæt.

Anno Domini 394, Nectarius episcopus Constantinopolitanus, confeßionem abrogabat, ob diaconi fornicationem, communicantes proprijs conscientijs relinquens. Vnde Hieronymus ad Eustochium: Sunt (inquit) de hominibus mei ordinis, qui ideo presbyteratum & diaconatum ambiunt, ut licentius mulieres uideant. Et his est omnis cura de uestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non uacillet, crines calamistri uestigio rotentur, digiti annulis radient, &c.

SYLVIVS BONVS. XL.

SYluius Bonus, genere Brytannus, rhetor ac poeta Latinus, ita literarũ studijs & rerum cognitione excellere uidebatur, ut nomen inde merito eximium comparauerit. Hic magno ingenio & dicendi copia præditus, principum filios probè primùm instituit, postea arcanis eorum consilijs interfuit. In Gallias tandem cum Maximo Brytannorum rege unà transfretauit, unaq; adfuit, quum totam latè Armoricam Cęsar in suam redigeret ditionem, ac Gratianum tyrannum uita & regno priuaret. Eo tempore prosa & carmine nonnulla scripserat Decius Ausonius Burdegalensis, poeta insignis. A' quo uirulẽtis distichis impetebatur tunc Syluius, quòd eius carmina non omnibus numeris probasset. Degenerauerat enim aliquantulum ea ætas à solita Latinæ linguę puritate, quòd oculatè aduertit in Decio Syluius. Nam aliquanto prius Christianis à Iuliano Cæsare interdicta erant bonarum literarum studia, ut Eutropius habet. Ex hoc ergo, & Gratiani eius olim discipuli interitu, ingens odium cõcepit Ausonius: arreptoq; mox calamo, tam in eum quàm in gentem Brytannicã, rigida & aculeata epigrammata edidit. Inter ocia literaria cecinit Syluius,

Maximi Cæsaris laudes, Lib. 1.
Inuectiuas in Ausonium, Lib. 1.
Poemata diuersi generis, Lib. 1.
De bellis Armoricanis, Lib. 1.

Epistolas et alia. Sed eius opera, partim uetustate longa, partim Saxonum & Dacorum uiolenta manu sunt absumpta: Papistis nihil pręter sententiarios & summarios, aut his similes feces, curãtibus. Claruit Syluius anno Christi 410, quo Brytanni libertatem cum Imperio amiserunt.

FASTIDIVS PRISCVS. XLI.

FAstidius Priscus, apud Brytannos natus, & Christianis moribus instructus, à iuuentute cœpit mansuetioribus incumbere studijs. Et præter id quod in scientijs humanis habebat, in scripturis exponendis sincera facilitate resplenduit. Non infimæ sortis Episcopus apud suos effectus (Londinensis,

nensis, ut fertur, metropolites erat) per uniuersam Brytanniam Christi Euangelium, uir dicendi maiestate clarissimus prædicabat. Abunde ei suppetebant, cum perbenigno ingenio excellens memoria, morum integritas, & uita incorrupta: quibus cumulatissime cæteros suæ gentis præcedebat uerbi præcones, ut ad suos etiã mortuus, de rebus diuinis loqueretur. Opuscula reliquit Christiana suauitate referta, præcipue ad Fatalem quendam,

De uita Christiana, Lib.1.
De doctrina spiritus, Lib.1.
De uiduitate seruanda, Lib.1.
Admonitiones pias, Lib.1.

Et alia nonnulla. Claruit modestissimus homo, sub Honorio & Theodosio Imperatoribus Romanis, humanæ Salutis anno 420, corruente apud Brytannos ex quotidianis dissidijs Republica. Eius nõ prætereũt nomen & famam, Gennadius, Honorius, Tritemius, Bergomas, Lelandus.

APPENDIX.

Syricius, Romanus pontifex, primus (ut dictum est) erat qui occidentalium ecclesiarum ministris coniugio interdixit: quod & Antichristo peculiare esse futurum, Paulus prædixit, 1. Timoth. 4. Mulieres enim à clericis, matrimonium à diaconis, & ordines à digamis exclusit. Etiam hic primus monachos ad ecclesiastica munera, usq; ad episcopatus fastigium, in Rom. diœcesi prouexit, qui nuptias illic contemnere cœperunt: Antichristi ac diaboli instrumenta futura ad omnem nequitiã, et carnis turpitudinem. At doctrinam illi contrariam paulo pòst ministrauit eius successor Innocentius primus, ut in Illyrici Catalogo claret: dicens non esse crimen, quòd Deus in Paradiso parauit. Sub hoc Syricio celebrata simul fuerant concilium Valentinum & Taurinense, circa annum Domini 389. in quibus Hispanorum & Gallorum sacerdotibus coniugia primùm denegata erant, ut Isidorus refert in Opere conciliorum. Sed in Toletana synodo, anno Christi 398, iterum erãt restituta, ut idem Isidorus habet. Et in ea synodo sacerdotes Hispani suum coniugium, ac liberorum sub eo procreationem, sacris utriusq; Testamenti scripturis defenderunt, contra eundem Syricium. Qui, impudens bestia, atq; indoctissimus asinus, sectatores libidinum (ut nunc Gardinerus, ac suus in Anglia Martinus, eo adhuc stupidiores, hircisq; lasciuiores) illos esse dicebat, & in carne Deo placere non posse. Ac si præceptum ab ipso Deo matrimonium, sit caro: quum id honorabile, ac thorum eius immaculatum esse, Paulus affirmet. Agapetini etiam monachi quidam illis temporibus erant, in utroq; sexu cœlibatum simulantes: qui (ut nunc in Papismo) magis cautè quàm castè uiuebant. Contra istos Hieronymus scripsit, non obscuris coloribus illorum spiritualium nebulonum impurissimam hypocrisim depingens: & inter hæreticos tunc meritò sunt connumerati. Sed clericis id scriptum tam uehementer displicuit, ut Romæ, teste etiam ipso authore, dilaceratum sit.

In præfatione Didymi, idem Hieronymus Romanam ecclesiam, Babylonem, purpuratam meretricem, ollam à facie Aquilonis, Romuli casam, & locum qui genuit fratris parricidam Cainum, uocat. Fuitq; in tanto apud Romanos odio & periculo, ut inde in Syriacas solitudines tandem fugere coactus sit: ubi monachus, liberè tamen & sua sponte, uixit: nullo uoto (ut nunc nostri Papicolæ) nulliusq; religionis sacramento obstrictus, præterquam Christianæ. De Hieronymo autem sic habet Baptista Mantuanus in 9. Fastorum libro:

Insidias tibi liuor edax mira arte tetendit.
Nam tua subducens furtim tibi pallia noctu,
Supposuit muliebrem habitum: quem cantica surgens
Ad diuina, priusquam lux albesceret (heu sors
Inuida uirtuti semper, temeraria semper)
Induis, & sacras tendis sine lumine ad aras,
Sic tua tam florens probitas inhonora remansit.
Hanc Deus indignam uoluit te incurrere fraudem,

Vt mala corruptæ fugeres consortia gentis,
Et fieres uiuens cœli de ciuibus unus.

De Ioanne Chrysostomo similia quoq; referuntur in eodem Mantuani libro:

At cum sacrificæ peccata infamia turbæ
Argueret, uisus mordax, onerosus & asper:
Propterea cleri insidias & plurima passus
Bella, etiam regale odium contraxit, & iram.

Concitauit in se odia perditorũ Hieronymus. Oderũt eum hæretici, quia eos impugnare nõ desijt. Oderunt eum clerici, quia uitas eorum & crimina insectabatur acerbè. In libro enim de Norma uiuendi, inquit: Nulla tam crudelis in mundo bestia est, quemadmodum clericus uel sacerdos malus. nam corrigi non patitur, nec ueritatem audire potest. Et ut ad prædicta reuertar, Antonius etiam liberè eremum incoluit, liberè cœlebs uixit: atq; docuit, nihil prorsus esse tentandum, quod authoritatem scripturæ non haberet. Ioannes Hierosolymorum archiepiscopus 44, cui tanquam metropolitano Hieronymus parebat, in libro suo ad Caprasium, de Institutione primorum monachorum, testatur nuptias etiam monachis ipsis fuisse liberas anno Domini 412. in quo eundem librum Græcè scripsit, ut habet Philippus Ribotus, lib. 1. cap. 7. de peculiaribus Carmelitarum gestis.

A tempore prædicti Syricij pontificis, Rom. ecclesia uirginitatis gratiam amisit, ut indicat Vincentius in Speculo historiali, lib. 20. cap. 41. Et iuxta Sigebertum, anno Domini 393, terribile in cœlo signum igneæ columnæ cadentis apparuit: illi correspondens stellæ, quæ de cœlo cecidit, cui & data est clauis abyßi, Apoc. 9. Quod signum designabat, in foribus esse Papatum: qui relicta cœlesti doctrina, traditionum, seu humanorum operum doctrinam, emißis locustis inuexit, & cum Pelagio ad Christianorum perniciem administrauit. His temporibus, circa annum Domini 410, Vigilius Tridentinus, præsul uxoratus, ob impugnatam idololatriam lapidibus obruebatur, ætatis suæ anno quadragesimo. Hic in primo libro suo contra Eutychen, sic scripsit: Dei filius secundum humanitatem suam receßit à nobis, secundum diuinitatem nobiscum est usq; ad cõsummationẽ seculi. Et sequitur: Quos reliquit, & à quibus disceßit humanitate sua, non reliquit, nec deseruit diuinitate sua. Per formam enim serui, quam abstulit à nobis in cœlum, absens est à nobis. Per formam Dei, qua non recedit à nobis, in terris præsens est nobis. Tamen & præsens & absens, ipse unus idemq; est nobis. Eandem doctrinam etiam habet in libro quarto. Quæ doctrina papistis aduersatur, qui missantes, Christũ quinque uerbis impanant. Miraculis his diebus (inquit Capgrauus) laborabat hypocrisis: non tamen potuit adulterium occultare, quod tunc pro summa sanctitate coluerat. Nam dum sacra litaret episcopus cœlebs in Mona insula, Bronus uel Bruno nomine, Brigida mulier sancta in eius calice (nota transsubstantiationem) hirci umbratici deforme prodigium uidit. Quod ex eius fornicatione ac matrimonij sacerdotalis contemptu, circa annum Domini 510 prouenisse, dictus Capgrauus interpretatur. Sacrificium certè erat tam sancto cœlibe dignum, ut & in extremo die cum sui similibus, iudice Christo, Matth. 25. inter hircos locum habeat.

RVFINVS FLORIDVS. XLII.

RVfinus Floridus, poeta Brytannus, illustris uir, genere, ac uaria rerum eruditione pollens, ex illis Brytannis unus erat, qui cum Cæsare Maximo in Armoricam classe traiecit. Post cõparatas multo sudore scientias, Theodosius illum præ alijs, Arcadio filio adhuc iuueni, tutorem constituit. Is Arcadius, post patris mortem Cæsar, auxiliaribus Gothis consueta donaria subtrahens, fastidium ipsis ingessit. Qui ne pace longa eneruarentur, regem Alaricum deligũt. & illum Rufinus missis clàm muneribus euocabat, ut Arcadium Imperio priuaret, ac suo capiti diadema imponeret. Sed proditione comperta, Rufinus Constantinopoli à militibus Italicis, medio conatu occidebatur, uxore in exilium missa. Hic ille Rufinus erat, quem Claudianus poeta duobus libris insectatus est acerbißimè. Vnde cõtra eundem Claudianum hic scripsit,

Epigrammata 28, Lib.1.
Ad Theodosium Imperatorem, Lib.1.
De oris maritimis, Lib.1.

Et alia his similia plura. Claruit anno à Christianę fœlicitatis exordio 414, quũ Roma à Gothis capta esset. Huius rei plenior ac prolixior narratio, ex Ioanne Cuspiniano in Cæsarum uitis petenda est.

NINIANVS VENEDOTA. XLIII.

NInianus Venedota ex regio Brytannorum sanguine procreatus, Italiam adhuc adolescẽs, pertrãsitis Alpibus, literarum desiderio petijt. Romæ apud diuini uerbi ministros mysteria ueritatis ad plenum edoctus, celer in patriam remigrabat: ubi magister & pædonomus nõ uulgaris, concreditum à Deo talentũ, per Brytannorum, Scotorum, australiumq; Pictorum terras, ad senium usq; non indigus dator, latissimè profudit. Vir erat in sacrarum scripturarum lectione assiduus: in orphanos, uiduas & pauperes pius, miraculis ac sanctitate clarissimus, ut in libro 7 locuples testis est post Bedam & Capgrauum, Hector Boethius. Et ne uideretur omnino posterorum immemor, inaffectato, sed utili exarabat stylo,

Psalterij meditationes, Lib.1.
Ex sententijs sanctorum, Lib.1.

Cætera non comparent. Eius pia industria, Picti primùm relicto idololatriæ cultu, ueram Christi fidem perceperunt. Apud quos tandem Galuidiæ in Candida casa pontifex primus obijt, anno Salutis nostræ 432, sub Theodosio iuniore.

APPENDIX.

Socrates Græcus, Ecclesiasticæ author historiæ, circa annum Domini 420 *docuit, sacerdotum coniugium, festa ac ieiunia, res esse prorsus natura sua, & Apostolorum traditione liberas. Mens (inquit) & animus Apostolorũ fuit, non de festis diebus sancire traditiunculas, sed uerum Dei cultum, & piam uitam prædicare. Ioannes Chrysostomus eodem tempore, super epistolam ad Titum, contendit, Euangelium omnia ad salutem necessaria continere, nihilq; ei esse addendum. Et in Homelia quadam inquit: Vis Dei domum ædificare? da fidelibus pauperibus unde uiuant, & ædificasti rationabilem Dei domum, &c. Basilius Magnus ad occidentales episcopos scribens, lugubriter admodum queritur, ueram atq; piam doctrinam ex ecclesijs tolli, ac illis præfici sceleratos & falsos doctores. Augustinus etiam ea ipsa tempestate in epistola ad Ianuarium, tradidit, Christianam religionẽ ita traditionibus humanis ac ritibus onerari, ut Iudæorum conditio facilior fuerit sub lege, quàm Christianorum sub ipso Euangelio. Damnauit tunc Papistas quoq;, in rebus maximis: in peccato originali, libero arbitrio, gratuita iustificatione, fide, ac bonis operibus. Pugnauit etiam peracriter pro authoritate scripturæ sacræ, contra authoritatem humanorum scriptorum & consuetudinum. Nam & Hieronymus ipse, atq; alij quidam illis diebus, plus quàm par erat, proprijs suis scriptis tribui uolebant.*

Circa annum Domini 430, *Celestinus primus,* Rom. *pontifex, etiamsi dominandi ambitione teneretur, non malè tamen in plerisq; & sensit & docuit. Etenim gratiam Christi plurimum defendit contra Pelagium & alios liberi arbitrij assertores: et contra eius temporis monachorum superstitiones non segniter pugnauit: qui potius per literam quàm per spiritum Deo seruiebant. Discernendi (inquit) sumus à uulgo, doctrina, non ueste: conuersatione, non habitu: mentis puritate, non cultu. Nam si studere incipiemus nouitati, traditum nobis à patribus ordinem calcabimus, ut locum uacuum superstitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere. Docendi enim potius sunt, quàm illudẽdi. Polychronius, Hierosolymorum archiepiscopus, prædicti Ioannis successor, Rom. pontificem præuidẽs ad uniuersalis Ecclesiæ primatum aspirare, asseruit Hierosolymorum urbem esse primam Ecclesiæ sedẽ. Illa (inquit) est ciuitas sancta, quam Deus olim elegit. In ea Christus docuit, ibi passus est, ibi resurrexit, ibi Spiritum sanctum discipulis dedit. In ea Ecclesia Christi*

primum

primùm orta est: ibi Iacobus, Petrus & Ioannes, qui fuerunt Ecclesiæ columnæ, docuerunt. Prophetatumq; à patribus fuit, quod de Sion ac Hierusalem, Dei mandatum et doctrina proficisci in uniuersum orbem deberet, &c. Hac re commotus Sixtus tertius, Rom. pontifex, anno Domini 436, Euphemium sacerdotem procurauit, qui de uiolatis per Simoniam canonibus reum ageret: quo erat Valentiniani Cæsaris authoritate in Carthaginensi synodo depositus: postea tamen cognita fraude, restitutus. Exuperius, episcopus Tolosanus, qui impẽsis in pauperes opibus, uitreis calicib. utebatur, obijt anno Christi 437. Angli Brytanniam possidere cœperũt, anno Domini 448. quos ne Constantinus Scotorum rex armis iuuaret, contra Brytannos homines Christianos: Palladius eorum apostolus, Polydoro teste, omnibus precibus dehortatus est. Voadinus, Londinensis archiepiscopus, Hectore Boethio teste, anno Domini 436 occiditur.

PATRICIVS SVCCETVS. XLIIII.

PAtricius Succetus, Magonius, à plerisq; Magnus, ob eximias uirtutes cognominatus: in Brytannia patrẽ habuit nobilissimi generis Calphurnium sacerdotẽ: & ex Pannonia matrem Conchen, diui Martini sororem. Sub pijs præceptorib. regnante Maximo, auunculo Martino primùm, deinde Germano Altisiodorẽsi episcopo, sacras affatim edoctus literas, in Italiam tum demum ac Romam peruenit. Vbi ob ingenuos mores cum insigni eruditione cõiunctos, & quoniam erat de nobilium senatorum progenie, Patricij nomẽ est adeptus. Istum cum Segetio quodam presbytero Cœlestinus pontifex, anno Domini 432 ad Scotos & Hybernos post Palladiũ Græcum misit, ut eos à Pelagianorum tueretur erroribus. At ille incredibili spiritus feruore Euangelium Hibernis prædicans, ad sinceram Christi religionem per multos annos in uinea Domini laborans conuertit, sanctitate et doctrina excellẽs. Vnde inter cęteras, quas fecisse fertur, uirtutes, in cuiusdam mõtis cacumine, ut alter Helias, 40 diebus & noctibus in oratione ieiunauit: Euangeliũ & baculũ à Christo in uisione suscepit, prophana deorum destruxit tẽpla, signa pietatis erexit, ecclesias fundauit, uerbi ministros ordinauit, pauperes fouit, captiuos redemit, infirmos sanauit, obsessos liberauit. 60 mortuos suscitauit, & 12 hominũ millia baptizauit: si uera sunt quæ Vincẽtius, Antoninus, et Capgrauus de ipso prędicãt. Ex multis, quę de incorrupti pectoris thesauro protulit, hæc tantũmodo cõmemorãt authores:

De antiquitate Aualonica,	*Lib.1.*
Itinerarium confeßionis,	*Lib.1.*
Odœporicon Hiberniæ,	*Lib.1.*
Historiam Hiberniæ ex Ruano,	*Lib.1.*
De tribus habitaculis,	*Lib.1. Tria sunt habitacula, cœli.*
De futura electorum uita,	*Lib.1.*
Abiectoria quędam 366.	*Lib.1.*
Sermones quoq;,	*Lib.1.*
Ad Cereticum tyrannum,	*Epist.1.*
Ad Aualonios incolas,	*Epist.1.*
Ad Hibernienses ecclesias,	*Epist. plures.*
Ad suos Brytannos,	*Epist. plures.*

Et alia. Cum gentilium Magis sæpe disputantẽ hunc Hibernorum apostolum, non aliter signis egisse ferunt, quàm olim sub Pharaone Mosen, aut sub Nerone Petrum: multaq; pertulisse incommoda. Prope Dunensem Vltoniensis prouinciæ urbem tandem mortuus, in spelunca sepelitur, anno à Christi natiuitate 458. iuxta Giraldum: 491 uerò iuxta Sigibertum: & ætatis suæ, 122, Aurelio Ambrosio regnante.

APPENDIX.

Ementitum Patricij purgatorium nō isti, sed alteri multo iuniori, monachorum abbati, ascribitur, qui floruit circa annū Domini 850, Glasconiaeq; tandem est sepultus. Primi Patricij tempore, anno Domini 428, Timotheus quidam, eandem de Christi carne haeresim in Brytannia seminabat, quam nunc Anabaptistae in Germania. Et anno Domini 449, Synodus in eadem Brytannia contra Pelagianos celebrabatur, ut habet Matthaeus Vuestmonasteriensis in Florib. historiarum. Brytannorum ecclesia, quae ex Nicaena synodo fidei symbolum contra Arrianos prius acceperat, Hieronymi translationē sacrorum Bibliorum his temporibus assumpsisse creditur. Antea enim Septuaginta interpretes, authoritatem in scripturis omnem apud eos habebant. Anno Domini 450 Hilarius Viennensis claruit, qui solitus erat disputare, Petrum non fuisse Apostolorum principem, neq; Rom. pontificem ullum ius habere in ecclesias Gallicas, aut alias exterarū terrarum prouincias. Cōtra quem Leo primus scripsit ad Galliae episcopos, epistola 77, affectati dominij eum insimulans. Prius contenderat Hieronymus, episcopos omnes paris esse potestatis. Statuarū cultum cum Missae sacrificio primus approbauit hic Leo.

LEPORIVS AGRICOLA. XLV.

LEporius Agricola, Seueri Sulpitij Pelagianorum in Brytannia sacerdotis filius, presbyter et monachus Apostolici ordinis, in magno illo Banchorensi collegio, totius regionis ecclesias prauo eorum dogmate corrupit ac subuertit: ut authores sunt Prosper Aquitanus, Bedas, Ranulphus, & Mattheus Vuestmonasteriēsis. Iste in diuinis scripturis studiosus admodum erat, sed nimium de uitae puritate praesumēs. Meris arbitrij uiribus, seu conatu proprio, absq; Dei gratia, se castè & religiosè in monachatu uiuere dogmatizabat, Pelagianum defendens errorem. Quod per Palladium Grecum audiens Coelestinus pontifex Romanus, Germanū Altisiodorensem ac Lupum Trecasenum, Gallicanos episcopos, illuc misit, ut Brytannos in fide gratiae coelestis solidarent, & impiam atq; hypocriticam humanorum operum doctrinam confutarent. Admonitus igitur Leporius per hos doctores, et ex Aphrica per sanctū Augustinū correptus, ita cesit errori, ut heresim quam prius intentè praedicabat, acriter deinceps impugnare perrexerit. Simulq; Deo gratias agens, fideliter exarauit de sua emendatione, seu

Erroris sui palinodiam, Lib. 1.
De incarnatione Domini, Lib. 1.
De naturis in Christo, Lib. 1.

Et quaedam alia. De hac confessione naturarum Christi insignem facit mentionē Ioannes Casianus lib. 1. de eius incarnatione. Claruit anno Seruatoris Iesu 432 iuxta Prosperum Aquitanū, sub Constantino secūdo Brytannorum rege.

APPENDIX.

Huius pater Seuerus Sulpitius, Aquitanus erat, ac diui Martini uitam edidit. Sed istum in Brytannia genuit ex Brytanna matre, dum Pelagianum illic spargeret dogma. Nam à Caesaris Maximi tempore familiares erant Brytannis Galli: ut in hoc Leporio, Patricio, & similibus apparet. Signum est, quòd diuinum Christi uerbum, sincerè à quibusdam hac aetate praedicabatur, quòd tales emerserint hypocritae, & humanorum operum buccinatores, ac in errore deprehensi fuerint, & per scripturas conuicti. Vltima duo Leporij opuscula, aduersus Timotheum praedictum uidentur edita: qui sub continentiae & religionis imagine Brytannis illudens, docuit (ut nunc Anabaptistarum quidā) diuinam Christi naturam, in uirgine conuersam fuisse in naturam humanam. Anno Domini 410, Romani, iuxta Bedā, in Brytannia regnare cessant, qui à tempore Iulij Caesaris in ea dominiū habuerāt.

BACHIARIVS MACCEVS. XLVI.

BAchiarius Macceus, diui Patricij discipulus, natione Brytannus (alij

Macceum

Macceum uatem appellant) post uaria bonarum artium in Legionensi gymnasio studia, Mathematicis disciplinis ætate iuuenili se totum impēdit. perueniēs demum ad annos prouectiores, per philosophiam Christianam nudus & expeditus Deo uacare disponens, longam peregrinationem pro concepta integritate conseruanda suscepit. Inaudita enim illis diebus tyrannide (ut in historijs docēt Gildas, Galfridus & Bedas) Hunni, Picti & Scoti, Brytannos per Maximum regem attenuatos opprimebant: & ob id aufugisse Bachiarium ex patria suspicabantur quidam. Sed edito tandem libello, Romanæ urbis pontifici Leoni, ut fertur, satisfecit, aduersus querulos suæ peregrinationis infamatores. Seq; demonstrabat non hominum timore, sed Dei sui causa illam suscepisse: ut exiens de terra & cognatione sua, cohæres fieret Abrahæ patriarchæ. Composuit uir eloquentissimus ad Ianuarium de reparatione lapsi, aliàs

De fructu pœnitentiæ,	Lib.1. *Nisi uererer, beatissime frater.*
De fide perseuerante,	Lib.1.
Prognostica natiuitatum,	Lib.1.

Cætera non sunt à Gennadio, Honorio, aut Capgrauo, catalogis inscripta. Vltimum edidit librum, dum iuuenis incumberet Mathesi. Claruit senex anno uirginei partus 460, Vortigerio in Brytannia regnante. Hunc alij Bacciarium, alij Bachianum uocant.

DE ROMANIS ARCHIEPISCOPIS, Appendix.

13. *Leo primus, Thuscus, in canone Missæ, Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam, et Hanc igitur oblationem, non sine magna Dei blasphemia addidit. In Cornelij episcopi honorem (idololatra) basilicam erexit, & Apostolorum sepulchris clericos custodes adiunxit. Statuis mortuorum reuerentiā exhibendā decreuit, ac Missæ sacrificiū approbauit. Hic pontifex Leo anno Domini 462 confessor occubuit. Mantuanus:*

At Leo bis denas cum iam regnasset, & unam,
Tandem hyemes, obijt curis oppressus & æuo.

14. *Hilarius Sardus, in extruendis & ornandis templis, uir ualde assiduus erat. Ille crucis Dominicæ lignum, auro ac gemmis adornauit: decreta synodalia fecit, & per uniuersum mundum seruanda publicauit. Ministrum omnem, qui uiduam aut repudiatam, & non uirginem in uxorem duxisset, à sacerdotali officio repellendum curauit: confessorq; anno Domini 469 tum demum ex hac uita migrauit. Eius tempore Mamertus Claudius, episcopus Viennēsis, triduanas ante Ascensionem litanias seu processiones instituit, de quibus Mantuanus in quarto Fastorum libro:*

Vrbs sedet ad Rhodanum, Galli dixere Viennam:
Quæ tulit aduersos casus, pastore Mamerto,
Et longum uexata fuit. Nam fulmine crebro
Arsit, & horrificis terrarum motibus arua
Scissa dehiscebant, rimis penetrantibus usq;
Ad Stygios amnes, ubi sunt Iouis antra profundi.
Adde lupos, qui tartareis agitantibus umbris,
In furias acti, nedum iumenta per agros,
Audebant laniare homines & in urbibus ipsis.
Casibus his perculsi omnes, diuina coacti
Quærere subsidia, & diuos excire precando.
Hinc traxit Litanea ortum: transiuit in omnes
Relligio similis paruo pòst tempore gentes.

15. *Simplicius Tiburtinus, basilicas dedicauit, urbem in quinq; regiones presbyteris diuisit, & sa-*

crificulis hebdomadas aßignauit. Ecclesiarum omnium primam, Romanam declarauit: in Rauennatenses tyrannicè ius usurpauit: ecclesiasticumq; beneficium, ne clericus à laico recognoscat, praecepit. Confessor & ipse anno Domini 484 hunc mundum deseruit.

16. Foelix tertius, Romanus, Foelicis sacerdotis filius, statuit, ut episcopi tantum, non minores sacerdotes, templa dedicarent, festumq; dedicationis eorum approbauit. Agapeti basilicam consecrauit, respõsionis inducias clericis accusatis dari censuit: et anno Domini 494, cõfessor in pace quieuit.

17. Gelasius Apher, episcopi Valerij filius, Manichaeorum codices combußit: hymnos, praefationes, gradualia, collectas, & orationes perscripsit: ab authenticis libris discreuit apocryphos: ac bigamos, suam habentes dispensationem, ad sacerdotium admisit. Clerum auxit, basilicas dedicauit, & clericorũ ordines quater in anno dari praecepit. Precum clausulas, Verè dignum, ac Te igitur, Missae adiecit: tandemq; se ac successores suos à nemine iudicandos asseruit, & anno Domini 497 confessor est defunctus.

18. Anastasius secundus, Romanus, Eutychianis ac Nestorianis fauit, haereticis communicauit, Caesarem excommunicauit: atq; anno Domini 499, dum uentrem exoneraret, ut Volaterranus habet, intestina in latrinam emittens, confessor obijt.

19. Symmachus Sardus, magna cleri discordia creatus est pontifex. Qui statuit, ut uirgines uel uiduae continentiam professae, ulterius non nubant: & ne clericus quisquam cum muliere, nisi sanguine iuncta, habitet. Basilicas multas à fundamentis erexit: Missam in certam formam redegit: in natalicijs mortuorum sanctorum, Gloria in excelsis, cani praecepit: et si Gregorij dialogis adhibenda sit fides, Paschasij diaconi animam pertinacem, purgatorio post mortem deputauit. Anno autem Domini 514, confessor & iste à mundo demigrauit.

20. Hormisda Campanus, clerum composuit, psalmos alternatim cantari ordinauit, conciliorum decreta seruanda proposuit, ad templorum ornatum pluraq; cõtulit, trabem argenteam mille & 40 librarum in D. Petri templo reliquit: & ne altaria sine praesulis assensu erigerentur, mandauit. Nuptijs publicis caeremonias addidit. ac Caesarem Anastasium excommunicauit, quia dicebat, Imperatoris proprium esse imperare, non imperata Pontificis accipere: tantum tunc ualuit Antichristi spiritus. Ex archiepiscopo, ut author est Isidorus, patriarcham Romanum Iustinus Imperator hunc fecit, qui anno Domini 523 confessor in fata conceßit.

Hucusq; à Syluestro per ducentos annos, archiepiscopi fuerunt, ab anno scilicet Domini 320, usq; ad annum 520, in quo primum à Caesare Iustino, ut dictum est, effecti sunt patriarchae. Atq; eo diligentius haec retuli, ut sciret industrius lector, quibus gradibus Pontifices Romani ad ipsum peruenerint Papatum: & quibus artibus diabolus in ipsis sit usus, antequam magnus ille Antichristus aduenerit, & ad plenum reueletur.

Pontifices, uel patriarchae Romani:

21. Ioannes primus, Thuscus, quem Theodoricus Italiae rex, ad Iustinum Caesarem, cum quibusdam alijs suum oratorem misit (subiecti principibus tunc erant) dignißimus omnium huius posterioris classis pontifex, patientia immeritae mortis, uitae sanctitatem testatus est. Constituit ille, & piè quidem, ut spoliatus quisq; in integrum restitueretur. Sed quòd tria coemiteria restituerit, templa donis locupletauerit, aut altaria auro, argento & gemmis ornauerit, apud Platinam et alios, ne nihil ad Antichristi regnum fecisse uideretur, fabulã esse credo. Extat eius ad episcopos Italiae epistola quaedam consolationis plena, qua monet eos, quanquam praedictus rex Theodoricus, haeresi pollutus Arriana, uastitatem ipsis & toti minitaretur Italiae, ne tamen ab instituto desistant, sed fortiter agãt. Apud Rauennam igitur anno Domini 527, tyrannico iussu dicti Theodorici, paedore, situ & inedia in carcere martyr perijt. De Arrio quidem sic scribit Mantuanus:

Arrius humani generis lethale uenenum,
Legis in excidium natus, fideiq; ruinam,
Polluerat gentes, totumq; infecerat orbem.

22. Foelix quartus, Samius, in cura pastorali uir ualde solicitus: relicto praedicationis officio, Cosmae & Damiani fanum exaedificauit, Saturnini templum restituit, aliaq; mortuorum hominum tem-

pla

pla refecit. Missas in locis consecratis tantum fieri præcepit: clerum à populo in ecclesijs discreuit: patriarcham Constātinopolitanum de hæresi notatum excommunicauit: defunctis sacrificulis successores post biduum dari statuit: & ut morientes ungerentur adiurato oleo, districtius mandauit (pontificalia certè officia) confessorq; anno Domini 530 demum decessit.

23. Bonifacius secundus, Romanus, clericis inter se dissentientibus, non sine acri cōtentione creatus pontifex, canones quosdā edidit: præcipuè uerò, ut tertia die in demortui pōtificis locū, alius surrogaretur, ordinauit. Populum à clero, Felicem secutus, in sacris audiendis diuisit, duplici cautela: ut eos in electione pontificum suis uocibus ac locis tandem priuaret: & ne cuiquam eorum liceret, in ciuili uel criminali causa, episcopum aut clericum ad secularem iudicem uocare. Sed uide quid miseris illis (meo quidem iudicio) ex hac arrogantia euenerit: dum per capita rasa, digitos unctos, & sacella disiuncta, cæteris sanctiores cum ipsis Pharisæis haberi uoluerunt. A' Christi sanguine redemptis fidelibus se separantes, atrium illud ingrediuntur, quod calamo nō metiri, sed eijci forás, Apoc. 11. Dominus iussit. Timendum est ipsis, ne inde fiant hœdi, ab agnis in ultimo examine segregandi, Matth. 25, tanquam ad mysticum Christi corpus impertinentes. Facile est iudicare, quantum isti ab Apostolo Petro discrepent, quem tantopere iactitant: cui fas non erat, Cornelium gentilem, Act. 10, laicum uel profanum statuere. Bonifacius anno Domini 532, confessor decubuit.

24. Ioannes secundus, Romanus, qui alio nomine propter eloquentiam Mercurius, seu Iouis nuncius dicebatur. Huic Iustinianus Cæsar scyphum aureum gemmis ornatum librarum sex, duos argenteos scyphos librarum septem, & calices duos argenteos librarum 15, ex Constantinopoli dono misit, postquam Anthemium patriarchā hæreseos damnasset. Iussitq; idem Imperator, Crantzio teste, suos episcopos eius nomine, cum benedictione amicissimè cōuenire pontificem. De uita confessor anno Domini 534, hic pontifex demigrauit: & iuxta Vuicelium, nihil eximium gessisse dicitur.

25. Agapetus Romanus, presbyteri Cardinalis Gordiani filius, à Theodato Gothorum rege orator missus erat, ad Iustinianum placandum, super crudeli interitu Alamasiunthæ optimæ reginæ, mulierisq; doctissimæ, cuius claras uirtutes magnifaciebat idem Cæsar: qui & eius procurabat pacē, cōsumptis S. Petri thesauris. Constituit ille diebus Dominicis processiones in ecclesijs fieri, ut Papismum augeret. & anno Domini 535, animam confessor edidit.

MAVGANTIVS PHILOSOPHVS. XLVII.

MAugantius philosophus nataliū origine Brytannus, mathematicus ac medicus insignis, nobili olim apud Legionum urbem ducentorū philosophorū gymnasio, quod ad æthera tollit Galfridus, ob eminentē eruditionem præfuit. Non hæc illa erat Cambriæ metropolis, quæ etiam Cairlegion dicebatur: sed ea potius quam nunc Cestriam uocamus, præ cæteris Brytanniæ ciuitatibus, diuitijs & Romanorum fastigiorum ædificijs tunc abundans. In illa enim, ut in amœniori regionis climate, astrologiam & alias artes edocti pleriq;, stellarum cursus diligenter obseruabant, & uentura ex cometis seu crinitis sideribus, ac certis planetarum indicijs prognosticabant hominum fata. Vnde Maugantius, ut cæteris omnibus ea in arte superior, de prodigiosa Ambrosij Merlini cōceptione à Vortigerio rege (cuius archiater erat) interrogatus, post adductas cum historiarum exemplis, philosophorū rationes, dicebat, Lucium Apuleium in libro de deo Socratis testari, dæmones incubos assumptis hominum figuris, cum mulieribus non rarò coire. Inter hæc, à discipulis instigatus, scripsisse perhibetur,

De Magia naturali, Lib. 1.
Apuleiumq; exposuit, Lib. 1.

Aliaq; composuit eius generis non pauca. Claruit Maugantius, homo per eam regionem in omni arte celeberrimus, anno omnium Seruatoris Iesu 470, Vortigerio rege in maximis calamitatibus, ob Anglosaxones, Brytaniam gubernante.

AMBRO-

AMBROSIVS MERLINVS. XLVIII.

AMbrosius Merlinus, Brytannus, in Cambria natus erat, non ex incubo dæmone, ut multi fabulantur: sed ex furtiua Venere cuiusdam Romani cõsulis cum uirgine Vestali, in Maridunensi monacharum cœnobio, ut in Breuiario apud Gildam quartum reperi. Miris illusionibus & mendacijs est hoc indignum facinus auro mediante celatum, ne ueniret in lucem. Porrò in Brytannorũ gente rigida lex erat, si qua puella in patris domo ex scortatione esset grauida, ut de montis uertice mox præcipitaretur, & ut eius corruptor capite plecterẽ. Aliũde igitur per impostores debebat eius adferri conceptio, quàm ex communi hominum officio aut usu, ut facilè deciperent creduli. Sic ex Apuleio Maugantius prædictus, interroganti Vortigerio regi incubos adduxit, ut prodigium fuisse putaret. Quum uerò maturos uenisset ad annos Merlinus, in urbe Legionum studijs diligenter incubuit, & eruditis artibus ac literis operam dedit, Magiæ potissimum naturali. Vnde astrorum tandem peritissimus, futura prædixit multa, quibus sequenti seculo mirabilem se præbuit. Prædixit Brytannis excidium per Saxones, Danos ac Neustrios: & regibus fortunas uarias, ut Vortigerio ignẽ, Aurelio & Vtherio uenena, Arthuro exitum dubium: quæ omnia suis temporibus euenere. Reliquit inter alia eruditionis suæ opuscula, in sermone Brytannico prædictiones,

Super arce Vortigerij,	*Lib.1. Væ rubro draconi, nam eius.*
Epitaphium sexti regis,	*Lib.1. Sextus Hiberniæ mœnia sub.*
Super quodam cometa,	*Lib.1.*
Contra Vortigerij magos,	*Lib.1. Magi regis magica arte sua.*

Et alia plura. Prædictiones circa Vortigerij regis arcem, Galfridus Monumetẽsis prosaicè transtulit in linguam Latinam. Claruit Merlinus anno omnium regis Christi 480, sub sæpe dicto rege Vortigerio: Hengisto cum Anglosaxonibus tyrannizante. Merleburgum condidisse dicitur.

APPENDIX.

Narratur ab historicis, Merlinum istum carminibus magicis dæmones quosdam in colloquium uocasse. Eduxisseq; fertur præstigijs miris ex stagno quodam dormiẽtes dracones, & ex Hibernia Gigantum choream, prodigiosam in agro Sarisburiensi lapidum structuram. Dicũt etiam, quòd suis incantationibus Vtherium regem in Gorloidis Cornubiæ ducis speciem transformauerit, ut Igernæ uxoris potiretur amplexu, & quòd ex eo concubitu nefando Arthurum & Annam genuerit. Sed de his prudentes iudicent. Anno Domini 478, Brytanni, nõnulli solum natiuũ relinquentes, sedem cæperunt Oceano tenus, in Turonibus, Cenomannis & Cyantibus, ac per alia Galliæ Celticæ maritima loca, ut Blondus narrat: in quibus Brytannicum nomen idiomaq; retinuerunt. Prius tamen, scilicet anno Domini 386, Maximus Cæsar terras illas Armoricas ipsis dederat.

GODELBERTVS PRESBYTER. XLIX.

GOdelbertus presbyter, ex aliquorum scriptorum coniecturis, genere Anglosaxonicus fuit: eum nihilominus poetam Brytannicum Lilius Gyraldus in Poetarũ historijs uocat. Hic in diuinis scripturis iugi exercitatione probatus, ac ueterum lectione diues, apud Ioannem Trithemiũ in libro de Scriptoribus Ecclesiæ habetur. Et ne aliquid quod ad eruditionem spectat, illũ quouis modo præteriret, uir erat secularib. literis ornatissimus, theologus profundus, philosophus, rhetor & poeta eximius, ingenio prõptus et eloquio facũdus. Tandẽ uerò edidit heroico metro clarissimũ opus, per schemata & tropos scripturarum, elegãtissimè cum historijs currens, ab initio mundi ad Christi natiuitatẽ usq; porrectũ. Adhibuitq; operi titulum,

Allegoria-

Allegoriarum ſcripturæ, Lib.4.
Homilias & epiſtolas, Lib.1.

Sed & alia plura compoſuit, licet non compareant. Claruit homo pius et doctus, anno à Seruatoris aduentu in carnē 498, regnante apud Brytannos Aurelio Ambroſio, & apud Angloſaxones Oſca poſt Eugiſtum.

GILDAS ALBANIVS. L.

GIldas Albanius, Patricij Magni olim diſcipulus, ex regio Brytannorū ſtemmate clarus, dum optimæ indolis adoleſcens eſſet, potiora ſuę patriæ frequentabat ſtudia. Qui diſciplinis liberalibus affluenter inſtructus, transfretato mari, Gallias pro addiſcenda lingua petijt. Quo expedito negotio, reuerſus eſt in patriā uir apoſtolici ordinis, cum nō exigua bonorum librorum copia. Timebat enim pernicioſam illam Pelagianæ factionis labem. Vnde ad illum mox undique ex omni regionis climate confluebant, quum illis diebus in tota inſula non inueniretur illo modeſtior, doctior, aut ſanctior ullus: & diuerſis ipſos ſcientijs erudiuit. Eremi ſolitaria quærebat loca, in orationibus atq; ieiunijs aſsiduus, & cilicio ad carnem uſus. Tanta in eius uultu, ob abſtinentias crebras (inquit Capgrauus) apparebat macies, ut ſemper febricitans crederetur. Cœleſtia bona in deſiderijs habens, diſcipulos admonebat, peritura ſpernere: aut ſaltem illis nō aliter uti, quàm diuina lex præcipit. Prophetico ſpiritu præditus, & populum & clerum, ſolitudinum cultor, Heliæ exemplo præmonuit, ſuperuenturæ in illos cladis, niſi citiſsimè reſipiſcerent: quod ſuo tempore, ob ſalubris doctrinę contemptum, euenit. Contexuit utroque ſcribendi genere, ut ex uarijs authoribus collegi,

Commentarios Euangeliorum, Lib.4.
De primis habitatoribus inſulæ, Lib.1.
Verſus uaticiniorum, Lib.1. *O' rabiem Brytonum, quos copia diuit.*
De ſexto cognoſcendo, Lib.1. *Ter tria luſtra tenent, quum.*
Super eodem ſexto, Lib.1. *Cambria Carneruan, Anglis.*
Regum Brytannorum hiſtoriam, Lib.1.
De uictoria Aurelij Ambroſij, Lib.1.
Acta Germani & Lupi, Lib.1.

Et alia non pauca. In inſula, non procul à Sabrina flumine, poſt afflictiones uarias, quarto Calendas Februarij, fœlicē uitę exitum eſt ſortitus, anno ſalutiferi partus 512, ſub Vtherio Pendracone Brytannorū rege: delatumq; tandem eſt eius funus ad Glaſcouienſe uirorum apoſtolicorū cœnobium.

APPENDIX.

Iſtum in ſuis hiſtorijs à Gilda Cambrio longè diuerſum faciunt Galfridus et Ponticus, quibus et utriuſq; ætas aptiſsimè conſentit. Direptum imperium Romanum, in uaria his diebus diſtraxerunt regna, Longobardi Italiam, Gothi Hiſpaniam, Franci Gallias, & Angli Brytanniā occupātes: deciditq; penitus eius gloria uſq; ad Carolum Magnum. Prædicti Gildæ uitam ſcripſit Caradocus Laucarbanenſis, hoc addito carmine:

Hiſtoriæ ueteris Gildas luculentus arator,
Hæc retulit paruo carmine plura notans.

APPENDIX ALIA.

Ioannes Tritemius in Compendio hiſtoriarum, ſeu de Origine Francorum, libro primo ſic narrat: Anno Domini 454 terræmotus penè fuerunt aſsidui, & ſigna in cœlo plura ac metuenda ſunt oſtenſa. Nam aduesperaſcente quadam die, cœlum rubens ut ignis ab Aquilone apparuit, intermiſtis per igneum ruborem lineis quibuſdam clarioribus, in haſtarum ſimilitudinem deformatis. Eclipſin luna

na patiebatur, cometes horrendæ magnitudinis apparuit, & alia multa sunt uisa prodigia: quæ non fuisse penitus otiosa, subsequentia mala declarabant, & Scala mundi per quendam Anglum edita. Anno Domini 578, ignis per cœlum discurrere uisus est, qui populis ob infidelitatē & quotidiana scelera, uindictam Dei minabatur. Quæ omnia diuersis temporibus & terris, futurum statim Antichristi in ipso papatu aduentum indicāt, ut operaretur in omni Satanæ seductione, ultimæ iniquitatis mysteriū, 2. Thes. 2. iuxta id quoq; quod scribitur Apoc. 9. Saluianus Maßiliensis presbyter, et ut Gennadius refert, episcoporum sui temporis magister, uir eruditionis ac pietatis nomine clarus: circa annum Domini 480, inter pullulantes errores, contra Papistici cœlibatus assertores, sacerdotum coniugia defendit: ut ex quinto eius libro de Dei prouidentia, apparet. Nouum prorsus (inquit) est conuersionis genus. Licita non faciunt, illicita committunt. Temperant à coniugio, & non temperant à rapina. Quid agis stulta persuasio? Peccata interdixit Deus, non matrimonia. Non conueniunt studijs uestris facta uestra. Non debetis esse amici criminum, qui dicitis uos esse effectores uirtutum. Præposterum est quod agitis. Non est conuersio, sed auersio. Qui iampridem, ut fama est, opus honesti matrimonij reliquistis, tandem à scelere cessate, &c.

Et quia nunc agitur de ministrorum ecclesiæ coniugio: Ignatius ad Philadelphios scribens, Apostolos his uerbis maritos esse dicit: Petrus (inquit) & Paulus, ac reliqui Apostoli, nuptijs fuerunt sociati. Qui non libidinis causa, sed posteritatis gratia, coniuges habuerūt, &c. Hos sequebantur Philippus euangelista, Lucas Antiochenus, Ignatius prædictus, Hermas, Anianus, Phileas, Spiridion, Valens, Hilarius Pictauiensis, Restitutus Londinēsis, Polycrates Ephesius, Dionysius Corinthius, Tertullianus Apher, Nicolaus Myrrhæorum præsul, Cheremō, Basilius senior, Gregorius Nazianzenus cum suo genitore, Eupsychius, Philogonius, Seuerus Sulpitius, Vigilius Tridentinus, Vitalis, Apollinaris, Vrsinus, Paterius Cenomanensis, Pharo Burgundus, Genebaudus, Geroldus, & alij sine numero episcopi et sacerdotes. De Gregorio Naziāzeno sic habet Mātuanus, in primo libro Fastorū:

Præsule patre satus (nam tunc id iura sinebant)
Pastorale pedum geßit post funera patris.

Iucūdus presbyter, Bonifacium primum Rom. pontificem genuit: Felix presbyter Felicem tertiū, Valerius episcopus Gelasium primum, Gordianus presbyter Agapetum, Hormisda pontifex Syluerium, Stephanus subdiaconus Theodatum, Theodorus episcopus Theodorum, presbyter Thracius Cononem, Talarus episcopus Hadrianum secundum, Sergius Papa Ioannem 11. Ioannes duodecimus Ioannem 13. Ioannes episcopus Ioannem 14. Leo presbyter Ioannem 16. Gregorius Portuensis Ioannem 21. & alij alios Papas & episcopos, sacerdotes ac monachos.

Circa annum Domini 494, Gelasius Rom. pontifex, licet in alijs superstitiosus, in cōcilio Rauennæ duriter increpabat sumentes communionem sub una tantum specie. Comperimus (inquit) quod quidam, sumpta tantum corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant. Qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur astringi) aut integrum sacrum percipiant, aut ab integris arceantur. Quia diuisio unius eiusdemq; mysterij, sine grandi sacrilegio non potest prouenire; &c. Ecce, quod hic pontifex hoc loco grande sacrilegium ac superstitionem esse dicit: nostri nunc Antichristi & Papicolæ, catholicum atque orthodoxum esse uociferantur. Eo tempore, anno scilicet Domini 495, synodos in Brytannia contra Pelagianos celebrabant, ut habet Scala temporum. Et Eldadus Glocestriensis episcopus, doctrina & sanctitate clarus, Galfrido teste, illis diebus enituit. Anno Domini 499, Germaniæ & Galliæ episcopi, ad Anastasium secundū Rom. pontificē, qui Gelasio succeßit, & ad alios Italiæ prælatos, scripserunt, admonentes, ut seipsos atq; famam honestam curent, & ne deinceps tam temerè pergant suas super eos exercere tyrannides. Vide illorum epistolam in Matthiæ Illyrici, diligētißimi scriptoris, Catalogo. Anastasius iste Eutychianis ac Nestorianis hæreticis fauisse dicitur, & propterea mala ac subita interijsse morte. Porrò dum uentrem exoneraret, diuina tactus ultione, intestina in latrinam emittens obijt. Huic Symachus primus, ut alibi memoratur, in magna partium discordia pontifex succeßit. Qui de grauißimis sceleribus, coram Theodorico Longobardorum rege accusatus, per adulatores Romanos indicta causa absoluebatur: ita ut cum pascendi potestate, peccandi licentiam in torpenti ocio deinceps acceperint Papæ, disciplinæq;

næq; ecclesiasticæ iugum non curauerint. Scripsit nihilominus librum Symachus, de Excessibus clericorum. Istum Hormisda sequebatur anno Domini 514. qui pontifex, Syluerium primum pōtificem, ut prius dictum est, genuit. Ille in epistola ad Possessorem episcopum, monachorum hypocrisim uehementer & acriter perstrinxit: quos tamen Maxentius Ioannes, monachus & ipse, purgare studebat.

His temporibus, circa annum à Christi natiuitate 516, Hesychius in commentario super Leuiticū testatur, eucharistiæ reliquias ex consuetudine comburi, non adorari: mosq; ille seruabatur à tempore Origenis. Parum antea, in locis non sacris consecrabatur, laicis dabatur in manus, & in canistris uimineis ad ægrotos deportabatur panis ille mysticus: ut est apud Eusebium, Cassiodorum, Petrum Equilinum, et alios authores. Vt uerò incrementū acciperet spiritualis sanctitatis opinio in rasis & unctis, postquam essent per Felicem quartum & Bonifacium secundum, ut alibi in Pontificum uitis dictum est, à laicis segregati, unius Benedicti Nursini exemplo, monachi mirum in modum sunt aucti. Ille enim circa annum Christi 524, in monte Cassino claustra erexit: multiq; nobiles & ignobiles ex omni patria ad ea commigrarunt. Atq; illis regulam Benedictus dedit, anno Domini 530, ut notat Paleonydorus: ita ut omnium monachorum occidentalium diceretur pater, usq; ad tempora sectarum mendicantium. hoc est, per 666 annos, qui est numerus nominis Bestiæ, Apoc. 13. (quod mysterio nō caret) usq; ad annum Domini 1197, quo Dominicus Hispanus cœpit contra Albigenses, papisticarum inuentionum, dogmatum, ac possessionum impugnatores. Quo in anno, uterq; Matthæus, Parisius ac Vuestmonasterius, & alij multi Chronicorū scriptores, Dominicanos, qui primi esse uolunt, incœpisse tradunt. Sed de his postea.

Hucusq; Hierosolymorum episcopi simplices erant, sicut & ante illos Romani episcopi, usq; ad magni Constantini imperium, in antris & cryptis latitantes, nulla uel modica dignitate gaudentes. Sed in Constantinopolitana synodo, quæ anno Domini 538 celebrabatur, patriarchatus eiusdem ecclesiæ Hierosolymitanæ cōfirmari cœpit, ut refert Iacobus de Vitriaco in eius urbis historia, cap. 23. unde & illis tūc accreuit gloriatio maior. Anno Domini 562, mons magnus in Gallijs, Rhodano imminens, diu terribilem mugitum dedit, ut habet Christianus Massæus: qui tandem discissus, in ipsum flumen cum iumentis, hominibus, & ecclesijs ruit. Mugitus iste Romani papatus ortum iam propinquū prænunciat, seu futuram à Christo defectionem, ut Paulus exprimit, & aduentum filij perditi in omni deceptione ac fallacia, secundum operationem Satanæ. 2. Thes. 2. Nam & circa annum Domini 568, Ioannes Ieiunator, patriarcha Constantinopolitanus & hypocrita mirificus, cum Pelagio primo Rom. pontifice, super ecclesiarum primatu contendit: qui tandem in Græcorum synodo, pro uniuersali patriarcha, Imperatore Mauritio consentiente, proclamatus fuit. Cuius Pelagij uerba ad omnes episcopos, contra illum citantur 99. dist. Nullus (inquit) patriarcharum uniuersitatis uocabulo unquam utatur. Quia si unus patriarcha uniuersalis dicitur, patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit à fidelibus, hoc sibi uelle quempiam arripere, unde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacunq; parte uideatur, &c. Et dist. 28. dicit idem Pontifex, cœlibatum sacerdotum & episcoporum præcipuè esse ideo institutum, ne ecclesiastica bona in uxores & liberos eorum dissiparentur. Cur ergo maledicti Papistæ coniugium eorum, tanquam impium & impurum, damnant?

DVBRICIVS GAINIVS. LI.

DVbricius Gainius, Vagensis, à solo apud Demetas natali ita cognominatus, abstrusi fortasse aut latitantis monachi, ex Eurdila nobili iuuencula filius, maximū apud Brytānos pubescētibus annis obtinuit nomē. Nam iuuenis adhuc, scientijs & moribus se tantum honestabat, ut non ex adiacentibus urbibus solùm, sed etiam ex remotis regionibus, discipulos habuerit non paucos. Huic cœtui scholas erexit ad Vagæ fluminis ripam, quibus assidua lectione multis annis præfuit: ac Theliaum, Sampsonem, et Aidanum obaudientes habebat. Interim non omisit feriatis diebus salutaris uerbi pabula populis ministrare, Pelagiana dogmata uehemēter improbans. His atque alijs pietatis officijs, episcopus primùm Landauensis, tandemq; Legionum urbis archipræsul, quæ Cambrorum erat metropolis, sub

Aurelio Ambrosio rege constitutus, consentiente post eius mortem omni multitudine, Vtherium primò, Arthurũ nothum postea, Brytannici regni diademate insigniuit. Pro tuenda demum, Capgrauo teste, suæ gentis contra Anglosaxones Republica, eleganter scripsit,

Declamationes eruditas, *Lib.1. Viri Christiana professione.*
Contra Pelagianos, *Lib.1.*
In Arthuri coronatione, *Orationem 1.*

De alijs opusculis nec titulum uidi. Resignato tandem præsulatu Dauidi, inter discipulos suarum manuum laboribus uiuẽtes, spiritum efflauit, 18 Calendas Decembris, anno gratię 522. regnante rege Arthuro. Eius postea translatũ est corpus in ecclesiam Landauensem ab Vrbano episcopo, anno Domini 1120.

ILTVTVS MORGANENSIS. LII.

Iltutus Morganensis (Elchutum alij uocant) nobilissimi generis apud Brytannos auratus eques, eruditioneq; illustris, sub prædicto Dubricio mundi militiam reliquit, ut Christo liberius ministraret. Egregius iste Brytannorum magister (inquiunt Vincentius & Antoninus) ex discipulis erat diui Germani Altisiodorẽsis post Cadocum. Qui Iltutus, scripturarum omnium ueteris ac noui Testamenti, & omnium artium philosophiæ, cunctorum suæ gentis scientissimus, futura Dei dono prænouit. Nihili tamen æstimasse uidebatur diui Pauli doctrinam (si historiæ credimus) dum castissimam coniugem tam improbè repulerit, & animi consolationes petentem, oculorum usu priuauerit: imò nec Christi ipsius curasse præcepta, qui inimicos iubet diligi, si amore porcorum homines in saxa uerterit. Quæ nihilo minus inuerecunda esse iudico Papistarum mendacia, pro stabiliendo sordidissimi eorum cœlibatus ac uentrium regno. Contexuisse uerò fertur Iltutus,

Super quæstione ad Sampsonem, Epist.1.
Ad Isanum & Atroclium, Epist.1.

Cætera non uidi, quamuis plura scripserit. Claruit anno à Christi natiuitate 520, Arthuro rege potentissimo Brytannis imperante, in Armorica tandem Brytãnia, urbe Dolensi sepultus. Huius fuere discipuli Sampson, Paulinus, Dauides, Isanus, Atroclius, Gildas Badouicus, & alij multi.

CONGELLVS BANNOCHORENSIS. LIII.

Congellus Bannochorensis, illustris familię Brytannus, doctrina & operatione mirabilis, florentem ætatem atq; incomparabilem ea tempestate indolẽ continuis exercebat cum ieiunio orationibus ac studijs. Ab isto monachismus Aegyptius à Pelagio introductus, sub specie religionis in Brytannia radices, uires & incrementa largissima cæpit, ad alias Europę prouincias plantaria transmittens. Bannochorense enim Christianorũ philosophorum collegium, quod à Lucij regis tempore trecentos circiter & quinquaginta durauerat annos, in monachorum sub Apostolici ordinis titulo cœnobiũ permutauit, ex illius præposito anno Christi 530, primus abbas effectus. In uita Malachiæ Hiberniensis archiepiscopi, Bernardus Clareuallensis hunc locum tradit primorũ extitisse per Europam monasteriorum caput, & multa generauisse monachorum millia. Huius enim discipuli fuere plures: quorum Columbanus Galliam, Germaniam & Italiam: Brendanus uerò Hiberniam & Scotiam monachorũ habitaculis impleuit. Scripsit inter cætera Congellus, ut fertur ab historicis,

Regularis

Regularis uitæ methodum, Lib.1.
Ad cœnobiorum patres, Epist.plures.

Alia eius monumēta literaria nos latent. Claruit senex, anno suprà dicto uirginei partus 530, Arthuro rege apud Brytannos potenter domināte. Ac tandē in præfato monasterio post præclaras actiones uitæ finem accepit.

TELIESINVS HELIVS. LIIII.

TEliesinus Helius (sunt qui Thelesinum uocent) ex Bardorum genere uates Brytannicus, philosophus ac mathematicus per eam ætatem non incelebris fuit. Post laboriosa quidem suę iuuentutis in diuersis regionibus exercitia, multimodam rerum eruditionem & historiarum notitiam cum integritate morum dextrè coniunxit. Eius undiq; fama concitati iuuenes, illi præcipuè qui rerum naturalium scientias affectabant, ad hunc ut ad diuinum quoddam oraculum confluebant, ut raram eius haurirent doctrinam. Ex horum numero primus erat Merlinus Caledonius, ab Ambrosio Merlino longè diuersus, ut habet Syluester Giraldus in descriptione Cambriæ: qui & eo dictante plura scripsit. Tradunt ueterū annales, Teliesinum pleraq; tam oratione soluta quàm uersu, Brytannicè et Latinè fœliciter congessisse, ad studiosæ posteritatis usum, præsertim

Historiam uaticinalem, Lib.1.
Acta regis Arthuri, Lib.1.
Vaticinia quædam, Lib 1.
Fragmenta carminum, Lib.1.

Carmina etiam plura, tam Latina quàm Cambrica scripsit. Reliqua eius opuscula cum titulis perierunt. Claruit anno salutis humanæ 540, Arthuro adhuc in Brytannia regnante. Istum primo suorum poetarum loco, Brytanni inter antiquitatis luminaria celebrant.

DAVID MENEVIENSIS. LV.

DAuid Meneuiensis, Brytannus, Xanti, Cereticæ prouinciæ comitis adulteri, ex Melaria uirgine Vestali filius, sub Illuto & Paulino præceptorib. doctissimis in re literaria, super coætaneos omnes, ingenij perspicuitate proficiebat. Vir erat (ut in eius habetur historia) amabilis ualde, uultu uenustus, forma præclarus, facundus, eloquens, & quatuor cubitorū statura erectus. Et postquam decem annis scripturæ sacræ assiduam dedisset operam, Euangelium & legem populo Christiano, quasi ex buccina exposuit. Euangelij nempe textum (inquit historia) perpetuò secum deferebat, ut ex eo ad uulgum homilias faceret, & ægrotos curaret. Magnificę doctrinæ admiratores habuit plurimos: præcipuè Theliaum, Aidanum, Madocum, Ismaelem, Paternum & Kinotum. Duodecim monasteria construxit, ac monachos suarum manuum laboribus uiuere docuit. Et uigente adhuc post Germani episcopi labores, qui ob id in Brytanniā bis uenerat, Pelagiana labe, ac desperato penè remedio, ex uniuersę gentis synodo præsul constitutus, anno Christi 519, diutina prædicatione ac disceptationibus publicis eandem profligauit, atq; aream Ecclesiæ purgauit. Cambriæ metropolites & primas propterea factus, tantam cum rege Arthuro gratiam inijt, ut ab urbe Legionum ad suam Meneuiam, archiepiscopalem transferret sedem, ut libro 1. cap. 52 fusius tradit Ranulphus Cestrīēsis. Quod ita permansit ad Normannorum usq; tempora, & omnes ab ipso Cambrorum episcopi, ut à suo primate, consecrationem acceperunt, adhibito deinceps nominis sui titulo, ut Dauidis fanum ea urbs diceretur. Scriptis iste reliquit ad

posterorum memoriam, ut eius uitæ consarcinatores testantur,

Decreta synodi Victoriensis, Lib. 1.
Contra Pelagianos, Lib. 1.
Regulam cœnobitarum, Lib. 1.
Homelias Euangelicas, Lib. 1.

Atque alia. Claruit anno Seruatoris nostri 540, sub sæpedicto rege Arthuro. Et post 145 ætatis annum, ut in eius habetur Legēda, mortuus, in Meneuensi ecclesia sepelitur. Ac tandem per Calixtum secundum, Papisticorum deorum adscribitur catalogo, illicque in episcopatu successit Kinotus.

APPENDIX.

Hunc detestandæ libidinis ac prohibiti adulterij filium iactitant, Ioanni sanctissimo Zachariæ filio, in gratuitis Dei donis æqualem: suarum monialium incestui tantum tribuunt fœdissimi cœlibatarij nebulones. Buccinant enim, & quasi triumphant seductores improbi, quòd fuerit à patribus prophetatus, ab angelo prænunciatus, utero materno sanctificatus, à spiritu sancto in columbæ specie edoctus & missus: & quòd angelum quendam habuerit semper familiarem, atque in itineribus comitem. Sed in his omnibus, & quòd Bathoniæ thermas perpetuo calore donauerit, egregiè sibi mentitur iniquitas. His temporibus, anno scilicet Domini 544, Ioannes Mansionarius, Alexandrinus, uir sexaginta duorum annorum, à Iustiniano Imperatore missus, in Azumitarum & Homeritarum regionibus ultra Aegyptum sitis, Christi fidem plantauit. Ante hæc tempora, anno Domini 480, Sydonius Apollinaris, ex præfecto Auernorum antistes in Gallijs factus, in quodam scripto queritur, in ingentes calamitates Christianitatem adduci, ambitione & auaricia episcoporum. Allachis etiam circa ea tempora Longobardorum rex, spurcissimam Romanensium cœlibum uitam detestatus, iurauit, integrum puteum clericorum testiculis se impleturum, nisi continentius uiuant.

MACHVTVS CAMBRIVS. LVI.

Machutus Cambrius, aliàs Maclouius, Venedoticæ gẽtis alumnus, doctrinæ ac sanctitatis nomine clarissimus, ab historiographis celebratur. Nullus reuera prodijt ex ea regione, aut ore facundior, aut uita modestior unquam, ut testes sunt eius temporis scriptores nonnulli: præ cæteris uerò Bilius, Armoricanus Leuita & encomiastes eius præcipuus. Postquã hic Machutus cum socio Molocho Scoto, prima philosophiæ Christianæ rudimenta, sub erudito præceptore Congello didicisset: ad Brendanũ Lancaruanensis cœnobij præsidem, amplificandæ cognitionis gratia peruenit. Cui & ille in sacris literis laboranti, atque à uirtute in uirtutem indies gradienti, tam impense fauebat, ut in Hiberniam postea tendens, illi & Molocho curam suam omnem reliquerit. In Armoricam tandem, quæ transmarinorum Brytannorum est patria, Euãgelicum sparsurus dogma, cum duobus socijs Riuano & Domnecho uenit. Vbi post aliquot in uerbi ministerio labores, in Alethensi urbe pontifex constituebatur. Insigniter literatus erat Machutus, & quasdam

Epistolas reliquisse dicitur.

Cæterorum eius scriptorum nihil inuenio. Claruit anno incarnati Messiæ 540, sub inclinatione regni Brytannici, ipso tamen Arthuro rege nobilissimo regnante. Clerus his diebus à uulgo separatur, monachi augentur, cæremoniæ multiplicantur.

MELKINVS AVALONIVS. LVII.

Melkinus Aualonius, Brytannicus uates (aliqui Meuinum appellant) astrorum peritus ac Geometra, nõ solum arcana somniorum, uerùm etiam cometarum euentus insinuare, ac planetarum dispositiones ostendere solitus fuit. Inter Brytannicæ antiquitatis sidera istum numerāt Capgrauus,

uus, Hardingus, & Lelādus, eius plerunq; testimonijs usi. Et meritò quidē: quum illustria quędam suę gentis facta, ab iniqua obliuione seruauerit, Bardorum studijs hærens. Sed hoc ex altera parte eius lædit famam, quòd pleraq; de Iosepho Arimathiensi, Aruirago, Lucio, Constantino Magno, atq; Arthuro, fabulosa ueris admiscuerit. Addam & hoc, quòd futurorum præsagus, nonnulla, inter utrumq; Merlinum clarus, de Brytannici regni ac ueræ religionis restitutione sub mundi finem uentura prædixit. Huiusmodi uatum oraculis nonnihil tribuūt in hunc diem usq; Demetæ ac Venedotæ Cambrorū gentes: et Guălliæ sapientes uocantur. Melkinus uerò, ut ostenderet quo esset in patriam animo, historiam edidit patrio more uaticinijs refertam,

De rebus Brytannicis, Lib.1.
De Arthuri mensa rotunda, Lib.1.
Antiquitates suæ gentis, Lib.1.

Aliorum eius operum titulos non uidi. In hoc ultimo plura tradit, de primis in Brytannia Christi testibus, & de patrum cœmeterio sacro: Aualonia (inquit) funerum auida, millia dormientium accepit. inter quos Ioseph ab Arimathia dictus, somnum sub marmore diuturnum cæpit, &c. Claruit anno Christi 550, sub rege Vortiporio.

THELIAVS LANDAVIVS. LVIII.

THeliaus Landauius, qui ab aliquibus rerū scriptoribus Eliud uocatur, inter Brytannicæ ecclesiæ proceres, ex multis & magnis Dei donis, illustris ac conspicuus fiebat. Quoties enim de rebus agebatur literarijs aut ecclesiasticis, iudicium illius apud congregationem in precio stetit magno. Contigit ut Dubricius, Landauensis protopræsul sedis, authoritate synodi archiepiscopus urbi Legionum ad Iscę fluenta, anno Domini 512 designaretur. Non diu caruit suo gubernatore Landauia, ut Lelandus etiam narrat. Nam Theliaus, ut eo munere dignus, à patribus continuò surrogatus est. Ille quippe huic functioni solicitè inuigilans, egregium se pastorem exhibuit, ac bonis artibus ecclesię suæ ministros erudiendos anxiè curauit. Hinc talem sibi peperit famam, qualem nulla certè unquam auferre poterit dies. Vnde ex illis unus fuisse uidetur, de quibus hoc habet ad annū Christi 520 Hector Boethius in suo magno Chronico: Aegerrimè (inquit) infamē populi luxuriem pontifices Brytanniæ tulere, uaticinati frequentius inter concionandum, si tanta pestis in gente non exterminaretur, fore ut Brytanniæ regnum in ultimum dilabatur exitium. Contexuisse luculenta dictione fertur Theliaus,

Conciones ad populum pias, Lib.1.

Alia non reperio. Claruit senex, anno à Christi natiuitate 550, sub præfato Brytannorū rege Vortiporio. Longa ætas, quę & ipsa morbus est, Theliaum tandem è medio rapuit. Successit illi Odocæus monachus, doctrinæ exemplar per eam ætatem nobile.

DANIEL ARVONIVS. LIX.

DAniel Aruonius ab ipsa pueritia literis ac sanctis studijs impensè deditus, pietatem unà cum artibus bonis per omnem ætatem coluit. Fortissimus interea diuinę gloriæ uindex, eo in Cambria tempore potissimum floruit, quo Pelagianæ hæresis causa secundò uentilata est. Quanti autem fuerit apud suos momenti, tum ob eximias artes quas è fontibus ipsis hauserat, tum propter alios quæ in eo prænitebant uirtutes, uel hinc colligere licet,

cet, quòd uniuersæ Brytannorum ecclesiæ iam laboranti, dignissimus sit uisus, qui Dubricio adiunctus, magnoq; Dauidi, dulcis orator, religionis ageret causam. ubi lites & hæretica prauitas solidis conuictæ argumentis cecidere, suaq; catholicæ pax latè adfulsit ecclesiæ. Daniel igitur quieti applaudens, ob exercitia sacra, eruditorum Apostoliciq; ordinis collegiũ in Aruonia Venedotarum terra instituit, non procul à traiectu in Monam insulam, cui Portus dedit nomen. Locus uerò à chori excellentia & magnitudine, Banchor uaur Brytannico uocabulo appellatus erat: nunc autem Bangora dicitur. Vbi, consentiente populo, primus fuit in episcopum ordinatus. Scripsit Daniel

Contra Pelagianos, *Lib.1.*
Orationes synodales, *Lib.1.*

Atq; alia, quæ ad nostras non peruenere manus. Illud certè dolendum, perijsse tot ingeniorum huius temporis monumenta chartis inscripta. Claruit Daniel anno à nostræ Salutis exordio 550, Vortiporio in Brytannia regnante.

PETROCVS CORINIVS. LX.

PEtrocus Corinius, honesto inter Cambros loco natus, & insignium uirtutum adolescens, ubi maturos peruenerat ad annos, relicta pro literis patria, in Hiberniam secundis uentis nauigauit. Ibi studiorũ insolito quodam (ut Lelandus rem narrat) conflagrans amore, præceptores eximiè doctos excoluit. Nec manum prius de tabula sustulit, quàm totos uiginti annos in lectione bonorum authorũ exegisset. Quæsitus hac laboriosa scientiæ thesaurus cura, tandem est inuentus: qui iam ne deliteret, inuentor Hibernicas gazas in Coriniam seu Cornubiã transtulit, & uidendas omnibus exhibuit. In cœnobio uerò apostolici ordinis, quod in Cornubia aliquot passuũ millibus à Sabrino littore ædificabat, discipulos habuit, Credanum, Medanum, & Dachanum, uiros doctrina & uitæ sanctitate illustres. Vnde inter cætera Petrocus composuisse fertur,

De uita solitaria, *Lib.1.*

Præter id nihil inuenio. Claruit anno à Christi incarnatione 560, sub Maglocuno, seu Malgone Brytannorum rege. Sub ocio Ecclesiæ periculosa nunc tempora incipiunt. His nempe diebus Papa Pelagius mortuorũ memoriam Missis addidit.

KENTIGERNVS ELVIVS. LXI.

KEntigernus Eluius, ex Thamete Pictorum regis Lothi filia, & ignoto patre Brytãno, in Brytãnia genitus erat: dũ ea impudẽti audacia se parem iactitaret in corporis pudicitia Virgineę matri. Ecce qualia portẽta fiebant in ipso statim papistici cœlibatus limine. Contendebat præterea stultissimus suæ diœceseos populus, & adhuc contendit, illum de uirgine conceptum & natum fuisse: non aliter quàm stupidi Turcæ, dum etiam in latibulis apud suos cœlibes talia nõ rarò fiunt. Profecit bonæ indolis puer præ socijs omnibus, in literarum disciplinis atq; exercitijs uirtutum, sub præceptore Seruano Scoto. Postea dum esset Eluiæ, seu Elguæ, in terra Cambrensi, uir apostolici ordinis in pastorem cõstitutus: melote ex caprinis pellibus usus, & cuculla stricta, candidaq; contectus stola, primitiuæ Ecclesię formã seruauit. Apostolico more pedes ad prædicandum perrexit, multosq; ad fidem conuertit. Apostatas reuocauit, Pelagianos expulit, nondum renatos baptizauit, simulacra euertit, ecclesias cõdidit, ægrotis ministrauit, langu-

res curauit, in magnaq́ semper abſtinentia uixit, homo ad promouendam religionē ueram natus. Formatis enim in re Chriſtiana Venedotis & Roſſis, Euangelium prædicabat ad flumen uſque Fordenſe, & ad mare Scoticum, Columba Scoto uiro ſanctiſsimo concomitatus. ubi Caledonios, Athalos, Horeſtos, ac uicinarum Albaniæ regionum incolas, monendo, hortando, docendo, ad ueræ pietatis obſeruationes fideliter inſtigauit. Ex ſuis etiam diſcipulis, quoſdam ad Orchades inſulas, ad Nortuegiā & Islandiam miſit, ut eorum inſtructionibus ſacris fidei lumen reciperent. In Eluienſi enim apoſtolicorum uirorum collegio trecentos & ſexagintaquinq́ literatos homines ad id ſemper paratos habebat, præter reliquos ferè totidem, alijs exercitijs deditos. Et reuerſus tandem, ne domi ocioſus comederet, manibus ſuis in agricultura laborare cōſueuit. Hæc & alia pleraq́ de ipſo enarrant Capgrauus, Boethius, & Lelandus. Vnde & edidiſſe inter cætera Kentigernus fertur,

Manuale ſuorum miniſteriorum, Lib. 1.
In obitum Dauidis epiſcopi, Orat. 1.
De fidei obſeruatione, Orat. 1.
De charitate mutua, Orat. 1.
De Chriſtiana pace, Orat. 1.
De obedientia hominis, Orat. 1. *Viri fratres, quid admira.*
De hoſpitalitate tenenda, Orat. 1.
De ſcripturarum lectione, Orat. 1.
De oratione continua, Orat. 1.
Ad principem auarum, Epiſt. 1.
Ad Rodericum regem, Epiſt. 1.

Et alia plura. Claruit anno ſalutis humanæ 560, ſub Maglocuno Brytannorum rege. Compoſitis tandem rebus, Aſapho diſcipulo Eluienſis eccleſiæ miniſterium reliquit. Et in Scotiam reuerſus, Gleſcuæ in altero ſuo epiſcopatu uita exceſsit, idibus Ianuarij, anno 185 ætatis ſuæ, ſi uera ſunt quæ hiſtorici tradunt.

APPENDIX.

Iſta prophetice prædixit, ſub inclinatione imperij Brytannici: Tradens (inquit) tradet Dominus Brytanniam exteris nationibus, Deum ignorantibus. Indigenis euacuabitur à paganis inſula. Chriſtianæ legis religio uſq; ad præfinitum tempus diſsipabitur: ſed in priſtinum ſtatum, imò meliorem miſerante Deo in fine reparabitur, &c. Anno Domini 583 inter Francos & Hiſpanos orta eſt diſſenſio circa Paſchæ celebrationem, ut Maſſæus habet. Anno Domini 586 Theonus Londinēſis archiepiſcopus, Matthæo Vueſtmonaſterio teſte, reliquias ſanctorum non ad ſuperſtitionē, ſed memoriam occultabat. Anno Domini 589 et 17 die Octobris, multitudo ſerpentum, dracoq; terribilis Romæ per Tiberim ad mare delapſus, aquas infecit: & uehementiſsima ſecuta eſt peſtis, quæ ſine numero homines ſtrauit. Quod myſterio nō caret. nam draco magnus, qui eſt diabolus ac Sathan, uirtutē ſuam atq; poteſtatem magnam, Apoc. 13, beſtiæ daturus tunc erat: quam ſequebatur exitialis in religione peſtis, idololatria, ad multorum perniciem.

SAMSON GLAMORGANIVS. LXII.

SAmſon Glamorganius, Demetarum alumnus, in ea prouinciola ex parentibus probis erat natus, quæ nunc Glamorgania, à regulo quodam Morgano dicitur, ut apud Lelandum inuenitur. Illuti, uiri inſigniter docti iuxtà ac integri, curę, bonis literis inſtruendus tradebatur, qui illic monaſterium paulo antè inſtituerat. Creuit adoleſcens prudentiæ et uirtutis ſucceſſu longè fœliciſsimo, tandemq́ poſt Iſanum eidem loco præfuit. Quum ad

fanum Dauidis Meneuensem sedem, aliquot annis postea tenuisset, peste ictericia coactus, Armoricanā Brytanniam petijt: Dolensi deinceps archiepiscopatu functus. Sunt qui scribant & credant, Samsonem illuc cōmigrantem, bonam librorum à Brytannis catholicis scriptorū partem, unà secum transtulisse: cōmoditate, ut ei tunc uidebatur, opportuna: at, ut euentus docuit malus, ualde importuna. Scripsisse hic fertur ad populares,

De patientia in aduersis, Epist. 1.

Atq; alia. Tandem obijt Doli, ubi & magnificè sepultus est. Successit illi in episcopatu Maglorius, Brytannus & ipse, eius tam cōsanguineus quàm comes indiuiduus. Claruit Samson anno Christi 560. cuius uitā scripsit Baldricus, eiusdem sedis antistes.

AMPHIBALVS SIMENVS. LXIII.

AMphibalus Simenus, genere Brytannus, spectatæ uir eruditionis, ac uitæ approbatæ, apostolicorū uirorum ordine monachus, tandemq; Vuintoniæ ad Amphibali martyris fanum abbas, cœnobitis celeberrimè præfuit. Vuintonia uerò australis Brytanniæ antiqua ciuitas est, Venta Simenorum à ueteribus olim appellata. De isto abbate Gildas Badonicus, in libro suo de excidio Brytanniæ incidenter mentionem facit, sed leuem, tenuem, ac parum significantem. Nam ex ea tantum apparet, cœnobiarcham fuisse Amphibalum, & eius ecclesiæ præsidem, ad quem duo iuuenes regij, Modredi principis filij, tanquam ad asylum pro uitis seruandis confugientes, à Constantino Cadoro, Brytannorum non rege, sed tyranno, sunt iugulati. Illustrem autem & pium fuisse Amphibalum, uel hinc liquet, quòd oppressi nobiles, ad eius sinum ueluti ad sacram anchoram se contulerint. Ad Gildam scripsisse fertur,

De tam immani facinore, Epist. 1.

Aliud reperio nihil. Claruit Amphibalus, anno quo salus in terrā uenit, 560 sub Maglocuno Brytannorum rege. Vuintoniæ tandem fato cōcessit, ac sepultus est. Brytanniæ regnū in heptarchiā hoc tempore redigi cœpit.

CADOCVS VENTOLVGIVS. LXIIII.

CAdocus Ventolugius, nobilis Gundelæi & Gladusæ filius nobilior, relicta Ventolugia, seu Vuendeloco, ditione paterna, Morganiam uicinam, & Sabrino litori adiacentem, petijt. In loco ibidem amœno, qui tribus passuum millibus à ponte Guaino distat, apostolici ordinis monasterium à fundamentis erexit: cui postea Lancaruanan nomen à re inditū est. Latinè enim sonat, locum à ceruis designatum: quos ille in operis initio familiares ac seruos habuisse scribit. Gildas ex Hibernia rediens, & admonitus tum eruditionis tum sanctitatis solitarij Cadoci, eius maturè monasterium inuisit. Id quod fecere & alij multi doctrina clari, tanti doctoris excitati exemplo. Cadoco successit Ellenius, optimo præceptori discipulus optimus, in noui gubernatione cœnobij, seu potius bonorum studiorum gymnasij: & enascentem literariam causam ad ipsam iusta cultura maturitatem perduxit. Hunc ferunt authores, cōtra quosdam eius temporis Epicureos, ad Gildam scripsisse,

De uita animæ, Epist. 1.

Et alia. Claruit anno incarnati uerbi 570, Maglocuno in Brytannia regnante. Tandemq; mortuus, in suo sepeliebatur cœnobio Lancaruanensi. Cui loco sua fama adhuc integra manet. Hinc Caradocus processit, de quo postea.

MERLINVS CALEDONIVS. LXV.

MErlinus Caledonius, aliàs Syluestris, Brytannus ex Scotiæ confinijs oriundus, Teliesini uatis olim discipulus, philosophi more regiones omnes Brytannicas & Gallicas in abstinentia singulari peragrabat. Eius utitur testimonio Ioannes Hardingus, in primo suorum Chronicorũ libro, cap.25. quòd Bladudus magus, Brytannorum rex, Atheniensium philosophorum pro artibus edocendis Stanfordiæ posuerit gymnasiũ. sed hæc alibi fusius. Fuit hic Merlinus philosophiæ per suam ætatem studiosissimus: quo nomine & Magi prænituit titulo. In rerum naturaliũ cognitione, præsertim in Mathesi, uel ad miraculum eruditus habebatur: quo etiam nomine principib. meritò gratissimus erat. Ab Ambrosio Merlino longè diuersum hunc ponunt, Giraldus Cambrensis, Ranulphus, & Treuisa: quum ille sub Vortigerio rege, & iste sub Arthuro, sua uaticinia proposuerint. Alter obscurius (inquiũt) iste uerò apertius prophetabat. In montibus niuiferis, seu Cambricis alpibus philosophabatur primus. iste autem in Caledonia sylua, Romanis scriptoribus cognitissima: à qua dicebatur Caledonius. Vnde in septimo Arthuri regis bello apud Caledonios existens, uiso in aere monstro, mente excessit, ac deserta nemora deinceps petijt, Syluestrius inde cognominatus. Prodigia quædam aduersus Anglosaxones exposuit, ardentium uidelicet quarundam arborum Londini, ferocientisq; illic Tamesis, fontis in Eboraco sanguiflui: & cur apud Cantianos puer in utero materno riserit. Teliesino præceptore aliquando dictante, hic plura excepit, et chartis fideliter tradidit. Ex suis equidem tractatibus multis, hos solos uidimus, Britannicè primùm editos,

Suarum diuinationum,	Lib.1.
De Albaniorum fortunis,	Lib.1. *Regnum Scotorum fuit inter cætera.*
Prophetiam prosaicam,	Lib.1. *Catulus leonis in lupum rapidum.*
Super quibusdam honoribus,	Lib.1. *Orietur draco de asino, qui bra.*
De quodam sexto,	Lib.1. *Mortuo leone iustitiæ, surget.*
Dicta de septimo,	Lib.1. *Quum anni Christi circumcirca.*
Pro tempore regis Arthuri,	Lib.1.

Atq; alios multos. In his nimirum plura historicè tractat, ut Galfridus habet: qui quosdam eius libros in carmina Latina transtulit. Claruit Merlinus anno incarnati Messię 570, sub rege Maglocuno. In Bardeseia tandē Venedotarum insula, inter monachos non monachus sepelitur: alter uerò Marleburgi.

GILDAS BADONICVS. LXVI.

GIldas Badonicus, cognomento Sapiens, Iltuti Morganensis discipulus, grauissimus author (ut Polydorus habet) in amplissimo Bannochorensi Apostolicorũ uirorum cœnobio monachum induit. Iste post imbibitas copiose bonarum artium literas, plebis docendæ gratia sacrarũ scripturarum studio se totum dedidit. Legemq; innocentiæ sibi præfigendo constitues, uitam uixit integerrimam, ut in Deum flagitiose delinquentes eo liberius castigaret. Eruditione multo plus ualuit quàm blanda eloquentia: quod uitio temporis ascribendum esse, probabiliter iudico. Brytannicę gentis consueta scelera, & propterea ingruentem per Anglosaxones calamitatem magnam, quotidianis deflebat lachrymis. Impuros hominum mores, præcipuè sacerdotum ac principum, non poterat in sacris suis concionibus non improbare. Constantinum Cadorum, Aurelium Conanum, Vorti

perium, Cuneglasium, Maglocunum, & alios regni primores, ob stupra nefanda, & sexcenta in dies singulos alia adhuc scelera, atque quòd uxores legitimas impiè repudiassent, salutis primùm ut pater admonuit, additis postea obiurgationibus acerrimis. Montes malitiæ episcopos, monachos & clericos uocabat, mox ut eos uidit aduersus Deum erigi, erutis ad id ex sacro Bibliorum thesauro firmissimis testimonijs. Composuit lamentabili sermone, ut etiam mortuus à uitijs auocaret,

De excidio Brytanniæ,	Lib. 1. *In hac epistola quicquid.*
In sui temporis clerum,	Lib. 1. *Brytannia habet sacerdotes.*
Conciones mordentes,	Lib. 1. *Esaias propheta dicit, uæ uob.*
Historiam quandam,	Lib. 1. *Alboinus Longobardorum rex ab.*
De immortalitate animæ,	Lib. 1.

Atque alia quædam. Claruit anno à Christi Iesu natali 580, iuxta Polydorum, regnante adhuc in Brytannia Maglocuno: ac tandem nonagenarius Bannochori, ut fertur, ad Christũ migrauit. Quæ alter Gildas uentura prænunciauit, hic oculis præsens, non sine cordis dolore, adimpleta uidit.

ELVODVGVS PROBVS. LXVII.

ELuodugus Probus, Brytannorum magister, natura ipsa benignus, primam adolescentiam in scientijs literarum, quibus ab ineunte ætate deditus fuerat, apud institutores optimos utiliter cõsumpsit. Vixit ferè totos (ut apparet) uitæ suæ annos in magno illo apostolicorum uirorum collegio Bannochori, ubi mirabiliter in omni studiorũ genere profecit. Ex profunda tandem diuinarum rerum cognitione ac uitæ puritate, fit omniũ rector ac magister: multosque discipulos habuit insigni pietate claros. Inter quos non minimus erat Nennius, tali præceptore dignissimus tyrunculus, qui longo sub eo exercitio liberales artes coluit: ut luculenti sunt post eum Nennium in suis Chronicis testes, Gualterus Couentrius, & Rogerus Cestrius. Inter monumenta literaria suis reliquit Eluodugus,

Historiam Brytannorum, Lib. 1.

Ex qua plura annotauit idem Nennius, contra quosdam suæ gentis sciolos, qui suis delirijs & crassa Minerua rerum gestarum seriem cõmaculauerant: quæ omnia, cognitis Romanorum historijs, præceptor purgauerat. Claruit anno Domini 590, fugatis in Cambriam Brytannis.

ASAPHVS VENEDOTA. LXVIII.

ASaphus Sanctus, ex Venedotarũ genere Brytannus, post liberam parentum educationem, sub pijssimo præceptore Kentigerno pius discipulus, in scientijs & Christianis moribus ita profecit, ut de illo Ioannes Capgrauus hoc dederit testimoniũ: Erat (inquit) in monasterio Elguensi seu Eluiensi, in illa literatorum agonistarum multitudine, Asaph quidam, genere & specie clarus, ab ipso pubertatis flore uirtutibus & doctrina fulgens: qui uitam magistri in omni sanctitate & abstinentia iugiter sequi satagebat. Istum Kentigernus ob exhibita sibi fidelitatis officia, charum habens, monasterij curam illi delegauit. Et quũ à pio principe Roderico, post tyrannorum molestationes quàm plurimas, ad uerbi ministerium reuocaretur, eum in episcopatu successorem plebe consentiente instituit, hanc frequentiusculè habens in ore sententiam: Quicunque Dei uerbo aduersantur, saluti hominum inuident. Composuisse dicitur Asaphus

Ordinationes suæ ecclesiæ,	Lib. 1.
Magistri Kentigerni uitam,	Lib. 1.

Atque

Atq; alia nonnulla. Claruit anno à communis salutis origine 590, sub Carentio Brytannorum tyranno. Ab isto Asaphensis appellari cœpit ea diœcesis, ueteri nomine in Brytannorum odium reiecto. Primus hic erat, qui à Rom. pontifice unctionem accepit.

DE ROMANIS PATRIARCHIS, Appendix.

26. *Syluerius Campanus, Hormisdæ Rom. pontificis filius, post Agapeti in itinere mortē, iubente Gothorum rege* Theodato prædicto, in eius locum sine Imperatoris consensu assumebatur. *Instigante igitur Vigilio diacono, eumq́; fortiter accusante*, quòd Romam Gothis prodere uoluisset, in exilium à Theodora Augusta & Antonina Belisarij ducis uxore, in Pontum insulam relegatus fuit. Res parui, ut apparet, momenti, Papatus Romanus tunc erat: cum inferiorū principum iussu ac mandato, pontifices eius nuncij mitterētur, & à fœminis exautorari, aut loco amoueri possent. Syluerius anno Domini 537, in eo exilio confessor, cucullatus miserè demum perijt.

27. *Vigilius Romanus, iam dicti Syluerij accusator astutus, & fraude pontificatum ambiens, à præfatis mulieribus in eius est suffectus locū.* Sic duo simul Romæ tunc Pontifices erant: alter à Gothis, alter à Græcis, seu potius mulierculis admissus: & malè, at non indignè, ab illis tractabantur. Vterq; enim suæ temeritatis meritas luit pœnas. Nam hic dolo, ille ui pontificatum est adeptus: ambo tamen sunt à Papicolis, sanctis martyribus adnumerati. Vigilium Theodora in ius uocabat, quòd promissis non staret: et Constantinopolim adductum, cōtumelijsq; ac uerberibus affectum, fune in eius collum iniecto, per urbis plateas illum trahi fecit, et tum demum in exilium pelli. Hic proprias lectiones diebus festis aptauit, Romanam ecclesiam aliarum matrem haberi uoluit: candelarum festum instituit, & ut Missa celebretur uersus orientem. In Sicilia tandem anno Domini 554, mortem & ipse confessor obijt. Horum temporibus Maurus in Gallijs monasticam hypocrisim docuit.

28. *Pelagius Romanus, dum Totila tyrannus, Dei flagellum dictus, Italiam omnem inuaderet, magno Gothorum, quorum rex erat, applausu, ut author est Procopius, pontificij culmen suscepit.* Qui, ut eidem Totilæ atq; suis placeret, principis authoritatem ac populi consensum in ordinandis pontificibus necessariam esse, per constitutionem publicauit. In perturbationum eius ætatis medio, Papismum præ Christianismo respiciens, constituit, ut clerici quotidie canonicas horas septies murmurarent, abbates regulariter eligerentur, hæretici per secularem magistratum punirentur, ut quadragesimali tempore hora nona sacrificulis missare liceret, atq; ut unaquæq; prouincia duodecim uel ad minus decem ciuitates continere deberet. Primatum ecclesiæ Romanæ nō à synodis, aut ab hominibus, sed ab ipso Christo prouenisse, primus asseruit, dist. 21. Ossa protomartyris Stephani cum D. Laurentij cadauere unà collocauit: mortuorum memorias approbauit, ac lucri gratia Missis adiecit: & accusatorios libellos ob id non audiendos curauit, quòd ipse olim accusatus esset, quòd opprimendi ac molestandi prædecessorem Vigilium, occasionem dedisset. à quo uituperio, crucis osculo atq; iuramēto se purgasse scribitur. Durauit hic duro Romanæ obsidionis tempore: & anno Domini 566, confessor emigrauit.

29. *Ioannes tertius, Romanus, Narseti eunucho, Italiæ rectori, superatis Gothis, amicissimus fuit:* ut qui ei irato Romam reconciliauit, atq; consulatum impetrauit. Nam Romæ tunc omnis ferè potestas penes Pontificem erat. Contra prædecessorem Pelagium iste sanciuit, nullū dici debere summum sacerdotem, aut uniuersalem episcopum, dist. 99. Nullus. Ille etiam episcoporum uicarijs manuum impositionem auferens, episcopis tantum, Isidoro teste, attribuit. Postea ad fabricas cōuersus, ecclesiam Philippi et Iacobi, à Vigilio inchoatam, absoluit: ac sanctorum cœmiteria in urbe restituit. Deniq;, ob tempestates quasdam prodigiosas, perturbationum ac dolorū plenus, ætateq; grandæuus, anno Christi 577 Romæ confessor uita decessit. Huius tempore Armeni Christi fidem receperunt.

30. Benedictus Romanus pontificatum gessit, cum Longobardi per Italiam sæuirent. Et bonus pontifex erat, quòd nihil memoria dignum fecerit: ut de eo Barnus ac Funccius scribunt. Vetuit nihilominus religionis causa (res nempe præclara) cruces marmoreas, lapideas, aut ligneas pedibus conculcari: & Romæ atq; in Italia, fame laborantibus, ipse, uel saltem eius loco Tiberius Augustus, grani ex

ex Aegypto allatis, subuenit, nulla mentione facta super Euangelij semine. Inter tot urbis calamitates anno Domini 582, dolore animi confessor occubuit.

31. Pelagius secundus, Romanus, in urbis obsidione, absq; principis iussu, præter consuetudinem, pontifex creabatur. Quare Gregorium monachum, pro Imperatore placando Constantinopolim misit. Postea Hermetis martyris cœmiterium fecit, & D. Laurentij basilicam à fundamentis erexit. Pro horis dicendis statutum renouauit, & subdiaconos aut uxores aut ecclesiæ officia dimittere iussit, nouemq; præfationes ante canonem in Missa canendas dedit. Pestis inguinaria, ex magnis tempestatibus atq; aeris infectione contracta, anno Domini 591, hunc inter alios multos confessorem abstulit. quæ pestis multarum superstitionum causa fuit. Tum enim primò, septiformi letania per Gregorium instituta, iram Dei cæremonijs placandam censuerunt.

32. Gregorius Magnus, Romanus, ex monacho ac diacono pontifex factus, omnium pontificũ, seu, ut dictum est, patriarcharum Romanorum, doctrina & uita præstantissimus, reluctans, inuitus, ac demum coactus, Pelagio prædicto successit. Cæremonijs plusquam Iudaicis mirum in modum, quia monachus erat, ecclesiam ac religionem Dei, præ cæteris omnibus onerauit: uir alioqui doctus & bonus. Parentum domos in monasteria uertit, & primùm eorum Andreæ Apostolo dedicauit. Scholas cantorum instituit: &, Ambrosij more, ecclesiasticas cantiones, quas Græcè dicimus Antiphona, composuit. Officiarium ecclesiæ fecit, antiphonarium nocturnum & diurnum disposuit, sacrorum normas digessit, Missarum ritus complanauit, & eius canonem consarcinauit. Introitus Missarum cum psalmorum particulis cãtari fecit: nouies Kyrieeleison recitari iussit, Alleluia per totum annum extra quadragesimam uociferari post Graduale curauit, & pro tempore Paschali offertorijs & postcommunibus idem ipsum Alleluia adiunxit. Tres postulationes canoni missali adiecit, scilicet, Diesq; nostros in tua pace, &c. Orationem Dominicam super Eucharistiæ panem in altum dici aut cani præcepit, super Apostolorum mortua cadauera missas celebrari mandauit: & Deus in adiutorium, cum Gloria patri, horis canonicis addidit. Letanias & processiones excogitauit: atq; in septem ordines, scilicet Clericorum, Monachorum, Monialium, Puerorum, Laicorum, Viduarum, ac Mulierum coniugatarum, distribuit. Imaginem diuæ Virginis circumferri permisit, Angelis (ut asserunt Papistæ) psallentibus, Regina cœli lætare, Alleluia: et Angelum minantem (commentũ impudens) cruentum gladium in uaginam reponere coegit. Stationes quasdam in urbe, seu peregrinationes ad statuas, pro plebis deuotione per indulgentias confirmauit. Purificationis Mariæ festum cereis illustratum, & Palmarum diem solennem, processionibus honorauit. Quadragesimali ieiunio quatuor dies addidit, & eius initium cinerum aspergine sacrauit. Vsum carnis, lactis, casei, butyri, atq; ouorum (quod carnem sapiant) ieiunantibus interdixit: & pisciculis solum, non grandioribus illis piscibus, uesci permisit. Vnde Mantuanus in 2. Fast. lib.

Non tamen illicitum, pisces adhibere minutos.
Gregorius grandes prohibet: sed longior usus
Obstitit, & ponti pecuaria magna per omnes
Iam uolitant procerum mensas, & prandia regum.
Sordida Gregorij leges obseruat egestas,
Quæ tenues scrutatur aquas & flumina summa,
Grande ac pingue pecus fundo uersatur in imo.
At sacri proceres, qui lina capacia Petri
Altius immergunt, laqueant genus omne natantum.

Templis lumina Gregorius dedit: modum chori cum psalmodijs, canticis, odis, hymnis, atq; alijs gentilium cæremonijs ornauit. Sex monasteria proprijs impensis in Sicilia condidit, & Agathæ fanum dedicauit. Mulieres monachorum cœnobia subire uetuit, & monachos monialium tecta. Monachos etiam baptizare non uolebat, nec moniales baptizatorum commatres fieri. Ne bigamus fiat presbyter, prohibuit: & ut sacerdotes uitæ innocentiam per iuramenta probarent, sanciuit. Veniarũ assertor, non uenditor tamen. Indulgẽtias certis diebus, & templa uisitantibus primus concessit. Xenodochia fundauit, peregrinos ad mensam inuitauit, monachis Hierosolymitanis necessaria misit, ac

ter mille

ter mille ancillas stipendijs pauit. Prima concilia quinq; decreto approbauit, ne imagines sanctorum confringantur, ne clericus mandato Cæsareo militet, & ne in eadem prouincia duo sint metropolitani inhibuit. Episcopum semel duntaxat consecrandum esse statuit, atq; ultimas morientium uoluntates ab omnibus ratas haberi uoluit. Dialogorum libros quatuor, pro fulciendo purgatorio, fecit. cinerum consecrationes, pedum lotiones, crucis adorationes, ac Missas pro mortuis admisit, & Traiani Imperatoris animam (horribile Papistarum mendacium) ab inferis liberauit. Anglos per Augustinum monachum, contemptis Brytannis, ad ritus Romanos uocauit: urbem Londinensem archiepiscopatus iure priuauit, atq; ad Cantuariam per eundem Augustinum transtulit. Hæc omnia, ut patriarcha Romanus, Gregorius fecit: alibi reperies, quæ tanquam Christianus episcopus egerit. Anno Domini 604, confessor & ille obijt.

33. Sabinianus Thuscus, nullius momenti pontifex, Gregorij prædecessoris odio, instituit, post editas in illum detrectationes iniquas, ut eius exurerentur libri. Hic ultimus ex Romanorum patriarchis, constituit, ut horæ diei per campanarum pulsum propter officia Ecclesiastica distinguerentur: & ut lampades accensæ in templis perpetuò seruarentur. Horrendo quodam noctis uisu obstupefactus, demum anno Domini 606, confessor infami morte concidit.

ANONYMVS BRYTANNVS. LXIX.

ANonymus scriptor, ex Brytannica gente ortus, uir non mediocriter eruditus, teste Lelando, eo tempore floruit, quo Anglosaxones uictores, Loegriam, fertilissimam totius Brytanniæ partem, per ingentem tyrannidem occupabāt. Itaq; quantum patiebatur ipsa temporis infœlicitas, hic sedulò quærebat, quid rerum Christiani Brytanni in insula antiquitùs gesissent. Et quoniam Albani Verolamiensis, atq; Amphibali Legionensis, eius præceptoris clarissimi, insignis apud indigenas erat memoria, omnia diligentissimè, sed tanquam aliud agens, didicit, quæ illi uel usq; ad mortem, inuicti pro religione Christiana milites, patiebantur. Cumq; iam probè per uiros graues instructus esset, calamum sumpsit, pingendæ historiæ nō ineptum. Ac operi longè sanctissimo ita incubuit, ut nullus unquam Apelles (inquit Lelandus) gentilium deorum effigies melius expresserit, quàm illa Albanum & Amphibalum, sanctissimos Christianæ fidei testes. Operis eius titulus est,

Albani martyris uita, Lib. 1. Quisquis beatorum martyrum gloriosa.

Anonymi huius floridum illud opus, imò luculentū ac uenustum uiuit, perpetuoq; per exemplaria, quandiu durauerit mundus, uiuet. Claruit hic scriptor anno gratiæ per Christum 590, sub Carentio Brytannorū tyranno.

DIONOTVS AVONIVS. LXX.

DIonotus Auonius, ex Brytannica natione uir optimus, in liberalibus scientijs ac theologia interpretatiua nobiliter eruditus, magnam usquequaq; ex doctis concionibus sibi comparabat famam. Iste, ut doctrina & sanctitatis opinione cæteris sublimior, in famigerato illo Bannochorensi apostolicorum uirorum monasterio, quod Bencornaburgum postea uocabant Anglosaxones, bis mille ac centum monachis in septem familias, ut septē Ecclesijs maioribus uerbo inseruirent, separatis, cœnobiarcha præfuit: ut authores sunt Bedas, Galfridus, & Capgrauus. Non illic ad Basilij aut Benedicti præscriptam uitæ methodum, in summo degebant ocio, deglutientes pauperum sudores: sed iuxta diui Pauli doctrinam, de manuum suarum laboribus in communi uiuebant. Horum aspernabantur dogmata & pia & sancta Anglosaxones, solo Brytannici nominis odio permoti. Eo tempore Augustinus, alterius generis monachus, à Gregorio primo pontifice missus, & ab Ethelberto rege receptus, in Vuirgorniensi prouincia, anno

no Domini 602 synodum celebrauit, in hunc finē, ut Brytanniæ clerum Romanæ ecclesiæ obsequentem haberet. Ad hanc synodum uocati, uenerunt Brytannorum episcopi septem. Nam illis diebus sub Meneuensi metropolitano, ad eum numerum, Asiaticorum more, principales ecclesias cum ordinationibus habebant: quarum tunc erant nomina, Henefortēsis, Tauensis, Paternensis, Banchorensis, Eluiensis, Vuiccensis, ac Morganensis. Venerunt & doctores ad eandem synodum, inter quos Dionotus omniū primus, grauiter & doctè de non approbanda apud eos Romanorum authoritate disputabat. Fortiter præterea tuebatur Meneuensis archiepiscopi, in ecclesiarum suarum rebus ratam iurisdictionē: concludens, non esse in Brytannorum commodum futurum, in communionem admittere uel Romanorum fastum, uel cognitam Anglosaxonum tyrannidē. Arroganter enim & pompaticè exegerat Augustinus, ut deinceps non Asiano, sed Romano more prædicarent, baptizarent, ac Pascha celebrarent. Quibus parêre, uisa illius superbia, recusabāt. Dionotus uerò Euangelicus doctor, composuisse inter cætera fertur, ad Vuicciorum synodum responsa,

Super conseruandis eorum ritibus, Lib. 1.
Disputationes quasdam, Lib. 1.
Defensorium sedis Meneuensis, Lib. 1.
Commentarios scripturarum, Lib. 1.

Orationes, epistolas, & alia plura. Iste tandem cum mille ducentis socijs, Augustino suggerente, ut ferunt, apud Cestriam, anno Christianæ salutis 603, Ethelfredi Northumbriorum regis tyrannide, martyrio coronatur, dominante adhuc in Cambria, post Loegriæ totius amisionē, Carentio tyrāno. Quære Ioannem Hardingum & Amandum Zierixensem in Chronicis.

APPENDIX.

Ne fabula uideatur, quòd præfati authores Bedas, Galfridus & Capgrauus de 7 Brytannorum episcopis docuerunt: quum alij scriptores affirmauerint, fuisse illic 28 præsules sub rege Lucio: hoc ad præsens dicere necessarium duxi. Brytannia insula olim in tres partes diuidebatur, Loegriam, Albaniam, & Cambriam: quarum Albania suos habebat 7 episcopos, et Cambria totidem. Loegria uerò, quæ & nobilior & maior pars erat, eundem numerum duplicabat. Et ita fuere quater septem, quæ 28 in numero cumulatim faciunt. Brytanni igitur per Anglosaxones in Cambriā pulsi, solis 7 episcopis cōtenti esse debebāt, quibus tunc præsidebat Meneuensis metropolites, qui paulo antea Legionensis archiepiscopus dicebatur. De ultimo casu regni Brytannici, de eiusdem populi in Cambriam fuga, de Ecclesiarum contentione circa primatum, de monstris in aere & in mari uisis, de furtiua translatione archiepiscopalis fastigij à Londino Cantuariam per Augustinū: de introductis per Gregorium ceremonijs, in cantu, processione, suffragijs, adorationibus, Missis: de fiducia humanorum operum, de spectris & apparitionibus terrificis, & quod mortuis sanctis Dei loco Ecclesiarum appellationes cesserint (quæ omnia his temporibus contigerunt) nihil hic dicam. Lelandus tamen de Gregorio sic scribit: Debuerat (inquit) Gregorius, admonuisse Saxones, gentem perfidam, ut si sincerè Christianismum admittere uellent, Brytāniæ imperium, quod contra sacramentum militiæ per tyrannidem occupauerant, iustis dominis ac possessoribus quamprimum restituerent. Nam, quæ erat Dionoti eruditio, rectè sentiebat, non esse penes Romanum, ut gentem aduenam fidei prætextu in alieno confirmaret imperio. Nam si id admitterent, non deesset fucus ad explodendos quoscunq; è suis regnis principes, &c. Palladio Scotorum apostolo longè dissimilis uidetur iste Gregorius, qui Constantinum eorum regem, Polydoro teste, omnibus precibus est dehortatus, ne Saxones illos, gentem impiam, armis iuuaret contra Brytannos, homines Christianos.

APPENDIX ALIA, DE GREGORII FACTIS.

Vt tamen de eius actis & dictis Christianis aliquid dicam: Gregorius uehementer pugnauit contra

tra Papistici regni primatum, in ipso Papatus limine: ac durißimis conuicijs proscidit Vniuersalis patriarchæ titulum, dicens, talem esse Antichristi præcursorem, hypocritam, tyrannum, ac diuinitatis usurpatorem Luciferum. Mirandi operis statuas plures in Tiberim præcipitari iußit, ne religio illis corrumperetur. Pro peste sedanda preces et ieiunia mandauit. Gothos, relictis Arrianis, ad Ecclesiæ unitatem reduxit. Homiliarum libros dulci sermone, Augustinum Hipponensem imitatus, scripsit. Sacros Bibliorum libros plures exposuit. Vniuersalis episcopi nomen publico decreto derogauit: seq; seruorum Dei seruum scriptis profitebatur, ut inde uideretur ab omni ambitione ac dominandi libidine alienißimus. Quem quoq; titulum et posteri retinuerunt, sed more Chanaan atq; filiorum eius, Gen. 9. qui mundi imperium ad se rapuerunt, ac tyrannicè fideles fratres oppresserunt, tanquam totius terrarum orbis domini. Vlulandi in ecclesijs consuetudinem tantum inualuisse, neglecto Euangelicæ prædicationis officio, plurimum tandem doluit. Ecce (inter cætera inquit) mundus sacerdotibus est plenus: in messe tamē Dei rarus inuenitur operarius. Officium quidem accipimus, sed opus officij non implemus. Nullum puto, fratres, ab alijs maius præiudicium, quàm id quod à sacerdotibus tolerat Deus. Plerunq; enim, si quos humiliter, si quos continenter uiuere conspiciunt, irrident. Considerate ergo, quid de gregibus agatur, quando lupi pastores fiunt. Hi custodiam gregis suscipiunt, qui insidiari gregi Dominico non metuunt: sed susceptæ benedictionis ministerium uertunt ad ambitionis augmētum. Dei causas relinquimus, ad terrena negotia festinamus: locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur, &c. Ita ut Baptista Mantuanus de illo dicat in 3. Fastorum libro:

Ore, manu, facundus erat. monumenta supersunt
Plurima: fatur adhuc, nec fari desinet unquam.
Hic docuit cantare choros, melicisq; animauit
Verba notis, sacrisq; dedit formamq; modumq;.
Composuit mores hominum, sua secula fecit
Celsa: sacerdoti decus usq; in sidera misit.

Mirabilem de hoc pontifice refert historiam Huldricus Augustanus episcopus, in epistola sua ad Nicolaum primum. Cuius summa est, quòd iste Gregorius primò sacerdotibus mandauerit cœlibatum: sed postea comperto, quòd clàm libidines exercerentur, indeq; multi concepti fœtus trucidarentur, id mandatum abrogauit: dixitq; melius esse nubere, quàm cædibus causam præbere. Nam cum aliquando in piscinam quandam piscatum misisset, inuenta sunt in eadem 6000 submersorum infantiū capita. Quod uidens ex uiolento cœlibatu prodijsse, ex imo pectore dolens ac ingemiscens, edictum illud protinus reuocauit. Non tantum enim à uirginibus & coniugatis sibi non abstinuerunt: sed etiam cum consanguineis, cum masculis, atq; adeò pariter cum brutis (dictu horrendum) fœdè sese commiscuerūt, ut idem Huldricus docet. Post huius Gregorij tempora secutæ sunt maiores tenebræ quàm prius. Deperijt doctrinæ puritas, ecclesiaq; humanis traditionibus mirum in modum obscurata fuit. Nam monachatus cum multiplicibus superstitionibus uehementer auctus est. Accreuit inde cum Missarum nundinatione, mortuorum inuocatio: & Eucharistiæ mysterium pro mortuis offerri cœpit. Episcopi quoq; per spirituum, uel potius diabolorum, apparitiones decepti, à doctrina fidei ad operum fiduciam & humanas satisfactiones defecerunt: id quod palàm constat de prædicto Gregorio. qui in Dialogis ad Theodolindam, multæ superstitionis fœminam, mortuos apparuisse, & suffragia postulasse recenset. Labente ita Christianismo ad cæremonias, irrepere mox aggreditur per monachismum superstitio cæca.

Misit Gregorius, ut dictum est, Augustinum monachum Romanum cum socijs ad Anglos, anno Domini 596, non ut Christum, cuius doctrinam puriorem Brytanni prius habebant à Iosepho et Asianorum ecclesijs, illic doceret: sed ut Romanam religionem, hominum mandatis & traditionibus refertam, intruderet. Erant semper apud Brytannos, ueritatis prædicatio, doctrina sincerißima, uiuificatrix fides, & cultus tales, quales ab ipsis Apostolis mandato diuino traditi erant Christianorum ecclesijs. Vnde Galfridus Monumetensis, lib. 8. cap. 4. de Brytannorum gestis: In patria Brytonum (inquit) adhuc uigebat Christianitas, quæ ab Apostolorum tempore nunquam inter eos defecerat. Postquam autem uenit Augustinus, inuenit in eorum prouincia 7 episcopatus, & archiepiscopatum

unum, religiosissimis præsulibus munitos: & abbatias complures, suarum manuum labore uiuentes: in quibus grex Domini rectum ordinem tenebat, &c. Apparet etiam, pastores apud eos fuisse diligentes in retinenda doctrinæ puritate, per Dionotum Auonium & socios: qui in ea fortiter ad mortem usq; persliterunt, contemptis Romanistarum cæremonijs, ne dicam idolomanijs atq; comminationibus. Intrabat Augustinus, non cum Euangelio pacis Christianæ, sed cum Apostolatus sui uexillo, cruce argentea, letania, processione, iconibus, simulachris depictis, reliquijs, canticis, ac ritualibus libris.

Cum uerò ad eius colloquium, in occidentali Anglorum patria, Brytannorum episcopos et doctores anno Domini 602, regis authoritate cōuocaret, ut Romanis ritibus cōmunicantes, seipsos ei subijcerent: illi ad synodum ituri, solitarium quendam ac prudentem uirum prius consuluerunt, an eius mandata sequi, suasq; à patribus sumptas traditiones deserere liceret? Si homo Dei est (inquit) sequimini illum. Et unde id probabimus? interrogant. Scitis (ait) Dominum præcepisse: Tollite iugum meum super uos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Si talis ergo sit Augustinus ille, credibile est quòd Christi iugum & ipse portet, ac uobis portandum offerat. Si autem superbus aut immitis fuerit, constat quia non est à Deo, neq; uobis est eius sermo curandus. Et unde id sciemus? inquiunt. Permittite, ait, ut ipse prior cum suis ad synodi locum ueniat. Et si aduentantibus assurrexerit, scitote quia Christi seruus est, & obtemperate illi. At si uos spreuerit, aut parui æstimauerit, & nullum benignitatis signum ostenderit in uultu, cum numero plures sitis: spernatur à uobis & ipse. Cum ergo uenissent, et Augustinū in sella ambitiose sedentem, nec eis amicitiæ signum aliquod præbentem uidissent, in iram mox conuersi, eumq; superbiæ notantes, cunctis quæ illis proposuit, cōtradicebant. Improperabat enim eis, quòd uniuersalis ecclesiæ consuetudini contraria in multis gererent: præsertim in Paschalis festi celebratione, in ministerio baptismi, & in prædicationis officio, & quòd hominum traditiones non curarent. Mandabatq;, ut in his atq; alijs Romanæ ecclesiæ mores & ritus obseruarent. At illi nihil horum se facturos, neq; illū pro archiepiscopo habituros esse, respondebant. Quibus ipse futura bella promisit, ac mortis ultionem, quæ mox sequebatur, ferociter minitabatur. Vide Bedam in Ecclesiastica historia gentis Anglorum, lib. 2. & cap. 2. ac prædictum Galfridum. Veruntamen de hoc Augustini atroci facto non satis admirari cogor, cum Gregorius antea disseruerit, & ad illum scripserit, non esse necessariam cæremoniarum in omnibus ecclesijs similitudinem, sed unamquamq; sibi optimas eligere debere. Sed talis esse solet hypocritarum tyrannis. De his Mantuanus in Fastis:

Adde quòd & patres ausi taxare Latinos:
Causabantur eos stultè, imprudenter, & æquo
Durius, ad ritum Romæ uoluisse Brytannos
Cogere, & antiquum tam præcipitanter amorem
Tam stolido temerasse ausu. Concedere Roma
Debuit, aiebant, potius quàm rumpere pacem,
Humani quæ iuris erant, modò salua maneret
Lex diuina, fides, Christi doctrina, senatus
Quam primus tulit ore suo: quia tradita ab ipso
Christo erat, humanæ doctore & lumine uitæ, &c.

Vt paucis absoluam: stellæ adhuc Romani pontifices erant, sed ex Christi dextera cadentes ad terram, à quibus cœlum recessit, Apoc. 6. et per equum rufum mysticè adumbrantur, cuius sessori datum est pacem de terra sumere, & inuicem interficere. Vnde sicut in prima classe Romani pontifices sub episcoporum nomine, per incorruptum uerbi ministerium, & fidei constantiam, stellæ in Christi dextera manentes fuerunt, Apoc. 1: ita in hac secunda, sub archiepiscoporum & patriarcharum appellatione, per eiusdem uerbi neglectionem ac terrenas affectiones, stellæ ad terram cadentes erant, Apoc. 6. In tertia uerò, quæ statim sequetur, sub Paparum & Antichristorum uocabulo, per plenam à Christo defectionem & apertas idololatrias, sidera in terram delapsa erunt, Apoc. 9.

BEVLA-

BEVLANVS PRESBYTER. LXXI.

BEulanus presbyter, Nennij post Eluodugum præceptor, ex iuuētutis suæ laboribus sanctis, excellentem doctrinam cum uitæ puritate, multorum testimonio, coniunctam habebat. In eo quidem erant plurimarū rerum cognitio, *orationis ubertas*, & ardens pro Dei ueritate publicanda studium. Samuelem ex læta matre mirificam prolem, quum adhuc Brytānicis sacerdotibus *coniugia* essent libera, diuino dono suscepit. Quæsitæ ab illo diligenter erant, in historiarū lectione, Anglosaxonū origines, postquam essent Brytanniam *ingressi* (tam accuratus fuerat rerum abditarum explorator) ut inde sciret, ex qua post diluuium processissent gente, & quas natura ipsa *conditiones haberent*. Vnde ex collectionibus uarijs coaceruasse fertur,

De genealogijs gentium, Lib. 1.

Quòd alia condiderit opuscula, nō inuenio. Claruit anno incarnati Dei filij 600, sub præfato Carentio. Anglosaxones eo anno Brytanniam ferè totam tyrannide occupabant: & Gregorius in eandem, ad Augustinum scribens, Papismum induxit.

ELBODVS PRAESVL. LXXII.

ELbodus præsul, *literarū titulo bonarum*, Lelandi calculo insignis, magnam apud Cambros iniuit gratiam: & initam solidè, qua erat prudentia, retinuit. Enatus error de paschali celebratione, quem tertiùm in Brytannia regnasse idem Lelandus dicit (si tamē error sit) Arriū in plus quàm centum annis præcessit, Pelagium uerò plus ducentis. Non error in religione id esse mihi uidetur, quod ab apostolicis uiris, imò ab ipso Ioanne Euangelista processerit. Polycrates enim atq; Irenæus, Victori pontifici Romano restiterunt, quòd Asianis (à quibus Brytanni ritum acceperant) onus hoc imposuisset: arceri quippe non debuerant, quos Christus *liberos fecit*. Et Paulus huiusmodi dixerat fuisse futurorum umbras: seq; pro illis frustra laborasse, qui dies, menses, tempora, et annos obseruarēt: *quū ueris* Christianis nulla sit *dierum* differentia. Equidem Christus Dei cultum à uisibilibus ad inuisibilia transtulit. Non ergo opportunè (ut Lelandus habet) huic Elbodus uel longo tempore se totum opposuit, tum Brytannos, tum Scotos perstringens. Ob id tamen ab Augustini clero fiebat Venedotarum archiepiscopus, & eo maximè quòd scripserit

De ratione Paschæ, Lib. 1.

Historiamq; sui temporis, Lib. 1.

Et alia. Claruit anno post Christi in carnem aduentum 610, Babylonicæ (ut apparet) meretricis calice per Augustinum potatus. Nennium ac Samuelem familiarissimos hic habuit, de quibus postea plenius nostro more dicemus.

TERTIA ET VLTIMA ROM. EPISCOPORVM CLASsis, à Bonifacio tertio ad Paulum quartum: in qua ipsissimos esse Antichristos, in carnis superbia gloriantes, atq; in tyrannide Satanam imitantes, apertè se ostendunt.

ABADON, VEL LATINVS ANTICHRISTVS.

Anno ab incarnatione Domini 604, Phocas tyrannus peremit suum dominum, Cæsarem Mauritium, unà cum uxore, fratre, ac liberis, multisq; proceribus. Ad hunc annum, additis adhuc duobus annis, usq; ad Papatus initium per eundem Phocam, sunt 666 anni, à consulatu Marci Tullij Ciceronis & Antonij: ut aptißimè colligunt, Bibliander, Funccius, & alij, quando Iudæi libertatem amiserunt,

runt, pontificibus eorum de primatu altercantibus. Christus enim in sua reuelatione (ut colligit Bibliander) quam per Ioannem, dilectißimum apostolum, Ecclesiæ tradidit, dominatum quendam tyrannicum prædicit afflicturum esse illam ecclesiam Dei ueram: sicut olim fecit Nero, Domitianus, et alij. Et uocat Bestiam habentem duo cornua agni similia, utiq; Christi æmulam: quæ tamen loquatur ut draco, ut cacodæmon, & sæuiat nihilo clementius quàm fecit prior bestia, quæ Petrum, Paulum, & agmina ingentia sanctorum prostrauit. Quæ quidem portentosis operibus in eum stuporem conuertat mundum, ut nemo poßit emere aut uendere, nisi habeat characterem aut nomen bestiæ. Nomen autem notis literarum χ ξ ς mysticũs profert, & ad indagandum excitat, dicens: Hic est sapientia. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. numerus enim hominis est: & numerus eius 666. Apoc. 13. Quid sibi autem uolunt notæ, nisi ut tempus inuestigemus, quo bellua ista prodeat è terra & abysso, ac uastet rempublicam Christianam? Quomodo autem aptabis, nisi certum tempus habeas, quo Pompeius sceptrum Iudæis eripuit, iuxta celeberrimum uaticinium patriarchæ Iacob: & ingressus templum, adytum ipsum etiam profanauit? Id uerò factum scribitur sub Ciceronis consulatu, ut dictum est, Iosepho etiam teste, anno ante Seruatorem natum 60. Illis 60 annis adiungas 606, usq; post mortem Gregorij Magni, qui uaticinatus est illum fore Antichristum, qui uniuersalis episcopus haberi uellet, aut omnium ecclesiarum caput. Circumspice igitur oculis uigilantibus, qualia tempora fuerint anno 666, à capta Hierosolyma per Romanos, duce Pompeio: & stupenda quædam occurrent temporibus Phocæ huius Imperatoris. De quo Guilhelmus Stantphurdius in sua farragine:

Suffocat imperium Phocas, stabilitq; Papatum,
Impia per regni mittendo diplomata fines,
Primatum Latij quibus antitheiq; Draconis,
Fortiter ad cunctam confirmet posteritatem,
Et bona quòd facies fieri cupit, illico præsul
Eduntur toto bullata diplomata regno.

Deinde numerum istum mysticum, plenum sapientia quadam singulari, apta natali Christi, apta passioni Dominicæ, apta ei tempori quo Titus euertit urbem, aut Domitiani 15 anno, quando Apocalypsis scripta est, & semper aliquid monstrorum in ecclesia offendes. Et ut ad res Anglicas reuertar, Anno Domini 593 Anglorum heptarchiam, Colmannus, Haringus, & Fabianus cœpisse referunt: qua post annos 1735, à Bryti primi eorum regis initio, regia dignitas apud Brytannos cessauit. Nam Brytanni, ut Paulus Diaconus lib. 14. scribit, pro adiutoribus hostes, impugnatoresq; acerrimos, Anglos infideles, arma crudelia in eos conuertentes, senserunt. Anno Domini 596, Augustinus prædictus, à Gregorio missus, in Angliam uenit, non improbans, sed confirmans ipsorum Anglorũ impijßimas proditiones, horribilia furta, & homicidia plusquam Neroniana. Anno Domini 600, archiepiscopale pallium Augustino Gregorius dedit: Londino, ut dictum est, suo iure indecenter spoliato, ad utriusq; & reipublicæ & religionis perniciem, atq; tandem imperij Brytannici uastationem, indéq; eriguntur templa magnifica. Brytanni prius ecclesias suas æterno patri Deo, atq; eius filio Christo seruatori dedicatas habebãt: sed Angli deinceps statuis ac mortuis sanctis sua templa consecrabant. Anno Domini 604, occiso Mauricio Christiano Imperatore, Phocas adulter & homicida imperabat: ceciditq; in ipso, cum nobilißimo Græcorum imperio, Cæsarea maiestas: Romanaq; per Papatum ab eo concessum ac stabilitum diminuta est, & ad nihilum tum demum redacta. Anno Domini 606, in Nouẽbri ac Decembri, ut Paulus Diaconus 18 libro indicat, cometes miræ magnitudinis, oriente ipso Papatu, apparuit: uisiones prodigiosæ fiebant, ac monstra quædam marina ad terrorem multorum sese ostendebant. Sub dicto igitur Phoca tyranno ac Cæsaricida (quod in Papis mysterio non uacat) Papismus & Mahumetismus simul sunt exorti, qui multis in regionibus doctrinam de Dei filio corruperunt, obscurarunt, labefactarunt. Nam altero eiusdem Phocæ Cæsaris anno, iuxta Bibliandrum, Mahumetes Alcoranum recitauit: ita ut simul (inquit) expergefiant tria capita aquilæ, iuxta diuinum somnium ex quarto Esdræ libro, scilicet Phocas ipse, papa Bonifacius, & Mahumet Arabs. Sequitur nunc tertia classis de Papis Ro. quæ diuiditur in quinq; sectiones.

HVIVS TERTIAE CLASSIS SECTIO PRIMA, DE PApis uel Romanis Antichristis, in regno magnæ Bestiæ: quod dicitur tum Sodoma, tum Aegyptus, Apoc. 11. usq; ad Ioannem octauum.

PAPAE, VEL ANTICHRISTI ROMANI.

1. *Bonifacius tertius, Romanus, ambitiosa bestia, à Phoca imperatore, adultero, parricida, ac tyranno, in maximo hominum tumultu, anno Domini 607, reclamantibus plurimis tum episcopis tum ecclesijs, in Papatu sublimatur, confirmatur, adoratur, & omnium episcoporum dominus & princeps acclamatur. Hic ardenti petitione, sed largitione multo fortiori, obtinuit, ut Romana sedes omnium ecclesiarum diceretur caput: adductis his friuolis rationibus, quòd Imperium à Roma primũ habuerit suum nomen, & quòd Petrus suis successoribus (mendacium ac blasphemia) Romæ tradiderit claues. Ad hunc modum constabilita est huius Antichristi authoritas maligna, in omni uirtute sui fundatoris, scilicet adulterio, parricidio, ac tyrannide. Ita ut non Christi, sed Phocæ scelestißimi proditoris uicarius: non Apostoli Petri, sed apostatæ Iudæ atq; ipsius Sathanæ successor haberetur. Quàm splendidum sit hoc huius monstri tam execrabilis initium, quod se tam arroganter ecclesiæ Christianæ caput iactitat, lectorem hoc loco meminisse operæprecium erit. Super mendacio & apertißimis nugis, non supra petram Christum, fundatus est hic principatus, seu potius pompatica tyrannis. Os rugientis leonis accepit hæc bestia Bonifacius, & loquebatur ut draco, Apoc. 13. dum his uerbis authoritatem firmaret, iuxta Platinam atq; alios scriptores: Volumus & mandamus, statuimus ac præcipimus: dumq; esset non Ecclesiæ, sed aquilæ alterum caput, iuxta uaticinale somnium Esdræ. Sic propter populi peccata, hypocritam regnare fecit Deus, Iob 34. Constituit in sua superbia post Phocam, ut Rom. sedes cæteris omnibus deinceps anteferretur, habita episcoporum synodo: & ne quis sub anathematis pœna in locum demortui pontificis surrogaretur, nisi tertia saltem post obitum eius die: & ne largitione aut gratia quis pontificatũ ambiret, quamuis ipse prius id fecerit. Voluit item pontificis electionem, à clero pariter & populo fieri (sed id nõ diu durauit) interposita hac clausula, Volumus et iubemus. Ab hoc tempore cœlestis doctrinæ puritas in ecclesia euanuit, ac ualde est crescentibus superstitionibus obscurata. 2. Thes. 2. Bonifacius iste anno Domini 607, nondum expleto pontificatus anno, rebus humanis excesßit.*

2. *Bonifacius quartus, è Valeria Marsorum urbe, Pantheon, fœdißimum falsorum deorum templum, à Cæsare Phoca impetrauit, ut in eo, Cybelis spurcißimæ deorum matris loco, Maria Christi seruatoris mater, cum martyribus sanctis coleretur. Horrenda certè mutatio, & cum D. Pauli doctrina tanquam ex diametro pugnans, ut quod idolis dedicatum sit, uerteretur Christianis in usum sacrum: si sacer sit usus ille. Vuicelius tamen id factum laudat, & in pietatis usum conuersum esse fatetur: adeò pro uentre delirare norunt ingeniosi pontificiorum sophistæ. Sed Phocas horũ & similium flagitiorum meritas tandem pœnas luit, ab Heraclio successore imperio & uita priuatus & amputatis manibus ac pedibus in mare proiectus. Antea in eodem templo, ut Petrus Premõstratensis refert, multoties erant à dæmonibus percußi Christiani homines, sed postea nõ: fortaßis quòd essent ex hac mutatione amici eorum facti, & eiusdem profeßionis cum primis cultoribus. Instituit Bonifacius omnium sanctorum festum: & ut maiorem Missam eo die Papa semper celebraret, ordinauit. Decreuit quoq;, ut nitidus pannus seu corporale, ad sacerdotis usum, dum consecraret (ornamentum ualde sacrum) in altari sterneretur. Ex paterna domo monasterium fecit, monachis fundos dedit: quibus etiam prædicandi, baptizandi, & absoluendi potestatem tribuit. atque ita sunt in tribum Leuiticum assumpti. Et anno Domini 614 extremum diem obijt. De Pantheon templo, sic habet Mantuanus:*

Pantheon hoc templum, Phoca donante recepit Romulidũm pastor Bonifacius: atq; fugatis
Inde simul cum matre deis, solenniter omnes Transtulit ad superos, &c.

3. *Theodatus primus, seu Deusdedit, Romanus, Stephani subdiaconi filius, spiritualem cognationem ex testibus in paruulorum baptismo, ne nihil in Papistico regno fecisse uideretur, primus adinuenit. Constituit autem, ne patrimus patrimam, aut filius patrimi puellam è sacro fonte à patre leuatã, in uxorem ducere posset. Quod equidem non paruum Antichristi indicium fuit, legitimas ac liberas*

à Deo permissas Christianis hominibus nuptias, cum Taciano, Montano, & alijs hæreticis prohibere. Hinc illa spiritualis (ut uocant) cognatio suam traxit originem: de qua non in Biblijs sacris, sed in Pontificiorum decretis profanis fit mentio. Ferbuit illa ætate perniciosus morbus, lepræ aut elephantiæ proximus: qui adeò deformauit in facie homines, ut uix internoscerentur. Moritur Theodatus anno Domini 618, post tertium sui pontificatus annum. Hic obseruare licebit, quòd nullus Paparum ex hoc tempore, non egregij aliquid pro Romanæ sedis tyrannide constituens, diu superuixit.

4. Bonifacius quintus, Campanus, liberam suis decretis alendorum furum atq; homicidarum in locis sacris potestatem concessit. Idemq; constituit, ne latrones aut sicarij, ad templa, cœmiteria, & aras, tanquam ad asyla confugientes (afferentes tam amant) uiolentia, aut fortitudine ulla inde traherentur. Acolitos prohibuit (res magni periculi) ne martyrum ossa uel reliquias attrectarent. Sacrilegos in quouis loco (nam auferentes odiunt) anathemate feriri mandauit. Testamentũ iussu principis factum, ubiq; ualere uoluit. Quod tamen postea eius successores ad se traxerunt: ita ut nisi ipsi comprobassent, diuitum testamenta ualere nequirent. Cœmiteria extruxit, ac dedicauit. Qui & anno Domini 623 ex uita demigrauit.

5. Honorius primus, Campanus, Vuicelio teste, bonus Papa fuit: sed, ut apparet, negligens pastor: cleri reformator in seruandis cæremonijs, non tamen in ministerio diuini uerbi: quoniam ad mores, non doctrinam: ad templorum ædificia, non ad obseruationem præceptorum Dei, hæc facta sunt. Templorum enim tam extructor quàm reparator erat: sed nõ animarum per Euangelij laborem ædificator, quod ipsi legimus. Basilicam D. Petri, tegulis æneis à Ioue Capitolino seu Romuli templo Heraclij Cæsaris permissu ablatis, òpperuit: et urbem nouis templis, de pauperum substantia locupletauit. Aedes Pancratij & Agnetis restituit: ac cœmiterium Marcellini & Petri ad pristinum usum reuocauit. Templa Anastasij, Seuerini, Cyriaci, Hadriani, Syluestri, & quatuor Coronatorum, magnificentißimo opere erexit, auroq; & argento ac porphyreticis lapidibus ornauit. Festum exaltationis S. crucis instituit, inuocationes sanctorum mortuorum (impostor) Gregorij letanijs addidit, & ut processio sabbatis fieret ordinauit. Hinc circuitiones in ecclesijs originem habere uidentur. Anno Domini 634, Honorius hic fato concessit: sub quo Mahumetes caput extulit.

6. Seuerinus, uel Zepherinus secundus, Romanus: Heraclij imperatoris nomine, per Isacium Italiæ exarchum (inanis enim tum uidebatur plebis electio) in Papam erat confirmatus. Qui etiam ualde studiosus fuit in extruendis mortuorum sanctorum templis: at in uiuificantis Euangelij ministerio nihil. Inde igitur ablatus est ingens ecclesiæ thesaurus, per dictum Isacium: qui indignabatur tantum eos in thesauris habere, nec quicquam in usus bellicos conferre, præsertim cum milites magna rerum inopia laborarent. Nam Saraceni Damascum, Arabiam, Phœniciam, Aegyptum, & alia mundi regna (diuina planè ultione) Romanis tunc ademerunt: & Sisebutus Gothus Hispaniam, ad imperij detrimentum non modicum. Non excommunicationis fulmine tamen contriuit papa Seuerinus tam impudentem sacrilegum, qualis fuit Isacius ille: quoniam adhuc ferenda crux erat. Sed aliam posteri uiam inuenerunt, qua & Dominos & cruces eiusmodi omnes abijcere ualuerunt, ut in sequentibus eorum factis clarebit. Scotos super paschæ celebratione per epistolam redarguit: & anno Domini 636 tandem deceßit.

7. Ioannes quartus, Dalmata, ex damnis prædecessori nuper illatis prudẽtior factus, Istrios & Dalmatas, conterraneos suos, à Longobardis bello captos, thesauris ab Isacio Laterani relictis, à captiuitate redemit. Et statim post sui pontificatus initium, ne deinceps similia fierent, constituit, ut res ecclesiasticæ tam temerè ablatæ, in quadruplum restituerentur: quod nescio an ab omnibus approbatum sit. Ad Anglos ille scripsit, pro paschate celebrando, & contra Pelagianam hæresim: quæ & apud eos tunc reuiuiscebat, ut Bedas refert in libro de Ratione temporum. Vincentij & Anastasij, duorum martyrum, corpora ex Dalmatia Romam transferri fecit, ut à Barbarorum manibus seruarentur: ad futuram idololatriam fouendam, quæ maior est adhuc barbaries. Hic anno Domini 638, necdum expletis duobus annis in ipso Papatu, emigrauit. Eius tempore Rotharis Longobardorũ rex, secta Arrianus, sed, ut Platina scribit, iustitia ac pietate insignis, in singulis sui regni ciuitatibus duos episcopos pari potestate præesse permisit: unum Arrianum, alterum Catholicum. Quod utinam in

Brytannia nunc fieret. At non potest, cum illic sub regina Maria & cardinale Polo Papistæ dominentur, omnibus paganis, hæreticis, ac tyrannis truculentiores.

8. Theodorus primus, Græcus, Hierosolymorũ episcopi Theodori filius: cõstituit in Paschæ uigilia, Paschalẽ cereum cõsecrari. Templa Romæ plura instaurauit, oratoria à fundamentis construxit, Pyrrhum patriarcham Constantinopolitanum ob hæresim exautorauit, quorundam sanctorũ corpora thecis ac tumbis ornauit, reliquias martyrum in sacris ædibus collocauit, adhibitis ornamentis aureis atq; argenteis: & contracta post simplex uotum matrimonia dirimi uetuit. Quibus peractis, anno Domini 646 hic Papa defunctus est.

9. Martinus primus, patria Tudertinus, sanctus à papistis habetur: quòd ociosus pastor & idolum, nihil memoria dignum fecerit. In Romana synodo leges quasdam de festis diebus ac templis ornandis, quas ipsi idolorum cultores antea seruabant, constituit: & ut sacrificuli comas raderent, arctè præcepit. Episcopis mandauit, ut chrisma, quod uocant, sacrum singulis annis conficerent, & ad omnes suarum diœcesium ecclesias mitterent. Votum cœlibatus, conscientiarum carnifex, pro Sodoma confouenda, clericis imposuit: & post initum matrimonium, ante carnalem copulam sponsum ac sponsam à sacerdote benedici iussit: tanquam sine eorum præstigijs non sufficeret Dei benedictio, Gen. 1. Vehemens in sectas (inquit Vuicelius) illas excommunicabat: quas tamen debuerat per scripturas admonere. Paulum patriarcham Constantinopolitanum deposuit: non cum Apostolo, post unam & alteram correptionem declinauit, Tit. 3. Propterea cathenis uinctus, & Constantinopolim perductus, in exilium à Cæsare Constantio pellitur: ubi anno Domini 653 miserè demum moritur.

10. Eugenius primus, Romanus, laudatus à moribus Papa, Vuicelio teste, nihil eximium fecit. Ille tamẽ iussit, ut episcopi carceres haberent, pro puniendis, nõ idololatris, adulteris, aut pæderastis, quorum apud eos ingens erat numerus: sed hæreticis, ut Christum purè confitentes appellare solent. Ita sensim ad se traxerunt potestatem ciuilis gladij, tyrannidemq; plusquam Nimrodicam exercuerunt. Monachis præcepit, ne exirent cœnobia sine superioris consensu, ut occulta manerent omnia: & ut sacrificulorum domicilia iuxta ecclesias extruerentur, sanciuit. Romæ etiam in conuentu statuit, episcopis non licere, ecclesiæ bona in proprios usus conuertere. Ad extremum anno Domini 656 animam efflauit.

11. Vitellianus, patria Signinus uel Campanus, musicus insignis, ecclesiasticam regulam scripsit, cantum in templis ordinauit, & organa per consonantias humanis uocibus adhibuit. Iuxta illud Baptistæ Mantuani, in quarto Fastorum libro:

Signius adiunxit molli conflata metallo
Organa, quæ festis resonant ad sacra diebus.

Hic Ioannem quendam, cuidam ecclesiæ inseruientem in Creta insula, apud eius loci episcopum (inustæ conscientiæ hypocrita) per literas accusauit, quòd uxorem haberet. Oratores monachos in Angliam misit, Theodorum quendam Græcum et Hadrianum Aphrum, circa annum Domini 666, qui à Christo nato numerus est nominis Bestiæ: ut fluctuantes in suscepta fide Papistica, confirmarent, et ut Antichristi charactere credentes suos signarent, Apoc. 13. Horas Latinas, cantiones Latinas, ceremonias, missas & idololatrias Latinas, aliasq; inanes nugas, ceremonias & circulationes omnes in templis, Latinè fieri disposuit, iuxta Græcam dictionem Lateĩnos, quæ per literas numerales prædictum Bestiæ numerũ perficit. Tonsuras mandauit, unctiones præcepit, & sub illis authoritatem emendi & uendendi in nundinationibus Papisticis cõcessit, Apoc. 13. Vitellianus autem, anno Christi 671, post uarias imposturas, uitæ suæ finem est sortitus. In hac plena ætate Bestiæ, fucata monachorum sanctitas in magno precio erat, coram excæcato in tantis superstitionibus mundo. Triaq; mirabilia ualde magna tum fiebant. Monachorum cœnobia erigebantur, reges in monachos tondebantur, & quotidiana scortatio statim erat in sanctam canonizata.

12. Theodatus secundus, aliàs à Deo datus, patria Romanus, ex monacho pontifex factus, cœnobium D. Erasmi in Cœlio monte, ex quo olim prodierat, sumptuosius auxit: & Benedicti Nursini, sui ordinis patriarchæ corpus, unà cum sorore Scholastica, à monte Casino ad Floriacum in Gallijs per monachos transferri permisit. Templum D. Petri in uia Portuensi, iuxta Meruli pontem, tum instaurauit,

stauravit, tum dedicavit: ac supplicationes pro abolẽdis prodigijs quæ suo tempore contigerunt, frequentes fieri iussit. In fata Theodatus concessit anno Domini 675, post quartum sui pontificatus annum. Quo tempore iris cœlestis apparuit, & contremuit terra mirum in modum. Per pluuias & tonitrua conculcatæ sunt segetes omnes, sed iterum postea sunt renatæ.

ETHELBERTVS CANTIORVM REX. LXXIII.

ETHelbertus, Cantiorum rex quintus, Ermenrici regis filius, & Hengisti primi pronepos, adolescens adhuc, post defunctũ patrem regni suscepit regimen: ut est apud Guilhelmum Malmesburiensem in libro primo de regibus. Rei bellicæ studiosus, atq; animo egregius, Polydoro teste, primus omnium ciuile bellum aduersus suæ nationis regulos gessit, quo fines regni usq; ad Humbrum amnem propagasse fertur. Atq; omnium Anglosaxonum primus, à Gregorio primo Romano pontifice, Romanę religionis dogmata, cum omni impostura, Berthæ coniugis incitamento, per præfatum Augustinũ recepit. Nihilominus uitabat in domo cum eis inire colloquium: timens ne pręstigijs eum fallerent, ut habet Bedas. Ad illum postea scripsit Gregorius epistolas, pro suscepta fide gratulatorias, proposito Constantini Magni exemplo: & ille regratiatorias denuò remisit. Abolitisq; tandem paternis legibus, nouas sapientum consilio, iuxta Romanorũ consuetudines, in Anglosaxonum sermone constituit: quas intitulabat, ut Bedæ uerbis utar,

Decreta iudiciorum, Lib.1.
Ad Gregorium pontificem, Epist.1.
Ad Augustinum & suos, Epist.1.

Et alia. Idolorum delubra, pro ampliandis his cultibus nouis, in Christianorum templa ac monasteria uerti permisit, imò iussit, & prouentib. auxit: è uitaq; migrauit anno à Christi natali 616, regni sui 56, ac suscepti Papismi 21.

NENNIVS BANNOCHORENSIS. LXXIIII.

NEnnius Bannochorensis collegij pontifex (ita illum Capgrauus appellat) & egregius Brytannorum doctor, olim fuit Eluodugi Probi atq; Beulani presbyteri discipulus non infimus. Qui sapientia clarus, religioneq; conspicuus, & sacram Euangelij doctrinam à primæua adolescentia cõsecutus, eandem in alios conterraneos largissimè, per Cambrorum fines & propinquas Scotorum insulas profudit. Ex illis nempe quinquaginta fratribus erat, quos sub cruenta per Anglosaxones, incẽsore Augustino, cæde, ne cum alijs perimerẽtur, illæsos fuga seruauit: ut est apud Bedam lib. 2. capite 2. Porrò Bannochorense apostolicorum hominum collegium ingens, cuius tunc præpositura gaudebat Nennius, bis mille ac centum ante eius tempora inhabitatores habebat: qui non Basilio aut Benedicto, sed ipsi militabant Christo Domino. Hi in septem particulares conuentus distincti, iuxta numerum ecclesiarum Asiæ, trecentis unicuique datis ad sanctæ Trinitatis honorem: earundem ecclesiarum traditiones sub titulo Euangelistæ Ioannis obseruabãt. Testatur etiam Bedas libro 2. cap. 20. moris fuisse semper apud Brytannos, usq; ad suam ætatem, ut Anglorũ fidem & religionem pro nihilo ducerent, neq; ut magis eis quàm Ethnicis aut Turcis communicarẽt. Suscepit Nennius ab abbate Cœlano educandũ, dum casu ueniret in quandam Scotorum insulam, Fynnanum iuuenem elegantem, Lindisfarnensem postea præsulem: quem literis profanis ac sacris erudiuit. Hic non contemnendus author, ex annalibus Romanorum, Scotorum, & Saxonum, atq; ex Chronicis patrum Hieronymi, Eusebij, Prosperi, Isidori,

Isidori, Patricij, Teliesini, Melkini, Gildæ, Eluodugi, et aliorum, plura ac certa congesit. Composuitq; ex his omnibus, luculenta oratione et Latinè, historiam quandam,

De origine Brytannorum,	Lib. 1.
De urbibus eorundem,	Lib. 1.
Eulogium Brytanniæ,	Lib. 1. Ego Nennius Eluodugi disci.
Apologiam quandam,	Lib. 1.
Cosmographiam historiæ mundi,	Lib. 1.
Additiones Gildæ,	Lib. 1.

Alterius etiam Nennij chronicon in Latinam transtulisse linguam dicitur, ac plura addidisse. Claruit anno ab incarnato Messia 620, sub Cadvuano Brytannorum duce. Eius uerò historiæ, quam in Nordouicensi Carmelitarum bibliotheca uidi, Samuel Brytannus annotationes suas adiunxit.

APPENDIX.

Ex his atq; alijs, nō uidetur id uerum, quod ex Gilda Polydorus colligit: nempe, nulla extare apud Brytannos scriptorum monumenta. His etiam temporibus, post constabilitum Papatum, monachis ligandi ac soluendi potestas conceditur, latronibus & homicidis asyla parantur, atq; Christianis hominibus rerum consecratarum tactus sub anathemate prohibetur.

Ab anno Domini 607, incœpit Ecclesia per episcoporum politias gubernari: quarum adinuentores & excogitatores monachi pro maiori parte fuerunt, & ad Christianas regiones per Papas, pro confirmando Antichristi regno, prædicatores missi. Ita ut à Phoca tyranno, qui Papatū genuit, usq; ad Euangelij renouationem: doctrina Christi penes idiotas, & in latebris tantisper esset. Propterea Bonifacius quartus, monachos ipsos, in ligandi & soluendi officio confirmauit, ut in lib. 5. cap. 10. sui Polychronici Ranulphus Cestriensis habet: & sacerdotibus pares fecit, ut iniquitatis mysterium in hypocrisi fortiter operarentur. Interea tamen Christus, inter magnarum superstitionum tenebras, suam mirabiliter seruauit ecclesiam, datis semper quibusdam doctoribus mediocriter sanis: ut erant Isidorus, Beda, Aldhelmus, Alcuinus, Ioannes Mailrosius, Haymo, Strabus, Rabanus, Smaragdus, Remigius, Huldricus, ac similes aliquot.

APPENDIX ALIA.

Anno Domini 615, Laurentius, monachus Italicus & archiepiscopus Cantuariensis, ex quadam synodo in Mona insula (Capgrauo teste) post disputationes peracres, Scotos & Hybernos ad ritus Papisticos per literas hortatorias inuitauit. Nam Columbanus, Scotorum ac Pictorum doctor, ut Tritemius narrat in Historiarū compendio, rustica simplicitate, pascha Dominico die celebrandum, nec docuit, nec didicit. Ad hunc annum quoq; Christianus Massæus, mille & ducentorum monachorum Brytannicorum crudelissimam interfectionē trahit: qui dum pro suo populo fideliter orarent, ac nollent Romanistarum parēre tyrannidi, immaniter trucidabantur. Sic carnalis tunc papistarum infidelium synagoga, ueram Christi apud Brytannos ecclesiam persequebatur. Mahumeticum regnum ac religio, his temporibus, non aliunde initium cœpit, quàm ex hac hæresi & dissensione dogmatum Christianæ fidei. Circa annum Domini 630, Honorius Cantuariensis archiepiscopus, parœcias suæ prouinciæ & clericorum officia, in certos ordines Papistico more disponebat. Hucusq; pontificibus Brytannicis ac prælatis Anglicis non licebat nisi super equas obequitare: ut Bedas, Ranulphus, & Fabianus referunt. Ex secundo Sleidani libro de Monarchijs, Heraclio regnante, anno Domini 639, quartum fuit concilium Toletanum. Et quia per Hispaniam pleriq; sacerdotes, precationem quam Christus ipse nos docuit, non quotidie, sed eo die solum orabant, quem Dominicum uocamus: decretum inter alia fuit, ut id corrigeretur. Item ut Apocalypsis Ioannis Euangelistæ, à Paschate doceretur in templis, adusq; Pentecosten. In eodem concilio, Isidoro teste, clericis legitimum coniugium, non autem consortium ancillarum, aut extranearum mulierum, concessum fuit. Anno Domini 640, Ercombertus Cantiorum rex, quadragesimale ieiunium in Angliam perduxit, Euersdeno teste, ac fidem Papisticam ferè consopitam reuocauit. Dagobertus Francorum rex tam incestuosus fuit, ut quocunq;

proficisceretur, scortorum agmina secum traheret, quæ reginarũ incederent habitu. Quam rem dum *liberè Amandus episcopus reprehenderet, in exilium est actus.* Ioannes de Molinis, *in speculo Carmelitarum, cap. 6.* A' *tempore Heraclij* Imperatoris (*inquit*) *usq; ad nostra tempora, die uergente ad uesperam, eclipsim passa Ecclesia, ad occasum cecidit, imò ferè ad defectionem peruenit, &c.*

VVORGRESIVS ABBAS. LXXV.

VVorgresius, primus abbas Glasconiæ, cœnobij apud Anglos sub Cõgelli seu Apostolicorum uirorum instituto celeberrimi, Brytãnici generis uir erat: ex ueritatis studio, & falsitatis odio, nullis per eam ætatem nõ notus. Sanctorum uirorum in hoc loco, ab initio prædicati per Albionem Euangelij, frequentia: nec non numerosa eorum in tam sacro cœmiterio sepultura: istum inter alios illuc pertraxit, & ædes erigere coegit. Habebat siquidem ad id, pacis tempore, adiutores multos & magnos, ita ut esset tandem in eo monasterio templum magnificum, Iosephi apostoli ac inclyti regis Arthuri sepulchris nobilitatũ. Perfecit hoc opus rex Inas, prædijsq; ditauit amplissimis: ut hospitalitate simul ac sanctis exercitijs, cæteris sui regni cœnobijs facilè præstaret: ut & posteris uideretur fuisse aliquando omnibus ornamentis dignum. Scripsit inter cætera Vuorgresius,

Historiam quandam, Lib. 1.
Homelias quoq;, Lib. 1.

Atq; alia plura, si Lelandi collectaneis credimus. Claruit anno à Christi seruatoris ortu, ut fertur, 630. habebatq; ex eodem cœnobio socium eruditum, Mavuornum episcopum, qui & annales composuit.

AIDANVS AVVINAS. LXXVI.

AIdanus Avuinas, insularis, ex Brytannorum et Pictorum sanguine uir religiosus ac doctus: à Scotis, ut eorum uicinus, ob uitæ parsimoniam impensè colebatur. Quicquid ex scripturarum lectione haurire poterat, in Huensi Apostolicorum etiam uirorum cœnobio, uir uita integerrimus, id operibus sanctis exprimere cupiebat. Totum ei studiũ erat, post uictas cõcupiscentias quasdam, ex diuinis dogmatibus aliorum uitia comprimere: infirmis, egenis, & captiuis quoq; prodesse. Hunc pius Northumbriorũ rex Osvualdus, à Scotorum rege Donvualdo, pro instruenda plebe, perlegatos petijt, & pariter ille cum eo, ob Anglicæ linguæ imperitiam, altero semper è suggestu interpres prædicabat. Suadebat Aidanus, non grauia legis, non cæremonias, aut Pharisæorum onera populis proponenda: sed lac primùm, iuxta Pauli pia monita, infirmis pectoribns ministrandum. Erant tunc, qui circa Paschæ obseruationem & consimiles Romanorum obseruantias, supra modum digladiabantur. Ille uerò, Northumbriorum seu Lindisfarnensis ecclesiæ pontifex primus,, per Osvualdum factus, fastu Romanorum rituum nulla persuasione irretiri potuit: sed Euangelij simplicitate contentus, omnia ueteri primitiuæ Ecclesiæ more, Brytannorum exemplo peregit. Edidit inter cætera uir spiritu Dei plenus,

Commentarios in scripturam, Lib. 1.
Homelias & conciones, Lib. 1.

De alijs nihil constat. Fatali necessitati concedens, anno nati Seruatoris 651, ministerij uerò sui 17, & pridie calendas Septembris, in suorum fratrum cœmeterio sepelitur. Cuius tandem ossa Dunelmum sunt in monasterium translata.

SAMVEL BEVLANIVS. LXXVII.

SAmuel Beulanius, genere Brytannus, Beulani presbyteri ex Læta coniuge

iuge filius, doctor affabilis ac benignus: legeq; catholica magnus erat, ut Nennius habet in additionibus Gildæ. In insula Vecthæ, quæ meridiem uersus ad quatuor circiter milliaria à litore Brytannico distat, à puero nutritus fertur, quòd eam oculatus tandem scriptor, tam aptè à situ, forma & nomine depinxerit. Fatetur quippe in sua historia, post ueteres authores, Ptolemæum ac Plinium, ouo esse similem, atq; eius uocabulum Guith, diuortiū significare: quasi maris fluxu, à Brytannia, ut à suo marito, separata sit. Post maturiores annos ad natale solum reuersus, Elbodum episcopum, multæ eruditionis uirum, pædagogum & magistrum habuit: qui illum literis tam diuinis quàm humanis copiose instruxit. Vtrinq; reuera plura didicit, ac memorię commendauit actuose. Multa in Nennij scriptis annotauit, quæ lucem desiderabant, Elbodi iudicium in multis secutus. Meminit preterea in quodam scripto, Deirorum ac Berniciorū, Septentrionalis Anglię populorum, usq; ad Vuedaliam & Mailrosiam: quod illum designat in illis ipsis olim uersatum regionibus. Et post uariam Chronographorū lectionem, inter ocia literaria, latinè fabricabat hic Samuel,

Annotationes in Nennium, *Lib.1.*
Historiam itinerariam, *Lib.1.*
Arthuri facta apud Scotos, *Lib.1.*

Et alia nonnulla. Claruit anno ab apparente in carne Dei filio, 640. sub Caduuallone Brytannorum duce. Huius ac Nennij, hucusq; manēt historiæ, inter tot bellorum clades: quamuis à Beda atque Polydoro, scriptorum raritatem criminantibus, non uisæ.

SIGEBERTVS PIVS. LXXVIII.

Sigebertus Pius, Orientalium Anglorum rex, Redvualdi regis pagani filius, atque olim impetuosa illius sæuitia in Gallias exul: Christianæ religionis illic mysteria post baptismū, unà cum bonis artibus imbibebat. Regnum tandem adeptus, post patris ac fratris obitum, ut erat optimè institutus, cupiebat suam gentem in his quæ ad literas & religionem spectabant, erudiri. Egit igitur cum Felice Burgundione quodam, suo quandoq; præceptore, quem Dunvuicensem episcopum fecerat, ut hæc quàm citissimè perficerētur. Et eius non inutili persuasione, anno Christi 636, Cantabrigiæ positum fuit bonarum artium gymnasium: ut illic pueri statim ab ineunte ætate disciplinis imbuerentur. Atq; ita bonas literas, in omni tunc Brytannia ferè sepultas, literatus & ipse, tanquam ab orco in lucem iterum reuocauit. Didicerat prius in Gallijs, patriæ nihil tam esse decori atq; literas, quæ omni ætati & utilitatem & solatium afferunt: nouerátq; in ea regionis parte semper fuisse rarissimas. Quòd Angli propterea successu temporis tulerint claros doctrina uiros, huic nō uulgariter acceptum referre debent, utpote qui talia iecerit fundamenta. Reliquit literarum ac literatorum Mecœnas Sigebertus, uelut alter Solon aut Lycurgus, plebi suæ,

Legum instituta, *Lib.1.*

Nihil aliud edidisse memoratur. Monachorum demum præstigijs illusus, in Cumbresburgensi cœnobio monachum induit: ac si periniquum fuisset, cum Dauide aut Salomone regnare. Meritasq; ignauiæ pœnas dedit, à Penda Merciorum tyranno, anno Domini 652, cum Egrico cognato interfectus.

IOANNES LELANDVS DE ANTIQVITATE Cantabrigiæ.

Olim Granta fuit titulis urbs inclyta multis,
Vicino à fluuij nomine nomen habens.
Saxones hanc belli deturbauere procellis,
Sed noua pro ueteri non procul inde sita est.
Quam felix monachus, Sigeberti iussa secutus,
Artibus illustrem reddidit, atq; scholis.
Hæc ego, perquirens gentis monumenta Brytannæ,
Asserui in laudem Granta diserta tuam.

CEDMONVS SIMPLEX. LXXIX.

CEdmonus Simplex, ex Anglosaxonũ genere, primò bubulcus, postea monachus, admirabili quadam uitæ innocentia famigeratus, in Pharensi cœnobio, quod alio nomine Vuhitbi uocatur, sub Hylda nobili abbatissa claruit. Vniuersam ferè scripturam sacram, nõ per hominem, sed admirando Dei dono didicit, historiasq; utriusq; Testamenti per rhythmos patrio sermone editos, miro artificio proposuit. Alij post illũ multi inter Anglosaxones erant, etiam docti, qui huiusmodi poemata eius exemplo condere tentauerant: sed nullus adhuc uenit, teste Beda, ei in hoc modulandi genere æquiparandus. Dormiẽdo etiam diuina pronunciasse carmina perhibetur, quæ uigilantes quidam ex eius ore scriptitabant. Contigit aliquando, ut uiros doctissimos audientes haberet, quos omnes & in sui admirationem pertraxit. Multorum animos ad mundi contemptũ, & ad desideria rerum cœlestium accendit. Neq; effundere quicquam poterat, quod non omnibus esset ad ædificationem. Et licet uir deiectissimæ simplicitatis uideretur, in carpendis tamen hominum uitijs ac blasphemijs, Thesbitis Heliæ & zelum & spiritum se habere commonstrabat. Stulta & contempta apud mundum selegit sic Deus, ut antiquaret sublimia. Ex inhabitante ergo Dei spiritu, Cedmonus instar psalmorum protulit cantica quædam, suaui cõpunctione plenissima; quæ aliorum manibus exarata, posteris exhibuit:

De creatione mundi,	*Cant.1.*
De origine generis humani,	*Cant.1.*
De tota historia Geneseos,	*Cant.1.*
De egressu Israelis ex Aegypto,	*Cant.1.*
De reditu in terram promissam,	*Cant.1.*
In laudem primi conditoris,	*Cant.1. Laudare nunc debemus, regni.*
De incarnatione uerbi,	*Cant.1.*
De passione Christi,	*Cant.1.*
De eius ascensione,	*Cant.1.*
De aduentu Spiritus sancti,	*Cant.1.*
De Apostolorum doctrina,	*Cant.1.*
De futuro iudicio,	*Cant.1.*
De terrore gehennæ	*Cant.1.*
De paradisi delicijs,	*Cant.1.*

Et per omnes ferè alias Bibliorum historias, poemata mirifica protulit: Claruit anno à Christianæ salutis origine 670, sub Egfrido Northumbrorũ rege, ultimam tandem uitæ suæ prædicens horam, inter dulcissima Dei eloquia, spiritum lætus efflauit.

DE

DE PAPIS, VEL ANTICHRISTIS Romanis.

13. Donus primus, patria Romanus, Papatum iniens, durissima tempora nactus est: in quibus agri & segetes fulminibus atq; imbribus emarcuerunt. Vestibulum fani D. Petri, quod Paradisum uocãt, columnis (Papale studium) primus exornauit: & quosdam Nestorianæ factionis monachos, Romæ repertos, in diuersa Latinorum monasteria post castigationes misit. Instaurauit præterea, & restitutas dedicauit, ecclesiam 12 Apostolorum in uia Hostiensi, & ecclesiam D. Euphemiæ in uia Appia sitam. Clerum in uarios distinxit ordines, atq; honoribus ualde auxit. Rauennatum ecclesiam, hactenus Alliocephalim dictam, blanditijs pontificijs, Theodoro suo archiepiscopo consentiente, Romanæ synagogæ subiectam post lites demum reddidit. Post alia quædam eius generis facta, anno Domini 679, Donus defunctus occubuit.

14. Agathon primus, Siculus ac monachus, Papali authoritate usus, Romanorum pontificum sanctiones, tanquam Apostolicas & diuina uoce firmatas, à Christianis omnibus recipi iussit: ut Gratianus scribit, Dist. 19. ca. Sic. Approbabat ille missam Latinam, à multis Papis consutam, & instar Aesopicæ corniculæ, emendicatis aliunde plumis ornatam: & à Deo instituta in Latinorum ministris coniugia, scelerosus impostor damnabat. Ad Angliam anno Domini 679, Ioannem monachũ, archicantorem Romanum & abbatem D. Martini destinabat: ut ritum in templis legendi, canendi ac cæremonizandi illic doceret, atq; ut celebrationum & sacrificiorum usum traderet: sicut Bedas testatur lib. 4. & cap. 18. de gestis Anglorum. Oratores suos, Ioannem Portuensem episcopum, & Ioannem Rom. ecclesiæ diaconum, ad sextam synodum Constantinopolim contra Monothelitas etiam Agathon misit. In qua, ut dictum est, Græcis sacerdotibus uxores sunt permissæ, Latinis uerò ademptæ. In eadem quoq;, his atq; alijs gestis, in octaua paschæ, anno Domini 681, idem Ioannes Portuensis, coram principe ac patriarcha, populoq; Constantinopolitano, in basilica S. Sophiæ, Latinam missam primus celebrauit publicè: approbantibus omnibus qui tum aderant, illam nouitatem, aut nuper inuentum prodigium. Quæ hinc authoritatem sumens, nõ à Dei uerbo, sed hominum placitis impijs, omnes inde ecclesias Romanum pontificem agnoscentes, idololatricè ad innumerabilium animarum perniciem occuparet. Huius Agathonis tempore, post lunæ ac solis eclipsim, tanta peste, anno Domini 682, Romæ laboratum est, ut & ipsum ea sustulerit. Cessauitq; ex hac bene merita Dei ultione papatus, anno uno cum dimidio.

15. Leo secundus, monachus, natione Siculus, Græcè & Latinè æquè sciens: adeò in musicis peritus erat, ut psalmodias & hymnos ad meliorem concentum redigeret. Sextam synodum in Missæ gratiam, & quia per illam ademptum fuit sacrificulis occidentalibus coniugium, confirmauit: atq; in Latinum sermonem ordinationes eius transtulit. Pacis osculum populo dari in Missæ ministerio statuit: quotidieq;, si urgeret necessitas (magnum beneficium) baptizare concessit. Electiones episcoporum ualere noluit (ob Rauennates) nisi prius (nota Antichristi cauterium & characterem) accederet Rom. pontificis confirmatio: sed sine redemptione pallij, inquit Vuicelius, aut pecuniarum solutione. Porrò non tanta tunc audebant, sicut post annum à Seruatore nato millesimum. Antea Italorum episcopos, etiam Papam ipsum, Hexarchi confirmauerant: postea consentiente imperatore Constantino quarto, denuò rata erat cleri ac plebis electio. Rauẽnates tamen archipræsules, Hexarchorum, quorum fuit apud eos sedes, authoritate freti, Romanæ sedi parere noluerunt, sed æquales illis esse contenderunt. Fœlix ergo, eorum post Theodorum archiepiscopus, conatus est Papæ iugum excutere, atq; amissam libertatem reparare. Sed illi statim Iustinianus Cæsar, Constantini prædicti filius, à Leone inductus occurrit: et post urbis oppugnationem, candenti ferro ei oculos eruit, atque Pontum in exilium misit. Leo autem anno Domini 685, uix decem mensium pontifex, statim moritur. Quo anno luna talem eclipsim pertulit, ut per totas noctes sanguineo uultu laboraret.

16. Benedictus secundus, Romanus, ea fuit hypocrisi, quam sanctitatem Papistæ uocant: ut Constantinus quartus (si non, eo mortuo, mentiantur) eius causa decreuerit, ut deinceps Ro. pontifex, absq; consensu Imperatoris aut Hexarchi, populo præesset. Quod tamen postea non diu fuit obseruatum. Templa D. Petri, Laurentij, Valentini, ac S. Mariæ ad martyres, hic magnis sumptibus restaurauit:

uit: uasibus aureis & argenteis, inauratis atq; holosericis uestibus, alijsq; ornamentis iuxta ritus Iudaicos exornauit. Iste etiam primus Christi (Satanæ potius) habebatur in terris uicarius. Ex Vesuuio monte Campaniæ tantus ignis tum erupit, ut loca circumquaq; posita, cum hominibus & iumentis exusta sint. Constatq; non multo post, anno scilicet Domini 686, cædes, incendia, rapinas, ac mortes principum sequutas: maximè Benedicti huius, decem mensium papæ.

17. Ioannes quintus, natione Syrus, patria Antiochenus, consecrationem à tribus episcopis, Hostiensi, Portuēsi, ac Veliterno, primus accepit: quem exinde morem à successoribus seruari decreuit. Et eum ritum posteri eius in hunc usq; diem obseruant, in Seruatoris ecclesia apud Lateranum, ut ille tunc iusserat: quæ & Constantiana à Magno Constantino dicitur. Fuit autem hic Ioannes, ante & in Papatu ualetudinarius: & inter ocia papalia scripsit libellum, de archiepiscopalis pallij dignitate, opus certè tam languido artifice dignum. Qui & morte præuentus anno Domini 688, ampliora pro Romanæ sedis honore præstare non ualuit.

18. Conon Thracius, ex presbytero creatus erat pontifex: Petro ac Theodoro competitoribus post longam altercationē repudiatis. Hic sumpto papatu, in ualetudinem, propinato fortaßis insipido poculo, statim incidit: ex qua anno Domini 689 mortuus est, & inter papas sepultus. Kilianum Scotum, professione monachum, episcopum hic fecit, & cum quibusdam socijs etiam monachis in Germaniam misit: ut Franciæ orientalis populos ad papisticam fidem traduceret, & Antichristi charactere signaret. Qui statim à suis auditoribus occisi sunt, et apud Herbipolim sepulti. Paschalis quidam archipresbyter, & Cononis prædicti thesaurarius, Ioannem Platinam Hexarchum pecunijs eo uiuente solicitabat, ut post eius mortem fieret Papa. Accepit Hexarchus pecuniā, sed nihil præstitit: cum non alio præmio, quàm frustratione, dignus esset sacerdos auarus, et impiè regnādi cupidus proditor.

19. Sergius primus, natione Syrus, & patria Antiochenus: qui in cantilenis studiosus, per cœmiteria martyrū Missas olim celebrabat: magna in populo per Theodorum & Paschalem prædictum orta diuisione, in pontificem demum electus fuit. In templis ornandis, & idololatrijs ampliandis, hic multa fecit. Petri basilicam, ablatis ruderibus, renouatisq; tignis, stillicidijs ac parietibus, in antiquam formam restituit: & frontispicium eiusdem basilicæ, operæ uermiculato decorauit. Candelabra atq; alia templi ornamenta, Iudaico more, ex auro, argento, & pannis preciosis fieri fecit in eadem basilica: ac partem crucis Dominicæ in capsula quadam ænea inuenit. Leonis primi corpus in celebratiori reposuit loco, & statuas Apostolorum uetustate exoletas renouauit. Collapsa templa nonnulla restituit, uel noua saltem de integro fecit. Ter Agnus Dei, in Missa papistica, sub panis fractionem, per sacrificium dici mandauit: & in Annunciationis Mariæ festo letanias cantari iußit. Aquileiensem ecclesiam, à papismo parum declinantem, reuocauit: & Saxones ac Phrysios ad eandem superstitionem per monachos inuitauit. Cum uerò Aldhelmus Anglus sui episcopatus admißionem Romæ expectaret, Sergium papam, infante recens nato, adulterij insimulatum audiuit (sic in sanctißimo inclaruit cœlibatus) illumq; tantæ impietatis clanculum admonuit. Rauennatibus Damianū, Phrysonibus ac Batauis Vuilibrordum Clementem, & Anglis Brithuualdum, archiepiscopos dedit. Tandemq; anno Domini 701 à præsenti seculo migrauit.

20. Ioannes sextus, natione Græcus, ex genitore Petronio, inanium rerum studiosus atq; amantißimus: more prædecessorum, templis instaurandis, & diuorum aris ornandis, plurimùm insudauit. Fanum D. Petri in primis adornauit: & eius altare summum, ductis columnis dextra læuaq;, magnificè decorauit. Basilicam D. Andreæ in Vaticano, et templum D. Marci, sarto tecto restituit. Ex ærario etiam ecclesiæ, tempore famis ac belli, multos pauperes pauit (optimus in eo uitæ genere pontifex) & captiuos redemit: Gisulphumq; Beneuentanum ducem, Campaniā tunc uastantem, comminationibus ad sua redire coegit. Martyrio coronatum pleriq; illum asserunt, quod facile crederem: sed causam, & à quibus interfectus sit, non addunt, quum ipsi fortaßis tanti facinoris authores fuerint. Mortuus anno Domini 704, ad Catecumbas Sebastianas, in uia Appia sepelitur. Leo quidam hunc Ioannem præceßisse dicitur: ob Sergij stuprum, ut apparet, electus tantum, at non cōfirmatus, eo iterum restituto: & ideo inter Papas ille nō numeratur. Petrus Premonstratensis, propter malum introitum, reiectum fuisse narrat: & propterea in Pontificum catalogo non poni.

21. Ioannes

21. Ioannes septimus, etiam Græcus, ex patre Platone: ut alij prædecessores, ædificandorū, sacrandorum, atq; ornādorum templorum gratia, à Chronographis pariter celebratur. Oratorium etenim ualde pulchrum, Mariæ uirgini dedicatum, in D. Petri templo extruxit: ac S. Eugeniæ basilicam, iampridem uetustate collapsam, restituit. Cœmiteria quoq; nonnulla, & præsertim sanctorum Marcellini, Marci & Damasi pontificum exornauit: aliasq; basilicas picturis ac sanctorum historijs cultiores reddidit. Sed de Euangelij propagatione ad animarum ornatum, inter hæc tam splendida ædificia, nulla fit mentio: ac si non in alijs quàm in uanißimis his mundi spectaculis, uel quod multo deterius est, idolomanijs Sathanicis, sita sit religio. Vita decessit hic Papa, anno Domini 707. post duos sui regiminis annos, in oratorio præfato sepultus.

22. Sisinnius, uel potius Sozimus secundus, patria Syrus: post magnam contentionem, quam cum quodam Dioscoro circa pontificatum habebat, Papalem dignitatem obtinuit. Hic arthetica passione, chiragra ac podagra, ita laborabat, ut nec cibum per se capere posset. Vrbis tamen reparandæ ædificator eximius futurus, solicitam curam geßit, materiamq; sufficientem ad muros instaurādos, paucorum dierum Pontifex procurauit. Nam & tota eorum religio in ædificijs ac pictionibus tunc erat. Sed subita morte statim post uicesimum in papatu diem correptus, eodem anno quo prædictus Ioannes, & ipse interijt. Sunt qui ueneno illum à Dioscoro sublatum arbitrentur. Vide inter alios Nauclerum.

23. Constantinus primus, natione Syrus, à Iustiniano imperatore Constātinopolim uocatus, Cæsari suo domino pedes osculandos primus exhibuit. Domum reuersus, Philippicum Bardanem eius successorem, idolorum abominationes non ferentem, quòd statuas ex ecclesijs sustulisset, impietatis damnauit. Et ne Imperatoris hæretici (ut ipse pium principem iudicabat) imago reciperetur, siue auro siue argento insculpta, constituit: omnesq; monetas eius anathemate notauit. Habitaq; Romæ synodo, contra manifestum Dei præceptum, qui iußit non fieri sculptilia, & contra Apostolorū ac prophetarum testimonia, decreuit ut imagines in templis haberentur, & summa ueneratione colerentur. Moxq; contra Philippicum, Anastasium quendam Arthemium, imaginum defensorem, excitauit, qui captum illum, imperio atq; oculis priuauit. Ticinensem episcopatum, metropolitano suo Mediolanensi archiepiscopo rebellem, non ei reconciliauit, sed Romanæ sedi furtiuè subiecit. Ex quo facto hoc habuit lucri Ticinensis ecclesia, ut uitans fumum, in insatiabilem ignem seipsam præcipitarit. Kenredum & Offam, duos Anglosaxonum reges, qui peregrinationis gratia, relictis regnis, Romā uenerant, in monachos uertit: & alia Antichristi miracula fecit. Qui & demum anno Domini 715 oppetijt mortem.

24. Gregorius secundus, Romanus, qui prius bibliothecæ præfuerat, mœnia in urbe ac templa senio detrita, instaurauit, & donis tum aureis tum argenteis collocupletauit. Basilicam S. crucis, obsoletam, ac templum D. Laurentij extra muros, restituit: & porticus circumquaq; positas, fornicibus atq; tectis auxit. Susannæ oratorium in Cælio monte à fundamentis erexit: & presbyteram, diaconam, monacham, aut commatrem spiritualem, matrimonio (incestu non) iungi uetuit. Paternam domum, mortua matre, in D. Agathæ cœnobium uertit: atq; ut tempore quadragesimali in quintis ferijs, ieiunium cum missarum celebritate in ecclesijs fieret, ordinauit. Ob res bellicas & portenta quædam in aere uisa, frequentes supplicationes mandauit: ac Germanos ad papismū, per Bonifacium Anglum, monachum ualde superstitiosum, pertraxit. Nullibi quàm in dedicato loco, mißas agi uoluit: statuarumq; contemptores, ad mortem usq; persecutus est. Luithprandum Italiæ regem, renitentem primò, authoritate sua compulit, Arithperti donationes iniustas, ad cleri luxum ratas habere: et subditos imperatoris Leonis Isauri, propter sublatas imagines, in apertam rebellionem perduxit. Totam Hesperiam, Aemyliam, Liguriam, Italiam, & alias terras, ab eius obedientia decedere fecit: & uectigalia, quæ solui Christus iußit, peßimus latro et Antichristus interdixit. Noluit Imperator idololatrias in ecclesijs fieri: fidelium igitur communione unà cum Imperio, proditor ipsum priuauit, additis æterni supplicij minis. Atq; ita sunt Orientis Imperatores, Italiæ regno per sanctißimum diabolum priuati. Nouißimè Gregorius anno Domini 731, uitam morte commutauit.

25. Gregorius tertius, patria Syrus, Papismi etiam acerrimus defensor, et occultarū rerum præco: dominum

co: dominum suum Imperatorem Leonem, clero consentiente, excommunicauit, quòd imagines destrueret: & contra Longobardos Carolum Martellum spurium, Gallorum præfectũ, pro Rom. sede tuenda, in auxilium asciuit. Græcos per Longobardos Italia pepulit: illosq; ipsos Longobardos per Francos tum demum oppreßit: & arrogans bestia, Italiam ipsam omnem, prædecessorem secutus, Imperatorio sacramento absoluit. Ad exornandas ecclesias, ut illi sua templa uocant, animum adiecit, altare S. Petri sex onychinis columnis augustius reddidit, tectum Chrysogoni restituit, hebdomadarios per uices disposuit, & aurea atq; argentea uasa condonauit. Nonnulla templa carie ruinosa reparauit: Centumcellas, neglectum oppidum reædificauit, mœnia pluribus in locis refecit, necnon monasteria monachis ubiq; repleuit. In Romana synodo Satanicus impostor, contra apertum Dei uerbum & mandatum, imagines mortuorum sanctorum uenerandas esse declarauit: & eius statuti uiolatores excommunicationis sententia innodauit. Reliquias diuorum in Petri basilica reposuit, et illic quotidie missas celebrari iußit. in quarum canone has clausulas adiunxit: Quorum solennitates hodie in conspectu diuinæ maiestatis tuæ celebrantur, &c. Caballos et equos manducari prohibuit, tutelam ecclesiæ à Græcis ad Gallos transtulit, Apostolorum in templis simulachra ab alijs distinxit: atq; ad Bonifacium Anglum scripsit, sacrificos rasos defunctorũ memorias in Mißis suis facere, ac pro mortuis ipsis orare, offerre & sacrificare debere. Post hæc & similia multa, anno Domini 742, diabolicus magus mundum deseruit.

26. Zacharias, natione Græcus, monachus, multa quoq; (ut Funccius habet) Papalem dignitatem decentia, eademq; præclara (scilicet) opera confecit. Basilicas namq; minitantes ruinam restituit (oportuit multas Romæ fuisse ab antiquo basilicas, quòd tot pontifices in his restaurandis laborarint) porticum & turrim ante basilicam Lateranensem extruxit: in cuius frontispicio totius orbis descriptionem poni fecit, fortaßis ut indicaret, Papam totius mundi fore, aut esse debere supremum dominum. Oratoria sanctorum Georgij, Ceciliæ, & Syri abbatis condidit: ac uestes auro & gemmis distinctas primus in sacrum usum dedit. Bibliothecam beati Petri restituit, & Ecclesijs uectigalia, quibus oleum (aliud idololatriæ genus) pro lampadibus emeretur, & fundos aßignauit, unde uiuerent. Sacerdotalem habitum adinuenit: et Orientalem ecclesiam ab Occidentali seiunxit. Quatuor dialogorum libros, à Gregorio primo conscriptos, è Græco Græcus in Latinum transtulit: ut contra liberam Christi gratiam, & Græci purgatorium Papisticum crederent. Bonifacium Anglum Moguntinensem archiepiscopum per suas literas, episcopatus in Germania fundare permisit: & presbyterorum ordinationem, ad 25 ætatis annum à tricesimo reduxit. Auunculi mortui uxorem ducere, quamuis à Gregorio tertio permissum, iniquum declarauit: atq; ut compatres & commatres nullatenus in nuptijs se iungerent, constituit. Magni Gregorij corpus à Laterano ad Velum aureum sui nominis templum transtulit: & epitaphium Græcis literis exaratum, illius tumulo addidit. Caßinensi cœnobio priuilegia multa contulit: ac Venetis mercatoribus, sub maledictionis pœna prohibuit (& hoc Christianè quidem) ne lucri causa Christianorum filios Saracenis uenderent: quod hactenus frequenter faciebãt. Diuinam quandam potestatem sibi arrogans, ius ponendi & deponendi reges, proteruiter assumpsit: & à fidelitatis iuramento, subditos eorum primus absoluit. Nam hunc Zachariã, Pipinus Pusillus, Caroli Martelli spurij filius, domini sui proditor, per legatos exorauit, ut Franciæ regnum, Childerico rege deturbato, sibi & hæredibus confirmaret. Pontifex accepti prius ex Lombardico bello beneficij memor, speransq; ea ratione contra Orientis Imperatorem se fortiorem futurum, postulatis annuit. Principibusq; (ô peßime Antichriste) ut deposito Childerico, & in monasterium detonso, Pipinum à Bonifacio archiepiscopo confirmatum & unctum, regem suum deinceps agnosceret, districtè præcepit. Ad reges sic uenit maledictæ Bestiæ character, Apoc. 13. Nam & Lachim Longobardorum regem, Carlomannum, & alios, in monachos etiam transformauit. Fato conceßit hoc monstrum, anno Domini 752, cum decem annis pestilentiæ sedi præfuisset.

Huic succeßit Stephanus quidam Diaconus. Is pontificatus die tertia somno excitatus, cum res domesticas ordinare institueret, apoplexiæ morbo correptus interijt. Et propter uitæ breuitatem, in Paparum catalogo non ponitur.

HYLDA

HYLDA HORESVVITHA. LXXX.

HYlda Horesuuitha, Edvuini Northumbrorũ regis nobilissimi neptis, post Christianæ fidei professionem, Paulini et Aidani apostolici discipula, Pharense cœnobium sumptibus proprijs condidit. Mulier equidem erat, multorum testimonio, pia, prudens ac literata. Quumq́, ut æquum erat, suo præficeretur monasterio, non aliud admittebat uitæ genus, quàm id quod erat iuxta sacrum Christi Euangelium, ac sanctorũ patrum primitiuæ Ecclesiæ ritus et exempla. Cæterùm quo fieret in eloquijs diuinis eruditior, uiros doctrina & moribus insignes, Aidanum apostolicũ præcipuè accersebat. De frigidis hypocritarũ cæremonijs nihil curans, sacrarum scripturarum lectioni, orationi, atq; alijs uitæ Christianæ pijs laboribus, suos solummodò uacare uolebat. Illis insuper superstitiosulis prælatis, in publica synodo pro uirili obsistebat, qui anno Domini 664 circa Paschæ celebrationem & capitum tonsuram tam rigidè contendebant. Proferebatq; pro sua aduersus illos causa, ex Polycrate & Eusebio, ueterem Asiaticæ ecclesiæ ritum illum, apud Ioannem euangelistam, Philippum, Polycarpum, Trasæum, Sagarem, Papirium & Melitonem, obseruatum. Adeò circa pauperes, orphanos, uiduas & infirmos laborabat, ut à uulgo diceretur misericordiæ mater. Aeterno igitur Dei dono & Moysi exẽplo, fertur colubros, quorum tunc ingens illic numerus erat, in saxa uertisse, quę adhuc reperiũtur in illis terris. Demum Hylda protulit de incorrupti pectoris sui thesauro, contra Agilbertum Parisiensem ac Visisaxonum episcopum,

Pro ueterum rituum obseruatione, Lib. 1.
Meditationes quoq; pias, Lib. 1.

Varias etiam epistolas scripsit ad uiros eruditos, Christianam energiam redolẽtes. In fine, post longam corporis ægritudinẽ, ab hac luce migrauit, incarnati filij Dei anno 685, ætatis suæ anno 66, sub prædicto rege Egfredo: cuius ossa Glasconiam tandem sunt translata.

APPENDIX.

Ex præcedentibus constat, Brytanniam primò ab Hebræis et Græcis, ab Apostolis et patribus, nõ à pontificib. Romanis, fidei Christianæ initia ac primos ritus cæpisse. Iuxta illud Esa. 2. De Syon exibit lex: & Lucæ 24. Incœpit ab Hierosolyma Euangelij prædicatio, ac peccatorũ remißio in omnes gentes. Ioannes papa quartus, anno Domini 637, pro pascha celebrando Romano more, ad Anglos post aliquot lites, Beda teste, misit. Anglorum episcopi tonsuras, unctiones, & alios Antichristi characteres, cum Latino cantu & organis, anno Christi 666, in pleno Bestiæ numero, quem Lateinos Græcum uocabulum continet, à papa Viteliano susceperunt: eisdem initiatis primum Tuda & Cedda. Quo etiam anno, & papistarum Missa diabolica, Latina fieri cœpit. Quam postea pontifex Agatho, anno Domini 681 celebrari publicè et ecclesijs intrudi iußit, damnatis ministrorũ cõiugijs. Anno Domini 656, quidam in Anglia Drithelmus (referentibus monachis) à morte, seu, quod magis crederem, diabolico insomnio resurgẽs, de purgatorij pœnis multa narrauit: ut Petrus Præmonstratensis ex Beda & alijs colligit. Anno Domini 659, Spalatense concilium celebratum fuit: ibiq; patrum decreto, monialium claustra monachis fiebant subiecta. Anno sequenti, in nona synodo Toletana, apud Hispanos statutum fuit, sacerdotum bona post eorum mortem inter hæredes & ecclesiã esse diuidenda: damnatiq; sunt sacerdotium ex concubinis ac meretricibus liberi, & pro illegitimis habiti. Eisdem temporibus, anno scilicet Domni 664, tonsura capitum ab Anglorum clero suscepta est: & magna tunc contentio de paschali obseruatione inter Anglos & Scotos orta fuit. Sed Scoti tandem, habito conuentu, Anglis tenentibus Romanum morem, conciliabantur. Eodem anno, elementa superiora ut ignis ardebant 10 diebus: cometa duobus mensibus apparebat: fiebantq; inde pluuiæ, grandines & tonitrua, qualia antea nunquam, ac segetũ prostratio: mortalitasq; diu in Brytan-

nia durauit. Quibus diebus in magna admiratione per uniuersam Europam fuerunt monachi, à puteo Tartareo cum parente Satana egreßi, Apoc. 9. Incipiebant tunc Francorum reges, ut authores sunt Sigebertus & Tritemius; solo nomine sub regiæ domus præfectis regnare, Brytanni monarchiam amittere, & Anglorum reguli peregrinari Romam, uxoribus interea (mysterium intellige) cum abbatibus atq; episcopis manentibus domi.

Anno Domini 666, in plena ætate bestiæ, Papa Vitellianus (ut dictum est) omnia in Christianorum templis, per suos sacrificos unctos & rasos, ad animorum excæcationem, in Latino sermone fieri iußit: In horis scilicet, in precibus, stationibus, mißis, exorcismis, benedictionibus, coniurationibus, thurificationibus, sepulturis, exequijs, immersionibus, cineribus, palmis, cādelis, salibus, sputis, & alijs id genus Satanæ monstris atq; idolomanijs, contra apertißima Apostoli uerba 1. Cor. 14. In ecclesia malo quinq; uerba sic eloqui, ut intelligatur oratio, quo alios erudiam, quàm ignoto sermone mille uerba.

CVTHBERTVS FARNENSIS. LXXXI.

CVthbertus Farnensis, ex Hiberniensium stupro & in Hibernia natus, à matre Romam peregrinante, meretricante potius, adolescens in Brytannia relinquitur. Mailrosæ in monasterio profanis literis instructus, omnia ad amusim à monachis didicit, quæ ad monachatum spectare nouit, nulla penitus de Euangelio mentione facta. Externa cæremoniarum iura tam uerbo quàm opere docebat: ac si Dei regnum cum obseruatione ueniret. Fœmineū illi genus tam erat exosum, ut sine exceptione, omni suo eas loco sub anathemate & morte uetuerit: quasi immundum aut pestiferū esset quod Deus creauit, & maledicto obnoxium quod in hominis sanctificauit usum. Veruntamem familiares nō minus habebat Ebbam, Elfledam, & Vercam, abbatissas, cum Vestalibus illis, quibus Lindisfarnensis post Colmannum & Tudam præsul, Carlioli cœnobium condidit. Secundo episcopatus sui anno, non minus hypocriticè quàm ociose, Anachoriticam uitam assumpsit impasto grege Dominico, tanquā Euangelij prędicandi officium superuacaneum ac friuolum fuisset. Qui tamen episcopatus sui tempore, ut ex eorum numero se unum ostenderet, qui in humeros hominum imponunt onera grauia, barbarè scripsit,

Ordinationes suæ ecclesiæ,	Lib. 1. *Prima regula est de Domino.*
Præcepta uitæ regularis,	Lib. 1.

Decretum quoque contra mulieres fecit, ne in eius intrent monasteria. Moriens tandem anno Christi 687, iussit suum corpus ea inuolui sindone, quam abbatissa Verca sibi contulerat. Quod post quadringentos & quatuordecim annos, à Lindisfarna Dunelmum est translatum.

APPENDIX.

Iste Septentrionalium Anglorum Deus ille tutelaris habebatur, qui tot bene saginatos aluit in omni luxuria monachos: et qui tantam Scotis belligerantibus incußit formidinem, expanso illius uexillo: non sine aliorum miraculorum congerie, & perpetuo (ut scribunt) mulierum infortunio, quū temerè intrarent eius sanctuaria. His diebus, anno scilicet Domini 673, acta quatuor conciliorum generalium, ab Anglis per Theodorum Cantuariensem, Euangeliorum loco suscipiuntur: clerus per ordines distinguitur: & sententijs patrum, relictis Dei scripturis, pro ritibus ecclesiæ disputatur.

Anno Domini 681, in sexta synodo Constantinopolitana, Constantinus quintus Imperator, omnes iußit pacifico colloquio de uera fide perquirere, remißis disputationibus philosophicis. Solebant enim relictis scripturis, per patrum sententias tunc disputare. In ea synodo, Græcis sacerdotibus uxores permittebantur: nostris uerò nequaquam. Prima namq; synodus hæc fuit, quæ Romanis assensit in multis. Missæ enim usus & ordo in ea approbatus est, & imaginum cultus concessus. Anno Domini 694, Brytanni monarchiam plenè amiserunt. Ex Syluestri commentario in Merlinum.

BENE-

BENEDICTVS BISCOPIVS. LXXXII.

Benedictus Biscopius, nataliū splendore apud Anglos coruscus, spretis Benedictinorū suasu fortunis, cum Osuij regis obsequijs, Romam peregrinus adijt: ubi degustatis paulatim pullulātis Antichristi præstigijs, tonsuram monachalem in Lirinensi Italorum cœnobio eo anno suscepit, quo Theodorus Cilix suā in Anglosaxones metropolitanā authoritatem. In patriam denuò post biennium, cum eodem Theodoro & Hadriano Aphro reuersus, Vuirmuthe & Girvuici monasteria duo, ad Vuiri et Tini clarorum fluminum ostia cōdidit, sexcentosq; monachos sub Benedicti Nursini instituto in eisdem fouit. Roma quinque uicibus, reliquijs, iocalibus, ornamentis, ritualibus libris, & priuilegijs onustus redijt. Vitriarios, pictores, architectores, & id genus alios ad uoluptatem artifices, in Angliam omniū primus ex transmarinis prouincijs aduexit. Quibus uidere licet, quàm curiosi, molles, ac petulātes fuerint hi sancti patres, à prima statim origine. Omnes monachorum ueterum, extra Euangelium, uitæ regulas ipse cum Benedicti sui methodo conferens, opus elicuit inde ad suorum cœnobitarum usum, quod prænotauit

Concordiam regularum,	Lib. 1.
Exhortationes ad monachos,	Lib. 1.
De suo priuilegio,	Epist. 1.

Hos solos suarum lucubrationum titulos, apud authores reperi. Apoplexia demum seu paralysi percussus, interijt, anno ætatis suæ 78, & Christianę salutis 703, sub Alphredo Northumbrorum rege.

APPENDIX.

Huius admirantur historiarum scriptores, & patientiam, quòd in Dorobernensis cœnobij regimine, prædicto Hadriano cesserit: & industriam, quòd monasteriorum suorum ornamento, tanta & tam uaria procurauerit. Porro copiosam, comparatis hinc inde ex Italia & Gallia exemplaribus tum Latinis tum Græcis, bibliothecā illic posuit. Et nota, quòd monachi Benedictini in Angliam cum Augustino archiepiscopo Cantuariensi primùm intrarūt, anno Domini 596, et Canonici regulares cum Birino archiepiscopo Dorcestrensi, anno Christi 636. Hæ duæ magni Antichristi sectæ, duo bestiæ cornua fuerunt, Apoc. 13. quæ mendacibus signis eundem ad stellas extulerunt.

ALDHELMVS BLADVNIVS. LXXXIII.

Aldhelmus Durotellus, seu Bladunius, Kenredi filius, & Inæ Visisaxonum uel occidentalium Anglorum regis ex patre nepos, in Italia & Gallia liberalibus studijs non minimam impēdit operam. In Bladunensi enim celebri cœnobio (Malmesburiam oppidum nunc uocant) post Maildulphum Scotum, multæ eruditionis uirum, gymnasiarches, monachus, sacerdos, & abbas effectus, adeò literis humanis & diuinis incumbebat, ut omnes sui temporis theologos longè superauerit. Erat quidem tam carmine quàm prosa Latinè & Græcè doctissimus, ingenio & sermone nitidus: atq; in edēdis poematibus, Cœlio Sedulio uati, ut testes sunt Bostius & Bedas, per omnia similimus. Artem musices omnibus mundi delicijs prætulit, instrumentorum omnium peritiam perapposite callens. Sed unum hoc in eo deflēdum occurrit: quòd cum Sergio primo pontifice Rom. longam consuetudinem habens (cuius interim nō ignorabat incestum) cauterio perustam auehebat conscientiam. Shireburnensis ecclesiæ, quæ nunc Sarisburia dicit, ordinatus præsul, post 34 alterius regiminis annos, Euangelij prædicationi obnixè inuigilabat Quòd uerò mulierū consortia, hypocritarum more, nusquam spreuerit, uituperabile non est. Multo minori periculo tamen,

men, Brytannorum more, sub sacrosanctis coniugij legibus id fieri poterat. Sed quod adhuc abbas, cum uirginibus pro subigendo carnis æstu pernoctauerit, illæso semper uirginitatis earum permanente pudore, impudēs Papistarum est commentum. Scripsit Aldhelmus, iubente pontificum & monachorū synodo, aduersus Brytannos propinquos (quos odiose Gwallos, id est exoticos aut alienos, Angli tunc uocabant) quòd non Romano more tonsuras, unctiones, Pascha, diuorum festa, cœlibatū, & alios ritus nouiter inuentos admisissent. Præsertim edidit carmine & prosa,

De circulo Paschali contra Bryt.	Lib.1.
De uirginum laude contra Bryt.	Lib.2. *Omnipotens genitor, mundum.*
Ad Hildelitham de uirginitate,	Lib.1. *Reuerendißimis Christi uirginibus.*
De uita monachorum,	Lib.1. *Quid deceat monachum, uel.*
De metrorum generibus,	Lib.1. *Aonio rediens deducam uertice.*
Aenigmaton uersus mille,	Lib.1. *Altrix cunctorum sapientia.*
De laude sanctorum,	Lib.1. *Metrica si libeat, &c.*
De octo uitijs principalibus,	Lib.1. *Digestis primum, quæ paulo.*
De septenarij dignitate,	Lib.1.
De charitate mutua,	Lib.1.
De fraterna admonitione,	Lib.1.
De pugna uitiorum,	Lib.1.
De natura insensibilium,	Lib.1.
De philosophorum disciplinis,	Lib.1.
Super ænigmatibus,	Lib.1. *Symphosius uersificus poeta.*
De Arithmetica,	Lib.1.
De Astrologia,	Lib.1.
De metaplasmo,	Lib.1.
De schematibus,	Lib.1.
Flores utriusq; Testamenti,	Lib.2.
Homelias ad populum,	Lib.1.
Dialogum meretricum,	Lib.1.
Epistolas ad diuersos,	Lib.1.
Hymnos & odas,	Lib.1.
Carmina diuersi generis,	Lib.1.
Cantiones Saxonicas,	Lib.1.

Psalterium quoq; transtulit in linguam Anglosaxonicam, & alia nonnulla fecit. Decimo episcopatus sui anno, ad Christum fœliciter migrauit, anno incarnationis eiusdem 709, in Malmesburiēsi cœnobio sepultus, sub Ethelardo occidentaliū Anglorum rege. Eius uitam scripserūt, Osmundus, Faritius, & Guilhelmus Malmesburiensis.

ELEVTHERIVS DORCESTRIVS. LXXXIIII.

Eleutherius Dorcestrius, Anglus, Vuisosaxonum episcopus quartus, à Guilhelmo Malmesburiensi, in utraq; & pontificum & regum historia, eleganter depingitur. Iste nimirum ab adolescentia, studiorum suorum rationem in rerum cognitione ac orationis elegantia posuit: quod suo tempore non minimùm illi profuit. Habebat quippe cum naturali rerum noticia, in doctrina religionis facundiam insignem, idq; ex assidua bonorū authorum lectione. Inde Christianus pastor, inde prædicator egregius, inde pontifex sanctus habebatur. Tam amans olim literarum erat, ut eius solius beneficio Maildulphus Scotus, uir eximiè doctus, musæi sui nominis ædificia

ficia prima iecerit. Quod paucis post annis, in magnum monasterium excrescens, ex Maildulphesbery, Malmesburia dici cœpit. Scripsit tandē Eleutherius,

De eius origine, Lib.1.

Alia præterea edidisse fertur, quæ tempus rerum edax nobis abstulit. Obijt, ut Scalechronicō habet, anno à nostræ Salutis initio 678, sub Kentvuino rege. Perfecit Inas princeps pius Malmesburiēse cœnobium, anno Domini 635.

OSTOPHORVS PHARENSIS. LXXXV.

OStophorus, Pharensis monasterij alumnus, ita probè omnes adolescentiæ suæ annos bonis literis consecrauit: ut non prius in uirum euaserit, quàm ab eruditione magnum sibi comparauerit nomen. Ex hoc cœnobio (inquit Lelandus) tot clara utriusq; sexus prodierunt lumina, ut insolito quodam fulgore uirtutum, totam latè Brytanniam illustrauerint. Prodierunt enim tanquam ex literarū fœcundo aluearío, Bosa, Aetla, Ioannes, Tatfridus, Vuilfridus, Bosillus, & Ostophorus. Is relicto cœnobio, Theodorum Cantiorum archiepiscopum, ut & Græcæ linguæ gustum acciperet, celer adiuit. postea Romam itidem est profectus, ut studijs suis colophonem adderet. Quibus ex animi sententia exactis, post multam Euangelij messem Vuicciorum, aliàs Vuigorniensium episcopus designatus est. Vnde composuisse fertur Ostophorus,

Homelias eruditas, Lib.1.

Et alia. Sed proh dolor, sæuientibus postea barbaris Dacis, ignis edax quicquid olim scripserat Ostophorus, penitus absumpsit. Claruit anno nostræ per Christum fœlicitatis 690, sub Ina occidentalium Anglorum rege.

HEDDA VVENTANVS. LXXXVI.

HEdda Vuentanus, monachus & abbas, ab ipsa iuuētute nouit, parum prodesse doctrinarum studia, absq; optimorum scriptorum assidua lectione: & nec sine artificiosa imitatione comparari posse, qualem desiderabat eloquendi formam. Eos propterea proposuit sibi doctores, & uidēdos & sequendos, qui mentem illustrarēt, ac linguam formarent: ut ita ad pij pastoris officium aptior atq; expeditior esset. Auditis igitur illius per Visisaxonum regiones concionibus sacris, in ecclesia Dorcestrensi, Eleutherio mortuo episcopus succesit, à Theodoro Cantiorum archipræsule Londini cōsecratus. Huius doctrinæ testimoniū, Guilhelmus Malmesburiēsis in secundo libro de Pontificibus adfert, dum quædam Adhelmi opera illi dedicata commemorat. Scripsit Hedda non illiteratas

Ad Adhelmum epistolas, Lib.1.
Ad Ecclesiarum pastores, Lib.1.

Et alia quædam. Vixit ad ipsam usq; senectutem, 27 annis in pontificatu exactis. Et Vuintoniæ mortuus est, ac sepultus, anno Redēptoris nati 704, apud occidentales Anglos Ina regnante.

ALPHREDVS NOTHVS. LXXXVII.

ALphredus Nothus, Osvuij regis ex concubina filius: fit inde post patris ac fratris obitum, Northumbrorum rex, ab Ida nonus. Is regnante Egfredo fratre, exul in quasdam Scotorum insulas, ingenij facilitate, assiduaq; opera in literis hærendo, doctissimus euasit. Adeptus ergo regnum, à literis ad arma uocatus, hostium iniurijs deuastatum, bonis artibus instaurandum, fouendum, atque tuendum miro studio curauit. Ioannem Beuerla-

cium interim, diuinarum literarum studijs clarum, deposito Vuilfrido, Hagustaldensem antistitem primò, & Eboracensem archiepiscopum postea, ob insignem eruditionem fecit. Et contentus finibus, quos post fratris cladem, à Pictis uictoria hostiliter cupideq; usis, recipere citra certamen poterat: paci ac honesto ocio pariter studuit, atque ab externis armis per 19 annos, quibus regnauit, quieuit. Hæc de eo post Guilhelmum Malmesburiensem et Henricum Huntingtonensem, Polydorus Italus narrat, Anglicæ historiæ lib. 4. Composuit Alphredus inter ocia literaria, pro pacādis super Paschate controuersijs,

Ad Colmannum & suos, *Epist. plures.*
Ad Hildam abbatissam, *Epist. 1.*
Ad Adamannum Coludium, *Epist. 1.*

Cætera eius scripta non commemorantur. E' uita decessit tandem Drisfeldiæ sepultus, anno Salutis humanæ 705, ut supputant Hermānus Contractus & Ranulphus. Illum Bedas doctissimum fuisse adfirmat, & in summo precio habuisse literatos.

VVILFRIDVS RIPPONENSIS. LXXXVIII.

VVilfridus Ripponensis, in Septentrionali Anglosaxonum prouincia natus & educatus, monachorū Scoticorum in Lindisfarnensi cœnobio cauillas, ob nouiter intrusas traditiones papisticas in Ecclesiā, alterius generis monachus non poterat ferre. Erant illis diebus, ut prædicitur, quotidiana certamina Anglosaxonum contra Brytannos, Scotos & Pictos, circa Paschalem obseruationem, clericorum tonsuram, cœlibatum, & similia. Perueniens ergo Romam, ut earum rerum ardens zelator, sub Bonifacio quodam Romano archidiacono, calculationes mathematicas (insignis labor) ex quatuor Euangelistis didicit. Quibus, in patriam reuersus, Romanas cōsuetudines cōtra Quartodecimanos (sic pios homines hi derisores uocabant) disceptationib. in synodo publicis habitis defendebat: ferebatq; circa collum, reliquiarum, quas Roma tulerat, capsulam quandam, quo fœlicius omnia succederent ad uotum. Ob hæc & his similia, Eboracensis archiepiscopus cōstitutus à clero, scripsit aduersus Colmannum, Ceddam, & Hyldam abbatissam,

De Paschæ celebratione, *Lib. 1.*
Pro clericorum tonsura, *Lib. 1.*
Edicta Pharensis synodi, *Lib. 1.*
Epistolas ad diuersos, *Lib. 1.*

Atq; alia plura. Longo confectus senio, tandem perijt, anno Christi seruatoris 710, & uitæ suæ 75, in Ripponēsi collegio terra opertus, sub Osredo Northumbrorum rege. Huius scripsere uitam, Heddius, Fridegodus, Odo, & Petus Blesensis.

APPENDIX.

Bis 45 annorum spacio, quibus Hagustaldi & Eboraci sedit, non ob regum insolentiam, ut Polydorus immodestè atq; insolenter scribit: sed ob suam temeritatem, impiam arrogātemq; simultatē ac nequitias adhuc alias, archipræsulatu pulsus est. Etheldredam namq;, inuito rege marito Egfredo, homine satis pio, sed ob id meretrices alente, stultum emittere uotum, diuortium ab eo quærere, & in cœnobio quàm ociosè latitare, præter id quod in herba latet, iniqua persuasione fecit.

TRVMHERVS GEDLINGENSIS. LXXXIX.

TRumherus Gedlingensis, ex nobili regum Northumbrianorum genere originem ducēs, relicto aulæ strepitu et pompa, literas solicitè quæsiuit,

siuit & inuenit. In Gedlingensi cœnobio, ut Bedas narrat, non procul à Richemundo, abbas ille primùm erat: postea sub Vuolphero Merciorum rege, mediterraneorum Anglorum seu Lichefeldię pręsul effectus, gentium multitudinē ad fidem Romanis cæremonijs oppletam cōuertit. Quia quēadmodum pij patres in priori Ecclesia, inter afflictiones multiplices purioris doctrinæ fontes acriori studio quærebant: ita delicatuli monachi in torpenti ocio posterioris ecclesiæ sub Antichristo, honores ac diuitias obnixè uenabantur. Vnde inter cætera edidisse Trumherus fertur,

De officijs ecclesiæ, *Lib.1.*

Et alia, quorum titulos non uidi. Credibile enim est, Danicam feritatem huius abstulisse monumēta. Claruit anno à Redemptoris nostri in carnem origine 700, sub Ethelredo Merciorum rege, monacho tandem facto.

ACCAS HAGVSTALDENSIS. XC.

ACcas Hagustaldensis episcopus, ex Anglosaxonum procreatus genere, & inter eruditos ab adolescentia uiros sub archiepiscopo Bosa liberaliter educatus, studia plerisque in locis promouebat bonarum artium. Vuilfridi olim presbyter existens, suscepit eo mortuo Hagustaldēsis ecclesiæ præsulatum: uir & ipse strenuissimus, inquit Bedas, atq; coram Deo & hominibus magnificus: qui suam ecclesiam multifario decore, ac mirificis ampliauit operibus. Cantor peritissimus erat, & in literis sanctis doctissimus: Romanarumq; institutionum, quas illic cum Vuilfrido didicerat, solertissimus obseruator. Comparatis demum industria summa eruditorum scriptorum uoluminibus, tam Græcis quàm Latinis, amplissimam ac nobilissimam Hagustaldi bibliothecā fecit. Et ne sua uirtus aut ingenij fructus abesse uideretur, de proprijs laboribus eisdem addidit,

Passiones sanctorum,	*Lib.1.*
Officiarium suæ Ecclesiæ,	*Lib.1.*
Epistolas ad amicos,	*Lib.1.*
Pro illustrandis scripturis ad Bedam,	*Epist.1.*

Atq; alia nōnulla. Obijt Accas, anno à Christi natiuitate 740, peractis in episcopatu 24 annis, sub Egberto Northumbrorū rege: eiusq; corpus Dunelmum tandem est translatum. Ab Hectore Boethio *lib.9.fertur,* etiam in Candida casa episcopatum gessisse.

EGVVINVS VVICCIVS. XCI.

EGuuinus Vuiccius (sunt qui Eugenium uocent) nobili apud Anglosaxones Merciorum genere satus, percepto Benedictini instituti monachatu, Eueshamense cœnobium, Kenredi regis beneficio à fundamentis erexit. Mox ut esset Vuicciorū episcopus, seu, ut nunc uocant, Vuigorniensium: homo nouarum rerum studiosus, & ad superstitiones natus: uetustæ gentilitatis sordes, adhibito religionis fuco, uelut ab inferis reuocauit. Quum laboratum esset Romæ atq; terrarum alibi, ut statuæ in Christianorum templis ponerētur ac uenerarentur: non defuit hic Satan, suis imposturis rem promouere tam perniciosam & impiā. Habebat reuelationes quasdam, imò, ut iuramentis coram Constantino Rom. pontifice affirmauerat, apertas uisiones (illusiones diabolicas dixisset) ut Mariæ Deiparæ imaginem in sua ecclesia colendam exhiberet uulgo. Ecce quàm potenter in suis instrumentis, Episcopis ac monachis, operabatur tunc Satan. Considerate, rogo, horum hypocritarum initia ac progressus, & uidebitis iram Dei tunc uenisse super filios diffidentiæ. Quoniam ueritatis amorē, quo salui fierent,

non admiserũt: misit Dominus uim tantam erroris, ut mendacijs crederẽt; quò damnentur, quicunq; ueritati nõ crediderint, 2 Thes. 2. Nec distulit rei tam nefariæ seriem chartis committere. Composuit enim,

De primordijs sui cœnobij, Lib. 1.
De suis apparitionibus, Lib. 1. Ego Eguuinus Vuicciorum humi.
Vitam Aldhelmi episcopi, Lib. 1.

Et alia quædam. Vitam morte commutauit Egvuinus, anno Dominicę incarnationis 716. & in Eueshamensi monasterio sepulturam accepit solennem, cum deificatione Papistica, sub Colredo Merciorum rege.

APPENDIX.

Portentosa hæc fanatici hominis deliramẽta (de uisionibus loquor) pontifex Constantinus scriptis diplomatibus comprobabat, Brithuualdo Anglorũ primati districtè præcipiens, ut collecta Londini totius cleri synodo solenni, anno Domini 710, sua authoritate ea populis commendaret: regibus etiam sub anathematis maledictione interesse iussis. Huius synodi uigore, introductæ sunt primùm imagines in omnes Anglorum ecclesias, contra manifestum Dei præceptum, Non facies tibi sculptile. Exod. 20. Anno Domini 714, Sedulius Brytannorum & Fergustus Scotorum episcopi, synodo generali Romæ interfuerunt, Gregorio secundo ad sanctum Petrum sedente. Vbi constitutum fuit, missarum celebritates publicè in Ecclesijs fieri, quod antea non erat uisum, ut Sigebertus habet.

HEDDIVS STEPHANVS. XCII.

Heddius Stephanus (hoc illi cognomen authores tribuunt) presbyter ac monachus apud Cantios, in omni disciplinarum atque artium, quæ uel ad molles delicias, uel ad ipsam eruditionem faciebant, peritia, assuefactione, & usu instructissimus fuit. Vir erat in actionibus literarijs, ut ex eius apparet oratione, si tempora rectè consideremus, tersè, nitidè, & eleganter eruditus: atq;, ut Bedas habet lib. 4. cap. 2 de gestis Anglorũ, in musicis excellens. Quibus nominibus, Vuilfrido & Accæ, ac Thatberto abbati, charissimus tunc habebatur. Primus (inquit Bedas) excepto Iacobo, cantandi magister in Northumbrorũ ecclesijs, Heddius cognomento Stephanus, à reuerendissimo Vuilfrido ex Cantia fuit inuitatus, &c. Iste tandẽ adhortante Hagustaldensi antistite Acca, luculenta & soluta oratione posteritati commendauit

Vitam Vuilfridi episcopi, Lib. 1.
Vitas Eatæ & Tumberti, Lib. 1.

Atque alia plura. Claruit sub Obico Northumbriorum rege, anno salutis Christianæ 720: Papalibus potius quàm merè Christianis ritibus eius temporis ecclesias adornans. Nec unquam est tam iniquus sator, quin similes propagatores inueniat.

CEOLFRIDVS BERNICIVS. XCIII.

Ceolfridus Bernicius, ex Christianis parentibus, Anglosaxonicę regionis ad Septentrionem indigena, Vuirmuthæ et Girvuici monasterijs, post præfatum Benedictum Biscopium, 35 annis præfuit. In hoc præcipua laude decernitur dignus, quòd uenerabilis Bedæ iuueniles annos tam sanctè, ornatè ac splendidè instituerit. Disciplinis nimirũ omnibus, tam profanis quàm sacris adprimè eruditus erat, & alijs semper impertiri paratissimus. Roma semel rediens, non reliquias, ut uocant, aut mortuorum hominum ossa putrida sed Hieronymi pandectas è Græco fonte manantes, & in Latinum idioma uersas, ad monachos suos literatus homo transmisit. Attamen nouellis Romanę superstitionis ordinationibus coactus est, cum suis cœnobitis ad lunæ inconstantiam mobilia anni festa pertrahere: ut & ipse

ipse sit contra Pauli doctrinam, annorum, mensium, dierum & temporum obseruator, Gal. 4. In uarijs literarum generibus diligētissime uersatus, multa scripsit, præsertim ad Naitanum Pictorum regem,

De paschate & tonsura,	*Lib. 1. Domino excellentissimo & glo.*
Homelias solennes,	Lib. 1.
Ad monachos suos, epistolas,	Lib. 1.
Testamentum ad Hunebertum,	Lib. 1.
De sua peregrinatione,	Lib. 1.

Aliorum eius librorum titulos non uidi. Tandem à Roma altera uice reuersus ad Lingonas in Gallia Narbonensi, defunctus est, & in tēplo geminorum martyrum sepultus, ætatis suæ anno 84. & Christianæ salutis 716, regnante Kenredo Northumbris.

APPENDIX.

Candidè de hoc uiro, sicut de Beda Venerabili, in multis sentire licebit: quamuis nouellas Papæ plantationes aliquas immodicè promouerit. Nam pessima tunc erant, pubescente Antichristo, tempora. Nec aliter ille egit, quàm Bedas ipse, quàm etiam Vuillibrordus, Bonifacius, Haymo, Strabus, Rabanus, & similes eius ætatis monachi sanctissimi. Et ut de initijs primorum monasteriorum apud Anglosaxones Septentrionales aliquid dicam, Virmuthense cœnobium conditū fuit anno Christi 670, Giruuicense uerò 673, alijs pernicioso Christianitatis damno statim sequentibus.

IOANNES BEVERLACIVS. XCIIII.

Ioannes Beuerlacius, ex splendida Anglosaxonū familia in Harpeham Deirorum pago natus fuit: & sub Hilda abbatissa, muliere sanctissima, in bonis disciplinis ac pijs moribus educatus. Adolescens adhuc, Theodoro Græco ad Dorobernam Cantiorum archipræsuli, à probis parentibus tradebatur literis Latinis & Græcis instituendus: ut ex Folchardi & Asketelli libris de eius uita claret. Scientijs ergo tam diuinis quàm humanis copiose ornatus, non in prętorio declamare, aut in theatralibus scholis arguere et disputare, sed Christi Iesu sacrosanctum Euangelium è suggestu ad animarum salutem apertè docere, dulcisimum duxit. habebatq; ad id ingenium modestum & benignum, cum mansueta facundia coniunctum, uir planè eruditus & pius, ac Bedæ olim in bonis literis præceptor longè gratissimus. Vnde ab Alphredo Northumbrorum rege doctissimo, qui literis & moribus regnum suum instaurare quærebat, Hagustaldensis episcopus primùm anno Domini 686 constitutus, postea Eboracensis archiepiscopus, Vuilfrido ob imposturas quasdam deposito, inter tot cæremoniarum contentiones & iurgiorum certamina circa res nihili, Bedæ, Accę, & alijs quibusdam Anglosaxonum doctoribus, enucleandarum scripturarum calcar atq; animum addidit. Ac super ea re ad eundem Bedam postea scripsit

Pro Luca exponendo,	Lib. 1.
Homelias Euangeliorum,	Lib. 1.
Ad Hyldam abbatissam,	*Epist. plures*
Ad Herebaldum discipulum,	Epist. 1.
Ad Andoenum & Bertinum,	Epist. 2.

Et alia. Affectus demum tædio tumultuantium in ecclesia rerum, 34 administrationis suæ anno, officio cessit, ac Beuerlacum se cōtulit. Vbi post quatuor annos, in magna Euangelici spiritus constantia, uitam finiuit, nonis Maij, anno à Christi seruatoris natiuitate 721, sub Osrico rege.

APPENDIX.

Hic Ioannes collegium quoddam, non monachis ignauis, sed fidelibus Christi ministris, ut Dei

uerbum prædicarent, condidit. Discipulos habuit, Bedam Venerabilem, Vuilfridum iuniorem, Bertinum, Andenum, Herebaldum, Siggam diaconum, & alios plures. Eius uitam scripserunt Bedas prædictus, Folchardus Dorobernensis, Alphredus Querlacensis, & Guilhelmus Asketellus. Circa annum Domini 714, sub Brithuualdo archiepiscopo, Londini synodus erat, pro Latinæ missæ confirmatione, atq; abdicandis sacerdotum uxoribus, præsente Vuenefrido Bonifacio, tunc monacho: ut habent Ioannes Nauclerus, & alij.

HVNEBERTVS DEIRVS. XCV.

HVnebertus Deirus (aliqui Vuicbertũ appellant) ex Anglosaxonum genere procreatus: ab ipsa adolescentia ad literas & solitudinem, iuuenilem applicabat animum. Qui mox in ipsis grandescẽs studijs, monasticæ disciplinæ institutorũ tam rigidus extitit asseruator, ut qui monasteriorum curã gereret, à suis præcipuus haberetur. Cumq; ultimã peregrinationem Ceolfridus abbas uersus Romam susciperet: hic omnium applausu, in eius delegebatur locũ. Abbas igitur effectus, nihil omisit quod ad monachismi sui ornatum attinere putabat: sed cuiq; loco ac tempori peculiares & proprias tribuit ceremonias, quasi in illis consummata fuisset iusticia. Sergij primi pontificis tempore, Roma iuuenem studij gratia excepit: & senem, resignato tandem officio, Vuenefridi Bonifacij Maguntinensis archiepiscopi fama, in Germaniam traxit. A' quo mandatum præsens accepit, ut Friteslarienses & Ordorfienses monachos, à regula degenerantes: ad auitum, reformatione noua, reduceret institutum. Scripsit Hunebertus ad Gregorium secundum Rom. sedis antistitem,

De uita Ceolfridi, *Lib.1.*
Epistolas quoq; fecit, *Lib.1.*

Reliquorũ eius scriptorum titulos nondum uidi. Claruit anno à nostræ salutis origine 730. sub Osrico prædicto Northumbrorum rege, obijtq; demũ in Germania. Et eius nunc cadauer in Heresfeldẽsi cœnobio seruatur.

TOBIAS CANTIANVS. XCVI.

TObias Cantianus, illustri Anglosaxonũ ortus familia, ab ineunte ætate politioribus addictus studijs, omnem curam atq; laborem ad literas & capessendas & hauriendas contulit. Adeò in Dorobernensi gymnasio sub Theodori Græci & Hadriani Aphri doctis lectionib. profecit, ut Latinam & Græcam tam nouerit, atq; natiuam seu propriam suæ patriæ linguã. Vir enim erat multiplici eruditione & ingenij dexteritate conspicuus, eloquentiam habens orationibus formandis aptissimam. Ordinatus post Gesmundi dormitionem Roffensis episcopus, per omnem Cantiorũ prouinciam Dei uerbum cum fructu mirifico seminabat: ut Bedas in Anglorum historia testis est locuples. Reliquisse illum ingenij sui monumenta plura, Lelandus inde credit, quòd Bedas ipsum impense eruditum dixerit. Perpauca tamen habẽtur eius scripta, sed Demosthenico lepôre exculta. Edidit quidẽ

Epistolas elegantes, *Lib.1.*
Homelias aliquot, *Lib.1.*

Reliquorum eius opusculorum non superest quicquã. Mortuus est tandem anno post natum Seruatorem 726, eodem quo & obijt anno Vuithredus Cantiorum rex, Edberto succedente: atq; in sua sepelitur ecclesia.

INAS VISISAXONVM REX. XCVII.

INas, Visisaxonum seu occidentalium Anglorũ rex, Kenredi regis filius, magni consilij ac fortunæ homo, uictis Cantianorum atq; Australium Saxonum regibus, constituit à bellis omnino conquiescere. Quum ubiq; claret

reret eius fama, literis ac bonis artibus intendere cœpit: & Vuelliæ sacerdotum collegium magnifico parare sumptu. Extruxitq; idem princeps, ob Iosephi Arimathiensis, ut fertur, memoriam, Glasconiæ templum insigne, cœnobitis Apostolicis illic adhuc morantibus: quod postea Benedictinis monachis in monasteriale collegium, Dunstani incantationibus obuenit. Sed Inas quorundam pseudomonachorum imposturis tandem delusus, Romano Antichristo uectigal (Petri denarios uocant) ex singulis regni domibus, in perpetuam eius seruitutem primus persoluit. Facta alia huius regis & multa & magna referuntur à scriptoribus: præcipuè quòd ad bene beateq; uiuendum, de matrimonio, baptismo, dierum discrimine, & similibus alijs: proq; puniendis adulterijs, homicidijs, furtis, rapinis, sacrilegijs, ueneficijs, & huiusmodi, constituerit

Religiosas leges, Lib. 1. *Ego Inas Dei gratia Vuestsaxonum rex*.
Statuta municipalia, Lib. 1.
Ad Gregorium secundum, Epist. 1.

Eius aliquando uidi leges. Nouissimè ab uxore Ethelburga superstitiose persuasus, Romam se contulit, 37 regni suo anno. Vbi monachus effectus, anno Verbi incarnati 728, uita tandem excessit: Ethelardo in regno succedente.

APPENDIX.

Vsq; ad Augustini aduentum, monachi in Brytannia Apostolici ad nuptias liberi erant: Pauli, Antonij, Hilarionis, Macharij, Hieronymi & aliorum piorum eremitarum exemplo: qui in Aegypto & Palæstina liberè eremos incoluerunt, liberè cælibes uixerunt: nihilq; prorsus tentandum esse docuerunt, quod sacrarum scripturarum authoritatem non haberet. Qui uerò de hoc plura adhuc scire desiderat, Ioannem Hierosolymitanum, qui anno Domini 412 de institutione primorum monachorum ad Caprasium scripsit, legat, ex Philippo Riboto, lib. 1. cap. 7. de peculiaribus Carmelitarum gestis. Exemplo nobis in Brytannia sunt, Calphurnius D. Patritij genitor, Restitutus, Seuerus, Leporius, Xanthus, Dauid, Beulanus, Samuel, & alij sine numero presbyteri ac monachi.

EGBERTVS MONACHVS. XCVIII.

EGbertus Monachus, Australium Anglorum seu Sudosaxonum proles, ex genere non ignobili: ad Septentrionem Angliæ iuuenis uenit, ac in monasterio Lindisfarnēsi literas cum superstitiosæ uitæ instituto hausit. Grassans per uniuersas Anglosaxonum regiones lethifera pestis, hunc patria terra pepulit in Hiberniam, & turbida tempestas in Scotiam postea, quum in Germaniam ire tentaret. ubi superstitiosa prædicatione, anno Domini 716, quamplures illius gentis ecclesias, ad Romanam Paschæ celebrationem, ac radendi capitis ritum, aliasq; Papisticas obseruantias perduxit: præter id quod etiam Frisijs fecit. Qui ritus inanes centum & uiginti annis ferè, sub quotidianis molestationibus ac litibus rabiosis, apud monachos & clerum durauerant, ab Augustini aduentu ad hæc usq; tempora. Mansit tredecim annis, apud monachos in Huensi insula, quam alluit mare Scoticum. Ad quos pro confirmandis suis imposturis, opusculum scripsit, cui addidit titulum,

De ritibus Catholicorum, Lib. 1.
De paschali obseruatione, Lib. 1.
Conciones uarias, Lib. 1.

Et alia quædam. Tandemq; anno à Seruatoris aduentu in carnem 729 fatali necessitati cōcessit, octauo calendas Aprilis, & in ipso paschatis die, ætatis suæ anno 90, in Huensi cœnobio sepultus, Mordaco Scotis imperante.

BRITHVALDVS GLASCONIVS. XCIX.

BRithvualdus Glasconius, iuuenis eruditus, & ad res magnas, licet non omnino bonas, natus: inter mystas illos, quos homines olim Apostolicos uocabant, in terra suæ natiuitatis Glasconiæ, ab adolescentia uitam duxit solitariam. Talem apud ipsos, suos tunc commilitones, uirtutum & doctrinarum titulo, existimationē sibi comparauit: ut demum communi omnium suffragio, abbas à Vuorgresio prædicto quartus designaretᷓ. Ex malicia temporis, indies magis atq; magis increbrescentibus Antichristi idololatrijs, Ecclesia magnam patiebatur eclipsim. Quoniam eius proceres tunc erant, iuxta Pauli ad Timotheum prophetiam, Seipsos nimiū amantes, cupidi, elati, blasphemi, ac ueritatis Dei proditores maligni. Pellucidè id apparebat in Egvuino Vuicciorū pontifice: qui diabolicis præstigijs Brithvualdum, post Theodori mortem Cantiorum archiepiscopum, ita fascinauerat, ut in Londinensi prælatorum synodo, anno Domini 712. mortuorum imagines uenerandas, & missas ante illas celebrandas, Constantini Rom. pontificis decreto præciperet. Qui &, ut eius sanctificaret Dardanicas artes, ac idololatrias confirmaret, scripsit in illius gratiam,

De Eueshamensis cœnobij origine,	*Lib. 1.*
Vitamq; eiusdem Eguuini,	*Lib. 1.*

Et alia monastica monstra. Obijt anno salutiferi partus 731, & 38 archiepiscopatus sui anno, regnāte Cuthredo Visisaxonum rege. Quantum iste papismo profuerit, Geruasius in suo catalogo declarat.

FELIX CROLANDIENSIS. C.

FElix Crolandiēsis, in Merciorum, seu mediterraneorum Anglorū prouincia natus, & ad maturiores annos perductus, orientales Anglos, & fortassis Cantabrigiam ipsam literarum auidus petijt. Digestis tum demum sub præceptoribus eruditis, bonarum artium rudimentis, Crolandiam uenit: & perpetuò se illic Benedictinorum monachorum institutis astrinxit. Crolādia locus est admodum palustris, inter Eligensem insulam & fluuium Nynam. Qui locus celebris esse cœpit, solitarij cuiusdam uiri Guthlaci incolatu & sepultura: tandemq; à cœnobij splendore, quod ab hospitalitate ciuili, urbanitatis cognomē facetum acceperat. Profecit in scientijs felix: atque magis profecisset, si Christi ueritatem, uirtutum & scientiarum omnium magistram, aliquanto sincerius agnouisset. tum non anilibus fabulis, abrogato uero Dei cultu, pro suis opiparè saginandis monachis, tam uaria idololatriarum genera, ad multorum perniciem procurasset. Porrò nō sine mendacijs & erroribus multis, à Vuilfrido abbate ac Cyssa presbytero instigatoribus, edoctus: prosa & carmine quædam cōgessit, atq; Ealsvualdo suo olim Mecœnati (Eluoldum Polydorus habet) oriētalium Anglorū regi dedicauit,

Vitam Guthlaci reclusi,	*Lib. 1. Iussionibus tuis obtemperans, lib.*
Miracula eiusdem Guthlaci,	*Lib. 1. Quodam tempore iucundæ recorda.*
De translatione eiusdem,	*Lib. 1. Erigite charissimi aures, omnes.*
Epitomen uitæ Guthlaci,	*Lib. 1. Vitam beati Guthlaci confessoris.*
Gesta abbatum Crulandiæ,	*Lib. 1.*

Atq; alia nonnulla, quæ adhuc extant. Claruit anno ab aduentu in carnem filij Dei 730. sub Ethelbaldo Merciorū rege. Et inter suos synchronos, rhetor ac poeta non ignobilis declaratus fuit.

APPENDIX.

Per ea quæ in hac prima Centuria iam dicta sunt, potest prudens lector intelligere, qualis fuerit

ecclesiæ Britannicæ status & conditio, à Christi ascensione ad Augustini apostolatum inter Anglosaxones: uel potius à dispersione filiorum Noah, ad Bedam Venerabilem usq;. In qua quidem ecclesia, per utriusq; testamenti continuationem longam, pios doctores posuit ipse misericors Deus, quandoq; plures, quandoq; uerò pauciores: qui illam semper instruerent, ac diuinis eius promissionibus nutrirent. Sub sanctissimo enim totius Europæ patriarcha Iapheto, Samothes primùm, ab æternarum rerum studio cœlestis nuncupatus: pabulo diuinarum promissionum ac doctrina cœlesti assiduus nutriuit. Sequebatur inter alios, post eius mortem, in eadem functione, Sarron sapientissimus, qui ut ipsa eadem doctrina uires atq; incrementa acciperet, publica literarum gymnasia prudenter instituit: & alij adhuc plures, qui ab his Samothitæ ac Sarronides uocabantur. Ex illis deinde processerunt Druydes, Bardi, Sibyllæ, Vates, Eubages, Flamines, & alij adhuc sub alijs nominibus Gentilium sacerdotes, qui non solum patrum uiua uoce ac scriptis, sed etiam ex cœlestibus signis & planetis, unum esse Deum immortalem, at incomprehensibilem, demonstrabāt: quamuis essent eorum ritus cæremoniales, per nationes omnes innumerabiliter diuersi. Deus aliquot ex Gentibus insigniter exornauit, diuinarum rerum scientia, & fidei munere. Etiam in illam familiam cooptauit, ex qua Christus oriturus fuit. Testes sunt huius, præ cæteris, Ruth Moabitis, et Chananæa Rahab, ex illa gente oriunda, quæ in Chanaane olim deuota fuerat.

Non erat in Gentibus (inquit Petrus Viretus, in opere de Ministerio uerbi) Dei notitia penitus extincta. Balaam celebris inter Moabitas uates extitit. Cuius adhuc clara de Christo extant uaticinia. Iobum Mose antiquiorem, eiusq; amicos, Eliphacem, Bildadum, Sopharem, Helium: ac deniq; Raguelem, siue Iethronem Madianitarum sacerdotem, Mosis socerum, adiungere possumus. Deus Iobum habuit, non solum domesticorum sacrorum præsidem, domesticis illis sacrificijs, &c. Verùm etiam publicum ecclesiæ suæ apud Gentes ministrum. Ietro Mosen auxilio iuuit. Ionas Niniuitis prædicauit. Nahaman Syrus Helisæo adhæsit, Saba regina Salomoni. Iudæi monarchis paruerūt. Iacob in Mesopotamia fuit, Ioseph et Moses in Aegypto, Daniel cum socijs in Babylone. Sic Iesus sacerdos, Zorobabel, Mardocheus, Esdras, Nehemias, Hester, & alij, diu inter Babylonios, Assyrios, Medos & Persas uersati sunt. Ptolemæus Philadelphus ex Hebræo in Græcā linguā sacros libros transferri fecit. Magi stella Christū quærebāt. Aethiops Candaces reginæ eunuchus, Hierosolymā adoraturus uenit. Et Theodorus Bibliander in 3. Lib. de legitima uindicatione Christianismi: Inter Ethnicos etiam (inquit) fuisse notitiam Christi, non pauca diuinæ scripturæ exempla & testimonia probant. Vt nihil dicam de Sibyllarum folijs & scriptis, quæ res Christi omnes propemodum in diuersis gentibus præcinuerunt. Demonstrat hoc etiam Augustinus, doctor catholicus, non uno in loco. Et in omnibus nationibus atq; populis fuisse cognitionem aliquam Christi seruatoris, licet obscuriorē: haud dubiè à patribus ueluti per manus traditam, uestigijs non obscuris patet. Copiosè autem & luculentissimè id conuincit liber beati Iob, Idumæi sacerdotis, & principis Essitarum: qui authenticis & diuinis libris adnumeratur, magno totius ecclesiæ consensu. In eo enim proponitur Iob, non modò ut exemplum patientiæ, sed etiam ut illustre & eximium specimen hominis pij & religiosi, boni, sapientis, deniq; beati. Definit enim beatus Iob cap. 28. sapientiam, timorem Dei: hoc est, θεοσέβειαν, & intelligentiam, uitare malum. Et Deus quidem ipse testimonium ei reddidit, amplius etiam quàm intimo suo amico Abrahamo, omnium credentium patri, &c. In ecclesia Brytannorū, post disseminatum à Iosepho Euangelium regni Dei, doctores erant, Eluanus, Meduinus, Melanius, Amphibalus, & alij, usq; ad Diocletiani persecutionem, sine traditiunculis humanis. In ocio ecclesiæ post Constantinum Magnum, hæretici, Arrius, Pelagius, Leporius & Timotheus: ex eo monachorum ordine, quem Apostolicum dicebant, per suas allegorias eandem turbabant ecclesiam. Post Augustini apostolatum, sub Anglosaxonibus, sequebatur aliud monachorū genus, nempe Benedictinorum: quod fœdissimis superstitionib. & idololatrijs omnia corrupit: ita ut ex angelis dæmones, & ex stellis locustæ tum demum fierent. Sed de his multo luculentius suis in locis.

CENTVRIAE PRIMAE, SCRIPTORVM BRYTANNIÆ finis, authore Ioanne Baleo.

IOANNIS BALEI SUDOVOLGII, ANGLI, DE SCRIPTORIBUS BRYtanniæ,

CENTURIA SECUNDA.

BEDAS GIRUUICENSIS. I.



BEDAS de Iaru, seu Girvuicēsis, Venerabilis ob uitæ modestiam nuncupatus, ex infimo Anglosaxonum genere, humiliq; pago Girvuico oriundus, in Vuirmuthensi ac Girvuicensi, sub uno abbate uix quinq; milliarijs distantibus, cœnobijs, ætatem omnem exegit. Inter sexcentos degens monasticæ uitæ commilitones, spiritualium charismatum totum perdidicit, quod quisquam illorum habebat. Nihil unquam apud illos solidę eruditionis erat, in quo, à Ioanne archiepiscopo edoctus, nō summa cum laude uersaretur. Fuit in Gentilium libris tam plenè exercitatus, ut eo seculo uix parem habuerit. Physicen & Mathesin, non à riuulis sordidis, sed ex purissimis fontibus, hoc est, ex Græcis & Latinis authoribus primis hausit. Fidei uerò Christianæ mysteria tam solidè, quantum eius temporis dabat iniquitas, nouit: ut ob exactam utriusq; linguæ, Latinæ & Græcæ peritiam, magno illo Gregorio à multis præclarior haberetur. Styli enim suauitate ac dicendi copia, illum in plerisq; exuperabat: atq; utinam spiritualiū sensuum puritate magis. Nihil ferè lectione dignum in omni reperitur uetustate, quod suis locis non legatur in Beda: tametsi Brytannię limites nunquam fuerit egressus. Si Augustini, Hieronymi, aut Chrysostomi temporibus claruisset, non dubito quin potuisset de paritate cum ipsis contendere: quòd inter tot superstitionum præstigia, tam castos ediderit fœtus. Considera Lothum inter Sodomos iustum, tres pueros in fornacis flamma non læsos, ac Philippios in medio nationis prauæ fideles. Veruntamē ipsum ex temporis illius malitia, nec possum nec uolo omni impostricis doctrinę scabricia leuare: quum in gestis Anglorum, ridiculosa quædā pro serijs rebus narrauerit, monachis & Gregorij dialogis nimiū credulus. Presbyteratum à Ioanne Beuerlacio præsule sanctissimo, ac suo olim præceptore, suscepit. Opuscula multa edidit, omni doctrinarum genere referta, scilicet

In Genesim usq; ad Isaac,	Lib.3. *De principio libri Genesis.*
In Genesim ad literam,	Lib.1. *Vtiq; non in principio temporis.*
In Exodum,	Lib.1. *Hæc sententia Esdræ prophetæ.*
In Leuiticum,	Lib.1. *Ab aliquibus interrogari solet.*
In Numeros,	Lib.1. *In exordio Numeri Dominus.*
In Deuteronomium,	Lib.1. *Secundum sanè est quod in.*
Explanationes in Iosue,	Lib.1.
In Iudicum quoq;,	Lib.1.
De tabernaculo Mosi,	Lib.3. *Locuturi iuuante Domino de figu.*
De uasis & uestibus,	Lib.1. *Moses in montem Domini cum Iosua.*
In Samuelem,	Lib.4. *Quæcunq; enim scripta sunt, ad.*
Super principio Regum,	Lib.3. *Studium nobis frequentiamq; legendi.*
In Regum 30. quæstiones,	Lib.1. *Dilectißimo fratri Nothelmo.*
De ædificatione templi,	Lib.2. *Hortatur nos uas electionis.*
De templo Salomonis,	Lib.1. *Quæ de libris Regum dilucidanda.*
In Paralipomenon,	Lib.2.

Super

Super uerbis dierum,	Lib.1.
In Psalterium,	Lib.1.Prophetia est diuina inspiratio.
Super quodam Esaiæ dicto,	Lib.1 Et claudentur ibi in carcerem.
In Prouerbia Salomonis,	Lib.3.Parabolæ Græcè,Latinè sunt pro.
In Ecclesiasten,	Lib.1.
In Cantica canticorum,	Lib.7.Cantica, in quibus sapientißimus.
In Esdram,ad Accam,	Lib.3.Eximius sacræ interpres scrip.
In Nehemiam, ad eundem,	Lib.1.Nehemias interpretatur Latinè.
In quædam capita Esdræ,	Lib.1.
In Tobiam,	Lib. 1.Liber sancti patris Tobiæ,uiri.
In Iobum,	Lib.2.
In Canticum Abacuch,	Lib.1.Canticum Abacuch,quod tibi.
In Esaiam prophetam,	Lib.2.
In Hieremiam,	Lib.2.
In Ezechielem,	Lib.1. Scripturus iuuante gratia.
In Danielem,	Lib.1.
In minores Prophetas,	Lib.12.
In Euangelium Marci,	Lib.4.In expositione Euangelij secundum.
In Euangelium Lucæ,	Lib.6.Beatus Lucas euangelista.
In Euangelium Ioannis,	Lib.1.Hic est Euangelista Ioannes.
In Parabolas Euangeliorum,	Lib.1.
Lectiones Euangeliorum,	Lib.1.Expositionem Euangelij secundum.
Homelias Euangeliorum,	Lib.2.Exordium nostræ redemptionis.
Homelias adhuc 49.	Lib.1.Fuit Ioannes in deserto prædi.
In Paulum ad Romanos,	Lib.1.Paulus apostolus,qui cum Saulus.
Ad Corinthios,	Lib.2.Paulus primò Saulus,hoc est.
Ad Galathas,	Lib.1.Priores sunt cæteri Apostoli.
Ad Ephesios,	Lib.1.Elegit Deus in Christo,&c.
Ad Philippenses,	Lib.1.Sicut sunt duo timores,&.
Ad Colossenses,	Lib.1.Tunica illa Domini desuper.
Ad Thessalonicenses,	Lib.2.Hoc dicit,ne fortè de tanti.
Ad Timotheum,	Lib.2.Quod iste prophanas & aniles.
Ad Titum,	Lib.1.Dicit Apostolus, tempora æterna.
Ad Philemonem,	Lib.1.Ad Philemonem scripsit Apostolus.
Ad Hebræos,	Lib.1.Erat ille dominus prophetarum.
In plura Apostoli capita,	Lib.1.
In Acta Apostolorum,	Lib.2. Actus uerò Apostolorum & præci.
Retractationes super Acta,	Lib.1.Scimus eximium doctorem ac pont.
De distantia locorum ex Actis,	Lib.1.
In epistolam Iacobi,	Lib.1.Dixit de hoc Iacobo Apostolus.
In epistolas Petri,	Lib.2.Aduenæ Latinè,Græcè dicuntur.
In epistolas Ioannis,	Lib.3.Hanc epistolam beatus Apostolus.
In epistolam Iudæ,	Lib.1.Iudas apostolus,quem in Euange.
In Apocalypsim Ioannis,	Lib.3.Fundata per Apostolos ecclesia.
De gratia Dei,	Lib.1.
De laude charitatis,	Lib.1.
De Paschæ celebratione,	Lib.1.Libenter accepi literas tuæ benig.
De ordine feriarum Paschalium,	Lib.1.Post resurrectionem uel ascensionem.
Canones ad hæc inuenienda,	Lib.1.

Nomina sacrorum locorum,	Lib.1.Acheldemach,ager sanguinis qui.
De situ Hierusalem,	Lib.1.Situs inquam Hierosolymorum urbis.
Aetates sex mundi,	Lib.1.De sex mundi huius aetatibus.
De quatuor difficilibus,	Lib.1.
De natura rerum,	Lib.1.Operatio diuina quae secula crea.
De temporum ratione,	Lib.1.De temporum ratione Domino iuuante.
De eisdem maius uolumen,	Lib.2.De natura rerum & ratione temp.
Lectiones ueteris testamenti,	Lib.1.
Lectiones noui testamenti,	Lib.1.
De ueritate temporum diuinorum,	Lib.1.Ad ueritatem annorum diuinorum.
Contra Iulianum episcopum,	Lib.1.Primò admonendum duco Iul.
Defensorium gratiae Dei.	Lib.7.
Chronicon à condito mundo,	Lib.1.Adam annorum centum & triginta.
De obitu sanctorum patrum,	Lib.1.Adam pater generis humani.
De scriptoribus ecclesiae,	Lib.1.
Distinctiones in Hieremiam,	Lib.1.
Distinctiones in Iobum,	Lib.1.
De Christo & ecclesia,	Lib.2.
De die iudicij lamentationes,	Lib.1.Inter florigeras foecundi cespitis.
De 12 lapidibus preciosis,	Lib.1.
Mansiones filiorum Israel,	Lib.9.
Flores Gregorij in Cantica,	Lib.2.In expositione Cantic.cant.
Scintillarium ex patrum sententijs,	Lib.1.Dominus dicit in Euangelio.
Exameron,	Lib.1.
De historijs sanctorum,	Lib.1.
De sancta Trinitate,	Lib.1.Omnipotens Deus,pater & fil.
Anglosaxonum historiam,	Lib.5.Brytannia Oceani insula,cui.
De passione Felicis,	Lib.1.
Passionarium sanctorum,	Lib.1.
Vitam Alberti episcopi,	Lib.2.
Vitam Cuthberti uersibus,	Lib.1.Principium nobis scribendi de.
De miraculis eiusdem,	Lib.1.Multa suis dominis fulgescere.
Chronicon sui coenobij,	Lib.2.
Quinq; abbatum gesta,	Lib.5.Religiosus Christi famulus.
Ad fautores principes,	Lib.1.
Vitam Anastasij è Graeco,	Lib.1.
Martyrologium de sanctis,	Lib.1.Festiuitates sanctorum Apostolorum.
Pro componendis uersibus,	Lib.1.Qui notitiam metricae artis.
Expositionem Donati,	Lib.1.Iste titulus uidetur satis.
De barbarismo,	Lib.1.Solet aliquoties in scripturis.
De schematibus & tropis,	Lib.1.Schemata Graece,figurae inter.
De tropis scripturarum,	Lib.1.Prolepsis,id est,praeoccupatio.
Hymnorum diuerso carmine,	Lib.1.Primò Deus globum coeli,&c.
Pro Etheldreda carmen,	Lib.1.Alma Deus Trinitas,quae secula.
Epigrammata heroico metro,	Lib.1.
De syllabarum quantitate,	Lib.1.
De orthographia,	Lib.1.Asculto suasori,& asculto.
Super mulierem fortem,	Lib.1.Mulier fortis ecclesia catholica.
De arte musica.	Lib.1.

Abacum numerandi,	Lib.1.
De ponderibus & mensuris,	Lib.1. Ponderum & mensurarum iuuat.
Denotationes circulorum,	Lib.1. Quæ ad circulorum denotationem.
De computatione per digitos,	Lib.1. Annus solaris, ut maiori prud.
De mensibus ac diebus,	Lib.1. Ianuarius, mensium anni primus.
De ratione quadrantis anni,	Lib.1.
De Aequinoctio uernali,	Lib.1.
De saltu lunæ,	Lib.1.
Formationes signorum,	Lib.1. Igitur sunt signa præcipuè.
De Arithmetica,	Lib.1.
De membris humanis,	Lib.1.
Compendium Adamanni,	Lib.1.
De pseudomonachatu corrigendo,	Lib.1.
De mysterijs sacrorum,	Lib.1.
Excerptiones patrum,	Lib.1.
Collectanea quædam,	Lib.1.
Flores ex diuersis,	Lib.1.
De diuinis officijs,	Lib.1.
De Andreæ memoria apud Scotos,	Lib.1.
De subiectione Candidæ casæ,	Lib.1.
Pœnitentiale quoddam,	Lib.1.
De topographia mundi,	Lib.1.
De situ orbis,	Lib.1.
Perididaxeon,	Lib.1.
Super Sibyllæ prophetia,	Lib.1.
Epistolarum ad diuersos,	Lib.1.
Breuiarium chronicorum Eusebij,	Lib.1.
Orationes ex Psalterio Hebraico,	Lib.1.

Et alia, sine certo numero. E' Græco in Latinum sermonem uertit, uitam apostoli Barnabæ, quam Græcè scripserat Marcus euangelista: Euangeliumq; Ioannis, Psalteriũ & alios Bibliorũ libros in patriã linguã transtulit. Senio confectus tandem, inter discipulorum manus obijt, fœlicissimũ sortitus exitum, anno Salutis humanæ 734, ætatis suæ 72, Girvuici sepultus, sub Egberto Northumbrorum rege. Dunelmum est eius corpus postea translatum, sed absq; Rom. pontificum canonizatione.

APPENDIX.

Nunquam fuit Bedas Romæ, licet plures ita scribant: & quamuis à Gregorio secundo Rom. pontifice, ad id esset per epistolas rogatus. Interea tamen, afflatus diuino spiritu, amicis principibus prædixisse fertur, quòd breui res Christiana incredibili afficeretur damno, si non pullulanti tunc incendio maturius occurreretur: narrationem hoc metro concludens,

Regna ruent Romæ, ferro, flammáq;, fameq;. Hos uerò libros Bedæ falsò ascriptos Lelandus refert, scilicet De imagine mundi, De naturis bestiarum, De ponderibus & mensuris, De situ orbis, De similitudinibus, De differentijs uocabulorum, Physicam de simplicibus, & Scutum Bedæ.

HEMOALDVS PROVIDVS. II.

HEmoaldus Prouidus, eximia uir eruditione apud Anglosaxones clarus, omnibus agebat modis, ut in studio literarum proficeret, ut et fructum aliquando ex suis ipsis laboribus collectũ, candidè ad aliorum applicaret usum. Cogitabatq; interim, quorundam philosophorum exemplo, se non sibijpsi soli fuisse natum, sed et patriæ atq; utilitati publicæ. Iactis igitur

fundamentis eorum optimis, incalescens eius animus, exteras regiones petijt, ampliores inde reportaturus opes. Intercesserat & antea illi cum Beda, Anglorum omnium doctissimo, familiaritas, cuius tunc transmarinus, obliuisci non poterat. Sed arrepto mox calamo, ad eundem expeditus scripsit,

De rebus mathematicis, Lib. 1.

Huius officij non immemor Bedas, editum à se libellum de ratione quadrantis anni, quem Bisextum uocant, illi dedicauit. Claruit anno ab incarnato Dei uerbo 740. regnante in Anglia apud Visisaxones Cuthberto.

TATHVVINVS MERCIVS. III.

TAthvuinus Mercius, eius inter Anglosaxones regionis alumnus: sub eruditorum præceptorum tutela, adolescentiæ suæ annos in optimis studijs fœliciter collocauit. Varijs artium bonarum disciplinis demum imbutus, animum ad uitam monasticam conuertit, & in Breuutonensi monasterio, Benedictinis sanctionibus se totum dedicauit. Vir erat, ut ex Beda Lelandus colligit, religione & prudentia insignis, sacrisq; literis nobiliter instructus. *Quum uerò, ut usuuenit, Brithvualdus Cantiorum archiepiscopus* senio confectus moreretur, hic summo Anglorum pontificatui, regum opera destinatus est. *Inter monumenta literaria quę posteris reliquit,* Hexametris uersibus Tathvuinus composuit,

Aenigmaton, Lib. 1.
Carmina uarij generis, Lib. 1.

Cætera quę composuit, à Dacis deprędatoribus exhausta sunt. Fato concessit, postquam tribus annis Cantianam metropolim gubernasset, et eodē anno quo Bedas obijt, scilicet à Christo nato 734. Egberto apud Cantios regnante.

EGBERTVS LINDISFARNENSIS. IIII.

EGbertus, *Lindisfarnensis episcopus, uir in bonis literis ab ipsa pueritia* uersatus, pro sua facultate, eruditione per id tempus eximia, & rerū diuinarum scientia, aliorum hominum inscitiæ succurrit. Hoc magnum in eo reperio malum, quòd in suo, ut apparet, pastorali officio, remissus & dormitans fuerit. Quod uitium in eo cōperiens ipsi uicinus Bedas senex sanctissimus, epistolam planè aculeatam & mordentem ad illum scripsit, in qua multa de Christiani præsulis officio tractat: nec pauciora de scriptura sacra in Saxonicam linguam uertenda, & quibus ea rationibus à Christiano uulgo legenda sit. Deniq; ibidē inculcat, ut episcopus reges admoneat, pseudomonachos & importunos monasteriorum constructores, si specie ocij potius quàm uirtutis id fiat, castigandos esse. Ita subolere cœpit sua ætate uir pius, quorundam Antichristi ministrorum, in Latinis cæremonijs & monachatu imposturas tunc scaturientes. Ad quas Bedæ, non reprehensiones, sed admonitiones pias, rescripsit Egbertus,

Gratificationis responsa, Lib. 1.

Et inde à sermone Latino in Anglosaxonicam linguam uertit plures Bibliorum libros, ut habet Guilhelmus Butler, in suo libello contra translationem uulgarem. Claruit Egbertus anno Christi 730, sub Osrico Northumbrorum rege.

VVILLEBRORDVS CLEMENS. V.

VVillebrordus Clemens, Vilgisij filius, in Riponēsi territorio, Septentrionalium Anglosaxonum genere natus, ac prophanis literis institutus, sub monachis Vuicberto & Egberto monachatum uolens induit. Benedicti potius quàm Christi regulas tandem edoctus, in Frisiam primùm,

postea

postea in Gallias, etiam à monachis missus, papismum prædicaturus uenit. Inde Romam à Pipino Francorum duce, ut suarum proditionū cœptis idoneus, anno Domini 694, cum literis commendaticijs delegatus fuit: ubi per Sergium Papam in D. Clementis festo, Clementis cognomen accipiēs, ad Frisones, Schlauos & Batauos archiepiscopus constituebatur. Fatetur & ipse Platina, sub eodem Sergio Saxones primùm Romanæ fidei characterem induisse. Qui mox reuersus, præfati ducis adminiculo, quo citius Rathbodum Frisiorū principē dominio spoliaret, Traiecti sedem archiepiscopalem constituit. Nam inter pontifices Romanos & Francorū principes, sub plantandi Christianismi fuco, tunc mutuò laboratū est, ut dilatarenť eorum imperia: populis interim per præstigiatores monachos, papisticas fæces religionis loco suscipere coactis. Scripsit inter cætera Vuillebrordus,

De sua peregrinatione, Lib. 1.
Ecclesiasticos canones, Lib. 1.

Homelias quoq; & epistolas plures. Obijt anno Verbi incarnati 739, ætatis suæ 81, & ordinationis 46, in suo cœnobio Epternacensi splendidè sepultus. Eius uitam carmine scripserunt Alcuinus Leuita, & nostra ætate Seruasius Aedicellius.

APPENDIX.

His temporibus, papa Gregorius tertius, imagines & ossa sanctorum uenerari, orationes pro mortuis fieri, ac Gregorij primi Dialogos pro confirmando purgatorio publicari mandauit. Monachi similiter Pipino prædicto per literas significabant, se patris eius Caroli Martelli animam in inferno uidisse sepeliri, quod censum ab ecclesiasticis uiuens cœpisset, et uiros religiosos pecunijs mulctasset: cum alijs adhuc præstigijs. Vrbes inde ac plures per Italiam ditiones capiebat Romuleum diui Petri rete, quod furtum specioso Petrini patrimonij titulo obtegunt. Besetis, à quodam Beser dictis, hoc tempore initio datur, quod damnauerint imagines, & earum cultum. O graue scelus. Pij certè homines erant, qui crescenti superstitioni circa idola, resistere tam piè sunt conati.

KIMBERTVS LINDESEIVS. VI.

Kimbertus Lindeseius, qui & Cymbertus, ex illustri quadam ortus Anglorum familia, uirtutumq; ornamentis manifestis, prudentia ac scientia comptè adornatus, splendidum apud suos ex probabilibus factis acquisiuit nomen. Penes Lindeseiam regni Merciorum urbem, quartus demum constitutus episcopus, Romanas consuetudines coætaneorū more, in suis ecclesijs seruandas docuit ac præcepit, amaris dulcia miscens, & æterna caducis. Fuitq; ea episcopalis sedes Lincolniā, post 300 & 60 annos, Guilhelmi Rufi Anglorum regis cōsensu, per Remigium episcopum translata, ut in lib. 1. cap. 55. Polychronici Ranulphus tradit. Kimberti huius laboribus, in Anglosaxonicæ historiæ consarcinatione, se olim fuisse adiutum, candidè fatetur Bedas, in operis præfatione ad Ceolrulphum regem: In prouincia (inquit) Lindisi, quæ sint gesta erga Christi fidem, quæ'ue successio sacerdotalis extiterit, uel literis reuerendissimi antistitis Kimberti, uel aliorum fidelium uiua uoce didicimus. Prius nanq; Kimbertus collegerat,

Comprouincialium facta, Lib. 1.
Ad Bedam quoq; scripsit, *Epist. plures.*

Et quædam alia quæ modò non occurrunt. Clariut anno à Christi seruatoris ortu, 730, sub Ethelbaldo Merciorum rege. Quo etiam anno, prodigia quædam in aere sunt uisa, duoq; cometæ apparuerunt ad terrorem multorum.

CVTHBERTVS GIRVVICIVS. VII.

Cuthbertus, Giruuicensis cœnobij monachus, quod distat ab Orrea,

nunc Nouo castello, quatuor passuum millibus, sub Bedæ ferula iuuenis, in bonarum artium cognitione mirum in modum profecit. Ex discipulo classiario, officiosus est tandem comes effectus: sed ita charus, & ita uigilans, ut quæ præceptor iam senex, continuis doloribus atq; ægritudine oppressus, Lelando teste, dictaret, currente calamo impiger exciperet. Neque huic officio defuit, quandiu Bedas dictare potuit: potuit autẽ ferè ad extremam uitæ horam. Postea uerò mortuo pręceptore, & per libros non perituros immortalitati quodammodo consecrato, cœpit & ipse commilitones magna cum laude, nec minore fructu docere. Quo factũ est, ut à monachis Girvuicensibus simul & Vuirmuthensibus, summè coleretur. Qui, ut aliquid memoria dignum præstaret, cõposuit, & Cuthvuino Synchrono monacho dedicauit,

De Bedæ uita & obitu, Lib. 1. *Dilectißimo in Christo lectori.*
Familiares epistolas, Lib. 1.

Et alia plura: præter laboriosas & multas operum prædicti Bedæ collectiones atq; in ordinem digestiones. Claruit Cuthbertus, anno ab aduentu filij Dei in carnem 740, sub Egberto Northumbrorum rege.

NOTHELMVS LONDINENSIS. VIII.

NOthelmus Londinensis, uir certè per illam ætatẽ eruditus & grauis: presbyter primùm, postea præsul eiusdẽ ciuitatis existens, multa salubris doctrinę præcepta, tam popularibus ac plebeijs quàm ipsis ciuibus dedit. Iuuenis olim spectatißimę probitatis, fanum apostoli Pauli, quod ea in urbe uertice consurgit excelso, celebrauit, factis memorabilibus toti insulæ notus. Ab Alcuino interim Eboracensi, uiro doctißimo, per literas prouocatus (nam per id tempus Bedas, eo incensore, ecclesiasticam Anglicę gentis historiam edere, animo statuerat) discipulorum Gregorij primi gesta, à primo illorum in Brytanniam aduentu, per Londinensium & Cantuariorum prouincias iste collegit: imò quod maius est, Romam ea causa perueniens, uisitatis Gregorij secundi pontificis permissu, eius ecclesiæ scrinijs, Anglorum ecclesiæ originem, cum regulis, decretis & epistolis ad Augustinum apostolum missis inuenit. Quas omnes hinc inde cõparatas, uir ad id studiosus ac diligens, ordine certo in commentarios redegit, atq; ad Bedam chronico inserendas misit. Cui uicissim & idem Bedas, triginta quæstiones, quas fecerat in Regum libros, dedicauit. Monumentis ergo literarum tradidt Nothelmus,

Acta per Augustinum, Lib. 1.
Collectiones Londinenses, Lib. 1.
Homelias quoq; uarias, Lib. 1.
Ad Alcuinum & Bedam, Epist. plur.

Cætera eius scripta non uidi. Post Tathvuini mortem, Cantuariorum ecclesiæ archipræsul constitutus: quinq; annis durabat, in eadem post fata demum sepultus, anno Christi Domini nostri 739, Alrico rege in Cantia dominante.

PLEGVVINVS NORTABRINVS. IX.

PLeguuinus Nortabrinus, homo ad literas ab ipsa iuuentute ingenium paratum habens, reconditis naturę mysterijs & linguarum cognitioni, prompta atq; expedita aduigilabat diligentia. Proinde (inquit Lelandus) si quid obscuri, luxati, aut parum lucidè interpretati interdũ occurreret, iudicio eruditorum maturo prudenter quidem est usus. Et quoniam Bedę in primis

primis censurã magni faciebat: apud eum orta de sex mundi ætatibus quæstione, per literas accurate egit, ut accuratius responderet in causa hærente. Bedas uerò pro solita sua humanitate & candore, iusta cura rem omnẽ scripto explicuit libello, quem eidem Plegvuino dedicauit. Libellus ille adhuc superest, & inter Bedæ ipsius epistolas locum occupat non inglorium. Scripsit igitur Plegvuinus ad Bedam,

Super quibusdam quæstionibus, *Lib.1.*
Ad monachos eruditos, *Epist. plu.*

Et alia quædam. Claruit anno à Seruatore nato 740, sub antedicto Northumbrorum rege Egberto. Huius atque aliorũ lucubrationes multas, Daci post hominum memoriam depopulatores uiolentissimi, flammis aboleuerunt.

IGLACVS GYMNASIARCHES. X.

IGlacus gymnasiarches, Anglus, Benedictini instituti monachus eruditus, post longa profanarum artium exercitia, diuinæ scripturæ maiestati meritò assurgebat, & studiũ omne suum in eam intentè collocauit. Hinc eius fama, ut Lelandus etiam habet, per Northumbrorum cœnobia celebris admodũ fuit, usque adeò, ut Sigvuinus abbas fani Petri, in finibus Berniciorum uersus orientẽ Lindisfarnæ scilicet, magni illum fecerit, & accersitum prælectorem monachis illic constituerit. Huius plerunque in suis opusculis meminit Ethelvuolphus Barnicius, poeta eius temporis non indoctus, qui illius sobrietatem, modestiam, eruditionem, uirtutes & inclyta facta abundè commemorat. Composuisse uerò tandem Iglacus fertur,

Vitam Siguuini abbatis, *Lib.1.*

Et alia nonnulla, quæ tandem sunt à Danis conflagrata. Claruit Iglacus anno ab origine salutis mundi 740, sub Egberto præfato Northumbrorum rege. de quo Ethelvuolphus hoc habet, in libro De laudibus sui cœnobij.

Tempore quo lector præclarus gaudia dicti
Accumulat patris, Iglacus nomine dictus,
De quo iamdudum, perstrinxi pauca relatu
Anglorum de gente, pios dum carmine quosdam
Concinerem. Quondam fuit inclytus ille magister.

DANIEL VVENTANVS. XI.

DAniel Vuentanus, Maildulphi Scoti quandoque discipulus, in occidentalium Anglorum terris natalium splendore dilucidus: uir ingenio magnus, & cultiore literatura delibutus, in Musarum stadio utiliter cucurrit. Post literarios in uarijs regionibus labores, Aldhelmo Durotello, cui Achates & conterraneus erat, in omni bonarum disciplinarum genere habebatur semper æqualis. Vnde Hedda quodam illius gentis episcopo, anno Domini 704 defuncto, Brithvualdus Cantuariorum archiepiscopus & primas, in duas parœcias seu diœceses prouinciam illam diuisit: Aldhelmo Shireburnam tribuẽs, ac Danieli Vuentam, quæ nunc appellatur Vuintonia. Ambo, inquit Bedas, in rebus ecclesiasticis & in scientia scripturarũ eleganter instructi, strenuissimè ipsis præfuerũt Ecclesijs. Coaceruauit hic Daniel, homo undecunque doctissimus, quàm plura, quibus Bedas in cõcinnatione suorum Chronicorum multopere utebatur, præsertim

Historiam suæ prouinciæ, *Lib.1.*
Australium Saxonum gesta, *Lib.1.*
De rebus insulæ Vectæ *Lib.1.*
Vitam Ceddæ episcopi, *Lib.1.*

Super obitu Aldhelmi, Lib.1.
Ad uirgines sacras, Epist.1.
Pro Venefrido ad Gregorium, Epist.1.

Atque alia, quæ nos latent. Ex hac uita migrauit anno ab incarnato Messia 746, episcopatus sui anno 42, Malmesburiæ tandem in suo cœnobio sepultus, sub Sigeberto Visisaxonum rege.

ETHELVVOLPHVS BERNICIVS. XII.

Ethelvuolphus Bernicius, qui & Lupus dicebatur, ex Anglosaxonum genere prognatus: monasticæ sectæ, adhuc adolescens, cultor non infimus erat, idemque bonarum literarum ardētissimus amator. In fano Petri, ad orientale Berniciorū litus (Lelandi uerba capio) Eadfridum, postea Lindisfarnensem episcopum (sunt qui Eadferthum uocent) primum præceptorem habuit. Postea autem audiuit & Iglacum, doctorem prælegentem, cuius uitam paulo superius scripsimus. Interdum deposita diuinæ philosophiæ seueritate, solitus est Musarum fontes petere, & carminibus indulgere. Extant adhuc eius libri non inelegantes. Et quidem scripsit uersibus heroicis, poeta per ætatem tam barbaram non contemnendus, ad Egbertum episcopum,

De origine sui cœnobij, Lib.1.
De illustribus monachis, Lib.1.
Super suo somnio, Lib.1.

Et alia quædam. Claruit anno post Seruatorē natum 750, sub Osvulpho Northumbrorum rege. In primo libro graphicè depingit Eadmūdum ducem, ac primum sui cœnobij præsidem, & fanum Petri ab eo instauratum.

APPENDIX.

Nota tempus hoc perfidum. Potestas regia, quæ à solo Deo esse solebat, iuxta illud Prou. 8. Per me reges regnant, & Rom. 13. Non est potestas nisi à Deo: ita his diebus labefactabatur, ut ad nihilū penè deuenerit. Nam ubi prius ab ipso Deo, tunc à Papæ authoritate pendere cœpit, regibus quibusdam in cœnobia tonsis. Tantum sibi iurisdictionis ac fastigij tunc assumebat Romana bestia, ut non solum reges, dum non placerent, sceptris priuaret: sed et ipsum mundi imperium à Græcis ad Gallos tyrānide plusquam diabolica, quòd imagines aboleuissent, transferret. Miranda etiam fiebant ex peregrinationibus, purgatorijs & missis. Francorum reges tunc solo nomine regnabant. Brytannorum potentes aut occisi fuerunt, aut in exilium missi. Anglosaxonum principes, monachismum induerunt. Quid aliarum nationum monarchis contigerit, in earū Chronicis satis est apertū. Sic sunt ex Christianis, si dijs placet, Christianissimi facti. Immò sic sunt in uirtute Sathanæ, ex patribus filij, ex filijs serui, & tandem ex seruis deiectissimi flagriones effecti, uel saltem in meros asinos conuersi. Sic eos transsubstantiare nouerunt, Dei atq; hominum proditores impij.

Ioannes Euersdenus, Anno Domini 786, sanguis de cœlo in Anglia profluxit, & cruces apparuerunt in uestibus hominū. Petrus Præmostratēsis: Hoc tempore stellæ de cœlo cadebant, Apoc. 6. et Carolus Magnus incœpit regnare, qui ædificauit 24 monasteria. Ex Funccio, Bruschio et alijs: Anno Domini 813, eclipsis solis erat, dum concilia quinq; Caroli Magni iussu in diuersis urbibus celebrarentur, pro admittendis Papæ cæremonijs. Anno Domini 821, Bucouiæ cœnobium monialium nobilium in Germania ædificatum fuit: ex quo exire, & honestè nubere omnes poterant, excepta abbatissa: cui id non licebat, propter Pontificis benedictionem. Pontificis ergo benedictio cum scortationibus, quæ in monasterijs frequentes fiebant, bene stare poterat, sed cum coniugio Christiano non. Anno Domini 838, Vuitinus Augiensis in Germania monachus & uates obijt: qui uiuens, prophetias edidit, ac uarias habuit uisiones. Anno Domini 870. monachi sancti Huldrici uel Vdalrici Augustensis episcopi, uxores semper ducebant, usque ad tempora Hildebrandi, qui nuptias prohibebat. Circa annum Domini 950, monachi plures Fuldensis cœnobij, sub abbate Hadamario

matrimonia contrahebant. Gaspar Bruschius in Antiquitatibus.

VVENEFRIDVS BONIFACIVS. XIII.

VVenefridus Bonifacius, Anglus, Cridioduni in patria Deuoniensi natus fuit, plus minus sex passuum millibus ab Excestria, quæ & olim sedes episcopalis erat. In monasterio eiusdem Excestriæ, tunc inclytæ urbis, sub abbate Vuolfhardo monachus factus, asiduam dabat literarũ studijs operam. Post illud nationale concilium, quod Britvualdus Cantiorum archipræsul Londini celebrabat, Danielis Vuintoniensiũ episcopi literis armatus, Romam adiuit: ubi pontifex Gregorius secundus, probata hominis fide, ut habet historia, perspectaq; eius animi magnificentia, potius inuerecundo supercilio, uidit illum suis per omnia rebus idoneum. Extemplò igitur designauit ipsum cũ plena authoritate ad Germanos mittere, duræ ceruicis, ut ipse putabat, gentem: ut eos uel inuitos in suæ religionis professionem pertraheret. Reuera à Christo nato quisquam non fuit, qui alteram illam in Apocalypsi bestiam apertius egerit, quæ de terra ascendens, duo gerebat cornua ut agnus, Apoc. 13, quàm iste. Nam papę, Antichristo magno, secũdus erat, eius ipsius testimonio: dum summa legatione fungens, ad Bauaros, Schlauos, Thuringos, Hessos, Saxones, Dacos, Frisios, & alios Germaniæ populos, Maguntinensis metropolites, & Coloniensis ecclesiæ prę fectus ordinatus proficisceretur. Centum millia hominum charactere pontificio in Bauaria signauit, ac terrore magis quàm pia doctrina, Antichristi regno cõglutinauit: præter id quod in Gallijs sacerdotum illic omniũ princeps fecerit. Celebrauit synodos, ordinauit episcopos, confirmauit missatores, monasteria condidit, coniugia ministrorum damnauit, peregrinationes instituit, purgatoriũ docuit, mortuorum ossa & imagines uenerari iussit, Vestales sermocinatrices contra D. Pauli doctrinã admisit, effecitq; ut cum oblationibus pleriq; Romam adirent. Childericum legitimum Francorum regem tyrannicè deposuit: Pipinum proditorẽ eius loco substituit, ac populum omnem ab eius fidelitate absoluit: & hæc omnia pontificiorũ canonum uirtute egit. Videte alia eius adhuc miracula. Longobardorũ nobile regnum in Petri patrimonium conuertit, ac Romanum imperium mirabili artificio tandem (quod statim sequebatur) à Græcis transtulit ad Gallos, eadem authoritate fretus. Et hæc omnia fecit hic Bonifacius, ut terram inhabitantes, primam adorarent bestiam, Apoc. 13. Quamplura etiam ille scripsit, ut prædicta constabiliret, scilicet,

De sua fide & doctrina,	Lib. 1.
De religione sanctitatis,	Lib. 1.
Pro rebus ecclesiæ,	Lib. 1.
Instituta synodalia,	Lib. 1.
De suis in Germania laboribus,	Lib. 1. *Per Dei gratiam Germaniæ popu.*
Epistolas ad quatuor Papas,	Lib. 1. *Domino excellentißimo Gregorio.*
Ad Ethelbaldum regem,	Lib. 1. *Domino charißimo, & in Christi.*
Vitam Liuini martyris,	Lib. 1. *Tempore quo Colmannus inclytus.*
Vitam Lebuini monachi,	Lib. 1.
Vitas sanctorum aliorum,	Lib. 1.
De fidei unitate,	Lib. 1.
Contra hæreticos,	Lib. 1.
Epistolarum ad diuersos,	Lib. 1.

Atq; alia nonnulla. Ad Bornæ ripam à Frisijs tandem cæsus, cum 54 familiaribus

bus occubuit, nonis Iunij, dum neophytos cõfirmaret, anno Salutis humanæ 755, ætatis suæ anno 60: cum 36 annis, 6 mensibus & 6 diebus legatione functus fuisset. Sepultusq; fuit primùm Traiecti, postea Moguntię, postremò omniũ Fuldæ in cœnobio, regnante Offa Merciorum in Anglia regę.

APPENDIX.

Aduersus istum Papæ apostolum magnum, & eius in cæremonijs nouis superstitiones, insurgebant inter alios quinq; uiri docti, Adalbertus Gallus, Clemens Scotus, Samson, etiam Scotus: Sydonius archiepiscopus, & D. Virgilius. Vtebatur enim in ministerio baptismi et cœnæ Dominicæ, quibusdam exorcismis, & contra Dei uerbum ritibus, quos ferre non poterant religiosa eorum pectora. Præterea uitam eius improbabant, ut ab Apostolorum exemplis tam diuersam atq; à luce tenebras: dicebantq; fuisse illum adulatorem, præstigiatorem, & mollem martyrem. Scripsit ergo super his ad Zachariam Rom. pontificem, qui ipsos statim excõmunicauit, atq; interdixit sacris. Diuq; Adalbertus in Fuldensi carcere luebat pœnas, quòd librũ aduersus illum scripsisset. Fuldense monasteriũ anno Christi 742 Bonifacius iste cõdidit, quò nulli permittebatur ingressus fœminæ, quàm soli Liebæ Anglicæ, Vestali amantissimæ: cuius corpus in eodem sepulchro sibi consepeliri iussit adhuc uiuens. Floriacense uerò cœnobium, anno Domini 651 fundatum erat, à monacho Leodeboldo. Quæ duo loca non minimos dedere Antichristi regno successus fortunatos, ut postea patebit.

Quæsiuit hic sanctissimus ac doctissimus Germaniæ apostolus, inter alias Apostolicas quæstiones, à suo institutore papa Gregorio secundo, quando sit laridum comedendum. Quæstio certè est tanto Apostolo digna. Respondit Papa: Tunc comedendum esse, cum uel fumo siccatum, uel alioqui coctum fuerit. Ridiculum hoc ualde est. hinc tamen apparet, quàm præclaris pascuis oues Christi hic lupus in Germania pauerit: nempe inanissimis traditiunculis. Illyricus.

DE PAPIS, VEL ANTICHRISTIS Romanis.

27. Stephanus secundus, Romanus, prædicto Stephano statim suffectus, uir singularis religionis ac prudentiæ à papistis iactatur, ac diligens Christianæ doctrinæ prædicator. Sed mysterium intellige. Cum pontificatum iam suscepisset arte & astutia sua, Rauennæ Hexarchatum omnem (qui tantum illis displicuerat) & alias complures Italiæ terras, Rom. sedi subiecit, ut Italiæ regnum obtineret: hoc modo contra Aistulphum Longobardorum regem, censum ac uectigal ab eo atq; suis uinctis exigentẽ, auxilium à Pipino ardẽter petijt. Ille autem, ut pontifici rem gratam faceret, ut cui regnum Franciæ acceptum referret: post uarias obsidiones, Hexarchatum à Longobardorum armis liberatum, cum omnibus urbibus usq; ad stagna Venetorũ, ipsi dono dedit: et non alio iure, quàm quo ille prius, dictum susceperat regnum. Atq; hæc est, quam falsissimo titulo Constantini Magni donationem uocant. Sic Cæsarem Hexarchatu illo omnino spoliarunt. Ceciditq; cum illo (horribile malum) tertia Rom. imperij dynastia. Et destructo per eius amissionem Orientali imperio, Occidentale mox futurum, uires etiam amisit. Sed Stephanus tanto spolio lætus factus, Pipinum spurium cum duobus filijs, per nouam unctionem confirmauit: eiq; ac toti eius progeniei, in magna Dei maledictione, fur furi benedixit, à periurio eum absoluit, immunem fecit, & omnes illi in posterum contradicentes anathematizauit. Childericum uerò, hæreditario regno spoliatum, detonso capillo, in monasterium iterum trusit. Ad terram se prostrabat Pipinus, Pontificis pedes mox osculabatur, stapedes apprehendit, frenum accepit manu, stratoris officium adimpleuit, ac perpetuam fidelitatem iurauit. Hinc eorum opes, fastus, ac tyrannides, radices sumpserunt. Hinc Papa omnium Christianorum principum Deus terrestris esse cœpit, & mundi monarchas sibi subditos fecit. Et ut pro tam splendido beneficio gratias Deo referret, Letanias Romæ per omnes ecclesias fieri mandauit, Apostolorum caluarias cum alijs sanctorum reliquijs ferri & ostendi iussit: ac pontificaliter in populi medio cum summis triumphis, tanquam alter Alexander, aut Philippus Macedo, aut Cæsar ipse Iulius, ad Lateranensem basilicam à perferarijs se gestari permisit. Quod & à posteris pro magna religione obseruatum est, ut hominum humeris deportarentur. Basilicas ab Aistulpho destructas, deinceps restaurauit: Paparum traditiones authoritate firmauit, proditiones principibus factas remisit, de imperij à

rij à Græcis ad Gallos translatione, Græcorum odio, cogitauit: Gallorum ecclesias cantilenis ornauit: & quicquid erat imperio uiolenter ademptum, D. Petri patrimonium posthac dici uoluit. Sed in horum ac similium conatuum medio, anno Domini 757, Deus illum in sceleris pœnam uita spoliauit.

28. Paulus primus, Romanus, prædicti Stephani frater, eo mortuo protinus successit: sed non sine contentione, cum alij Theophylactum quendam archidiaconum præferendum censerent. Hic post quædam, ut ferunt, pietatis opera, ad ueteres prædecessorum pontificum artes conuersus: statuas à Constantino quinto Imperatore Byzantij iam denuò abrogatas, fulminationibus nouis restituere laborabat. Sed in sua sententia constans Constantinus, contemptis eius execrationibus ac minis, usq; ad uitæ suæ finem execrabilibus idolis bellum intulit. Corpus Petronillæ, filiæ sancti Petri (inquit Vicelius, adulator papisticus) ualde honorabat hic pontifex: terraq; leuauit. In cuius marmoreo sarcophago, Carsulano teste, clausulam hanc reperit (impudens mendacium) ipsius Petri manu scriptam: Aureæ Petronillæ, dulcissimæ filiæ. Quadragesimale seruitium disposuit: & ante horam sextam officia celebrari constituit. Ecclesias quasdam in urbe ædificijs ampliauit, ac earum dedicationibus nouas cæremonias addidit. Ex æstiuo calore tandem, anno Domini 767, pinguis hic porcus obijt, restitutis quibusdam fanis, ruina collabentibus, ut Petrus Præmonstratẽsis refert. Huius Pauli tempore stellæ de cœlo in terram cadebant, iuxta id quod scribitur Apoc. 6. & Carolus Magnus statim incœpit regnare, qui ædificauit 24 monasteria.

29. Constantinus secundus, natione Romanus, Desiderij Longobardorũ regis frater, impulsu dicti Desiderij, per Tothonem Nepesinum ducem, cum plures eandem ambirent sedem, ex laico Papa cõsecrabatur. Sed temeritas (ut Crantzius scribit) cõsecrantis Sergij Hostiensis, uel Georgij Prænestini, mox paralysi cæditur, quòd non esset Constantinus sacris initiatus: tam periculosa res est, primo bestiæ charactere non insigniri. Hinc multæ sunt in clero excitatæ discordiæ: inter quas Philippus quidam ab alijs eligebatur: sed statim eo ab officio, armis inferior, se iterum abdicare coactus fuit. Impleuit Constantinus pontificium munus per annum unum: ac pontificalia ualde pontificaliter administrauit. Conuocato tamen ex Italorum & Gallorum episcopis ac monachis synodali concilio, in magno eorum furore ab ecclesia eijcitur, & cum contumelijs in monasterium tanquam in perpetuum carcerem damnatur, anno Domini 768, tam oculis quàm papatu priuatus. Suntq; qui istum inter Papas, quòd laicus esset, non numerant. Et omnia eius acta irrita fecerunt, præter baptismum et chrisma. Sequenti anno Desiderius rex, sub orationis prætextu Romam ueniẽs, exoculatores fratris sui talione retaliauit.

30. Stephanus tertius, natione Siculus, ac professione monachus, strenuus pontificiæ authoritatis & rerum ecclesiæ defensor, à papistis esse scribitur. In Lateranensi enim synodo, acta prædecessoris Constantini solenniter abrogauit: ordinatos ab ipso episcopos, ubi nõ accessit noua solutio, degradauit: & ne quis laicus extra ecclesiasticos ordines pontifex fieret, sub anathematis pœna prohibuit. Constantinopolitanam synodum septimam tanquam hæreticam execrauit: statuarum cultum in ea reprobatum iterum approbauit: idololatrias fœdissimas reuocauit: imagines adorandas esse docuit, earum uenerationes ampliauit, ac thura illis adoleri ethnico ritu præcepit. Ecclesiã Mediolanensem, quæ illuc usq; extiterat libera, suæ subiecit tyrannidi: Desiderium Longobardorum regem, regni sceptro priuari, à Cæsare Carolo Magno petijt: canonum transgressoribus anathema proposuit: ut in diebus Dominicis, Gloria in excelsis, super altare S. Petri in missarum solennijs, à septem episcopis Cardinalibus caneretur, constituit: & alia papalia miracula fecit. Perijt hic non inutilis eius ecclesiæ pastor, anno Domini 772, quem, quia nudis pedibus in una processione ad D. Petri templum semel ibat, uerum Christi imitatorem, atq; ipsius Petri successorem Papistæ deprædicant.

31. Hadrianus primus, patria Romanus, uir ad tuendas res ecclesiasticas impiger, non minore diligentia papale fastigium auxit, quàm fecerunt antecessores. Corpus S. Pauli argenteis laminis inclusit: Petri fortassis auro circumdaturus, si ad manum reliquiæ illius fuissent. Sed ne sine honore abiret, altare eius pallio auro intexto ornauit. Atrium S. Pauli uetustate collapsum instaurauit, ac marmore strauit, & ad Stephani fanum monachos locauit. Cœnobium Anastasij ad aquas Salinas reædificauit, & portas maiores æreas S. Petro dedit. Imagines uenerari plus omnibus uoluit: de illarum ado

ratione ac utilitate librum idololatra composuit, & ut essent laicorum libri, ablatis scripturis, constituit. Statuarū execratores, Fœlicem & alios, in synodo damnauit: in officio ecclesiæ offertoria quædam uersibus geminauit: & missarum ritus à magno Gregorio editos Occidentalibus ecclesijs imperauit. Multarum basilicarū in urbe tecta reparauit: aquæductus, collapsas turres, quassatos muros, & similia ad clerum pertinētia, magnis expensis restituit: ac pontificatum Romanum ab omni externorum principum molestatione per Carolum magnum liberauit. Literas Apostolicas, priuilegia ac diplomata, ut diuturniora fierent, plumbo primus insigniuit: infames (ex Euangelij professione fortaßis) ad sacerdotium promoueri uetuit: & ne clericus extra suum forum, in iudicium traheretur, sanciuit. Mortuo Carlomanno, Francorum rege & Caroli fratre, Bertha eius uidua cum duobus filijs ad hunc Hadrianum uenit: impetratura, ut eos confirmaret, & in paternum regnum inungeret. At pater iste sanctißimus, ne Caroli eorum auunculi animum à se alienaret, pupillos reiecit, causam eorum spreuit, in reges ungere recusauit: ac tum demū tam matrem quàm filios, cum Desiderio Longobardorum rege, regno, uxore, atq; liberis, in perpetuam seruitutem dedit. Qui secum omnes in Gallias duxit: & in dolore suum edere panē, ad uitæ finem usq; docuit. Sic Dei in terris uicarius beatißimus, uiduæ causam, atq; orphanorum clamores audiuit. Vt tamē hæc omnia, quodam sanctitatis fuco uestiret: in atrio Lateranensi quotidie centum pauperes ali iußit. Carolus uerò tantorum officiorum non malus remunerator: post pedum oscula, patris Pipini iniquißimam donationem, urbes scilicet omnes ad Rauennatensem Hexarchatum pertinentes illi confirmauit: & Venetiam, Histriam, ducatum Foroiuliensem, ducatum Spoletanum ac Beneuentanū, atq; alias terras Petrinæ possesioni addidit iniquus prædo. Romanæ urbis et Italiæ principem Hadrianum fecit: ac Papatus imperium, deleto Longobardorum regno, firmauit: fœderaq; inter se & pontificem constituit, Communes hostes fore eos, qui alteram partem lacesserent. Hadrianus rursum, Christianißimum regem Carolum uocari iußit: patricium Rom. fecit, ac ius conferendi patriciatus eidem dedit. Potestates eligendi papam, & inuestiendi per omnes prouincias episcopos, quæ non diu durabant, astu uulpino concesit: atque ut solo nomine Rom. imperator diceretur, ordinauit. Post hæc Hadrianus, anno Domini 796. cōmuni morte sublatus est.

32. Leo tertius, Romanus genere, cum pontificatum inijsset, statim misit ad Carolum claues S. Petri, urbisq; Rom. uexillum, & alia munera: petens, ut populum Rom. fidei sacramento dato, Papatui subijceret. Verebatur enim, ne quandoq; tyrannidem eius populus excutere uellet. Carolus autem, gratiam Leoni facturus, Agilbertum abbatem misit, qui Rom. populum eius iussu, pontifici fidelitatem iurare compulit. Hinc odium populi in Papam ita excitabatur, ut nacti furoris magistros, in quadam proceßione, equo deiectum, habitu pontificali nudarent, ac multis uerberibus cederet. In quo tumultu, non oculis priuatus, & lingua mutilatus est, atque (ut Papistæ tradunt) diuinitùs postea restitutus, ut eius authoritatem splendidis mendacijs amplificarent: sed in uincula solum in D. Erasmi cœnobio coniectus. Vnde Mantuanus in 4. Fastorum lib.

Ille diu Romanorum fœdißima passus
Iurgia, damna, minas: iter est ingressus ad Alpes,
Vt sibi Gallorum regem sociaret: & illo
Auspice, terrorem Romanæ euaderet iræ.

Tandem adueniente Carolo, cum cognouissent quo animo ipse esset erga pontificem, conceptum odium eius metu in fauorem uerterūt: obiecta crimina probare non ausi. Vno ore ergo interroganti de eius uita, responderunt: sedem Apostolicam à nemine laico iudicari debere. Quo responso accepto, dum & ipse iureiurando affirmasset se innoxium esse, placatus Carolus eum absoluit, atq; innocentem declarauit. Pro quibus officijs gratiam relaturus hic pōtifex, magna uoce Imperatorem eum declarauit, inunxit, ac diademate ornauit, Romano populo acclamante: Carolo Augusto, magno Imperatori, uita & uictoria. ut apud eundem Mantuanum:

Imperij tandem Roma applaudente coronam
Imposuit Carolo, tantiq; insignia regni.

Sic est imperij nomen Romanis restitutum, ita tamen ut ne Papæ authoritas excluderetur: ut in

Apocalypsi, cap. 17. de octauo dicitur. Hinc mos remansit, ut qui imperij sceptrum acciperet, à Papa Rom. inungerentur. Ab illo die, qui fuit anno Domini 801, Romani imperij dignitas, à Græcis per Papam ad Gallos est translata, postea à Gallis ad Germanos secundum beneplacita eius. Ita est imperium, quod antè è cœlo dari creditum fuit, nunc ad Papæ manus deuolutum. Et hæc translatio ex magnis est Antichristi miraculis unum: cui draco suam sedem ac potentiam dedit, Apoc. 13. Pipinũ quoque, Caroli huius filiũ, illius partis Italiæ regem, declarauit hic pontifex: quam nec ipse, nec ullus prædecessorum suorum sibi subijcere poterant. Et hac ratione id fecit, ut reges Galliæ Imperatorium titulum habentes, nunquam paterentur eiusmodi maiestatem ab eo tolli. Hinc factum est (inquit Hieronymus Marius) ut per Papam perpetuæ inimicitiæ disseminatæ sint inter Orientis & Occidentis Imperatores. Vnde tot strages, tot incendia, tot regnorum uastationes subsecutæ sunt: sed nondum finis. Hac tamen conditione, Imperator ab hoc pontifice factus est, magnus hic Carolus, ut iureiurando polliceretur, se perpetuam obedientiam sibi seruaturum. Iure ergo Draconico, acquisito & confirmato, iuxta id quod scribitur Apoc. 13. res ecclesiæ curare aggressus est Leo: ac trium dierum supplicationes ante ascensionem Christi instituit: atq; thuris usum, infidelium Iudæorum & Paganorum more, altaribus primus aßignauit. Hospitale amplißimũ, pro peregrinis idololatris Romam aduentantibus, ædificauit: & tectum ædis S. Petri restituit. Pontificum decreta, omnium doctorum scriptis præponenda esse statuit: & sanguinem adulterinum, quem è crucifixo quodam ligneo fluxisse impostores dixerant, ut statuarum idololatrias, dum adhuc essent in quæstione, confirmarent, pro uero Christi sanguine (horribile dictu) haberi uoluit. Et Mantuam profectus, ubi hucusq; seruatur, salutatur, adoratur: sic esse, sua authoritate approbauit, ac bullis confirmauit: addito illi quotannis, in maximam Christi derogationem, solenni die festo. Ita tunc præualuit potestas tenebrarum. Vnde Baptista Mantuanus, eadem etiam elusione olim deceptus, de eius ad Carolum itinere sic scribit:

> Dum meat audito ficti rumore cruoris
> Nuper adinuenti, gressum conuertit ad urbem,
> Nomina cui fecit uirgo Cadmeia Manto.
> Et quæ purpureus sanguis faciebat in horas,
> Mira opera intuitus: credi debere putauit,
> Effusum nostra pro libertate cruorem.

Nullus diabolorum fecisset, quæ fecit hic papa diabolicus: non serpens ille, qui Euam seduxit: ut hominibus persuaderet, Christum ex ligno aut lapide suum uelle iam glorificatum emittere sanguinem, ut idola gentium sua olim responsa. Quæ iniquitas hæc est, aut quæ blasphemia in seruatorem Iesum, atq; eius sanguinem, nostræ redemptionis precium unicum? semel, inquiit Apostoli, pro nobis effusum? Sed hæc uera esse, omnes ferè credebant: tanta tunc erat Christianorum hominum cæcitas, et diuini uerbi ignorantia. Et ita futurum esse prædixit Antichristi aduentum apostolus Paulus: secundum operationẽ Sathanæ, in mendacibus signis ac seductione, ne salui fierent increduli. 2. Thes. 2. Impostor hic Leo, ac mendaciorum magister, anno Domini 816, cum his ludibrijs tartara penetrauit: in sanctum nihilominus à Papistis relatus.

33. Stephanus quartus, Romanus, Leoni tertio suffectus: tertio mense post initum Papatũ, in Gallias proficiscebatur, ad Ludouicũ Pium Imperatorẽ, ut se apud illum de sui electione purgaret: quoniam inconsulto Imperatore, à clero & populo Rom. contra Hadriani ac Leonis decreta de eligendo pontifice, in Satanæ uicarium electus atq; confirmatus fuit. Tam fidelis est Romana sedes suarum legum obseruatrix, ut in primo successore eas infringat. Sed ut Ludouicum pro tempore, per hypocrisim adulator ludificaret, Remis (non Romæ) coronam pulcherrimam, quam secum attulerat, eius imposuit capiti: & aliam Hirmingardi reginæ, Augustam eam nuncupans. Rediens uero, à Cæsare remuneratus, Reatina ecclesia uacante, episcopum consecrare Stephanus noluit (astuta uulpes) nisi prius cognosceret, Imperatorem probare eius electionem. Sed perpende sequelam. Cum Romam iterum uenisset, cogitare mox cœpit, ius Carolo ac suis successoribus datum, mali plurimum secum adferre posse. Et Ludouici lenitate audacior factus, ius illud abrogabat: ac pronunciabat, id esse debe

re penes clerum, senatum, ac populum Rom. ut pontificem ipsum eligerent. At ne imperatoris iram in se concitaret, hanc interpretationem addidit: Licere scilicet eis, pontificem Rom. sine eius authoritate eligere: sed non licere ipsum consecrare, sine eius aut suorum legatorum præsentia. Atq; ita sunt Imperatores à Papæ electione aliquandiu exclusi. Stephanus autem, quoniã octo tantummodo menses sedem illam occupauit, nihil propter temporis breuitatem, quemadmodum se facturum sperabat, imperio suo addere potuit: sed anno Domini 817 uitam in solita superstitione finiuit.

34. Paschalis primus, monachus Romanus, iuxta Stephani prædecessoris glossam, sine Ludouici Imperatoris consensu, à clero et populo Rom. pontifex eligebatur. De qua electione cum Imperator conquereretur: Paschalis, missis ad eum nuncijs ac literis, astutè se purgauit. Processu temporis, homo callidus, cum Ludouicum, falsa licet religione deceptum, Romanæ sedi plurimum deferentem nouisset: periculosum ratus, si in augenda authoritate moram pertraheret, miris artibus illum fascinauit, ut ius eligendorum pontificum Carolo datum, Romanis relinqueret, & parentum suorum donationes (illicita uiolentia partas) scriptis confirmaret. Quod & ille, fallacias eorum ignorans, fecit, atq; obsignauit. Sed postquam Lotharium eius filium, Romæ in Augustũ, quo id facilius fieret, coronasset, Theodorum primicerium & Leonem nomenclatorem, eius partes, dum ad patrem abiret, fideliter defendentes, oculis et capitibus priuari, per quosdam seditiosos, latenter ac proditoriè fecit. Et cum apud Imperatorẽ tam excitatæ seditionis quàm perpetratæ cædis accusaretur, coacta prælatorum synodo, iuramento se purgauit. Eorum nihilominus interfectores absoluens: cæsos reos egit læsæ maiestatis, iureq; esse occisos pronũciabat. Atq; hæc est sanctissimorum illorum sanctitas, in eo regno perditionis. Hic pontifex Paschalis, duo millia sanctorum cadauera (si non sit in numero error) in cœmiterijs condita, magnificentiore in urbe sepultura honestauit. Praxedis phanum à fundamentis extruxit: & in eo reposuit Ceciliæ, Tiburtij, Valeriani, Maximini, et aliorum martyrum, Vrbani uerò ac Lucij pontificum corpora. Templa quædam ruinam minantia restituit, et oratorium Agnetis solenniter dedicauit. Altaria templis, et altaribus ornamenta preciosa tribuit. Mariæ templum ad præsepe, uetustate quassum, in meliorem formam redegit: reliquiasq; sanctorum uenerari & coli iussit. Clericis postremò mandauit, ne à laicis (sic arrogantia eorum creuit) beneficia ecclesiastica acciperent. Sed inter hæc omnia, Euangelij Dei prædicatio locum non habet. Cum his papalibus factis, anno Domini 824 Paschalis hinc abijt, uniuersæ carnis uiam ingressus.

CVTHBERTVS MAGESETVS. XIIII.

CVthbertus Magesetus, ex illustri Anglorum genere ortus, uir magnæ celebritatis apud Ethelbaldum Merciorum regem, ex rara quadam tum eruditione, tum eleganti ciuilium morum splendore fuit. Hic nanq; ut ex Lelandi atq; aliorum scriptis colligo, post diuulgatã & cognitam Vualstodi Herefordensis episcopi mortem, communibus eligentiũ uotis, antistes eidem ecclesiæ est designatus. Exactis aliquot in ea functione annis, defuncto etiam Nothelmo Cantuariorum archiepiscopo, eius accepit metropolitanam sedem. Iniquitas tunc Anglici cleri, ut Sodomæ apud Ezechielẽ iniquitas erat. Ex saturitate enim ociosi panis, quem sibi nouis quotidie imposturis comparabant, tam sordida perpetrabant uitia, ut horror ad multorũ aures ueniret. Inde literarijs admonitionib. tam Zachariæ Rom. pontificis quàm Bonifacij Moguntinensis commonefactus, ut esset errati simul & officij memor: synodum anno Domini 744 congregauit in Clouesho, decretaq; ad institutionem melioris uitæ publicauit. Scripsit olim Cuthbertus,

Sacrorum epigrammaton,	Lib. 1.
Decreta synodalia,	Lib. 1.
De tumulis uirorum illustrium,	Lib. 1.
Ad Zachariam pontificem,	Lib. 1.
Diuersi generis carmina,	Lib. 1.

Ad

Ad Bonifacium Moguntinensem, *Epist. plures.*

Et alia plura. Cum uerò Cantuariensem archiepiscopatum 21 annis gubernasset, mundum deseruit anno à Christi incarnatione 760, omnium primus in ecclesia Seruatoris sepultus, regnante apud Visisaxones Kenulpho.

EGBERTVS ARCHIEPISCOPVS. XV.

EGbertus, archiepiscopus Eboracensis, à Paulino septimus, Eadberti Northumbrorum regis frater, literatorũ uirorum fautor & Mecœnas habebatur ætate sua maximus ac doctißimus. A' duob. ad astra illum commendat Guilhelmus Malmesburiensis in libro 4 de Pontificibus. Ab industria primùm, quòd res suas tam studiose curauerit, archipræsulatum nitori pristino (fastui aut pompæ dixisset) per recuperatum pallium restaurans: deinde à literarum amore, quo Eboraci nobilißimam librorum bibliothecam, homo promouẽdis studijs natus, in studiosorum gratiam instituit. De hac bibliotheca insignem facit mentionem Flaccus Albinus, eius olim præfectus primus, sed tunc Caroli Magni præceptor, in epistola quadã ad Anglorum ecclesiam, his uerbis: Date mihi (inquit) eruditionis libellos, quales in patria mea Anglia per industriã magistri mei Egberti habui. Et remittam uobis aliquos ex pueris nostris, ut excipiant inde necessaria, & reuehãt in Franciam flores Brytanniæ. Et non sit tantum in Eboraco ortus conclusus, sed etiam in Turonia emißiones paradisi, &c. Congeßit inter cætera Egbertus,

Pœnitentiale quoddam,	Lib. 1.
Constitutiones Ecclesiæ,	Lib. 1.
Eruditiones discipulorum,	Lib. 1.
Homelias & lectiones,	Lib. 1.
Ad ecclesiarum pastores	Lib. 1.
Ad Zachariam pro pallio,	Epist. 1.
Ad Eadbertum fratrem regem,	Epist. 1.
Ad Alcuinum diaconum,	Epist. plures.

Atq; alias plures ad diuersos epistolas. Claruit anno à Seruatoris nostri aduentu in carnem 760, Ethelvuoldo Northumbros regẽte. Et post 36 administrationis suæ annos, ex rebus humanis ademptus, Eboraci sepelitur. Huius constitutiones Hucarius Leuita in compendium redegit.

APPENDIX.

Circa hæc tempora, Merciorum rex Offa, Romæ collegium pro peregrinis Anglicis, ad nõ modicũ Anglicanæ Reipublicæ malũ, fecit ac Pontifici sua sponte tributũ annuũ pendit. Pipinus, ex regis & magistri sui proditione, Francorum rex per pontificem factus, Romanorum ritus et cantum, anno Domini 756, primus in Gallias attulit: ut habet Paulus Aemylius in Chronicis Francorũ. Sequenti anno, monachi primùm, Lindisfarne in Anglia, uinum bibere cœperunt. nam prius aquam solummodo aut lac potabant. Principes in Anglia multi his diebus cum tonsura monachatũ induerũt. Sub prædicto Rom. pontifice Paschali primo, floruit Claudius Tauriensis episcopus, circa annum Domini 820. qui acriter pugnauit uoce & scriptis contra adorationes imaginum, crucis & reliquiarum: contra inuocationes sanctorum mortuorum, contra peregrinationes, et similia multa. Quæ mala tunc grauiter, præsertim in Italia, ubi ille fuit episcopus, grassabantur. Quin & ipsum pontificem non usquequaq; molliter contrectat. Apostolicus (inquit) dicitur, quasi Apostoli custos. Certè non ille dicendus est Apostolicus, qui in cathedra sedet Apostoli: sed qui Apostolicum implet officium. Contra hunc Claudium, post eius mortem, scripsit satis inerudite et contumeliose, Ionas Aureliarensis episcopus, tempore Caroli secundi, de imaginum cultu, lib. 3. circa annum Domini 880, & sacrilegos quosdam Papistarum ritus defendit.

Ansegisus, Senonensis archiepiscopus, in statutis ecclesiasticis refert: Carolum Magnum, ac Ludouicum eius filium, sacrificorum luxum, & omnem eorum uitæ licentiam, hac ætate uehementer cohercuisse. Hincmarus etiam Rhemensis archiepiscopus, in opere suo cõtra Hincmarum iuniorem, Zandunensem episcopum, errores & abusus in clero tunc grassantes ac regnantes taxabat.

VVILLIBALDVS DEVONIVS. XVI.

VVillibaldus Deuonius, ex illustribus tam orientaliũ quàm occidentalium Anglorum ortus familijs, pręfati Vuenefridi Bonifacij discipulus ac nepos, magno sub eo labore ad artium humanarum studia se totum conferebat. Ingenium habebat, historiographorum testimonio, omnibus Musarum redolentijs apertum, memoriamq; nõ infœlicem. Angliam cum fratre Vuinebaldo & sorore Vualburga relinquens, longam peregrinationem post auunculum in Germaniam cæpit. A' quo tandem, anno Domini 747, primus Eystetensis ecclesiæ antistes factus, ac summus sub eo cancellarius ordinatus, cum Burchardo etiam Anglo & Herbipolensi præsule, Romanam synagogã multis adauxit superstitionibus. Post Bonifacij uerò cædem, ad decrepitam usq; senectam laborabat in ædificandis monachorum cœnobijs, sumptibus tamen alienis. Sed de animabus nulla fit mentio. Protulit Vuillibaldus, ad Lulli, seu Iulij Angli, tunc Moguntinẽsis archiepiscopi petitionem,

Vitam Vuenefridi Bonifacij,	*Lib. 1. Illustrem ac uerè beatum.*
Vitam Vualburgæ sororis,	*Lib. 1.*
Epistolas ad monachos,	*Lib. 1.*

Feruntur & alia, sed illa non uidi. Obijt anno post Seruatorem natum 781, ætatis suæ anno 77, nonis Iulij: & Eystetæ in sua ecclesia sepeliebatur. Cuius tamen translatæ reliquiæ, nunc Furnis seruantur.

FLACCVS ALBINVS. XVII.

FLaccus Albinus, qui & Alcuinus diaconus cognominabatur, Anglus natione, à nõnullis scriptoribus Eboracensis putat̃, ab alijs uerò Londino non procul oriundus fertur. Hic Bedæ primùm, Egberti archiepiscopi postea obsequentissimus olim discipulus, theologorum suæ ætatis, imò omnium Anglorum ab initio, post Bedam & Aldhelmum longè eruditissimus credebatur, ita ut esset Caroli magni præceptor, & Parisiorum academiæ institutor primus. Gymnasij Cantabrigiensis annales habent, quòd omnes illic liberales artes, publicè post Bedam docuerit, Latinè, Græcè & Hebraicè peritus: & quod tandem Eboraci sub Egberto prælegerit, philosophorum sui temporis antesignanus. Ab Offa potẽtissimo Merciorum rege ad Carolum prædictum, pro pacis fœdere cõfirmando, atq; alijs regnorum negotijs missus: perspecta eius eruditione penè incredibili, fit ex legato hospes, & ex hospite demum magister deliciosus: non aliter quàm apud Athenienses fuerit olim Gorgias. Deinceps igitur illum instructorem præ alijs omnibus Carolus Cæsar habebat, in rhetoricis, dialecticis, mathematicis ac theologicis: qui & simul computandi artem, atq; siderum cursus uarios, sub eo copiose didicit. de quo Bebelius in quadam pręfatione hoc scribit: Albinus (inquit) author ubiq; pius, ubiq; doctus, succinctus, maturus, grauis, & ante multos alios præcipuè dignus, qui in manibus hominum habeatur, &c. nam stylus eius simplex est & purus. Abbas primùm erat Cantuariæ in Augustini monasterio, atq; demum Turoniæ in diui Martini cœnobio, Caroli Cæsaris, cui tunc fuit ab eleemosynis & à sanctis cõcilijs, dono. Gymnasium ex Roma circiter annum Salutis 791 Lutetiam Parisiorum transtulit

transtulit (quod & illuc Athenis persimili prius cura uenerat) & coniectis primùm studij fundamentis per Ioannem & Claudium, mirificè illud lecturis collustrabat publicis. Huius uiri celeberrimi, ad posteros hæc manarunt, tam piè quâm eloquenter elucubrata opuscula,

De Trinitate ac fide,	Lib.3. Dum dignitas imperialis à Deo.
Ad quæstiones Fredigisi,	Lib.1. Placuit prudentiæ uestræ, fili.
Ad Eulaliam de ratione animæ,	Lib.1. Sanctæ solicitudini uestræ.
De animæ utilitate ad Guidonem,	Lib.1. Memor petitionis tuæ & pro.
Speculum uitæ humanæ,	Lib.7. Reuerendißimo in Christo patri.
De octo partibus,	Lib.1. Audiuimus te doctißime.
De sanctuario diuino,	Lib.1.
Argumentum suæ fidei,	Lib.1.
Responsiones ad interrogata,	Lib.1.
De incarnatione Christi,	Lib.1. Deniq; ad ueram beatitudinem.
Ad Guidonem de uirtutibus,	Lib.1. Dilectißimo filio Guidoni.
Dialogorum inter se & Carolum,	Lib.1. Natura enim ipsa sumus.
De uirtutibus ad Carolum,	Lib.1. Benedictus Deus & Dominus.
Categoriarum ad Carolum,	Lib.1. Cum omnis scientia disciplina sit.
Sententiæ scripturarum,	Lib.1.
Super Genesim ad literam,	Lib.1.
In Cantica canticorum,	Lib.1.
In Ecclesiasten,	Lib.1. Dilectißimis in Christo filijs.
De Ecclesiasticis dogmatibus,	Lib.1. Credimus unum Deum esse.
De adoptione filiorum Dei,	Lib.1. Venerabili & in Christi char.
Quæstiones in Genesim,	Lib.1. Dilectißimo in Christo Sigulfo.
Manifestationem Trinitatis,	Lib.1.
Enchiridion Psalmorum,	Lib.1.
In Euangelium Ioannis,	Lib.7.
In epistolas D. Pauli,	Lib.14.
Ad Caroli orationem,	Lib.1. Dominus & magister noster.
Disputationes cum Pipino,	Lib.1. Quid est litera, si ad pri.
Speculum paruulorum,	Lib.1. In scriptura diuina legimus.
De proprietate nominum Dei,	Lib.1. Domino Deo rectori optimo.
In Paulum ad Hebræos,	Lib.1.
In Apocalypsim Ioannis,	Lib.1.
Ad Anglorum ecclesias,	Lib.1.
Correctiones diuinorum,	Lib.1.
Officia per ferias,	Lib.1.
De rhetorica ad Carolum,	Lib.1. Domino glorioso Carolo impera.
Chronicorum suorum,	Lib.1. Anno Dominicæ incarnationis 449.
De septem artibus liberalibus,	Lib.1. Domino meo uenerabili pijßi.
De uita & uirtutibus Martini,	Lib.1. Postquam Dominus noster Iesus.
Vitam Vedasti Atrebatensis,	Lib.1.
Acta discipulorum Gregorij,	Lib.1.
De doctrina Basilij,	Lib.1.
Ad Athelardum Cantuariensem,	Lib.1.
Dialogorum ad discipulos,	Lib.1.
De proprietate sermonum & rerum,	Lib.1.
Homelias 254 doctorum,	Lib.1. Desideratißimo in Christi charit.

De

De fide catholica, Lib.1. *Quoties occurit animo.*
De Antichristo ad Carolum, Lib.1. *In primis illud præcipuè est.*
Vitam Vuillebrordi carmine, Lib.1.
Epistolarum ad diuersos, Lib.1.
Gesta Caroli Magni, Lib.1.
Sermones elegantes, Lib.1.
Ad Gislam & Richtrudam, Lib.1. *Charissimis in Christi charitate.*
Commentarios in utrumq; testa. Lib.plur.
De genealogia Christi, Lib.1.
Contra uenerationem imaginum, Lib.1.
De astronomia, Lib.1.
De dialectica, Lib.1.
De orthographia, Lib.1.
De auriculari confeßione, Lib.1.
Precationes missales, Lib.1.
Dogmata quædam ad Carolum, Lib.1.
Historiam Trinitatis, Lib.1.
Didascalicon, Lib.1.
De sapientia, Lib.1.
Carminum ad diuersos, Lib.1.

Orationem Dominicam, Symbolum apostolorum, & Canticum Ambrosij & Augustini, carmine edidit, cum alijs adhuc multis. Claruit anno restaurationis humanæ 780, uaria cōponens. Et tandem in Cormaricensi cœnobio, quod ad Turonense monasterium spectabat, esse desijt in humanis, atq; illic est sepultus. Ex prædictis constat, Anglos & Scotos Lutetiæ bonas artes primùm publicasse.

GISLA; ET RICHTRVDA. XVIII.

GIsla & Richtruda, Anglicæ mulieres ac Vestales, genere quidem nobiles, sed eruditione multo nobiliores, à primis adolescētiæ annis bonis artibus & Latinæ eloquentiæ se totas consecrarunt. Qui labor adeò illis sub præceptore Alcuino, dum in Anglia maneret, inutilis non fuit, ut inde eximia gloriæ non uulgaris nomina, post eius à patria discessum, sibi facilè comparauerint. Nec satis ipsis erat, per optimos institutores ita se literis exornauisse, quin etiam longè positos homines, doctrina & sanctitate celebres, scriptis suis eruditis per ocia uisitarent. Vnde ad magistrum suum Alcuinum, Turoniæ commorantem, & ad alios diuersis temporibus, Latinè & doctè scripserunt,

Epistolas consolatorias, Lib.1. *Postquam uenerande magister.*

Harum quasdam Londini, apud amicum quendam antiquitatis amatorem, aliquando uidi & legi. Claruerunt anno post Mariæ uirginis partum 770, dum plures reges per Angliam adhuc regnarent. Et illas puto fuisse Cantuarienses.

MARCELLINVS BRIGANTIVS XIX.

MArcellinus Brigātius, homo Anglus, literis & uirtuti ab ipsa pueritia operam dedit, optimis per illam ætatem præceptoribus usus. Placuit adulto Benedicti potius quàm Christi, persuadentibus monachis, institutum: in quo ex profeßione uotiua, ad mortem usq; perseuerauit. E numero illo 12 monachorum hic fuit, quos Egbertus archipræsul Eboracensis, in Frisiam pro plebe illic in doctrina ueritatis instruenda, tanquam apostolos misit. quorum hæc erant nomina: Marcellinus, Suuithbertus, Vuillebrordus,

Vueren-

Vuerenfridus, Vuillibaldus, Vuenefridus, Heualdus niger, Heualdus albus, Ogerus filius regis Deirorũ, Plechelmus, Lebuinus, & Iulius. Marcellinus uerò inter cætera composuit,

Suuithberti prædicti uitam, Lib.1.

Atque alia quædam. Claruit Marcellus anno incarnati Mesiæ 780, dum Alphredus secundus in Northumbrijs regnaret. Suithbertus uerò in eo itinere mortuus, in Vuerda Cæsaris, non procul à Colonia Agrippina, sepultus fuit.

ETHELVVOLPHVS REX. XX.

ETheluolphus, qui & Athulphus, Egberti inuictissimi Anglorũ regis filius, ut cum modesta grauitate literas hauriret, Helmestani Vuintoniẽsis episcopi curæ ab ipso patre committebatur. Eo tempore Svuithuni monachi nomen, ob insignem eruditionis famam, per illas partes tam celebre fuit, ut ipse præ cæteris regio filio in præceptorem ab eodem præsule sit datus. Tam placuit adolescenti monachalis securitas, in tanto rerum tumultu & Anglici regni perturbatione, delicijs etiam undiq; blandientibus, ut uoto ac professione monachus fieret, postea diaconus, & anno Domini 837 post Helmestani mortem episcopus, ut Rogerus Houedenus in Chronicis habet. Quum uerò Egbertus pater eodem anno fatis concessisset, consensus publicus Ethelvuolphum filium in regem dari petijt. Gregorij igitur quarti Rom. pontificis auhoritate, quum illius ex utraq; professione creatura esset (hic enim primus fuit, qui suam potestatem Bestiæ dedit, Apoc. 17.) uotorum mox omnium solutus uinculis, uxorem duxit Osburgam, sui pincernæ filiã, eius episcopatu Svuithuno præceptori relicto. Ex qua quidem uxore, quatuor suscepit filios atq; filiam unicam, præter Adhelstanum Visisaxonum ducem, quem in ipso monachatu spurium habebat. Decimo præterea regni sui anno, Romam uoti causa petens, eas insulæ partes, quas pater imperio acquisiuerat, Pontifici Leoni quarto etiam uectigales fecit, Inam & Offam prædecessores reges imitatus. Idem Anglorum scholam, quod Thomæ hospitale uocant, paulo ante eius in urbem aduentum incendio consumptam, restaurauit. Iste inter cætera, pro Petrinis denarijs, Rom. pontifici quotannis ad D. Petri festum persoluendis, edidit,

Leges uectigales, Lib.1.
Epistolam hæreditariam, Lib.1.

His atq; alijs largitionibus, Romanas idololatrias mirum in modum fouit & ampliauit. Roma tandem secunda uice redeundo, anno Domini 857, Iuditham Caroli Calui Francorum regis filiam despõsabat: & eodem anno obijt, postquam 20 regnasset annis, eiq; successit Ethelbaldus filius.

APPENDIX.

Vnum hic habent Papistæ post characteres pontificios sacrificulum coniugatum, contra Eckij, Cochlei, & Gardineri nostri apertissima mendacia: qui plenis buccis iactitant, à Christi ascensione non unum talem ex Chronicis inueniri: et legitimum tale esse matrimonium, nisi uelint sanctorum sanctissimum hæreseos damnare. Quia detrectabant his diebus mundi principes, diuinæ ueritati aures accommodare, dum in perditionis filio papa Romano operaretur Sathan iniquitatis suæ mysterium: misit illis Dominus illusionis efficaciam, ut crederẽt mendacijs, ne salui fierent. 2. Thes. 2. Ethel uuolphus namq; præter antedictum uectigal, quo regnum perpetuò grauabat, trecẽtas auri libras singulis uitæ posterioris annis Romam misit. Quarum unam dedit partem, ut in D. Petri templo lumen perpetuò seruaretur: alterã, ut idem fieret in D. Pauli templo: tertiamq; ad ipsius pontificis usum. Decimam quoq; regni sui partem pro salute animæ suæ sacerdotibus & monachis contulit, anno Do-

mini 854, dum mulier esset Romæ pontifex, & quandiu uixit in Papatu. Luitpertus Moguntinus archiepiscopus epistolam quandam ad Ludouicum Cæsarem scripsit, qua & grauiter peccare, aut etiam errare Papam indicat: et eundem Imperatorem, ut eum castiget, hortatur. Anno Domini 820 floruit Amalarius quidam, qui ad eundē Ludouicum scripsit de Officijs ecclesiæ. in quo opere dicit, eum (non Papam) rectorem esse totius Christianæ religionis, quantum ad homines pertinet.

DE PAPIS, VEL ANTICHRISTIS Romanis.

35. Eugenius secundus, patria Romanus, pontificatum Paschali mortuo, sed nō sine eligentium patrum discordia, suscepit. nam & suffragia ad eam dignitatem Zinzimus quidam habuit. Sed composito tandem dißidio, tum propter affabilitatem (ut dicunt) tum eloquentiam: Eugenius omnium consensu papatum obtinuit. Dum esset ille Cardinalis S. Sabinæ, ut Præmonstratensis habet, argenteo ciborio & pictura solenni (opera ualde Christiana) eandem ecclesiam decorauit. Nunc autem in pontificatu, rem frumentariam adeò ipsum curasse ferunt, ut multis uideretur pascendis hominibus natus. Quid interim egerit in pastu uiuifici Dei uerbi, certè nihil adhuc legimus. Aliqui tamen scribunt, quòd sit à Romanis ciuibus, alij ab aduersarijs sacrificulis, oculis ac uita priuatus. Lotharius Imperator, et Italiæ rex, huius Papæ tempore magistratus per Italiam constituit, qui ius Rom. populo dicerent, eo quòd libertate, qua sub Carolo Magno ac Ludouico usi erant, nimis abuterentur. Quod factum, ut multi conijciunt Eugenij cædem maturauit. Michael Imperator Constantinopolitanus legatos ad Ludouicum Cæsarem misit, rogans iudicium de imaginibus, an essent abrogandæ uel colendæ? Ludouicus ad Eugeniū eos remisit, ut illius audirent sententiā: cum ipse nihil auderet in ea causa, aut fortaßis, quòd eius esset ignarus. Sed Papæ responsum non referunt scriptores. Quatuor annos in pontificatu peregit, & anno Domini 827 ad patres suos perrexit.

36. Valentinus primus, natione Romanus, ex diacono, nondum presbyter factus, in Papam papaliter assumebatur. À tenera ætate in Romanorum scholis enutritus, sub Paschali & Eugenio pontificias uirtutes didicit: ac non secus (inquiunt) in pontificatu quàm in priuata uita se habuit. Fuit in homine ingenij dexteritas, qua posset suadere uel dissuadere quod uellet: nil tamen quod non placeret, pacificus pastor proposuit. Tanta nihilominus in eo erat, ut quidam scriptores indicant, fœlicioris gubernationis expectatio, ut sibi timerent patres à consueta eorum sanctitate. Vitæ breuitas, ne quid pro republica Romana, aut Antichristi monarchia faceret, uehementer impediuit. Quadragesimo enim sui pontificatus die deficiens, eodem anno quo Eugenius prædictus, uenenata forsan potione, ex hac uita migrauit.

37. Gregorius quartus, etiam Romanus, Valentino prædecessori statim suffectus, Papatum inire noluit (futura pericula timens) donec Imperator eius approbasset electionē. Atq; per istum ad tempus, Imperatoribus ius cōfirmandi Papam restitutum fuit. Sub hoc pontifice anno Domini 830, conuentus episcoporū, Ludouici Cæsaris iussu, Aquisgrani celebrabatur. In quo, Gregorio præsidente, statutum erat, ut unaquæq; ecclesia suos prouentus poßideret, unde sacrifici uiuerent: ne cogerentur, desertis officijs, quæstuosis artibus se dare. Sancitumq; fuit, ne ullius gradus clerici, preciosis aut coccinei coloris uestibus uterentur: neq; in digitis gemmas gestarent, nisi quando præsules (gemmea certè exceptio) missas uel exorcismos facerent. Ne prælati nimis magnam haberēt familiam: ne equos, aleas & scorta nutrirent: ac ne monachi gula aut crapula (pæderastia negligitur) mensuram excederent. Ne aurum quoq; uel argentum clerici, uncti & rasi, in calceis, crepidis aut balteis, instar Heliogabali, ferrent. Tantus eo tempore fuit eorum luxus. Anno Domini 835, Gregorius iubente Ludouico, festum omnium sanctorum à 13. die Maij ad calendas Nouembris transtulit: sacrumq; esse, dicti Cæsaris authoritate, mandauit: quoniam, teste Vincentio, eius in ea re confirmationem rogauerat. Et illud festum Germani atq; Galli primùm celebrare cœperunt. Causam translationis huius festi sic tradit Mantuanus:

Nam modò collectæ fruges, & in horrea missæ,
Ocia parturiunt: iam transiuere labores,
Cessauere operæ, tempus geniale propinquat,

Bruma

Bruma uenit, glacialis hyems apparet in altis
Montibus, & canis albent iuga summa capillis, &c.

Templa collapsa Gregorius, antecessorum exemplo restituit: & cadauera sanctorum Fabiani, Gorgonij, & aliorum, à loco in locum transtulit. Fanum Martini in montibus, nouis fabricis extruxit: festa Bartholomaei, Sebastiani atq; Gregorij, celebrari praecepit, & illis altaria dedit. Mauros, iuuante Caesare, Italia profligauit. Hamburgensem archiepiscopum Ansgarium cōfirmauit, decimas ac prouentus ecclesijs procurauit, & sepulchrorum erectiones solennes excogitauit. Romani, ut apparet, catholicā fidem antea satis erant docti, nec opus tunc habebant Euangelica doctrina. Quoniam inter haec omnia, nulla fit eius mentio. Obijt Gregorius anno Domini 843. & ad suos patres positus est.

38. Sergius secundus, patria Romanus, Os porci antea uocatus, defuncto Gregorio, Papatum statim inijt, & mutandorum nominum initium successoribus dedit. Ad cuius confirmationem, Lotharius Imperator, cum authoritate Caesarea, suum primogenitum Ludouicum, multis nobilibus comitatum, Romam misit. Quod genus confirmationis ferè omnes expectabant: donec Hadrianus tertius populo Romano retulit, in creando pontifice consensum Imperatoris expectandum non esse. Sergius iste primus fuit, qui nomen Christo datum, & in ipso baptismate susceptum, propria uoluntate abnegauit. Mysterium intellige. Istum enim et alij sequentes, baptismi sui gratiam apertè ac manifestè respuerunt: honorificentius aestimantes (ut Funccius habet) nomen in unctione à miseris hominibus excogitata susceptum, quàm quod in baptismo, à Christo seruatore instituto, acceperunt. Sed manifesta est haec Antichristi facies: & ita fieri, ut à fidelibus nosceretur, Deus certè uoluit. Quidam ab hac nominis mutatione, ad septimum annum Iulij secundi, qui assumpto Pauli gladio, Petri clauem in Tyberim proiecit, bestiae numerum, ob quaedam tunc reuelata mysteria, supputant. Sed haec suo tempore manifestiora reddam: ad Sergium ipsum redeo. Lotharium imperatorem ille coronauit, & ornandis templis animum applicauit: Syluestri & Martini basilicas ampliauit, ac monasterium earum lateribus adiunxit. Diuorum tumbas ibidem euexit, & multorum sanctorum cadauera in ipsis collocauit. Agnus Dei, in Missa ter dici constituit: & hostiam (ut uocant) interim in tres partes diuidi mandauit. Sed de Euangelio ad Dei gloriam promulgando, nihil ipse curauit. Post haec & eiusmodi Papalia facta, anno Domini 846, animam moriens exhalauit.

39. Leo quartus, monachus Romanus, sub imperatore Lothario Papatum accepit, & urbem Romanā multis munitionibus, templaq; ornamentis ditauit. Turrim namq; in Vaticano apud S. Petrū, magno sumptu extruxit: urbis moenia et portas uetustate collapsas restituit, ac propugnacula quindecim à fundamentis eisdem adiecit. Quorum duo ad exitum Tyberis commodißimè collocata fuerunt, ad retundendam uim hostium, qui nauibus ad urbem diripiendam saepius aduecti erant. Vaticanum muro cinxit, atq; in urbis formam redegit: quam ex suo nomine Leoninam uocauit. Templū S. Mariae nouae fabricauit, & quatuor coronatorum martyrum oßibus altare dedit. Arcem S. Angeli reaedificauit, atq; in uestibulo atrij Lateranēsis ex marmore sedilia fecit. Solarium à Leone tertio inchoatum absoluit, & tribus portis insculpsit tres precationes ad Deum, pro Roma conseruanda: scilicet, Deus qui Apostolo, Deus qui ab ipso, et Praesta quaesumus. Hactenus aedilem curulem egit, nunc fit miles ac dux exercitus. Nam cum Saraceni Italiam incursionibus undiq; uexarēt, regnum coeleste pro sua sede pugnātibus primus promisit. Conuocataq; Romana militia, facto crucis signo, illis occurrit: et cum hac oratione, Deus cuius dextra, ad Hostiae portam eos hostes fugauit ac uicit. Hinc dicitur, quòd suo flatu basiliscum expulerit: sed atrociorem bestiam (Papatum) in urbe ipsa fouit. De hoc certamine sic scribit Mantuanus:

Ismaelitarum prope Thybridis hostia quartus,
Fregit mille rates, traxit noua moenia ab arce
Pontis, ad aduersi delubra ingentia Petri.

Tandem iste Papam egit. Synodum quadraginta septem episcoporum congregauit, in qua Athanasium quendam S. Marcelli presbyterum Cardinalem, de multis criminibus conuictum, damnauit: censuit tamen postea, non nisi 72 testibus, episcopum esse condemnandum. Sed illi fortaßis hic summè displi

mè displicuit. Crucem papalem contra Aquisgranensis concilij statuta, gemmis primus exornauit: et ante se ferri præcepit. Pedes populo deosculandos præbuit, et contra terræmotum supplicationes instituit: horasq; uespertinas in D. Pauli natalicijs dici. Decreuit, ut nullus laicorum, dum missæ fierent, in presbyterio uel choro adesset, nisi altaribus ministrans: & ut octauæ assumptionis Mariæ paßim celebrarentur. Super multis criminibus accusatus, præsertim quòd consilium iniisset de transferendo imperio iterum à Gallis ad Constantinopolitanos: sed consueto pontificum more, iuramento se purgauit. Cum his atq; alijs papalibus factis, anno Domini 854, ad uitæ finem peruenit. Huius Leonis tempore, anno Domini 847, Etheluuolphus per eius dispensationem, ex cœlibe ac monacho Anglorum rex factus, prouinciam suam Rom. synagogæ tributariam fecit: constituens, ex qualibet domo nummum argenteum quotannis dari. Sic tota Anglia (ut non minus uerè quàm doctè Ioannes Funccius scribit) Romanæ bestiæ fuit subiugata: ut impleretur quod dicitur de decem regibus, Apoc. 17. Hi unum consilium habent, & uirtutem ac potestatem suam bestiæ tradent. Sed Henricus octauus eius nominis rex, illud iugum fœliciter excußit, ut suo loco dicetur.

TERTIAE CLASSIS SECTIO SECVNDA, DE Papis uel Romanis antichristis, in regno meretricis magnæ: quæ sedet super bestiam, Apoc. 17. usq; ad Syluestrum secundum.

A Cæsare Phoca per 200 & 47 annos, hucusq; tanquam bestia regnauit Antichristus in ecclesijs Christianorum, sine omni iudicio aut ratione spiritus diuini. Oculos ad terrena toto hoc tempore cōuertebant Rom. pontifices, usq; ad quadragesimum Papam, æterni Dei testamenti immemores: ac si solummodo cutes & uentres, non animas, curarent. In nouis traditionibus, cæremonijs, ædificijs, illecebris, pompis, bellis, proditionibus, ac regnorum translationibus, totum eorum studium fuit, ut ex præcedentibus liquet: ut cum hoc mundo in gloria, non in contemptu cum Christo hic regnarent. Ita ut ecclesia sub eorum regimine, sit nunc demum Babylonica meretrix facta: iuxta id quod paßim in ipsa Ioannis Apocalypsi scribitur. Cuius ueritatem, in sequenti pontifice, Ioanne octauo, qui mulier & meretrix erat, Dominus Deus in apertißima luce toti mundo manifestauit, ut omnes mysterium à Christo reuelatum intelligant.

PAPAE, VEL ANTICHRISTI Romani.

40. Ioannes octauus, qui ab Anglo quodam Fuldensis cœnobij monacho, quem apprimè dilexit, Anglici cognomentum acceperat, officio Papa, sed sexu fœmina, Romæ duobus annis ac mensibus sex in pontificali cathedra pontificaliter sedit. Hæc genere Germana, & Maguntina puella, Gilberta primùm dicta, uirilem mentita sexum, sumpto adolescentis habitu, Athenas cum suo amatore monacho perrexit. Vbi cum excellenter in omnibus artibus profecisset, eo tandem mortuo, Romam ipsa redijt: sed dißimulato semper muliebri sexu. Cum enim ex acutißimo ingenio & promptißima lingua, in disceptationibus ac lecturis publicis ornatißimè loqueretur: multiq; uehemēter admirarentur super eius doctrina, adeò in se conuertit omnium animos, ut mortuo Leone, in pontificem ab ipsis eligeretur. In quo officio, aliorum pontificum more, contulit sacros ordines, presbyteros ac diaconos fecit, episcopos promouit, abbates ordinauit, missas celebrauit, altaria & templa consecrauit, sacramenta ministrauit, pedes osculandos præbuit, cæteraq; Rom. pontificum exercuit munera: & facta eius in ecclesia non fuerunt tunc irrita. Sub huius mulieris papatu, Lotharius Imperator senex monachatum induit: & Ludouicus secundus Romam profectus, imperij sceptrum atq; coronam ab eius manu cum Petri benedictione suscepit. In quo facto tam potentem se ostendit Babylonica meretrix, ut subijceret sibi reges, Apoc. 17. Sub ea etiam Etheluuolphus Anglorum rex, decimam sui regni partem, pro anima sua clericis ac monachis muliebriter dedit, ut tradit Houedenus: & filius eius Ethelbaldus, defuncti patris uiduam, suamq; nouercam Iudithām, in uxorem duxit. In pontificatu uerò, à quodam suo familiari capellano, Cardinali, eius sexum cognoscente, compressa, prægnās efficiebatur. Et in quadam proceßione solenni ad Lateranensem ecclesiam, inter Colosseum & Clementis fanum, puerum ex fornicatione conceptum, in media Roma, in ipsa platea, in uia publica, coram omni populo pe-

lo peperit: eoq; loci ex partu obijt, anno Domini 857. Ac propter hoc scelus publici partus, omni honore pontificio spoliata, sine pompa papali sepulta fuit. Cuius in Alphonso mentionem Mantuanus lib. 3. facit, inferos describens:

Hic pendebat adhuc, sexum mentita uirilem
Fœmina: cui triplici phrygiam diademate mitram
Extollebat apex, & pontificalis adulter.

In hoc poteris uidere (pie lector) qualiter ecclesia Romana post missam de Spiritu sancto, non possit errare. Hoc factum reuera, meretricis magnæ sedem, & omnium fornicationum matrem, ipsam clarius esse demonstrat, quàm ullus unquam Apelles coloribus depingere queat. Vt uerò pontifices & uncti patres id facinus detestari uideantur, ab ea platea declinant, tanquam à loco de malo omine ualde suspecto. Funccius non dubitat, quin diuinitùs sit permissum, ut hæc fœmina fieret pontifex, & eadem meretrix: cum eo tempore subderet sibi reges (quales in Anglia Etheluuolphus et Alphredus erant) ut Antichristũ regem agnoscerent. Voluit namq; tunc Deus in Papa meretrice, Babylonicum scortum, de quo prædixerat Spiritus sanctus Apoc. 17. mundo manifestare, ut ab illo electi cauerent. Sed ne in posterum in similem casum inciderent patres, ordinauerunt, ut electi pontificis genitalia per sedem perforatam à diacono attrectarentur, quo scirent esse marem. Nunc autem ante ipsum Papatũ, in Cardinalatu tot spurios generant, ut nemo dubitet esse mares, nec tam sancta obseruatione sit opus. De qua Ioannes Pannonius:

Non poterat quisquam reserantes æthera claues,
Non exploratis sumere testiculis.
Cur igitur nostro mos hic iam tempore cessat?
Antè probat sese quilibet esse marem.

41. Benedictus tertius, Romanus, post meretricem electus, in ipsa meretricia sede successit: sed tactis prius prudenti cautela uirilibus, ne forte ut antea in Ioanne, deciperentur. Miserabiliter (inquit Massæus) deplorabat, se fuisse promotum ad onus illud: indignum se uociferans honore tanto: quod in eius sedis pontifice rarissimum est. Sed ex magna hypocrisi id prouenisse affirmant quidam, quòd pedes, ut Platina testis est, præbuerit osculandos, ac se tanquam patrem sanctissimum, uel potius terrenum idolũ, adorari permiserit. Legati deinde à Ludouico Cæsare missi, Romã uenere: qui electionem cleri et populi sua authoritate confirmarent. Confirmatus autem, multas ecclesias collabentes instaurauit: et in earũdem sacraria, dona preciosa reposuit. Instituit quoq;, ut Papa cum clero, funus defuncti episcopi, presbyteri, uel diaconi, ornaret sua præsentia. Item ut uicissim totus clerus in funere pontificis adesset: & ut Dirige pro mortuis diceretur, primus, ut fertur, ordinauit. Iussit etiam, ut clerici honestè & ordinatè incederent: & moriens anno Domini 859, corpus suum ante fores ecclesiæ S. Petri sepeliri mandauit. Huius tempore, in urbe Moguntinensi, dæmonium quoddam, sub cuiusdam presbyteri cappa, dum aquam lustralem spargeret, quasi ipsi familiaris esset, latitans, illum accusabat, quòd ea nocte cum filia procuratoris cõcubuisset: ut Sigebertus atq; Vincentius referunt.

42. Nicolaus primus, Romanus, pontificatum inijt præsente imperatore Ludouico secundo, qui Lothario patri in imperio successit. Quo Italia egresso, quæ ad augendam pontificiam potestatem facerent (quam tamen astutè prius fugerat, ut ab ipso Cæsare sanctus crederetur) circumspiciebat. Ioannem Rauennæ archiepiscopum, pristinam suæ sedis libertatem asserentẽ, dignitate priuauit, eandemq; Ecclesiam in perpetuam seruitutem redegit. Multas constitutiones ille fecit, quæ & frequentes in Papalibus decretis sunt. Statuit enim, ne princeps ullus secularis, nec Imperator ipse (impudẽs latro) concilijs clericorum interesse auderet, nisi de fide ageretur: ut quos sua sanctitas hæreticos esse iudicaret, ille statim uel proscriberet, uel occideret. Sanciuit quoq;, ne laici de clericorum uita iudicent (mirum bestiæ artificium) nec super Pontificis potestate quicquam disputent. Nihil iuris in præsulem, magistratus Christianos habere decreuit (ita se exaltabat Antichristus, diuinam ordinationem conculcans pedibus) eo quòd pontifex, inquit, appelletur Deus. Anton. tit. 16. Præcepit, ne episcopi aut clerici bella gererent, sed orationi incumberent: ocio & luxui potius. Rem diuinam Latino sermone celebrari iterum iussit: Sclauis tamen & Polonis, per dispensationem, in sua lingua fie-

ri permisit. Sequentias in missa (cantus puellares) primus approbauit: Gloria in excelsis, in cœnæ Dominicæ festo ad missam cantari mandauit: et Romanorum pontificũ decretis authoritatem Apostolicã addidit. Nuptias in publico celebrari præcepit: basilicam Mariæ nouæ reparauit: D. Clementis corpus transtulit: & Bremensem ecclesiam Hamburgensi cõiunxit. A' malis ministris sacramenta suscipi uoluit: non tamen à presbytero uxorem habente, quam hypocrita concubinam uocat. Per hanc immanem bestiam, sacerdotes ad cœlibatum cogi primùm cœperunt: sed ab Huldrico episcopo Augustano, uiro sanctißimo, per epistolã est eius impietas acerrimè impugnata. His gestis, anno Domini 867 Nicolaus fato conceßit: quem sanctitatis titulo, omnibus post Gregorium Magnum, Papistæ præferunt.

43. Hadrianus secundus, natione Romanus, Talari episcopi filius, exploratis uerendis (quod in ipsis tunc penderet religionis summa) à populo & clero sedi Papali impositus fuit, priusquam Imperatoris legati illuc peruenire possent. Vi etenim, eligendi pontificis potestatem ad se tunc rapiebant Romani. Quod cum ægrè ferrent legati, tale responsum acceperũt: non potuisse multitudinis uoluntatem in tanto tumultu moderari: eos tamen auspicatò egisse, quòd tam bonum uirum ordinassent. Legati uerò neceßitate coacti, cum dictam electionem frustrare nequirent: Hadriannum inuiti salutabant pontificem. Confirmatus ergo, multa pauperibus tribuisse scribitur: alienorum bonorum munificus dator. Quod ad Papalem cathedram illis diebus nolentes & inuiti traherentur, Benedictus, Nicolaus, & hic Hadrianus: insignis fuit impostura, ut eo simplicitatis colore Cæsares dementarẽt. ut Papali artificio Bulgaros & Dalmatas, in suum rete à Nicolao pertractos, retineret: misit tres legatos episcopos, Syluestrum, Leopardum & Dominicum, in sua culina natos ac nutritos, qui omnia in ecclesijs ex eius sententia constituerent. Sed eius tyrannidem experti Bulgari, Latinos sacerdotes expulerunt, retentis presbyteris Græcis. Quæ res multorum malorum incendia inter Græcos & Latinos suscitauit. Vita deceßit Hadrianus anno Domini 873. ante cuius mortẽ, Brixiæ tribus diebus sanguinem pluit, & locustæ Gallias magnis agminibus miserè afflixerunt. Ab hoc Pontifice Alphredus Anglorum rex, anno Domini 872, unctionem et coronam Anglorum primus accepit: Rom. Papæ adoptiuus filius inde dictus. Et ab eo anno, usq; ad annum Domini 1538, sunt anni 666, qui faciunt plenum bestiæ numerum. In quo Henricus octauus, qui tyrannicum pontificis iugum excusserat, omnes monachorũ sectas à suo regno deleuit, cœnobiaq; ob pæderastiam et hypocrisim euertit.

44. Ioannes nonus, patria Romanus, Græcè ac Latinè doctißimus, non sine magna bellorum occasione tres Imperatores, Carolum Caluum, Ludouicum Balbum, et Carolum Crassum, sub suo pontificatu coronauit. Caluus, ut acceperat Cæsarem esse mortuum, Romam ad Ioannem pontificem contendebat: quem & muneribus in suam pertraxit sententiam, atq; ab eo imperiali corona insigniebatur. Sed ille uenenata potione, per Sedechiam Iudæum medicum ac præstigiatorem, Mantuæ post annum perijt. Ioannes uerò, audita eius morte, omnes intendit uires, ut Balbus patri succederet: sed obsistentes Romani proceres, Crasso imperium decernunt. Pontifex in sententia persistens, nec flecti uolens, à ciuibus capitur, & in carcerem conijcitur. Amicorum tamen opera elapsus, in Galliam aufugit: ac Balbum imperij corona donatum, Augustum salutat. Interea Crassus urbe Romana potitus, Ioannem è Gallijs terrore reuocat. Qui Romam rediens, ut tutò sibi liceret illic agere, eundem Carolum Crassum inungit, Cæsarem pronunciat, & Imperij diademate adornat. Dum in Gallijs profugus adhuc esset Ioannes, concilium apud Trecas coegit, in quo contentiones quorundam composuit, ac pro Papistico regno plura constituit. Ad Ludouicum Balbum inde scripsit, Rom. ecclesiæ priuilegia auferri non posse, nisi præscriptione centum annorum: & Flandris primum episcopum dedit. Omnes item qui non sacrum de sacro, uel sacrum de non sacro raperent, sacrilegij puniuit: & homicidam nunquam debere in sacerdotem ordinari, statuit. Sacrilegij reos excommunicauit: pecuniarum mulctam transgressoribus præfixit, ac reliquias sanctorum multis dono cõtulit. Libertatem ecclesiarum, cœmiteriorum, clericorum, ecclesiasticorum bonorum, atq; monasteriorum confirmauit. In Saracenos exercitum parauit, & eos Italia ac Sicilia pepulit. E' Græco sermone plura transtulit, & magni Gregorij uitam quatuor libris explicuit. Cæterum anno Domini 883 uita functus decubuit. Atq; hoc ipso tempore, imperium prorsus est per Carolum Crassum ad Germanos translatũ.

45. Mar

45. Martinus secundus, natione Gallus, patre Palumbo necromantico (ut ferunt) sacrificulo: fraude potius, ac malis artibus, quàm honesta electione, probatis masculinis, ad Papatum uenit. Huius concitatione subdola contigisse scribunt, ut Ioannes prædictus à Romanis proceribus caperetur, & in uincula conijceretur: adeo, ut necesse illi fuerit, pro uita seruanda, auxiliantibus amicis in Gallias aufugere. In huius Martini confirmatione non expectabatur Cæsaris authoritas, nec quærebatur eius admißio: tam superbus atque arrogans fuit. Ita paulatim sese pontifices Imperatorum potestate exuerunt, ut facilius eos tum demum cōtererent pedibus. Sed eo fœlicius prouenit ecclesiæ & urbi, quòd in tam malè acquisito Papatu diutius non durauerit. Nam post annum unum et aliquot menses defecit, anno scilicet Domini 884, cum nihil memoria dignum suis reliquisset Papicolis.

46. Hadrianus tertius, patria Romanus, tantæ audaciæ ac supercilij fuit, ut mox adepto papatu, decretum faceret, ut in creando pontifice non amplius expectaretur Imperatoris authoritas: sed ut Romæ libera semper essent, & cleri & populi suffragia. Gerebat tunc Imperator bellum contra Normannos, pietatis hostes. Sic ausi sunt pontifices (inquit Crantzius) ac Romanorum improbitas, Imperatores suos contemnere, dum Imperij uirtus elangueret. Vnde, quod antecessores sui multis iam annis parturierant, ipse uno fœtu edito, in lucem protulit. Porrò hanc rem tentauit prior Nicolaus primus: sed ad effectum, ut ipsi loquuntur, non perduxit. Atq; hic perpende, pie lector, quomodo per hoc decretum, ius Imperatoribus omne, quod in pontificem atq; urbem Romanam habuere, sit ademptum: ita ut in hoc fœtu pontifices magno cum triumpho, superiores ac uictores euaserint. Videbis eos adhuc maiora tentare: et non cessare, donec sese extulerint super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. 2. Thes. 2. ut dicāt eius adoratores: Quis similis bestiæ, aut quis poterit pugnare cū ea? Apoc. 13. Sed nec diu superstes mansit hic Hadrianus, post depressam authoritatem Cæsaream. Anno enim Domini 886, ex hac uita repētè migrauit, cum magnā de ipso spem cōcepißet Papicolæ.

47. Stephanus quintus, patria quoq; Romannus, eo tempore Papatum inijt, quo Gallia Normannis, Anglia Dacis, Pannonia Hunnis, & Italia Saracenis colluctabantur. Vixit in multa perturbatione & animi tædio, toto Papatus sui tempore (pœna certè tantæ temeritati debita) quoniam Italia inquieta fuit, & Romani non satis parebant. Fecit tamen quod potuit, ut sua synagoga, scortum impudens, in malis de die in diem proficeret, & ut eius iuribus nihil detraheretur. Nam ut Gratianus scribit, dist. 19. Enimuero statuta Rom. ecclesiæ omnibus necessariò obseruanda esse primus decreuit. Idem pontifex (inquit) iudiciū candentis ferri & feruentis aquæ (quod tum in usu erat) Christianis inhibuit. can. 2. q. 4. Permisit hic, D. Martini corpus in Gallia, tempore incursionis Normānorum, à Turonis Altißiodorum deportari, litigantibus utrinq; propter oblationes monachis. Celebratur etiam ab Antonino, papistico scriptore, ab unico tantum cōsilio, quod Moguntinensi archiepiscopo dederit: Quomodo uidelicet cum illis agendum sit parentibus, qui proles inscij, in lectum sumptas, aut suffocant aut oppreßione necant. Post hæc & similia, anno Domini 892 animam edidit.

48. Formosus primus, etiam Romanus, cum Portuensis episcopus esset, Ioannis noni seueritatem ueritus, urbē dimisit: quod cōscius crederetur uinculorū eiusdē Ioannis. Nomen (inquit Crantzius) assumptum in pontificatu, insinuat hominem insolentem. Episcopatum ergo & urbem abiurauit Formosus: in profanum ordinem actus (quo sciri datur, ex episcopo laicum fieri posse, charactere illo indelebili non obstante) sed sequens Martinus illum pro pecunijs, à iuramento Ioanni præstito, absoluit ac restituit. Post Stephani prædicti mortem, Formosus muneribus datis, papatum est cōsecutus: sed non sine grandi dissensione, Sergio quodam diacono eandem sedem ambiēte. Pro cuius remedio, Arnulphum Carlomanni filium, in urbem accitum, Imperatorem fecit: qui pro tali officio gratias relaturus, præcipuos eius aduersarios capite truncauit. Nihil operis aut cōstitutionis Formosus fecit, nisi quòd basilicam Petri, leui (ut Platina scribit) pictura exornauit. Papatum uerò in sextum annum pertraxit, & anno Domini 896 mundum deseruit: demumq; à Sergio tertio proiectum est eius cadauer in Tiberim.

49. Bonifacius sextus, patria Thuscus, in demortui Formosi locum suffectus, peractis de more cæremonijs, paucis diebus præfuit in Papatu. Nihil igitur magni, in tam angusta temporis breuitate, in illo Babylonicæ meretricis regno efficere potuit: nec cuius esset factionis, in tanta Cardinalium ac

Romanæ

Romanæ multitudinis diuisione ostendere. Tantum enim 25 diebus in Papatu uixisse dicitur: sola electione pacifica memorandus (inquit Valerius Anselmus) & uitæ breuitate fœlix. Corruptum atq; confusum illud seculum, corruptamq; & confusam historiam, corruptus hic pontifex reliquit: eodem anno mortuus, quo prædictus Formosus.

50. Stephanus sextus, patria Romanus, papalem gloriã post Bonifacium adeptus, tanto odio Formosi nomẽ persecutus est, ut statim eius decreta abrogauerit, ac res gestas resciderit. Neq; ipsum beneficiorũ memoria, quæ in illum Formosus contulerat, dum Anagniæ episcopum creasset, à diro incœpto reuocare potuit. Sed quia ab eodem antea, quo minus optata hac sede potiretur, ac scorta nutriret, impeditus fuerat: tanta in mortuum quoq; rabie desæuijt, ut habita synodo, eius è tumulo corpus tractum, pontificali habitu spoliatum, indutumq; (ut uocant) seculari, sepulturæ laicorum mandauerit, abscisis antea duobus dextræ manus digitis, & in Tyberim proiectis. Exemplum hoc longè omnium immanissimnm erat, & tyrannis hæc plusquam Neronica. Post unum uerò annum Papalis functionis, anno Domini 897. carnem & ille exuit.

51. Romanus primus, nomine ac patria Romanus (sunt tamen qui Hispanum fuisse tradant) in hac pestilẽtiæ cathedra succedens, nihil in Papatu memoria dignum gessit. Cum tamen Formosi partibus faueret, illius causam approbauit: Stephani uerò prædecessoris decreta & acta statim improbauit ac sustulit. Atq; ultrà fortassis processisset in eo negotio, si uita fuisset illi longior, ad declarandam suam factionem seu sectam, quibus tunc turpissimè pontifices laborabant. Sed hominem schismaticũ, qui scandala scandalis addidit, non permisit Dominus diutius uiuere. Nam post tertium mensem initi pontificatus, anno Domini 898, demortuus est.

52. Thedorus secundus, & ipse Romanus, in papatu mox constitutus, prædicti Romani uestigijs inhæsit, nihilo melior suis antecessoribus factus. De isto quoq;, propter temporis breuitatem, in tam horribili functione, nihil à scriptoribus traditur: nisi quòd creatus pontifex (ut Stella Venetus scribit) in seditiosorũ pontificum uijs & ipse ambulauerit. Qui nulla uirtute præditus, postposito Dei timore et honore, Formosi facta restituit, eiusq; sectatores in precio plurimùm habuit. Sed non potuit infra tam paucos dies edere multa. Vicesimo namq; suscepti Papatus die, anno Domini 899, uitæ suæ finem miser accepit.

53. Ioannes decimus, patria Romanus, Theodoro successit: qui pontificatus sui tempore, seditiones propemodũ sopitas resuscitauit, ac res turbatas exulcerauit magis. Causam Formosi (inquit Barnus) in integrum restituere uolens Ioannes, repugnante maxima Romani populi parte, dissidium ingens excitauit. Quod cum uideret in apertum bellum euasurum, contulit se Rauennam. Coactaq; ibidem 74 episcoporum synodo, omnia eiusdem Formosi decreta ad plenum restituit. Stephani uerò sexti acta coram omnibus damnauit, quòd tantam in eius mortuum cadauer fecisset contumeliam: et omnia quæ ex ipsius synodo contra Formosum erant scripta, combussit. Sunt qui referant, Eudonem Francorum regem cum archiepiscopis Galliæ, huic interfuisse synodo. Sed ne Ioannes ultra procederet, uita etiam breuis effecit. Secundo enim pontificatus sui anno, à Christi scilicet incarnatione 901, mortuus, successori reliquit locum.

54. Benedictus quartus, etiam Romanus, in hac maximorum scelerum sede collocatus, nihil pontifice dignum in tantis tumultibus ac rerum turbinibus fecisse scribitur. Acciderat illi ætati (inquit Stella) quòd omnis uirtus tam in capite (Papam intelligit, qui Apoc. 17. ex septem bestiæ capitibus unum est) quàm in membris, ex hominum ignauia consumpta fuerit. Et Platina: Vbi cum ipsis opibus lasciuire cœpit ecclesia, nullo principe clericorum flagitia coercente, peccandi mox licentia nobis hæc monstra ac portenta peperit: à quibus, ambitione & largitione, hæc sedes occupatur. Obijt Benedictus anno Domini 904, statim post tertium sui pontificatus annum.

55. Leo quintus, Antonino teste, patria Aretinus fuit: qui pontificatum adeptus, à Christophoro quodam presbytero, suo domestico, Papatus fastigium ambiente, quem domi nutriuerat, manu uiolenta apprehendebatur, & in carcerem conijciebatur. Quod quidem (ut inquit Platina) non poterat fieri sine magna seditione, & multorum interitu: tam ardenter sunt sanctissimi patres illius meretriciæ sedis cupidi. Quantæ quoq; authoritatis Papatus ille tum esset, regnãtibus scortis, ut mox dicetur:

cetur, ex hoc uel maximè sciri potest, quod à uiro priuato, tam breui momento, quadragesimo scilicet die, sit occupatus. Videns autem Leo honore se spoliatum, & à suo familiari, cui multa contulerat beneficia, animi dolore paulo pòst interijt.

56. Christophorus primus, cuius patria atq; cognomentum ob ignobilitatem ignorantur, deiecto Leone, ut iam dictum est, scortis adminiculantibus, Papatum uiolenter inuasit. Sed quia malis artibus atq; immani scelere sedem illam acquisiuerat, per Sergium quẽdam, Marozie splendidæ meretricis amasium, eandem uehementer affectantem, turpiter ipsam & ille amisit. Ita mensurã (inquit Ioannes Stella) quam Leoni domino suo mensus fuerat, & ipse recepit. Quia septimo mense Papatu deiectus, monasticam uitam (unicum miserorum refugium) obire cogebatur. Et non multo pòst, per dictum Sergium successorem suum, è monasterio extractus, atq; in arctißimum carcerem cõiectus, anno Domini 905, in magna miseria tandem uitæ cursum compleuit.

57. Sergius tertius, natione Romanus, dum esset solum diaconus, ad Pontificatum aspirans, unà cum Formoso, in quodam Romanorum tumultu electus fuit: sed repulsam tunc passus, in Galliam aufugit. Nunc uerò occasionem nactus, Caroli Simplicis, Francorum regis, & Adelberti Thuscorum marchionis auxilio, iterum latenter in urbem redijt. Christophorum ille, ut dictum est, sede deiecit, cœpit, incarcerauit, ac Papalem cathedram uiolenter inuasit. Cæterùm in abhominationis sede collocatus, tyrannide Antiochum exprimens, prædicti Formosi cadauer, post octo annos à sepultura, denuò è terra extrahi fecit: & sedi Papali impositum, capitali supplicio, tanquam uiueret, affecit. Tres quoq; digitos, ex altera mutilatione relictos, amputauit: & corpus ipsum, cum his omnibus in Tiberim proijci iußit, tanquam communi Christianorum hominum sepultura indignum. Neq; hanc quidẽ ignominiã homini mortuo intulisse contentus, omnia eius acta exprobrauit, irritauit, damnauit: ita ut tunc denuò ad eorum ordines necesse fuerit illos admittere, quos ipse uiuus, sacerdotali officio dignos censuerat. Compulitq; Romanos timore regis Galliæ, hæc omnia confirmare, & ipsis subscribere. Hic Sergius ecclesiam Lateranensem, Stephani sexti tempore ferè collapsam, instaurauit, & candelas in D. Mariæ purificatione ferendas ordinauit. Ex impudentißima meretrice Marozia, nothũ, Ioannem 12 Papam, spurcißimus adulter genuit, ut habet Luithprandus Ticinensis, lib. 3. cap. 12. de Imperatorũ gestis: & alia miracula cum scortis et lenonibus in ipso Papatu fecit. Quo tandem anno Domini 913, moriente, faces in aere discurrentes, magni prodigij loco sunt uisæ.

58. Anastasius tertius, patria Romanus, post Sergij mortem, peractis de more cæremonijs, omnem, ut Apocalypsis habet, prioris Bestiæ potestatem, in eo regno perditionis accepit. De illo tamen historici tradunt, quòd in pontificatu nec boni nec mali quicquam præstiterit: et eo ipso, pluribus alijs redditur ab eis commendabilior. Sed cum ipsis est suam ex eo facto recepturus mercedem, qui alijs laborantibus, tota die stabant ociosi, Matth. 20: quum uineæ dominus unicuiq; redditurus sit iuxta opera sua. Huius tempore, Formosi pontificis corpus in Tiberis aqua à piscatoribus repertum, scriptores referunt: & quòd sit, dum celebraretur funus in D. Petri basilica, ab imaginibus (idolum ab idolis) uenerabiliter salutatum. Quod est impudens Papistarum commentum, & insignis Dei blasphemia: licet in tanta hominum cæcitate ac diuinæ ueritatis ignorantia, diabolus ille statuas mouere coram idololatris posit, qui olim per illas fuerit locutus. Anastasius autem anno Domini 915, communi fato decubuit.

59. Lando primus, patria etiam Romanus, prolificus pontifex, à Petro Præmonstratensi, longè ante initum papatum, Ioannem undecimum, è nefario adulterio generasse scribitur. Huius namq; uita, ipso Platina teste, tam obscura fuit, ut etiam sint qui inter Pontifices illum nõ numerent: potißimũ Vincentius ille Beluacensis historicus. Inter meretrices (ut apparet) maiorem uitæ suæ partem, unctorum eius ætatis more cœlibum, consumpsit: consumptus & ille tum demum ab ipsis anno Domini 916, quum non septem mensibus Papatum tenuisset. Theodora enim, Romanæ urbis tum gubernatrix ac scortum inuerecundißimum, non poterat suo amatore (huius Papæ filio notho) Ioanne archiepiscopo Rauennate, diutius carere. Ducentorum milliariorum interpositione (ut Luithprandus habet) à Roma Rauenna distabat, qua, rarißimo potita concubitu, ea sede relicta, Romanum papatum, inuitis patribus usurpare illum coegit. Tam periti erant in eo artificio infulati heroes, magnæ

meretricis alumni. Quaeritur nunc (inquit Funccius) quis horum pontificum, qui omnes sanctissimi sunt dicti, & capita uniuersalis ecclesiae appellati, à uero aberrauit? Respondete mihi, uos defensores pontificiae sedis.

60. Ioannes undecimus, patria atq; cognomēto Rauennas, Papae praedecessoris Landonis, ex adulterio filius, ut Petrus Praemonstratensis refert, Papatū quasi haereditario iure, sed per scortationes obtinuit. Luithprandus enim Ticinensis, in 2. lib. & cap. 13. de Imperatoribus sic scribit: Theodora scortum impudens, & Romanae urbis domina, ueneris calore succensa, tam uehementer in huius Ioannis Romam aduenientis, speciei decorem exarsit, ut eum non solum secum scortari uoluerit, uerumetiam compulerit. Quem postea ob mutuas scortationes, Bononiensem episcopum primò, Rauennae archiepiscopum secundò, & tertiò (ut sic insano eius amore commodius frueretur) Romanum Papam fecit. Ita erat his diebus, sanctissima mater ecclesia Romana meretrici subiecta, ut per illam tota regeretur: sitq; meretrix facta, iuxta propheticum scriptum, Apoc. 17. Ioannes iste spiritus militares induens, militem potius quàm episcopum se esse ostendit, ut qui Saracenos, Calabriam, Apuliam & Italiam deuastantes, sumptis armis, ac multis eorum occisis, his terris expulerit. De cuius fine iterū Luithprandus lib. 3. cap. 12. sic loquitur. Guido interea, Thusciae prouinciae marchio, cum Marozia uxore (praedictae Theodorae filia) de Ioannis papae deiectione coepit uehemēter tractare. Habebat Guido milites multos Romae congregatos, qui in Lateranensi palatio anno Domini 928 comprehendentes papam, custodiae mancipârunt: et ceruicali super os eius iniecto, suffocatum illum miserrimè occiderunt. Quo mortuo, praedictum Maroziae filium, Ioannem 12. quem ex Sergio papa meretrix ipsa genuerat, Papam constituerunt.

Sic meretricis matris Theodorae amasiū, meretrix Marozia filia, pro filio spurio sublimādo, per mariti Guidonis milites peremit. Sed quia Romani, clerus scilicet ac populus, in eius electionem non consenserant, eodem anno est iterum depositus, & in maximo ciuium tumultu Leo sextus, in eius locum suffectus. Et hic ille Ioannes est, quem ui surrogatum, ac loco mox deiectum, Carsulanus, Platina, Stella, & alij scriptores commemorant, ignorantes ueram eius temporis historiam à Luithprando descriptam. cuius ignoratio magnam confusionem parit. Nam aliqui scriptores, hos duos Ioannes pro uno Ioanne capiunt: aliqui unum eorum pro altero assumunt, & aliqui unum tertium eliciunt, ex actis principum eius temporis confusum chaos facientes.

GILDAS QVARTVS. XXI.

Gildas quartus, genere Brytannus, ac professione monachus erat, & literatos à iuuentute uiros libenter secutus: sed in hunc finem, ut illis aliquando similis fieret. Qui licet in Cambria fuerit natus, nihilo secius genitorem, ut ex scriptis apparet, Hiberniensem Scotum habuit. Hic ille Gildas est, quem Polydorus Vergilius impostorem, & alij scriptores fabulatorē cognominant. Porrò pro ornandis Hibernis ac Scotis, historiā quandam Brytannorum nomine, ex Galfridi & aliorū scriptis incoepit anno Domini 829, quam, teste Lelando, splendidis mendacijs, anilibus fabulis, ac prodigiosa barbarie confudit. Liquet (inquit) studuisse eum in finibus Scotorum Hiberniensium: de quorum rebus gestis pauca, sed antiqua commemorat. Et ut tandem ad scripta ueniamus, edidit

Breuiarium Gildae,	*Lib. 1. A' principio mundi usq; ad diluuium.*
De mirabilibus Brytanniae,	*Lib. 1. Primum miraculum est, Stagnum.*
De primis habitatoribus,	*Lib. 1.*
De rege Arthuro,	*Lib. 1.*
De sepulchro eius incognito,	*Lib. 1.*
De esse periculoso,	*Lib. 1.*
De milite Leonis,	*Lib. 1.*
De milite quadrigae,	*Lib. 1.*
De Perceuallo & Lanceloto,	*Lib. 1.*

De Galguano & alijs, Lib. 1.

Atque adhuc plura. Claruit senex, anno post Seruatoris nostri natiuitatē 860, sub Ethelberto Anglorū rege, prædicti Ethelvuolphi filio secundo. In quo primum opus, ut ex ipso claret, reuisit, atq; à mendis purgauit.

BVRCHARDVS DORCESTRIVS. XXII.

BVrchardus Anglus, patria Dorcestrius, conditione atq; ordine clericus, post literarum studia, silentij & quietis appetens, in heremi solitudine quadam mansionem quæsiuit, ac tandem inuenit. Cuius fucatæ sanctitatis fama uolatica pellectus Fremundus quidam, Algari occidentalium Anglorū ducis filius, uirenti ætate iuuenis florentissimus, Christianæ Reipublicæ gubernaculum, quod ex decrepitis parentibus filius acceperat unicus, post annū & dimidium nulla necessitudine coactus reliquit, ut eius sequeretur inutile otium. Non sic fecit rex Dauid in diebus Gad et Nathan prophetarum Domini: neq; pijssimus ille rex Iosias, qui abhominationes abstulit à Iuda. Istam à torpenti monachorum inertia procreatam hypocrisim, horribilibus flagellis tunc ultus est Dominus, per ferocissimos Danos, sublatis Eadmundo, Fremundo, & alijs prouinciarum regulis, cum ingenti reliquorum hominum multitudine. Latino sermone composuit Burchardus, ut quam præsens nouit,

Fremundi prædicti uitam, Lib. 1.

Aliud quicquam ab eo scriptum non uidi. Claruit senex anno à Christo redemptore nato 870, sub Ethelredo Anglorum rege, Danis Brytanniam hincinde uastantibus. Burchardus adhuc alius Anglus, Herbipolensis episcopus, istum ad centum annos præcessit.

NEOTVS ALDVLPHIVS. XXIII.

NEotus Aldulphius, uel apud Anglos orientales, uel apud Cantios nobiliter ortus, ut literarū uacaret studijs, in Glasconiensi cœnobio monasticæ uitæ statum elegit. Quorundam postea monasterialiū aspernatus ignauiam, quòd Dei nō docuissent uerbum, in Cornubiæ solitudinē quandam non procul à fano Petroci secessit, cum præceptore & libris, ut illic res diuinas propius experiretur. Post septennium Christianè eruditus, per uniuersam regionem diuinorum dogmatum pocula sitienti populo propinare cœpit. Erat enim à corporis tenuitate, Zachæo non dissimilis, sed scientijs & moribus magnus, consilio probus, ac lingua disertus. Vnde ob non uulgarem eruditionem, Alphredo Magno Anglorum regi tam familiaris & gratus fuit, ut eo cōmonitore, Oxonij gymnasium institueret anno Domini 873: proposita mercede omnibus, qui publicè bonas illic profiterentur artes. Quò multi doctrina clari, docendi gratia confluxerunt: & omnium primus ac scientissimus Ioannes Erigena Brytannus, ab eodem Alphredo conductus. Cuius tunc uulgatissimum erat nomen per Græciam, Arabiam, Italiam, Galliam, Brytanniam, ac uniuersam Albionem sub Ioannis Scoti appellatione. Scripsit inter cætera Neotus ad Martinum secundum Rom. pontificem,

Pro gymnasij confirmatione, Epist. 1.
Exhortationes ad regem, Lib. 1.

Atq; alia. Ex hac luce migrauit anno impletæ Dei promissionis per Christum 883, pridie Calendas Augusti, Eynesburiæ, quod fanū Neoti nunc dicitur: à Barrio discipulo sepultus, Alphredo regnāte. Tandem sunt eius ossa Crulandiam translata, anno Domini 1213, Ioannis regis tempore, per abbatem Henricum.

IOANNES ERIGENA. XXIIII.

IOannes Erigena, Brytannus natione, in Meneuia Demetarum urbe, seu ad fanum Dauidis, ex patricio genitore natus, à quibusdam scriptoribus Philosophus: ab alijs uerò, sed extra lineam, Scotus cognominat. Dum Anglos Daci crudeles, bellis ac rapinis molestarent, et omnia illic essent tumultibus plena, longam ipse peregrinationem Athenas usq; suscepit, annosq; quàm plures literis Græcis, Chaldaicis & Arabicis insudauit. Omnia illic inuisit philosophorum loca ac studia, imò & ipsum oraculum Solis, quod Aesculapius sibi olim cōstruxerat. In quo, abstemio cuidam humilimus seruiuit, ut sub illo abdita sciret philosophiæ secreta. Inueniens tandem quod longo quæsierat labore, in Italiam & Galliam est reuersus: ubi ob insignem eruditionem, Carolo Caluo, & postea Ludouico Balbo acceptus, Dionysij Areopagitæ libros De cœlesti hierarchia, ex Constantinopoli tunc missos, Latinos fecit, anno Domini 858. Profectus illico in Brytanniam, in Meneuensi monasterio, quod Dauidis fanum dicitur, ubi fuerat natus, monachum se fecit, in ultimis Cambriæ finibus. Nec diu poterat in eo latêre loco: sed inde uocatus ab Alphredo Anglorum rege, tam sibi quàm suis liberis adhibitus est præceptor. Atque ipso mox adhortante, inter ocia literaria è Græco transtulit in tres linguas, scilicet Chaldaicā, Arabicam, & Latinam, Aristotelis Moralia de secretis secretorum, seu recto regimine principum, opus certe exquisitum. Hoc enim uiro eximio, tanquam geniali quodam sidere, adornabat Alphredus Academiam suam Oxonij inchoatam. Erat ille primus, qui publicè illic bonas artes profitebat. Hic Ioannes ingenij subtilitate peracutus, quædam nostræ religionis accuratissimè disputata scriptis reliquit, utputa

De immaculatis mysterijs,	Lib. 1.	
De fide contra barbaros,	Lib. 1.	
De corpore & sanguine Domini,	Lib. 1.	
Pro instituenda iuuentute,	Lib. 1.	
Versiones D. Dionysij,	Lib. 1.	*Gloriosissimo catholicorum regum.*
In Moralia Aristotelis,	Lib. 9.	*Non reliqui locum nec templum.*
In Hierarchiam commentarios,	Lib. 4.	*Omne datum optimum, & omne.*
In theologiam mysticam,	Lib. 1.	
Paraphrasticos tomos,	Lib. 1.	
Dogmata philosophorum,	Lib. 1.	
Epistolas ad diuersos,	Lib. 1.	
Homelias quoq;,	Lib. 1.	

Et adhuc alia. In Malmesburiensi cœnobio tandem, quò recreationis gratia se contulerat, inter legendum à quibusdam discipulis maleuolis interimebatur anno Christi 884, fortassis non sine monachorū impulsu: quamuis illum mox inter Ecclesiæ martyres sanctos numerarint.

APPENDIX.

In libro de Corpore & sanguine Domini, fidem suam ex scripturis demonstrat, id sentiens et docens, quod in Biblijs & Augustino didicerat, & quod nouerat in Gallijs Bertramum presbyterum tradidisse. Qui liber in Vercellensi synodo damnabatur, quòd non conueniret eorum quæstui. Falluntur historiarum scriptores ferè omnes, dum istum & Ioannem Scotum Mailrosium (de quo suo loco dicemus) unum faciunt: temporum affinitate fortaßis, ac doctrinarum utriusq; parilitate occæcati. Videbit uigilans Argus, non satis congruere, quòd legentem Bedam audiuerit, & hucusq; uixerit: nisi centum & 70 annos saltem illi concesserint.

Circa annum Domini 860, Methodius Illyricus, uir doctus, apud Sclauos & Vuandalos, sacras literas in sermonem uulgarem uertit. Illyricis etiam, Dalmatis & Bauaris persuasit, ut abolita lingua Latina, uulgari in sacris peragendis uteretur. Sed sacerdotes adeò principes, episcopos ac populos cōcitabant, ut in Morauiam fugere necesse ei fuerit: ubi mortuus est, atq; Olmutiæ sepultus. Bulgarorum episcopi eodem tempore contentionem habuere satis uehementem, cum Nicolao primo Rom. pontifice, per Guntherum & Theodogutum episcopos, super matrimonij negotio. In qua pontificem ipsum tyrannum uocabant: cuius & tonitrua se non timere dicebant.

ASSERIVS MENEVENSIS. XXV.

ASserius Meneuensis scriba, ex Demetarum genere Brytannus, præfati Ioannis conterraneus, & ut apparet, in monasterio ad fanum Dauidis, discipulus non infimus fuit. In suis Annalibus hic refert, se olim cum affine suo, seniore Asserio, eiusdem sedis archiepiscopo, cuius tunc erat cancellarius, multa pertulisse incōmoda, sub Hemeydo quodam eius terræ regulo, qui sæpenumero in illius prouinciæ clerum tyrannizabat. Relicta igitur cum officio patria, ad Alphredum Anglorum regem uenit: & ab illo in filiorum suorum institutorē est, statim post prædicti Ioannis mortem, constitutus. Factus tandem post Alsium, episcopus Shireburnensis (Sarisburiensem nunc uocant) Oxoniensibus scholis opem ferebat: & regem ut prouentibus ac stipendijs easdem foueret, assiduis adhortationibus prouocauit. Et ne inter scriptores inueniretur uacuus, Latinis literis contexuit

Aurearum sententiarum enchiridion,	Lib. 1.
Alphredi res gestas,	Lib. 1. *Anno Dominicæ incarnationis 849.*
Annales Brytanniæ,	Lib. 1.
Commentarios in Boetium,	Lib. 1.
Homelias & epistolas,	Lib. 2.

Et quædam alia. Etiam plures uertit libros in Anglicum sermonem. Claruit anno à læta Redemptoris natiuitate 890, sub rege Alphredo. Huius Asserij annalibus, quidam uetustus author Paralipomenon addidit.

ALPHREDVS MAGNVS. XXVI.

ALphredus Magnus, Anglorum rex, in Vanatingo Bercheriæ oppido natus, quartus & ultimus Ethelvuolphi regis filius, egregiæ indolis & formæ adolescens, plus cæteris ab utroque parente diligebatur. Primus hic fuit, Capgrauo teste, qui à pontifice Romano suscepit unctionē. Illi igitur primo, ab eius Ecclesiæ patribus est permissum, ut literarū fundaret academiam, tanquam ei cui ex ipsa unctione fiderent. Nihilominus ad literas & uirtutes natus, à puerili ætate, Anglica carmina edere, sed minimè lasciua aut obscœna, dulcissimum duxit. Velut alter Dauid, fratrum suorum minimus, ad regnum tandem perueniens, in cōsiliarios ac præceptores accersebat uiros doctissimos, Neotum, Ioannem Erigenam, Vuerfridum, Plegmundum, Asserium, Ethelstanū, Grimbaldum, Vuervuolphum, Dunvuolphum, & similes. Scholas liberalium artium publicas, Neoti pijs monitis Oxonij primus, ut præfertur, posuit: ut omnibus aduentātibus essent communes. Nam octo horas & ipse quotidie, legendo, scribēdo, dictitando, et orando transigebat, omnesq; ad uirtutum ac literarū studia, tam uulgares quàm nobiles, tam fœminas quàm uiros prouocabat. Gymnasij fundamētis ritè iactis, linguarum & disciplinarum professores unà cum optimæ spei iuuentute, in tria pulcherrima collegia distribuebat. Vnum Grammaticis, alterum philosophis, tertium uerò Theologis dedicauit. Summo ingenio, summaq; prudentia singula gubernabat: & multas ac magnas à Danis ui-

ctorias obtinuit. Ita doctus euasit demum, ut grammaticus, philosophus, rhetor, historicus, musicus, & poeta non uulgaris haberet: imò architectus ac geometer perfectissimus. Et ut patriam laboribus ornaret literarijs, quędam opuscula edidit, quædam ex Latino in uernaculũ idioma uertit. Composuit etiam ex diuersis legibus, utpote Troianorum, Græcorum, Brytanorum, Saxonum, & Danorum, collectum,

Breuiarium quoddam, Lib.1.
Visisaxonum leges, Lib.1. *Locutus est Dominus ad Moysen.*
Instituta quædam, Lib.1. *Hæc sunt pacis agenda, quæ.*
Contra iudices iniquos, Lib.1.
Dicta sapientum, Lib.1.
Regum fortunas uarias, Lib.1.
Parabolas & sales, Lib.1.
Acta magistratuum, Lib.1.
Collectiones chronicorum, Lib.1.
Manuale meditationum, Lib.1.

Transtulit uerò in linguam Anglicam,

Hormestam Pauli Orosij, Lib.7.
Pastorale D. Gregorij, Lib.2.
Dialogos eiusdem Gregorij, Lib.1.
Gesta Anglorum Bedæ, Lib.5.
Boetium de Consolatione, Lib.5.
Molmutinas leges, Lib.1.
Martianas leges, Lib.1.
Asserij sententias, Lib.1.
Psalterium Dauidicum, Lib.1.

Quod morte præuentus non perfecit. Multaq; alia. Regnauit 30 annis ferè, de studijs & de Republica bene meritus. Graui demum tactus morbo, supremũ diem obijt, anno Salutis humanæ 901, ætatis suæ 52: Vuintoniæ in sacerdotũ collegio, postea in nouo monasterio sepultus.

APPENDIX.

Sed reuera, quoniam lege uetuerat adhuc uiuens, quenquam ad sacerdotium admitti, cuius nõ essent probati mores & scientiæ, fingebant impostores sacrificuli ac monachi, ipsius manes resumpto cadauere, per domos & compita uagari. At ego potius id illos fecisse credo, quòd semel in eorum uituperium, mortuo Dumberto anno Christi 878, Dunuuolphum Ethelingiæ bubulcum, episcopum Vuintoniensem cõstituerit. Quòd uerò, antequam Alphredus regnaret, Anglorum gymnasia penes monachos potissimum essent, hanc accipe rationem. Edicto Gregorij primi cautum fuit, Augustini tempore, ne Angli gymnasia celebrarent (uide fallaciam) propter Arrianam ac Pelagianam hæresim, atq; quosdam Brytannorum errores.

ETHELSTANVS ANGLORVM REX. XXVII.

Ethelstanus Anglorũ rex, Edvuardi primi cognomẽto senioris ex Egvuina puella forma elegãti filius nothus, patri in regno successit: ab Athelmo Cantuariensi archiepiscopo ad Kingestonũ oppidum, decem milliarijs à Londino, maiorũ more coronatus. Post initum regnum, profligatis mox Analpho & Gothfredo Sithrici principis Dani filijs, Northũbros in fidem recepit. Atq; ita Anglorũ regũ primus erat, qui totius regni imperium obtinuit: quod postea centum & quadraginta circiter annos durauit, licet nõ integrum, Danis interim ad 30 annos coronam usurpantibus. Pari fortuna Cambros defectionem molientes uicit, & Constantinum Scotorũ regem

regem in eius uerba iurare coactũ, in potestatẽ redegit. Hector Boethius, magnus Scotorum chronographus, Andream apostolũ narrat, istum confodisse lancea: & nostri, sed repugnanter, de Ioanne Beuerlacensi similia referunt: ac si inter mortuos sanctos intestina essent pro suis clientulis odia. Sed hoc factum referũt Scotorum annales, anno ferè centesimo ante Ethelstani mortem: tam oculati sunt eorum authores in annorũ supputatione, cum suo Veremũdo Hispano, D. Andreæ archidiacono, ne deprehendantur in mendacijs. Si dicant, duos eius nominis fuisse reges, adhuc improbi sunt, quum nullibi inueniatur ille alter. Sed scribant quæ uelint, pro tegendis eorum infortunijs. Bonus hic princeps erat, atq; à literis laudandus, omneq; studium habens ad religionem & pacem. Nam scripturas diuinas, teste Malmesburio, uerti fecit in Anglosaxonicum idioma, ex purissimis Hebræorum fontibus, per quosdam Hebræos ad Christianismum (ut credere par est) in suo regno conuersos: præterea

Leges antiquas correxit,	Lib.1.
Nouasq; utiles edidit,	Lib.1. *Ego Ethelstanus consilio Rus.*
Ad suos subditos,	Lib.1. *Ethelstanus rex notifico uobis.*
Constitutiones cleri,	Lib.1.
Astrologicum opus,	Lib.1.

Et alia. Buriæ, seu ad fanum Eadmundi, presbyterorum collegium posuit anno Domini 926, quum heptarchia plenè esset ad unum regnũ perducta. E'uita migrauit Glocestriæ, anno ab incarnato Messia 939, & regni sui 16, Malmesburiæ sepultus. Cuius uitam Ioannes Lydgate monachus Buriensis scripsit.

APPENDIX.

Habet Ioannes Tissingtonus, in libro aduersus Vuicleuum, id quod penè omiseram: nempe quòd circa annum Domini 890, ortum habuerit cõtentiosa quæstio circa Eucharistiam, per Fredeuuardũ quendam equitem auratum, cui respondebat Paschasius monachus. Ingens sequebatur locustarum numerus, quæ terram in diuersis nationibus uastabant, iuxta id quod scribitur Apoc.9. In Anglia (inquit Fabianus) episcopi & monachi pro defunctorum animabus tunc fortiter orabant: sed interim exanimabant uiuorum hominum loculos. Tempus effœminatum illud fuisse pronunciat Vuarnerus, in Fasciculo temporum. Fides (inquit) tunc ualde deficere cœpit, & clerici maleficijs erant dediti, consurgentibus sectis. Interea tamen Edburga Anglica, omnibus contemptis Euangelium elegit: ut Ranulphus habet.

BLEGABRIDVS LANGVARIDVS. XXVIII.

Blegabridus Languaridus, Brytannus, ex Cambria oriundus, post frequentatas ab ipsa pueritia inferiorum artium scholas, studij tum humanarum tum diuinarum legum uoluptate captus, illi deinceps totis uiribus incumbebat. Tam creuit sui nominis fama, ex assecuto labore & optimorũ authorũ imitatione, ut per illam regionem sublimia quædam promitteret. Hinc est utriusque iuris magister ac doctor effectus, & protinus mox Landauensis ecclesiæ archidiaconus. Inde ad principum fauores, colloquia, familiaritatesq; uocatus, in magna authoritate manebat apud illos. Qui tandem, ut & illis & suæ patriæ gratum se ostenderet, modestissimi Cambrorũ regis Houueli uarias in Reipublicæ commodum factas ordinationes in unum collegit, ad formam reduxit, ac Latinas fecit. Cui operi titulũ indidit

Leges Houueli regis, Lib.1.

Ex alijs itidem eruditorum uirorum scriptis, selegisse quædam fertur, in communes disposuisse locos, ac produxisse spectãda: sed ea fateor me non uidisse.

Nicholson engl. histor. library p. 80

uidisse. Claruit anno Christi 914, quo præfatas leges collegerat, sub Edvuardo Anglorum rege.

SALIPHILAX BARDVS. XXIX.

SAliphilax Brytannus, ex uetustissimo Bardorum genere non infimus scriptor, Blegabrido cōterraneo proximus, ut erudito homini uir pariter eruditus, inter illustres uiros, & meritò quidē, ponendus occurrit. Quicquid unquam fuit in hoc uiro aut sedulitatis aut industriæ, id non erubuit in suæ gentis laudem, & existimationis ornamentum exponere. Et animum ille nimirum habebat ad historias ac rerum gestarū studia ob id inclinatum: quem ad hæc sequebatur promptissima uoluntas. His sæpiculè meditationibus indulgebat, & in ipsis magnopere oblectabat. Inter cætera ergo congessit ex uaria & longa Chronographorum lectione, lineam generationis regum maioris Brytanniæ. Quod opus in posterum uocabat,

Genealogiam Brytannorum, Lib. 1. *Vti Lucas Euangelista Dominicam gener.*

Atque alia quædam. Sed quo tempore, aut sub quo claruerit Anglorum rege, apud authores ipsos quos legi, nondum inuenio. Manebit igitur hoc loco, Blegabrido suo proximus, donec inuenerimus proprium eius locum.

ODO CANTVARIENSIS. XXX.

ODo Seuerus, in orientali Anglorum regione, ex Danis oriundus, utriusq; linguæ, Græcæ & Latinæ, tam peritus fuit, ut quicquid uellet aut sermone ornato, aut qualicunq; carminum genere, ut tunc erat, ex tempore proferre posset. Sub rege Eadmundo primo constitutus episcopus Saresburiensis, postea Cantuariensis archipræsul, nolebat metropolitanæ ipsi præsidere sedi, priusquam factus esset à Floriacensi abbate monachus. Audiuerat nanq; omnes illius sedis antistites fuisse cucullatos: uiditq; clericorum ordinem, Papisticorum monachorum suasionibus iniquis, ob illorum coniugium sanctum, uulgo inuisum, ac prorsus contemptum. Vnde suscepto mox pallio, ab Agapeto secundo Rom. pontifice ita sæuiebat in regis Edvuini concubinas (non interim in suas proprias cœnobijs inclusas) ut earum facies in illius contumeliam cauterio notauerit, atq; mox ad Hybernos in exilium miserit. O' sanctos regum domitores. Christianas & pias ministrorū Ecclesiæ nuptias, hæreticas esse iudicandas decernebat Sodomorū patriarcha: ut monachismū Papisticum, merum diaboli inuentum, efferret, atq; illorum prouentibus eo fuco saginaret. Ex uafro ingenio hæc pauca & impura scripta produxit. Ad Floriacenses monachos,

Pro nepote Osuualdo, Lib. 1.
Defensionem Eucharistiæ, Lib. 1.
Vitam Vuilfridi archiepiscopi, Lib. 1.
Ad suos suffraganeos, Epist. 1. *Mirabili cunctipotentis polorum.*

Poemata quoq; plura edidit, epistolas ac statuta synodalia. Fatali morte tandem est absumptus, anno à Christo incarnato 959, & archiepiscopatus sui 13, Cantuariæ sepultus, sub Edvuino Anglorum rege.

APPENDIX.

In clero Cantuariensi, magna sub Odone lis erat circa panem Eucharisticum: quibusdā affirmantibus, priorem in eo manere substantiam, & tantum esse figuram corporis Domini, ac uinum sanguinis. Quod Odo non solidis scripturis, sed quibusdam præstigijs ac mendacibus Satanæ miraculis, quum respondere non posset, diluere laborabat. Et hæc fiebant circa annum Christi 950. Quo tempore etiam Elferus princeps Merciorum, pro sacerdotum coniugio cum monachis bellum habens, Alfritha regina fautrice, illos ab ecclesijs eiecit, & sacerdotes denuò introduxit. Ex Guilhelmo Malmesburiensi, Vincentio & Ranulpho.

DE

DE PAPIS, VEL ANTICHRISTIS Romanis.

61. Leo sextus, patria Romanus, deiecto (ut suprà dictum est) Ioanne 12. Sergij pontificis & Maroziæ meretricis filio notho, cleri ac populi Romani suffragijs, in maximo tumultu, papalem sedē ascēdit. De isto scribunt Paparum adulatores, quòd Italiam pacauerit, lites composuerit, externos hostes excluserit, & in melius omnia reformauerit. Sed incredibilia hæc sunt cordatis hominibus. In tanta temporis breuitate (inquit Ioannes Funccius) nihil scitu dignum fecit, nisi quòd pacis & concordiæ studiosum fuisse tradunt. Quia quærebat fortaßis in Iesabelis mollicie Apoc. 2. uitam amœnam ducere: at superuenit interitus quem ignorabat. Satim post septimum sui regiminis mensem, anno Domini 930, ueneno sublatus à Marozia fertur, ut spurio locum daret.

62. Stephanus septimus, patria quoq; Romanus, qui in rebus gestis Leoni prædecessori similis inuenitur: eo tempore Papatum (ut pleriq; scribunt) administrauit, quo Hungari Alemaniam & Saxoniam depopulati sint. Ipse autem (inquit Crantzius) dum Italiæ prospicit, dum urbem Romam cōponit, maiora meditatus, medio uitæ cursu subtrahitur. Nam post duos annos initi pontificatus, cum in pace secura ac libertate carnis quiescere uideretur, mundum habens in tenebris ignorantiæ ac magna Dei obliuione sibi obtemperantem, anno Domini 932. uitam cum morte, per uenenatum poculum (ut fertur) commutauit. Mirum est (teste eodem Crantzio) de tot paucorum mensium pontificibus: non enim carebant hæc tempora ueneni consueta suspicione.

63. Ioannes duodecimus, natione Romanus, Sergij tertij Papæ ac Maroziæ famosæ meretricis (ut dictum est) ex horrido stupro filius, iterum post seditiones, Leone & Stephano sublatis, Papatū in assuetis sordibus papaliter administrauit. Eo tempore Genuæ fons sanguinis largißimè effluxit, præmōstrans breui affuturā Dei uindictam: sicut in effectu contigit, Aphricanis, Saracenis, & Hungaris omnia, trucidata etiam populi multitudine, diripiētibus. Sunt inter scriptores, ut dixi, qui ex hoc Ioanne duos faciunt: unum, qui Leonem et Stephanum præceßit, quem à pontificum albo secludunt: & hunc, de quo nunc agimus, Stephano surrogatum: de quo nihil esse ab historicis scriptum referūt. Sunt & alij, qui ex hoc Romano & altero Rauennate, unum quoq; constituant. Ex quorum numero Platina, utrumq; dicit esse Sergij pontificis filium. Valerius Anselmus scribit, unum eorum fuisse alterius fratrem, ex eiusdem Platinæ errore deceptus. Sunt etiam adhuc alij, qui illum à prædictis duobus separent, & omnino diuersum fuisse credant, dicentes esse scriptoribus ignotum, ac nihil fecisse memoria dignū. Sed ad Luithprandum reuertamur, qui in libro 3. cap. 12. de huius Ioannis matre sic scribit: Marozia scortum impudens, & Ioannis pontificis mater, post Guidonis mariti mortem, Hugonem eius fratrem, Italiæ regem, patria Burgundum, per nuncios inuitat, ut ad se ueniat, & ab ea Romam nobilißimam urbem sumat. Quod aliter fieri non posse scribit, nisi ipsam in uxorē accipiat. In cuius libidinem Luithprandus sic inuehitur:

Quid Veneris facibus compulsa, Marozia, sæuis?
Coniugis ecce tui spectas tu suauia fratris,
Nubere germanis satagens Herodia binis.
Immemor aspiceris, præcepti cæca Ioannis:
Qui fratri uetuit, fratris uiolare maritam.
Hæc tibi Moyseos non præstant carmina uatis,
Qui fratri sobolem fratris de nomine iußit
Edere, si primus nequeat sibi gignere natum.
Nostra tuo peperisse uiro te secula norunt.
Respondes, scio, tu, Nihil hoc Venus ebria curat.
Aduenit optatus, ceu bos tibi, ductus ad aram
Rex Hugo, Romanam potius commotus ad urbem.
Quid iuuat, ô scelerata, uirum sic perdere magnum?
Crimine dum tanto satagis regina uideri,
Amittis magnam Domino tu iudice Romam.

Rex ergo, relicto longè exercitu, Romam aduenit. Qui decenter à Romanis susceptus, in Hadriani molem, seu castrum S. Angeli, fortißimam munitionem, ad meretricis Maroziæ thalamum declinauit. Cuius incesto concubitu dum esset potitus, Romanos quasi iam securus despicere cœpit. Habuerat tunc Marozia filium Albericum, Ioannis pontificis fratrem, quem tamen ex Alberico Marchione genuerat. Qui dum matris hortatu Hugoni aquam funderet, ubi manus ablueret, ab eo pro correctione, in faciem cæsus est, quòd non moderatè & prudenter id fecisset. Is uerò, ut illatam sibi posset ulcisci iniuriam, congregatis in unum Romanis, eiusmodi eos sermone cōuenit: Romanæ urbis dignitas ad tantam est stultitiam ducta, ut meretricum etiam imperio pareat. Quid enim fœdius, quid'ue turpius, quàm ut unius mulieris incestu Romana ciuitas pereat? Romanorumq; aliquando serui Burgundiones Romanis imperent? Si meam priuigni sui faciem cæcidit, quum præsertim nouus habeatur hospes, quid uobis iam inueteratum, facturum creditis? An Burgundionum superbiam ignoratis? &c. Nec mora, his auditis Hugonem regem omnes deserunt, atq; eundem Albericum sibi dominum eligunt. Tanto igitur terrore coactus, Romanam urbem deseruit rex Hugo, atq; ad suos, relicta Marozia, cōfugit. Albericus ergo, cum Marozia matre, Romanæ urbis monarchiam solus tenuit, Ioanne eius fratre Papatui præsidente. Qui post papalia facta, anno Domini 937, et quinto anno sui pontificatus, naturæ ceßit, dum meretrix mater, Romæ tam regnum quàm ecclesiam adhuc regeret.

64. Leo septimus, patria Romanus, Ioanni succedens, assumpto Papatu, cum suæ studeret quieti, nullis se rebus implicuit: sed remissus uir (ut insinuat Stella) nihil recordatione dignum post se reliquit. Eius tempore (ut Luithprandus habet) prædictus rex Hugo, contempta uxore Berta, in tres concubinas præ cæteris, Bezolam, Rosam & Stephanam, turpißimo ardebat amore. Et illis tribus, ob artes impudicas & spurca lenocinia, trium Dearum nomina tribuit: Bezolam Venerem, Rosam Iunonem, & Stephanam Semelem appellans. Ex Bezola Bozonem genuit, quem in Placentinū episcopum ordinauit: ex Stephana Theobaldum, Mediolanensis ecclesiæ archidiaconum: & ex Rosa filium magnum ecclesiæ prælatum, ac filiam pulcherrimam. E` sole per plures dies manare tunc sanguinem in Italia multi uiderunt, ut Massæus scribit: & secuta est hominū mortalitas maxima. Obijtq; Leo anno Domini 941, post tertium sui pontificatus annum, cum nihil boni fecisset.

65. Stephanus octauus, natione Germanus, hanc pestilentiæ cathedram post Leonem suscepit: mirum tamē multis uidetur, quomodo id fieri potuerit, cum nullus ex Germania Imperator urgeret. Qui nihilominus accepto Papatu, ita ciuilibus Romanorum seditionibus uexatus erat, ut nil memoria dignum ab eo geri potuerit. In populari enim tumultu tam turpiter uulneratus fuit, ac cicatricum deformitate signatus, ut puduerit eum postea in publicum prodire. Adeò sancti tunc temporis Papæ erant, ut eorum oues nulla sanctitatis aut beatitudinis ipsorum habita ratione, eos uulneribus afficerent. Huius tempore Guilla, Berengarij Italici marchionis uxor, presbyterulum capellanum, nomine Dominicum, statura breuem ac deformem, amauit. Qui cum nocte quadam, solito more, ad Domini cubile in eius absentia acccederet, canis latratu ac morsu impeditus, capitur, nudatur, ac uirilibus priuatur: uociferantibus illis qui ipsum castrabant, quod meritò diligebatur à domina, cum arma Priapeia illum portare constaret. Luithprandus lib. 5. cap. 15. Tales tunc multi erant Papistici cœlibatus custodes: at non donati eodem munere. Stephanus autem, anno Domini 944 moriens, alteri reliquit locum.

66. Martinus tertius, patria Romanus, post consuetas cæremonias Papatum adeptus, respexit ad officium, quod neglecta Euangelij functione, ad multorum perniciem, in magna superbia, tunc gerebat. Istum dicunt templa restaurasse lapidibus & lignis, sed non à superstitione seruasse: pauperes aluisse cibarijs, quæ cum uentre pereunt, at non uiuificis animarum pabulis: pietatem coluisse, sed in humanis traditiunculis, quæ potius impietas est: ac mores reformasse, sed nō in Dei uerbo, ad uerum eius cultum. Nam ad forenses causas, pro uentre ac marsupio, totum scribitur intuitum uertisse. Huius anno primo, cometa miræ magnitudinis in Italia uidebatur, quem, teste Vrspergio, secuta est fames ualidißima. Rursum (inquit Massæus) sol terribilem sese ostendit: quæ res futuram Dei uindictam minabatur. Martinus anno Domini 947, adueniente fato, Papatum ac uitam amisit.

67. Agapetus secundus, natione & ipse Romanus, pontificatum Romæ papaliter tenuit, in diebus præ-

bus prædicti Berengarij, qui ultimus eius nominis, principatum in Italia post Hugonem gerebat. Monachorum plurimos, qui ociose uiuentes, in habitu monastico, seculi uoluptates sequerentur, claustris suis eiecisse scribitur Berengarius ille. Quem cum intractabilem in his atq; alijs æquè spiritualibus cerneret, & non ad sui ac suorum nutum regnare, Othonem primum Germaniæ regem in Italiam uocabat, & Romanorum regnum illi promisit, ut cum eo confligtaret: turbabatq;, Sabellico teste, eius terræ statum. Ita dexteram maxillam percutienti, alteram præbuit Euangelicus pastor: nihilq; aliud, quod memoriæ proditum sit, in ipso Papatu egit. Synodus istis temporibus in Ingelheim habita est: sed quam ob causam, nullus prodit. Tanta fuit eius seculi scriptorum negligentia. Agapetus anno Domini 954 in fata concessit.

68. Ioannes decimustertius, etiam patria Romanus, de Via lata, Alberici supradicti Marozïæ nati, ac Romani principis filius, Octauianus antea dictus, patris sui partim muneribus, partim minis, Papatum occupabat. In eo namq; officio non papaliter, sed genealiter & histrionicè uixit ille, omni uoluptatū generi, scilicet stupris, adulterijs, incestis, libidinibus, uenationibus, ludicris, ludis, rapinis, incendijs, homicidijs, periurijs, aleis, armis, sacrilegijs, alijsq; flagitijs, ab ipsa adolescentia incumbens. Ex suis Cardinalibus quosdam oculis, quosdam linguis, quosdam digitis, manibus, naribus & testiculis priuauit. In ipsa enim synodo coram Cæsare Othone primo hæc sibi erant obiecta crimina, ut author est Luithprandus in libro 6 ferè per totum, quòd matutinas & horas non dixerit: quòd Missam celebrans, non communicauerit: quòd in equorum stabulo diaconos ordinauerit, quòd cum duabus sororibus incestum cōmiserit, quòd in alearum ludo dæmones in auxilia uocauerit, quòd pueros pro nummis aureis in episcopos constituerit, uirgines et peregrinas uiolauerit: Lateranense palatium sacrum, lupanar ac prostibulum fecerit: quòd Stephanam patris sui concubinam, Raineram uiduam, & Annam aliam adhuc uiduam cum sua nepte constuprauerit: Benedictum patrem spiritualem luminibus priuauerit, uenationes publicas exercuerit, arma portauerit, incendia procurauerit, fores ac fenestras nocte fregerit, Diabolo uinum præbiberit, & se crucis signo nunquam muniuerit, cum multis alijs. Vnde ab ipsò Cæsare, consentientibus prælatis, depositus fuit, & Leo octauus in eius locum suffectus. Sed post eius decessum mulieres meretrices illæ, cum quibus commerciū habuerat, nobiles Romanos concitauerunt, promissis ecclesiarum thesauris, ut Ioannem rursus in urbem susciperent. Quod & ipsi statim fecerunt, deiecto Leone, quem Cæsar creauerat. Constituit hic Papa, ut Imperator Augustus semper posthac à Papa Romæ coronaretur. Dum uerò quadam nocte extra Romam, anno decimo sui pontificatus, & anno Domini 964, cum cuiusdam strenui uiri uxore se oblectaret, ita est ab eo, pugione confossus, ut infra octiduum ex uulneribus moreretur, dignas sceleratissimæ uitæ dans pœnas: ut & uitæ moribus exitus iusto Dei iudicio responderet. Vnde Mantuanus:

Ad Romam conuerte oculos, luxumq; fluentem
Aspice, & indignos Christi propagine mores.
Tota in capreolos it uinea: tota comantem
Effluit in syluam, folijs spargentibus umbram
Pestiferam segeti: dulces neq; parturit uuas.
Hos steriles ramos, nemus istud inutile, trunca.

Ab hoc Satanæ uicario, Ioanne 12. Dunstanus, monachus necromanticus, archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, confirmationem, ac metropolis suæ pallium Romæ suscepit, anno Domini 960. Multa etiam pecuniæ summa, ab eodem obtinuit diabolò, magnæ authoritatis diploma, quo posset ministrorum ecclesiæ coniugia damnare, & ad Papistici cœlibatus uotum compellere, aut omni prorsus ecclesiastico prouentu exuere. Vide Ioannem Capgrauum in Catalogo sanctorum Angliæ, ac Polydorum Vergiliū lib. 6. Anglicæ historiæ. Inde Satanicus impostor, Edgari regis authoritate fretus, anno sequenti, adiunctis sibi in eadem cōmissione Osualdo Eboracense atq; Etheluuoldo Vuintoniense episcopis, & similium artium monachis, sacerdotes omnes (quos uasa fornicationum hypocrita uocabat) cum non uellent uxores relinquere, à cathedralibus ecclesijs unà cum ipsis uxoribus uiolenter exclusit. Et monachos sub castitatis fuco, cum omni Sodomia ac pæderastia in illas introduxit: quas usq; ad Henrici octaui tempora tenuerunt. Sed erant tunc multi, præcipuè Scotus unus, qui

horribilibus his monstris fortiter restiterũt. De quibus Baptista Mantuanus in primo Fastorũ libro:

Romulidûm leges, quæ sunt connubia contra,
Esse malas quidam perhibent. Prudentia patrum
Non satis aduertit, dicunt, quid ferre recuset,
Quid ualeat natura pati. Ceruicibus, aiunt,
Hoc insuaue iugum nostris imponere Christus
Noluit. Istud onus, quod adhuc quamplurima monstra
Fecit, ab audaci, dicunt, pietate repertum.
Tutius esse uolunt, qua lex diuina sinebat
Isse uia, ueterumq́; sequi uestigia patrum:
Quorum uita fuit melior cum coniuge, quàm nunc
Nostra sit, exclusis thalamis, & coniugis usu.

69. Benedictus quintus, natione Romanus, declinante cum suo exercitu Othone Imperatore, deturbatoq́; à Romanis Leone, ex diacono Cardinale ab amicis Ioannis, in odioso plebis tumultu, pontifex efficiebatur. Non tamen est passus Otho prædicti Leonis à se ordinati pontificis iniuriam: sed exercitu urbi iterum admoto, Romanos ciues multis incommodis adegit, ut Benedictum in eius potestatem traderent, Leonem autem Papatui denuò restituerent. Benedictum ergo post duos menses, reseratis portis, Imperatori dediderunt, & Leonem antea electum receperunt: solenniq́; more in pontificiam sedem reposuerunt. Et cum Otho ipse in Germaniam rediret, Benedictũ Papali dignitate priuatum, Hamburgam ad suum cancellarium Adaldagum, archiepiscopum Hamburgensem, in exilium misit. Vbi anno Domini 964, ex animi mœrore defunctus, in Ecclesia cathedrali sepultus iacet.

70. Leo octauus, ciuis Romanus, et Lateranensis ecclesiæ Protoscriniarius, deposito ob uitæ turpitudinem Ioanne, pontifex in illius locum ab Othone Imperatore constituebatur. Qui in Papatu confirmatus, exauctorato, ut dictum est, Benedicto, cum Romanorum nequitias nõ ignoraret, quod minis, largitionibus, ac malis artibus suos passim intruderent: Othonem ipsum coronauit, & uniuersalem Augustum declarauit. Postea omnem eligendi pontificis potestatem à Carolo magno datam, ut Gratianus refert, à clero & populo Romano abstulit, ac synodali decreto in illum Othonem transtulit: quo uitarentur seditiones, quæ in electionibus exoriri solebant. Otho autem hanc concessionem grato suscipiens animo, ut se uicissim erga sedem Romanam beneficum exhiberet, restituit omnia, quæ uel Constantinus donasse fingitur, uel quæ Pipinus & Carolus Magnus, Longobardis erepta, concesserint. Restituit ea (inquit Barnus) quæ neq; possedit, neq; unquã tueri potuit. Verùm in Papatu Leo non diu uixit: sed anno Domini 966, post annum & tres menses obijt.

71. Ioannes decimusquartus, natione Italus, ex Narnia ciuitate natus, & eiusdem sedis episcopus, Ioannis episcopi (uel ut aliqui uolunt, Papæ eiusdem nominis duodecimi) filius, quasi iure paterno, Rom. sedi præficiebatur. In hunc pontificem, summa tranquillitate (quod rarum est) confirmatum, Petrus Romanæ urbis præfectus, duo consules, & 12 senatores, cum alijs nobilibus conspirabant, quòd Cæsari faueret: & in Ecclesia Lateranensi eum capiebant, carceriq́; ad Hadriani molem 11 ferè mensibus mancipabant. Quibus auditis, Imperator Otho, contractis copijs, Romam cum exercitu festinabat: & in seditionis reos grauiter animaduertebat: quosdam exilio, alios fortunis, et alios patibulis plectens. Petrum uerò, eius uoluntati commissum, Papa carnifici tradidit: qui illius mandato uestibus exutum, rasáq; barba, ad integrum diem capillis eum suspendit. Postea impositum asino, uultu ad eius posteriora uerso, manibusq́; sub asini cauda ligatis, ut omnibus esset spectaculo, per urbem præcepit circunduci, uirgis cædi, ac tum demum in Germaniam exulatum mitti. Ita imitatus est Christũ sanctissimus pater, qui Lucæ 6. dicebat, Diligite inimicos uestros, &c. Ea in suos hostes crudelitate usus est, ut immanissimis potius tyrannis Phalaridi, Dionysio, Neroni, & horum similibus, quàm Christi uicario conferri mereatur: errare tamen Papa non potest. Iste Ioannes Othonem secundum, à patre in Italiam uocatum, Romæ in Augustum coronauit: Poloniæ regnum ad Papismum inuitauit. Aegidium Tusculanum Cardinalem illuc misit, ut populum in ea fide confirmaret, diœceses per regiones distingueret, episcopos sua unctione consecraret, atq; ut ipsum pro ecclesiarum omnium

capite

capite agnoscerent. Post hæc & alia papalia facta, Ioannes anno Domini 973, præsenti ualedixit seculo. Ab hoc tempore cœperunt campanis baptizatis peculiaria dari nomina. Quoniam ipse Lateranensis ecclesiæ maiori campanæ, post prædicti Othonis coronationem (magna res) suum tribuit nomen.

72. Benedictus sextus, patria Romanus, teste Volaterrano, Ioanni in pontificatu & calamitatibus magnis successit. A Cynthio enim Romano ciue, & quidē potente, ob quasdam nequitias captus, in Hadriani molem, quam S. Angeli castrum nūc uocant, noxiorū custodiam, includebatur. Eodemq; in carcere, non multo post, laqueo miserabiliter, ne ex Germania, prædecessorum more, Cæsarem euocaret, strangulabatur: uel ut scriptores uolunt, qui eius fauebant nomini, inedia ac fame moriebatur. De tanta illi illata iniuria nullam esse sumptam uindictam, uel à ciuibus Romanis aduersæ factionis, uel ab Othone Imperatore, non possum ego (inquit Platina) non satis admirari: præsertim cum Otho ipse uir optimus sit habitus, & ecclesiæ Romanæ acerrimus defensor. Sed uereor (ait) ne talia fuerint Benedicti merita, quale præmium à Cynthio consecutus est. Nemo eius necem uindicauit: quod multis suspicionem facit, anno Domini 974. suis esse meritis interfectum.

73. Donus secundus, natione quoq; Romanus, in sede papali post Benedictum locatus, tam prudens & cautus ex periculis alienis factus est, ut nihil ageret in pontificatu historia dignum. Hoc solum de ipso à scriptoribus narratur, quòd Polonis per legatos regni coronam petentibus, postulata negauerit. Nihil fortaßis ad culinam attulerunt: nec adhuc conuentum erat (sicut cum Anglis) super Petri denario ex omnibus caminis. Suorum tamen ciuium uoluntatibus non adeò refragatus est, quin pacem & concordiam, quandiu, Apoc. 2. cum ipsa mœchetur Iesabele, quæ se dicit esse prophetam, & ecclesiam sanctam, cum illis habuerit. Ecclesiastica (inquit Crantzius) administrauit mediocriter, neq; laudem magnam, neq; reprehensionem meritus. Quietè sua pertransiuit tempora, per annum & 6 menses, atq; anno Domini 975. in eiusdem Iesabelis pace quieuit.

74. Bonifacius septimus, cuius ob ignobilitatem & cognomen & patria reticetur, malis artibus adeptus pontificatum, malè etiam & meritò tandem amisit. Nam inito eo magistratu, conspirantibus in eum ciuibus simul, seipsum occultare coactus est. Et cum uideret, sibi non esse tutum amplius manere Romæ, ex D. Petri basilica preciosißimos thesauros clàm & furtim surripuit, ac Constantinopolim aufugit. Vbi post menses aliquot, diuenditis omnibus, ingētem uim auri collegit, Romamq; rediit, pecunia ratus cuncta expugnari posse. Interea temporis dum abesset, Romani in eius locum, Ioannē decimumquintum, patria Papiensem, pontificem fecerunt. Sed ille reuersus, ciues auro illectat, & pessimos quosq; pecunia corrumpit. Ioannem ergo paratis præsidiis cæpit, oculis priuauit, carcere inclusit, fame necauit, occupauitq; rursus pontificiam sedem. In qua non multo pòst, anno Domini 976, subita morte (apoplexia scilicet) turpiter cum Iuda periit, ut qui pauperum bona furto abstulerit. Vnde cadauer eius, fune ad pedes alligato, per plateas tractum, ac lanceis & contis opprobriose confossum, tandem à clericis populari sepulturæ demandabatur.

75. Ioannes decimusquintus, natione Lombardus, patria Ticinus uel Papiensis, à ciuibus & clero pontifex constituebatur, dum Bonifacius prædictus, surreptis ecclesiæ thesauris, ad Constantinopolim clàm fugeret. Vnde Platina de Bonifacio: Sacra ipsa (inquit) furto abstulit, & tanti sacrilegii factus est author, qui & uindicare sacrilegia debuerat. Sed hoc in quauis republica contingere consueuit, quando plus malorum ambitio ualet, quàm bonorum uirtus aut grauitas. Ioannes iste ante papatum, diaconus Cardinalis, & magnæ authoritatis uir erat, qui Bonifacii incœptis nō fauebat, sed cum honestis aliquot ciuibus (ut idem Platina refert) conatibus eius seriò obstitit. Eo igitur absente, unanimi consensu illum pontificem creabant. Quo demum audito, Bonifacius ære alieno onustus, Romam, ut dictum est, repetiit: & conductis largitione sicariis, ac ex peßimo hominum genere ciuibus multis, Ioannē captum atq; oculis priuatum, in Hadriani molem coniecit. Vbi anno Domini 976, post octo sui papatus menses, tam diu pædore carceris, inedia, & animi molestia macerabatur, donec uitam turpiter & ille finiret, in Vaticano sepultus. Sunt tamē qui dicant, interemptum fuisse à Ferrucio Bonifacii parente, magnæ potentiæ uiro, quòd filio in pontificatu aduersatus esset. Nam et ferro discerptum Valerius Anselmus tradit.

76. Benedictus septimus, patria Romanus, post Bonifacium ac Ioannem, pontifex à clero & ciuibus constitutus, annuente Imperatore Othone secundo, seniorem eius filium Othonem tertium, in ecclesia Lateranensi cum Theophania coniuge coronauit. Indeq; multos, adminiculante eodem Imperatore, Romanæ urbis seditiosos ciues illic cæpit. Et compertis quibusdam conspirationibus, cum grauiter deliquissent, carceraria pœna atq; horrido uinculorum supplicio damnauit. Synodum etiam Rhemis, contra Francorum regem Lotharium, celebrauit: in qua Arnulphum archiepiscopum uiolēter eiectum, restituit: & Gilbertū Floriacensem monachum, necromantem, pecunijs & artibus malis ab eodem rege intrusum, deposuit, ac hæreseos damnauit. Qui tamen postea obtinuit ab Imperatore Othone tertio, quem suam artem docuerat, ut esset archiepiscopus Rauennæ, ac à Diabolo huius seculi principe, ut tum demū fieret Papa Romanus. Vnde Polydorus Vergilius in 6. Anglicæ historiæ libro: Monachi & sacerdotes hoc tempore à maiorum uestigijs aberrantes, ubiq; gentium, ueluti iure suo, immodicas opes comparare, malis artibus honores ambire, et tyrannidem exercere cœperūt. Benedictus uerò, suis prædecessoribus non multo sanctior, anno Domini 984, ad nonum sui pontificatus annum peruenit, & obijt.

77. Ioannes decimussextus, patria & ipse Romanus, uncti cuiusdam sacrifici Leonis filius, ex regione Gallinæ albæ, pontifici Benedicto, prælatorum atq; plebis electione, successit. Qui suscepto Papatu, miro statim odio in clericos exarsit, ita ut non ipsis modò, uerumetiam omni populo exosus inde fuerit: maximè autem, quòd omnia cognatis & affinibus (scortis ac spurijs) postposito Romanæ sedis honore, sit elargitus. Quem certè errorem (inquiunt Platina & Stella) ad nostra usq; tempora, peßimo posteritatis exemplo, peruenisse cernimus. Qua quidem consuetudine nil perniciosius dici potest, cum non ob religionem, & Dei cultum appetere pontificatum nostri sacerdotes uideantur: sed ut uel nepotum uel familiarium (nothorum ac meretricum) ingluuiem atq; auaritiam expleant. Hæc illi. Quæ non omnino præterijt Baptista Mantuanus, in 3. libro, de suorum temporum calamitatibus:

Sanctus ager scurris, uenerabilis ara cinædis
Seruit, honorandæ diuūm Ganymedibus ædes.

Apparuisse cometem tum ferunt, futuræ calamitatis indicium. Nam & fame & peste diu laboratum est, & terræmotu Beneuentum & Capua concussa sunt: eaq; mala ob superbiam, luxuriam & rapacitatem pontificum, contemptumq; Dei & hominum accidisse putatum est. Octauo papatus sui mense defecit iste Ioannes, à clero non amatus: anno Domini 985, potione mortifera fortasse sublatus. Sed in Petri basilica sepelitur, quòd esset papistici sacerdotis filius.

78. Ioannes decimusseptimus, etiam patria Romanus, in re militari exercitatißimus, cleri ac populi sui fauore Papatum inijt, Othone tertio imperante, sed nondum ornato imperij diademate. Fuit autem Ioannes uir tantæ doctrinæ, ut multa eleganter ediderit: quemadmodum Carsulanus, & post illum Præmonstratius scriptis testatur. Agitatus ipse seditionibus, à Crescentio consule Romano, imperium urbis sibi uendicante, cupiditati hominis cessit, & in Hetruriam exulatum abijt. At uerò Crescentius, cognita Ioannis indignatione, qua percitus Othonem contra se cum exercitu in Italiam uocabat, ipsius pontificis cognatos & amicos, qui in urbe remanserant, ad hominem mittit, rogatum ut omissa accersendi Othonis cura, ad urbem cum potestate redeat: polliceturq; se ei rebus in omnibus obtemperaturum. Precibus suorum motus Ioannes, ueritus etiam (callida uulpes) ne, si Otho cum exercitu Italiam intraret, plus mali quàm boni, sibi ac suis, secum afferret: prodeunte obuiam Crescentio cum suis magistratibus, & urbana multitudine, in ædes Lateranenses magno comitatu introducit. Quarum in uestibulo, eius pedes Crescentius, & omnes seditionis authores, petita uenia, exosculati sunt: atq; ita in concordiam redacti, uitam simul Herodes & Pilatus traxere. His temporibus, in ecclesijs Anglorum schisma grauißimum erat, inter sacerdotes & monachos, quòd Edgarus rex eorum collegia illis dedisset. Sed monachi mendacibus signis, & doctrinis dæmoniorum, superiores semper euaserunt. Ioannes autem anno Domini 995, post Papalia facta, uitæ suæ finem accepit.

79. Gregorius quintus, origine Germanus, patria Sueuus uel Saxo, antea Bruno uocatus, Othonis

Othonis tertij authoritate, post schismata & lites, pontifex ob affinitatē creabatur. Verùm Othone in Germaniam regresso, Romanus populus nouarum rerum cupidus, Crescentium ad consularē potestatem trahebant, & res Romanas eius fidei commiserunt. Crescentius uerò ac populus urbis, ægrè ferebant Gregorium natione Germanum, authoritate Imperatoris ordinatum esse Papam: ideo illum papali sede deijciebant. Populusq; & clerus Romanus, Ioannem eius nominis decimumoctauum, prius episcopum Placentinum, natione Græcum, hominem eruditum et pecuniosum, in eius locum substituerunt. Gregorius autem in Hetruriam primò, mox ad Imperatorem in Germaniam se contulit, de summa iniuria conquesturus. Imperator indignè ferens eam contumeliam, in Italiam cum exercitu redijt, urbem oppugnauit, Crescentium consulem & Ioannem nouum pontificem cæpit. Quorum Ioannes, effossis prius oculis, pontificatu simul & uita priuabatur. Crescentius uili iumēto imponebatur: & uultu ad caudam uerso, nasoq; cum auribus absciso, ut spectaculo esset omnibus, per plateas circunducebatur, ac truncatis membris ante urbis mœnia patibulo suspendebatur. Punitis ergo aduersarijs, Gregorius pristinam sedem recuperauit. Qui uidens circa imperium uarios esse fortunæ euētus, ex principū φιλαυτίᾳ, ambitione, et episcoporū philargyria, grauissimis bellis inde sequētibus: cōgregata Romæ synodo, de Imperatoris electione sanctionē tulit. Constituit enim, ut ius eligendi Cæsaris apud Germaniæ principes deinceps maneret, scilicet Moguntinensem, Treuerensem & Coloniensem archiepiscopos, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ, ac Marchionem Brandenburgensem. His præterea Bohemiæ principem adiunxit, ad dirimendas discordias, in paribus suffragijs. Quam sanctionem anno Domini 1002, Otho imperator approbauit. At Galliarum reges iniquissimè ferebant, eligendi Cæsaris potestatem Germanis esse concessam: sed aperto bello id illis eripere non audebant. Gregorius istis finitis, anno Domini 998 mundum dereliquit 3 sui pontificatus anno.

80. Ioannes decimusoctauus, natione Græcus (de quo in prædicto Gregorio dictū est) hanc diabolicam Romanæ tyrannidis sedem, muneribus, tumultu ac seditione, aliorum pontificum more, ambiuit. Hic antea Placentinus episcopus erat, senex quidem doctus & diues, sed insatiabili mentis ardore Papatum exoptans: quod illi exitium diuina ultione perhorridum postea peperit. Tantum enim pecuniarum ex Constantinopoli secum Romam detulit, ut non solum prudentes, sed & constantes suis largitionibus ad maleficia impellere posset. Vnde Crescentij Romani consulis potentia fretus, quem immensa pecunia corrupisse scribitur, Gregorio iniuriarum multarum, quòd Germanus esset, incommodis profligato, per factionem præmijs conductam, Papatum occupabat. De illis uerò quæ in illo ipso Papatu cum suis sequacibus mercatui exposuerit, Baptista Mantuanus in tertio Calamitatum libro sic loquitur:

> Pernices mercantur equos. Venalia Romæ
> Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
> Ignes, thura, preces: cœlum est uenale, Deusq;.

Miror ego (inquit Platina) historicos Ioannem istum inter pontifices numerasse, cum uiuente adhuc Gregorio, sedem occupasset: nisi fortè in conscribendis pontificum uitis, ita faciendum censeant, ut in perpetua historia fit. Nam & tyrannorum peruersæ facta, optimorum principum rebus gestis annumerantur, ut quantum inter se mali & boni dissideāt, à legentibus cognosci possit: quo malorum exemplo à uitijs deterreantur, & bonorum exemplo ad uirtutes impulsi, uitam in terris beatam ducant. Qua quidem beatitudine Ioannes iste caruit, fur certè in pontificatu et latro. Hæc Platina. Cum ignominia tandem anno Domini 997, hic Ioannes cum suo Crescentio perijt, oculis effossis, & toto corpore lacerato, Gregoriusq; ad Papatum restituebatur.

Adducam hoc loco Rodolphi Gualtheri, Tigurinæ ecclesiæ ministri, uiri doctissimi uerba, ex Homelia tertia de Antichristo: & hanc secundam tertiæ classis sectionem cum illis perficiam. Iam ergo (inquit) penes cordatum quemuis iudicium esto, num meritò de pontificum tyrannide & iniquitate conquesti sint optimi quiq;, cum tot, quos modò commemorauimus, nebulones, tyrannos, fures, raptores, latrones, seditiosos, adulteros, & palàm sacrlegos, intra tam paucos annos sedes illa gestauerit. Et quis sedes ceu sanctam ueneretur, quæ tot pestes sustinere potuit? Nondum tamen impletus

pletus satis fuit impiissimorum hominum catalogus, &c. ut mox sequetur. In huius etiam sectionis fine, ex præteritis historijs claret, quòd sidera in terram collapsa, Apoc. 9. sint hi pontifices octoginta, quos Papas nominauimus, per plenam à Christo defectionem & apertas idolomanias. Quoniã data est eis clauis putei Tartarei: de cuius fumo prodierunt in terram locustæ. A' Bonifacio enim tertio, qui fuit ambitiosa bestia, usq; ad Ioannem octauum, in prima sectione per annos 247, eadem Romæ in ecclesia fecerunt, ad idolorum cultum, editis templis ac cæremonijs, quæ perniciosissimi tyranni in sua Babylone. Et à dicto Ioanne octauo, qui fuit uulpina meretrix ac scortum impudens, usq; ad Syluestrum secundum, magum diabolicum, in hac secunda sectione per annos 146, easdem sunt fœditates ad Sathanæ beneplacitũ operati, in sacratißimo eorum cœlibatu, quas impiißima gens Abrahami tempore in Sodoma & Gomorrha, & adhuc maiores: ita ut sint per equum nigrum designati, Apoc. 6. cuius sessor diabolus habebat malarum interpretationum stateram in manu sua.

SERLO DOROBERNENSIS. XXXI.

SErlo, Dorobernẽsis ecclesiæ seu Cantuariensis cœnobij, ad fanum Augustini Anglorum apostoli, monachus Benedictinus, circiter Ethelstani regis tempora, ob insignem eruditionem in summo fuit precio. Hinc lis erat cum monachis auaris fani Seruatoris, qui etiam Cantuariæ fuerunt, sed in altero monasterio eiusdem sectæ: quo nomine instigatus, opusculum carmine scripsit in sordes eorum cœnobitarum acrem & aculeatum. In præfato carmine (inquit Lelandus) aduersus monachos ipsos tam uehemens est, ut stigmata uulnerum maiora nulla uel serpentes ipsi quantumuis sibilantes reliquissent. Tam enim ingeniose arguta sunt quæ scripsit, Camarinam improborum mouens, ut uel fastidioso cuiuis uel nauseanti aures iuxtà ac oculos facilè excitent. Vsus erat, ut ipse fatetur, patrono ac defensore Odone Cantuariorũ archiepiscopo. Edidit nimirum inter cætera Serlo,

Contra monachorum libidines,	Lib. 1.
Commentarios in Pentateuchum,	Lib. 5.
De differentijs,	Lib. 1.
De prouerbijs,	Lib. 1.
Homelias quoq;,	Lib. 1.

Atq; alia nonnulla. Claruit anno post Mesiæ incarnationem 960, sub Anglorum rege Edgaro, principe Fortunato. Sunt qui istum Serlonem pro Cornubiensi præsule, Vuiltoniensem & Shireburnensem episcopũ appellent.

FRIDEGODVS DIACONVS. XXXII.

FRidegodus diaconus, Cantuariæ etiam ad Seruatoris fanũ monachus, non Seruatoris Euangelium sacrum pro uitæ methodo, sed Benedicti sui Nursini regulam, pro uiribus seruare uoto se astrinxit. Hic post monastica sacra, quibus indies diligentiam non minimam adhibuit, ad amœna conuersus studia, literas phaleratas, & musas, canoras quidem illas, ingenti uoluptate colebat. Ea tempestate apud Anglos cœperũt mortuorum cadauera è terris eleuari, & certis cæremonijs ac religione quadã in capsas aureas poni. Porrò anno Domini 956, archiepiscopus Odo, Vuilfridi & Andoeni monachorum atq; episcoporum corpora Cantuariam transferri fecit: ut ea impostura clericos cum coniugibus ab illa Seruatoris ecclesia eijceret, ac monachos introduceret. Quod & artificiose eodem anno compleuit, præcedentibus quibusdam præstigijs, dixissem miraculis: tametsi essent ob eorum ambitionem, luxuriam, & auaritiam incredibilem, Serlonis uehementissimo scripto paulo mox taxati: qui fortassis tunc fuerat ex præfatis clericis unus. Fridegodus uerò à patrono suo Odone prædicto rogatus, carminibus heroicis scripsit

Vuilfridi

Vuilfridi Riponensis uitam,	Lib.1.
Andoeni monachi uitam,	Lib.1.
De peccatrice in Euangelio,	Lib.1. *Dum pietate multimoda Deus.*
De Hierusalem supera,	Lib.1. *Ciues cœlestis patriæ, regi.*
De uisione beatorum,	Lib.1.
Contemplationes uarias,	Lib.1.

Et alia quædam. Claruit anno à salutiferæ uirginis partu 960, regnante Edgaro Anglorum rege. Et Græcè eruditus fuit iste Fridegodus, ut in opere suo de Pontificibus Anglorum Guilhelmus Malmesburiensis habet.

VNVVONVS PRESBYTER. XXXIII.

VNuuonus presbyter, Brytannus, ætate uenerandus erat, & multarum linguarum cognitione usque adeò excellens, ut illius fama longè lateque per Brytanniam omnem dissemniaretur. Propterea senem accersiri iussit Eadmerus, monasterij, quod est ad D. Albani fanum, abbas: ut uenientis peruigili opera & labore, in interpretandis, atque è Brytannico in Latinum sermonem uertendis uetustis codicibus uteretur. Vnus eorum de Albani Verolamij uita inscriptus, ipsius res gestas, ac passionis triumphum cõtinebat: cæteri Verolamiensium placita, antiquos Romanorum ritus, & sacrificia eorum dijs patrijs, docebant. Hæc enim et alia de istis narrat Matthæus Parisius, eius loci monachus, in libro de Gestis abbatum illius cœnobij. Ad Eadmeri igitur efflagitationẽ, Vnuuonus in Latinam linguam transtulit,

Albani martyris uitam, Lib.1.

Cætera iniquus abbas Vulcano commisit, ut Lelandus habet. Veruntamen claruit Vnuuonus, anno à Seruatoris aduentu in carnem 970, sub Edgaro præfato Anglorum rege, alia multa componens & scribens.

EDGARVS ANGLORVM REX. XXXIIII.

EDgarus Anglorum, regis Eadmundi primi iunior filius, Eduuino fratre ob Dunstani monachi ablegationẽ in Flandriam, è regni solio proditoriè deiecto, monachorum incantationibus Angliæ monarchiam suscepit regendam. Eduuinus nempe auaris eorum cupiditatibus difficilis ac durus fuit: Edgarus autem uehementer inseruiens, Dunstani ergo, Ethelvuoldi, atque Osvualdi monachorum imposturis effectus imago bestiæ, solummodo loquebatur ut illi spiritum dabant, Apoc.13. Ad eorum nutum tunc omnia regebantur, ut & adhuc in multis fit regionibus. Sub fœdissima tyrannide Ioannis 13 Papæ, qui sine numero meretrices alebat, impiè præcepit per omnes Angliæ cathedrales ecclesias fieri, ut sacerdotes omnes cum uxoribus & liberis mox proscriberentur, & monachi cum præposteris ueneribus introducerẽtur, ut omnia sic Sodomis opplerent. De illo etiam uetificatur, quòd in aliena terra, nempe Cambria, lupos omnes expulerit: sed uulpes illas fœdissimas, quæ Domini Dei Sabaoth demoliebantur uineã, in proprio regno reliquit immotas & intactas, imò potius iniquissimæ Iesabelis exemplo ad mensam nutriendos nebulones uocabat. Vnde edidisse fertur,

Ad clerum Angliæ,	Lib.1. *Quoniam magnificauit Dominus.*
Instituta quædam,	Lib.1. *Hoc est institutum quod Edgarus.*
Tabulas donationum,	Lib.1.
Sanctiones ac leges,	Lib.1.

Et alia quædam. Fato concessit anno post Redemptorem natum 975, ætatis suæ 37, & regni 16; Glasconiæ inter monachos sepultus. Post eius mortem

ingẽs in regno schisma fuit, quòd sacerdotum collegia monachis dedisset. Sed confictis miraculis, monachi tandem superiores euaserunt.

APPENDIX.

Illis diebus sacerdos quidam Eligensis ecclesiæ præpositus, inuitis Papa, rege, episcopis ac monachis omnibus, collegium sibi atq; suis sacerdotibus coniugatis seruauit. Illos propterea fingunt cum suis uxoribus ac liberis in anguillas tandem uerti, & anguillas sub aquis hucusq; generare, ob idq; diœcesim illam Eligensem seu Anguillariensem dici somniant. Historiam hanc, si digna sit ita uocari, Guilhelmus Malmesburius & Ioannes Capgrauus habent. Monachi etiam de rege Edgaro tradunt post collata ipsis beneficia (nam quolibet anno cœnobium eis condidit) præter ecclesiarum pinguium donationes, quòd fuerit adulter, homicida, tyrannus, ac trium scortorum dominus. Illum tamen in sanctos referunt, & scortum & filiam, & omnes.

BRIDFERTHVS RAMESIENSIS. XXXV.

BRidferthus Ramesiensis, doctor & monachus, Abboni Floriacẽsi monacho etiam doctißimo familiaris, ætatis suæ prodigiosa studia secutus, ad mathesin, acerrimorum ingeniorum excitatricem, animum applicauit. In quo eruditionis genere (inquit Lelandus) sic postea enituit, ut artẽ per se claram, depictis graphicè organis, & additis commentarijs tum doctißimis, tum lucidißimis, clariorem adhuc redderet. Illustrauit præterea scholijs non de triuio petitis, Bedæ Giruicensis insigne opus de Natura rerum: in quo dum tempora supputat, facilè ostendit, quantũ in expedita numerorum ratione ualeret. Quicquid ingenij aut eruditionis habebat, id totum ad hæc & his similia conuertit studia. Et ut posteritatem sui memorem quandoq; redderet, scripsit

De principijs Mathematicis, Lib. 1.
In Bedam de temporibus, Lib. 1. *Spiraculo uitæ humanum genus.*
In eundem de natura rerum, Lib. 1.
De institutione monachorum, Lib. 1.

Et *alia nonnulla*. Claruit Bridferthus anno Verbi incarnati 980, sub Ethelredo Anglorum rege. In commẽtarijs Bedæ multa tradit, & eruditè quidem, de circulo Paschali, de abaco, de asse, & eius partibus.

ETHELVVOLDVS VVENTANVS. XXXVI.

ETheluuoldus Vuentanus, ex occidentalium Anglorum progenie, Albæ gallinæ filius dictus, Glasconię sub abbate Dunstano superstitionibus monasticis, neglecto Dei Euangelio, imprudẽter se deuouit. De illo enim scribitur, quòd fuerit natura præceps, et ingenio uafer, literarumq; profanarum peritus, Abindoniæ primùm abbas, postea præsul Vuintoniensis factus, ut nouo quodam dogmate, nouam sibi religionis famam acquireret, Essenorum, Tatianorum, Priscillianorum, Marcionistarum, & aliorum hæreticorum exemplo, sacerdotum cõiugia damnabat. Quasi id Domino Deo non fuerit nunc acceptum, quod tam sanctè olim pro generis humani cõseruatione in illius timore instituerit, à patribus, prophetis, apostolis, atque apostolicis uiris hucusq; seruatum. Imò maiora fecit hic unius urbis Episcopus (inquiunt Vincentius & Antoninus) quàm poterat per illam ætatem totius Angliæ rex. Sed non absq; malis artibus. Quum tamen illusionibus, præstigijs & spectris, sub uisionum ac miraculorũ nomine nihil posset, ut aperta tyrannide pastores ob eorum coniugia, omni administratione priuaret, & à maioribus Ecclesijs pelleret, ut & monachos in eisdem locaret, ad Ioannem 13 Rom. pontificem, cuius nefandas libidines totus tunc nouit mundus, scripsit, ut eius authoritate id fieret: titulumq; addidit,

Contra presbyteros fornicarios, Lib.1.
De suis uisionibus, Lib.1.
De planetis & climatibus mundi, Lib.1.

Et alia plura composuit. Vita excessit tandem, monialium patronus & protector peruigil dictus, ac monachorum defensor appellatus, anno Salutis humanæ 984, & Episcopatus sui 24, Vuintoniæ, Ethelredo rege regnante, sepultus.

APPENDIX.

Finxerant paulo ante hæc tempora, mendacissimi nebulones & hypocritæ, archangelum Gabrielem è cœlis attulisse documenta duodecim, aduersus ministrorum Ecclesiæ connubia, ut habent Sigebertus, Vincentius, & Antoninus. Sed longè alius uidetur hic Gabriel, quàm ille fuit, qui in sancto sacerdote Zacharia coniugium tam largè & affluenter commendabat. Potius ille ipse Sathan erat, qui transfigurare se solet in Angelum lucis. 2. Cor. 11. Multi in Anglia his diebus aduersus Ethel uuoldum ac magistrum eius Dunstanum disputabant, super sacerdotalis matrimonij negotio: præcipuè Scotorũ pontifex quidã, ut Vincentius lib. 24. cap. 8. & Antoninus par. 3. tit. 16. cap. 6. testatur.

LAMFRIDVS MONACHVS. XXXVII.

Lamfridus monachus, ueteris cœnobij Vuintoniæ (Lambertum, licet falso, aliqui uocant) eruditus & pius à quibusdam scriptoribus iudicatur: à nobis uerò superstitiosus atque impius fuisse probatur. Eruditionis eius (inquiunt) non infima laus est, quòd à suis appelletur doctor eximius: pietatis quoque, quòd neglectis in monachatu terrenis, cœlestia sit secutus. At nos quidem dicimus impietatis non leue esse argumentum, quòd neglecta Dei ueritate, non cœlestia, sed superstitiosa & diabolica secutus, prodigiosa mẽdacia in mortuo Svuithuno extulerit. Sed ita diabolus sinebat his diebus delirare monachos, instrumenta promptissima perditionis, ne saluarentur illi, qui ueritatis dilectionẽ non receperunt, 2. Thes. 2. scripsit Lamfridus statim post eius translationem,

Vitam Suuithuni episcopi, Lib.1.
Miracula eiusdem, Lib.1.

Atq; alia quædam. Claruisse fertur anno post Virginis partum 980, sub prædicto Ethelredo Anglorum rege, ut authores colligunt: in extremis ferè Anglosaxonũ temporib. in Brytannia regnantiũ, cometa excidium designãte.

DVNSTANVS GLASCONIVS. XXXVIII.

Dunstanus Glasconius, eiusdemque cœnobij monachus et abbas, ex claro Anglorum sanguine natus, sed ab Hybernis monachis institutus, inter linguarum & artium studia, musicis uehementer addictus, dulcisona instrumenta molliter & cum fœlicitate quadam tractare didicit, atque in maximis semper delicijs habuit. Manum etiam habebat ad artes curiosas prõptissimam, præcipuè fingendis imaginibus aptam, in auro, ære, stanno, lapide, ligno, plumbo, aut quocunque ei libuerat operari. Tam frequẽs illi cum diabolis ac mulieribus cõmercium erat, quòd super regem, ut habet Legenda, imperator effectus, tam monachas quàm monachos per uniuersam Angliam possessionibus innumeris collocupletauit. Et ut id, inuito etiam, si opus esset, rege, facilius eueniret, Antichristianæ tyrannidis diploma cum præfato Ethelvuoldo procurabat, quo pastores ecclesiarũ maiorum, quotquot uxores in Dei uerbo duxerant, sub sanctioris uitæ ac uirginitatis prætextu priuaret, deponeret, expelleret. Quod & tandem fecit hoc execrabile monstrum, adnihilans Dei uerbum ob Papæ traditiones, Matth. 15. Omnienim fallaciarum genere instructi, perditionum artifices, etiam per lo-

quentes ac flentes statuas, & alia portentosa experimenta practicabant (in synodo Vuintoniensi id palàm tunc fiebat) ut omnia in suum transferrent commodum. Hanc eorum fraudem diabolicam Polydorus Vergilius occultare noluit: quamuis infinitas illorũ nequitias amicus celauerit. Nec ueriti sunt impostores, & angelos ipsos tam execrabilium dogmatum authores fingere. His & similibus Satanæ artificijs Dunstanus, ex abbate episcopus primùm Vuigorniensis, postea Londinensis, ac demum Cantuariẽsis archipræsul factus, metropolis suæ pallium, cum magna potestate bestiæ, à prædicto Ioanne 13 Papa, quo nunquam fœdior aut spurcitior ullus, accepit, ut bellum cum sanctis faceret. Apoc. 13. Scripsit ad Alphiraldum,

Benedictionarium archiepiscopale, Lib. 1. *Dunstanus misericordia Dei archie.*
Regulam uitæ monasticæ, Lib. 1.
Ordinationes cleri, Lib. 1.
Super regulam Benedicti, Lib. 1.
De occulta philosophia, Lib. 1.
Leges decimarum Lib. 1.
Contra sacerdotes ad Papam, Lib. 1.
Solutiones dubiorum Euchar. Lib. 1.
Epistolas ad diuersos, Lib. 1.

Atq; alia. Senio cõfectus tandem, obijt anno incarnati Seruatoris 988, ætatis suæ 79, & archiepiscopatus 28, regnante Ethelredo, Cantuariæ primùm, postea Glasconiæ tumulatus. Fuitq; statim ex confictis prodigijs, inter Romanensiũ deos cum Simone Mago relatus. habentq; eius uitæ scriptores, quòd in cœlum raptus, Edvuini regis animam ab inferis liberauerit.

APPENDIX.

Polydorus Vergilius libro 6 Anglicæ historiæ: Fuit annus Salutis humanæ 975, cum Dunstanus Cantuariensis antistes, sacerdotum conuentum fecit, ad res religionis rectè constituendas, melioremq; earum statum collocandum. Dum hæc geruntur, iuuenes quidam honorũ cupidi, quos quieta republica desperabant, perturbata se consequi posse arbitrabantur, turbas faciunt: quas inprimis adaugebat ira eorum presbyterorum, qui à monachis, ut suprà ostendi, ex suis collegijs exacti, de repetundis agendum sibi cõstituerant. Quamobrem causa iudicibus delata est, qui cum Vuintoniæ in monachorum conclaui de ea re in frequenti consessu agerent, et iam maior pars decerneret presbyteros esse restituendos ad pristinos honores, ecce subitò uox audita est: Non bene sentiunt, qui presbyteris fauent: perinde quasi ius magis faceret cum monachis, qui aliena raperent, quàm cum presbyteris, qui sua repeterẽt. Verùm quia imago Christi de cruce pendentis, quæ ibidem prostabat, uisa est eam reddidisse uocem, ita fides habita est oraculo, ut presbyteri causa ceciderint, & turba omnis sedata sit. Atq; sic monachi ope diuina, uel humana potius (nam etiam tum non defuerunt, qui id oraculum Phœbi magis quàm Dei fuisse, hoc est, hominum fraude, non Dei nutu, editum putarint) utcunq; parta retinuerunt. Hæc Polydorus.

ALPHREDVS MONACHVS. XXXIX.

ALphredus monachus, Malmesburiẽsis cœnobij rector et abbas, Dunstano familiarissimus, dum & ille abbas esset Glasconiensis, à literis & religione apud antiquos monasterialium rerum scriptores opiparè laudatur. À literis, quoniam erat gentilium sophistarũ fallacijs suffarcinatus, pro sublimando aduersus humilem Christum superbissimo Antichristi regno. À religione, quòd esset monasticarum superstitionum, in cantu, organis, altaribus, uestibus, campanis, statuis, cineribus, palmis, cereis, lychnis, luminibus, pompis, festis, letanijs, cappis, mitris, Missis, incantationibus, exorcismis, & alijs geomanticis præstigijs, studiosus obseruator ac propugnator assiduus.

asiduus. Vnde statim postea Cridiodunensem episcopum, quem nunc Excestriensem uocant, illum fecerunt. Inter cætera uerò Alphredus scripsit

De naturis rerum, Lib.1.
De rebus sui cœnobij, Lib.1.

Et alia quædam. Claruit anno ab incarnatione ueri Mesiæ Iesu Christi 990, sub Ethelredo Anglorum rege. Et in opusculis suis plura tradidit de Aldhelmo uiro doctisimo, teste Guilhelmo Malmesburiensi in opere de Pontificibus.

OSVVALDVS ODONIVS. XL.

OSvualdus Odonius, suprà dicti Cantuariorum archiepiscopi Odonis nepos, fortasis ex monacha filius, Vuintoniensis primùm canonicus, postea decanus: quum uideret nouis monachorum technis, clericorum fortunas pessum ire, ac ultimam minari ruinam, cōsulto patruo Floriacum in Gallijs petijt, atq; inter studia peregrina fit illic monachus. In patriā reuocatus tandem, Osketillo Dorcestriensi episcopo fuit statim à secretis, & post dies aliquot in Vuigorniensem antistitē sublimatus. Per illud tempus, scilicet anno Domini 975, *ut præfatum est*, coacta sub Ioannis 13 Papæ tyrannide, uniuersali per Angliam synodo, Dunstanus pro lege in perpetuum constituit, ut clerici deinceps sub religioso cœlibatus titulo Sodomiticè uiuerent, aut ecclesijs suis extruderentur. Cuius iniqui statuti, iniquior adhuc executio, in ministrorum coniugia, Ethelvuoldo & Osvualdo in primis est designata: quam sine omni uel Dei timore, uel proximi cura, perniciosisime peragebat. Nempe præ cæteris erant post Dunstanū, nullo non genere fraudis ad impietatem armati, ut simplici uulgo mendacibus signis illudant: nō secus atq; olim apud Aegyptios magi Pharaonis. Talium pseudomagistrorum, non absq; causa, nos in Christi spiritu præmonuerunt apostoli, Paulus, Petrus, Ioannes & Iudas. Eboracensis postea archiflamen constitutus Osvualdus, inter cæteras deprauati ingenij sui fæces reliquit,

Ad Abbonem monachum, Epist.1. *Præscientia Dei monachus Osuual.*
Ad sanctos dum esset Floriaci, Lib.1. *Osuualdus supplex monachus.*
Statuta synodalia, Lib.1.

Et alia quædam. Ramesiæ monasteriū, in quodam palustri loco cautisimus condidit, & in eo prælectorem primum Abbonem præfatum posuit. Fatis concesit anno redemptionis humanæ 992, & utriusq; episcopatus 33, Vuingorniæ sepultus, statuaq; donatus sub rege Ethelredo.

APPENDIX.

Eo anno quo Dunstanus obijt, sanguinea nubes penè totam operuit Angliam, & sanguinem potenter pluebat, moxq; sequebantur Dani patriam illam ubiq; depopulantes, ut in suo Chronico Ioannes Hardingus habet. Quibusdam eiusdem Dunstani deliramentis & somnijs, Papisticæ Missæ opinio ac superstitio somnijs in Anglia uires acquisiuit. Somniabat enim stans in altari missalibus uestibus indutus, & expectans regem à uenatione uenientem, ut Osbernus & Malmesburius, monachi narrant, qui scripserunt eius historiam, quòd Missam in cœlis audiuisset, canentibus angelis in initio nonies Kyrieeleison: & in fine, Ite, Missa est. Tonosq; eorum ac uocum consonantias (ridiculum certè) ad posteritatis usum, cum esset musicus, reliquit. Pro cœlesti uisione, ab eius seculi Papistis habebatur hoc portentum diabolicum, in confirmationem Sathanicæ Missæ in ecclesijs Christianorum. Ob hæc & his similia, sunt istis diebus clerici coniugati cum uxoribus & liberis Ecclesijs suis pulsi: ut egresis iamdudum de abysso locustis, monachis, scorpionum terræ potestatem habentibus, parata sine suo labore loca in mansiones darentur: & ut in illis impinguentur, ac fiant equis similes ad prælia pæparatis. Apoc. 9.

TERTIAE CLASSIS SECTIO TERTIA, DE PAPIS uel Romanis Antichristis, in regno Draconis magni: qui est diabolus & Satanas, Apoc. 20. usq; ad Innocentium quartum.

A' Ioanne octauo, qui meretrix erat, per 146 annos, ad annum hunc usque à Christi natiuitate millesimum, tanquam meretrix in Romana ecclesia Antichristus regnauit, licet interea purissimum cœlibatum iactitauerint Sodomitæ. In omni carnalium fœditatum genere, toto hoc tempore pontifices diffluebant, ad octogesimum primum Papam usq;, iuxta illud Danielis 11. de Antichristo: Et erit in concupiscentijs fœminarum. Ac Hier. 5. In domo meretricis luxuriabantur, & amatores in fœminas, equi facti sunt emissarij. In lasciuijs enim, luxurijs, impudicitijs, pæderastijs, scortationibus, prolificationibus, arrogantijs, pedum osculis, sacrilegijs, dissidijs, necromantijs, ueneficijs, homicidijs, & alijs impudentijs, totum exercitium eorum erat, ut ex prædictis historijs claret. Ita ut rectius ex Esaia, Sodomorum principes, quàm ecclesiæ proceres uocari mereatur. Consequenter, post millesimum nati Seruatoris annum, soluto Satana, magni Draconis regnum mox meritò dicetur, consentientibus mirum in modum per ea tempora pontificum actis: in Syluestro secundo, qui suis necromantijs Satanam de abysso soluit, ac super habendo Papatu cum eo pactus est: in Benedicto nono, qui in syluis & montibus sacrificia dæmonibus fecit: in Hildebrando seu Gregorio septimo, qui malignos spiritus in consilia uocabat: atq; in alijs, qui diabolicis artibus sunt usi. Vt uerissimum uideatur, quod Apoc. 20. ab Euangelista Ioanne scribitur.

PAPAE, VEL ANTICHRISTI Romani.

81. Syluester secundus, natione Gallus ac professione monachus, Gilbertus primùm appellatus, in Floriacensi cœnobio Benedicti regulam adolescēs profitebatur, & artibus diabolicis intentus, totum se Satanæ mancipabat. Monasterio demum relicto, in Hispaniam se contulit, profanarum artium studio feruens: et ad philosophum Saracenum magiæ peritum, Hispalim peruenit. Apud quem non eruditione solum, sed & ambitione creuit: cogitauitq; quo pacto sibi uiam inueniret ad altiora honoris & opum fastigia: putauitq; nihil ad eam rem conducibilius esse, quàm ut magicis artibus se addiceret. Viderat ante apud magum hospitem, librum necromanticum: eumq; ut ei surriperet, operam dedit. Cum uerò codicem religiosius ille seruaret, quàm à Gilberto surripi posset, persuasit filiæ, quā domi habuerat Magus, cum qua sibi intercessit domestica familiaritas, ut patris librum secretò tolleret, daretq; sibi perlegendum. Puella morem gessit, fitq; ille uoti compos. Libro accepto, clàm parat abitionem: metuens tamen, ne ex furto illo sibi uitæ periculum immineret. Satanæ igitur iureiurando se tradidit, ea lege, ut eius præsidio tutus in Galliam ueniret, & consequeretur non uulgares dignitatum gradus. Venit in Galliam, scholas cum quibusdam alijs aperuit: liberales artes non sine auditorū admiratione docuit. Vnde plures habuit in prædicta arte discipulos, Constantinum scilicet, abbatem D. Maximini prope Aurelianum, Lotharium archiepiscopum Senonensem, Adelboldum episcopum Vuirtzenburgēsem, Othonem Imperatoris filium, Robertum Franciæ regem, Theophylactum, Laurentium, Malfitanum, Brazutum, Ioannem Gratianum, sacerdotes Romanos, atq; alios multos. Horum opera & largitionibus fiebat primùm episcopus Rhemensis, ut dictum est: deinde malis artibus adeptus est archiepiscopatum Rauennæ: postremò diaboli ope adiutus, Romani papatus sedem accepit: eius uicarius factus, quem è puteo Tartareo suis præstigijs ac necromātijs soluit, Apoc. 20. Nam & Petrus Præmonstratensis cum quibusdam alijs scriptoribus, refert illum in anno à Christi natiuitate millesimo, assumpsisse papalem cathedram. In quo anno terræmotus magnus & mirabilis (teste Massæo) contigit, & cometes horribilis uisus erat 14. die Decembris. Magicas artes in Papatu celabat: & necessitudinem illam, quam cum ipso habuit diabolo, dissimulabat. Caput ueruntamen æneum in abdito quodam loco seruabat: à quo, cum quicquam peteret à maligno spiritu illo, responsa semper accepit. Tandem sibi pulchrè placens in papali fastigio, sciscitabatur ex suo congerrone diabolo, quamdiu potiturus esset pontificatu? Diabolus ambiguè respondit, nō moriturum illum, priusquam in Hierusalem missam celebrauerit. De uitæ ergo diuturnitate, bona spe accepta, omnino cœpit esse

pit esse securus, quòd sciret se posse cauere, ne Hierosolymam (Palæstinæ urbem intelligens) proficisceretur. Mos uerò fuit, ut pontifex in quadam quadragesimalis stationis die, Romæ sacra faceret, in basilica S. crucis, quæ Hierusalem uocabatur. Vnde Syluester de sua uita securus, cum tamen in cauendis Satanæ insidijs non satis circumspectus esset, missam ex more in eo templo peregit. Qui statim graui correptus febre, ex strepitu dæmonum (inquit Petrus Præmonstratensis) sensit sibi mortem adesse, pensumq; Satanæ reddendum. Scelus magici erroris publicè plorans, inde confitebatur, miserabili & horrendo hoc interitu præuentus. Et inter ipsas mortis angustias supplicat (inquit Benno) manus & linguam abscindi (sunt qui addant genitalia) per quas in ipso cœlibatu sacrificando dæmonibus, Deum ipsum blasphemauit. Atq; ita anno Domini 1003. dignum suis meritis exitum inuenit. Sed eius discipulos mors hæc teterrima, ab idololatriæ studijs non absterruit, ut statim sequetur. quibus etiam non defuit diuina ultio. Et quis non hinc intelligat, qualè nam istud munus sit, qualis dignitas, quale officium, quod diabolus suis conferre nouit, quodq; Satanicis & nefarijs artibus adipisci possunt homines perditissimi? Quale sit etiam Missæ sacrificiū, quod uiuis et mortuis prodesse tam crebrò iactitatur, cum diabolus tantam tragœdiam aduersus sanctissimum D. Petri successorem & socium (Simonem Magum potius) sub eo excitauerit, atq; ad lacum tartareum secum tandem traxerit. Huius Syluestri sepulchrum, ossium collisione & sudore emisso, ab eo tempore dicitur semper pontificum mortem prænunciasse. Dubio procul ideo, ut diabolus significet, cum pontificibus successoribus, eandem necessitudinem sibi esse, quæ cum Syluestro fuit: quem etiam suæ mortis ante obitū admonuit. Quid autem de his magis dicere attinet, cum uulgo constet tam magiæ quàm aliarū artium, diuinis legibus prohibitarum, peritissimos doctores & magistros fuisse semper uel sacrificulos uel monachos, huius bestiæ charactere insignes, qui hoc modo artis & sectæ suæ authorem studijs suis prodere consueuerunt.

82. Ioannes decimusnonus, cognomine Siccus, ut Blondus author est, ac natione Italus, adiutore diabolo, cuius tum erat Papatum dare, Syluestro Mago ac Satanico monstro successit in eadem sede. Certamen fuit (inquit Benno) inter ipsius Syluestri discipulos, necromantas, dum quisq; anhelaret ad rapiendum sibi Papatum. Nihil egit hic Ioannes (ut Barnus scribit) modico tempore quo in Papatu uixerat, pontificia sede indignum: sed omnia ad eius uoluntatem fecit, cuius erat uicarius. Cleri sui persuasione, Romanum populum pontificis electione priuauit, adiectis his clausulis: Docendus est populus, non sequendus. Maior est dignitas legis, quæ regit Spiritu sancto, quàm legis secularis. Vnde per hæc Deum ipsum, traditionum suarum diabolicarum statuerunt authorem, ac leges Imperatorias nihil esse ducebant. De his mentionem facit Ioannes Baconthorpius, in Prologo quarti sententiarum, quæst. 10. Festum animarum, ab Odilone abbate Cluniacensi, excogitatum & institutū, Ioannes iste acceptauit, approbauit, atq; confirmauit: & ut post festum Omnium sanctorum, ab omnibus ecclesijs obseruaretur, districtè præcepit. Ex Aetna enim Siciliæ monte, qui perpetuis ignibus ardet, quòd Siculus esset Odilo, purgatorium esse didicerat: atq; ex Gregorij dialogis, cum non suppeditaret scripturæ, illud probauit. Per missas Papisticas, defunctorum animas ab eo liberari somniauit: dicebatq; impostor ille monachus, diras se dæmonum plangentium ac lugentium uoces audiuisse, dum per missas & exequias funerales eriperentur sibi animæ. Sedit Ioannes post Syluestrum (ut dictus Benno refert) & quinto mense anno scilicet Domini 1004. ueneno suffocatus à suis dicitur. Eius tempore Cardinalium nomen in precio esse cœpit, iuxta præfatum Baconthorpium, et uisa sunt inaudita prodigia, magnam mutationem præsagientia, ac terræmotus mirabiles.

83. Ioannes uicesimus, cognomento Fasanus, patria Romanensis, in ea natus regione, quæ Metropolitana porta dicitur, Ioanne prædecessore uenenata potione, ut dictum est, sublato, prodigiosis artibus Satanici Papatus sellam occupauit. A' prædicto enim Syluestro, qui Magus diabolicus erat, usq; ad Gregorium septimum, sceleratissimum nebulonem ac præstigiatorem iniquissimum (ut author est Benno in uita eiusdem) famosi fuerunt incantatores Romani pontifices omnes, Iamnem ac Iambrem Aegyptios magos maleficijs longè superantes. Ita ut uerum sit, quod Baptista Mantuanus ad Iulium scripserit:

Sicut enim tunc regna rapax lacerauerat hostis

Improbitas. Sic & sanctos Acherontigenarum
Laruarum impietas, & perniciosa libido
Corrupit mores: quibus illa antiqua parentum
Semideorum ætas totum condiuerat orbem. Et cæt.

Quicquid externo habitu pollicebantur, religio eorum nihil aliud erat quàm fucus, ac mirè simulata hypocrisis. Dei zelum, ecclesiæ causam, & animarum curam prætendebant: cum nõ alio tamen quàm priuati commodi studio tenerentur. Spirituum circa sepulchra apparitiones, querelas, gemitus, eiulatus, lachrymas, formas igneas, speciesq; horribiles, quas mortuorũ animas esse, simplex crediderat uulgus, & alias per exorcismos excitabant tragœdias. Per sacrificulos & monachos, adiurati illi spiritus, demortuorum quorundam animas se esse simulabant, dolores incredibiles, quos in purgatorij flamma sustinerẽt, exponentes. De pœnarum carnificina quiritãtes, ab hæredibus opem flebiliter, per suffragia, preces meritorias, & Missas mortuorum postulabant. Atq; horum omnium actor erat diabolus. Et ut ad Ioannem reuertamur: Ad ocium cõuersus (ut ait Platina) nihil memoria dignum gessit. Paucis se rebus implicuit (inquit Crantzius) memor, quibus se priores difficultatibus inuoluissent. Solummodo suis commodis, ac temporum quieti, ad uoluptatem indulsit: & præter dictas hydromantias nihil fecit. Post quatuor annos Satanici regiminis, anno Domini 1009, non sine ueneni suspicione exspirauit.

84. Sergius quartus, patria & ipse Romanus, post horribilia hæc, authore diabolo, perpetrata in ipso Papatu facinora, Ioanni succedens, non alijs medijs quàm sui prædecessores, pontificale conscendit fastigium. À magna sanctitate, multisq; uirtutibus, cum tamen iuxta Chronographos nihil egerit historia dignum, à suis commendatur. Ita solent adulatores Papistæ, nigros in albos uertere, ac fallaces operarios in lucis angelos transformare. Nec magnum est (inquit Apostolus) si Satanæ ministri sic transfigurentur, ut sint tanquam ministri iustitiæ: dummodo dignus eorum factis exitus maneat. 2. Cor. 11. Platina, Stella, & alij eius farinæ scriptores, uirum sanctissimæ uitæ, grataeq; consuetudinis uocant: cuius & tantam fuisse prudentiam garriũt, ut toto suo pontificatu nihil commissum sit, quod meritò reprehendi possit. Quàm impudens hoc sit mendacium, cum cæteris quæ apud eos illic sequuntur, ipsi norunt, qui eius temporis naturam ex diuina Ioannis Apocalypsi norunt. Sol enim factus est niger, tanquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis, Apoc. 6. In quibus significantur puræ doctrinæ defectus, & Antichristi in ecclesia tyrannis. Filius hominis ueniens (inquit Christus) putas inueniet fidem in terra? Lucæ 18. Et quomodo potest omnem mentem in Deum conuertere, ut ipsi blaterant, qui uerbi ministerium non neglexit modò, uerumetiam suppressit, cõtempsit, damnauit? quod tamen in Ecclesijs præ alijs functionibus florere debebat. Integrè gubernare ille nõ ualet, qui Christi sermone non utitur. Quod inter amicos et familiares iucundus fuerit, uerum esse credo: quum apud scelestissimos eorum id fieri soleat. Obijt Sergius anno Domini 1012, dum in Italia regnarent fames ac pestis, & esset in Lothoringia fons quidam in sanguinem uersus.

85. Benedictus octauus, patria Tusculanus, ex genitore Gregorio Portuensi episcopo, Alberici ac Ioannis frater, & conditione laicus: per magicas operationes Theophylacti nepotis sui ministerio, qui Syluestri secundi discipulus olim fuerat, Papatum obtinuit. Quamdiu etenim uixit Henricus Bauarus, quem imperiali corona donauerat, in rebus omnibus illo defensore semper est usus. Sed eo tandem mortuo, ab æmulis Cardinalibus è Satanæ sede pellebatur, & alius eius loco surrogabatur: factumq; inde fuit schisma grauissimum. Postea tamen, inita per aureos nummos cum aduersarijs concordia, pulsoq; adulterino pontifice, in urbem cum pristina pompa ac dignitate redijt, in sedemq; restituebatur. Hunc Benedictum rogauit Henricus prædictus (Barno teste) ut templum, quod Bambergæ erexerat, in cathedralem Ecclesiam cõsecraret. Quod ita facturum se promisit, sed hac lege, quòd ea ecclesia quotannis Rom. pontifici census nomine centum marcas argenti numeraret, cum albo ac phalerato equo. Ad annum undecimum sui Papatus peruenit ille, & anno Domini 1023, ex hac uita decessit. Refert Petrus Damianus, Cardinalis Hostiensis, istum Benedictum post mortem cuidã episcopo sibi olim familiari apparuisse, nigro insidentem equo (uide quàm sint concordes scripturæ, Apoc. 6. cum historijs) qui ea territus uisione, dicebat: Nónne tu es Papa Benedictus, quem nunc

defunctum

defunctum nouimus? Ego sum ille (inquit) infoelix Benedictus. Et quomodo tecum est pater? alter interrogauit. Grauiter torqueor, ipse respondit: sed iuuari possum. Vade ergo (ait) & dic Ioanni fratri meo, qui sedem nunc occupat, ut thesaurum tali in loco reconditum (thecamq; ac locum nominabat) det pauperibus. Ipsiq; Ioanni apparuit, dicens: Liberandum me spero. Atq; utinam Odilo Cluniacensis pro me rogaret. Sic ea ætate lusit Satan, ut idolomanijs, purgatorijs, et Missis, suum constabiliret regnū. Ab isto nebulone Hungariæ ac Poloniæ reges sceptra, coronas atq; authoritates, neglecta Dei authoritate, accepisse ab historicis traduntur.

86. Ioannes uicesimusprimus, cognomēto Neophytus, ac patria Tusculanus (ut author est Benno) ex patre Gregorio prædicto Portuensi episcopo genitus: post Benedictum fratrem, Theophylacti nepotis arte nefaria, nullis adhuc initiatus sacris, pontificatum est assecutus. Huius Theophylacti, Ioannis Gratiani, Laurentij, Malfitani, Brazuti, & aliorum pseudosacrificulorum, maleficijs, incantamentis, atq; operationibus Geomanticis, omnia tunc Romæ ad Satanæ nutum regebantur. Theophylactus enim, sacrificijs dæmoniorum in syluis & montibus deditus, mulieres post se currere faciebat (inquit Benno) quas magicis artibus ad sui amorem coegerat. Testantur hoc etiam libelli ipsius, in eius inuenti cubiculo, postquam uitam malè finiuerat. Ita ut uera uideantur hæc Mantuani ad Iulium dicta:

Hæc morum iactura nocet. nam dissipat omne
Imperium Christi, toto iam cognita mundo.
Mendacem facit esse Deum, qui dixit Auernum
Imperijs non posse suis inferre ruinam.
Ecce ruunt, charitas friget. spes pallida languet,
Aegra fides fragili uix sustentata bacillo,
Ex procerum tectis fugit, & gurgustia quærit.

Ioannes iste, ut Volaterranus habet, Conradum Imperatorem imperij diademate redimiuit: & à Romanorum uiolentijs, qui illum diu uexauerant, per eundem Conradum defendebatur. Interminatus enim excidium illis erat, si quicquam deinceps in pontificem molirentur: illiusq; patrocinio permansit in pontificatu, in annum usq; undecimum. Eius uitam nihilominus mirificè à Romanis laudatam esse, Platina demonstrat: sed non addita uirtutum ac benefactorum ratione, cum nulla fortassis fuerint. Ab isto multa feruntur instituta. indictæ enim principibus sunt solennes eleemosynæ, sacerdotibus Missæ, populoq; ieiunia. Dum quoq; D. Ioannis Baptistæ, & D. Laurentij per Christianismum ieiunia, cum magna superstitione sunt suscepta. Ex Triburiensi synodo, anno Domini 1030 surrexit in Gallijs ieiunantium secta, qui dicebant, sibi fuisse coelitus reuelatum, quod feriæ sextæ ieiunium in pane & aqua, hominibus sufficeret (diabolica illusio) ad remissionem omnium peccatorū, modò sese iuramento ad id constrinxerint. Sed hanc blasphemiam Gerardus Cameracensis episcopus non minima cura aboleuit, ut Christi merita pessundantem. Mortem obijt Ioannes anno Domini 1034, successori relinquens locum. Eius tempore, per quosdam in Saxonia saltantes, ad missantis sacrificuli imprecationem, idololatria & abominatio Papisticæ Missæ uehementer sunt confirmatæ. Tam impudenter & apertè regnabat tum Satan, ut & morionicis nugis mundum seducerent.

87. Benedictus nonus, patria Tusculanus, ex patre Alberico, Benedicti et Ioannis, ut dictū est, nepos, ac Theophylactus antea uocatus, sedem Satanicis artibus ac magicis præstigijs obtinuit. Laurentium & Ioannem Gratianum, tunc archipresbyteros uel Cardinales, suos condiscipulos atq; incantatores diabolicos, præ cæteris omnibus intimos & secretorum conscios semper habuit. In quibusdam nemoribus ac syluis ante Papatum, complicibus his sociatus, per nefariæ curiositatis ritus atque cæremonias, spiritus malignos inuocare solebat, & foeminas quascunq; uolebat, necromanticis operationibus in foedos amplexus trahere. Talis est Romani coelibatus sanctitas. Dum uerò semel (ait Benno) de syluarum secretis ad ecclesiam cum his socijs rediret, conuenientibus multis, subitò audita est auicula, quæ uulgo passer dicitur, dulces uoces iterare. Et interrogatus Laurentius maleficiorū princeps, qui & augur erat, quæ auis illa caneret? statim respondit: Auicula iubet (inquit) alias aues ad portam maiorem conuenire, ubi nunc fractus est cuiusdam rustici currus, et effusum milium, quod

super illo ferebatur. Inuitat autem frequenti cantu, ut illuc citò ueniant ac saturētur. Quo audito, astantium plures, concito cursu ad eam portam alius alium certatim præuenerunt: et sicut dixerat, inuenerunt. Augurijs illi sciebant, quid esset factum in Oriente & Occidente, in Meridie, in Septentrione, aut in extremis terrarum partibus, siue de bellis, siue de morte principum. Et multi studiose eorum magisterio adhærebant (studium Apostolicum) atq; imbuebantur illorum artibus: præsertim Hildebrandus. Qui monasterio relicto, in schola tantæ peruersitatis, arte et usu edoctus, tantorum maleficiorum fidus minister, & pessimis magistris peior est factus discipulus. Quod ex fructibus perfidiæ ipsius postmodum percepit ecclesia. Hæc Benno. Benedictus post defunctū Cæsarem Conradum, habito consilio cum suis familiaribus, molitus est filium eius Henricum tertium successione priuare, et illius loco Petrum Hungariæ regem, Augustum constituere. misitq; Imperij coronam, cum hoc uersiculo:

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronā. Sed Henricus primo conflictu Petrum cæpit, Romamq; uenire disposuit. Quo audito, Benedictus timore perterritus, papatum complici suo Ioanni Gratiano uendidit, acceptis ab eo libris mille quingentis: qui postea dictus est Gregorius sextus. Sed interim deposito ob ignauiam Benedicto, anno Domini 1045, Ioannem Sabinensem episcopum Romani in eius locum substituerunt, Syluestrum tertium appellantes. Ob hanc uenditionem (inquit Platina) ab omnibus accusatus erat Benedictus, ac iudicio diuino damnatus. Et cur non magis ob scortationes, idololatrias, necromanticas artes, incantationes, exorcismos, inuocationes dæmonum, & id genus alia diabolorum portenta? Mysterium est. Solum hoc damnabile uitium reputatur, cætera omnia in Papatu uirtutes sunt. Sed tandem est in syluis circa annum à nato Seruatore 1056 meritū sortitus finem, à quodam dæmone suffocatus. Referunt historici, Benedictum istum seu Theophylactū, prope molendinum à quodam eremita horrenda imagine uisum. Erat enim corpore urso, cauda atq; capite asino similis. Et cum interrogaretur ab eo, unde incidisset in eam metamorphosin? respondisse fertur: Hac specie oberro, quia in pontificatu sine ratione, sine lege, sine Deo uixi, & omnibus probris Rom. sedem inquinaui. Huius tempore Cardinalium nomen ex paruis initijs ad maiora creuit.

88. Syluester tertius, patria Romanus, Ioannes Sabinensis episcopus antea dictus, largitionibus ac per tumultum, ut aliqui uolunt, in pulsi Benedicti locum à suis ciuibus surrogatus erat. Ego tamen id potius factū opinor, prædicti Laurentij, qui (teste Platina) genitor eius fuit, magicis imposturis: quoniam hoc addit Benno cardinalis, post eiectum Benedictum atq; uenditum pontificatum. Eisdem diebus (inquit) superpositus est in Papatum prædicto archipresbytero Ioanni Gratiano, Ioannes Sabinēsis episcopus, qui mutato nomine dictus est Syluester tertius: & factum est ut Romana ecclesia in partes diuersas scindi uideretur. Graui schismate, feralibus bellis, & immensis cædibus, his autoribus, laniata est ipsa Ecclesia, ac sub colore mellis ueneno propinato, hæresibus nephandissimis propemodum suffocata. Hæc ille. Ac non diu (ait Platina) in pontificatu Syluester mansit. Nono enim & quadragesimo die, factione suorum Benedictus restituebatur. Sic in perfidia unus impostor alium superauit, ac Satanas Satanam pepulit. Eò (inquit) tum pontificatus deuenerat, ut qui plus largitione & ambitione, non dico sanctitate uitæ & doctrina, ualeret, is tantummodo dignitatis gradum, bonis oppreßis & reiectis, obtineret. Quem morem (ait) utinam aliquando non retinuissent nostra tempora. Sed hoc parum est: peiora (ni Deus auertat) uisuri aliquando sumus. Sic Platina. Ad Syluestrū redeo, quem Cæsar Henricus, relicto Papatu, ad propriā sedem anno Domini 1045 redire compulit, in qua permansit, ut prius, Sabinensis cardinalis & episcopus. Sub præfato Benedicto anno Domini 1039, sexta die Aprilis, magna trabes ardere in cœlo uisa est, iuxta Massæum, lib. 16 Cazimirum, Cluniacensem monachum ac diaconum, idem Benedictus, anno Domini 1041, in regem Polonis dedit, hac lege, ut suis successoribus pontificibus Romanis, de quolibet capite usualem nummum singulis annis soluerent, deinde ut comam capitis non nutrirent. Meminissentq; semper, se Romanæ sedi subditos esse, quod ipsis è monasterio dedisset regem.

89. Gregorius sextus, natione Italus, à Syluestro secundo magicas artes olim edoctus, & Ioannes Gratianus uocatus: archipresbyter seu Cardinalis S. Ioannis ad portam Latinam, Papatum à Benedicto nono, suo propinquo (ut diximus) emit, ac tandē accepit. Pontifex autē post schismata & seditio-

seditiones factus, cum uideret, ut Petrus Præmonstratensis narrat, quòd ecclesiæ bona à prædonibus tollerentur, peregrini ubiq; spoliarentur, & oblationes uiolenter auferrentur (ad aurum cor habuit) admonuit illos primò, excommunicauit postea, ac tum demum in contemptores arma suscitauit. Vnde ecclesiæ bona nō solum recuperauit, sed etiam mirum in modum auxit, occisis oblationum D. Petri raptoribus omnibus. Cuius sæuitia moti Cardinales, simoniacum, homicidam, et humani sanguinis appetentißimum (necromanticum magum addidissent) ipsum uocabant: & cum ægrotaret semel, indignum affirmabant ecclesiæ sepultura. Quibus ille inter cætera respondit: Bellum alijs indixi, ut ciuium damno gloriam emerem clericorum, & hæc rependitis. Ac statim reuelauit. Otho Frisingensis, Godfridus Viterbiensis, & alij authores, tragicam turbationē rerum pontificiarum eius temporis, in hunc modum descripserunt: Benedicto nono (inquiunt) in pontificatu sedente, Syluester tertius, ac non multo pòst Gregorius sextus, eandem sedem inuaserunt. Et anno septimo Imperij Henrici tertij, tres pontifices, tres sedes Romæ sibi cōstituerunt. Vnde schisma horrendum introduxerunt: dabantq; operam singuli, ne alter alteri seditione, impietate & flagitijs esset inferior. Benedictus in palatio Lateranensi residebat. Ex alijs, unus ad S. Petrum, alter ad S. Mariam maiorem, pontificiam sedem collocauerat. Tribus ergo pontificibus urbem totius reipublicæ periculo sic occupantibus, Ioannes Gratianus presbyter eos adijt: cuiq; persuadēs, numerata pecunia, ut Papatum abdicarent. quod & factum est. Hinc Romani Gratianum tanquam urbis liberatorem, pontificem creabant. Henricus Imperator hisce motibus auditis, Romam properè uenit, synodumq; celebrauit. In qua damnabantur tres illi pontificuli, Benedictus, Syluester & Gregorius (tria teterrima monstra) quartusq; constituebatur, Clemens secundus. His addit Benno: Theophylactum (inquit) in fugam coegit: Gregorium in custodiam reclusit, quem postea cum Hildebrando in exilium in Germaniam damnauit: ac Sabinensem episcopum ad sedem propriam redire compulit: cum tamen debuisset tantos idololatras, simoniacos, & hæreticos, æterno carcere ab omni hominum societate separare. Defunctus est igitur Gregorius in exilio apud Germanos circa annum Domini 1049. & non Romæ apud suos, ut apertè mentiuntur Papistæ cum suo Platina: qui dicunt illum nebulonem scelestißimum, resilientibus diuino quodam flatu templi repagulis, in D. Petri basilica, non sine magnæ sanctitatis nota sepeliri. Accedit etiam Vuicelius eiusdem impudentis mendacij cōfirmator. Alij laudant, (inquit) alij secus: sed miraculo corporis eius tumulati probatur, non fuisse hominē malum. Vide hoc loco, qualis sit Papicolarū sanctitas, & quæ eorum miracula. Huius perfidiæ (ait Benno) simul & pecuniæ Hildebrandus hæres extitit, Romam post eius mortem reuersus.

90. Clemēs secundus, natione Germanus, Bambergensis episcopus, & Sindigerus antea dictus, in synodo Romæ, iubēte Imperatore Henrico tertio, uiuentibusq; adhuc tribus alijs pōtificibus, pontifex & ipse creabatur. Iste eundem Henricum coronauit, coegitq; Romanos iureiurando renunciare suo iuri de eligendo pōtifice, ut schismata et simultates, quæ ex pontificum electionibus nasci consueuerant, hoc modo uitarentur. Sunt tamen qui asserunt, dictum Imperatorem, iuramentum hoc à Romanis accepisse, quòd non deberent in futurum sibi arrogare quicquam in pontificis electione. Abeunte itaq; in Germaniam Imperatore, Romani iurisiurandi immemores, ut moris est ipsis, pontificem absq; suis suffragijs creatum, anno Domini 1048, post nouem menses ueneno necabant. Quod uenenum miscuisse scribitur Stephanus, qui in pontificatu succeßit, cui deinde Damasus secundus nomen fuit. Sed Benno Gerhardum Brazutum, Theophylacti atq; Hildebrandi amicum, incomparabilibus maleficijs assuetū, tam nefandi sceleris authorē facit. Inauditæ contentiones his diebus erant circa Missæ uel altaris, ut uocant, sacramentum: multæq; uisiones & miracula, operante Satana, fiebant. Pluresq; doctorum longè aliter loqui de Eucharistia uoluerūt quàm Papa iußit, nisi metu fuissent territi, ut eorum implicita & nimis anxia scripta testantur.

91. Damasus secundus, patria Bauarus, Stephanus Bagniarius antea uocatus, imperante Henrico tertio, pontificatum, nullo cleri aut populi consensu, per uim occupauit. Adeò enim Romæ mos inoleuerat ille, sicut Platina refert, ut cuiq; tunc ambitioso liceret Petri sedem (sic uocant Satanæ sellam & omnium scelerum sentinam) uiolenter inuadere. Sed tam ambitioso dominatu nō diu lætatus est. Vigesimotertio namq; die pontificatus sui, uenenato etiam poculo, per eundem Brazutum, anno Domini

mini 1049 sublatus est. Prædecessoris sui Clementis cancellarius hic erat, & dominum suum ambitione accensus ueneno petijsse dicitur. Sed infamiam esse Crantzius credidit, ab illius artis magistris ipsi impositam, quo tam iniquum facinus à se deriuarent. Et Benno: Theophylactus (inquit) magister Hildebrandi, post fugam tunc Romam reuersus, cum familiari suo Laurentio multis maleficijs sedem illam uexabat, & per literas eiusdem Hildebrandi (regum proditor fuit) ea quæ in palatio Imperatoris gerebantur, perpetuò sciebat. Eo ergo immaniter illos uexante, iterũ Romani consilio Cardinalium, legatos ad Imperatorem ipsum dirigunt, & ut aliquem in Papam eligendum, Romam mittat, exposcunt. Bruno igitur, qui & Leo, ex consilio Cardinalium, Romam inuitus & coactus dirigebatur. In cuius comitatu, nimia Imperatoris indulgentia permissus est reuerti Hildebrandus: sacerdotiũ pariter & regnum, sub specie religionis euersurus, ac iuramenta Imperatori præstita non diu seruaturus. Hæc Benno.

92. Leo nonus, natione Germanus, patria Alsatius, ex comitibus de Dagspurg, comes & ille de Etisheim, atq; episcopus Tullensis, pontificatum (ut referunt authores) hac ratione iniit. Romani pertæsi seditionum, quas excitauerant Papatus inuasores, legatos ad Henricum mittebant, rogatum ut pontificem ipsis daret. Alterna inuidia magis (inquit Crantzius) quàm honore regio moti, id Imperatori deferebant. Vnde obtulit eis Imperator Tullensem episcopum Brunonẽ (id erat ei nomen) simplicẽ ingenio uirũ: quum inter episcopos Germaniæ alius non esset, qui ueneficis Romanis præfici uellet. Is pontificali habitu cum illis proficiscens, abbatem Cluniacensem, & Hildebrandum monachum, multarum calamitatum authorem, in itinere obuios habuit. Qui uidentes eum pontificijs ornatum insignijs, apostaseos crimen illi odiose impingebant, quod ab Imperatore authoritatem suscepisset, cum prius debuisset, cum prædecessore Syluestro secundo, Draconem adorare, Apoc. 13. et ab eo uires ac potentiam sumere. Persuadebant ergo illi, ut deposito habitu pontificio, Romam consueto cultu peteret, dicentes: Imperatori non esse concessum ius eligendi Papam (egregiè mentita est sibi iniquitas) sed clero ac Romano populo: tam bene memores iuramenti sui boni patres erant. Bruno admonentibus morem gessit, & in habitu priuato Romam uenit. Fatebatur delictum coram patribus, Hildebrando persuasore: & eo libentius pontificem eum creabant, quòd confiteretur Pontificis electionem ad clerum pertinere, non ad Cæsarem: & propterea Leonem illum appellabant, cum merus esset asinus. Inde Hildebrandum ipsum Cardinalem fecit, ac pontificij muneris consortem, committens ei curam ecclesiæ S. Petri. De quibus sic habet Benno: Vt Romam uenit, à Leone obtinuit, ut fieret unus de custodibus altaris S. Petri: Et breui loculos impleuit: atque ut pecuniã illam ad quotidianum lucrum alicui committeret, cuiusdam Iudæi filium, nouiter baptizatum, sed nummulariorium mores adhuc retinentem, familiarem sibi fecit. Et iam diu sibi conciliauerat alium quendam (ut dictum est) incomparabilibus maleficijs assuetum, Gerhardum Brazutum, Theophylacti amicum: qui subdola familiaritate, sex dicitur Romanos põtifices, intra spacium tredecim annorum, ueneno suffocasse. quorum hæc sunt nomina: Clemens secundus, Damasus secundus, Leo nonus, Victor secundus, Stephanus nonus, & Nicolaus secundus. Et ipsum postea Theophylactum, antiquum dominum suum ac magistrum, pœnitentiam magnam simulantem, idem Hildebrandus Leoni Papæ in dolo recõciliauit, ita ut eius etiã consilio in pluribus duceretur. Hæc ille. Henricus Imperator Beneuentum urbem Leoni dono dedit: & ille uicissim Bambergensis ecclesiæ tributũ remisit, palliumq; episcopo dedit. Vercellis cõcilium Leo coegit, Berengarij doctrinam de sacramento damnans, quod nollet eucharisticum panem Dei loco adorari. Moguntiæ quoq; synodum habuit, in qua pro sacrificulis ac monachis statuta quædam fecit, ne canes uel aues alerent, aut profana tractarent. Sacerdotum coniugium, sanctissimum Dei institutum, impulsore Hildebrando, in perpetuum hypocrita illic damnauit: & ecclesiastica beneficia à laicis dari, pro simoniaca hæresi haberi: deinceps impostor decreuit. Cantus de sanctis aliquot, Sigeberto teste, composuit: & clericorum domos, ut casti fierent, prope templum extruẽdas esse statuit. Cum autem Normanni potenter in Apulia regnarent, Hildebrando ac Theophylacto, quorum non intellexerat dolos (ut Benno testatur) instigantibus, exercitum in eos duxit. Sed quia Theophylactus (inquit) manifestè eum lædere non audebat, simulato obsequio cum illo manens, & ingressus atq; egressus ipsius explorans, singula per secretos nuncios intimabat

mabat Normannis, ac in eorum manus, Hildebrādo dictante, ipsum Papam tradidit. De quorum manibus uix Papa, interfectis per proditionem suis Teutonicis, desolatus euasit. Qui tamen Romam reuersus anno Domini 1054, hausto per Brazutum ueneno, diem protinus post quinq; Papatus annos clausit extremum.

93. Victor secundus, natione Germanus, patria Bauarus, Gebehardus antea dictus, episcopus Eistetensis, ex Henrici tertij imperatoris sententia, post Leonis mortem, pontifex hoc modo declarabatur. Accipe prædicti Bennonis testimonium: Leone (inquit) post modicum defuncto, Theophylactus de parentum potentia præsumens, Romanam ecclesiam, quam prius toties uexauerat, iterum uexare non destitit. Interim Hildebrandus, nouus Proteus, nouis tergiuersationibus præsumens, de Roma ad Imperatorem, & de Imperatore ad Romam, absq; Romanæ ecclesiæ consilio discurrebat. Et si quis alius interea in Papatum eligeretur, quàm ipse, prædictus mox aderat Brazutus, familiaris eius, qui breui illum ueneno suffocaret. Tantum ille. Romani timentes Henrici potentiam, de ordinando pontifice non audebant noui aliquid attentare, cōtra iusiurandū dicto imperatori sub Clemente secundo prius datum. Mittunt ideo pro eligendo pontifice ad ipsum Imperatorem, nuncium Hildebrandum, qui tum filium eius Henricum iuniorem, authoritate suæ legationis fretus, imperij successorem designauit. Victor inde pontifex eligebatur, non tam liberis suffragijs, quàm ut Henrico gratificarentur in eligendo pontifice Germano. Hic Victor magnam synodum Florentiæ cōgregauit: in qua complures episcopos de symonia, hoc est, quod à secularibus dominis, et non ab eius sanctitate honores ac dignitates pro lucro susceperant, & fornicatione (uxoratos fortasse, Romanorum Sodomitarum more, pro fornicarijs habebat) suis decretis, non Dei uerbo, conuictos, episcopatu ac functione priuauit. Proposuitq; clericis grauissimas pœnas, ne in his quæ ad illum pertinebant, delinquerent. In pontificatu hic Victor, parum excessit biennium: et anno Domini 1057, prædicti Brazuti ministerio, ad Hildebrandi nutum, ueneno absumebatur.

ALFRICVS GRAMMATICVS. XLI.

Alfricus Grammaticus, monachus, Ethelvuoldi discipulus, & post illum abbas Abindonensis, dum uiueret, ut Lelandus rem narrat, sui memoriam aliquo literario monumento quàm longissimam facere studebat. Itaque ueterum grammaticorum secutus authoritatem, Grammaticen & ipse in gratiam studiosæ pubis, Latinosaxonicā edidit: opus, ut tum quidem uidebatur, & doctum & utile. Sed quod sperauit ille apud seros nepotes, de nominis sui fama, tantum abest ut hac nostra ætate sit consecutus, ut eius opusculum puluere obsitum, in aliquot delitеat bibliothecis. Fuit hic aliquando Vuellensis episcopus: et ob astutiam in promouendo Papismo, demum Cantuariorum primas atq; archiepiscopus: qui & in florenti ætate composuit

Grammaticam quandam,	Lib. 1. Ego Alfricus ut minus sapiens.
Dictionarium Latinum,	Lib. 1.
Super Gregorij Dialogis,	Lib. 4.
Sermones 180.	Lib. 2.
Donatum uertit,	Lib. 1.
Genesim transtulit,	Lib. 1.

Atq; alia plura fecit. Purgatorij fornacem flammeam, absq; Dei uerbo cōflatam, monachorum culinis ualde utilem esse uidens, Gregorij dialogos, pro eius tuitione futura uidebat. Obijt anno Christi 1006, & archiepiscopatus sui 13, Cantuariæ sepultus.

VVOLSTANVS VVINTONIENSIS. XLII.

Vvolstanus, monachus, Vuintoniēsis cœnobij discipulus, atque idem alumnus fuit (Lelandus inquit, ne filium diceret) Ethelvuoldi episcopi: qui canonicis expulsis, monachos in Vuintoniensem ecclesiam uio-

lenter induxit. Carmē præter cætera iuuenis coluit: cuius illecebris captus, ægrè aliquādo liberiorem dicendi campum ingrediebatur. Nec defuit uox bene canora, ut neq; summa canendi peritia, quo utroq; nomine collegianis suis ter charus fuit. Vnde tandem & præceptor ab illis factus, quod magistratus genus apud monachos in magno olim erat precio: stylo mediocri composuit, atque Elphego præsuli dedicauit, à præfato Ethelvuoldo anno Domini 970, collectis eius osibus factam,

Suuithuni translationem, Lib. 1.
De miraculis eiusdem, Lib. 1.
Vitam Etheluuolphi regis, Lib. 1.
Vitam Etheluuoldi episcopi, Lib. 1.
De tonorum harmonia, Lib. 1.

Et alia plura. Quod Lamfridus, eiusdē cœnobij monachus, prosa, hic nunc carmine de Svuithuno fecit. Claruit anno à ueri Mesiæ natiuitate 1000, sub Anglorū rege Ethelredo, qui Danorū tyrannide ac tributo molestabatur.

OSVVALDVS VVIGORNIENSIS. XLIII.

OSvualdus, monachus Vuigorniensis, teste Lelando, genus nō ignobile (utpote monasticū ac pontificale) ab Osvualdo episcopo Vuigorniensi duxit. Monasteria Galliæ Belgicæ celeberrima, ab eodem episcopo collocupletatus, faustisimis planè auibus petijt, fanum uidelicet Bertini, fanum Vedasti, & Corbeiam: deinde & fanū Dionysij Parisiensis, ac Latiniacum Fursæi collegium: postremò & Floriacense cœnobium. Constantinum monachum Floriacensem, Grammaticum insignem, sed necromanticum infamē, ut in uita Hildebrandi Benno Cardinalis docet, præcipuum inter amicos transmarinos habuit. Cuius uestigia in literis persecutus (uide monachorum opera circa Satanæ solutionem, Apoc. 20.) partim carmine, partim soluta oratione contexuit

Quasdam inuocationes, Lib. 1.
De componendis epistolis, Lib. 1.
De edendis carminibus, Lib. 1.

Et alia plura. Prædictas inuocationes mortuis creaturis factas, Lelandus uocat precationes sacras. Claruit Osvualdus anno à salutifero Virginis partu 1010, Danis ob neglectum Dei cultum, calamitose Angliam uastantibus.

APPENDIX.

Circa annum à Christi natiuitate millesimum, miracula ista fiebant. Terræmotus magnus erat, cometes horribilis apparuit, sol obscurabatur, luna uertebatur in sanguinem, scripturæ negligebatur, Sathan soluebatur à uinculis, surrexit Papa quasi à mortuis. Fiebat mox illi uicarius, Syluestro secundo, necromantico monstro, dixissem monacho, in eius uerba iurante. Papa aduocabat in consilia diabolum. Sibi aduersantibus toxica procurabat. Ecclesias, unctiones, sacerdotia, corpora, animas, terras, cœlos, Deum, atq; omnia uendere cœpit. Iuxta illud Mantuani:

— Venalia Romæ
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignes, thura, preces: cœlum est uenale, Deusq;.

Monachi malis artibus, honores ambire & tyrannides exercere tentabant. Cæsaris electio ad pontificem deuenit, Missa Papistica maturitatem suam ostendit. Eius superstitiones confirmabant quidam in Saxonia saltantes. Odilo abbas ex Aetnæ incendio animarum festū trahebat. In Anglia fames erat inaudita. Gens facta est sub Danorum tributo. Vrbes ferro et flamma corruerunt undiq;. Hierosolyma à Turcis occupata fuit. Arabes destruxerunt ecclesiam Dominici sepulchri. Bruno Augustensis episcopus ob extortum à presbyteris cœlibatum, occidebatur, amputatis manibus, pedibus

bus, & capite. Magni præsules etiam hominibus post mortem apparebant, nigris equis, ursis, asinis, porcis, canibus, et alijs adhuc bestijs similes. Ex antiquitatibus Gasparis Bruschij. Circa annũ Domini 1030, monachi Fuldenses, habitum & tonsuram, regulamq́; Benedictinæ professionis acceperunt.

ANDREAS LEVCANDER. XLIIII.

ANdreas Leucander, aliàs Vuhyteman, iuxta Lelandum, monachus & abbas Ramesiẽsis cœnobij apud Giruios tertius fuit. Hic bonis artibus studio quodam incredibili noctes atq; dies inuigilabat: & operæ precium ingens inde retulit. Accesit præterea & ardens quoddam desideriũ, ea proprijs & apertis oculis uidendi loca, in quibus seruator Christus redemptionis nostræ mysteria omnia cõsummauit: quorum prius sola nomina ex scripturarũ lectione nouerat. Vnde & sacrã Hierosolymorũ urbem, miraculorum, prædicationis ac passionis eius testem inuisit. Atq; domum rediẽs, post Iuonis Persarum nationis episcopi in Anglia sepulti translationem: cuius ossa putrida Ailvuinus Ostroanglorum comes spiritu fanatico instimulatus quæsiuerat (nam in promouenda idololatria, suis semper utitur diabolus instrumentis) & Eadnothus abbas Ramesiæ primus, Slepiæ Giruiorũ postea inuenerat: hic tertius accessit, ac elaborata oratione perscripsit

Eiusdem Iuonis episcopi uitam, *Lib. 1.*
De suo itinere sacro, *Lib. 1.*

Atq; alia quædam. Claruisse fertur Andreas anno nati Seruatoris 1020, sub Canuto Dano, Anglorũ rege. Præfatam Iuonis episcopi uitam postea inuentam, Gotcelinus Bertinianus auidè legens & excutiens, elegantiorem aliquanto super ea librum edidit.

APPENDIX.

Post annum Domini millesimum, fuit electio Papæ penes Cardinales, consensu totius cleri, ut habet Ioannes Baconthorpius 10 quæst. Prologi super quarto Sentent. Vnde à Syluestro secundo, tunc Papa, ad Gregorium septimum, prælati & monachi famosi fuerunt incantatores, Iamnem & Iambrem Aegyptios magos præstigijs superantes. Vide Bennonem in uita Hildebrandi. Vuicleuus fatetur, ab hoc anno incœpisse hæresim de hostia cõsecrata. Exinde enim monachorũ hypocrisis per cæremonias fucatas, hominũ mentes à Deo ad creaturarũ perduxit cultum, adiunctis philosophorum placitis: quo fortius decipiant, ac scripturas subtilius deprauẽt. Et in rabie ac liuore prælatorum aduersus Gallos, translatum erat Imperium ab illis ad Germanos, qui tunc erant monachorum tragœdijs, cæteris mundi nationibus erga religionem illam feruentiores facti. Atq; anno sequenti, scilicet millesimo primo, septem Imperiales electores constituti sunt, cum ordinatione quadã in perpetuum duratura, ut deinceps authoritatem omnem à Romana bestia caperet Cæsar. Vide Ringmannum Philesium in descriptione Europæ. Hac occasione plumas nonnullas amisit aquila, quæ & tandem relinquetur nuda: Vt Guilhelmus Caxtonus habet 6 Chronicorum parte. Anno salutis 1012, circa Angliam Oceanus, nulla cognita causa, mirum in modum creuit. Haud multo pòst insula in Dacorum ditionem redigitur. Polydorus lib. 3. de Prodigijs.

CANVTVS ANGLORVM REX. XLV.

CAnutus Danus, Anglorum rex, Svuenonis filius, iuuenis optimæ indolis, altitudineq; animi & Christiana modestia insignis, Anglos suos omni liberalitate ac humanitate, in fide tenere maximè studebat. Qui ut diuina ope (inquit Polydorus) in bene administrando regno iuuaretur, fertur secundum Deum in primis D. Eadmundum, Svuenoni patri antea iratum (talia tunc erant monachorum ludibria) precibus & muneribus multis sibi placandum curasse. Ita Buriense templum uarijs donarijs ornauit. & eiectis anno Domini 1020, ob uxores, sacerdotibus, monachos amplis prædijs

dijs ditauit. Erat Canutus mediocri uir statura, sed uiribus atque animo ingenti, & qui assentatores, demptis monachis, ferre non poterat. In quadam apud Noruuegios pugna, Anglorum uirtutem & fidem expertus, mirificè postea ipsos dilexit, maximisq; præmijs remunerauit. Vuintoniam profectus semel, coronam quam gestabat, capiti crucifixi simulacri, suis manibus imposuit: quo significauit eius temporis reges, non reges esse, sed sola regū simulacra & imagines bestiæ, Apoc. 13, dum ciuitates suas omnes in pace, officio & amicitia contineret. ex collectis prædecessorum regum placitis congessit

Consuetudines Angliæ, Lib.3.
Canuti instituta centum, Lib.1.

Edgardi etiam leges in Oxoniensi parliamento anno Domini 1026, authoritate sua regia cōfirmauit ac stabiliuit. Decessit Canutus post annū uigesimum quàm regnare cœperat, anno Christianæ salutis 1037, & Vuintoniæ sepultus est.

ACHELNOTVS CANTVARIVS. XLVI.

ACHelnotus, ex Cantuariensis ecclesiæ decano, archiepiscopus factus, genere quidem Anglus, Liuingo primati mortuo, in eadem sede successit. Qui dum ex more Romam adiret, ut sumpto metropolis suæ pallio, in Antichristi iuraret fidem, apud Papiam Insubrum urbem, Augustini doctoris sancti brachium, uno auri talento & centum argenti cōparauit, atq; ad Leofricum Cestriæ cōsulem, Couentriæq; comitē pro idololatria promouēda misit. Fuit ille Canuto Anglorum regi adeò charus, ut eius opera & ingenio, Polydoro teste, in rebus agendis sit maximè usus. Ipsum re uera suis incantationibus fecit Romam quàm superstitiose proficisci, aliorum filios credere suos esse proprios, iratum timere mortuum Elphegum, illiusq; cadauer putidum ex Londino Cantuariam transferre, & regni Angliæ diadema regium, ligneo illi crucifixo idolo (quod in Vuintoniensi synodo, per perfidum monachum ex calamo loquentem, clericorum nuptias damnauerat) tanq; regi legitimo resignare. Edidit iste præstigiorū pontifex,

De diuæ Mariæ laudibus, Lib.1.
Ad Leofricum de Augustino, Lib.1.
Epistolas ad diuersos, Lib.1.

Feruntur & alia. In libro de Mariæ laudibus, Fulbertum episcopum Carnotensem, eius uirginis in ægritudine quadam suxisse mamillas narrat. Mortem uerò obijt anno incarnati uerbi 1038, Haraldo primo regnante.

HVCARIVS LEVITA. XLVII.

HVcarius Leuita, genere Cornubiensis, ut Lelandus cum colorib. pingit, quantum ad theologiæ cognitionem diuinam quidem illam pertinet, fama non leuis enituit. Et eo potissimum tempore uiguit, quo bonæ per uniuersam ferè Europam literę, barbarie quadam undecunq; præualente, tantum non interierant. Vt autem studiorum cursum fœlicius absolueret, fanum Germano sacrum apud suos, Musarum meditabūdus petijt. ubi & Leuita factus, partim cōcionando, partim etiam scribendo, insignem apud cunctos gratiam prudens sibi comparauit. Pauci tamen his diebus erant, qui zelo ueritatis adacti, irrepentes in Ecclesiam superstitiones innumeras perstringebant. Sed pro beneficijs & dignitatibus consequendis, in detrimenta animarum ubiq; per mundum adulabantur. Scripsit Hucarius ex libro constitutionū ecclesiasticarum Egberti archiepiscopi Eboracēsis, præceptoris Albini

Excerptiones

Exceptiones quasdam,	*Lib.1.*
Homelias centum & decem,	*Lib.1.*

Et alia quædam. Claruiſſe fertur anno Domini 1040, ſub Haraldo primo Anglorum rege. His diebus initium habebat ieiunium feriæ ſextę, conſentientibus Gallis & Anglis: docebantq́, ieiuniũ in pane & aqua ſufficere ad remiſsionem omnium peccatorum.

IOANNES GARLANDIVS. XLVIII.

IOannes Garlandius, grammaticus & poeta, à primis pueritię ſuæ annis, bonis artibus et eloquentiæ, quales illa dabat ætas, ſe totum conſecrauit. Accreſcente poſtea annorum curriculo, dum Anglia Danorum incurſionibus uaſtaretur, relictis patriæ ſuæ gymnaſijs, ad transmarina ſtudia ſe contulit: ubi ſcientias liberales in maiori copia, & ore pleno, ueluti ab ipſo fonte hauriebat. Hac aſsidua poſt honeſtam educationẽ diligentia & induſtria, quam ſtudijs his impendebat, ad unum omnes qui cum illo unà diſcebant, facilè uicit. Qui labor adeò non fuit inutilis, ut inde eximium gloriæ nomẽ ſibi ſtatim comparauerit. Nam dexteritate & facundia eius delectati quidã nobiles, propoſitis conditionibus honeſtis illum retinuerunt, ut Latinę linguæ elemẽtis ac poeſi pubem excoleret. Vnde breui ad eum magnus ſcholaſticorum cõfluxit numerus, quos publicis lectionibus ad honeſta ſtudia incitauit. Compoſuit tandem in gratiam poſteritatis opuſcula multa, quorum Boſtonus Burienſis in magno ſuo Catalogo, ſequentes ferè titulos habet omnes,

De dictionibus obſcuris,	*Lib.1. Dictionarius ad res explicandas.*
De accentu,	*Lib.1. Eccleſiæ ſacræ normam qui noſcere.*
Myſteriorum eccleſiæ,	*Lib.1. Anglia quò tendis, tua dum.*
Vnum omnium,	*Lib.1. Commoda neglectis dum quærunt.*
Satyricum opus,	*Lib.1. Scribo nouam tandem ſatyram.*
De miraculis D. Mariæ,	*Lib.1. Fecit Deus mirus mirum, dum.*
Epithalamion eiuſdem,	*Lib.1. Nobilis erigitur mundi præfecta.*
Opus ſynonymorum,	*Lib.1. Ad mare ne uidear latices.*
Aequiuocorum opus,	*Lib.1. Auguſtus, ti. to. Cæſar uel.*
Computum & tabulam,	*Lib.1.*
Ortolanum,	*Lib.1.*
Cornutum, ſiue diſticha,	*Lib.1.*
De pœnitentia,	*Lib.1.*
Auream gemmam,	*Lib.1.*

Et alia plura. Claruiſſe illum ſcribit prędictus Boſtonus, anno Meſsię incarnati 1040, Haraldo in Anglia regnante. Cazimirum monachum & diaconũ eodem anno papa Benedictus nonus Poloniæ regem facit.

HAYMO ARCHIDIACONVS. XLIX.

HAymo Anglus, honeſta familia natus, ſub pręceptoribus bonis, ſuam iuuentutem literis & humanis & diuinis adornabat ſplendidè. Dum uerò in Anglia tumultuarẽtur Dani, pro corpore ſeruando prudens in Gallias uenit: & ad fanum Dionyſij fit monachus primò, poſtea Pariſijs sacrarum literarum doctor: ac tandem reuerſus in patriam, Cantuarienſis eccleſiæ archidiaconus. Inter ethnicos enim didicerat, etiam ab ipſo Platone, quid philoſophari ſit, nempe Deum amare ſuper omnia. Hanc cognitam & probatam philoſophiam, non modio ſupponere, aut ſibijpſi ſeruare, ſed accepti talenti copioſus expoſitor, cæteris impartiri curabat. Porrò prædi-

cabat Dei uerbũ, quamplurimo Christianę plebis lucro, sed non sine supercilíosa suorum Pharisæorũ exprobratione, quòd eorum læderet quæstum. Erant eo tempore, qui ad crumenas & uentres omnia trahebant, ut est in superioribus dictum. Aduersus hos disceptationibus agebat uir pius, ne hominum conscientias denuò captiuarent, quas aduentu suo Dei filius Christus liberrimas fecit. Congessit inter cætera ingenij monumenta, ut testes sunt Petrus Equilinus & Bostonus Buriensis, in suis Catalogis,

In pentatheucum Mosi,	Lib. 5.
Super Esaiam,	Lib. 2. *Esaias propheta magnus.*
Super Machabæos,	Lib. 2.
In Epistolas Pauli,	Lib. 14.
In Apocalypsim Ioannis,	Lib. 8. *Planior fit sensus mysteriorum.*
Homelias epistolarum,	Lib. 1. *Ad Romanos Apostolus scribens.*
Homelias Euangeliorum,	Lib. 1. *Legitur Genesis uicesimoocta.*
Detectionem corporis Dionysij,	Lib. 1. *Liquet nobis ex ueterum trad.*
De rebus monachorum,	Lib. 1. *Vt enim ad res monachorum.*
Memoriam rerum Christianarum,	Lib. 10.
De fructu incarnationis,	Lib. 1.
De sanctorum imitatione,	Lib. 1.
Pugnam uitiorum & uirtutum,	Lib. 1.
De quibusdam martyribus,	Lib. 1.

Atq; alia nonnulla. Claruisse Haymonem Bostonus scribit, anno post Seruatoris natiuitatẽ 1054, sub Edvuardo Simplice Anglorũ rege, pacatis in Anglia rebus. Et Cantuariæ tandem 9 die Octobris obijsse fertur.

MARBODVS BRYTANNVS. L.

MArbodus Euanx, Brytannus, ex Cambria fertur natus: qui probatæ uitæ presbyter, ita à iuuẽtute literas bonas excoluit, ut illas solas, pro animi ornamento necessarias duceret. Quæ opinio hominem adeò non fefellit, ut postmodum causa illi unica fuerit, ad honoris gradus altiores. Vnde, dum essent Angli sub immanissima Danorum tyrannide, ad Armoricanos Brytones, ueteres cognatos & amicos, ipse nauigio properabat: à quibus fit statim ob eruditionem non uulgarem, sede tunc uacante, episcopus Redonensis. Accedamus ad Syluestri Gyraldi, chronographi celeberrimi, testimonium, lib. 4, cap. 16 Speculi Ecclesiæ: Marbodus (inquit) bonarum literarum magister eruditus, colores rhetoricos, & tam uerborũ quàm sententiarũ exornationes uersib. egregijs declarauit. Idem affirmat Lilius Gyraldus, Italus, in Vitis poetarũ. Scripsit hic Pontifex plura, tam prosa quàm carmine, præsertim

In Cantica canticorum,	Lib. 1.
Passionem Thebæorum,	Lib. 1.
De lapidibus & gemmis,	Lib. 1.
Carmina sententiosa,	Lib. 1.

Et alia plura. Claruit anno à Christi aduentu in carnem 1050, sub prædicto Edvuardo Anglorum rege. Citatur aliquando à Vincentio, Alberto, & alijs. Contentiones & reuelationes his diebus fiunt circa Eucharistiam.

DE PAPIS, VEL ANTICHRISTIS Romanis.

94. *Stephanus nonus, patria Lotharingus, ac ducis frater, Cassinensis abbas, & Fridericus antea nuncupatus: Victore Papa mortuo, omnium suffragio ad pontificatũ sine Cæsaris (ut apparet) consensu*

sensu assumebatur. Qui statim curauit, ut Mediolanensis ecclesia, quae à Romana Babylone ducentis ferè annis se subtraxerat, nunc demum eidem obtemperaret, ac matrem (totius impudicitiae monstrũ potius) agnosceret. Henricum quoq; Imperatorem, ante Papatum haereseos accusasse dicitur (delirans hypocrita) quod Romanae sedis authoritatem (noua haeresis) aliquantulum imminueret. Audiens etiam, simoniaca contagione (ut ipsi definierant) ecclesias passim per Italiam ac Burgundiam infectas esse, Hildebrandum illuc misit, ut suo nomine eam tolleret labem, nisi se magnis redimerent precijs. Simoniacam haeresim tunc bestiae & indocti asini uocabant, ut superius diximus, si quisquam à laico, & non ab ipsis, ecclesiasticum acciperet beneficium. Hildebrandus legationem diligenter suscepit, iussaq; strenuè exequebatur, cumulatis undiq; nummis. Stephanus interim Florẽtiae synodum conuocauit, praedictos simoniacos ac fornicarios sacerdotes, ut coniugatos uocabãt paederastae, expugnaturus, & super pluralitate beneficiorũ acturus non pauca. Sed Brazuti pharmaco Hildebrandi impulsu tactus, anno Domini 1058, decimo sui pontificatus mense, in eadem urbe statim occubuit, in cathedrali ecclesia ibidem sepultus. Romam ergo Hildebrandus omni celeritate reuersus, omnis ordinis clericos adesse iussit: praesentesq; sacramento adegit, ne quenquam patrentur in pontificem eligi, nisi sit ille omnium consensu designatus pontifex.

95. Benedictus decimus, patria Campanus, Mincius prius appellatus, & Veliternus seu Veltrensis episcopus: cum Romani tumultuarẽtur, pontificem ex sua gente poscẽtes, pontifex acclamabatur, & clamore populari pro pontifice habebatur. Inijt autem ille pontificatum sub Imperatore Henrico quarto, quando mater eius Agnes pro eo, quinq; annorum puero, regnare coeperat: qui & ipse inuitis Antichristis, quinquaginta annis imperauit. Hildebrando abeunte uersus Florentiam, clerici dabant fidem, se Papam non electuros ante eius in urbem reditum. Seditione ciuium nihilominus moti, absente Hildebrando, hunc Papam creabant. At Hildebrandus indignè ferens electionẽ factam, Benedicto eiecto, quòd ui ac largitione (ut ipse dicebat) pontificatum inuasisset, institit apud clerum, ut Gerhardus episcopus Florentinus, quem secum adduxerat, in Papam eligeretur, se praesente, quemadmodum data fide promiserant sibi abituro. Cum uerò non esset tutum Romae alium eligere Papam, contulerunt se Senas, ibiq; elegerunt praedictum Gerhardum, quem & Nicolaum secundum nominabant. Qui simulac pontificatum suscepisset, synodum Sutrij indixit contra Benedictum: eoq; uocauit Godfridum Italiae ducem, Matildis comitissae maritum, & Gutbertum eiusdem Italiae administratorem, atq; episcopos Lombardiae, Hetruriae, ac Romandiolae. Quod cum intelligeret Benedictus, et in se conspirasse illos duce Hildebrando comperisset, anno Domini 1059 Veltras abijt exulatum, homo quietis amans post nouẽ menses, ac uitam duxit priuatam. Hic non ueneno, ut caeteri (inquit Benno) sed ui ac dolis Hildebrandi eiectus fuit. Anno eodem, nõ procul à Tornaco, multitudo colubrorum praelio concertantes, non antè cessauerunt, quàm industria populi circumstructo igne comburerentur, ut lib. 16. Christianus Massaeus refert.

96. Nicolaus secundus, patria Allobrox uel Sabaudus, Florentinus episcopus, & Gerhardus antea uocatus, Senis, cum Romae non liceret per tumultum, Hildebrandi astutia, sine Caesaris consensu pontifex creabatur. Hic peracta aduersus Benedictum Sutrensi synodo, Romam illinc ueniẽs, apud Lateranum aliud concilium conuocauit. In quo hanc legem tulit, ut non apostolicus, sed apostaticus censeretur, qui sedem Petri (Satanae potius) obtineret, uel pecunia uel fauore (uide artem Hildebrandi) sine unanimi consensu Cardinalium. Deditq; potestatem Cardinalibus, clericis & laicis, talem pontificem anathemate ferire: & quouis loco, si Romae non liceret, synodum aduersus illum conuocare, ac sede propellere. In eo etiam concilio Berengarius Andegauensis archidiaconus, opinionem suam de eucharistia coactus est reuocare. In qua asseuerabat, Christum nõ esse in pane & uino naturaliter, sed sacramentaliter, & tanquam in mysterio, signo, figura, aut sacramento. Romanae terrae capitaneos Nicolaus iste constituit, et Robertum Guiscardum, iuratum mancipium (quod Imperatoris erat) Apuliae, Calabriae ac Siciliae ducem decernebat, uexilloq; donabat, propter initum cum eo foedus. Sic fur furem, & latro latronem iuuabat, iuxta ueterem Rom. pontificum morem. De fictis diris, dolis, mendacijs, insanijs & arrogantijs, quibus in suarum excommunicationum fulminibus utebatur, ut mundo formidabilis esset, sumpto leonis exuuio, Cumanum asinum referens: uide

Barnum in Pontificum uitis. Bennonis cardinalis de isto Nicolao testimonium, hoc loco præterire non potui. Postquam sedit Nicolaus, inquit, Hildebrandus, quia papatum adipisci non potuit, ad archidiaconatum quoquo modo inuadendum se conuertit: & Mancium tunc archidiaconum Rom. ecclesiæ multis iniurijs afflixit ac circumuenit. Qui uictus contumelijs & dolis, atq; eius Hildebrandi pecunia deceptus, ad ultimum concessit, ut illius uice archidiaconatu fungeretur. Hac concessione arrepta, Hildebrandus Papam Nicolaum ex improuiso aggressus, coegit inuerecundis precibus, & militum minis, quos pecunia collegerat, metum mortis etiam quibusdam terribilibus significationibus incutiendo, ut eum archidiaconum ordinaret atq; constitueret. Et post paucos dies, anno scilicet Domini 1062, ipse Nicolaus defunctus est, ueneno (ut dicitur) à Brazuto Hildebrandi complice, suffocatus. Cardinales autem, Hildebrandi ambitionem nõ ignorantes, Imperatorem multis precibus coegerunt, ut eis in electo suo Parmensi episcopo Cadolo fauorem & auxilium præstaret. Quod factũ, cor Hildebrandi altius percußit, & manifestè factus est ex illo die Imperatoris inimicus. Omnia iuratæ fidelitatis uincula disrupit: & facta conspiratione cum inimicis Imperatoris, et cum Normannis: (ut quem Cadolo à Cardinalibus electo opponeret) Anselmũ Lucensem episcopum decepit, & eum in Papam eligi à quibusdam Romanis fecit, ipsumq; mutato nomine Alexandrum secundum uocauit. Anselmum igitur, quem sub dolo Romani elegerant, pariter et Parmensem episcopum Cadolum, quibus poterat artibus Hildebrandus uexabat, qui utriq; succedere anhelabat. Hæc Benno.

97. Alexander secundus, patria Mediolanensis, episcopus Lucensis, & Anselmus antea dictus, uulpina Hildebrãdi calliditate, ut sibiipsi ad Papatũ uiam sterneret: Romæ absens electus fuit in pontificem, Imperatore neq; salutato neq; consulto. Huic Longobardi, ex Imperatoris consensu, alium opposuerunt pontificem, quem ipsi Basileæ in comitijs eo præsente elegerant, Cadolum nomine (ut dictum est) episcopum Parmensem. Qui magno cum exercitu Romam obsedit: cõmissoq; prælio uno atq; altero, cum suis est fugatus. Henricus uerò Imperator, ut schisma tolleretur, Othonem Coloniẽsem archiepiscopum cum sua authoritate illuc misit. Qui Romam ueniens, multis egit de Imperatoris iure in eligendo Pontifice: & Alexandrum, qui sine eius consensu electus esset, grauiter incusabat. Tunc Hildebrandus, ad hominum perniciem natus, & propter uictoriã nuperrimè partam elatior factus, orationem archiepiscopi interrumpit, acriterq; tuetur pontificis partes, electionem eius asserens esse apud clerum. Otho plus fortaßis in ea re pontifici quàm Imperatori deferens, facile cedit, petitq; ut synodus pro sedãdo schismate Mantuæ cõgregaretur. In qua constituit Alexander, non esse Missam audiendam à sacerdote concubinario factam: quod nunc obsoletum uidetur, alioqui nemo missas audiret sub toto ferè Papatu. Deinde maritos episcopos, presbyteros ac diaconos, beneficijs priuandos esse uoluit. Filios tamen sacerdotum, sacris initiari licere permisit, interposita põtificis authoritate. Papam à solis Cardinalib. eligi decreuit, & alia plura pro clericis ac monachis fecit. Alleluya quoq; à Septuagesima usq; ad Pascha suspẽdi præcepit. His temporibus, episcopi plusquam principes facti, regibus imperare, ac leges præscribere conantur, decimasq; magna austeritate extorquent. Hæc quoq; fuit eorum uicariorum Christi religio, ut quo uentri luxuiq; suo satisfacerent, non sint ueriti totas nationes bellis immiscere. Accedit nunc Bennonis cardinalis de Alexandro Papa testimonium. Vbi Alexander (inquit) tandem intellexit, se dolis & arte ab Hildebrando & inimicis Imperatoris electum atq; inthronizatum, die quodam cum intra missarum solennia sermonẽ haberet ad populum, prædicauit se nolle sedere in sede Apostolica absq; licentia Imperatoris. Et publicè dixit, se literas huius rei gratia missurum ipsi Imperatori. Quo audito, Hildebrandus multa murmurãdo, uix manus, donec Missa cõpleretur, abstinuit. Missa uero expleta, ipsum Alexandrum cum militari manu ab altari duxit in cameram: & nondum exutum pontificalibus indumentis, pugnis durè colaphizauit, increpans et improperans, quòd uellet inquirere gratiam Imperatoris. Et statuit Hildebrãdus, ut ex eo die nõ darentur ei amplius quàm quinq; solidi Lucensium denariorum. Et extunc Hildebrandus, omnes redditus Rom. ecclesiæ sibi retinuit (Alexandro in uincula coniecto) & immensam pecuniam congregauit. Alexandro igitur sub miserabili iugo Hildebrandi, anno Domini 1074, quodam uespere (non sine toxico fortaßis) defuncto, eadem hora Hildebrandus à suis militibus, sine assensu cleri & populi est inthronizatus, timens ne alius per moram eligeretur. In cuius electione, nul-

lus Cardinalium subscripsit. Ad quam cum ueniret abbas Caßinensis, ait ipse Hildebrandus: Frater, nimium tardasti. Respondit abbas: Et tu Hildebrande nimium festinasti, qui nondum sepulto domino tuo Papa, sedem Apostolicã contra canones usurpasti. Hoc modo inthronizatus Hildebrãdus, qualiter uixerit, qualiter à se Cardinales, qui testes uitæ & doctrinæ eius esse debuerant, remouerit, quam miserabiliter uexauerit, quantis hæresibus mundum corruperit, quanta periuria, quàm immensas proditiones consecrauerit, uix à multis describi potest. Clamat tamen altius sanguis Christianorum, eo authore & incentore miserabiliter effusus. Hæc Benno.

98. Gregorius septimus, natione Hetruscus, patria Senensis, secta uerò Cluniacẽsis monachus, & Hildebrandus antea uocatus, impostor, incantator ac præstigiator diabolicus, inaudita (ut dictũ est) tyrannide Papatum inuasit. Relicto hic olim cœnobio profectus Romam, Laurẽtio archipresbytero sese insinuauit, à quo magicas artes ac necromantiam didicit. Quas artes & ipse Laurentius adhuc iuuenis, à Syluestro Papa secundo eius nominis, Satanico monstro, inter alios hausit. Erat quidem peculiaris neceßitudo inter istum Laurentium, Theophylactum, Ioannem Gratianum, atq; Hildebrandum, archipresbyteros seu Cardinales Romanæ synagogæ. Vnde apud eundem Theophylactum, dum esset in Papatus officio sub nomine Benedicti noni, sua astutia Hildebrandus omnia egit: imò nihil erat actum usq; ad eius pontificatum sub alijs pontificibus, quod ab illius uotis alienum fuerat. Hic cum uellet, teste Bennone, manicas suas discutiebat, et in modum scintillarũ ignis dissiliebat: atq; his miraculis simplicium oculos, uelut sanctitatis signo ludificabat. Et quia diabolus (inquit) per paganos ipsos Christum publicè persequi non poterat, per pseudomonachum, sub specie religionis, nomen eius fraudulenter subuertere disponebat. Scribunt authores, per hunc Hildebrandum, sex aut octo pontifices, Gerhardi Brazuti ministerio, uenenis enecatos esse, ut ita sterneretur ei ad Papatũ uia. Ille tamen in istis turbis, callidè sic omnia egit, ut suspicionẽ optatæ sedis declinaret. Et cum nomine non esset pontifex, re ipsa tamen fuit ordinati pontificis & impiarum eius inuentionũ organum unicum: paulatimq; sub alijs pontificibus machinabatur, quod sub suo pontificatu reddidit effectum. Insignis hypocrita, prætextu canonum ac pietatis: iniustißima & impijssima quæq; effecit. Alexandrum secundum, dominum ac magistrum suum, præsidia Cæsaris quærentem contra suos æmulos, accusauit dicens: Non esse æquum, ut is iuxta canones Pontificia dignitate gaudeat, qui contra canones auxilia peteret à profano principe. Et exautoratum in uincula cõiecit, ac latenter occidit, statim usurpans pontificiam sedem, in ipsius defuncti exequijs. Brazuto ac Iudæo cuidam familiaribus suis (ut refert Benno) pecuniam suam atq; consilia communicauit, et per eos uenales multorum linguas sibi comparauit. Qui altis clamabant uocibus, Alexandro nondum sepulto, Petrus apostolus elegit Hildebrandum: atq; illum sub Gregorij septimi nomine in pontificiam sedem collocabant. Et hoc fiebat anno millesimo post excidium Hierusalem, in quo anno hi Satanæ uicarij palàm cœperunt sibi uendicare Dei nomen, & officiũ atq; uirtutes Christi ueri Dei ac ueri hominis. Nam in huius Gregorij declaratione, uel ordinatione, eodem anno proclamatum fuit, uerum Christi uicarium esse creatum. Ipse quoq; Gregorius aptauit sibi, quæ Psalmo 2. scripta sunt de Christo. Et mutauit leges Christi & Dei omnipotentis patris, prohibendo matrimonium sacerdotibus, & reges deturbando è solijs suis. Qui belli Gog & Magog, Apoc. 20. quo nullum unquam fuit uel pernicio sius uel sceleratius, semina sparsit: quæ & familiaris ipsius, Vrbanus secundus, executus est. Sequentem historiam narrat Benno. Die quodam (inquit) cum de Albano Romam ueniret Gregorius, oblitus est secum ferre familiarem sibi librum necromãticæ artis, sine quo nusquam aut rarò incedebat. Quod cum in itinere ei ad memoriam redisset, in introitu portæ Lateranensis, festinanter uocauit duos de familiaribus suis, assuetos & fidos ministros scelerum suorum. Et ut eundem librum citißimè sibi afferrent, præcepit: ac terribiliter interminatus est, ne librum in uia aperire præsumerent, nec ulla curiositate secreta eius inuestigarent. Sed quanto amplius inhibuit, tanto uehementius eorum curiositatem ad inuestigãda eiusdem libri arcana accendit. Igitur dum in reditu librum reserassent, & diabolicæ artis præcepta curiose legerent, subitò affuerunt angeli Satanæ, quorum multitudine & horrore duo illi iuuenes propè effecti amentes, uix ad se reuersi sunt. Et (ut ipsi retulerũt) maligni spiritus instabãt, dicentes: Ad quid nos uocastis? quare fatigastis? Citò præcipite quod nos agere uultis, alioquin in-

surgemus in uos, si nos diutius tenueritis. Ad hoc alter iuuenum: Festinanter (inquit) muros illos deijcite. Et hæc dicens, manu ostendit muros altos uicinos Romæ, quos in momento maligni spiritus deiecerunt. Et iuuenes, sanctæ crucis signo se signantes, tanto terrore exterriti, trementes & palpitantes, uix Romam ad dominum suum peruenerunt. Hæc Benno.

Inito igitur pontificatu, statim cœpit urgere canones antecessorum pontificum, de Simonia ac cœlibatu, quos fecerant, eius usi astuto consilio. Non ob id, ut beneficiorum ecclesiasticorũ impiam nundinationem tolleret: sed ut aliqua ratione honesti, principibus eriperet potestatem conferendi ecclesiastica officia. Et ut sic redigerentur sub seruitutem Romanæ sedis omnes episcopi, qui propter inuestituræ ius, principibus erant magis obnoxij, quàm pontifici Romano. Atq; cum omniũ principũ summus esset Imperator Henricus, ab ipso sibi faciendum esse exordium simoniacæ tragœdiæ, arrogans nebulo censuit. Concilium Romæ apud Lateranum super his ille cõuocauit: sed bellis occupatus Cæsar, synodalibus contentionibus uacare non potuit. Tam erat cordi nihilominus res ea pontifici, ut eius gratia nec proditionibus nec cædibus parceret: quin multis in locis bella quoq; intestina, & omne calamitatum genus concitaret. Primò enim Imperatoris uitæ insidias struens, uarijs modis eundẽ tollere conatus est: adeò ut in ipso quoq; templo, inter preces illum perdere uoluerit. Historiam sic recitat cardinalis Benno: Imperator (inquit) solitus erat frequenter ire ad orationem, ad ecclesiam S. Mariæ, quæ est in monte Auentino. Hildebrandus autem, cum per exploratores suos omnia eius opera solicitè inquireret, locum in quo frequentius Imperator uel stans uel prostratus orabat, notari fecit. Et quendam promissa pecunia ad hoc induxit, ut supra trabes ecclesiæ (sanctũ Papæ consilium) occultè lapides magnos collocaret, & ita aptaret, ut de alto super caput orantis Imperatoris demitteret, & ipsum contereret. Quod minister tanti sceleris cum festinaret implere, & lapidem magni ponderis super trabes aptare uellet, lapis pondere suo eum traxit, ac fracta sub trabibus tabula, & lapis & ille miser homo, Dei iudicio, in pauimentum ecclesiæ cecidit, & eodem lapide contritus penitus est. Huius rei gestæ ordinem, postquam Romani cognouerunt, pedem illius miseri fune ligauerunt: & triduò per plateas urbis, ad exemplum trahi fecerunt. Imperator autem solita clementia, iussit eum sepeliri. Idem Benno. Ioannes Portuensis episcopus, qui Hildebrando intimus à secretis erat, in ecclesia S. Petri suggestum ascendens, inter cætera multa, audiente clero ac populo, dicebat: Tale quid fecit Hildebrandus & nos, unde deberemus uiui incendi. significans de sacramento corporis Domini. Vt quòd Hildebrandus, responsa diuina quærens (ut olim Pagani à suis idolis) contra Imperatorem, fertur iniecisse igni, (cum non responderet) contradicentibus Cardinalibus, qui assistebant ei. Dictumq; Imperatorem, sine legitima accusatione, sine canonica uocatione, sine iudiciario ordine, obedientem etiam excommunicauit, regni sui principes ab eo separauit, & per occultos proditores perdere parauit: sed Deus illum custodiuit. O' noua proditio, procedens de sanctuario: imò de eo qui uidebatur ut summus sacerdos ecclesiam regere, ac senioribus iudicibus præesse. Ab episcopis etiam cum terrore ac minis sacramentum exegit, ne eius causam defenderent, aut ei in aliquo fauerent, scripturis uiolenter intortis in adiutorium falsitatis. Veruntamen ut primùm (inquit Benno) ad excõmunicandum Cæsarem de sede surrexit: sedes ipsa nouiter lignis fortissimis cõposita, subitò, Dei nutu, terribiliter scissa est in plures partes: ut manifestè daretur intelligi, quòd tam præsumptuosa excõmunicatione, sessor ille terribilia schismata contra Christi ecclesiam seminaret. Hæc Benno.

Cum uerò insidias minus succedere uideret, apertè ui & inimicitijs uti cœpit: ac Henrico excommunicato, omnes à fidelitatis (ut ipsi uocant) sacramento absoluens, imperij coronam Rodolpho Sueuorum duci, hoc barbaro uersu exornatam transmisit:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho. Eam ob rem nõ parum turbatus Henricus, depositis ornamentis regalibus, cum uxore ac filio paruulo, in asperrima hyeme Canusium periculosissimo itinere ad illum uenit. In laneis uestibus, pedibus nudis, spectaculum angelorum & hominum factus (inquit Benno) ante portas ciuitatis, à mane usq; ad uesperam ieiunus, ueniam supplex petijt. Hildebrãdi ludibria inter meretrices & monachos, in lachrymabili afflictione triduò pertulit, cupiẽs ad illum intromitti: sed ingressus denegabatur. Petenti instantius per totum triduum, respondebatur

(ô pessime

(ô pessime Antichriste) pontifici non esse adhuc ocium colloquendi cum eo. Henricus æquo animo ferens, se non intromitti in urbem, mansit in suburbio non sine magna incommoditate. Hyems namq; solito crudelior erat, & cuncta rigescebant. Indesinenter tamen, ne quicquam offenderet, toto triduo permansit, petens sibi ueniam dari. Tandemq;, quarta scilicet die, rogantibus Matilda comitissa, quæ nimium (inquit historia) amabat Pontificem, & Cluniacensium monachorum abbate, Sabaudiæq; comite Adellao, ad Pontificem intromittebatur. Postulanti uerò ueniam, & eius potestati coronam offerenti: pontifex neq; ueniam dare, neq; ab excommunicatione illum absoluere uoluit, nisi prius sponderet, se iuxta sua decreta, uelle culpam (quæ nulla erat) in synodo expiare, cum alijs conditionibus illicitis. Quæ omnia promisit, ac scripto confirmauit: non tamen fuit in regnum restitutus. Ea re cognita (inquit Sleidanus, lib. 3. de Monarchijs) quòd Cæsar Henricus cum Hildebrando in gratiam redijsset, proceres Italiæ uehementer offensi sunt, quòd tam fœdè, tamq; indignè se submisisset illi, qui pessimis artibus Papatum inuasisset, qui cædibus & adulterijs omnia polluisset, &c.

Pontifex inde cum Cardinalibus non parum superbiens, quòd illum sub iugum misisset, maiora præsumere audebat: sed hæc omnia armis ille statim, monente Dei spiritu, uindicabat. Et post bella grauiter gesta, Rodolphũ prælio superauit. Qui Rodolphus, manu dextera mutilatus, iussit ad se accersiri episcopos & primores suæ conspirationis. Quibus præsentibus, allata ad se dextera, sic ait: Rectè mecum factum esse fateor. Hæc est manus, qua fidem ac iurisiurãdi sacramentum præstiti domino meo Henrico. Vobis autem urgentibus, toties tam infœliciter pugnaui contra illum, fidemq; uiolaui. ideo condignam accepi periurij mercedem. Videte an recta uia me duxeritis. Ite ergo, & implete regi uestro primã fidem. nam ego ad patres ibo. Statimq; Rodolphus obijt. Eo sublato, alium pontificis iussu creabant Imperatorem, Hermannum Saxonem, Lucelburgi comitem. Qui nõ absq; Domini uoluntate, dum castellum quoddam in Germania oppugnaret, à fœmina, quæ ex arce grande saxum deuoluit, occisus est. Neq; adhuc coherceri poterat immanissimi huius tyranni malicia, quin tertium contra pijssimum principem proditorem excitaret: nempe Egbertum quendam marchionem, illius consanguineum. Sed & hic in molendino quodam deprehensus, ab ipsis Cæsarianis miserè trucidatus fuit. Sic tutatus est Dominus seruum suum, aduersus malignãtis Satanæ uicarium Papam: dum interim indiuidua comes Matilda comitissa, spreto marito Azone marchione Estensi, eius lateri meretrix adhæreret, S. Petri filia dicta. Vnde factum est (ut scribit Lambertus Hirsueldẽsis) quòd omnes incesti amoris eos insimulauerint, dixerintq; passim, Matildam frui furtiuis complexibus pontificis Romani, & consuetudinem illicitam habere cum eo, qui & sacerdotibus honestum coniugium ademit. Abbas Vrspergẽsis, Conradus à Lichtenauu, hæc addit in suo chronico: Constat Hildebrandum non à Deo electum, sed à seipso, fraude ac pecunia intrusum. Qui ecclesiasticum subuertit ordinem, Christiani imperij turbauit regnum, pacifico regi intendit mortem, periuros defendit, lites fouit, discordias seminauit, scandala suscitauit, diuortia fecit: & quicquid inter piè uiuentes rectè stare uidebatur, concussit, &c.

Primus hic fuit (insignis hypocrita) qui per excommunicationes, Ecclesiæ ministros uxoribus priuauit, ac innumerabilibus pæderastijs mundum impleuit. Ita ut illa Ciuitas magna, quæ uocatur spiritualiter Apoc. 11. Romana scilicet ecclesia, sit deinceps ex præpostera uenere atq; idolorum cultu, ipsissima Sodoma & Aegyptus. Mirabilesq; tragœdiæ per Italiam, Galliam, Germaniã & Angliam fiebant, quas longũ esset hoc loco narrare: & multis eius temporis doctis hominibus hoc institutum displicuit. In Germania enim & Gallia 24 & adhuc plures episcopi fuerunt, qui unà cum clero suarum diœcesium, coniugati fuerant, coniugiumq; suum constanter defenderant: ut de Anglia & Italia nihil dicam. Hæc erant huius Satanici monstri acta pontificalia. Cœlibatus uotum clericis præcepit, sub excommunicationis pœna: monachis omnibus carnis esum uetuit, sabbati ieiunium Christianis imposuit, oblationes in Missarum solennijs fieri decreuit, Liberium Arrianum (hæreticus hæreticum) canonizauit, eius festum (ut habet Benno) celebrari sanciuit, fidelium ministrorum coniugia perpetuò profligauit, suis sacrificis decimas solui mandauit, & coronam per interdictum Poloniæ regi ademit. Berengarij sanctissimi uiri opinionem de sacramẽto damnauit, ac transubstantiationem primus (ut fertur) practitauit. Laicum decimas possidentem, sacrilegij: inuestituras dantem, hæresis: et

à laico

à laico recipientem, idololatriæ censuris constrinxit. Sic plumbeum tandem pontificis gladium adeò fortem reddidit, ut eius ui ferream Imperij uim deinceps obtuderit. Hæc & alia plura referunt Papistæ. Opposuit sese tum demum iniquis Hildebrandi conatibus, Imperator Henricus: & anno Domini 1083, in Brixiensi synodo, ubi obiectis eius criminibus, pontificia sede illum meritò deiecit, & alium pontificem, quem Clementem tertium uocabat, eius loco substituit: copiasq; Romam ad eum expellendum misit, in D. Petri templum cum pontificali habitu Clementem introducens: ac urbem ad eam redegit inopiam, ut cogerentur petere pacem. Hildebrandus uerò cum in conspectum Cæsaris uenire nollet, à Romanis desertus & reiectus, Salernam fugit, anno Domini 1086. ubi & uitam in exilio miser finiuit, qui tot gladio, fame, uenenis, atq; alijs mortium generib. peremerat. Illud tamē Satanæ organū, iactitant Papicolæ, multis post mortem clarere miraculis: postquam sacerdos quidam in Saxonia moriēs, Sigeberto teste, in inferno illum cruciari uidisset. Referūt Antoninus ac Vincentius, Hildebrandum istum in ultimo uitæ suæ articulo ad se uocasse Cardinalem quendam, ac esse professum, se grauiter offendisse, quòd suadēte diabolo, simultates, inimicitias, odia & bella inter multos excitauerit. Iussitq; illum adire Imperatorem Henricum, et ab eo admissorum facinorum ueniam petere. Contra hunc Hildebrandū scripserūt Hugo Candidus cardinalis Prænestinus, Vualramus episcopus Niemburgensis, Venericus Vercellensis episcopus, Rolandus Parmensis sacerdos, Sigebertus Gemblacensis, atq; alij multi. Et Benno 13 Cardinales enumerat, qui illum acriter impugnabāt.

99. Victor tertius, natione Italus, Desiderius antea uocatus, abbas Cassinensis, & Romanæ curiæ Cardinalis, Papatum inijt, non Cardinalium aut Romani populi suffragijs electus, sed à Matilda meretrice ac suæ factionis Normānis intrusus. Qui assumpto mox papatu, Gregorij successor constitutus, Gregorij ipsius partes, à dicta Matilda eius amatrice edoctus, fortiter tueri cœpit, et monachus monachum defendere aduersus Imperatorem & Clementem eius Papam, indignum ratus, ab eiusdem sui prædecessoris diabolicis moribus degenerare. Sed ne illud animi uirus, quòd odio plus quàm Neroniano in eos conceperat, publica aliqua pernicie expueret, uetuit mors, quæ anno Domini 1088, citius opinione sua, uitam cum Papatu finiuit. Tradunt authores, Hermannus Contractus, Carsulanus, Præmonstratensis, & alij plures, ueneno per suum ministrum subdiaconum, dum missaret, in calicem iniecto, perijsse illum. Vincentius tamen (ut Platina scribit) longè aliter sentit, quum dysenteria interijsse hominem dicat: quod à suspicione dati ueneni nequaquam alienum est. Vnde in dysenteriam, ueneno petiti: interdum incidunt, corruptis & labefactatis intestinis. Aliqui Papistarum ab Henrico Cæsare, alij à Clemente pontifice id procuratum esse, maliciose fingunt: cum sit à suoipsius capellano subdiacono facinus editum. Sunt qui eo tempore multa prodigia apparuisse scribant, quòd & aues domesticæ, utpote gallinæ, anseres, columbæ, pauones, ad loca montana confugerint, syluestresq; sint factæ, & pisces tum fluuiales tum marini magna ex parte perierint. Terræmotu etiam quædam urbes adeò concussæ sunt, ut Syracusis maior basilica corruens, dum uesperæ canerentur, omnes qui tum in templo aderant, duobus exceptis, contriuerit.

100. Vrbanus secundus, patria (ut fertur) Hetruscus, Otho antea dictus, monachus Cluniacensis, & sub Hildebrando cardinalis Hostiensis, per eos inuito Imperatore ad Papatū uenit: Matildam scilicet meretricem, ac Normannos Apuliæ dominos, qui & Victorem intruserant. Is ille est Hildebrandi discipulus ac pedissequus, quem Benno cardinalis Turbanum cōtemptim uocat, cæcū, schismaticum, hæreticum, & Liberij Arriani socium. Qui, ne uenenum (inquit) erroris eorum perciperetur, quasi mel ueneficorum more admiscuit. Scripturas enim intentione fallendi mendacijs astutè addidit, & in errore cum suo Hildebrando perseuerans, cum angelis apostatis in abyssum relegatus est. Vrbanus (inquiunt quidam nostri temporis scriptores) turbator orbis, uel potius turbo et procella urbium, Hildebrando familiaris, perniciosa illa rigauit, fouit & produxit semina, quæ ipse iamdudum sparserat. Guibertum Rauennatem, qui & Clemens tertius dicebatur, quòd esset ab Imperatore electus, Imperatoremq; ipsum excommunicauit: atq; ab eodem Clemente, ut Vincentius refert, & ille uicissim excommunicatus fuit. Disputationibus etiam tam inter clerum quàm populum, cuncta illis diebus apud Germanos & alias nationes turbulentissimè perstrepuerunt. Cum autem Vrbanus neminem uellet absoluere, quem dictus Hildebrandus ligasset, de uitæ periculo sibi metuēs, latenter

tenter ab urbe deceßit. Et multas synodos celebrauit: primam Melphi, secundam Troiæ in Apulia, tertiam Placentiæ, quartam in Claro monte, anno Domini 1094, & quintam Turonis. In quibus Hildebrandi pestilentißimi nebulonis acta cõfirmauit, & nouas leges Ecclesiasticas tulit, ne quid de Pontificia authoritate ui aut fraude acquisitum deperiret. Sanciuit, ne à quouis principe beneficiorũ inuestituram clericus reciperet. Ecclesiasticos quosdam, cum Cæsare Henrico sentientes, aduersarios habuit. Ad Matildam igitur, ueterem Ecclesiæ amicam, ac S. Petri filiam, scripsit: es suam synagogã contra illos Christianos, quos hæreticos uocat, fortiter suis fraudibus armauit. Archiepiscopo Mediolanensi propterea pallium dedit, & Cartusiensium ac Cisterciensium monachorum sectas confirmauit. Vacantes uxoribus post diaconatus ordinem, officijs suis priuauit: & presbyterorum filios à sacris exclusit officijs. Archiepiscopum Toletanum in eius uerba iurantem, totius Hispaniæ primatem fecit, ut per eam uiam Hispanias totas sibi subijceret Romana bestia. Principes Christianos ad arma contra Saracenos concitauit, sub recuperandæ Hierosolymæ fuco: trecentaq; hominum millia cruce signauit, dum ille ipse res suas ad diaboli patris sui uoluptatem ageret domi. Regem Galatiæ execrabatur, quòd episcopũ incarceraret. & iuramenta ab ordinandis exegit, cum hac clausula: Ita me Deus adiuuet, et hæc sancta Dei Euangelia. Statuta quædam edidit, scilicet ut horæ D. uirginis (res ualde necessaria) à clericis quotidie dicerẽtur, eidemq; uirgini Sabbati diem cum Missa dicauit. Neminem ad Papisticos ordines admittẽdum esse decreuit, nisi sit uirgo: hoc est, inconiugatus, scortator uel Sodomita, uel uterq;, ut acta probant. Sacrificulos uerò uxoribus carere oportebat, non scortis. Episcopos ordinari sine titulis uetuit, atq; fidem seruari illis quos Papæ excommunicarent. Ioannem Paganum, Romanum ciuem, timens, in domo cuiusdam Petri Leonis biennio latuit, ubi et deceßit anno Domini 1099. cadauerq; eius trans Tyberim, clam metu inimicorum, delatum fuit. Guibertus etiam, qui & Clemens tertius, eodem anno obijt, cum tres Papas sub se mortuos uidisset.

De prædicto Hildebrando, & hoc Turbano eius discipulo, sic scribit Theodorus Bibliander, Ad omnium ordinum principes: Hildebrandus (inquit) concitando Imperatorẽ Græcum contra Turcas, semina iecit expeditionis Gog & Magog. In quem clamat sanguis Ecclesiæ, gladio linguæ eius miserabili perditione effusus. Quæ lingua uerò, aut quis calamus posset exprimere satis, quantum sanguinis Christiani, & omnium propè nationũ, profundi curauerit Vrbanus secundus: ut sub prætextu expeditionis pro Christiana religione propaganda, & recuperando sepulchro Domini, in sedem Romanam, oppressa factione Guibertina, restitueretur? Nota imposturam hanc insignem.

101. Paschalis secundus, natione Italus uel Thuscus, ex Flaminia oriundus, & Raynerus monachus antea dictus: presbyter Cardinalis D. Clementis ab Hildebrando olim præceptore factus, Vrbano secundo in Papatu successit. Hic cum se eligendum cerneret, sellam pontificiam ascendere noluit, superbißimus nebulo, prius quàm populus ter acclamasset: Sanctus Petrus Raynerum uirum optimum elegit. Indutus deinde coccinea chlamyde (iuxta illud Apoc. 17: Et mulier erat circundata purpura & coccino, &c.) thiaraq; capiti eius imposita, deducebatur albo equo uectus, in Lateranum, ubi Pontificium sceptrum illi dabatur, ac baltheo cingebatur: de quo claues septem, & totidem sigilla dependebant, tanquam Papicæ potestatis symbola (ita se exaltabat magnus ille Dei aduersarius & Antichristus) quibus ius Papæ datum esse significabat, secundum septifariam S. Spiritus gratiam (abominatio inaudita) ecclesias claudendi & aperiendi, obsignandi & resignandi. Hoc modo (ait Funccius) eques meretrix, uirilem ætatem nacta, in bestiam illam decacornem ascendit: quam & usq; ad nostram ætatem magno fastu rexit, ut prædictum est in Apo. cap. 13. & 17. Totum uitæ cursum in bellis gerendis ac seditionibus absoluit hic summus in terris Satanæ uicarius. Et ne ulla in re impijßimo Hildebrando haberetur inferior, omnia experiebatur, quæ ad amplitudinem Sathanicæ sedis pertinere uidebantur. Episcopos omnes atq; abbates, à Cæsare constitutos, sedibus furiosè deposuit. Albertum quendam, Theodoricum ac Maginulphum, Papatum ambientes, in exilium pepulit. Romæ cum episcopis Italiæ & Galliæ concilium indixit, anno Domini 1101, ob Fluentini præsulis de nato Antichristo opinionem, ut habet Sabellicus. Ipsum namq; dixerat tunc esse manifestum, cum uidisset in ecclesijs tot mala fieri: sed multis iniurijs illum repreßit. Nuptias sacerdotibus, Hildebrandum secutus, iterum prohibuit, Nicolaitarum hæresim appellans: & Rom. pontificis obedientiam uel

censuram negligere, ac sacerdotij inuestitionem à profana manu agnoscere, hæreses esse maximas pronunciauit. Statutum renouauit de decimis, suis missatoribus dandis, & earum decimarum uenditiones peccata in spiritum sanctum esse uoluit. Excommunicationem in Henricum quartum, pijssimum principem, in eadem synodo renouabat ac promulgabat. Imò in tantum sæuijt huius immanissimi tyranni in illum rabies, ut & eius filium Henricū quintum (dictu certè horrendum) in arma contra patrem excitaret. Quid unquam atrox & crudele, si hoc non sit? Filius, & is unicus, non aliqua uel priuata uel publica iniuria irritatus, patrem non spernit modò, non deserit, non suo destituit auxilio: sed insuper armis petit, obsidione premit, proditione circumuentum capit, imperio spoliat, & miserum captumq́; tristem mortem obire patitur. Et hæc quidem (inquit Rodolphus Gualtherus) non alicuius barbari tyranni iussu, non Phalaridis alicuius instinctu, sed sanctissimi patris (si dijs placet) consilio fiunt. Gaudete (inquit) nunc Caligulæ, exultate Nerones, & quotquot unquam crudelitatis nomine fuistis celebres. Habetis enim, qui dum uos longo post se reliquit spacio, infamia & diri nominis memoria liberat: Romanum uidelicet pontificem, qui in patris uiscera filij gladium stringi præcipit. Hæc ille. Nec ita conquieuit horribilis monstri, Papæ huius, odium, quin in mortuum eius cadauer rabidè sæuierit, exhumari per literas iusserit, extra ecclesiā proijci, à Leodio ad Spiram transferri, & quinquennio carere Christiana sepultura. Sic regem honorabat, 1. Pet. 2. sic Dei institutis obediuit, Rom. 3. superbissimus Antichristus. Sed attende quid interim fecerit Deus. Sanguis (teste Vrspergense chronographo) ex panibus fluxit Spiræ, in signum pontificiæ tyrannidis. Guardastalli anno Domini 1106, conuentum principum & episcoporum habuit, cum quibus egit de rebus fidei, ad culinam pertinentibus, utpote de homagijs, feudis, & episcoporum sacramentis, laicis prius exhibitis. Rauennatem quoq; archiepiscopum terris suis spoliauit, sibijpsi eas adijciens. Cum uerò recusaret, episcopos confirmare ab Henrico quinto constitutos, ab eodem Imperatore post pedum oscula capitur, & in carcerem truditur: nec inde educitur, donec omnes confirmaret: inuestiendi ius, Carolo Magno datum, diplomate restitueret, atq; ipsum Imperatorem confirmaret. Dum in cathedra (inquit Massæus) post Missam se cōtineret Pontifex, ecce milites clamantes, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: tam ipsum quàm totum clerum inuaserunt & abduxerunt, exueruntq́; uestibus adeò nudos, ut ne femoralia reliquerint eis, atque ita spoliatos apud montem Soractim custodiæ mancipaurunt, &c. Compositis tandem dissidijs, & Henrico Imperij diademate insignito, Paschalis ei renouabat priuilegium de prælatorum inuestituris: & coram tota Ecclesia pronunciabat, omnes anathematis reos, quotquot datum priuilegium irritum duxerint. Cantatumq́; est deinde, Gloria in excelsis Deo: quòd pax esset inter Cæsarem & Papam confirmata. Sed eo in Germaniam regresso, singula & omnia quæ magnis iuramentis promiserat, perfidus ac periurus reuocauit, asserens se non sponte, sed coactè in Cæsaris uenisse sententiam. Priuilegium inde damnatur, Cæsarq́; excommunicatur, & mirabiles tragœdiæ fiunt, quæ per omnia regna mox publicabantur. Apud Trecas, in Campania Gallicana, synodum conuocauit, in qua Gallorum sacerdotibus ademit coniugia: sicut ante eius tempora Hildebrandus Germanis, quibusdam ecclesiarū antistitibus è sedibus suis propter ipsa coniugia pulsis. Pontificiam authoritatem amplificare adhuc cupiens, cōtentionem de dandis episcopatibus resuscitabat, quæ fuerat maximæ cladis occasio per uniuersas Europæ regiones. Anselmus Anglorum archiepiscopus & monachus, sophisticis persuasionibus huius pontificis, sicut & Vrbani prædecessoris, augebat impudentias: eorum Romæ consultor, & in Anglia uicarius. Qui Anselmus Henricum primum Anglorum regem, regio iure in ministerijs assignandis, ab Israelitarum regibus, Dauide, Salomone, Iosaphato, Ezechia, Iosia, & alijs Dei authoritate usurpato, tyrannicè priuauit, etiam contra illud Christi seruatoris dictum, Lucæ 22, Reges gentium dominantur, &c. uos autem non sic. Presbyterorum legitimas nuptias, in Anglia perpetuò, ut dictum est, damnauit, contra sanctissimas utriusq; Testamenti leges, & primitiuæ Ecclesiæ manifesta exempla: ut Satana suggerente, in omni Sodomia, Draconi diabolo, atq; eius uicario Antichristo, clerus illic inseruiret. Et alias imposturas fecit. Paschalis autem multarum iniquitatum seminator, anno Domini 1118, carnis indumenta deposuit.

Ex Matthæi Parisij chronicorum libro 2. Huius Paschalis tempore, anno Domini 1103, cum Anselmus Cantuariensis archiepiscopus, regem Henricum primum, Romæ coram illo accusaret (cui potius ex

tius ex

tius ex diuino præcepto obediuisset) quòd quosdam episcopos & abbates ordinasset: Guilhelmus Vuareluuast, procurator atq; clericus ipsius regis, pro eius iure respondens, inter cætera constanter dicebat, non uelle regem pro regni amisione prælatorū inuestituris priuari. Ad hæc Papa: Si, quemadmodum dicis, rex tuus nec pro regni sui periclitatione, donationes ecclesiarum à se alienari paretur: scias præcise, coram Deo loquor, quia nec pro sui capitis precio (superbißimus Satan) eas ei impunè permitterem. Quibus finitis, Anselmus rogabat, ut Papa, contempto rege, degradatis manum imponeret. Tunc sedes clementißima (inquit dictus Matthæus) quæ nulli deesse consueuit, dum alibi aliquid intercesserit, aut rubei, pristinis restituit dignitatibus. Rex ergo Anselmum priuauit omnibus bonis, & archiepiscopatum in fiscum redegit. Et Papæ spiritualem authoritatem nunquam timebat eruditus rex, sed temporalem potestatem tantum. Anno Domini 1110, luna quasi luminis expers, extincta uidebatur. Anno sequenti, apud Rauennā & Parmam, in Iulio sanguinē pluit. Anno Domini 1114, in Decembri, cœlum repentè rubens apparuit, quasi arderet, & luna passa est eclipsim. Tamesis eodem anno per duos dies exsiccata fuit. Anno Domini 1117, tonitrua, grandines, ac uentorū impetus horribiles fiebant, ac tærræmotus magni, qui ecclesias, turres, mœnia, ædificia, arbores, & homines contriuerunt. Anno Domini 1118, Templariorum secta incœpit. Hæc Matthæus.

OLIVERIVS MALMESBVRIVS. LI.

OLiuerius, Malmesburiēsis monachus ac magus (Elmerum Vincentius & Nauclerus uocant) post secularium literarum studia, curiosis artibus, quod monachis commune tunc erat, & mente & animo se totum dedidit. De isto scriptores referunt, quòd quum adhuc iuuenis esset, dæmonum ludibrijs illusus, assumpserit sibi pennas ad manus & pedes: atq; à cuiusdam altæ turris fastigio, instar Dædali, ad stadium uolauerit. Sed quoniā in ipso uolatu, turbinis uiolentia impeditus, pertimescere cœpit, temerarij sui facti fortassis etiam conscius, præceps cecidit, effractisq; cruribus exinde debilitabatur. Hic de quodam cometa seu crinito sidere semel dicebat: Venisti? (inquit) uenisti? multis matribus lugendum malum? Dudum te uidi, sed nunc multo terribilius, Angliæ minans excidium prorsus. Protulit Oliuerius de suo thesauro,

Astrologorum dogmata quædam,	Lib. 1.
De planetarum signis,	Lib. 1.
De Geomantia,	Lib. 1.

Et alia quædam.. Ex poetarum nugis hic portentorum artifex, cœlorum orbes per sua scripta fabricans, non Deo, sed astris, eorum operationes hæreticè tribuit. Claruit anno à Salutis origine 1060, sub Edvuardo rege.

APPENDIX.

Eulogium historiarum, quod quidam huic Oliuerio tribuunt, editum fuit anno Domini 1361, ab alio quodam Malmesburiensi monacho, Eduuardi tertij Anglorum regis tempore: ut habet Ioannes Capgraue, in libro suo de sequacibus Augustini, cap. 10. Quod opus in quinq; libros diuiditur. Primus habet seriem à mundi initio usq; ad ascensionem Christi. Secundus, Apostolorū prædicationes & martyrum gesta. Tertius, Italiæ inhabitationem primam et Imperatorum facta. Quartus, mundi diuisionem cum regnorum ritibus. Quintus, de Brytanniæ primis incolis, & regibus post Brytum, ac de incendijs quæ eorum temporibus contigerunt. Opus incipit: Forma uiuendi, probitatis, &c. Finit anno Domini 1366. Oliuerij prædicti tempore, Romæ floruit Palumbus presbyter, maleficorū antesignanus, qui necromanticis operationibus, ut prælatorum luxurijs in sui cœlibatus remedijs inseruiret, multa miracula fecit. Vide Vincētium, Ranulphum, et Fasciculum temporum. His etiam diebus, tyrannis indocta in re sacramenti disputare cœpit, non scripturis aut Dei uerbo, sed uerberibus, uinculis, carcere & fame, additis quandoq; toxicis. Anno Domini 1050, Nicetas quidam Græcus (teste Sigeberto) sacerdotum coniugium edito scripto contra Antichristum fortiter defendit. Sed aduersus illum scripsit Leo nonus Papa, ipsumq; declarauit hæreticum. Nam sacerdotes ea tempestate uxores,

te uxores, eo modo quo cæteri Christiani, habebant, quæ honesto uocabulo presbyterissæ uocabantur, filiosq; liberè procreabant.

EDVVARDVS SIMPLEX. LII.

EDuuardus Simplex, Anglorũ rex, Ethelredi regis ex Emma, Normannorum ducis Ricardi filia, post longum apud eosdem Normannos exilium, ademptum Danis regnum, Dei dono, & Guilhelmi ducis ope adiutus, demum recuperauit. Primorum suorum consilio regimen adeptus, Editham, Godvuini Cantiorum comitis filiam, uirginẽ eruditam, ut Geruasius Dorouernẽsis habet, desponsauit. Quam tamen parentis odio, & non proposito cœlibatus, ut fingunt Papistæ, nunquam tetigit: sed postea publicatis bonis repudiauit. Matrem Emmam, ex Alvuini Vuintoniensis episcopi frequenti consuetudine suspectam, ablatis fortunis omnibus, in Horvuellię monacharum cœnobium, incarcerato episcopo, relegauit. Erat ei nihilominus mite ingenium, ac iniuriarum facilè obliuiscens. Porrò Godvuinum prædictum, qui ei uenena parauerat, post aliquot annos non solum in gratiam recepit, sed & eius filium Haraldum Oxonij ducẽ creauit. Ex immensa legum congerie, quas Troiani, Brytanni, Romani, Angli & Dani in hac regione cõdiderant, meliora quæq; selegit, atq; in unam redegit, quam uocari decreuit Legem communem, seu

Leges Vuestmonasterienses, *Lib. 1. Omnis clericus, &c.*
Ad pontifices Romanos, *Epist. plures.*

Præcipuè ad Leonem nonũ, Victorem secundum, & Nicolaum secundum, non sine cauterio conscientiæ, ex prælatorum sibilo. Decessit cœlebs sine liberis, ad euersionem sui regni, anno seruatoris Iesu 1066, & regni sui 24, Vuestmonasterij sepultus.

APPENDIX.

Prædictas leges aliqui dicũt, ex Canuti institutis fuisse deductas. Accepit Eduuardus in uisione, parum ante mortem, Angliæ proceres, duces, episcopos, abbates & monachos, ministros fore diaboli, regnumq; propterea inimicis atrocibus tradendum. Reuera (inquit Berengarius in lib. de corpore & sanguine Domini) non sanctam Ecclesiam experta est ueritas ipsa, sed Ecclesiam malignantium et sedem Sathanæ. Religio cleri, iuxta Bennonẽ in uita Hildebrandi, nihil aliud tunc redolebat, quàm proditionem & auaritiam. Narrant historici, Nauclerus, Crantzius & Lambertus Hirsueldensis, in Germania fuisse certamina grauia anno Domini 1074, super sacerdotũ coniugio, cum Hildebrandus papa uehementer urgeret episcopos ac sacerdotes ab uxoribus abstinere, nec illi id facere uellet. Recensetq; inter cæteros, Othonem episcopum Constantiensem, ac Ratholdum Argentinensem præsulem, in eo conatu Papæ ita repugnasse, ut non posset efficere quod uolebat. Acriter etiam ubiq; restiterunt sacerdotes mandato tam diabolico, & ecclesiæ aliquandiu pastores sibi elegerunt, sine episcoporum ordinatione. Nolebant enim episcopi quenquam ordinare, nisi prius cœlibatum uoueret, secundum Papæ decretum. Sed eadem tyrannide Papa, qua ipsos oppressit Cæsares, sacerdotes tandem uicit, & coniugium eis uiolenter eripuit. Sub Nicolao 2. Rom. pontifice, facti sunt Anglorum reges, Papæ uicarij, ut Capgrauus habet. Realitas in sacramento confirmabatur. Sigebertus quoque narrat, centum sacerdotes hoc tempore Eboraci occisos esse.

FOLCHARDVS DOROBERNENSIS. LIII.

FOlchardus Dorobernẽsis, monachus cœnobij sani Seruatoris Cantuariæ, indolis suæ specimen dare contendens, ab ipsa adolescentia studiosissimè doctas artes coluit. Vnde tanto maiorem sibi comparauit gloriam, quanto fuerunt tempora, in quibus floruit, rudiora, & magis à Musis aliena. Aldredus uerò Eboracensium archiepiscopus, uidens eius ad literas animi promptitudinem, industriam ac laborem, officia Mecœnatis illi præ cæteris exhibuit.

ris exhibuit. Fuit eo tempore Beuerlaci, in terra Eboracensi, sub Edvuardo rege, facta translatio corporis D. Ioannis, illius olim sedis archiepiscopi. Aldredi ergo desiderium erat, ut eius nomen atque inclyta facta, edito luculento libello declararet: ut uiri undecunque eximij uita, uirtutes et miracula, euolarent publicè per ora uirorũ. Hæc omnia ferè ad uerbum Lelandus adfert. Arrepto igitur calamo, Folchardus scripsit, & eidem Aldredo dedicauit,

Vitam Ioannis archiepiscopi,	*Lib. 1.*
Miracula eius post mortem,	*Lib. 1.*

Atq; alia quædam. Claruit Folchardus anno Seruatoris nati 1060, sub Edvuardo prædicto Anglorũ rege. Vituli aurei his diebus adorantur, sed Dei uerbo saginati mactantur. Vuernerus Koleuinck in Fasciculo temporum.

OSBERNVS CANTVARIENSIS. LIIII.

Osbernus Dorobernensis, seu Cantuariẽsis ecclesię præcentor, ac monachus Benedictini instituti, Anglus, Lanfrãco archiepiscopo à colloquio familiari & intimis animi secretis semper erat. In musicis ille modulationibus & organis habebatur omnium sui temporis primus: quibus plerunque & suam & aliorum recreare mentes dulcissimum duxit. Qualis uerò fuerit in omni Latinè scribẽdi genere, imò quàm floridus & facundus, Guilhelmus Malmesburius hoc uno testimonio demonstrat in opere de Pontificibus. Osbernus Cantuariensis (inquit) qui Dunstani uitam Romana elegantia composuit, nulli nostro tempore stylo secundus est: Musica certè omnium sine controuersia maximus. Veruntamen ex probis authoribus sunt, qui dicunt nihil esse inutilius Musica, nihilque magis fugiendum hominibus pijs. Illam Athanasius episcopus sanctus, ob insitam uanitatem, ecclesijs interdixit, quum pristinum adhuc uigorem seruarent. Artifices Bacchanales, Græci ipsos appellarunt, & inter histriones constituebant. Composuit hic Musicus noster, ad Hamelinum Glocestriæ abbatem,

Panormiam,	*Lib. 1. Cum in nocte hyemali, &c.*
De re musica,	*Lib. 1.*
De uocum consonantijs,	*Lib. 1.*
Vitam Odonis archiepiscopi,	*Lib. 1.*
Vitam Dunstani arch.	*Lib. 1.*
Vitam Elphegi arch.	*Lib. 1.*
Epistolas familiares,	*Lib. 1.*

Atq; alia nonnulla. Claruit anno ab incarnato Dei uerbo 1074, ut Bostonus Buriensis supputat, sub Anglorum rege Guilhelmo Notho. Et nihil aliud in archiepiscoporum uitis ministrat, quàm meras imposturas & nugas.

APPENDIX.

Anno Domini 1060, pulsis ob uxores à Fridesuidæ collegio Oxonij, Canonicis secularibus, rex Eduardus Canonicos regulares, quòd uxores non haberent, introduci fecit, urgente Nicolao 2. Ro. pontifice, ut Capgrauus narrat. Qui Nicolaus omnium primus presbyterorum uxores, concubinas iudicabat, & fornicationes esse illorum nuptias: concitabatq; in ipsos Petrum Damianum episcopum Hostiensem, ut eorum coniugia scriptis libris damnaret. Alexander secundus, Lanfranco Cantuariensi archiepiscopo duo pallia dedit, unum honoris, alterũ amoris, ob uictoriam (nondum partam) aduersus Berengarium. Ex Ranulpho Cestriensi: Hildebrandus sacerdotum coniugia, anno Domini 1074, perpetuò damnauit. Benno sanctitatem eius describit. Circa annum Domini 1076, dum Sigefridus archiepiscopus Moguntinus Erfordiæ ageret, super tollendo clericorum coniugio, sub Hildebrando pontifice, prima die Decembris, horribilis terræmotus Moguntinam urbem concussit. Anno proximo sequente, iustæ ultionis incẽdio eadem ciuitas conflagrauit. Et anno sequente, scilicet 1078,

rursum fuit terræmotus ingens, nocte 27 Martij inter sabbatum & dominicā Palmarum. Vide Massæum, lib. 6. His temporibus, Paulus Bernrietēsis presbyter duobus libris, et Gerochus Reicherspergensis antistes uno, Bauarus uterq;, Hildebrandi imposturas aduersus Cæsarem, proditores defendebant. Econtrà Vualtramus, episcopus Niemburgensis, scripsit pro eodem Cæsare Henrico quarto, librum prolixum, de unitate ecclesiæ contra Papam. Venericus etiam Vercellensis episcopus, idem fecit, de discordia regni & sacerdotij librum edens.

SVLCARDVS VVESTMONASTERIENSIS. LV.

SVlcardus Vuestmonasteriensis, ex honesta familia florētissimus olim iuuenis, & à natura quodam modo literis inclinatus, ad bonarum artiū cognitionem flagranti quodam studio se totum cōuertebat. Habebat procul dubio eximias animi dotes, ingenium expeditum & promptum, ac mores omni in loco candidos. Cumq; maturior iam ætas, eum quasi uirum fecisset, cœpit cogitare de quieto aliquo uiuendi genere, quo expeditior esset ad Musas: monachatusq; Vuestmonasterij explorāti perplacuit. Viros quos uidit grauiores aut doctiores, uitæ & doctrinæ consultores elegit, atque omni conamine hos sequebatur. Vnde in quodam antiquo libro hoc reperi scriptum: In Vuestmonasterio uixerunt simul abbas Eadvuinus & Sulcardus cœnobita. Sed Sulcardus doctrina maior erat, &c. Qui ut laboris aliquid in patriæ suæ ornamentum conuerteret, inter alia scripsit

Chronicon quoddam, *Lib. 1.*
Sermones & epistolas, *Lib. 1.*

Cætera eius opuscula cum titulis interierunt. Claruit Sulcardus, anno à Seruatoris ortu 1070, sub Guilhelmo Notho Anglorū rege. Eratq; olim pacifico regi Edvuardo, dum uiueret, à multa familiaritate.

GVILHELMVS NOTHVS. LVI.

GVilhelmus Nothus, Roberti sexti Neustriorum ducis ex concubina filius, & Edvuardi prædicti Anglorū regis nepos, Haraldo Godvuini proditoris filio superato, Angliæ regnum, ut antè petierat Edvuardus, in ore gladij obtinuit. Londini ergo coronatus in regem, anno Domini 1067, uir animi magnitudine ac rei militaris scientia præstans, loca omnia præsidijs firmanda, ac maritimam oram classe muniendam, miro studio curauit: aliaq; pro conseruando Imperio ubiq; disposuit. Ciuitates, episcopatus & cœnobia (inquit Polydorus) immunitatibus deinde priuauit, ut eas mox ab se carius redimerēt. Nouissimè leges penè omnes, à superiorib. olim regib. latas, aboleuit, nouasq; edidit minus æquas, quas posteriores non sine suo damno seruarūt. Ita ut, qui ab ineunte ætate mores habuisset ingenuos, faciles, liberales: mox durè regnando, illis immutatis, nimia pariter seueritate atque cupiditate palàm sit notatus. Angliam describi fecit anno regni sui 17, et in uolumen redigi, quod in Londinensi prętorio iuxta Fabianum huc usq; seruatur. Et illud Anglicè uocabat, Domys daye, quod nemini parcat, sicut nec magnus ille dies: quod opus Latinè appellant

Diem Iudicij,	*Lib. 1. Douera tempore regis Eduuardi.*
Leges & consuetudines regum,	*Lib. 3. Leges quas dicunt Eduuardi regis.*
Angliæ descriptionem,	*Lib. 1.*
Leges Agrarias,	*Lib. 1.*
Emendationes legum,	*Lib. 1. Hic intimatur, quòd Guilhelmus.*
Pro Bellensi monasterio,	*Epist. 1. Ego Guilhelmus Dei gratia rex.*
Ad Alanum Brytanniæ comitem,	*Epist. 1. Ego Guilhelmus cognomento Bastardus.*
Ad Alexandrum Papam,	*Epist. 1. Dominus dominantium Iesus Christus.*

Et alia

Et alia. Post depopulatos igne & ferro finitimorum Francorum agros, læsis ex equi saltura intestinis, dolore intolerabili tandē è uita migrauit, anno à Christi Iesu natali 1088, & ætatis suæ 74, quum 21 annis regnasset, Cadomi in Normannia sepultus.

APPENDIX.

In ultima epistola Guilhelmus rex pontificem officij commonefecit, & ut à Simonia, fastu, atq; importabilium impositionum tyrannide cessaret. Ex synodo Londinensi, Anglorum præsules, ut maiorem mundi gloriam assequerentur, circa annum Domini 1076, relictis pagis ad urbes transierunt, mutatis episcopatuum nominibus primis: ut Fabianus testatur. Post iniquā Hildebrandi, qui sex Pontifices ueneno necauerat, constitutionem, de abdicandis ministrorum uxoribus & cœlibatu uouendo, orta sunt scandala ac schismata perniciosa, qualia non fuerunt ab initio. In Ecclesia uix unus inueniebatur castus, ut Radulphus de Diceto, & alij adhuc historici produnt. Mathildis comitissa ab Estensi marchione per pontificem Hildebrandum separata, ex magna deuotione fiebat S. Petri filia. Immò fiebat Pontifici collateralis, ac nimium amans pontificem, habebatq; cum illo furtiuos complexus, quibus Hetruria tandem in patrimonium S. Petro cessit. Vide Lambertum Shafnaburgensem, et Barnum in Vitis pontificum. Anno Domini 1099, Vrbanus papa in concilio Romæ, hanc inter cæteras sententiam ualde execrabilem habebat, contra principes illos qui prælatorum inuestituras darēt. Nimis execrabile uidetur, ut manus, quæ Deum cuncta creantem (horrenda blasphemia) suo signaculo creent, in hanc ignominiam detrudantur, ut ancillæ fiant earum manuum, quæ die ac nocte obscœnis contactibus inquinantur, &c. Ex secundo libro chronicorum Simeonis Dunelmensis.

STEPHANVS VVITHEBIENSIS. LVII.

Stephanus, Vuithebiensis cœnobij in Northumbrorum patria monachus, liberalissimè parentū cura educatus fuit, quum interim barbaries totum penè occuparet orbem, & bonis literis addictus. Hic primus demū abbas in D. Mariæ cœnobio Eboraci cōstitutus, omnem mouebat lapidem (inquit Lelandus) ut uitam monasticam, Danorum incursionibus penè extinctam, apud suos Northumbrios, tanquam ab orco reuocaret. Quod quum illic extra borealem portam fecisset, arrepto statim calamo, monachatus reparati, et extructi Mariani monasterij, iustam posteritati perscripsit rationem. In quo opere, quantæ difficultatis esset, mortuam, ut uocat, religionem, pristinæ restituere ualetudini, expresit. Quod opus in Vuestmonasterio uidi. Scripsit ergo Stephanus

De reparato monachatu, Lib. 1. *Quamuis sancta & una atq;.*
De fundatione cœnobij, Lib. 1.

Atq; alia. Claruit anno à Seruatoris natiuitate 1080, sub Guilhelmo primo Anglorum rege cōquestore. Hoc tempore Guilhelmus episcopus Dunelmensis, pulsis ab Ecclesia sua Canonicis cum uxoribus, monachos cœlibes, D. Cuthberti custodes posuit.

ELFVVARDVS ILLVSTRIS. LVIII.

Elfuuardus, illustris & magnificus uir, in Ioannis Lelandi de uiris illustribus Catalogo, his uerbis memoratur: Elfuuardus (inquit) quantū ego iudico, planè intercidisset prorsus, nisi Guilhelmus Malmesburiensis mentionē eius fecisset in Prologo historiæ suæ de regibus. Vtcunq; sit, hinc liquet Elfuuardum studiosum fuisse reconditæ antiquitatis: & tantum in eius promouisse cognitione, ut tandem historiā de rebus Saxonicis in Brytannia nostra gestis, ante Normannorū imperium, in lucem emiserit. Hæc Lelandus. Ex horum testimonijs apparet, uirum hunc nobilē, bonis quandoq; studijs occupatū, rerum suæ gentis fuisse memorem, ac Latinè quondam edidisse

De gestis

De gestis Anglosaxonum, Lib.1.

Ex quo authoritates quasdam desumpsit Lelandus, in libro suo de iure Anglorũ regis ad Scotiam. Claruit Elfuuardus, anno incarnati Mesciæ 1090, sub Guilhelmo Rufo Anglorum rege. Sequenti anno obijt Berengarius Turonensis.

APPENDIX.

Prophetia Hildegardis: Anno (inquit) post incarnationem Christi M & C, Apostolorum doctrina & ardens iusticia, quam in spiritualibus & Christianis constituerat Deus, tardare, & in hæsitationem uerti cœpit. Sed hoc muliebre tempus non tandiu durabit, quantum hucusq; perstitit. Vincentius lib. 29. cap. 21. Gazo monachus, cõtra horarias Mariæ preces hoc tempore disputabat. Antoninus par. 2. tit. 16. can. 8. Scoticæ ecclesiæ reformatio, iuxta cõsuetudines Romanas, circa hæc tempora per Mergaritam reginam fiebat. Ioannes Capgraue: Meneuensis in Cambria metropolis, anno Domini 1102, Cantuariensi archiepiscopo subesse incœpit. Ranulphus: Hildebertus, Cenomanensis episcopus, homo eruditus ac pius, Papam atq; suos egregiè sceleratos esse tyrannos iudicauit, utpote quorum dominatio Romanam urbem infœlicem redderet. Affirmauit eos deinde, non tantũ impios ac uanißimos esse nebulones, sed etiam omni carere pietate ac fide. Quæ omnia hoc disticho expreßit:

Vrbs fœlix, si uel dominis urbs illa careret,
Vel dominis esset turpe carere fide.

Multas tribulationes hic bonus episcopus pertulit Romæ: quin & uincula atq; carceres pro Christo & eius Ecclesia perpessus est.

GODFRIDVS VVINTONIENSIS. LIX.

GOdfridus Vuintoniensis, monachorum qui eius urbis cœnobium ad fanum Svuithuni coluerunt, præses, uir & ipse in utroq; scribendi genere, prosa & carmine, literatißimus fuit. Qui adiunctus Serloni Normanno, Glocestriensium monachorũ abbati, Guilhelmi Malmesburiensis hoc scripto elogio, à Ioanne Lelando commendatur. Nec memoria (Guilhelmus inquit) Godfridi Vuintoniensis ire debet in perditum, qui temporibus his literatura & religione insignis erat. Literaturam protestantur libri plures & epistolæ, familiari illo ac dulci stylo editæ, maximeq; carmina illa quæ Satyrico modo absoluit, &c. Et ut ad eius tandem ueniamus scripta, opuscula multa composuit Godfridus, tam soluta oratione quàm uersu, sed hæc præcipuè,

Epigrammata satyrica,	Lib.1. *Vndiq; susceptum qui miscuit.*
Nummi descriptionem,	Lib.1. *Nummum descripsi, nummo quoq;.*
De primatum Angliæ laudibus,	Lib.1.
De diuersis hominum moribus,	Lib.1.
Disticha moralia,	Lib.1. *Discendi Damiane modum.*
Tetrasticha moralia,	Lib.1. *Miramur Rupilum, &c.*
Hexastica moralia,	Lib.1.
Octostica moralia,	Lib.1.
Epistolas elegantes,	Lib.1.

Atq; alia plura. Illo tandem moriente, turris magnæ ecclesiæ ad Svuithuni fanum Vuintoniæ cecidit. Obijt nimirum anno à Seruatore nato 1107, in ipsa eadem ecclesia sepultus, sub Henrico primo Anglorum rege.

APPENDIX.

Hoc tempore, scilicet anno Domini M & C, multæ erant excogitatæ nouæ cæremoniæ, in creatione Rom. pontificis, Paschalis secundi. Induebatur coccinea chlamyde, thiara capiti imposita. Deducebatur albo equo, uectus in Lateranum, ubi pontificium illi sceptrum dabatur in manus. Cingebatur

tur & baltheo, de quo claues septem & totidem sigilla pendebant, ut haberet potestatis fucatæ sym solum: quo admoneretur, pontifici Rom. ius esse, secundum septifariam spiritus sancti gratiam, ecclesias aperiendi et obsignandi. Hoc modo magna meretrix, uirilem ætatem nacta, et eques effecta, bestiam illam decacornē ascendit: Apoc. 13 & 17. Sequenti anno Fluentinus antistes affirmabat, Antichristum esse natum, quod & publicè prædicabat (inquit Sabellicus) sed sequenti anno, in concilio Romæ Paschalis illum repressit.

Synodus Londinensis.

Henricus Huntingtonus lib. 5. et Rogerus Cestrensis lib. 7. referunt, quòd anno Domini 1102, et 3 anno Henrici primi Anglorū regis, in festo Michaelis, Anselmus Cantuariorū archiepiscopus, sub papa Paschali concilium Londini celebrauit. In quo concilio (inquiunt) Anselmus prohibuit uxores sacerdotib. antea illic non prohibitas. Quod quibusdam mundißimū uisum est, quibusdā periculosum, ne, dum mundicias uiribus maiores appeterent, in immundicias horribiles, ad Christiani nominis summū dedecus inciderent, &c. In eodem concilio ob eorum infames luxurias, depositi sunt ac degradati (ut uocant) Guido abbas Perscourensis, Aldeuuinus abbas Ramesiensis, Vuimundus abbas Tauestocēsis, Godricus abbas Petroburgensis, Haymo abbas Ceruelensis, Agelricus abbas Mydeltonensis, Ricardus prior Eligensis, Robertus abbas Buriensis, abbas Micelnensis, abbas Stokensis, & alij. Sequenti anno Sodomitas innumerabiles inuenit Anselmus, ut Ranulphus habet. Benno cardinalis uitam scripsit Hildebrandi, in qua horribilia eius scelera, & quorundam aliorum enumerat, quæ alioqui ab alijs perscripta nō sunt. Lambertus Schafnaburgensis monachus, peregrinationum stultitias damnabat, & sacerdotum coniugia probabat. Conradus Traiectensis episcopus, Henrici quarti Imperatoris causam acriter tum uoce tum scriptis defendebat. Ecclesia Leodiensis, ad papam Paschalem secundum scribens, maliciæ & crudelitatis eum accusabat, quòd ferro & igne illam uastandā Roberto comiti Flandriensi dedisset, ob præstitam Imperatori Henrico suo Domino fidelitatem. Acriterq; illum increpabant, quod omnium peccatorum remißionem carnificibus esset pollicitus, ob atrocem persecutionem hominum Christianorum: & Romam rectè Babylonem dici conclamabant.

TVRGOTVS DVNELMENSIS. LX.

TVrgotus, Dunelmensis monasterij secundus præses, decanus, & per diœcesim primarius, sub episcopo Guilhelmo (Tothadū Polydorus uocat) non sine multorū laude, illarum functionum obibat munera. Multarum literarum peritus uir erat, & in operationibus externis sobrius, prudens ac modestissimus: eò usq;, ut illum solum longo tempore habuerint à fidei & conscientiarum consilijs, Malcolmus Scotorum rex tertius, & coniunx eius Margarita, Edgari Ethelyngij principis soror: à quibus effectus est tandē diui Andreæ antistes summus, ac Scotici regni primas, anno Domini 1107, ab Vlfrico cardinale ac Thoma Eboracensi archiepiscopo consecratus, anno 33: ex quo monachatum induit Vuirmuthæ sub abbate Aldevuino. Huius Turgoti impulsu, post restauratum Dunelmi cœnobium, ad Domfermilem, templum condidit Macolmus rex, constituens authoritate regia, ut illic abhinc esset solēnis regum sepultura. Vernacula quidem lingua, sed non minore (inquit Hector Boethius) elegantia quàm historiarum ueritate, composuit

De Scotorum regibus,	Lib. 1.
Chronica Dunelmensia,	Lib. 1.
Annales sui temporis	Lib. 1.
Vitam Malcolmi regis,	Lib. 1.
Vitam Margaritæ reginæ,	Lib. 1.

Et alia quædā. Nam & his dum uiuerent familiarissimus hospes erat, & oculatissimus utriusque uirtutum testis. Sed reuersus Dunelmum, uita functus

est, anno à nostri Mesiæ natiuitate 1115: illic in cœnobio sepultus, sub rege Henrico primo.

APPENDIX.

Boso quidã, auratus eques, post duorum dierum ecstasim, Turgoto huic, dum Dunelmensis cœnobij præses esset, retulit uisionem suam mirabilem: scilicet quòd in inferno uidisset, in uno latere suos monachos omnes solennem processionem fecisse, et eregionè puellas lasciuas mira petulantia saltasse. Cernebat & cameram ferream, eorum episcopo Guilhelmo, Hildebrandi uicario, & Godfrido monacho procuratori eius generali, paratam: Ioannes Capgraue in uita Cuthberti. Sequẽti anno post Londinensem synodum, scilicet anno Domini 1103, rumores & querimoniæ ad Anselmi aures uenerunt, quòd ex damnato sacerdotum cõiugio, uitium horrendum, quod Sodomiticum uocabant, ubiq; per Angliam regnaret. Conuocata ergo altera ad Pauli fanum synodo, hoc edidit frigidum statutũ: Sodomiticum flagitium facientes, & (dictu horridum) eos in hac uoluntate iuuantes, graui anathemate damnamus, donec pœnitentia & confeßione absolutionem mereantur. Qui uerò in hoc crimine publicatus fuerit, statutum est, siquidem fuerit persona religiosi ordinis (ô sancta religio) ut ad nullum amplius gradum promoueatur (acerba pœnitentia) & si quem habet, ab illo deponatur. Si autem laicus, (nam & illi quoq; tunc gustauerant tam sancti cœlibatus fructum) ut in toto regno Angliæ, legali sua condignitate priuetur. Et ne huius criminis absolutionem, ijs qui se sub regula uiuere non uouerunt (aliter in cœnobijs) aliquis nisi episcopus deinceps facere præsumat, & cætera. Statutum quoque est, ut per totam Angliam in omnibus ecclesijs, & omnibus diebus Dominicis, excommunicatio præfata publicetur (Euangelij loco) ac renouetur: Ranulphus & Rogerus Cestrenses, et Ioannes Treuisa in Chronicis. Quomodo uerò exequendum sit præfatum statutum, Anselmus ad Guilhelmum archidiaconum suum declarat, in epistola sua 278. In his pie Lector uide, qualis ea tempestate fuerit canonizatorum patrum sanctitas. Sigebertus, Gemblacẽsis monachus, Henricum quartum Imperatorem, contra Gregorium septimum & Paschalem secundum scriptis defendit: in quibus asseruit Papam non habere utrumq; gladium, nec iuris aliquid super ipsum Imperatorem: docuitq; detestabilem hæresim esse in Papa, politicorum dominorum subditos iuramentis absoluere. Narrat & tetra Paparum atq; cleri facinorum exempla: & quòd sacerdos quidam in Saxonia expirans, Hildebrandum apud inferos uiderit æternis supplicijs cruciari.

IOANNES PYKE, HISTORICVS. LXI.

IOannes Pyke, historiarum sui temporis nõ minimus explorator, omnis antiquitatis, eius potißimum quæ ad Angliam insularum Europæ fertilißimã spectabat, multopere studiosus fuit. Ille proculdubio authores nõnullos, qui de patriæ rebus ante sua tempora gestis scripserant, euoluebat, atq; auidè legebat: unde non mediocrem tum uoluptatem tum utilitatem inde cæpit. Nulla enim planè homini studioso maior oblectatio aduenire potest, quàm ut animum ad scientias natum, uariarũ rerum cognitione informet atq; erudiat. Simili ratione, quis fructus ex lectioneq; utilior, præcedenti exemplo, uitia uitare, ac uirtutes amplecti? Quemadmodum hic conterraneus noster Ioannes fecit, qui latinè composuit

De regibus Anglosaxonum, Lib. 1.
De regibus ex Danis, Lib. 1.

Quos libros postmodum abbreuiauit, & in epitomen redegit Guilhelmus Horman, Etonensis collegij uicepræpositus. Claruisse uerò fertur his temporibus Ioannes, sub Henrico primo Anglorum rege erudito.

APPENDIX.

In Anglia anno Domini 1106, post damnatũ in clero matrimoniũ, surrexit nouus ordo Sodomitarum, dixissem sacerdotum secularium, sacrum cœlibatum solenni uoto profitentium. Hi post perunctos pollices, rasis capitibus, talaribus togis, biretis quadrangulis, ac longis (ut uocant) lyripipijs, magna religione incedebant, Osmundi Sarisburiensis episcopi officiarium seu consuetudinarium pro sa-

tris faciendis semper habebant, contemptis Biblijs, et Dei testamento neglecto. Inter hos tamen plures erant Deum timentes, qui inuitis episcopis, permittente rege, quamuis sub concubinarum nomine, uxores interim tenebant. In Nordouicensi enim diœcesi, sub Hereberto episcopo, neq; pro Anselmo, neq; pro Papa, coniuges dimittere uolebant. Eos igitur forti manu, à uulgari populo sub anathemate premi præcepit Anselmus, ut in 176 suarum epistolarũ Massæus lib. 6. Anno Domini 1112, Valencenis, in ecclesiam S. Ioannis Baptistæ Canonici regulares introducti sunt, expulsis clericis propter uxores.

HEREBERTVS LOSINGA. LXII.

HErebertus Losinga, ex pago Oxunensi in Sudouolgia Anglorum comitatu natus fertur, patre Roberto, abbate olim Vuintoniensi, matre uerò ignota, ex monacho monachus. Vir fuit, ut eius habet Legenda, omnium literarum, tam diuinarum quàm secularium, scientijs imbutus, facundia incomparabilis, uenustus corpore, iucundus aspectu. Hic patre monacho procurante, primùm fuit Fiscanensis prior (inquiunt) in Normannia: postea currentibus nummis, abbas Ramesiensis in Anglia, ac tandem episcopus Thetfordiẽsis: & idcirco fax simoniæ ab eius temporis Chronographis appellabatur. Antichristi sui authoritate pestilentẽ sedem, sine Regis notitia (nam regem habebat Abadonem) ambitiose transtulit à Thetfordia Nordouicum usq;, anno Domini 1096, profligatis inde presbyteris cum coniugibus, ac monachis cœlibatus nomine introductis: ut & illam ecclesiam, magnæ ciuitatis instar, nouam Sodomam atque Aegyptum efficeret, Apoc. 11. Huius extant, Henrici Huntingtonensis testimonio, scripta quàm plurima. Composuit enim

Sermones octodecim,	*Lib. 1. Conuenistis dilectissimi fratres.*
De prolixitate temporum,	*Lib. 1.*
De fine mundi,	*Lib. 1.*
Constitutiones monachorum,	*Lib. 1.*
Epistolas ad diuersos,	*Lib. 1.*
Ad Anselmum contra sacerdotes,	*Lib. 1.*

Et alia quædam. Obijt anno à Christi incarnatione 1120, pontificatus sui 29. et 11 Calendas Augusti Nordouici in sua synagoga sepultus. Alij istum dum uiueret, Barrabam, alij Iudam uocabant: ut Malmesburius, Ranulphus, & Treuisa referunt.

APPENDIX.

Alij adhuc erant in Anglia his temporibus, prolifici abbates, episcopi ac monachi, præter Hereberti huius genitorem Robertum. Nam Robertus Bloet, monachus de Euesham, & episcopus Lincolniensis, filium genuerat Simonem, quem fecit eiusdem ecclesiæ decanum. Robertus Peche episcopus Cestriensis, genuit Ricardum Peche archidiaconum Couentrensem. Eastanus monachus Vuigorniensis, ex Vulgena monacha genuit S. Vuolstanũ episcopum eiusdem ecclesiæ. Etheluuoldus Vuintoniensis præsul, Vuolstanum Vuintoniensem monachum. Osuualdus Vuigorniensis episcopus, Osuualdum Vuigorniensem monachum. Thomas Eboracensis archiepiscopus, Thomam iuniorem archiepiscopum. Et alij alios, qui tamen proscripserant nuptias. De Lanfranci & Anselmi fœturis non loquor, qui & mucidum Missæ idolum inique erigebant, et sacra ministrorum coniugia damnabant. Hoc penè præterieram, quod in prædicta ciuitate Nordouicensi, quidam Antichristi satellites, anno Domini 1545, uxorem meam Dorotheam, mulierem fidelissimam, quæ illuc tunc casu uenerat, uiolenter capiebant, in carcerem detrudebant, & ad mortem ignominiosam quærebant: non ob aliud quicquam, quàm quod fuisset, contra Pontificum sanctiones diabolicas, mihi in matrimonio Christiano copulata. Sed misericors omnium pater Deus, non absq; miraculo, à sanguinolentis eorum mani-

bus eandem liberauit. De præfato Hereberto, poeta eius temporis hoc protulit carmen, ut Guilhelmus Malmesburiensis lib. 4. de Regibus scribit:

Surgit in ecclesiam monstrum genitore Losinga,
Simonidum secta, canonum uirtute refecta.
Petre nimis tardas, nam Simon ad ardua tendit.
Si præsens esses, non Simon ad alta uolaret.
Proh dolor ecclesiæ, nummis uenduntur & aræ.
Filius est præsul, pater abba, Simon uterq;.
Quid non speremus, si nummos possideamus?
Omnia nummus habet: quod uult, facit, addit & aufert.
Res nimis iniusta, nummis fit præsul & abba.

STEPHANVS HARDINGVS. LXIII.

STephanus Hardingus, primis adolescentiæ annis Benedicti institutũ in Anglia professus, monasticæ uitæ præcepta (at non Christianæ) in Sherburnensi cœnobio superstitiosissimè obseruauit. Qui, ut in illo hominum deceptrix hypocrisis latius suas alas extenderet, mox in Scotiam, deinde in Franciam contendit: ubi aliquot annis incubuit prophanis humanarum artium studijs. Ex peragrata Roma atq; Italia, in Burgundiam demũ reuersus (peior fortassis quàm illuc peregrinus uenerat) in magno illo Molismensi monasterio, Lingonensis agri, in monachum denuò se tondi fecit. Sed ubi animaduertit non omnia ad suum nutum in claustro seruari, ut nouę religionis author haberetur, Cistercium uastę solitudinis locum cum 18. socijs monachis adiuit: & anno Domini 1098. prima illius sectæ fundamenta coniecit. ubi & hæc inter cætera edidit, scilicet

Chartam charitatis,	Lib. 1. Nemini quicquam debeatis.
Vitæ monasticæ ritus,	Lib. 1.
Exhortationes ad suos,	Lib. 1.

Atq; alia. Claruit anno à nato generis humani Seruatore 1107, quo prædictum Chartæ suæ librum, ab Vrbano secundo Rom. pontifice confirmari procurauit, regnante in Anglia Henrico primo. Ab isto Cistercieñses initiũ habuerunt.

APPENDIX.

Hac Cisterciensium monachorum superstitione Angliam contaminauit Gualterus Espec, Anglus, uir genere nobilis, ac prædicti Stephani olim discipulus: qui anno Domini 1132, ad Rhieuallem cõstructo cœnobio, eos primùm plantauit: ut author est Ioannes Hagustaldeñsis. Eos statim sequebatur & alia secta Robertinorum, Guaresburgi à quodam eremita Roberto, anno Domini 1137, in terra Eboraceñsi fundata: Ioannes Capgraue. Gilbertinorum secta utriusq; sexus, ad Sempringamum in terra Lincolniensi, anno Domini 1148, à quodam Gilberto initiũ habuit: Thomas Scrope. Præmonstratenses in Angliam uenerunt, anno Domini 1145, Neuuhouusiæ in agro Lincolniensi etiam locati: Idem Scropus. Carthusiani post illos intrabant, anno Domini 1180, apud Vuithamũ in Bathonieñsi patria moraturi: Idem Scropus. Post illos aduenerunt Hospitalarij Ioannitæ, ac Templarij, qui etiam erant in alijs fundati locis. Hi primùm locustæ steriles, tenues, inopes & graciles erant: sed illicò mox in tauros & equos indomitos, imò in leones ferocissimos ac nocentissimos scorpiones euaserunt, Apoc. 9. reges ipsos è solijs deijcere ualentes.

GILBERTVS VVESTMONASTERIENSIS. LXIIII.

GIlbertus, doctor insignis, Vuestmonasteriensis cœnobij celeberrimi tum procurator tum abbas, longa diligentia, & cõtinua ueterum scriptorum lectione, ad scopũ exquisitæ eruditionis peruenit. Locus ille nunc regum sepultura nobilissimus, quòd in occidentali Londini suburbio situs sit,

sit, Vuestmonasterij sumpsit nomen: ad alterius cœnobij diaphoram, quod in ipsa ciuitate ad orientem, Estmonasterium uocari solebat, ut in uetustis apparet syngraphis: & nunc Pauli dicitur fanū. Hic liberales artes omnes à teneris annis didicit, memoriaq; magna retinuit: & scripturas sacras sub Anselmo Cantuariensi archiepiscopo, discipulus ac frequens auditor, corruptas accepit. Doctrina certè & ingenio, summis eo tempore uiris æquari poterat: hoc tamen eius nunc lædit famā, quòd candida nigris & sacra prophanis miscuerit. Studuit in Anglia & in Gallijs, Romamq; aliquando petijt. Eratq; ei redeundo, cum Iudæo quodam Moguntiacensi, celebri & erudito, lis magna, de diuina Dei lege: quam in dialogum tandem accuratè redegit, & Anselmo consecrauit. cui operi titulum addidit

De fide Ecclesiæ, contra Iudæos,	*Lib. 1. Venerabili patri & Domino.*
Epistolas ad Anselmum,	*Lib. 1. Anselmo Dei gratia Anglorum.*
De casu diaboli,	*Lib. 1. De Angelo illo qui non per.*
De anima quoq;,	*Lib. 1. Vnde infanti contigerit.*
Super Esaiam prophetam,	*Lib. 1.*
Super Hieremiam,	*Lib. 1.*
In Cantica Salomonis,	*Lib. 1.*
Homelias 47.	*Lib. 1.*
Ad cantorem Sagiensem,	*Lib. 1.*

Et alia plura scripsit. Obijt anno à Christianæ salutis origine 1117, Vuestmonasterij inter suos sepultus, sub Henrico primo Anglorū rege. Sunt qui istū, episcopum Lunicensem in Hybernia, olim fuisse contendant.

DE PAPIS, VEL ANTICHRISTIS Romanis.

102. *Gelasius secundus, patria Campanus, & Ioannes Caietanus antea uocatus, monachus olim Casinensis, ac illustri genere procreatus, mortuo Paschale, in eius est suffectus locum, sed non sine grandi dissensione. Nam cum sine Imperatoris cōsensu eligeretur, Cincius quidam Fregepanis dictus, patricius urbis potentissimus, illius iniuriam non ferens, ad Palladij monasterium, ubi Cardinales erant congregati, cum satellitibus armatis uenit. Et in eos irrumpens, refractis foribus, obuium quemq; percussit: Pontificem, obtorto eius collo, in terram deiectum, calcibus contriuit, in uinculaq; protrusit. Cardinales autem fugam parantes, ex mulis & equis deiecit: nullumq; genus contumeliæ prætermisit, quo affici tantus senatus posset. Sed non tulit tantam iniuriam pop. Romanus, quin auxilio Normannorum eum tandem liberauerit, & hostes ad pedum oscula compulerit. Hinc Imperator Henricus exercitum magnum ex Germanis Romam misit. Quod timens Gelasius, cum suis Caietam nauigio mox petijt, ibiq; sacerdos factus est, cum solum diaconus antè creatus fuisset pontifex. Henricus Romā ueniens, absente Gelasio, Mauricium Burdinū Bracharensem archiepiscopū, pontificem creauit, ac Gregorium octauum uocauit, indeq; abijt. Quo audito, Gelasius clàm redit, & sumpto animo prodit in ædem Praxedis, Missam facturus. Vbi ab aduersaria parte ita fuit impetitus, ut ægrè fuga suæ incolumitati consuleret. Elapsus difficulter è manibus suorum hostium, Pisas nauigauit: atq; inde in Galliam soluit, ad portum S. Aegidij. Et consecratis in uia inter eundum aliquot ecclesijs, scilicet S. Ceciliæ in Stagello, S. Syluestri in Tillano, & S. Stephani in Tornaco (Christū nullibi prædicabat) lapidibus earum terminos notabat. Ab abbate demū Cluniacensi peramicè exceptus est: ac pleurisi correptus, anno Domini 1119, post unum sui pontificatus annum et aliquot dies obijt mortem, in eodē sepultus cœnobio. Hic Romanæ curiæ stylum, negligentia atq; ignorantia maiorum labefactatum, in meliorem formam & ornatum redegit (magna laus.) Coloniæ per legatum Cononem, episcopum Prænestinum, cōcilium habuit, in quo Cæsarem excommunicauit. Successores suos Rom. pontifices à nemine iudicari posse aut debere statuit, & Templariorum sectam (ut habet Matthæus Parisius) à Hierosolymorū patriarchæ obedientia exemit, ita (inquit) ut more Chā*

 maledicti

maledicti filij Noe, illum contemnerent, qui eos primùm fundauerat.

103. Calixtus secundus, antè Papatū Viennensis episcopus, & Guido Burgundus nuncupatus, qui genus à Francorum & Anglorum regibus duxerat, à Cardinalibus illis, quos Gelasius secum duxerat, Cluniaci in pontificem eo mortuo creabatur. Quidam etiam ex Cardinalibus, qui partim Romæ, partim in Italia agebant, electionem illam Cluniaci factam, ratam habuerunt. Romam ergo proficiscebatur, ut pontificatum iniret: atq; à Romanis, sibi obuiam factis, summo cum honore excipiebatur. Qui statim in Germaniam ad Cononem prædictum, Gelasij prædecessoris legatū, misit, ut excommunicationem aduersus Henricum continuaret. Quare coactus est Imperator, apud Triburium conuentum episcoporum & principum agere, ut concordia inter ipsum & Papam statim procuraretur. Et ne pontificū arte, regno (ut pijssimus eius pater) exueretur, conditiones pacis ualde iniquas admisit. Missis Triburium oratoribus, Calixti huius electionem, ad summum suum dedecus, confirmauit: uiuo adhuc Gregorio seu Burdino, quem ipse pontificē prius fecerat. Et cum perurgerent pontificis legati & episcopi, ut de suo iure inuestiēdi prælatos cederet, petijt inducias, ut super ea re cum Germaniæ principibus deliberare posset. Qui anathematis eius fulmen metuentes (erat enim Pontifex ob id toti tunc mundo formidabilis) ipsi persuadebant, ut in gratiam cum eo rediret. Sic eius tandem Dominus retaliabat proditiones in pijssimum patrem factas. Misit ergo legatos Romam Imperator, suos laniones, episcopum Spirensem & Fuldensem abbatem: qui redeuntes, Pontificis legatos secum adduxerunt, qui & rerum agendarum summam potestatem habebant. Vuormaciæ comitia indicebantur Germanis episcopis & principibus. Agebatur de inuestitura episcoporum, utraq; parte acriter ius sibi uendicante. Vicit tandem (ut plerunq; fit) maior pars meliorem. Imperator autem, fictæ excommunicationis timore, & episcoporum quorundam consilio, qui defectionem futurā prædicebant, persuasus, cogebatur suum ius in episcopis uestiendis deserere. Quo facto, legati eum ab anathemate resoluebant, faciebantq; ei copiam ad Ecclesiæ consortium redeundi, à quo per Gelasium uidebatur exclusus. Pactum hoc ex utraq; parte literis committebatur, quarum formulæ, in loco spacioso & campestri iuxta Rhenum, in magna populorum frequentia publicē relegebātur, maxima papicolarum congratulatione. Pontificij literas super ea concessione ab Henrico datas, in Lateranensi basilica publicē suspenderunt, in triumphale testimonium uicti et subacti demum Cæsaris. Stabilita eo modo cum Imperatore concordia, Calixtus contractis copijs, Gregorium antipapam persequebatur: qui ob reconciliationis famam excesserat Roma, Sutrijq; commorabatur. Sutrium à Calixto capiebatur, Gregorius uincebatur: & ut insigniter exponeretur ludibrio, etiam non sine summa Cæsaris ignominia, impositus camelo, capite ad caudam uerso, Romam ducebatur, tonsusq; in monasterium exilij causa mittebatur. Carsulanus, Platina, Stella, Vincentius, Antoninus, et alij. Calixtus quietem nactus (ait ipse Platina) Cardinales 12 creauit, basilicas multas refecit, urbis mœnia instaurauit, aquam in urbem induxit, arces ecclesiæ muniuit, donaria plurima templis diuisit, fundos coemptos S. Petro donauit, & ecclesiam S. Nicolai in palatio ædificauit. Sed Christi Euangelium non prædicauit. Concilium Romæ contra Turcam celebrauit. Genuenses, Venetos, & Pisanos in crucis hostes concitauit: Pontificum decreta contra Imperatorem stabiliuit, confirmationem episcoporum Germanis planē ademit, ecclesiam Compostellanam in archiepiscopatum sublimauit: de confictis prodigijs S. Iacobi pro idololatria illic amplianda librum fecit, & Præmonstratensium monachorum sectam admisit. Decreuit adulterium iudicari, si quis episcopatum uel ecclesiam uiuus dimitteret, per illud Pauli, Alligata est uxor legi uiri, quamdiu uir eius uiuit (Scriptura artificiose detorta) eo defuncto, soluta est à lege uiri, cui uult ergo nubat in Domino: id est, alium eligat, sed regulariter. 7.q.1.cap. Sicut alterius. Eos excommunicabat, qui uel peregrinos spoliarent, uel alio modo Romipetas impedirēt. 24.q.3.cap. Si quis. Febre demum correptus, ex cuiusdam itineris labore, anno Domini 1125 Romæ ex hac uita decessit.

Simeon Dunelmensis in 2 libro suarum Historiarum de regibus Anglorum: Anno Domini 1119, Calixtus Papa concilium generale tenuit Rhemis in Gallia. In quo inter cætera constituit hoc decretum: Presbyteris, diaconibus & subdiaconibus, concubinarum & uxorum contubernia prorsus interdicimus. Si qui autem huiusmodi reperti fuerint, ecclesiasticis officijs ac beneficijs priuentur. Et si

neq;

neq; has immundicias correxerint, communione careant Christiana. Vnde quidam eius temporis in Anglia scriptor,

O bone Calixte, nunc omnis clerus odit te.
Quondam presbyteri poterant uxoribus uti:
Hoc destruxisti, postquam tu Papa fuisti.
Ergo tuum meritò nomen habent odio.

Matthæus Parisius. Eodem anno Papa Calixtus in Normanniam uenit, ad Henricum primum Anglorum regem, locutusq; est cum eo ad Gisortium.

104. Honorius secundus, patria Aemylius, ex agro Imolensi, quod olim Cornelij forum dicebatur, obscuro loco oriundus, & Lambertus primùm dictus, literarum beneficio fiebat episcopus Hostiensis, & ex episcopo pontifex Romanus. Non adeò laudatur eius ingressus (inquit Platina) cum ambitione quorundam potius quàm bonorum uirorum consensu Papatum inuerit. Magna equidem contentione electus in pontificem ille erat, arte magis & astutia Leonis Frangepanis, potentissimi ciuis, quàm cordatorum hominum suffragijs. Is namq; Leo persuasit Cardinalibus, ne prius eligerent Pontificem, quàm omnes maiorum canones de electione diligenter obseruassent. Interea uerò dum cunctarentur Cardinales, Leo huius pontificis ambitioni seruiturus, quibus poterat uersutijs, auxilia ad id callidè procurabat. At Cardinales, comperta Leonis astutia, Theobaldum S. Anastasiæ Cardinalem, Pontificem creabant, Cœlestinumq; appellabant. Populus uerò Saxonem S. Stephani Cardinalem, Pontificem efflagitabant. Quod et dictus Leo se uelle simulauit, ut Cardinalium electionem irritam faceret. Et quum eam ob rem populum haberet aliquantulũ æquiorem, effecit paulatim, ut per eundem populum Lambertus crearetur, atq; Honorius diceretur. Qui omnibus eius superbissimi regni titulis insignitus, ut consilio ac potentia suis aduersarijs par esset, fecit & ipse Cardinales aliquot. Quorum stipatus auxilio, sedem cum pace obtinuit. Ex huius latere (ut testis est Matthæus Parisius) pro implenda crumena, legatus exiuit Ioannes Cremensis, luxuriosissimus Cardinalis, tituli S. Chrysogoni. Is (inquit) anno Domini 1125, de licentia regis in Angliam ueniens, per abbatias & episcopatus lucris ac delicijs indulgebat. Et tandem metens ubi non seminauerat, cum multis donarijs bene saginaretur, ad natiuitatem S. Mariæ, solenne concilium Londini celebrauit. In quo sacerdotum concubinas (uxores intellexit) ac sacerdotes concubinarios damnauit. Tandem uerò, sequenti scilicet nocte, in eodem uitio & ipse legatus (impudens scortator) in delicijs crapulatus, cecidit. Et deprehensus atq; compeditus, non minimum in ecclesia scandalum suscitauit. Pro quo tamen sic scripserat Honorius ad clerum Anglicanum, ut Simeon Dunelmensis in historijs refert: Rogamus uos, & monemus atq; præcipimus, ut hunc Ioannem, tanquam S. Petri uicarium (Sardanapali potius) reuerenter suscipiatis, humiliter audiatis, & ad ipsius uocationem synodales cum eo conuentus solenniter celebretis: Quatenus per ipsius & uestram industriam in regno uestro, quæ corrigenda sunt, corrigantur: & quæ firmanda sunt, sancto inspirante spiritu, firmentur, &c. Et ad Dauidem Scotorum regem, Roxburgi tunc commorantem: Nobilitati tuæ rogando mandamus, ut dilectum filium nostrum (patri ualde similem) Ioannem Cardinalem, cui uices nostras in partibus illis commisimus, reuerenter suscipias & honores. Episcopos etiam terræ tuæ, cum ab eo uocati fuerint (officiũ certè regium) ad concilium suum facias conuenire, &c. Accedit statutũ eiusdem Ioannis, ex prædicta Londinensi synodo: Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus & canonicis, uxorum, concubinarum, & omnium omnino fœminarum contubernia, authoritate Apostolica inhibemus, præter matrem, aut sororem, uel amitam, siue illas mulieres quæ omnino careant suspicione. Et qui decreti huius uiolator extiterit, confessus uel conuictus, ruinam ordinis patiatur. Inter consanguineos, seu affinitate propinquos, usq; ad septimam generationem (impostor diabolice) matrimonia contrahi prohibemus. Honorius autem inter alias ordinationes Rogerium Normannum Apuliæ ducem fecit, Aquileiensem patriarcham deposuit: ac Venetorum patriarcham, quòd schismaticorũ fautores essent, dignitate priuauit. Fato concessit Honorius, insignis præstigiator, anno Domini 1130. Cuius tempore Arnulphus, pius concionator, Anglus doctissimus, prælatorum Romæ uitia incessens, martyrij coronam nanciscebatur.

105. Innocen-

105. Innocentius secundus, patria Romanus, ex regione trans Tyberim, patre Ioanne, post initiū Papatum nihil antiquius aut sanctius duxit, quàm Rogerium Siciliæ ex Normannis ducem, qui se regem Italiæ dixerat, reprimere. Eduxit suas acies magnanimus Papa, ac profligauit celeriter hostem: sed à superueniēte ducis cum exercitu filio, cum suis Cardinalib. mox capiebatur, omniaq; præter regni Siciliæ titulum Rogerius impetrauit. Interea Romani, Petri Leonis filium, pontificem creauerāt, & Anacletum illum appellauerant. Quo cognito, à captiuitate liberationem rogabat, et obtinuit: Romamq; redire disposuit. Sed cum illic cerneret omnia turbis ac tumultibus esse plena, Pisas nauigio petijt, & inde Genuam abijt. Postremò Genua relicta, in Galliam quàm citissimè proficiscebatur. Anacletus autem submoto Innocentio, omnium animos qui ei fauere uidebantur, sibi per largitiones conciliare festinabat. Rogerium inde, utriusq; Siciliæ regem decernebat, ut illius auxilio stipatus tutior in omnibus esset. Innocentius uerò de recuperando Papatu in Gallijs sollicitus, concilium in Claro monte coegit, & Anacletum ut hostem Ecclesiæ damnauit. Post hæc Aurelianum se contulit, ad Philippum Galliæ regem, ubi & Ludouicum eius filium coronauit. Hinc Carnotū petijt, ubi & Henricum Anglorum regem, eius nominis primum, obuiam habuit. Cum quo de conscribendo exercitu contra Saracenos egit, in auxilium ijs qui terram Sanctam obtinuerāt. Sed eo sub prætextu, cupiebat illorum copijs Papatum recuperare.

Ab Henrico Anglo in Lothoringiam deflexit, cōuenturus Lotharium Germaniæ regem, ut illum quoq; sollicitaret de se restituendo. Lotharius sacramento pontifici dato, parabat expeditionem, qua Innocentius Romam tutus reduceretur. Concilia celebrauit hic pontifex Rhemis, Plancentiæ, Pisæ, ac demum Romæ in Laterano, in quibus Genuensibus ac Pisanis archiepiscopos dedit. Sub hæc Lotharius, magno cum exercitu, Italiam ingrediebatur, ut Innocentium Pontificiæ sedi restitueret. Et Romam ueniens, partitis copijs, in urbem irruit, ac profligato Anacleto unà cum duce Rogerio, Innocentium tutum in Lateranum reduxit. Innocentius autem, ne uideretur ingratus, Lotharium imperiali diademate coronauit: & comiti Reginaldo Cæsariani exercitus duci, Apuliæ ducatum (non suum) dedit, ac quicquid in Italia Rogerius tenebat. Scribit tamen Otho Frisingensis, magnam inde subortam esse controuersiam inter Cæsarem ipsum & Pontificem, uter haberet ius dandi ducatum. Et cum neuter alteri totum ius cederet, sedata est hac lege controuersia, ut uterq; apponeret manum, ad uexillum nouo Apuliæ duci tribuendum. Quo declararetur, utriq; ius esse dandi ipsum ducatum. Sed mortuo statim Reginaldo, Rogerius suum ius repetijt, & aduersa molientem Pontificē cum Cardinalibus iterum cæpit, securum & incautum. Nec illos dimisit, donec omnia quæ uellet, etiam ut diceretur utriusq; Siciliæ rex, impetrasset. Et ab eo tempore Siciliæ regnum S. Petri patrimonium (insignis impostura) appellatum est. At quia Pontifex, hac etiam regij tituli concessione, Imperatores suo iure spoliauerat, ut quod armis ipsi parauerant, hic ad se solum tranferret, magna inde (ut Naucle rus scribit) sunt suborta mala. Constituit Innocentius, excommunicandum esse, qui unctum sacrificum aut clericum rasum percusserit, nec absoluendum esse nisi ab ipso Papa. Caus. 17. quæst. 4. Si quis. Et ecclesiam non esse committendam cōducticijs sacrificulis, Cau. 21. quæst. 3. Præcipimus. Ille quoq; mutando statum ecclesiæ in Syria pro sua libidine, magnas cōtentiones inter episcopos ibidem seminauit, iuxta Guilhelmum Tyrium lib. 14. cap. 12. de Bello sacro. Post hæc & alia facta Papalia, Innocentius anno Domini 1143 communis naturæ debitum, deposito carnis onere, soluit. Sub hoc Innocentio, anno Domini 1136. Stephanus Anglorum rex, inuestituras prælatorum iure regio sibi reseruauit, ut Matthæus Parisius author est, in 4. suorum Chronicorū libro. Et Lotharius imperator, ut Nauclerus habet, priuilegium Henrico Cæsari ademptum, de prælatorū inuestitura, repetere constituerat: sed ne illud faceret, D. Bernardus dissuasit, qui eo tempore in admiratione fuit.

106. Cœlestinus secundus, natione Thuscus, Typherni, in quodam S. Fœlicitatis castro, D. Marci presbyter Cardinalis, & Guido ante Papatum dictus, omnium suffragijs, imperante Conrado, post defunctum Innocētium, in Papam assumebatur. Ob uitæ breuitatem nihil potuit hic facere, quo se posteris ex inclytis facinoribus commendaret. Hoc unum tamen legimus, quòd Syriæ Palæstina, quam Terram sanctā dicimus, ualde sub eo periclitabatur, Tripolitano comite Pontio cum alijs occiso. Legimus etiam apud Matthæum Parisium, quum nulla daretur clericis reuerentia, durante quodam

dam in Anglia schismate inter Stephanum regem & Mathildam imperatricem, Guilhelmus Vuintoniensis (nescio an conscio Cœlestino) Londini concilium celebrauit. Vbi statutum fuit, ne aliquis, qui ecclesiam aut cœmiterium uiolauerit, uel in clericum aut religiosum manus uiolentas iniecerit, ab alio quàm ab ipso Papa possit absolui. Et hæc fiebant (inquit) candelis accensis, ac pulsatis campanis. Cum uerò ubiq; per Italiam laboraretur peste, Cœlestinus iste anno Domini 1144, sexto sui Pontificatus mense absumebatur, in Laterano sepultus.

107. Lucius secundus, patria Bononiensis, ex Cardinale presbytero tituli S. Crucis in Hierusalem, post mortuum Cœlestinum, in omni superbia Pontifex creabatur. Qui statim Romanorum magistratum nouum, quem sub Innocentio secundo ad urbis commodum instituerant, demoliri & extirpare conatus est. Nam cum Innocentius ille, consulum electionem ferre nō uellet, elegerunt Romani prisco more, Patricium nomine Iordanum. Non enim uolebant pontificum uiolentias diutius ferre. Is urbis regalia, tum intra muros tum extra, repoposcit: atq; ius illud officij nomine ad se pertinere, quod Pōtifex, abrogatis patricijs, per Carolum Magnum tempore tam longo usurpauerat. Iussitq; (ô magnum hæreticum, Romanæ curiæ non ferendum) ut Pontifex prædecessorum exemplo, primitijs, decimis & oblationibus contentus uiueret. Lucius autem à Romanis propter hæc uehementer exagitatus, supplex per legatos Conradum imperatorem in Italiam uocabat. Sed Conradus aliūde impeditus, illuc uenire non poterat, nec eius tunc inseruire tyrannidi. Lucius ergo alia uia rem aggrediendam ratus, expectabat donec semel essent senatores omnes cum patricio unà in Capitolium congregati, ut de suis rebus consultarent. Tunc collecto milite, pontifex Capitolium inuasit (Papaliter factum) ut senatum illum uel omnino perderet, uel saltem expelleret. Fama statim de pontificis conatu, per urbem spargebatur. Populus cucurrit ad arma, fiebatq; atrox pugna. Lucius (sanctissimus pater) militiæ immixtus, ad Capitolium, lapidibus et saxis ita est quassatus, anno Domini 1145, ut breui post ictus illos sit mortuus, primo nondum finito sui pontificatus anno.

108. Eugenius tertius, patria Pisanus, Cisterciensis olim sectæ sub D. Bernardo monachus, eiusq; discipulus, & Romæ ad S. Anastasium abbas, consensu Cardinalium, Lucio prædicto, in Papatu hac ratione successit. Cogitauerant enim Cardinales, in præsenti tunc rerum statu non expedire, ut ex suo collegio quisquam in pontificem eligeretur, cum ita ius libertatis à Romanis ciuibus quæreretur. Bernardi quoq; crebrescentem famam, multum in rem suam facere putabant: atq; si eius discipulum eligerent, præceptoris authoritatem, auxilium & consilium nunquam defuturum suis desiderijs sperabant. Nec eos fefellit spes subdola. Auxit enim Bernardus quantum potuit, Rom. pontificis authoritatem, ut in 2. libro Considerationum uidere licet. Eugenius autem, mox inito Pontificatu, intellexit populum instare uelle, ut suorum senatorum electionem ratam haberet. Noctu igitur cum Cardinalibus in Sabinos, ad Farfense monasterium abijt: ibiq; cōsecratus, Viterbium perrexit. Vbi Romanos omnes, qui urbis ciues electo patricio Iordano parêre coegerant, cum ipso Iordano excommunicauit. Iunctoq; suo exercitu cum Tiburtinorum copijs, antiquis Romanorum hostibus (sanctum Papæ studium) Romanos ad petendam pacem compulit. Quam ea lege demum concessit, ut patriciatus principatum plenè abolerent, & suum præfectum pristino loco suo restituerent: & ut in futurum, quos ipse Papali authoritate illis daret senatores, solos acciperent. Paceq; in hunc modum facta, in urbem regrediebatur. Sed quoniam postea sentiebat subesse dolum, insidias ueritus, Tiburium dilabebatur. Romani mox fugientē, sagittis & armis insequebatur. A' Tiburi ergo Pisas nauigio appulsus, in Gallias demum peruenit. Et D. Bernardi opera usus, Ludouicum et alios exorauit reges, ut in Turcas expeditionem pararent: qui tamen nihil præclari fecerunt. Concilium Rhemis habuit, in quo inanissima statuta pro monachis edidit, ut hæc sunt. Ne monachus lucri causa cœnobiū exiret, ne puerum in baptismo testis leuaret, ne baptizaret, ne pœnitentias daret, ne ægrotos inuiseret, ne mortuorum funeribus adesset, & ne secularem ecclesiam gubernaret: cum ille ipse tamen monachus omnium ecclesiarum monarchiam diabolorum sanctissimus usurparet. Sed ne scortarentur, aut pædicarent (quod sacrificulis ac monachis commune est) nullam tulit legem. Profanarum artium scholas erexit, porticum S. Mariæ ad præsepe extruxit, Gilbertinorum in Anglia sectam confirmauit, Noruuegios per Hadrianum Anglum ad Papismum conuertit, & alia quædam prodigia fecit. Romam reuersus, anno

Domini 1152. communi fato tum demum occubuit, in basilica Petri sepultus.

109. Anastasius quartus, patria Romanus, ex patre Benedicto quodam genitus, fuit primùm abbas S. Rufi in Veliterna diœcesi: postea sub Eugenio Romanæ synagogæ Cardinalis, & ex Cardinale Papa, uel ipsißimus Antichristus. Hic nihil fecit dignum (inquiũt Barnus & Funccius) quod ad posteros referatur, nisi quòd calicem magni ponderis Lateranensi templo dederit, et S. Mariæ rotundæ fabricam ædificauerit. Anastasius (ait Platina) pontificatum adeptus, & calicem pulcherrimi operis, magnæq; æstimationis Lateranensi basilicæ cõdonauit, & ædes egregias apud Pantheon, quod ad S. Mariam rotundam uocant, breui ædificauit. Plura enim mente destinauerat, tum ad dignitatem Ecclesiæ, tum ad ornatum urbis Romæ pertinentia, si ei aliquandiu uiuere licuisset. Sed sui pontificatus anno secundo, anno scilicet Domini 1154, uitam cum morte commutauit, in Lateranẽsi templo tumulatus. Per hunc Anastasium, ut Matthæus Parisius refert, defuncto Henrico Mordacho, ambitioso monacho, quem Eugenius eiusdem profeßionis Papa intruserat, Guilhelmus Eboracensis archiepiscopus suæ sedi restitutus fuit. Qui tamen Guilhelmus, hausto in ipso calice inter sacra ueneno, eodem anno Domini 1154 sublatus est, & pro sancto colitur. Sub eo etiam Pontifice, Thamesis fluuius in Anglia memorabilis, ita gelabat, ut rhedas ac plaustra ferret. Et parum antea eclipses erãt tam solis quàm lunæ, teste Misæo: quas secuta sunt fulgura, tonitrua, & pluuiæ, tempestasq; horrida cœlum commouit & undas.

110. Hadrianus quartus, natione Anglus, Nicolaus Breksp eare, Latinè Hastefragus, ante Papatum dictus, & Roberti cuiusdam monachi ac sacerdotis ad Albani fanum filius, ex regulari Canonico & episcopo cardinale Romanus fiebat Pontifex. Ab Eugenio tertio ad Noruuegios hic olim fuerat missus, ut Romanam religionem, omni diabolicarum superstitionum genere refertam, eos doceret. Qui tandem inde rediens, & urgente clero magnus Abadon effectus, noluit in Lateranũ ut consecraretur ascendere: nisi prius consentirent, ut Arnoldus Brixiensis episcopus, quem nominabat hæreticum, urbe pelleretur. Suaserat ille Romanis, ut amissam libertatem (grande piaculum) eligendi magistratus, & administrandæ urbis repeterent. Sed cum populus obstinatæ pontificis petitioni obsisteret, magnæ turbationes sunt excitatæ. Pontifex uerò ad arma solita, quibus mundi monarchas domare consueuerant, recurrens, Romanos excommunicationis fulmine feriebat, donec Arnoldum eijcerent, & consules abdicare se magistratu cogerent, liberamq; suæ sanctitati urbis administrationem relinquerent. Interea Fridericus Imperator pro subigendis rebellibus, collecto exercitu in Italiam mouebat, & Romam citatis agminibus perrexit.

Pontifex cum clero apud Sutrium Imperatori fit obuiam, putans se opportunitatem nactum, ulciscendi se per illum de suis aduersarijs. Equo relicto, pedes Imperator Pontificẽ excepit, ac sinistrã sellæ strepam descendenti de iumento tenuit. Quod Papa (superbißimus Sathan) ludibrij loco duxit, quum (ut ille arroganter petiuerat) dextera fuisset contrectanda. Cui nonnihil commotus Imperator, paululum subridens respondit: Minimè se studuisse apprehendendis strepis. Tu primus es, pater, (inquit) cui tali officio unquam deseruiuimus. Et quia loquẽdo, bilis ei mouebatur magis: Scire uelim abs te (ait) officij genus hoc, ex debitó ne sit, an beneplacito? Quod si ex beneuolentia descendit, quis causabitur negligentiam in spõtaneo? Si non ex debito, parum interesse putamus, quo latere accesserit, qui uenerabundus accedit. Seuerius sic collocuti, discedunt utrinq; non sine stomacho. Imperator tamen, homo prudentißimus, dißimulans ea omnia, quæ de portentoso fastu Pontificis audierat ac uiderat, die postero Pontificẽ in sua castra reuocabat. Pontifex autem aduenit. Imperator illi obuiam ibat: atq; ex priore eius obiurgatione doctior factus, dextram sellæ strepam apprehendit, perduxitq; intus.

Consedentibus ipsis, Hadrianus ordiebatur hunc sermonẽ: Priscæ ætatis principes (inquit) qui ad petendam coronam uenerant (uide Antichristum in sua natura) solebant insigni aliquo officio Rom. ecclesiæ beneuolentiam promereri, ut suo uelut officio præuenientes benedictionem, & debitam coronã omnibus præclaro facinore testarentur. Sic Carolus, dum domuit Longobardos: Otho, dum cõpescuit Berengarios: Lotharius, dum Normannos repreßit, coronam Imperij meruere. Quocirca tua serenitas Apuliam, Romanæ ecclesiæ prouinciam, iam à Normannis occupatã, nobis eccle

sicq; restituat: deinde quæ nostri officij sunt, facilè exequemur. Cum ergo uiderent principes pontificem in ea sententia esse, quòd Fridericum coronare nollet, nisi prius Apuliam, à Guilhelmo Siculorum rege occupatam, armis & impensis suis restitueret: pollicentur id futurum, collecto nouo exercitu ex Germanis militibus, cum præsens exercitus esset detritus, modò uellet Cæsarē coronare. Altera ergo die in D. Petri basilica, à pontifice Imperiali diademate insigniebatur. Sacris de more peractis, & plus mille ciuibus, qui commotiones in urbe fecerant, cæsis, reditum in Germaniam parauit.

Post Imperatoris decessum, eius ope destitutus Papa, ad eas perfidias animum intendit, quibus posset Guilhelmum Apulia priuare. Excommunicabat primùm, nolentem sibi Apuliam cedere, quā iure successionis à patre acceperat: subditosq; eius omni sacramento datæ fidei liberabat, ut eo facilius ab illo deficerent. Sed cum cerneret, hæc parum ponderis habere apud Guilhelmū, Græcorum Imperatorem Emanuelem contra illum euocabat, apud quem nouerat esse exitiale odiū erga patrem eius defunctum. Quod timens Guilhelmus, pacem à Pontifice per legatos petijt, promittēs se omnia restiturū. Sed hanc ne Papa concederet, quidam dissuaserunt Cardinales, putātes (patres sancti) sibi plus lucri prouenire ex bello, quàm ex pace. Bellū igitur Guilhelmo Papa denunciabat. At Guilhelmus rex moram noxiam ratus, ex tota Sicilia exercitum cōtraxit. Apuliam classe petijt, Emanuelem in fugam uertit: Beneuentum urbem, ubi tum Papa cum Cardinalibus aderat, ita oppugnauit, ut de uita desperantes, peterent pacem. Concessit Guilhelmus, recipiebaturq; in gratiam à Papa, et declarabatur ab eo utriusq; Siciliæ rex: prius tamen iuramēto ei dato, quòd nō esset amodò ea infestaturus, quæ essent ecclesiæ Romanæ. Romam ergo cum summa ignominia Pontifex redijt: ubi præter opinionem in contentionem ciuilem incidit, consulibus ciuitatem in antiquam libertatem asserere conantibus. Et cum per consueta excommunicationum fulmina nihil posset ad suam uoluntatem, Ariminum concessit.

Domi consistens Imperator, dum hæc gererentur, considerato quòd Papa prius ius inuestituræ prælatorum Cæsaribus præripuisset, per legatos suos nationes omnes compilasset, & defectionis semina sparsisset per totum imperium, ab omnibus Germaniæ episcopis homagium ac fidelitatis iuramentum exegit. Legatos Pontificis, si in Germaniam uenirent (ab ipso Cæsare non uocati) excludendos esse mandauit. Et ad Romanam sedem suos appellare uetuit, nomenq; suum in suis literis pontificio prætulit nomini. Quo eius facto, in tantum mouit superbissimum Papam, ut acerrimis literis ad eum datis, cum ipso grauiter de his rebus expostulauerit. Quas libuit adscribere, ut hæc melius intelligantur.

Hadriani ad Cæsarem literæ.

Hadrianus episcopus, seruus seruorum Dei, Friderico Imperatori salutem, & Apostolicam benedictionem. Lex diuina, sicut parentes honorantibus longæuitatem promittit: ita maledicentibus patri & matri, sententiam mortis intendit. Veritatis uoce docemur, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur. Quapropter dilecte in Domino fili, super prudentiā tuam nō mediocriter admiramur, quòd beato Petro & S. Romanæ ecclesiæ, nō quantam deberes, reuerentiam exhibere uideris. In literis enim ad nos missis, nomen tuum nostro præponis: in quo insolentiæ, ne dicam arrogantiæ, notam incurris. Quid dicam de fidelitate beato Petro & nobis à te promissa & iurata, quomodo eam obserues? Cū ab his qui dij sunt, & filij excelsi omnes (episcopis uidelicet) homagium requiris, fidelitatem exigis, et manus eorum sacratas manibus tuis innectis, manifestè nobis factus contrarius? Cardinalibus à latere nostro directis, non solum ecclesias, sed & ciuitates regni tui claudis. Quid dicam? Resipisce ergo, resipisce, tibi consulimus. Quia, dum à nobis consecrationem & coronam merueris, dum inconcessa captas, ne concessa perdas, nobilitati tuæ timemus. Vale. Ad has Pontificis literas Imperator ita respondit.

Friderici Cæsaris responsum.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hadriano Rom. ecclesiæ pontifici, omnibusq; adhærere uolentibus ijs quæ cœpit Iesus facere & docere, S. D. Lex iusticiæ unicuique quod suum est restituit. Non enim parentibus nostris derogamus, quibus in hoc regno nostro debitum exhibemus honorem, à quibus (uidelicet progenitoribus nostris) & regni dignita-

tem suscepimus, & coronam. Nunquid tempore Constantini, Syluester Regalis aliquid habuisse dinoscitur? Sed eius pietatis concessione libertas data est ecclesiæ, pax restituta, & quicquid Regalis Papatus uester habere dignoscitur, largitione principum donatur. Vnde cum Romano pontifici scribimus, iure ex antiquo nomen nostrum præponimus, & ad iusticiæ normam eidem nobis scribenti concedimus. Reuoluite annales: et si lectum neglexistis quod asserimus, illic inuenitur. Ab his autem qui dij sunt per adoptionem, & Regalia nostra tenent, cur Homagium & regalia sacramenta nõ exigamus? cum ille noster & uester institutor, ab homine rege nihil accipiens, sed omnia bona omnibus conferens, tamen pro se & Petro censum Cæsari persoluit, & exemplum uobis dedit, ut & uos ita faciatis? Docet itaq; uos, dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Aut igitur Regalia nobis dimittãt: aut si hæc sibi utilia iudicauerint, tunc quæ Dei, Deo: quæ Cæsaris, Cæsari persoluant. Cardinalibus utiq; uestris clausæ sunt ecclesiæ, & non patent ciuitates. Quia non uidemus eos prædicatores, sed prædatores: non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores: non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrasores. Cum autem uiderimus eos, quales requirit ecclesia, portantes pacem, illuminantes patriam, assistentes causæ humilium in æquitate: necessarijs stipendijs et commeatu eos sustentare non differemus. Humilitatis autem (quæ est custos uirtutum) & mansuetudinis uestræ non minimam notam incurritis, cum huiusmodi quæstiones religioni non multum conferentes, secularibus personis proponitis. Prouideat itaq; paternitas uestra, ne dum talia mouet quæ indigna ducimus, offendiculum ponat illis qui uelut ad imbrem serotinum ori uestro aures suas arrigere festinant. Non enim nõ possumus respondere auditis, cum superbiæ detestabilem bestiam usq; ad sedem Petri reptasse uideamus, paci ecclesiæ semper bene prouidentes. Valete.

Potes in his literis (pie lector) uidere stupidam in sanctissimo patre cæcitatem: & in ipso Imperatore insignem Christianæ sapientiæ cognitionem. Cum prudentissimus Imperator ille, non tantum honorem ambitioso ac superbo Pontifici daret, quantum eius petebat arrogantia, Imperijq; ius non segniter defenderet: idem pontifex per suos legatos, defectiones ab illo per Italiam & alias regiones procurabat. Et ut inde haberent promptiorem occasionem rebellandi, certis cæremonijs illum excommunicabat publicè. Fecitq; latenter, ut rebellium cõspiratio, legibus his, iuramento etiam præstito, firmaretur: Ne quis sine aliorum omnium consensu in pacem cum eo rediret. Item si contingeret Hadrianum ipsum mori, alium non eligerent Papam, nisi ex conspirantium Cardinalium numero. Sed non multo pòst, cum expaciaretur cum suis apud Anagniã, tantæ impietatis anno Domini 1159, quinto Pontificatus anno, pœnas dedit. Musca enim inuolauit in os: quæ, quia medicorum arte eximi nõ poterat, præclusit illi spiritũ, atq; ita suffocatus obijt. Ioannis Funccij testimoniũ ex Barno. Hinc Itali dolis in Fridericum usi, per morionem ficticium, musices peritum, eum ferè occidissent, nisi per fenestram se in aquam præterlabentem præcipitasset Imperator. Morio deprehensus, per eandem fenestram præcipitatus gulam fregit. Hinc intoxicatorẽ Arabem, qui frena, calcaria, annulos, nolas, & alia id genus infecerat ueneno, ut solo contactu eum occiderent, subornabant. Sed et is proditus, suspendio mulctabatur. Hadrianus Romanam ditionem plurimum auxit: circa locum Vulsinum castella erexit, Radicophanum arcibus muniuit, urbemq; Romanam ædibus ac mœnibus cultiorẽ reddidit, & Hyberniæ dominatum Henrico secundo Anglorum regi concessit.

GVALTERVS CALENIVS. LXV.

Gvalterus Calenius, genere quidem ex Cambria Brytãnus, sed officio archidiaconus Oxoniensis, ob eruditionem eximiam, à sui temporis scriptorib. candidè celebrabatur. Sed hoc præcipuè (inquit Lelandus) memorabili facto, quòd ueterum librorũ indagator sedulus, ex Armorica, Brytannicam historiam Brytannicè scriptam, ad suos Brytannos reduxerit, ac publicam esse uoluerit, &c. Arte enim oratoria, secundum authores, & exoticis, seu aliunde petitis scriptis locupletatus, hoc uetustissimum opus Galfrido Monemuthensi permisit, ut in Latinum sermonem quorundam optimatum rogatu transferret. Continet opus regum Brytannicorũ seriem ac gesta, à Bryto seu Brytone (sic eum uocant Nennius, Lilius Gyraldus, Po-

lydorus,

lydorus, et Huloetus) primo eorum rege, usq; ad Cadvualladrũ, Cadvuallonis inclytũ filium. Huius historiæ à multis impugnatæ, defensionem non segnẽ suscepit Ponticus Virumnius, Italicus scriptor, ob rerũ in ea traditarũ & uetustatẽ & ueritatẽ, atq; in Epitomen redegit. Et ne suo tandem deesset officio Gualterus, ab eo tempore ad suam ætatem, per quadringentos et amplius annos, non ineleganti sermone, Ranulpho teste,

Auctarium edidit, Lib.1.
Gesta sui temporis, Lib.1.
Epistolas familiares, Lib.1.

Atque alia plura scripsit. Claruit ætate florenti, uaria componens ac scribens, anno ab incarnato Dei filio 1120, sub Henrico primo Anglorũ rege. Quem aliqui tamen scribunt post 30 annos, in episcopũ Excestriensem electum & confirmatum.

APPENDIX.

His temporibus in usum uenit, sophisticè disputare, ac in superstitione miracula edere. Dißidia & scandala per mundum regnabant, blasphemiæ atq; idololatriæ dominabantur ubiq;. Interim Tanchelinus quidam, Antuerpiæ & alibi prædicabat, sacerdotium Papisticum nihil esse, neq; eorum sacrificia cuiquam prodesse. Ei tunc restitit scripturis miserè detortis, Norbertus Præmonstratensium magister, cœnobiumq; in eadem urbe condidit: ut illic semper adessent, qui illam doctrinã suo more profligarent. Anno Domini 1123, in Romana synodo Calixtus secundus, Hildebrandi statutum de abdicandis ministrorum coniugibus renouauit, ac ieiunia quatuor temporum instituit: edixitq;, à Romana ecclesia non licere in aliquo dißentire, hanc addens rationem: Quia (inquit) ut filius Christus uenit, facere uoluntatem patris: ita Christianos oportet facere uoluntatem matris, Romanæ ecclesiæ. Hic uide superbiam scortatricis magnæ, matris omnium abominationum terræ, Apoc. 17.

FLORENTIVS VVIGORNIENSIS. LXVI.

FLorentius Brauonius, Vuigorniensis monachus, homo utraq; disciplina, humana & diuina opiparè præditus, maximum sibi ex editis opusculis doctrinæ comparabat nomẽ. Ingenium planè habuit, ad quodcunq; uolebat, apertum & cõspicuum, memoriam splendidam ac fœlicem. Tam ingenuè à teneris annis institutus fuit, & ita ad bene merendũ propensus, ut nullam sineret præterire diem, quin aliquam duceret lineam ad patriæ suæ splendorẽ. Ex frequenti & crebra Chronicorũ lectione, Chronographus euasit ætate sua magnus: Gildam, Bedam, Adonem, Marianum, Sigebertum, & similes religiose secutus. Illustrium uirorum facta, seruato temporũ ordine, ac debito locorum iconismo, ut pellucida quadam pictura, ob oculos posuit. Vnde posteris demum reliquit, ad celebrem Anglicæ antiquitatis memoriam, eximia ingenij sui monumenta & dona, Latino sermone conscripta,

Chronicon, ex Chronicis, Lib.1. *Brytannia insula habet in longitu.*
De regali Anglorum prosapia, Lib.1. *Adam primus homo genuit fil.*
Appendices ad Marianum Scotum, Lib.1.
De rebus sui cœnobij, Lib.1.

Et alia nonnulla. Obijt tandem, non sine suorum luctu, anno nati Seruatoris 1119, sub prædicto Henrico primo Anglorum rege. Hunc sequuntur ac laudant, Gualterus Couentriensis, Ranulphus Higdenus, & Ioannes Rossus.

APPENDIX.

Anno Domini 1121, ex quibusdam superstitiosis Eremi cultoribus, post solutum de suo carcere Satanam, monasterialis Carmelitarum ordo creatus primùm fuit hoc modo. Ioannes Hierosolymorum antistes, D. Hieronymo synchronus, in opere suo De institutione primorum monachorum ad Capra

sium, & Iosephus Antiochenus, in Speculo militiæ primitiuæ ecclesiæ, cap. 12. solitarios quosdam uiros, Carmelum Syriæ Palæstinæ montem, ob loci amœnitatem et famam, incoluisse commemorant. Primus usq; ab Helia Thesbite, propheta magno, adfert eorum initium: alter ab Apostolorum prædicatione per Galilæam, Samariam, et Palæstinā. Ab eo enim tempore, quodcunq; id fuerit, suo semper arbitratu uiuebant liberè, nullis astricti cæremonijs aut uotis, ut ad Eusebium Cyrillus presbyter scribit: donec post mille annos à Seruatoris natiuitate, de abysso sit Satan solutus, Apoc. 20. Ex tunc corruptis prioribus eorum uijs, paulatim incœperunt ab illius retibus capi, teneri & captiuari. Pellucidè id ex sequentibus claret. Nam circa annum Domini 1090, episcopo in patriarcham eleuato, cœperūt peregrinationes Hierosolymam fieri, sacra frequentari loca, ac demum superstitionibus pollui. Ad hos postea solitarios, infra sexennium, uenit famigeratus ille Petrus Eremita, qui preculas illis, earum primus inuentor, dedit, & Mariæ Psalterium docuit. Quum uerò cum hoc essent ex aduentantium donarijs aliquanto pinguiores effecti, ac Heliæ sanctitatem cum Deiparæ patronatu ex quibusdam fictis uisionibus fortiter iactitassent, anno Domini, ut prius dictum est, 1121, illuc accessit Almericus patriarcha Antiochenus, Rom. sedis in illas partes legatus. Qui undiq; per montē illū dispersos collegit, in ordinemq; disposuit, cœnobiū ingens cōdidit, ordinationes fecit: præfati Ioannis librum, quem Græcè scriptum illuc usque seruauerant, in Latinum sermonem transtulit, ut deinceps esset ex Hebræis, Latinis & Græcis, Latina religio. Generalem præsidem primum, Bertoldum Aquitanum, suum nepotem, eis dedit (ecce primum laqueum) & illos sub eius obedientia colligauit. Super candelabrū Romanæ ecclesiæ (inquit Ioannes Paleonydorus, eorum Chronographus) eos hic posuit, ut per uniuersam Europam lucerent. Scriptura bene applicata. Mox curritur à speluncis ad cellas, & à cauernis petrarum ad claustra phalerata. Ita sunt à fide ad fabulas translati, & ab interno Dei amore ad meras nugas deducti. Prius erāt ex ea fide soli Deo noti, nunc fiunt ex fucatis cæremonijs mundo cogniti. Quos suos tunc Deus ex cordibus agnoscebat, nunc per cucullas pro suis mūdus agnoscit. Prius autem in spiritus humilitate, fide, & Dei uerbo, Christo parebant: nunc uestibus, cæremonijs, hominum placitis, atq; externis operibus mundo ac uentri inseruiunt. Sed ante Satanæ solutionem talis ordo Carmelitæ non erant. Hæc scripsi (pie lector) ut hic uideres, qualia initia Antichristianæ sanctitatis Ordines habuerint. Sed quàm artificiosè postea in eis fuerit operatus idē Satan, ex eorum progressu in sequentibus patebit. Hunc tibi ordinem ad præsens proposui, ceu præ cæteris mihi notum, ut in eo tanquam speculo, cæteros eius generis peruideas, uel illos saltem ab eo metiaris.

ACHARDVS CANONICVS. LXVII.

Achardus, Canonicus regularis, ad diui Augustini methodum uitam suam formasse, & in terra Eboracensi Bridlingtonæ Canonicorū cœnobium olim inhabitasse, à multis putatur. Ingentem per illos dies à uitę integritate gloriam assequebatur, sed à uariarū literarū notitia multo adhuc maiorē. Eruditus philosophus erat, sed longè eruditior theologus, ut eius scripta fatetur. Bostonus Buriensis, in magno scriptorum suorū Catalago, istum inter purioris doctrinæ professores collocat: quamuis pauca ex multis opuscula sua commemoret. Illud idem facit Ioannes Lelandus, non ignauus talium collector, in collectaneorum suorum opere. Inter cætera igitur istorum testimonio composuit, ut colophonem his adddam,

De Christi tentatione, Lib. 1. Ductus est Iesus in desertum.
De sancta Trinitate, Lib. 1.
Homelias eruditas, Lib. 1.

Atq; alia plura. Quum præfati authores annum quo floruit Achardus, non addiderint, ego certè non apponam. Sufficiat lectori cognoscere, illum his temporibus in precio fuisse, & inter Romanas superstitiones aliquid lucis habuisse.

EAD-

EADMERVS DOROBERNENSIS. LXVIII.

EAdmerus Dorobernensis, ad fanum Seruatoris in eadem urbe monachus, archipręsulis Anselmi auditor olim ac discipulus summè dilectus, ex uenenifero calice meretricis magnæ sub eo poculum hausit. Imbibitis re uera primùm gentilium philosophorum ac poetarum fæcibus, nihil magis in uotis habuit, quàm pro promouẽdo Antichristi regno, diuinas corrumpere leges, atq; aniles fabulas ueritati anteferre. Hæc profectò luce clariora sunt, inspicienti ineptissima quæ exarauit opuscula, dum adhuc habitaret Cantuariæ, ac postea fuisset ad Albani fanum ditissimus abbas. Romanarum rerum peritus, cum prædicto Anselmo Romã proficiscebatur, non solùm itineris comes, sed & uitæ suæ corrector ab eo petitus, atq; à Romano pontifice Vrbano 2 cõcessus & datus. Scripsit Eadmerus iste uolumẽ grande, de magna illa discordia, quæ tandiu durauerat inter Guilhelmum Rufum Anglorum regem, & Anselmum. In quo plenis (ut aiunt) buccis, bestiæ Romanæ tuetur partes: cui titulum præfixit

De libertate Ecclesiastica, Lib. 1.
Historiam nouorum in Anglia, Lib. 6. *Cum præsentis ætatis uiros.*
Vitam Anselmi archiepiscopi, Lib. 2. *Quoniam multas & antecessorum.*
Vitam Vuilfridi archiepiscopi, Lib. 1. *Anno qui ab incarnatione.*
De D. Mariæ laudibus, Lib. 1.
Instituta Christianæ uitæ, Lib. 1.
De gestis sui temporis, Lib. 1.
Querelam super morte Anselmi, Lib. 1.

Et alia plura composuit. Portenta multa in suis reliquit scriptis, quibus decipi ac dementari possent lectores incauti. Claruit præstigiator ac sophista, anno Christi 1121, quo præsulatum D. Andreæ in Scotia, Simone Dunelmensi teste, dereliquit.

APPENDIX.

Beatus Bernardus in uita Malachiæ episcopi, scribit, quòd uxores habuerint Hibernorum præsules, ad hos annos usq;. Nam ante Malachiam istum fuit Celsus archiepiscopus Armachanus, uir (inquit) proceri ac reuerendi uultus, qui uxorem ac liberos habebat, illius gentis more. Hæreditaria enim successione Pontificatum cum spirituali totius terræ primatu, per 15 generationes gerebant, et octo illorum literatissimi fuerunt. Nec patiebatur episcopari quenquam in ea diœcesi, extra eandem familiam ac tribum. Hæc etiam habent, Vincentius, Antoninus, Petrus Equilinus, & Ioannes Capgrauius, in uita eiusdem. Malachias uerò primus fuit, qui in illo officio cœlibatũ admisit, circa annum Domini 1120. His diebus prælati papistici, res ita ad suorum ipsorum commodum ex Aristotele suo diffiniebant: Collatura laicorum principum in beneficijs ecclesiasticis, est Simoniaca hæresis: Sacerdotum in Dei timore coniugium, Nicolaitarum fornicaria coniunctio est. Sed addam ego hoc parergon: Rasorum diabolorum certè hæc noua theologia est.

ATHELARDVS BATHONIENSIS. LXIX.

AThelardus Bathoniensis cœnobij monachus, naturalium rerum mysteria & causas omnes, diligẽtia tam undecũq; exquisita perscrutatus est, ut cum aliquibus ueteris seculi philosophis non indignè cõferri possit. Hic olim spectatę indolis adolescens, ut uirente adhuc ætate, iuuenile ingenium fœcundaret, atq; ad res magnas pararet, relicta dulci patria, longinquas, dexter ac feruidus, petijt regiones. Cum uerò Aegyptũ & Arabiam peragrans, plura inuenisset quæ eius iam desiderabat animus, cum magno laborum ac literarum lucro in Angliam tum demum reuertebatur. Erat certè philosophus, astronomus, rhetor ac poeta non uulgariter eruditus & facundus,

cundus, linguis atque artibus excellens. Qui post uarias ex peregrinis linguis translationes, ut & mortuus suorum studiorum reliquias posteris impartiret, ad Ricardum Baiocensem episcopum scripsit opus philosopho dignum, De naturis rerum, seu

Naturalium quæstionum,	*Lib.1. Cum in Angliam nuper redierim.*
De causis rerum naturalium,	*Lib.1. Enucleat causas liber iste.*
Sic & non sic,	*Lib.1. Meministi ex quo incœpimus.*
De VII artibus liberalibus,	*Lib.1. Sæpenumero est à Philosophis.*
Ezichiafarim ex Arabico transtulit,	*Lib.1. Liber iste septem Planetarum.*
Euclidis Geometriam transtulit,	*Lib.1.*
De Astrolabio,	*Lib.1.*
Problemata quoq;,	*Lib.1.*

Atq; alia nonulla. In primo suo opere Athelardus agit de rerum naturalium initijs, naturis, & effectibus, contra uanas ueterum philosophorũ opiniones. In cuius Præfatione, claruisse se scribit anno Virginei partus 1130, Henrico primo regnante.

ARNVLPHVS CONCIONATOR. LXX.

Arnulphus Concionator, monachus Anglus (non Beluacensis, *ut alii qui scribunt*) sub Anselmo archiepiscopo ad Seruatoris fanũ Cantuariæ præses primùm erat, postmodum abbas ad Burgum Petri. Quum uerò Henricus rex, quinquennio ferè uacantẽ Cantuariæ archipræsulatum, Radulpho Roffensi dedisset, Radulphus non alium in priori sede successorem uoluit quàm istum Arnulphum. Constitutus ergo Roffensis episcopus anno Domini 1113, honores nõ ambiebat, sed constanter & absq; hominum timore, Dei uerbũ populo prædicabat. Quod cum fecisset tandem Romæ, Christianæ religionis propugnator egregius, in eius necẽ Scribarũ et Pharisæorum clerus conspirabat. Prælatorum enim uitia insectabatur acerbè. In eorũ impudicitias atq; libidines perfortiter inuehebat. Histrionicas illorum pompas arguebat, & in corradendis diuitijs immoderata improbabat studia, Christi paupertatem & uitam integerrimam omnibus proponens. Illorum igitur insidijs tandẽ atrociter mactabatur, anno Domini 1126 martyrij coronã adeptus. Composuit Arnulphus, dum esset in Anglia, ad quæstiones Lamberti abbatis Bertiniani

Praef. ad textum Roffens. p. 14.

Solutiones quasdam,	*Lib.1. Venerabili ac in gremio charitatis.*
De corpore & sanguine Domini,	*Lib.1. Faciem tuam uelabis, & non uide.*
De 6 uerbis Domini in cruce,	*Lib.1. Vltima Christi in cruce uerba.*
De operibus sex dierum,	*Lib.1.*
Homelias & sermones,	*Lib.1.*

Atq; alia. Hunc multi (inquit Platina) ex Romana nobilitate, tanquam uerum Christi discipulum, sequebãtur. hunc laudibus ad cœlum tollebant: hinc odium, hinc iræ in perniciem bene sentientis usq; ad necem excitatæ.

APPENDIX.

Anno Domini 1125, Ioannes Cremensis, tituli S. Chrysogoni cardinalis presbyter, ab Honorio 2 Papa missus fuit in Angliam à latere legatus. Hic in synodo Vuestmonasteriensi eodem anno damnauit in clero non solum coniugia, sed & omnem fœminarum usum. Quod cum grauissimè sacerdotes tangeret, & iam antè odorati fuissent Cardinalem illum esse fœdissimum scortatorem, ita cœperunt eum obseruare, ut nocte insequenti, cum meretrice famosa in lecto concumbentẽ ruptis clausuris inuenerint. Quo ille probro affectus, Romam confusus redijt, et sacerdotes ad suas mulieres. Sed uide hoc loco historicorum hypocrisim, potius impia furta, ne prælatorum sanctitas offendatur. Nomen hu-

men huius uiri (inquit Polydorus) nullo certè eius damno , minimè editum est. At Matthæus Parisius scribit, grande fuisse scandalum. Quomodo ergo poterat eius nesciri nomen ? Rogerus Houedenus dicit, apertißimum fuisse id facinus , quum editum esset Londini (inquit) ubi ingens est testium copia. Occultari non potuit (Henricus Huntingtonus ait) nec palliari debebat opus tam inuerecundum. Nomen illius Cardinalis ab omnibus est prolatum , immò ab illis quos sequebatur Polydorus. Simili etiam dolo utitur Platina in præfato Arnulpho. Fuerit'ne (inquit) hic sanctißimus uir, presbyter, an monachus, an Eremita, haud satis constat. Sunt qui scribant Honorio ipsi displicuisse, non tamen tanti facinoris authores unquam inuentos. Fucata Antichristianæ tyrannidis excusatio. Et barbarus quidam monachus, insignis hypocrita, parum ante hos dies, Anselmi tempore, in coniugatos sacerdotes hoc morbidum carmen scripsit:

O' male uiuentes, uersus audite sequentes.
Vxores uestras, quas odit summa potestas,
Linquite propter eum, tenuit qui morte trophæum.
Quod si non facitis, inferni claustra petetis.
Christi sponsa iubet, ne presbyter ille ministret,
Qui tenet uxorem, Domini quia perdit amorem.
Contradicentem, fore ducimus insipientem.
Non ex rancore loquor hæc, potius sed amore.

TVRSTINVS ARCHIEPISCOPVS. LXXI.

TVrstinus, Eboracensis archiepiscopus, uir magno animo & doctrina per eam ætatem singulari, Thomę iuniori, Thomę senioris nepoti (sic prælati suos filios, religionis ergò, appellare solebant) continuò successit. Is statim de authoritate cum Cantuariensi archiepiscopo, archiepiscopus certare cœpit. Et quamuis à rege Henrico rogaretur, ut seruaret quod cæteri archiepiscopi Eboracenses ex officio fecissent, acquiescere tamen noluit, nec eius in ea parte decreto stare. Propter quod Rex uehemẽter iratus, iussit eum aut parêre, aut præsulatu se abdicare. Qui, uti quidam produnt, neutrum fecit: sed à Calixto secundo Rom. pontifice defensus, pertinaciter contra utrunq; in sententia perstitit. Alij tamen scribunt, eum maluisse de dignitate cedere, quàm sibi cum Cantuariensi iurisdictionis cõmunitatem esse. Tandem cum rege prædicto in gratiam redijt: & regi Stephano tam acceptus fuit, ut eius fidei contra Scotos septentrionalem patriam commendauerit. Edidit Turstinus ad Guilhelmum Curboilum, archiepiscopum Cantuariensem,

De origine Fontanensis cœnobij,	*Lib. 1. Reuerendißimo in Christi chari.*
De suo primatu ad Calixtum,	*Lib. 1.*
Contra iuniorem Anselmum,	*Lib. 1.*

Atq; alia quædam. Satis constat, illum post multa ob pertinaciam detrimenta, archiepiscopatũ tenuisse usq; ad senectam, et mortem obijsse anno à Salutis origine per natum Dei filium 1139, sub Anglorum rege Stephano, atq; Eboraci esse sepultum.

APPENDIX.

Hinc cernere licet (inquit Polydorus) iam tum episcopos cœpisse delirare, cupiditate ac ambitione cæcos: qui non uiderint suum esse officium, spretis omnibus quæ uulgus miratur, animarum saluti tantummodo consulere. Vide etiam Lector, quàm arroganter se attollit cum suo Abadone, monachorum hypocrisis, super omne quod dicitur Deus. Has enim blasphemias habet Turstinus prædictus in opusculo suo de Fontanensis cœnobij initio: Benedicti regula (inquit) nõ tam allegorica expositione, quàm simplici experimento, & operis uisibili exhibitione exposuit, &c. Postea sequitur: Tametsi uideatur Euangelium emortuum & impoßibile in nobis, intueamur saltem monachos Saui-

nienses & Clareuallenses, qui nuper uenerunt ad nos, quàm clarè reuixit Euangelium in illis, ut si fas est dici, utilius sit eos imitari, quàm Euangelium recitare.

ELMERVS CANTVARIENSIS. LXXII.

ELmerus monachus, alter erat à prædicto Eadmero, atque aliquãto illo iunior, uir præclarè eruditus, & fama celeberrimus, in multa authoritate sub Radulpho archiepiscopo floruit. Cantuariæ ad Christi seruatoris fanũ hic multo tempore prior fuit, ut ubique per suas epistolas perspicuè satis tradit. Tantaque diligentia & industria usus ille erat in uersandis ueterum authorum libris, quantã (inquit Lelandus) nostri temporis monachi, melius pasti quàm docti, libenter non impenderent. Priores enim doctores, Hilarium, Augustinum, Hieronymum, & tales, quasi familiares amicos ad colloquium sæpissimè uocabat. Sed à posterioribus, Gregorio, Beda, Haymone, ac similibus, se uix post longa studia auelli sinebat. Non defuit demum tanto labori sua messis: sed eò processit, ut apud suos per literas immortalis meritò fuerit factus. Nunc de monumentis, quibus se posteritati commendauit. Scripsit equidem Elmerus

Homelias eruditas,	*Lib.1. Supernæ patriæ feruentissimo desi.*
Exercitia uitæ spiritualis,	*Lib.5. Redemptor noster Iesus Christus.*
De bono uitæ claustralis,	*Lib.1. Domino, meritò honorabili &c.*
Recordationes beneficiorum Dei,	*Lib.1. Euigila anima mea, euigila.*
Contra huius mundi miserias,	*Lib.1. Venerabili archidiacono Turstano.*
De inquisitione Dei,	*Lib.1. Suo Domino atq; charissimo Nicolao.*
De absentia uultus Dei,	*Lib.1. Non sufficit Domine, non sufficit.*
Epistolarum ad diuersos,	*Lib.2. Tertius credo iam annus est.*

Aliaq; multa composuit. Vixit ultimis temporibus Henrici primi Anglorum regis, anno scilicet à ueri Messiæ aduentu in carnem 1130: & diem uitæ suæ extremum obijt Cantuariæ, exactis in magistratu 18 annis.

APPENDIX.

Matthæus Parisius, hoc habet in tertio suorum Chronicorũ libro. Anno Domini 1129, rex Henricus concilium magnum tenuit Londini, calendis Augusti. Vbi à prælatis denuò tractatũ fuit de prohibendis sacerdotum focarijs (sic eorum uxores tunc uocabant) ne inuicem cohabitarent. Quibus rex facetè illusit. Accepto enim à sacerdotibus depacto censu, permisit illis suas uxores, ad molestiam ac derisum prælatorum. Simili paradigmate, anno Christi 1097, rex Guilhelmus Rufus, Anselmum & alios Papistici cœlibatus propugnatores lepidè deridens, pro annuo tributo presbyteris concessit liberum ad nuptas accessum, adnihilatis Hildebrandi perniciosissimis statutis. Radulphus de Diceto, etiam narrat in abbreuiationibus Chronicorum, quòd anno Domini 1137, Stephanus Anglorũ rex, ægrè ferens nouum episcopum Londini, per Guilhelmum decanum, Radulphum Langforde, Ricardum Belmeys, & alios de capitulo, ut uocant, ad Pauli fanum eligi, absq; consensu suo regio, fecit omnes eorum uxores capi, ad turrim duci, atq; illic captiuas teneri, donec de admisso crimine plenè respondissent. Talia tunc exempla apud Anglos multa erant.

GVILHELMVS MALMESBVRIENSIS. LXXIII.

GVilhelmus Malmesburiensis, Benedictinę sodalitatis monachus, Somerset proprio cognomine dictus, sub præceptoribus probis, priorẽ ætatem omnem politioribus studijs nõ infœliciter occupabat. Vir erat suo seculo in omni genere bonarum literarum planè eruditissimus, & in eruendis antiquitatibus ingenio, diligentia & industria singularis. Anglicæ nostræ nationis studiosissimus illustrator, à primo Anglosaxonũ aduentu in Brytanniam, per Pontificũ ac regum seriem historias ad sua tempora perduxit, elegantes ac pulcherrimas: nisi quod ex Christianæ prudentiæ defectu, im-

ctu, immoderatè extulerit execrabiles quasdam superstitiones. Enimuerò corruptissimum esse illud seculum, ineuitabile quodammodo fuit, Satana post solutionem ex abysso tam impetuose atq; importunè in clero Papistico regnante. Veruntamen in hoc nobis plurimum profuisse cum alijs multis creditur, quòd eius ætatis naturam et iniquos mores tam graphicè ac genuinè nobis depinxerit. Sed ut ad eius officia demũ deueniamus, Malmesburiensis bibliothecæ præfectus, & eiusdem ecclesiæ præcentor fuit, quæ honorũ genera apud monachos olim in leui non erant precio. Edidit Guilhelmus insignis scriptor, inter lucubrationes certè magnificas, ad Robertũ Glocestriæ ducem, Henrici primi nothum,

De regibus Anglorum,	Lib. 6. *Res Anglorum gestas, Beda uir.*
De pontificum gestis,	Lib. 4. *Prima sedes episcoporum post.*
Historiam Nouellam,	Lib. 3. *Domino amantißimo Roberto.*
Itinerarium Ioannis abbatis,	Lib. 1. *Principium & processum Malmesburi.*
In threnos Hieremiæ,	Lib. 4. *Sæpe monuisti ut stylum diu.*
Vitam Aldhelmi episcopi,	Lib. 1. *Beatus Aldhelmus Saxonica.*
De miraculis D. Andreæ	Lib. 1. *Inclyta sanctorum Apostolorum tro.*
De miraculis S. Mariæ,	Lib. 4. *Multi miracula uirginis glo.*
Genealogiam Henrici secundi,	Lib. 1. *Cum igitur clarißime uir, filius.*
Chronicorum fragmenta,	Lib. 1. *Domino uenerabili & famoso.*
De serie Euangelistarum,	Lib. 15.
Vitam sancti Patricij,	Lib. 3.
Vitam Dunstani archiepiscopi,	Lib. 2.
Vitam sancti Benigni,	Lib. 1.
Vitam sancti Indracti,	Lib. 1.
De uirtutibus sanctorum,	Lib. 1.
Epitomen Haymonis Floriacensis,	Lib. 1.
Antiquitates Glasconiæ,	Lib. 1.
Antiquitates Malmesburiæ,	Lib. 1.
De gente Vuydenorum,	Lib. 1.
Sermones & epistolas,	Lib. 2.

Atq; alia plura. Obijt mortem anno post natum seruatorem Iesum 1142, sub Stephano Anglorum rege, ac Malmesburię sepelitur. Ex huius Guilhelmi scriptis, magnam historialis Speculi partem deprompsit Vincentius ille Beluacensis.

ALPHREDVS BEVERLACENSIS. LXXIIII.

ALphredus Beuerlacensis, sacerdotalis ordinis homo, & sui in eadem urbe collegij thesaurarius, omnẽ operam literis hauriendis Cantabrigiæ (ut fertur) sub non indignis præceptoribus olim impendit. Vtraq; enim literatura, diuina scilicet et humana, non infeliciter exercitatus, ex discipulo cœpit esse magister, & ex clerico insignis doctor. Quum uerò in patriam Eboracẽsem esset post studia longa reuersus, multi eruditionis & doctrinæ gratia ad illum confluebant. Habebatur nanq; per eos dies, philosophus, historicus, ac theologus præclarus. Quale autem fuerit eius ingeniũ, Latini sermonis eloquium, aut in rebus uarijs iudicium, scripta ipsa quæ edidit, præclarè decernũt: præcipuè historiæ, quas plures & ordinatas cõposuit. Ab officio, quod illi à suis collegiatis impositũ fuit, Thesaurarij cognomen accepit: quod neque mors illi abstulit, sed apud aliquot scriptores immotum hucusq; manet. De uarijs euentibus, continuaq; regum successio-

ne ab origine Brytannorum usque ad suam ætatem opus contexuit, quod uocabat

Deflorationes Galfridi, Lib.5. *Brytannia maior, quæ nunc Anglia.*
De gestis regum Angliæ, Lib.1. *Finito regno Brytonum, Brytanniæ.*
De gestis regum Brytanniæ Lib.1. *Aggressus sum laborem, itaq; mihi.*
Historiam ampliorem, Lib.1. *In diebus silentij nostri, occur.*
Vitam D. Ioannis archiepiscopi, Lib.1.

Hearnedi Annales Oxonij 1716. 8vo

Et alia quædam. Claruit Alphredus anno à nostræ Salutis origine per Redemptorem natum 1136, sub Anglorum rege Stephano. Quo etiam anno Annales finiebat: ac Beuerlaci tandem, post aliquot annos sepulturam accepit.

APPENDIX.

Anno Domini 1138, Albericus Hostiensis episcopus, ab Innocentio secundo in Angliā missus, synodum Vuestmonasterij celebrauit. In qua post damnata & execrata tunc denuò ministrorum coniugia (ut Ioannes Hagustaldensis narrat) constituit, ut siligineus eorum Deus in pixidicula ultra octo dies deinceps non maneat. Accipe rationem: Ne fortè corruptus putrescat, mucescat, fœteat, aut escam & hospitium uermiculis ministret. Matthæus Parisius in 4. Chronicorum libro, hoc habet: *Anno Domini 1140, eclipsis per totam Angliam facta est cum terræmotu, ita terribilis, horribilis & tenebrosa, ut cœlestia defecisse uiderentur. Quod & huic congruere puto: Cum aperuisset sigillum sextum, ecce terræmotus magnus. Et sol factus est niger, tanquam saccus cilicinus,* Apoc.6. *per eclipsim seu obscurationem solis, intelligimus hoc loco defectū puræ doctrinæ Iesu Christi. Ab hoc tempore (inquit Tritemius) philosophia secularis, sacram theologiam sua curiositate inutili fœdare cœpit. Tunc cœptum est Oxonij, Parisijs, & alibi, curiosè disputari de authoritate Petri, de dignitate ordinis monastici, de præstantia sacri cœlibatus, de conceptione Mariæ, de fermento & azymo, de deificatione panis in altari per transubstantiationem, & similibus delirijs pro efferendis fastubus, hypocrisibus, lasciuijs, blasphemijs & idolomanijs Antichristi ac suorum rasorum. Hæc per prædictam eclipsim, cœli tunc enarrabant ad Dei gloriam: ut notum esset electis, in eius ira Scripturas sic impleri.*

OSBERTVS CLARENTIVS. LXXV.

Osbertus Clarentius, uel de Stoke Clare, monachus fani Petri, quod Londini celeberrimū est, Vuestmonasteriensis abbatiæ nomine: Benedicti monasticē & bonas literas, præter cætera quæq; diligenter excoluit. Clarentia, Polydoro teste, nobilis pagus est in comitatu Sudouolgiæ, ad fines Essexiæ comitatus, ubi fluuius Clarentius alterū ab altero discriminat, munitus ualida arce, quæ nunc bona ex parte diruta est. Non defuit (inquit Lelandus) Osberti instituto, in specie ualde honesto, suum tandem præmium. Nam eo nomine præses secūdarius, seu Prior, ut dici solet, monachis Petrinis suffragio publico designatus est. Auxerat in immensum gloriam eius magni cœnobij Edvuardus rex, Ethelredi regis filius, qui & primus regum sui generis ibidem moriēs sepultus est. Fuit ille quidem uir multæ simplicitatis, & apud plerosque sanctitatis calculo celebris. Noluit Osbertus tam clari principis facta illustria (*uide monachorum blanditias*) posteritati esse obscura: sed arrepto calamo, accurata perscripsit diligentia, nec minori elegantia (qua fide, nescio) opus, quod dedicauit Alberico, Innocentij secundi Rom. pontificis legato,

De uita eiusdem regis Eduardi, Lib.1. *Reuerendissimo Domino Alberico.*
Vitam Ethelberti martyris, Lib.1. *Gloriosus orientalium Anglorum rex.*
Vitam diuæ Edburgæ, Lib.1. *Fidelibus in Christo sororibus.*
Miracula martyris Eadmundi, Lib.1. *Cum laureatus Dei martyr Ead.*
Epistolas ad diuersos, Lib.1. *Innocentij summi Pontificis &.*

Aliud

Aliud epistolarum uolumen, Lib.1. *Præclaros uirtutum titulos.*

Et alia multa composuit. Bostonus Buriensis, qui in magno suo Catalogo hæc omnia eius opuscula connumerat, dicit illum claruisse, ac uaria scripsisse, anno incarnati promissi Messiæ 1136, sub Anglorũ rege Stephano prædicto.

ROBERTVS SALOPIENSIS. LXXVI.

Robertus Salopiensis, aliàs de Shrevuisbery, eadem opera (inquit Lelandus) & religionẽ & literas celebrabat, quæ postea ei uel ornamento eximio fuerunt. Per religionem, fortassis monachatum intelligit: per literas, sophistica præstigia. Nam cum Salopiani iam præses monasterij designaretur, & Gvuenureæ, aliàs Vuenefridæ uirginis exuuias (uide monachorum studia) è Cambria translatas, penes se retineret: decreuit ingenij labore (ut idolum auarus monachus ob uentrẽ erigeret) præclarũ aliquid de fœmina illa iam putrida, publicitùs exhibere. Vnde consultis Rossis & Ruthenis, gentibus Cambriæ limitaneis, elegantulum opus fecit. In quo multa de Trefonte, uilla uirginis natalicia, deq; uirgine ipsa & eius origine, de Caradoco impuro amatore, de Bennone, & eius monasterio, deniq; de Guitheriaco, unà cum Elerio institutore, referuntur. Titulus eius est,

De uita Vuenefridæ uirginis, Lib.1.

Opus illud Guarino monachorũ Vuigorniensis ecclesiæ præposito dedicauit. Ioannes Capgrauus in Catalogo sanctorum Angliæ testatur, Robertum claruisse anno à Christi seruatoris incarnatione 1140, sub Anglorũ rege Stephano.

HENRICVS SALTEREYENSIS. LXXVII.

Henricus Saltereyensis, eiusdem cœnobij Benedictinus monachus, in Huntyngtonensi comitatu & natus & educatus, ab ipsis ferè incunabulis, totus superstitioni deditus fuit. Post sui Benedicti professionem, Aristotelicas inuentiones edoctus, Chimæram fabricare ex ipsis ideis Platonicis affabrè nouit. Purgatorij fulciendi gratia ingeniosus artifex factus, Gregorij magni dialogorum quatuor libros, quatuor Euangeliorum loco tenuit, Aetnæ flammiferi montis adiutus incendio. De ipso tamen scribitur, quòd fuerit cuiusdam Florentiani Hibernorum episcopi imposturis delusus, atq; Gilberti de Luda (ô sancta societas) abbatis *Cistercensiũ instituti*, præstigijs deceptus. Nihilominus ut de tam sancti pectoris thesauro aliquid demum proferret, scripsit ad Henricum abbatem de Sartis,

Super purgatorio Patricij, Lib.1. *Patri suo in Christo præoptato.*

De pœnis purgatorij, Lib.1. *Iussisti pater uenerande, ut.*

Et alia quædam. Claruit Henricus eo tempore, quo Tundalus in Hibernia Carthusianus, à purgatorio suscitatus, ad suos redierat, uisiones enarrãs. Anno scilicet à Christi incarnatione 1140, sub rege Stephano.

APPENDIX.

Monachi his diebus uidentes sacræ Scripturæ cognitionem frigescere, & cõtemptui esse præ studio iurisconsultorum, disputationes scholasticas de rebus sacris instituerunt. Otho Frisingensis episcopus (inquit Aeneas Syluius) primus disputandi subtilitatem, ex Aristotelis doctrina receptam, ad Bauaros & Austrios detulit; ut impij cultus, & hypocriticæ monachorum inuentiones, pro necessarijs ac bonis operibus deinceps haberentur, imò ut pro articulis fidei in ecclesijs manerent: allegoricas interpretationes, morales disciplinas, patrum sententias, doctorum censuras, & ex Aristotele resolutiones ac problemata Scripturis addiderunt. Tunc nimirum intrabant spuriorum doctrinæ, quibus Euangelio sepulto omnia dimetiebantur. Petri Lombardi sententiæ theologicæ, Petri Comestoris scholasticæ historiæ, et Gratiani monachi pontificia decreta, ubiq; dominari cœperũt. Absq; his,

his, nihil sanum, nihil purũ, nihil credebatur in Ecclesijs religiosum. Et hi tres Ecclesiæ postes, ex uno execrabili (sancto dixissem) incestu sacerdotis & meretricis monachæ prognati fuerunt, ut Antoninus Textor & Agrippa referunt. Ab his transubstantiatio uires cæpit. Nouatiani, Arriani, et alij hæretici, in disputationibus olim confidebant, & tunc Papistæ idem suo regno maximè necessariũ esse sentiebant. At Orthodoxi unico & solo Dei uerbo contenti semper erant, scientes disputationes generare schismata, rixas, contentiones, confusiones, atq; hæreses. Signum tunc erat manifestũ, Antichristum adesse, cum fidei articuli in quæstiones, opiniones, et dubia traherentur. Sententiarũ uerò Lombardicarum opus, per hos quadringentos annos, innumeros expositores habens, adhuc perfectum non est.

OSBERNVS GLOCESTRIENSIS. LXXVIII.

OSbernus Claudianus, seu Glocestriẽsis monachus, à teneris annis parentum probitate, sub peritis pædagogis, eloquentiæ atq; artibus bonis operam nauauit. Glocestria celebre oppidum est, quod Sabrina nobilis fluuius præterfluit, Benedictinorumq; cœnobium perornat. In eo nanque cœnobio Osbernus (ut Lelandus etiam habet) præter illius ætatis sortẽ, in Latina lingua elegans iuxtà ac facundus floruit, in philosophia quoque magna cum fœlicitate uersatus. Tum pręterea tam exactus theologus erat, ut etiam cum ueteribus ipsis (absit inuidia dicto) conferri quodam modo posit. In uerbis ad sermonis ornatum locandis, sententijs iudicio formandis, digerendis historiarum rebus, & explicandis scripturæ mysterijs, dum tanta esset diuinæ lucis & literarum bonarum corruptio, certè magnus atq; illustris enituit. In commentarijs suis, dialogis plerunq;, rarissimo, sed amœno ac lepido commentandi genere est usus. Sed nunc ad indicem librorũ, quos scripsit cõtinua oratione, & non per dialogos. Composuit ad Gilbertum episcopum Herefordensem,

Super opus Iudicum,	Lib. 5.
De incarnatione Domini,	Lib. 1.
De natiuitate Christi,	Lib. 1.
De passione eiusdem,	Lib. 1.
De resurrectione quoq;,	Lib. 1.
Panormiam ad Hamelinum,	Lib. 1. *Cum in nocte hyemali, &c.*

Hos uerò scripsit per dialogos:

In Genesim,	Lib. 1.
In Exodum,	Lib. 1.
In Numeros,	Lib. 1.
In Deuteronomium,	Lib. 1.

Et alia plura opuscula edidit. Panormia, opus magnũ, instar uocabularij est, Hamelino suo abbati dedicata. Claruit Osbernus anno à redẽptionis nostræ initio per Christum 1140, sub Stephano prædicto Anglorum rege.

NICOLAVS DE SANCTO ALBANO. LXXIX.

NIcolaus de sancto Albano, monachus & abbas eiusdem cœnobij Benedictinorum ordinis, quod 20 passuum millibus distat Londino: ex illis unus fuit, de quibus paulo antè scripsi. Exemplo enim Anselmi archiepiscopi & Ricardi de S. Victore, ut mundum nugis impleret, ac nouos fidei fundaret articulos, super Mariæ uirginis conceptione disceptationes quasdam fecit. Ac si eadem beata uirgo nihil ex Adamo habuisset peccati: contra illud Spiritus sancti dictum, Omnes in Adam moriuntur. Seminatur in corruptione, ignobilitate, infirmitate, &c. 1. Cor. 15. Certamen certè frigidũ ac friuolum, ubi nihil est Christi, nihil salutis, sed sola arrogantis ingenij inanis

nis ostentatio. His turbatur, non ædificatur ecclesia Christi. Protulit hic futilis miles opus, quod Hugoni ad Remigij fanum abbati dedicauit,

De conceptione Mariæ,	*Lib.2. Sæpenumero dulcißime fraternitati.*
Epistolas ad eundem,	*Lib.1. Venerabili patri Domino Hugoni.*

Atq; eius farinæ adhuc alia. Eius tamen in suis scriptis mentionem facit Osbernus prædictus, referens (ut Lelandus habet) qua fama, qua autoritate, quo denique iudicio in literis enituerit. Claruit anno Domini 1140, sub Stephano rege.

ROBERTVS KETENENSIS. LXXX.

Robertus Ketenensis, natione & cognomine Anglus, degustatis primùm per Anglorum gymnasia humanarum artium elementis literarijs, ultramarinas statim uisitare prouincias in animo constituit. Peragratis ergo Gallijs, Italia, Dalmatia & Græcia, tum demum peruenit in Asiam: ubi non paruo labore ac uitæ suæ periculo, inter Saracenos, truculentißimũ hominũ genus, Arabicam linguam ad amussim didicit. In Hispaniã postea nauigio traductus, circa fluuium Hiberum, astrologicæ artis studio, cum Hermanno quodam Dalmata, magni sui itineris comite ac socio, se totum dedit. Fuit tandem Robertus Papilonensis in eadem Hispania archidiaconus. Qui ilico cõductus precio non exiguo, per Petrum quendam Cluniacensium monachorum abbatem, dum Adelphonsus, insignis quidam princeps, Cauriensem urbem expugnaret: transtulit ex Arabica lingua in Latinum sermonem, è quatuor libris in unam Epitomen redactum

Mahumeti Alcoranum,	*Lib.1. Domino suo Petro, diuino.*
Super doctrina Mahumeti,	*Lib.1.*
De Alcorani uersione,	*Lib.1.*
Ad uiros eruditos,	*Epist. plures.*

Et alia composuit. Præfatæ uersionis meminit Nicolaus Cusanus, in cribratione eiusdẽ Alchorani, lib. primo. Claruit Robertus anno Seruatoris nostri 1143, quo hæc edita sunt, Stephano regnante: & Papilonæ sepelitur.

APPENDIX.

Ioannes Sarisburiensis, lib. 8. cap. 22. Polycratici, refert: quòd Theobaldus Cantuariensis archiepiscopus, Roma quasdam leges Papisticas in Angliam attulerit. Sed eas ut reipublicæ nociuas, rex Stephanus perpetuò parliamenti decreto damnauit, deleuit, incendi fecit. Robertus Montanus in additionibus Sigisberti, scribit, plures in Anglia his diebus fuisse, quos pro hæreticis habebant Papistæ. Magistri Parisienses hac ætate, accipiebant in uerbis sacramentalibus, esse pro significare, ut Ioannes Tyßingtonus habet, in libro suo contra Vuicleui confeßionem. Immò (inquit) Almericus & Petrus Abelardus, deliri senes & hæretici, non crediderunt in sacramento, miraculosè esse accidens sine subiecto. Baliardus (inquit Platina) Parisijs non assensit Romanæ fidei. In hos tunc insurgebãt prædicti tres spurij. Quorum Gratianus dicebat quosdam suo seculo fuisse, qui panem in sua substantia manere in Eucharistia senserint. Gerardus Laodicensis episcopus, ex raro prophetiæ & curationum dono, adesse Antichristum putabat. ut scribit lib. 1. ca. 1. de Conuersatione seruorum Dei.

ROBERTVS POLENVS. LXXXI.

Robertus Polenus, aliàs Pully, uir in omni literarum genere instructißimus, eruditione eximia, & rerum diuinarum scientia, plurimũ per hoc tempus ualebat, ac labascentib. succurrebat studijs. Hic multis nominibus (ut Lelandus habet) perpetuam gloriam, tum hoc præcipuè meritus est, quòd subuersis olim ab Heraldo primo eius appellationis Anglorum rege, Oxoniensis gymnasij scholis, Herculeam tunc adhibuerit manum. Porrò ut suorum comprouincialium patrocinaretur inscitiæ, post reditum è Parisijs,

risijs, ex omni regni parte studiosos illuc aduocabat, omnis generis doctrinas proposuit, & optimarum artium disciplinas gratis tradidit. Legit, prælegit, persuasit, pellexit, docuit, exposuit, & omnia humanitatis officia scientijs promouendis præstitit. Dumq; hæc ageret, pro restaurandis illic bonis literis, multa dictabat ipse, ac plura scripsit. His modis ita latè hominis undecunq; docti fama diuulgata est, ut à pontifice Rom. uocatus, eo annuente, Cardinalis atq; Cancellarius Romanæ ecclesiæ designatus sit. Edidit inter cætera Robertus,

Sententias quasdam, Lib. 8. *Vt in hoc uolumine lectori facilè.*
De contemptu mundi, Lib. 1. *Chare frater, considera quæ dicit.*
In Apocalypsim Ioannis, Lib. 1. *Sopitam plerunq; concupiscentiam.*
Super Psalmos aliquot, Lib. 1.
Super doctorum dictis, Lib. 4. *Hostis humani generis undiq;.*
Opus suorum sermonum, Lib. 1.
Prælectiones aliquot, Lib. 1.

Atq; *alia nonnulla*. Vixit anno incarnati ueri Mesiæ 1146. regnante Stephano Anglorum rege, ut Bostonus Buriensis ostendit. Romæ etiam multa scripsisse fertur, ut ex Ioannis Rosi libro de Academijs Brytannicis cōstat.

HENRICVS HVNTINGTONENSIS. LXXXII.

Henricus Huntingtonensis, Nicolai cuiusdam filius, Lyncolniensis ecclesiæ canonicus olim fuit: qui & historicus egregius ab ipso Polydoro Vergilio, & probatus author à Ioanne Lelando antiquario pronunciatur. Iuuenis uersu exercitatus & prosa, inter studiorum delicias, Albini Andegauij, eiusdem Lyncolniensis ecclesiæ etiam canonici, usus est consuetudine docta, quem propterea præceptorem in scriptis uocabat: à quo ingenij solertia plura hausit. Sed maturior orbi factus, eruditionis gratia, ab Alexandro Lincolniensi episcopo, Huntingtonensis archidiaconus constituebatur: & quia illum aliquando facundus assectator comitatus fuerat Romã. Deniq; cum iam esset experientiæ plenus, ad historiam perscribendam totum se contulit. In quo officio suæ gentis res gestas à Saxonum aduentu in Brytanniam, membranis non infœliciter commendauit, ne ulla unquam temporis iniuria in obliuionem irent. Censuit ad uitæ institutionem, post scripturarum sacrarum studia, utilissimas esse historias: quód rerũ uariarum exemplis, bonos ad uirtutes accendant, & malos à uitijs infamiæ metu deterreant. Interim si quid addiderit nugalium fabularum, tempori imputandum est. Scripsit reuera Henricus eleganter & doctè, ad Alexandrum præfatum,

Historiam rerum Anglicarum, Lib. 10. *Cum in omni ferè literarum studio.*
Historiam breuiorem, Lib. 1. *Hic est annus qui comprehendit.*
Seriem regum orbis, Lib. 1. *Cum maximè noticia gestorum.*
Seriem regum Brytanniæ, Lib. 1. *Quæris charissimè frater, quos.*
x *De imagine mundi*, Lib. 1. *Henrico, septiformi spiritu in.*
De appetitu mundi, Lib. 1. *Mundus dicitur quasi undiq;.*
De contemptu mundi, Lib. 1. *Vualtere quondam decus iuuenum.*
De sanctis Angliæ, Lib. 1. *De uiris illustribus Anglorum.*
Super, Beati immaculati, Lib. 1. *Sanctissimo conuentus nostri.*
De summitatibus rerum, Lib. 8. *Anno tricesimo quinto regis H.*
De origine rerum Brytanniæ, Lib. 1.
Prosecutiones Bedæ, Lib. 1.

x Exemplar vetus [illegible] manuscum in Bibliotheca Collegii Universitatis. Præfat. Tho: Hearn in Historiam [illegible] Beverlac

Ad

Ad consortem Gualterum, Lib.1.
Epigrammaton, Lib.8.
Lusus amatorios, Lib.8.
De herbis, aromatibus & gemmis, Lib.8.
De ponderibus & mensuris, Lib.2.
De lege Domini, ad Petroburgenses, Lib.1.
Laudes Alphredi & Elfledæ, Lib.1.
Carmina diuersi generis, Lib.1.
Epistolas ad diuersos, Lib.1.

Atq; alia composuit. Claruit anno à salutifero Virginis partu 1148: in quo post magnos labores finem historijs imposuit, sub Anglorum rege Stephano. Sed ubi demũ obierit mortẽ, inter nostros scriptores nequaquã inuenio.

Anglia Sacra Vol. 2. Praef. p. 29. Epistola de Episcopis &c

ANDREAS VICTORIVS. LXXXIII.

Andreas Victorius, canonicus ordinis regularium diui Augustini, ad Fanum Victoris Lutetiæ Parisiorum, sed Anglus natione, in omni liberali arte et philosophia exercitatus, tantum in illis profecit, quantum ipsa sanè admirabatur ætas. Iuuenis adhuc, in scripturis sacris libenter meditabatur: Hugonem de Sancto Victore, uirum celeberrimum, et Saxonem genere, magistrum ac præceptorem habens. Sed cum proferret ex eo labore fructum, non poterat non prodere corrupti temporis maculas: quamuis in tanto malorũ turbine, uir certè pius esset. Porrò ætate iam grandior factus, atq; moribus & doctrina grauior, diuina uolumina publicè cum multorũ applausu prælegit. Quid autem Ricardo de S. Victore etiam dicto displicuerit, ut mordacem librum aduersus illum ederet, non inuenio: nisi Anglo fortaßis fortunam inuiderit Scotus, aut saltem in eo doctrinam non approbauerit. Nescio an Petri authoritas, an Mariæ conceptio id bellum suscitauerit. nam utrunq; problema proposuit Ricardus. Andreas uerò expletis lectionibus, scripsit, iuxta Bostonum Buriensem,

Super Genesim, ad literam, Lib.1. *Difficile fuerit omnem rerum ord.*
Super Exodum, Lib.1. *Iste secundus Moysi liber tradit.*
Super Leuiticum, Lib.1. *Liber Leuiticus sacrificiorum obla.*
Super Numeros, Lib.1. *Quoniam multitudo numerum fa.*
Super Deuteronomium, Lib.1. *Deuteronomij liber, ultimus.*
Super Iosue, Lib.1. *A' nomine Israelitici ducis.*
Super Iudicum, Lib.1. *Prima tempora in præcedentibus.*
Super Regum, Lib.4.
Super Paralipomenon, Lib.2. *In hac ultima dispositione.*
Super Ecclesiasten, Lib.1.
Super parabolas Salomonis, Lib.1.
Super Esaiam, Lib.1. *In explanando tam sancto pro.*
Super Hieremiam, Lib.1. *Frequens est his qui prophe.*
Super Danielem, Lib.1. *Ad commendationem Danielis.*
Super Iohelem, Lib.1.

Et super alios utriusq; Testamenti libros, commentarios fecit. Claruit anno Verbi incarnati 1150, sub rege Stephano. Tres erant de S. Victore dicti: Hugo Germanus, Ricardus Scotus, et Andreas iste Anglus. Eratq; cognomen eius collegij prælectoribus tunc commune.

RADVLPHVS DE SANCTO ALBANO. LXXXIIII.

Radulphus de sancto Albano, fani eiusdem Albani monachus & ab-

bas, inter scriptores eruditos à Ioanne Frumentario, seu Vuhethamstede, in libro de Viris illustribus numeratur. Iactis post annos pueriles Latinæ linguæ fundamentis, ut & alias illis adijceret artes, maiora Anglorum gymnasia adiuit, inuisit, coluit. Apud illos statim eius accreuit æstimatio, quòd tam carmine quàm oratione soluta, inter collegas impendiò excelleret. Quod tandem effecit, ut in cœnobium denuò reuocatus, omniũ electione & uoce, eidem ut præfertur, abbas præsideret. Qui idcirco inter scriptores illustres in hoc meo uolumine locum habet, quod ex Pompeio Trogo, Origene, Iosepho, Hieronymo, Solino, Augustino, Beda, Isidoro, & alijs ediderit,

Historiam Alexandri Macedonis, Lib. 5. Macedonia ante à nomine Emathi.

Vitam diui Albani, Lib. 1.

Quod opus ex heroicis uersib. cõstans, Lelandus tersum, canorũ, & rotundum uocat. Obijt Radulphus post uarias editiones, anno à nostri Seruatoris natiuitate 1151, in suo cœnobio sepultus, sub Anglorũ rege Stephano.

APPENDIX.

Ex libro quarto Matthæi Parisij: Anno Domini 1154, Sanctus Guilhelmus Eboracensis archiepiscopus, regi Stephano propinquitate cõiunctus, per Anastasium Papam Henrico Mordach mortuo, restitutus est. Qui Henricus, monachus Cisterciẽsis, ambitiosus, per dolum ab Eugenio Papa, eiusdem professionis olim etiam monacho, archiepiscopatũ obtinuit. At Guilhelmus in sua reuersus, dum diuina celebraret mysteria, hausto in ipso calice ueneno (magnum miraculum) obijt mortem. Et Rogerus Houedenus in secundo libro suorum Chronicorum: Sanctus Guilhelmus (inquit) archiepiscopus Eboracẽsis, missam celebrans, capellani sui proditione intoxicatus fuit. Ioannes Euersdenus, illud à suo diacono perpetratũ fuisse, in suis Annalibus narrat. Non uideo certè, quod salutaris sit ille Deus Maozim, qui uel osculo uel gustu amicum interimit. Proinde admiror, quòd in diuos relatus Guilhelmus, pro confessore, nõ martyre à papistis colatur. Sed mysterium huius absconditum, adhuc latet. Interim Polydorus S. matris ecclesiæ bonus reperitur filius, quod Anglicam historiam scribens, in hoc & similibus factis cleri illius non reuelauerit turpitudines.

IOANNES MERCIANVS. LXXXV.

IOannes Mercianus, chronographus insignis (sic illum appellat Lelandus antiquarius, quod de Merciorum regibus accuratissimè scripserit) nec alio est adhuc à me cognomine porrò cognitus. Regnum nempe Merciorũ, id est, mediterraneorũ Anglosaxonũ, à Crida Saxone inchoatũ, longè amplissimũ opulẽtissimumq; fuit, tum quod uberiorẽ Brytannicæ insulæ tenuerit partẽ, tum quòd fœlici hominũ fœtu floruerit. Sunt qui istum cum Ioanne Piko, superius memorato, unũ fuisse credant, qui scripta de Saxonũ & Danorũ regibus edidit: ego tamen illis assentire non possum. Tantæ uir lectionis hic fuit, tantæq; diligentiæ in eruenda antiquitate, ut solus uideatur Merciorum regulis quandam immortalitatem asseruisse. Ioannes igitur iste, memorabilem fecit historiam, & Eustachio Stephani regis filio dedicauit,

De Merciorum regibus, Lib. 1.

Illicq; multa alia protulisse fertur à Ioanne Rosso, qui in libro suo de episcopis Vuicciorum illum frequentius citat. Claruit anno à Mariæ Christiparæ uirginis partu 1150, sub sæpedicto Anglorum rege Stephano.

GALFRIDVS MONEMVTENSIS. LXXXVI.

GAlfridus Arthurius, Monemuthensis archidiaconus, genere Brytannus, uir tam carmine quàm prosa eruditus, quod de clarissimo Brytãnorum rege Arturo multa conscripserit, ab illius nomine cognomentũ accepit. Sunt qui istum plus iusto redarguant, potissimum Guilhelmus Par-

uus Nouoburgensis, & post eum Polydorus Vergilius: quòd, ut ipsis uidebat, importunè Brytannos extulerit. Solus tamē fuit, qui sua diligētia nūquam satis laudata, bonam Brytannicæ antiquitatis partem ab interitu planè uindicauerit. Illi certè nō aduertebant, communem esse antiquis scriptoribus, tam Latinis quàm Græcis, nimium laudandæ patriæ morē: imò nunc aduersarijs ipsis, etiā in meris aduersus Deum blasphemijs. Interpres tantum Galfridus erat, non fictor historiæ, & uir per suam ætatem in omni speculatione doctissimus. Bene igit̄ habet, quòd eius defendendā susceperit causam Ponticus Virumnius, Italus eruditus: qui in gratiam Badoeræ clarissimæ Venetorum familiæ, quæ ex Brytannis olim fuerat, historiam eius Brytannicam epitomauit, hoc testimonium ferens: Galfridus (inquit) historicus egregius & Cardinalis, magnę uir authoritatis apud Robertum Claudiocestrię ducem, Henrici regis filium, ac patriæ suæ curiosissimus fautor, ex summa philosophia atque archiuis regalibus, historiam antiquissimā continua serie ab ipsis Troianis collectam transtulit. Verissimas esse Brytannorum historias, arguit regum occidentalium cōsuetudo: quæ erat, secum semper habere eos qui ueritate præcipua eorum gesta notarent. Hæc ille. Sunt Galfridi scripta ab æmulis frequentius usurpata, etiam ab ipso Polydoro, nec habent in Brytannorum historijs explicandis testimonium maius. Si in annorum supputatione quibusdam alijs non responderit, quòd cōmune id sit historicorum malum, facilè condonabitur. Transtulit Galfridus in Latinum sermonē, & præfato Glocestriæ duci Roberto dedicauit,

Brytannorum historiam,	Lib. 8. *Cum mecum multa & de multis.*
Prædictiones Ambrosij Merlini,	Lib. 1. *Coegit me Alexander Lincolniensis.*
De exilio ecclesiasticorum,	Lib. 1.

Sequentes prosa & carmine composuit:

In fragmentum Gildæ,	Lib. 1. *Gildas uir grandis authoritatis in hist.*
De corpore & sanguine Domini,	Lib. 1. *Galfridus peccator in præsenti tract.*
Vitam Merlini Caledonij,	Lib. 1.
Commentarios in Merlinorum prophetias,	Lib. 1.
Arthuri regis gesta,	Lib. 1.
Ad Gualterum Oxoniensem,	Lib. 1.
Diuersi generis carmina,	Lib. 1.

Et alia nonnulla. Claruit episcopus Eluiensis, seu ad sanctum Asaphum, anno Seruatoris nostri 1152, sub Anglorum rege Stephano. In prædicta Brytannorum historia, à Bryto seu Brytone & Troianis, usque ad Dominicæ natiuitatis annum 689, regum successiones historico ordine pandit.

APPENDIX.

Reperi in quodam Chronico Londini, quod circa annum Domini 1170, Galfridus etiam scripserit, priorum temporum regis Henrici secundi, librum unum. Improbitatis reuera se arguit uterque scriptor, & Neoburgus petulanter lacessens, & Polydorus mendacij incusans, hominem istum de sua gente optimè meritum. Quis obsecro (inquit Lelandus) inter historicos, in eodem luto cum Galfrido non hæsit? ut nunquam à uero latum culmum errauerit, aut aliquando pro certis incerta, & pro ueris uana, non posuerit? Non Neoburgus, non Polydorus. Galfridus tamen meretur ueniam, quòd interpretis tantum sit usus officio. Intercesserat illi cum Gualtero Oxoniensi archidiacono, suo synchrono, familiaritas. Et ille Gualterus fuit, ne quis ignoret, qui ab Armoricana Brytannia eandē historiam attulit, & de nostris rebus priuatam quoque scripsit historiam.

CARADOCVS LANCARVANENSIS. LXXXVII.

CAradocus Lancaruanēsis, ex Cambria oriūdus, prædicti Galfridi syn-

chronus atque conterraneus, uir fuit, ut ex ultimo capite historiæ Brytannicæ apparet, totus consecratus ad res gestas recentium Brytanniæ regulorum illustrandas. Recentiores regulos appellat Lelandus, qui post mortẽ Cadvualladri, deflorescente Brytannici nominis gloria, Cambriam & Cornubiam, montanas regiones, tanquã loca munita, & Saxonibus malè peruia posside bant. A' scopo enim aberrauit, in suo Breuiario de Francorum origine, Ioannes Tritemius, uir alioqui doctissimus, ubi de isto Caradoco, atque eius Achate Galfrido mentionẽ facit: Guallos, qui Brytanni sunt, pro Gallis accipiẽs. Decepit illum prosonomasia, seu uocum parilitas: uti olim Stephanum quendam grammaticum Græcum, qui pro Galatia Galilæam usurpauit. Caradocus uerò pro sua gente studiosus, Brytannicorum principum successiones, ætates, annos, tempora, gesta, facta & dicta quædam, incipiens à Cadvualladri morte, & Idvuallæ Venedotarũ reguli primordijs, per 400 & 60 circiter annos, usque ad suam ætatem, luculento sermone descripsit. Quod opus prænotauit,

Brytannorum successiones, Lib. 1.
Commentarios in Merlinum, Lib. 1. *Nondum autem ad hunc locum historiæ.*
Vitam Gildæ Albanij, *Lib. 1. Nauus fuit rex Pictorum nobil.*
De situ orbis, Lib. 1.

Et *alia plura composuit.* Claruit Caradocus anno incarnati nostri Messiæ 1150, sub Anglorũ rege Stephano. Futurum spero, ut cum huius Caradoci libris, multa de rebus Brytannicis, scitu certè dignissima, in lucem demum prodeant. de quo scribitur:

Historiam Brytonum doctus scripsit Caradocus
Post Caduualladrum regia sceptra notans.

LAVRENTIVS DVNELMENSIS. LXXXVIII.

LAurentius, Dunelmensis cœnobij pręcentor circa tempora regis Henrici primi, ut Lelandus habet, deinde & præses, magnum sui seculi, siue quis religionem siue eruditionem spectet, decus fuit. Eluxit honos ille usque adeò fœlix ei in suo monachatu, ut longè in eo maiorẽ statim pepererit: abbas enim postea Vuestmonasteriensis ab Henrico secundo rege constitutus, amoto Geruasio fratris regis Stephani filio, qui res loci illius satis iuueniliter profuderat, scriptis se posteritati multis utiliter commendauit. Carmen iuuenis, aulæ cultor maximus, mirum in modum coluit, editis etiam libellis. Orator erat uehemẽtior quàm facundior: quanquam multis in locis nec facundia nec lucido rerum ordine sit destitutus. In sacris tamen diuinarum scripturarum studijs, ut in colophone, tandem non leuiter profecit, & tanquam in amœno paradisi horto latè spaciatus fuit. Carmine ac prosa plura scripsit Laurentius, præsertim hæc,

Hypognosticon ad Geruasium, *Lib. 9. Principium rerum sine tempore, tempora.*
Sermones de Christi aduentu *Lib. 1. Vt tota cum deuotione, Domini cele.*
De Christi natali, *Lib. 1. Audistis fratres charissimi, & ex.*
De assumptione Mariæ, *Lib. 1. Virgo hodie gloriosa cœlos ascendit.*
Super morte amici, *Lib. 1. Sæpe & supra modum multis aux.*
Excusationem pro Milone, *Lib. 1. Multis pater pro Milone uti uerbis.*
Inuectiuam in Malgerium, *Lib. 1. Quæ nam hæc est intentio tua.*
In detractorem Malgerium, *Orat. 1. Non possum socij mei uel admirari.*
Pro naufragis, *Orat. 1. Frustra boni ciues illud offerre.*
Pro iuuenibus compeditis, *Orat. 1. Difficile satis princeps inuicte.*

Ad Har-

Ad Hatheuuisam,	*Lib.1. Tria sunt praecipuè meditanda.*
Dialogorum in metro,	*Lib.4. Carmina constitui nunc pandere.*
De conscribendis epistolis,	*Lib.1.*
Orationes pro Laurentio,	*Lib.1.*
Vitam Brigidae in prosa,	*Lib.1.*
De Cuthberto episcopo,	*Lib.1.*
De confessoribus,	*Lib.1.*
De uirginibus,	*Lib.1.*
Homelias eruditas,	*Lib.1.*

Et alia plura. Claruit anno Dominicę incarnationis 1160, sub Henrico secundo Anglorũ rege, Ealredo & Radulpho uiris doctissimis familiaris. In carmine (inquit Lelandus) se probat mediocrem poetam, in oratione uehementem planè rhetorem. Vuestmonasterij demum fuit iste sepultus.

RADVLPHVS ELEEMOSYNARIVS. LXXXIX.

RAdulphus Eleemosynarius, Vuestmonasteriensis cœnobij alumnus, Benedictinas sanctiones religione summa prae caeteris omnibus coluit: at Christi Euangelium non item. Ille idemque (inquit Lelandus) bonas literas tanto animi studio prosecutus est, ut maiori nemo homo facilè potuerit. Praecipuas tamen studiorum partes, ut pium Christianę professionis uirum decuit, theologiae non scholasticae & litigatoriae, sed interpretatiuae ac modestiori per continuos labores cõsecrauit. Motore Laurentio abbate praedicto, conciones sacras, quas grauissimas fecerat, summa cum industria in unum coegit uolumen. In his atque alijs operibus suis luculentis, sacrae scripturae locos non obscurè, ut eius aetatis multi, interpretabatur. Composuit igitur inter caetera, ut Bostonus Buriensis in magno Catalogo prodit, & abbati Laurentio dedicauit,

Homelias epistolarum,	*Lib.1. Ecce dies ueniunt, dicit Dominus.*
Homelias Euangeliorum,	*Lib.1. In illo tempore. Cum appropinquasset.*
De peccatore,	*Lib.1.*

Atque alia quaedam. Claruit anno à Christi seruatoris natiuitate 1150, sub Anglorum rege Stephano: uixitque postea diu, ut habet praedictus Bostonus, & Vuestmonasterij demum in suo cœnobio sepultus fuit.

NICOLAVS BREKSPEARE. XC.

NIcolaus Brekspeare, latinè Hastefragus, Reberti eiusdem cognominis monachi ac sacerdotis filius, Langleye natus fuit, uillulae aliquot passuum millibus à Verolamio seu fano Albani disparatae. Qui cum pubertatis annos attigisset, Ricardo eiusdem cœnobij tunc abbati se obtulit, monastices amœnam mollitiem animo professus. Sed abbas, homo rigidus & seuerus, causatus fortassis quòd spurius esset, adolescẽtem quodammodo repulit. Ex hac ille repulsa (inquit Lelandus) Lutetiam Parisiorum studendi causa petijt: ubi literatus euadẽs, iterum ad monasticen animum adiecit: tandemque Augustinianae professionis canonicus & abbas in cœnobio S. Rufi, non procul à Valentia Galliae urbe, factus est. Romam postea petens, & Eugenio tertio gratus, sub eo fit, ad natalis soli memoriam, Albanensis episcopus & Cardinalis: qui & eius legatione fungens, Antichristiano charactere Noruuegios signauit. Et reuersus demum, Anastasio quarto in ea successit sede, dictus Hadrianus, eius nominis etiam quartus. In qua Arnoldum Brixiensem episcopum, administrationem ciuilem in clero nõ ferentem, haereseos damnauit: atque Imperatorem Fridericum primum, Lu-

ciferini in clero fastus & ambitionis piè admonentē, diris deuouit execrationibus. Abbatem Albanensem, siue ad fanum Albani, protoabbatē Angliæ fecit, ut illius genitorem Robertum, eiusdem iamdudum cœnobij monachum Benedictinum, honestiori sepulchro donaret: ut si fortasis contingeret miracula illic fieri, posset illum postea in Deos referre, seu, ut uocant, canonizare. Scripsit hic Nicolaus uel Hadrianus quartus, ad Anglorum regem Henricum secundum,

Pro expeditione Hiberniæ,	*Epist. 1. Laudabiliter & satis fructuose.*
Ad Petrum Pontiniacum,	*Lib. 1.*
De sua legatione,	*Lib. 1.*
Homelias quasdam,	*Lib. 1.*
Decretales epistolas,	*Lib. 1.*

Atq; alia. Quum Anagniæ demum expaciaretur cum suis, aduolans in os eius musca, præclusit illi spiritum, anno à Christo nato 1159, post quatuor sui Pontificatus annos ac decē menses: Romæq; in D. Petri basilica sepelitur, regnante in Anglia Henrico secundo.

APPENDIX.

In familiari colloquio cum Ioanne Sarisburiensi Anglo, & ueteri eius amico, has solebat Hadrianus iste proferre sententias: Ambire pontificatum (inquit) est Romulo succedere in parricidijs, non Petro in pascendis ouibus. Nunquam enim ea sedes acquiritur sine fraterno sanguine. Nullus mortalium Rom. pontifice miserior, nec ulla hominum conditio calamitosior, quàm eius est. Nam sedes spinosa est, aculeis ac stimulis undiq; septa. Corona uerò ignea, crudelis atq; ardens ut infernus, &c. Ex chronico Matthæi Parisij. Huius Hadriani tempore, anno Domini 1155, rex Henricus solennes nuncios Romam misit, ad Papam Hadrianum Anglum, ut sibi liceret sine scandalo læsionis fidei Christianæ, Hiberniæ insulam intrare, et terram illam, locum uidelicet horroris ac uastæ solitudinis, utpote limbum mundi, sibi & Dei cultui subiugare, hominesq; illos bestiales ad fidem & uiam reducere ueritatis, atq; obedientiam ecclesiæ Romanæ. Annuit ei Pontifex, iure ecclesiarum illibato & integro permanente (nunquam non sitiunt aurum) et salua beato Petro de singulis domibus annua pensione, &c.

SERLO GRAMMATICVS. XCI.

SErlo Grammaticus, cuiusdam Radulphi abbatis eruditi de Parcho frater, hac ætate rhetor ac poeta non cōtemnendus floruit, ut Ioannes Lelandus in uirorum illustriū Catalogo narrat. Ex Eboracensi (inquit) canonico, monachus Fontanus, Cisterciensis ordinis factus, corpore procerus, & ingenio magnus, tandē est & abbas in eodem cœnobio constitutus. Isto enim Serlone dictante, Hugo de Kirkestede, multo iunioris ætatis etiam monachus, perscripsit res gestas Fontani monasterij, atq; originē unà cum incremento Bernardinæ in Anglia sectæ diligenter notauit. Plura suis tradidit hic Serlo, in quotidianis olim lecturis, iuxta talentum à uirtutum Domino sibi traditū. Et ut de scriptis eius tandem fiat mentio, edidit iuxta Bostonum & Lelandum, descriptionem rhythmicam,

De quodam bello Scotico,	*Lib. 1. Dauid ille manu fortis, sceptrum.*
De morte Sumerledi,	*Lib. 1. Dauid rege mortis lege, clauso.*
In orationem Dominicam,	*Lib. 1. Protector noster Dominus Iesus.*
De dictionibus dissyllabis,	*Lib. 1. Dactyle conueniens digitis.*
De dictionibus æquiuocis,	*Lib. 1. Est uates arator, cultor telluris.*
De dictionibus uniuocis,	*Lib. 1.*

Et alia quædam. Claruit anno à Domini seruatoris natiuitate 1160, sub Henrico secundo Anglorum rege. Erant adhuc et alij Serlones, quorum unus Pa-

risia-

risiacensis, scripsit de filijs presbyterorum, librum unum.

GVILHELMVS RHIEVALLENSIS. XCII.

GVilhelmus Rhieuallensis, monachus de Rusheforde, Cisterciẽsis ordinis, (uidi scriptum de Rusfol) uir, ut apparet, pius atq; eruditus, ab historicis sui temporis cõmendatur. Hic post longa diuersarum artium studia, ad historiam, ut ad humanæ uitæ ex rerum gestarum narratione magistram præcipuam, sedulus atq; industrius se contulit. In ea perlustrata, cogitauit humana ingenia, ex multarum rerum cognitione, instructiora reddi posse, propositis passim ob oculos utriusq; fortunæ exemplis: ex probatis quibusdam authoribus, instar negotiosæ apis, nonnulla collegit, quibus audita per fidedignos enarratores, ac proprijs oculis uisa, artificiose superaddidit: sed utinam absq; omni superstitione. Reliquit demum suorum laborum opus, ut uita defunctus, fama adhuc uiueret, quod Ealredo Rhieuallensi abbati dedicauit, scilicet

Historiam Anglorum, Lib. 1. *Reuerendißimo patri & Domino.*

De alijs nihil certi habetur. Istum inter præcipuos authores connumerat Ricardus Hagustaldensis, Ranulphus Higdenus, & Guilhelmus Hormannus. At Ioannes Hagustaldensis obijsse illum narrat anno Christi 1146, sub rege Stephano.

ADAMVS DE EVESHAM. XCIII.

ADamus de Euesham, abbas eiusdem monasterij in prouincia Vuicciorum, ueteri eius patrię cognomine, pręsenti appellatione Vuigorniẽsium, uir bonis disciplinis ac dicendi peritia perpolitus quidem fuit: in plerisq; tamen, ex temporis infelicitate superstitiosus. Ea in literis (inquit Lelandus) diligentia est usus Adamus, ut dedisse monasterio honorẽ potius, quàm accepisse uideatur. Sed ea interim, ut ego ex scriptis eius colligo, fidei ac morũ læsione, ut potius perditionis filio Antichristo, quàm Christo Dei filio, prærogatiuæ palmam tribuerit. Porrò monialiũ claustra frequentans, non docuit Christianam professionem hominum inuentis prophanari, sed & importabile Pharisæorũ onus suauissimo Christi iugo longè prætulit. Et quãtum idololatricos noui Dei Mauzim adauxerit cultus, eius demonstrant opuscula. Honorem igitur quem Adamus ex literis cœnobio attulisse prius fertur, Christo prorsus abstulit. Cõposuit uerò, exhortationẽ

Ad monachas de Godestouue, Lib. 1. *Sanctißimis ac dilectißimis.*

De miraculo Eucharistiæ, Lib. 1. *Diu iam satisq; est elaboratum.*

Epistolas ad diuersos, Lib. 1.

Sermones aliquot, Lib. 1.

Atq; alia quædam. Ad Reginaldum quendam, idololatricum illud opusculum, atq; fanaticum libellum de miraculo Eucharistiæ, scripsit. Et uixit anno à Christi seruatoris aduentu in carnem 1160, sub Henrico secũdo Anglorum rege.

THOMAS MONEMVTENSIS. XCIIII.

THomas Monemutensis, professione monachus, & officio chronographus, uir suo seculo (ut Lelandus illum suo loco depingit) inter literatos nomen, laudesq; emeruit. Iudæi (inquit) perfidum genus hominum, & sanguinem sitiens Christianum, in Brytannia suæ stirpis radices altè fixerant. Horum grex pessimus, Ventam Icenorum, aliàs Nordouicum, precariò incolebãt, ea urbis regione & insula, ubi Abrahami aula, etiam nunc de nomine nota, extat. Inter cætera quæ ibidem scelera multa designauerũt, illud

lud in primis impium, quod Guilhelmũ quendam puellum ingenuũ, morti in Christi contumeliam tradiderint. Deprehensi, sceleris conscij sunt, & in crucem acti. Nec longo pòst tempore, Iudæis urbe omnino expulsis, claruit miraculis Guilhelmi sepulchrũ. Hæc Lelandus. De Apostolis legimus, quòd uiui miracula fecerint. At Papistæ sub Antichristi regno, ex mortuis cadaueribus, imò quod maius est, ab eorũ tumbis, seu ligneis seu lapideis, miracula decerpere & extorquere possunt. Ne huiusmodi igitur portenta deessent in adimplendis idololatrijs, Thomas iste manum adhibuit, ac scripsit ad Guilhelmum de Turibes Nordouicensem episcopum,

Vitam Guilhelmi martyris, — *Lib. 7. Reuerendæ sanctitatis patri & dom.*
Miracula eiusdem Guil. — *Lib. 1.*

Atq; alia quædam. Claruit Thomas, anno Christi 1160, sub rege Henrico secũdo. Elvuina huius Guilhelmi mater (inquit Thomas) Vulvuardum sacerdotem genitorem habuit. Et soror eius Liuina, Godvuinum presbyterum maritum, qui genuit ex ea Alexandrum diaconum uxoratum, qui debebat in ministerio succedere patri.

APPENDIX.

Ex Matthæi Parisij lib. 5. Anno Domini 1155, Matthæus comes Boloniæ, Mariam Ramesiensis cœnobij abbatissam, Stephani Anglorum regis filiam, uoto non obstante, in uxorem duxit, fauore regis & magnatum. Quæ (inquit) fuit prima inimicitiæ causa inter Henricum regem, & archiepiscopum Thomam Cantuariensem. Eodem anno Hadrianus 4. Rom. põtifex, eidem Henrico Anglorum regi præcepit, ut cum archiepiscopo Armachano Hybernos, ob damnata ministrorum coniugia, clero rebelles atq; hæreticos, opprimeret, saluo ecclesiarum iure, & à singulis domibus Petri denario. Bellæ sunt historiæ in secundo Votariorum nostrorum libro. Ex illo excidio primùm uenerunt Angli ad Hyberniæ dominatum.

DE PAPIS, VEL ANTICHRISTIS Romanis.

111. Alexander tertius, natione Hetruscus, patria Senensis, Rolandus cancellarius antea uocatus, Hadriano Anglo musca deglutita, ut dictum est, suffocato, immanior adhuc bestia successit. Sed quia in eius electionem non omnes concordare poterant, nouem Cardinales, qui ab Imperatoris parte steterant, alium constituerunt Pontificem: nempe Octauianum Romanum ciuem, presbyterum Cardinalem titulo S. Clementis, quem Victorem quartum appellabãt. Continuato quoq; pòst huius Victoris mortem schismate, ordine successerũt, Paschalis, Calixtus & Innocẽtius, Alexandro se opponentes, et magnos tumultus in ecclesia Romana dederunt: omnesq; perierunt, eo adhuc superstite. Cum autem Imperator Fridericus, ut lites dirimeret, Papiæ conuentum indixisset, & utrunq; Pontificem illuc uocasset, ut causa discussa, is qui iure diceretur Pontifex, in officio confirmaretur: Alexander, spretis eius nuncijs, superbissimè respondebat, Pontificem Romanum à nemine debere iudicari: legatosq; à se contemptos repulit. ac missis per totam Christianitatem literis, Imperatorem ipsum cum Victore pontifice excommunicationis flagello feriebat. Et ut Romanam urbem in fide retineret, literas ad Ioannem ecclesiæ D. Petri Cardinalem, qui eius illic gerebat uices, statim misit. Qui uicarij muneris memor, largitionibus et familiaritate quadam astuta, maiorem partem ciuium eò pertraxit, ut ipsi Alexandro fauerent: & eos crearent consules nouos, qui illius essent studiosissimi. Interea Alexander ex Gallijs in Siciliam delatus, mox redijt: ubi perbenignè acceptus fuit. Et urbes Italiæ, illius aduentu, in spem libertatis erectæ: contra iusiurandum Imperatori prius datum, ab eo deficiebant, fauente eis Philippo Gallorum rege.

Imperator autem cognitis his rebellionibus, & conspirationibus contra se factis, collecto nouo exercitu, rursus in Italiam mouebat. Cum uerò Brixiam uenisset, Hartmannus eius loci episcopus (insignis hypocrita) qui Imperatori à secretis fuit, dehortabatur eum à bello. Persuasitq; ei, consilio Papæ, in Turcas potius Christianæ fidei hostes, inferendum esse bellum, quàm in sanctissimum patrem

trem atq; homines Christianos: cum tamen ipsi sint omni Turca deteriores. Addiditq; (proditor) Hierosolymam sanctam, cum tota promissionis terra, quam Conradus eius patruus armis ac sumptibus maximis olim subegerat, nunc rursus à Soldano occupari. Precabatur, ut experiretur bellicæ fortunæ uires in pessimos Agarenos, & ut has terras cum suo exercitu, iam denuò recuperaret. Pollicebatur quoq; (fraudator ille) effecturum se, ut ad expugnandum Soldanum Aegypti regem, rex Galliæ auxiliares mitteret copias. Huius oratione Fridericus motus, aduersus Turcas exercitum illum duxit, quem contra pontificem & alios conspirationis socios conscripserat. Per Vngariam iter faciens, Constantinopolim peruenit, transmissisq; copijs, oppida multa Turcis eripuit, inter quas fuere Philomenia & Iconium. Peruenitq; in minorem Armeniam, & expugnabat omnia. Imò tanta fortuna utebatur, ut Soldanus ipse desperaret de toto suo imperio. Tandem mouebat Hierosolymã, & data paganis ciuibus uita, ex urbe eos cedere coegit. Potitus tum demum magnis in Iudæa uictorijs, rationes Imperator habuit, quo pacto parta seruaret à Turcis: et quæ destructa erant, instauraret.

Verùm, interea dum esset in Oriente, laboribus his occupatus, Alexander pontifex, iniquissimus proditor, cum suis conspiratoribus, non cessabat sibi ab eo metuere, si uictor in Italiam rediret. Operam igitur dedit Alexander omnibus modis, ut illum perderet. Misit pictorem, qui nesciente Imperatore, coloribus clam eius exprimeret faciem. Iussitq; simulachrum illud sic depictum, Soldano per secretum nuncium dari: literisq; ipsum admonuit, ut si quietus uiuere uellet, illum per insidias necaret. Soldanus acceptis his literis, cum expressa boni Imperatoris imagine, studuit maligno huic monstro gratificari, & se ulcisci de aduersario. Sed occasio in castris aut conflictu nunquam obtulit sese, ad explendam proditionem Pontificiã. Cum uerò potitus Hierosolyma exercitum reduceret Cæsar, securus partiebatur copias in suos ordines, ut eo commodius emensum iter remetiri possent. In Armenia autem, cum semel ex calore solis atq; itineris difficultate æstuaret ac sudaret nimium, nihil esse periculi in ea nemorum solitudine ratus, cum paucis equitibus & suo sacellano ab exercitu discessit. Non admodũ procul, equo descendit, uestes parabat exuere, et ut ipse cum sacellano in amne lauaret, ad restringendum corporis æstum, equites iussit ab amne recedere. Ibiq; statim benignus Imperator, equitibus ignorantibus, cum suo sacellano, ab insidiatoribus capiebatur, ac per nemora abducebatur ad Soldanum. Equites frustra expectabant Imperatorem, quærebant diligenter in alterum usq; diem. Rumor ad exercitum uenit, eum esse demersum. Ingens omnibus erat tristitia, & ferè ad integrum mensem in eo flumine illum quærebant. Cum autem non reperirent, electis nouis ducibus, domum redierunt.

Imperator ad Soldanũ perductus, simulauit se Imperatoris esse ostiarium. Soldanus de facie, ex imagine à Pontifice accepta, cognoscens eundem illum esse, iussit simulachrum eius proferri, ac literas à Pontifice missas coram eo legi. Imperator ad istam proditionem obstupefactus, uidensq; negationi non esse locum, fatebatur uerum, & supplex misericordiam petijt. Soldanus autem, postquam de rebus multis cum eo collocutus esset, atq; intelligeret ex eius dictis & factis, uirum esse optimum, in quo nullam uirtutem desideraret bono principe dignam, & cuius prudentiam, candorem, fidem & integritatem admiraretur: cogitauit se ex eius dimissione plurimum sibi gloriæ et honoris comparaturum. Eum igitur postea accersiuit, conditiones libertatis proposuit: atq; ut numerata mulcta, obsides daret, humaniter obtulit. Illumq; tandem ea lege dimisit, ut secum fœdera perpetuæ pacis sanciret, ac numeraret millies centum ducatos, relinqueretq; obsidis loco suum illic sacellanum usq; ad solutionem. Parabantur inde pacti diplomata, et itineri se accinxit Imperator. Sacellanũ itaq; iussit bono esse animo: pollicebaturq; se non quieturum, donec missa pecunia eum liberatum ac reducem uideret in Germania. Soldanus ergo Imperatorẽ muneribus ornauit, uiatico prospexit, 34 equis et certis militibus Brixiam usq; deduxit, ibiq; substitit.

Principes de Imperatoris reditu certiores facti, frequentes eum adibant. Cæsar Soldano suos uarijs donis onustos remisit, adiunctis illis qui eos deducerent, usq; ad Imperij fines. Deinde comitia indixit Norimbergæ, et illuc uocabat omnes imperij principes: quib. Alexandri pontificis proditionẽ aperuit, proditoriam epistolam ab eo ad Soldanum missam legit, & quibus modis liber esset dimissus exposuit. Principes pollicebãtur illi auxilium, ut fidem suam apud Soldanũ liberaret: indignantesq;

suppetias spondebant aduersus Alexandrum, Imperij proditorem. Conscribebatur exercitus: per Italiam nemine repugnante, Romam mouebat. Mißisq; in urbem legatis suis, à Romano populo postulabat (dißimulata interim priuata iniuria) ut causa utriusq; Pōtificis audita, restitueretur cōcordia ecclesiæ: decerneretur q; Papalis sedes uni ex electis Pontificibus, ut ecclesiasticæ administrationis summa penes unum maneret. Id uerò si facerent, promisit se eis non solum pacem concessurum esse, sed etiam omnia redditurum, quæ iure debebantur. Alexander cernens Imperatorem istis consilijs sui propositi compotem fore, noctu aufugit Caietam, deinde Beneuentum: postremò 17 anno sui pontificatus, in coqui sui habitu Venetias uenit. ubi in monasterio delitescens, ortulo præficiebatur. Et post aliquot menses agnitus, habito senatu, iussu ducis Sebastiani, maximo honore exceptus, pontificali pompa in templum D. Marci deducebatur. Nauclerus, Barnus, Funccius, & alij.

Imperator audiens Venetijs esse Papam, à Venetis postulabat, ut suum hostem, hominem reipublicæ perniciosum, sibi restituerent. Quod cum Veneti denegarent, Othonem filium suum cum armata classe misit, ad reposcendum Alexandrum: prohibens tamē illi, ne quid armorum attentaret, priusquam ipse ueniret. Otho autem iuuenis princeps, feruens, & gloriæ cupidus, neglecto patris mandato, cum Venetis congrediebatur, uictus capiebatur, uinculisq; inclusus Venetias deducebatur. Creuerunt ex ea re cornua Alexandro, qui pacem inire cum Friderico noluit, nisi prius ueniret Venetias, accepturus ab eo præscriptas pacis conditiones. Vnde pater, malæ fortunæ filij consulturus, pollicebatur se statuto tempore uenturum. Indicebatur illi dies: aduenit, conueniebantq; de conditionibus pacis. Sed Papa non prius absoluit Imperatorem à uinculo excommunicationis, quàm templum D. Marci accesserat. Quò cum uentum esset, astante uniuerso populo, Alexander iußit Imperatori (ô ipso Turca crudelior Antichriste) ut humi se prosterneret, ac ueniam peteret. Imperator mox iussa fecit. Tum immanis bestia Papa, prostrati Imperatoris (supremi mundi monarchæ) collum pedibus conculcans, ait: Scriptum est, super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem ac draconem. Cæsar indignè ferens hanc contumeliam, respondit: Non tibi, sed Petro. At Papa rursus (impudens Sathan) deprimens collum principis, ait: Et mihi, & Petro. Cæsar metuens aliquid subesse periculi, obmutuit. sicq; tandem est absolutus, & concordia redintegrata.

Conditiones pacis hæ erant: Vt Cæsar haberet Alexandrum pro uero Papa: & ut restitueret uniuersa Rom. Ecclesiæ, quæ tempore belli essent ablata. Composita sic pace, Cæsar decessit cum filio. Pontifex, ut Venetis aliquam rependeret gratiam, pro acceptis beneficijs, Sebastiano duci & senatui donaria dedit, pontificia largitione non indigna. Primùm, funale candidum dabat, quo soli Romani pontifices uti solebant. Deinde, ut literæ eorum plumbo obsignarentur. Ad hæc, duci concessit tertiā sedem in theatro Rom. pontificis. Quartò, in ascēsione Domini ad templum S. Marci, concessit indulgentias plenarias perpetuò duraturas. Quintò, duci dedit octo uexilla serica, atq; umbellam galero persimilem, &c. Papiensem episcopum pallij & ferendæ crucis dignitate Alexander priuauit, quòd ex parte Imperatoris stetisse: & Alexandriæ urbi nouæ, quo celebraretur suum nomen, episcopum dedit. Concilia ab eo habita fuerunt, unum Turonis in Gallia, aliud Romæ in Laterano, in quibus multas constitutiones fecit.

Statuit, ne quis archiepiscoporum reciperet pallium, nisi prius obedientiæ iuramētum Papæ præstitisse: & ne relictam fratris sponsam frater in matrimonio haberet. Ordinandis ad sacerdotium, uotum castitatis imposuit: & illegitimum, episcopum non debere fieri sanxit. Canonizationes sanctorum mortuorum à solo Papa esse decreuit, & illis solis diuinum honorem exhiberi iußit. Bernardum Clareuallensem, ac Thomam Cantuariensem, Anglorum regis ac regni proditorem, Papisticorum deorum ascripsit numero. Henrico secundo Anglorum regi, se excusanti super cæde eiusdem Thomæ, sub pœnitentiæ fuco iniunxit, subditos eius liberè ad Romanam curiam appellare posse: & ut nemo in posterum Angliæ rex foret, nisi prius à Rom. pontifice rex esset appellatus. Constituit, coniuges ob lepræ contagium non esse separandos: ac manifestis usurarijs interdicendam esse communionem, & sepulturam ecclesiasticam. Post hæc & alia facta Papistica, anno Domini 1181, ex hac uita migrauit, & illum optimè præfuisse Vuicelius papista scribit.

Ex Roberti Montensis Chronico: Alexandrū papam, Ludouicus Galliæ & Henricus Angliæ reges,

reges officio stratoris usi, pedites dextra læuaq; frenum equi ipsius tenẽtes, per Totiacum urbem ad Ligerim, magna pompa deduxerunt, iuxta illud Apoc. 17. Cum ea fornicati sunt reges terræ. Sub isto Pontifice, sol eclipsim patiebatur, & terræmotus undiq; fiebant. Dominus etiam his temporibus contra pontificum fastus ac tyrannides, suscitauit Vualdẽses, seu pauperes de Lugduno: ut per contẽptos homines, huius mundi fortes ac sapientes confunderet, 1. Cor. 1.

112. Lucius tertius, natione Thuscus, patria Lucensis, prius Vbaldus appellatus, ex clariore stirpe oriundus, omnium Cardinalium consensu, post mortuum Alexandrum, Romani pontificatus gubernacula suscepit. Is urbe proturbabatur, captiq; ex suis multi sunt ab ipsis Romanis ciuibus, quos partim impositos super asinos, ac mitris ornatos, auersis uultibus per urbem ludibrij causa circumduxerunt, partim alijs affecerunt iniurijs. Nonnullis etiam effrenata eorum malicia oculos ademerunt, & alios neci dederunt. Causa præcipua fuit, quòd consulum in urbe nomen abolere niteretur Lucius. Accepta autem tam insigni contumelia, pontifex Veronam profectus est: et habito inibi concilio, Romanorum superbiam improbauit, & acta eorum damnauit, atq; tum demum ut nostris in Asia pro re Christiana laborantibus (fucata sanctitas in multorũ perniciem) succurreretur, maximẽ (inquit Platina) quum seditione nostrorum principum hostes freti, duce Saladino Hierosolymitanum agrum popularentur. Hic pontifex non immemor suæ patriæ, multis eam muneribus ante mortem ornauit: & ab Imperatore Friderico obtinuit, ne Hetrusci alia quàm Lucensi moneta uterentur: quemadmodum Longobardi solam Papiensem admitterent, Imperatoria nota signatam. Nam Cisalpinos, iam antea Pontifex Imperatori conciliauerat. Indignum tamen esse censuit, pro suis rasis & unctis homagia illi præstare. Valerius Anselmus inter alia refert, quòd sanctus hic Pontifex approbauerit scortatorũ sacra. Veronæ moriebatur anno Domini 1185, in cathedrali templo illic sepultus. Eius tempore, terræmotus ingẽs aliquot in Asia insignes urbes, & in Sicilia 25000 hominum deleuit. Armeni etiam odio Græcorum, huic pontifici atq; eius institutis Papisticis se subiecerũt, ut Ioannes Paleonydorus in 3. suorum Chronicorũ libro refert. Extunc (inquit) suasione Cyrilli Carmelitæ Græci, rex Armeniæ cum omnibus episcopis & regni subditis, anno Domini 1181. Lucio 3 Papæ se subiecit. De qua re sic habet Mantuanus in 3. Fastorum libro:

Tu uerò uenerande pater, per Medica cum iam
Regna, per Armenias urbes, Parthosq; per omnes,
Vndiq; sparsisses diuini semina uerbi:
Attritus grauitate æui, grauitate laborum,
Ad stata perpetuæ migrasti gaudia uitæ.

113. Vrbanus tertius, qui et Turbanus, patria Mediolanensis, è gente Cribella, genitore Ioanne, Pontificatũ iniens, reuocare ad concordiã Christianos principes primò annixus est (rara auis, si ita sit) ne dissidentes à Barbaris opprimerentur. Sed uide quid sequitur, ex Alberto Crantzio, in chronicis Saxonum: Statuerat hic (inquit) excommunicationis mucronem in Imperatorem stringere, quia suis conatibus sese opponere ausus fuerat. At priusquam id posset opere adimplere, morte præuentus fuit. Tantum Crantzius, lib. 6. cap. 52. Sub hoc Pontifice (ut scribit Vuicelius) nil nisi bella Hierosolymitana. Illic cecidere nostri. Heu calamitates infandas. Audiuit Vrbanus, indies in Palæstina res fieri deteriores, Saladino ubiq; triumphante. Audiuit iterum captam esse Hierosolymam, ac regem Guidonem superatum, dum esset in itinere Venetias uersus, comparandæ classis gratia. Et ex dolore cõcepto (ut scribunt authores) Ferrariæ moriebatur, anno Domini 1187. secundo sui Pontificatus anno. Huius Pontificis tempore, ecclipsis solis erat in die Ioannis Baptistæ, hora sexta diei, quam secuta est maxima pestis in Polonia, Russia, & alijs terris. Liuonia quoque ad fidem Papisticam conuertebatur.

114. Gregorius octauus, natione Apulus, patria Beneuentanus, purpuratorum patrum suffragijs in unum coeuntibus, Vrbano præfato, ut iam dictum est, mœrore defuncto, in hac Satanæ sede successit. Magna fuit illis diebus, pro recuperanda Hierosolyma, Pontificum sollicitudo: non adeò tamen pro Christianæ reipublicæ commodo, ut pro suorum uentrium impinguatione, ut exitus comprobabat. Senserant principum arma, non modico suarum rerum dispendio. Eos ergo ad ulteriores mundi

partes transmittebant, astu hoc in specie ualde honesto, ut & interim suas artes exercerent domi. Nam & Gregorius hic noster, statim post initum Papatum, nuncios ac literas ad regnorum principes misit, eos cohortatus, ut uiribus omnibus, comparato terra mariq; exercitu, Hierosolymā pergerent, captamq; ex hostibus infidelibus urbem recuperarent: cum tamen nulli essent illis ipsis infideliores. Sed in uia, dum Pisanos ac Genuenses ob illā profectionem concordare niteretur, anno Domini 1187, uenenata potione, ut Matthaeus Parisius scribit, Pisis per diuinam ultionem spiritum efflauit, nondum expletis in ipso papatu duobus mensibus: atque ibi sepultus est. Massaeus tamen refert, quod pro totius Ecclesiae reformatione multum laborauerit. Sed qualis sit talium Antichristorū reformatio, communis experientia satis docet.

115. Clemens tertius, genere Romanus, ex patre Ioanne, cognomento Scholaris, post initum Papatum, ad eius regni commoda impiger operarius, de bello statim in Saracenos gerendo edictū proposuit. Inde moti principes, arma sumpserūt: quorum de numero praecipui fuerunt, Fridericus Imperator, Philippus rex Franciae, Ricardus rex Angliae, & Otho Burgundiae dux, sequentibus multis episcopis atq; archiepiscopis, ut qui potius ad pacem quàm bella per Euangelij praedicationē eos incitassent. Ex Dania, Frisia, ac Flandria multi accesserunt: sed nihil magnū peregerunt. Contigit anno Domini 1188, Guilhelmū Siciliae regem Panormo uita defungi, nullo relicto haerede: cuius mox regnū papa Clemens ad Rom. Ecclesiae ius trahere conabatur. Sed insulae proceres, Tancredū Rogerij nothum interim substituerūt. Pontifex armis repetere ius illud (non suū, iuxta id quod scribitur Lucae 22. Vos autem non sic) animo destinauit, ex quo rapinis (sanctum Pontificis studium) ac caedibus omnia repleuit. Et cum uideret non singula sibi ad uotum succedere, ad religionis fucum se conuertit. Cleri mores correxit, sed scortationes interea atq; horribiles Sodomias non semel reprehendit. Statuit, solum Papam episcopos posse ad alium locum, aut altiorem dignitatē transferre. Eosdem episcopos quoq; (superbissimus nebulo) principibus dignitate praeire decreuit. Talia erant istorum Antichristorum bona opera, dum ipsi principes absentes essent. Nonnulla aedificia in urbe restituit, claustrum S. Laurentij extra muros construxit, & aedes Lateranenses uetustate collabentes non mediocri impensa refecit. Azymos panes & uinum lymphatū in Missis haberi mandauit, aliaq; plura constituit. Affert tamen Baptista Mantuanus in 6. Fastorum libro,

Azyma seu fuerint, sicut dixere Pelasgi,
Liba quibus fecit sacri uenerabilis author,
Ambiguum. celebrare modo laudabile utroq;:
Si nostrae sinerent leges, Romanaq; iura.

Mortem Clemens anno Domini 1191, operibus his insistēs, obijt. In praedicta cleri reformatione, Cardinalem quendam in Poloniam misit, qui corrigens clericorum mores, synodum illic congregauit. In qua coelibatum unctis suis praecepit: & pro recuperanda terra sancta decimas dari monuit. Chron. Pol. lib. 3. cap. 26. Danorum plebs suis sacerdotibus coniugia decernens, ab hoc pontifice excommunicabatur. Saxo Gram. lib. 15.

116. Coelestinus tertius, natione Romanus, patre Petro Bubonis, & Iacynthus antea dictus: uir senex, in festo Paschae post Clementis mortem, per Cardinales & episcopos intronizatus, sequenti die Imperatorem Henricum sextum coronauit. Qui aegrè ferens Tancredum Siciliae regno potiri (ars uerè pontificia) eidem Imperatori Constantiam monacham, Rogerij filiam, è monasterio Panormitano eductam, uxorem dedit, ea conditione, ut dotis nomine utriusq; Siciliae regnum peteret, pulsoq; Tancredo possideret, reseruato censu (hoc semper debebat fieri) qui Pontifici quotannis feudatario iure solueretur. Atq; hoc modo Sueuorum duces Siciliae regnum obtinuerunt: sed inde creuere bella non incruenta. Ex Funccio. Post huius Henrici mortē, ex magno Imperij schismate, ortum est tantum per totam Germaniam dissidium (quum Papa Sueuis infensus ob Siciliae dominationem, quam ipse ambiebat, Othonem confirmaret) ut nulla parcecia cum altera consentiret. Vnde Rom. pontifici non parum fuit lucri ex cōpositione litium inter spirituales illos. Talia erāt sanctissimiorum patrum exercitia, dum principes essent circa expugnandam Hierosolymam occupati, ut prius est significatum. De qua litium compositione, Conradus à Lichtenauu, Vrspergensis abbas, ita scripsit: quae

quæ ob id hoc loco referenda esse puto, ut sanctitatem Romanam, & qua occasione tantas acquisiuerit diuitias, pius lector agnoscat. Vix remansit (inquit) aliquis episcopatus, siue dignitas ecclesiastica, uel etiam parochialis ecclesia, quæ non fieret litigiosa; & Romam deduceretur ipsa causa, sed non manu uacua. Gaude mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terra, ut ad te confluant riui & aggeres nummorum in magna copia. Lætare super iniquitate filiorum hominum: quoniam ad recompensationem tantorum malorum datur tibi precium. Iocundare super adiutrice tua discordia, quæ erupit de puteo infernalis abyssi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes quod sitisti. Decanta canticum: quia per maliciam hominum, nō per piam religionem orbem uicisti. Ad te trahit homines, non ipsorum deuotio, aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio, & litium decisio, precio comparata. Hæc abbas ille.

Quæ si quis in Anglia, aut alibi, ubi uiget Papatus, apertè nunc diceret, non tantum pro hæretico haberetur, sed et igne combureretur: quæ tamen monachus ille tunc dicere non abhorruit. Instabat adhuc Cœlestinus (quod magno sibi ac suis tunc esset lucro) ut terram sanctam principes bellis recuperarent. Et interim ipse (inquit Platina) in tantis rerum perturbationibus, tantoq; sumptu bellico, ædes egregias tum apud S. Petrum, tum ad Lateranum ædificauit, quibus recipi Pontifices percōmodè possent. Extant adhuc in Laterano ualuæ æneæ eregionè ad sancta sanctorum, suo iussu suaq; impensa fabrefactæ. Præterea uerò ciuitatis nomē Viterbio dedit, ecclesiamq; eorum cathedralē fecit: Tuscanensem & Centumcellensem ita in eandem transferēs, ut unus episcopus omnibus præesset. Præsulem, bigamum ordinantem ad ecclesiasticos gradus, potestate priuandum censuit, & iuramentum metu extortum adnihilauit. Peractis his omnibus, Cœlestinus anno Domini 1198 ex hoc seculo relicta carne migrauit. Vt Stella Venetus scribit: Nihil hic prætermisit (sed ad suum commodum semper) quo minus Hierosolyma recuperaretur. Occupabatur (inquit Vuicelius) & is, bellis Palæstinis, sed fœlicius: homo ecclesiæ Romanæ perutilis. Non minus aptè quàm uerè, à ueritatis aduersario dictū. Huius tempore, Cyrillus prædictus eremita, anno Domini 1192, post decem Papisticæ prædicationis annos, ex Armenia ad Carmelum est reuersus, ubi statim oraculum ualde prodigiosum inter missandū habuit. De quo Matuanus in quinto Fastorum libro, eius seculi mysterijs excæcatus, sic scribit:

Cyrillus diuinus homo, cum sacra litaret,
Mane sub auroram, sacra uestitus abolla
(Res miranda) puer fulgenti splendidus ore
Astitit ante uirum, liquidis suspensus in auris:
Argentumq;, docens annorum fata sequentum,
Protulit, & manibus pronis dimisit in aram.
Adijciens: Deus ista tibi secreta reuelat
Sancte pater, tu fac populis ea nota Latinis.
Continuò mutans Romanis Attica uerbis
Nomina, ad abbatem Siculum transmisit, & ille
Confestim in Latium, scholijs ad singula iunctis:
Quæ superant, & habentur adhuc, passimq; leguntur.

Sed huius historiæ ueritas, sub Gregorio nono postea reuelabitur. Tria nanque prodigia, magna atq; miranda, suscepit illa ætas, ut in magna admiratione mendicantiū ordinum sectas tunc mundus haberet, dum operaretur Satan in suo Antichristo plenū iniquitatis mysterium, 2 Thes. 2. scilicet Lateranēsis templi corruētis sustentationē in uisione Romæ per Dominicum, quinque Francisci uulnera Seraphica in quodam Lauerniæ monte, & huius Cyrilli cœleste oraculum dum in Carmeli solitudine missaret. Nicolaus Tolentinus nondum erat natus: postea tamen pro suis Augustinianis, quarto mendicantium genere, stellam ac pisces adduxit.

ADALBERTVS LEVITA. XCV.

ADalbertus Leuita, Spaldingēsis cœnobij doctissimus monachus, artibus bonis incredibili quodā studio, noctes atq; dies inuigilabat, &

operæ suæ ingẽs precium inde industrius tulit. Erat autem uir iste, ut de illo scribitur, natione Anglus, professione monachus, obseruatiõe Cluniacus, diuina ac seculari eruditione perspicuus, & in ecclesiasticis negocijs optimè exercitatus. Erat facundia præclarus, consilio prouidus: & quod his omnibus maius est, in habitu & uultu, deniq; in omni conuersatione & actione sua, magnæ mansuetudinis ac religionis documentum præferebat. Post attentam sacrarum scripturarum lectionem, ueterum patrum scripta auidè perlegebat. Et inter posteriores ecclesię doctores, supra modum illi placuit Gregorius Magnus: ex cuius Moralitatibus in Iobum, protulit Speculum quoddam,

De statu hominis,	Lib.1. *Reuerendissimo in Christo patri.*
Ad Hermannum presbyterum,	Lib.1. *Nonnulli namq; ita sunt simplices.*
Homelias plures.	Lib.1.

Et alia nonnulla composuit. Bostonus Buriensis in suo Catalogo narrat, capita 155 in præfato Speculo cõtineri. Claruit Adalbertus, anno à Iesu seruatoris nostri natali 1160, sub Henrico secundo Anglorum rege.

APPENDIX.

Polydorus lib. 13. Anglicæ historiæ: Circa annum Domini 1160, quidam malefici doctores ex Germania, numero circiter 30 uerè malorum dæmonum cultores (sic impostor Christianos nominat) in Angliam uenere. Hi licet Christianos se esse profiterentur, attamen baptismũ, eucharistiam, ac coniugium detestabantur (docebant rectum usum) sed antequam suum uirus latius funderent, maleficij conuicti, meritas dederunt pœnas. Huiusmodi probra semper habet Euangelij prædicatio, à maleuolis & impijs Papistis. Sed uide quid tunc scripserit Ioannes Sarisburiensis, lib. 7. cap. 20. sui Polycratici: Qui pro ueritate fidei (inquit) aut synceritate morum, de iure diuino aliquid loquitur, aut superstitiosus est, aut inuidus: aut, quod capitale est, principis inimicus, &c.

GERVASIVS CICESTRENSIS. XCVI.

GEruasius Cicestrensis, uir in omni per suam ætatem liberali scientia feliciter eruditus, ab ipsa urbe in qua natus ac nutritus à parẽtibus erat, cognomentũ accepit. Hic ita à iuuentute bonas literas excoluit, ut illas solas pro animi sui ornamẽto necessarias duceret. Ille enim flagrãtissimo (inquit Lelandus) eloquentiæ & doctæ cognitionis ardore correptus, scholas eius seculi celebratissimas frequentauit, & maximè Lutetiam Parisiorũ. Fuit apud Thomam Becketum, Cantuariorum archiepiscopum, in precio, nomine bonarum literarum planè maximo, expedito usus calamo. Bibliorum libros in scholis publicis plures exposuit, non sine auditorũ applausu: & conciones in templis nonnullas, ut extirpatis uitijs in pectoribus multorum, uirtutes plantaret. Hic presbyter tandem scripsit de sacerdotalis ordinis institutione,

In Malachiam commentarios,	Lib.1. *Conditor itaq; noster, & præ.*
In Psalmos Dauidis,	Lib.1.
Homelias aliquot,	Lib.1.

Atq; alia plura. Qua dignitate in basilica Cicestriensi insignitus sit, non legimus: quamuis sit ab Helia Eueshamensi monacho, in Chronico suo laudatus. Claruit anno gratiæ per Christum 1160, sub Henrico secundo Anglorum rege.

APPENDIX.

Ex quinto libro Matthæi Parisij: Anno Domini 1162, Thomas Becketus, ex laico in archiepiscopum Cantuariensem electus, sacerdotium cum monachatu simul suscepit, & Mariam cum Thoma apostolo aduocatam admisit. Christus uulneratus fortassis non placuit. Anno Domini 1164, cum

Thomas

Thomas præfatus, assentiens patriæ legibus, in regis uerba Clarendonæ iurasset, facti ipsum pœnituit, quod in eo iuramento nō addidisset, Saluo ordine meo, & honore sanctæ matris Ecclesiæ. Ab altaris officio se ideo subtraxit, donec esset à Pontifice absolutus. Sic adorauit bestiam, iuxta illud: Quis similis bestiæ, &c. Apoc. 13. ut proditoriè regem suo iure priuaret, & ut in illo Dei ordinationem pro suo Antichristo adnihilaret. Eodem anno, in Anglia docebant quidā Vualdenses, quos alij publicanos, alij pauperes de Lugduno uocabāt, ut habet Guido Perpinianus in libro de Hæresibus. Hi dicebant, Romanam ecclesiam, quæ Christi reliquerat fidem (uerissimè dictum) meretricem esse Babylonicam, ficumq; sterilem, cui ipse maledixerat olim. Dicebant etiam, non obediendum esse Papæ & episcopis (cum Deo contraria præcipiant) at monachatum esse cadauer fœtidum: uota fore friuola, & Sodomam nutrientia (exempla indicant) ordinesq; characteres esse magnæ bestiæ. Purgatorium, missas, templorum dedicationes, sanctorum uenerationes, & mortuorum memorias, esse diabolicas inuentiones, &c.

ODO CANTIANVS. XCVII.

ODo Cantianus, metropolitanę Cantiorum ecclesiæ ad Seruatoris fanum monachus spectabilis floruit: ubi tandiu (ut Lelandus colligit) uirtuti & doctis artibus studebat, ut socios sui collegij omnes facilè superauerit. Vnde Ioannem Sarisburiensem fautorem & collaudatorem in palatio Thomæ archiepiscopi habere meruit. à quo cum quodā Brytone, Musarum & carminū amatore maximo, in suis scriptis celebrabatur, Polycratico scilicet, atq; Euthetico. Fani Seruatoris à Thoma præses designatus, ac Bellici monasterij tandem abbas, sacræ scripturæ cognitioni summam impendit operam. Eiectus tunc erat Clerebandus abbas ad fanum Augustini Cantuarię, quòd nollet ab eodem Thoma benedictionem accipere: ut Robertus Montanus in Annalibus demonstrat. Nam non adorare bestiam in peruncto & raso Pontifice, grande piaculum & inexpiabile malum est. Sed ut ad Odonem reuertamur, edidit

In pentateuchum commentarios,	Lib. 5. Operis subditi materia, lex.
In capita primi Regum,	Lib. 1.
Singillatim in libros Regum,	Lib. 4.
Super Psalterium,	Lib. 1.
In uetus Testamentum,	Lib. 1.
De libro uitæ,	Lib. 1.
De onere Philistijm,	Lib. 1.
Conciones in Euangelia,	Lib. 1.
Conciones in Epistolas,	Lib. 1.
De moribus ecclesiasticis,	Lib. 1.
De uitijs & uirtutibus animæ,	Lib. 3.
De inuentione Milburgæ,	Lib. 1.
Epistolarum ad diuersos,	Lib. 1.

Atq; alia nōnulla. Claruit anno patefactæ in Christo gratiæ 1160, regnante in Anglia Henrico secūdo. Obijt in Bellesi monasterio, q̃d patria lingua Battell uocat̃. & tandē fuit à Rom. pontifice inter sanctos Papisticos relatus.

APPENDIX.

Ex 5 libro Matthaei Parisij: Anno Domini 1166 quidam praui dogmatis disseminatores (sic de Dei uerbo iudicant impij) apud Oxonium tracti sunt in iudicium, præsente rege & regni episcopis. Quos in fide catholica deuios (egregiè mentitur iniquitas) & in examine superatos atq; confusos, facie cauterio notabiles, rex cunctis exposuit. Qui & illico sunt expulsi à regno. Thomas iudicatur his temporibus, singularis columma (triumphant perditi Papistæ) cui tota Ecclesiæ incubuit structura (Papæ synagogam intelligunt) sed concussa minatur ruinam. Papa, de quo (non Christo)

sto) baculum fecerant sustentationis, confractus est, & eum iam fragmenta uulnerauerunt. Expectat Thomas (quò tunc abijt Christus?) pro ecclesia martyrium. O' perditorum hominum blasphemiæ. Eodem anno (inquit Matthæus Parisius) Ioannes regis filius nascitur: de quo cum adhuc esset in utero matris, & cum baptizaretur, mira, sed relatu indigna prognostica euenisse referuntur. Sed hæc erant in eius odium machinati, cum Antichristi placitis non gereret morem, ut in sequentibus.

SIMEON DVNELMENSIS. XCVIII.

SImeō Dunelmensis, magnifici illius Benedictinorū cœnobij, in septentrionali insulæ parte præcētor, utriusq; philosophiæ secreta, iuuenis olim ac literarum amator, Oxonij collustrabat. Vir nimirum erat suo seculo in multis scientijs eleganter instructus, præsertim mathematicis, ex quibus per uniuersam patriam magnum sibi comparauit nomen. Ex uaria quoque ac recondita rerum ac temporum cognitione, singularis euasit chronographus. Vnde intelligens Northumbrorum res gestas, tum scriptorum negligentia, tum iniquitate temporis obscuratas esse, & in silētio pressas delitere: ut tandem ab interitu & obliuione seruarentur, reparauit, collegit, atq; in ordinem retulit. A' morte enim uenerabilis Bedæ, qui & in eodem quiescit cœnobio, historiam solennem commodisime inchoauit, illustria perstringens Anglorum ac Danorum facta, spacio plus quàm quadringentorum & uiginti nouem annorū, usq; ad annum Domini 1130. Quibus postea 25 superaddidit annos Ioannes Hagustaldensis, historicus non ignobilis, qui & statim sequetur. Et ut paucis concludam, scripsit Simeon historiam

De regibus Anglorum,	*Lib.2. Peractis ex sanctißimi doctoris.*
De obsidione Dunelmi,	*Lib.1. Anno ab incarnatione Domini 980.*
De archiep. Eboracensibus,	*Lib.1. Hæc charißime pater & domine.*
De paßionibus martyrum,	*Lib.1. Anno ab incarnatione Domini 616.*
x *Abbreuiationes Malmesburiensis,*	*Lib.1. Non indecens esse opinor, si quiddam*
Epistolas ad Elmerum,	*Lib.1. Elmero ecclesiæ Christi Cantuariæ,*

x Anglia Sacra Vol. 1. praef. p. 13.

Credibile est & alia illum edidisse plura. Verùm hæc sola sunt, quæ uidi. Martyres uerò, de quibus superius scribit, duo sunt, Ethelbertus atq; Ethelredus. Claruit anno ab apparente in carne Dei filio 1164, in quo historiam finiebat, sub Henrico secundo.

APPENDIX.

Ad istum Simeonem Geruasius quidam presbyter scripsit, uisionem cuiusdam Orni solitarij. Nam plures erant illis diebus, qui & reuelationes habebant, & prophetias ediderunt: sed quo spiritu docti, nescio. Præcipuè mulieres quædam uestales, seu moniales & abbatissæ, quæ etiam de Eucharistia post uisiones scripserunt, quod maiorem inijcit imposturæ suspicionem. Ex quarum numero fuerunt Elizabetha Schonaugiensis, Hildegardis Bingensis, & Angela Bohema. Ex uiris & monachis tunc erant, Ornus prædictus, Robertus Lympurgensis abbas, Tundalus Hybernus, Ioannes de Pinio, Ioachim abbas, Cyrillus presbyter, et alij plures: quorum scripta, Missæ superstitionem ac Purgatorij terrorem mirum in modum confirmabant.

EALREDVS RHIEVALLENSIS. XCIX.

EAlredus Rhieuallensis (Ethelredum plures uocant) Cistercienfiū monachorum in Rhieualle Eboracensis diœcesis abbas, genere, doctrina, & inculpatę uitæ moribus, ut Capgrauius habet, præclarus emicuit. Solitariæ uitæ ardore totus inflammatus, talis ac tantus euasit, ut breui socios suę professionis omnes, omnibus uitæ ornamentis superaret. Accesit ad hæc literarum cognitio, quæ tanto illi ad omne genus doctrinæ incitamento fuit, ut nullum scientiæ genus intactum relinqueret. Dauidi Scotorum regi familiarisimus olim, quum adhuc adolescens esset, episcopatum Papisticum

cum & alios mūdi honores recusabat, ut ad exercitia uirtutum, maxime ad Euangelij prædicationem expeditior haberetur. Varios ad tumultuaria certamina principum motus, potissimum ubi nulla spes pacis expectabatur, mira solebat industria compescere, atque ad optatum perducere finem. Virerat idem, atq; alter Bernardus, ingenio mitis, actione pius, et consilio modestissimus: diuiq; Aurelij Augustini confessiones, pro immēso semper habebat thesauro. Composuit inter cætera, & scripsit primò ad Laurentium abbatem Vuestmonasteriensem,

Vitam Eduuardi Anglorum regis,	*Lib.2. Multis ueterum studio fuisse.*
Vitam Dauidis Scotorum regis,	*Lib.2. Religiosus & pius rex Dauid.*
Vitam Niniani episcopi,	*Lib.1. Multis uirorum bonorum.*
Vitam Margaritæ reginæ,	*Lib.1.*
De miraculis D. Eduuardi,	*Lib.1. Rebus humanis exemptus.*
De regibus Anglorum,	*Lib.1. Quoniam de optimis moribus.*
Miracula Hagustaldensis ecclesiæ,	*Lib.1. Præsentis diei exposcit ratio.*
Chronicon ab Adam ad Henricum primum,	*Lib.1.*
Sententiarum flores,	*Lib.1. Cum multos diuinæ authoritatis.*
Vitam Eduuardi carmine,	*Lib.1. Cum tibi Laurenti cogar parere.*
Homeliarum iustum uolumen,	*Lib.1. Petis à me, dilectißime in Do.*
In Euangelium accensæ lucernæ,	*Lib.1.*
De prælatorum moribus,	*Lib.1. Beatus Paulus Apostolus disci.*
De ministrorum officijs,	*Lib.1. In libro Numerorum scriptum est.*
De abusionibus claustri,	*Lib.1. Duodecim sunt abusiones clau.*
Centum sermones synodales,	*Lib.1.*
Speculum charitatis,	*Lib.3. Verè sanctorum, uera & discreta.*
De uera amicitia,	*Lib.1. Cum adhuc puer essem in scholis.*
De amicitia spirituali,	*Lib.3. Ecce ego & tu, in eadem &.*
De aduentu Domini,	*Lib.1.*
De militia Christiana,	*Lib.1. Sagitta Ionathæ nunquam abijt.*
Super onus Babylonis,	*Lib.1. Tempus est fratres charißimi.*
De oneribus Isaac,	*Lib.1. Auens te pater beatißime.*
Dialogos plures,	*Lib.1.*
Inter hominem & rationem,	*Lib.1. Quare tristis es anima mea.*
De institutione inclusarum,	*Lib.1. Iam pluribus annis exigis à.*
De quodam miraculo,	*Lib.1. Miracula Domini, & manifesta.*
Super Canticis canticorum,	*Lib.1.*
De uirtute Gualteri Espec,	*Lib.1. Anno Dominicæ incarnatiōis. 1138.*
Contra quasdam episcoporum literas,	*Lib.1.*
Epistolas trecentas,	*Lib.1. In quieto litore degens adhuc.*
De lectione Euangelica,	*Lib.1.*
De Christo duodenni,	*Lib.1.*
Super Lucam etiam,	*Lib.1.*
De uirginitate Mariæ,	*Lib.1.*
De natura animæ,	*Lib.1.*
De dotibus eiusdem,	*Lib.1.*

Atq; alia multa. Rhieualli migrauit ab hoc seculo Ealredus homo pius, anno Salutis humanæ 1166, pridie idus Ianuarij, uitæ suæ anno 57, sub prædicto Henrico secundo Anglorum rege, sanctorum papisticorum ascriptus tandem numero. In omni scribendi genere D. Bernardo similimus hic fuit.

THOMAS BECKETVS. C.

THomas Becketus, ex parentibus superstitiosis Gilberto & Mathilda genitus, omni petulantia iuuenili, effrenaque lasciuia adolescentiā suam inaniter transegit. Nam inter bellatores (inquit Lelandus) dum rex Henricus Tolosam obsideret, superbus & ille bellator fuit. Post conflictationes igitur, imò post furta, stupra, & cædes, Pontificij iuris cautelis armatus, fit primò sub archipræsule Theobaldo, archidiaconus Cantuariæ: postea summus sub rege, regni cancellarius: ac tandem sub Papa archiepiscopus, primas, & apostaticæ sedis à latere legatus. Exinde cœpit Romano pontifici nimium adhærere, & regi grauior esse, in omnem eius fidelem amicum furiose debacchatus. Assiduus ei labor ac studium fuit, maiestatem Principis minuere & Antichristo subijcere: quam Dei atque hominum proditores Papistæ, libertatem suæ ecclesiæ hucusque uocant. Ad mortem contendebat, sacerdotes & clericos, ob homicidia, latrocinia, adulteria, stupra, aut pæderastias ipsis assuetas, & eius generis execrabilia facta, non esse per magistratū publicum puniendos. Asseruitque, ad ecclesiæ libertatē potissimum spectare, ut princeps nihil habeat iuris in laruatos, unctos, & rasos, quandiu sunt Papæ creaturæ. Vnde scripsit inter cætera Becketus, pro confirmandis his erroribus,

Ad Alexandrum papam,	*Lib. 1.*
Epistolas 534 ad diuersos,	*Lib. 1. Charissimo domino & patri Alex.*
Ad suos coepiscopos,	*Lib. 1. Fraternitati uestræ scriptum hoc.*
Apologiam ad Gilbertum,	*Lib. 1. Mirandum & uehementer stupendum.*

Encomium hoc quoque barbarum ac sine sapore, ad uirginem Mariam edidit: Gaude flore uirginali, &c. Nimia pertinacia tandem cecidit, regis ac regni proditor. Fulmine enim Antichristianæ tyrannidis, quam ecclesiasticā censuram uocant, quosdam regis amicos furiose feriens, à nobilibus aliquot occidebatur, anno à Christi natali 1171, ætatis suæ 53, officij 9: Cantuariæ sepultus, & in Papisticorum deorum numerum relatus.

APPENDIX.

Cæsarius monachus habet, in libro 8. & cap. 69. suorum Dialogorum: Anno 48 post Thomæ Cantuariensis mortem, scilicet anno Domini 1220, quæstio Parisijs inter magistros uentilata fuit, utrum damnatus an saluatus esset ille Thomas. Dixerat tunc Rogerus quidam Normannus, fuisse illum morte ac damnatione dignum, quòd contumax esset in Dei ministrum regem. Protulit econtra Petrus cantor Parisiensis, quòd signa saluationis, etiam magnæ sanctitatis, essent eius miracula, & quòd martyrium probasset ecclesiæ causa, pro qua mortem subiuerat. Talia sunt Papistarum somnia, qui & in mendacijs inaniter gloriantur. Vide qualem his addant blasphemiam, in derogationem sacrosancti sanguinis filij Dei. Tu (inquiunt) per Thomæ sanguinem, quem pro te impendit, fac nos Christe scandere, quò Thomas ascendit. O' sancta sanctissimorum diabolorum synagoga.

CENTVRIAE SECVNDAE SCRIPTORVM BRYTANNIAE
Finis, authore Ioanne Baleo.

IOANNIS

IOANNIS BALEI SVDOVOLGII ANGLI, DE SCRIPTORIBVS BRYtanniæ,

CENTVRIA TERTIA.

IOANNES SARISBVRIENSIS. I.



IOANNES Sarisburiensis, natus in prouincia Vuilcherię, quæ alio nomine Vilugia dicitur: ex primis unus fuit, qui nostrę Brytannię post Theodori tempora, Gręcam & Latinam linguam, suæ puritati ac dignitati restituere laborauit. Auidus bonarum literarum explorator, perceptis artium præceptiunculis primis, traiectoq; mari, celebriora Gallorum, Italorum, & Apulorum frequentabat studia. Dulce nimirũ semper habuit, in liberalium Musarum campis exercere ludum, ingenio ad id dexterrimo præditus. Singulari per hos labores linguæ beneficio atq; eruditione præstans, Eugenio tertio & Hadriano quarto, Romanis pontificibus, ac tandem Cantuariorum archipręsuli Theobaldo, eximiè charus fuit. Telis tamẽ acerbissimis nonnunquã insectabatur cleri abusus, scriptor suæ ætatis longè eloquentissimus, carmine ac prosa excellẽs. Videor enim (Lelandus inquit) mihi uidere in hoc homine, præter raram quandam facundiam, omnis scientiæ orbem. Satis uidebat Pontificũ auaritiam, fastum (nolo aliquid grauius proferre) & totam denique nostri seculi tragœdiam. Archiepiscopo Thomæ quandoq; familiaris fuit, & in exilio comes: sed non propterea omisit suas illi obijcere peruicaces in regem benignum dementias. Vt demum ueniamus ad libros, insigne congessit opus de Aulicorum nugis per multa philosophorum exempla, quod uocabat

Polycraticon,	Lib.8. Iucundissimus tum in multis, tum in.
Mythologicon,	Lib.4. *In humanis rebus nihil fore.*
Eutheticon, de Philo. dogmate,	Lib.1. Dogmata discutiens ueterum.
In Paulum ad Romanos,	Lib.1. *Principia rerum requirenda sunt.*
Ad Corinthios,	Lib.2. Paulus Apostolus hanc epistolam.
Ad Galatas,	Lib.1. *Hanc epistolam scribit Apostolus.*
Ad Ephesios,	Lib.1. Apostolus hanc epistolam scribit.
Ad Philippenses,	Lib.1. *Paulus & Timotheus hanc epist.*
Ad Colossenses,	Lib.1. *Hanc epistolam scribit Apostolus.*
Ad Thessalonicenses,	Lib.2. Paulus & Syluanus & Timoth.
Ad Timotheum,	Lib.2. *Epistolam hanc scribit Apostolus.*
Ad Titum quoq;,	Lib.1. Paulus seruus Dei & domini.
Ad Philemonem,	Lib.1. *Apostolus hanc epistolam scribit Phi.*
Ad Hebræos,	Lib.1. Paulus doctor egregius, gentium.
De statu Romanæ curiæ,	Lib.1.
Vitam Anselmi archiepiscopi,	Lib.1.
Vitam Thomæ archiepiscopi,	Lib.2. Sacrosanctam ecclesiam iugiter impug.
Pœnitentiale opus,	Lib.1. *Cum miserationes domini sint sup.*
Eutheticon metricum,	Lib.1. Si mihi credideris linguam cohi.
De membris conspirantibus,	Lib.1. *Concilium celebrant humani cor.*
Epistolas familiares,	Lib.1. Venerabili domino & patri sanc.
De Mathematica duplici,	Lib.1.
De musica amoris,	Lib.1.

Speculum rationis,	Lib.1.
Super speculo Nigelli,	Lib.1.
De malo tyrannorum exitu,	Lib.1.
Ermoneuticon,	Lib.1.
Sermones elegantes,	Lib.1.
Diuersi generis carmina,	Lib.1.

Et alia adhuc plura. Factus demum ob reconditam eruditionem ab Hērico rege Carnotensis episcopus, in patria Senonensi apud Gallos, ultima doctrinæ suæ monumenta illic reliquit. Obijt celeberrimus uir, anno à salutiferæ diuæ Virginis partu 1182, & episcopatus sui anno 6, sub Henrico rege prædicto.

APPENDIX.

In suo Polycratico has sententias habet prædictus Ioannes: Sedent (inquit) in ecclesia Romana Scribæ & Pharisæi, ponentes onera importabilia in humeros hominum. Pontifex magnus omnibus grauis, ac penè intolerabilis est. Ita debacchantur eius legati, ac si ad ecclesiam flagellandam egressus sit Sathan à facie Domini. Nocent sæpius, & in eo sunt diabolo persimiles. Apud eos iudicium nihil est, nisi publica merces. Quæstum omnem reputant pietatem. Iustificant pro muneribus impium, afflictas grauant conscientias. Argento & auro mensas ornant, & exultant in rebus pessimis. Siquidem peccata populi comedunt, eis uestiuntur, & in eis multipliciter luxuriantur: dum ueri adoratores in spiritu adorāt patrem. Qui ab eorum dissentit doctrina, aut hæreticus iudicatur, aut schismaticus. Manifestet ergo seipsum Christus, & palàm faciat uiam, qua nobis est incedendum, &c.

CLEMENS LANTHONIENSIS. II.

CLemens Lanthoniensis, eiusdē ecclesię presbyter & canonicus, ac tandem omniū illic residentiū ordinis diui Augustini canonicorum præses ac magister, magnus & fama & eruditione enituit. Lanthoniū Claudianum Lelandus illum locum appellat, ad differentiam alterius adhuc loci eiusdem nominis: & quia Claudiæ seu Glocestriæ urbi adiacet, tam claram ex studijs pulcherrimis famam per illas regni partes est consecutus, ut literatorū sui temporis princeps diceretur. Quo interim alacrior animo esset, tum ad legendum, tum ad scribendū, locum cōmutabat: & Lanthoniū Brechanianum aliud in Cambriæ prouincia eiusdem nominis monasterium, petijt: à quo & primum cœnobium originem sumpsit, quòd locus esset ab omni strepitu remotissimus. Hanc nactus solitariam mansionem, calamum libenter in manus sumpsit, chartis nonnulla committens ad utilitatem publicam. De huius eruditione præclarè sentit Giraldus Cambrensis, Brechaniæ tunc archidiaconus, in Cambriæ itinerario. Vnde & ipse tum demum theologus insignis, hos sui ingenij fœtus nobis reliquit,

Concordiam Euangelistarum,	Lib.12. *Huius operis fili charissime.*
In Euangelia commentarios,	Lib.4. *Quæris à me, qua fretus auth.*
De alis Cherubin,	Lib.1. *Prima ala est laudis confessio.*
In canonicam Iacobi,	Lib.1. *Sicut in obscuris diuinarum scrip.*
In canonicas Petri,	Lib.2. *Discipulos Saluatoris inuicti.*
In canonicas Ioannis,	Lib.3. *Rationem uerbi & quòd Deus.*
In canonicam Iudæ,	Lib.1. *Iudas apostolus, fratres de cor.*
Sermones eruditos,	Lib.1.
Epistolas ad diuersos,	Lib.1.
Lecturas scholasticas,	Lib.1.
De orbibus astrologicis,	Lib.1.

Atq; alia nonnulla. Claruit Clemens anno ab incarnato Dei uerbo 1170, sub

Henricq

Henrico secundo Anglorum rege. Perijtq; postea, ut scribit Giraldus, subitò percussus paralysi, & sepultus fuit Lanthonij prope Glocestriam.

GVALTERVS DANIEL. III.

GValterus Daniel, Ealredi Rhieuallēsis abbatis diaconus, inter Cistercienses, in omni bonæ eruditionis genere doctissimus ætate sua floruit. Monachus fuit (inquit Lelandus) tam celebris uitæ & eruditionis, ut optimum præceptorem optimus discipulus non modò æquauerit, uerumetiam aliquot nominibus uicerit. In hoc certamine Ealredi in literis uirtutē usqueadeò multā, sed sancta inuidia prosecutus est, ut subinde easdem res ad calamum reuocaret, de quibus antea præceptor nec infœliciter scripsisset. Quantus autem fuerit in philosophia & theologia, quantaq; cura (ut illa ferebant secula) stylum assiduè expoliuerit, ipsa per se res multo manifestius clariusq; indicat, quàm ut nostræ orationis autoramento egeat ullo. Quare ad librorum nomina, quę in Rhieuallensi bibliotheca extabāt olim, me uertam: operæ preciū facturus, si is palàm in lucem prodeat, qui tot annis apud paucos & obscuros monachos delituit. Scripsit nempe Gualterus contra Nicolaum monachum,

De conceptione Mariæ,	*Lib.2. Contra Nicolai de sancto Albano quon.*
De uirginitate Mariæ,	*Lib.1. Crebrius me Gualterum prouocas.*
De uera amicitia,	*Lib.5. Quasi in biuio iam dudum spaciatu.*
De onere iumentorum Austri,	*Lib.2. Animaduertens in Esaiæ 30. cap.*
De honesta uirginis formula,	*Lib.1. In primis huius nostri operis.*
Epistolarum uolumen,	*Lib.1. Mandasti mihi, ut hoc supra uires.*
Centum homelias,	*Lib.1. Aduentus Domini nostri in carnem.*
Centum sententias,	*Lib.1.*
Super Missus est,	*Lib.1.*
In aliquot scripturæ loca,	*Lib.1.*

Et alia quamplura, quorum tituli non occurrunt. Claruit anno à nostræ reparationis initio per Christum 1170, sub prædicto Anglorum rege Henrico secundo. Et obijt tandem Rhieualli, ubi inter suos est sepultus.

ROBERTVS CANVTVS. IIII.

ROBertus Canutus, Crikeladensis, in eo prope Oxonium oppidulo & natus & educatus fuit. Erant olim non procul ab Oxonio, antequam poneretur illic gymnasium, florente Brytannici nominis gloria, duæ scholæ, tum eloquentia tum eruditione pollentes, ut Lelandus habet in uita regis Alphredi Magni. Harum uni, Græcoladæ uocabulum ab eius linguæ professione: alteri ex Latini sermonis promulgatione, Latinoladæ nomen est impositum. Hæ nunc corruptis uocibus Crikelada & Likelada uocant: sed de his satis. Annis uerò maturior factus Robertus, in Isidis uado seu Oxonij strenuè literis incūbebat, nec sine fructu. Nam literati uiri titulos omnes ibidem meritò oblatos, facilè adeptus est. Canonicis regularib. ad fanū Fredisuuidæ præses designatus, Plinij philosophi flores selegit, selectos in orbem coronarium eleganter disposuit, ac tandem perfectum opus eruditis uidendum commisit. Quod opus Henrico secundo Anglorum regi dedicatum, uocabat

Deflorationes historiæ naturalis,	*Lib.9. Tibi illustrissime rex Anglorum.*
De connubio Iacob,	*Lib.1. Domino & amico uerè uenerab.*
Opus de matrimonio,	*Lib.1. Coniugium, quod & matrimoniū.*
Commentarios in Genesim,	*Lib.1.*

In Exodum,	Lib.1.
In Leuiticum,	Lib.1.
In Numeros,	Lib.1.
In Psalterium,	Lib.1.
In Cantica canticorum,	Lib.1. Vox sponsi, ad ecclesiam sponsam.
In Regum,	Lib.4.
In Ezechielem,	Lib.1.
In 12. Prophetas,	Lib.12.
In Euangelium Matthæi,	Lib.1.
In Epistolas Pauli,	Lib.14.
In Apocalypsim Ioannis,	Lib.1. Reuelatio quæ Græcè dicitur.
Speculum fidei,	Lib.4. Audi Israel, Dominus Deus tuus.
Homelias 40 numero,	Lib.1. Sanctissimus pōtifex Gregorius.
De benedictionibus Iacob & Mosis,	Lib.1.
Vtriusq; testamenti sacramenta,	Lib.1.
Sermones & epistolas,	Lib.1.
Sententiarum theologicarum,	Lib.2. Quemadmodum in alijs libris.

Atq; alia plura. Ad Laurentium Vuestmonasteriensem abbatem, Reginaldum Gressebianum canonicum, Guthlandum monachum, et alios amicos præfata opera scripsit. Claruit anno à Christi natiuitate 1170, sub prædicto Henrico secundo.

APPENDIX.

Henricus Anglorū rex, qui anno Domini 1168, à se & toto regno excusserat Rom. pontificis iugum, iam anno Domini 1172, in sua purgatione super cæde archiepiscopi Thomæ idem denuò resumpsit. Inde cassabat leges & cōsuetudines contra clerum factas: quarum hæc una fuit, quòd debuissent clericorum crimina per magistratum puniri. Nec nō permisit appellationes antea prohibitas, ad Papam iterū liberè fieri, seq; suumq; regnum rursus illius submisit arbitrio: quo sibi illinc arrogabat Bestia, confirmandorum Angliæ regum ius. Atq; ita Antichristo in maiorem subiectionem uenerunt tunc Angli, quàm aliàs unquam. Et ut hæc mundo magis innotescerēt, ad regis opprobrium ac dedecus, cleri uero gloriam, confictis aliquot prodigijs, canonizatione solenni sanctum designabat proditorem episcopum: iussitq; eius festum ubiq; celebrari, in signum perpetui triumphi aduersus eundem regem. Sic mundum præstigijs illudebant sceleratissimi nebulones. Regi uerò, ut æquiore animo infamiam toleraret, & ut eam regionem (inquit Nicolaus Triuetus) tributariam sibi faceret, Hyberniæ dominatum confirmauit pontifex Alexander tertius, episcopis illic ei ad tempus parère iussis.

GVALO BRYTANNVS. V.

GValo Brytannus, ex Cambria natus, ac in literis enutritus, Musarū & carminū tempore suo amator candidus, & cultor maximus fuit. Qui incredibili quodam discēdi studio correptus, tandiu pergebat, donec ad eius perueniret effectum. Et ut aliquando fructum ex labore copiosum colligeret (communē enim ipsum facere meditabatur) remotiora à uulgi strepitu quæsiuit loca: ubi & plura edidisse fertur opuscula, nobis adhuc incognita. A' Ioanne Sarisburiēsi in Polycratico, & alijs eius opusculis, cum Odone Cantiano copiose laudatur, quòd esset prudēs ac doctus. Incidit tum demum in quosdam monasticę professionis sacrificos, quorum petulātias, pompas, fraudes, philargyrias, & imposturas ferre uix poterat. Sumpto igitur in manum calamo, scripsit inuectiuas

In monachos auaros,	Lib.1. Sacrilegis monachis, emptoribus eccl.
Carmina de rebus diuersis,	Lib.1.

De

De cæteris eius opusculis nihil uidi. Claruit Gualo anno à Domini seruatoris natiuitate 1170, sub illustrissimo Anglorum rege Henrico secundo, eo tempore quo Antichristus per suos unctos & rasos regnũ eius inuasit.

IOANNES CORNVBIENSIS. VI.

IOannes Cornubiensis, claræ famæ theologus fuit, iuxta Lelandum, & à nostris scriptoribus absq; omni incuria adeò celebratus, ut plures eorum nominis illius copiose meminerint. Bostonus Buriensis in magno suo Catalogo, uirum illum fuisse dicit, ætate illa eruditum, & Alexādro tertio Rom. pontifici notum, enumeratq; eius opuscula. Romæ enim studuit, & alibi in Italia: magnamq; gratiam, ut iam dictum est, apud Alexandrum præfatum eruditionis titulo inuenit. Extāt eius libri plures, eidem dedicati. Præsertim discusio illa, ut uocat, super philosophia humana & hæresibus, ne illis fortasse corrumperetur theologia ipsa diuina: atq; opusculũ De incarnatione Christi, sed sub alijs titulis. Verùm ipsa discusio, opus ab eo scriptũ sub nomine Eulogij, inimicitiæ magna causa fuit, inter ipsum & Petrum Lombardum, Sententiarum magistrum. Cuius & adhuc extat Apologia, qua illi accuratè, seuerè, acriterq; respondet, & ueluti cum hoste de triumpho ambitiose miles ueteranus cōtendit. Scripsit igitur Ioannes ad Alexandrũ papã,

Eulogium prædictum,	*Lib.1. In concilio Turonensi quod dudum.*
De homine assumpto,	*Lib.1.*
De uirtute crucis,	*Lib.1.*
Super canonem Missæ,	*Lib.1.*
Disceptationes quasdam,	*Lib.1.*
Epistolas ad diuersos,	*Lib.1.*
Commentarios scripturarum,	*Lib.plur.*

Et alia plura. Claruit anno à nostri Mesiæ aduentu in carnem 1170, sub Henrico secundo Anglorum rege. Sed ubi residuum uitæ peregerit, aut in quo loco obierit mortem, nullibi apud scriptores eius ætatis inuenio.

APPENDIX.

Circa illud tempus, quo Petrus Lombardus, huius Ioannis librum taxauit, erant & alij qui eiusdem Petri doctrinam impugnabant. Gualterus de S. Albano in sua bibliotheca, Guilhelmũ quendam Senonensem archiepiscopum adducit. Qui scripsit (inquit) contra prauam doctrinam Petri Lombardi Parisiensis episcopi, qua dicebat, quòd Christus, secundum quod homo, non est aliquid, &c. Quo articulo (ut apparet) compulsus fuit Ioannes Cornubiensis, edere suum librum de Christi incarnatione, seu de homine assumpto. Ioachim abbas tractatum etiam scripsit contra eundem Petrum Lombardum, qui in concilio generali damnabatur. Matthæus Parisius pariter testatur in quinto Chronicorum libro, quòd anno Domini 1179, tam Petrus Lombardus quàm Ioachim abbas pro hæreticis habebantur.

GILBERTVS FOLIOTH. VII.

GIlbertus Folioth, Leycestriensis cœnobij Canonicorum regulariũ abbas fuit, & non Glocestriensis, ut aliqui cōmentantur: atq; episcopus, primùm Herefordēsis, postea Londinensis. Vir iste grandæuus, & impense doctus, regi Henrico persuasit, ut Iosaphat magni regis & aliorum principum Iuda exemplo, clerum haberet sibi subiectũ. Nempe cognouit ex priuatis eorum conciliabulis, multa illos superbè & iniquè contra pientissimũ regem moliri, quod in eorum impudentissima scelera animaduerti curauerat. Neq; enim ex altera parte se occultauit ab archiepiscopo Thoma, quin illi in faciem exprobraret superbam atque arrogantem ipsius ingratitudinem, quòd ex nihilo eleuatus, contra tam beneuolum ac propensum nobili

tatorem

tatorem regem, tanta & tam impia excitarit scandala. Protestans fore æquũ & sanctum, ut ob cædes & furta, quæ tunc multa in clero fiebant, pari cum uulgo pœna, non obstante Pontificis charactere, sacerdotes etiam plecterentur. Scripsit Gilbertus ad Alexandrum tertium Rom. pontificem, dum esset cum Ioanne Oxenfordio supremus regis nuncius,

Pro causa Henrici regis,	Lib. 1. *Vestram paternitatem meminisse.*
Super executione mandati,	Lib. 1. *Mandatum uestrum pater in Christo,*
In Cantica canticorum,	Lib. 6. *Quæ est ista tam inclyta, formæ tam.*
Opus epistolarum,	Lib. 1. *A' te longè positi, tuas non de.*
Inuectiuas in archiepiscopum,	Lib. 1.
De superba elatione eiusdem,	Lib. 1.

Atq; alia plura. Vixit in episcopatu 23 annis, mensibus 10, diebus 17: obijtq; demum anno uirginei partus 1187, sub Henrico secundo Anglorum rege. Istum noluit archiepiscopus Becketus, in ultimo uitæ articulo à se anathematizatum, relaxare.

ROBERTVS FOLIOTH. VIII.

Robertus Folioth, archidiaconus Oxoniensis, ac prędicti Gilberti consanguineus, uir fuit (ut habet Lelandus) in primis memorabilis, & de bonis olim artibus optimè meritus. Illis certè adolescens, non solùm in Brytannia, uerùm etiam in Gallia, iugem adhibuit operam: Melundinensis, à loco suorum studiorum, ut credibile est, in eadem Gallia dictus. Constat, quandoq; contractam fuisse in Gallijs amicitiam inter illum & Thomam cognomento Becketum, quem aliquandiu discipulum illic habuit: postea patronum, cui inseruiebat. Inter hæc fit archidiaconus, ut antea monstratur. deinde, procurante archiepiscopo tunc Becketo, fit post consanguineum Gilbertum, Herefordensis episcopus, anno Domini 1164. in quo officio, & obijsse illic fertur. Composuit opus luculentissimum,

De sacramentis antiquæ legis,	Lib. 1.
Conciones aliquot,	Lib. 1.

Et alia quædam. Claruit anno à partu uirgineo 1170, sub Anglorum rege Henrico secundo, uaria componens & scribens. Qui plura de hoc Roberto scire desiderat, Roberti Montani Chronicon, uel saltem additiones ad Sigebertum, legat.

GVILHELMVS RAMESEYE. IX.

Gvilhelmus Rameseye, uir literarum titulo bonarum insignis, ab oppido natali cognominatus, ut monachismum Benedictinæ professionis indueret, Crolandiam se contulit. Qualis autem locus Crolandia sit, ubi situs, & à quibus rebus celebratus, in uita cœnobitę Felicis satis abundè scripsi. Exercuit calamos (ut author est Lelandus) non modò soluta usus oratione, uerumetiã carmine, ad quod ipsum uel natura aptissimũ tum fecerat. Mortem Vualdelphi nobilissimi comitis sub Guilhelmo Notho cruẽtam, lugubri libello, partim soluta, partim constructa oratione defleuit. Vitam præterea D. Guthlaci, à Felice prædicto prius prosa descriptam, heroico cecinit carmine, Henrico abbati, Guilhelmi Longeshampij Eliensis episcopi fratri dedicatam. Scripsit uitam Eadmundi Ostroanglorum regis uersibus heroicis, ac eisdem numeris uitam Birini Dorcestrẽsis episcopi. Vertamus nos igitur ad librorum titulos, Composuit enim Guilhelmus,

Vitam Guthlaci carmine,	Lib. 1.
Vitam Neoti carmine,	Lib. 1. *Anglia quæ tota modò regi.*

Vitam

Vitam eiusdem, prosa,	*Lib.1. Beati Neoti confessoris uitam.*
De translatione eiusdem,	*Lib.1. Cum beati confessoris reliquiæ.*
Vitam comitis Vualdelphi,	*Lib.1. Illustrißimus, celebriq; memoria.*
Gesta antecessorum eiusdem,	*Lib.1. Tradunt relationes antiquorum.*
De paßione Vualdelphi,	*Lib.1. Vualdelphus amplæ prosapiæ.*
De comitissa Iuditha,	*Lib.1. Comitissa quidem Iuditha Vual.*
Miracula Vualdelphi,	*Lib.1. In prouincia etenim, quæ Anglicè.*
De uitis Philosophorum,	*Lib.1. De uitis & moribus Philosopho.*
De legendis ethnicorum scriptis,	*Lib.1. Amico suo Guthlaco, Guilhel.*
Vitam D. Eadmundi regis,	*Lib.1.*
Vitam Birini episcopi,	*Lib.1.*
Super Bedam de temporibus,	*Lib.4.*
Super Isidorum de computo,	*Lib.1.*

Et alia. Claruit anno gratiæ per Christum seruatorem 1178, sub Anglorum rege Henrico secundo. Huius meminit Guilhelmus Gillingamus Cantuariensis monachus, in libro de Viris illustribus Benedictinæ sectæ.

SENATVS VVIGORNIENSIS. X.

SEnatus Brauonius, monachorum Vuigorniæ, principis Vuicciorũ urbis, præses non ignobilis fuit, quæ urbs & Brauonium olim dicebatur. Vuigornia nempe ciuitas est, ad limitẽ ferè Angliæ & Vualliæ posita, quam ab occidente Sabrina flumẽ alluit. Cœnobium illud alioqui clarum, Senatus iste in primis eruditus, bonarum artium cognitione, clarius multo reddidit. Rogerus eiusdem sedis episcopus, hoc calculo clarissimũ illum habuit, tum præterea familiaritate sibi cõiunctissimum. Hæc sunt à Lelando & Polydoro, ad uerbum ferè dicta. De superstitionibus autem ab illo promulgatis et defensis, non loquor: quamuis plures fuisse, ex scriptis sciam. Sed ut ad opuscula tandem ueniamus, edidit Senatus ad Rogerum episcopum,

Epistolarum opus,	*Lib.1.*
Pallij pontificij rationem,	*Lib.1.*
Vitam Osuualdi episcopi,	*Lib.1.*
Vitam Vuolstani episcopi,	*Lib.1.*

Atq; alia plura. In precio nempe fuit sub Henrico Anglorum rege, eius nominis secundo, cognomento Plantageneta, anno gratiæ per Christum patefactæ 1170: demumq; uitæ suæ finem in præfato cœnobio accepit.

APPENDIX.

Plures erant in Anglia his diebus eruditi sacerdotes, qui uxores ac proles habebant. In Deuoniæ prouincia Elphegus Plyntonius, Ceddam filium in suo sacerdotio Plimuthi successorem reliquit. Alnodus Dunprustus in eadem prouincia Robertum filium habuit, & Robertus Guilhelmum, qui in eadem functione inuicem succeßerũt. In Nordonolgia Vuulkerellus presbyter, Guilhelmo filio ut legitimo hæredi, sacerdotium de Dyssa reliquit. Hugo Houuetus Saresburiesis, Ioannes Excestriensis, & Oliuerius de Notingham, genitoribus suis, Alexandro tertio Rom. pontifice consentiente, in sacerdotijs etiam successerunt.

ROBERTVS SCRIBA. XI.

RObertus, cognomẽto Scriba, canonicorum regularium Bridlintonensis cœnobij quartus præses, à nonnullis scriptoribus ob insignem eruditionem & in scribendo diligentiam laudatur. Hic ita iuuentutẽ suam (inquit Lelandus) sacrarum literarum lectione exercuit, ut uniuersum ferè orbem Latinorum theologorum uiderit, euoluerit, intellexerit. Talis nanq; fuit iste Robertus, ut à scribendis ac digerendis libris (nisi fallar) sortitus

sit hoc nomen. Tantum certè doctrina ualuit, ut cùm solidæ scripturæ ac ueterum patrum argumentis, tum etiam suæ uitæ quadã admiratione multos ad se obseruandum attraxerit: ut non sit tanta uirtus sine sua gloria. Sed iam ad librorũ elenchum oculos & ora uertamus. Reliquit ingenij sui monumẽta insignia, ex uarijs doctoribus, Augustino, Hieronymo, Fulgentio, Isidoro, Beda, Haymone, Iuone, Anselmo, Monogaldo, Serlone, & alijs, magno labore collecta, scilicet

In Genesim commentarios,	Lib.1.
In Exodum,	Lib.1.
In Leuiticum,	Lib.1.
In Numeros,	Lib.1.
In Deuteronomium,	Lib.1.
Super Psalterium,	Lib.1.
Breuiarium in Psalmos,	Lib.1. *A' quibusdam fratribus diu rogatus.*
In Cantica canticorum,	Lib.1. *Osculetur me osculo oris sui.*
In 12 Prophetas,	Lib.12. *Teste beato Hieronymo super.*
Super Apocalypsim,	Lib.1. *Beati Dionysij Corinthiorum ep.*
In symbolum Athanasij,	Lib.1. *Quicunq; uult saluus esse, non.*
In cantica Bibliorum,	Lib.1. *Cum in præcedentibus prophetiæ.*
In orationem Dominicam,	Lib.1. *Vnusquisq; homo qui patrem.*
Super Matthæum,	Lib.1.
Super Ioannem,	Lib.1.
Super epistolas Pauli,	Lib.14.
De operibus 6 dierum,	Lib.1.
Dialogos plures,	Lib.1.
De corpore & sanguine Domini,	Lib.1.
De ecclesia catholica,	Lib.1.
Sermones quoq;,	Lib.1.

Atq; alia plura. Claruit Robertus ab initio redempti orbis 1180, sub Henrico secundo Anglorum rege: sepultusq; tandem fuit in claustro sui monasterij, ante fores capituli, cum hac inscriptiõe: Robertus cognomẽto Scriba, &c.

IOANNES BELMEYS. XII.

IOannes Belmeys, Eboracensis thesaurarius, à claris olim parentibus ortus, iactis primùm in Anglia non infœliciter studiorum fundamentis, ad altiora statim anhelabat. Hinc noua animum illius subibat cura, uidendi scilicet Gallias & Italiam, omnis per eam ætatem eruditionis altrices, qua suæ deniq; nationi nõ infimum attulit splendorem. Eò quidem excellentiæ demum deuenit, ut uel princeps literatorum haberetur, linguarum peritia atque eloquentia præstans. Vir singularis eloquij (inquit Ioannes Saresburius 8 cap. septimi libri Polycratici) omnibus quos uiderim, trium linguarũ gratia præstabat. Ad dandos quoque repellendosq; ictus literarios, multi fuerunt ipsum illis diebus exercitatissimum experti. Romę uixit Hadriano quarto Rom. põtifici, ex Anglia nato, familiaris. Postremò annuente Henrico secundo, factus erat episcopus Pictauẽsis. Elatam arrogantiam in Thoma archiepiscopo Becketo, atq; eius in regẽ debacchationes iniquas sustinere non poterat, collati beneficij memor: sed in faciem obijciens, honestis salibus reprehẽdit. Nec id obstitit, quòd esset Anglorũ primas, aut à Rom. sede legatus: sed ingenuè ac ualidè illum & uoce & scriptis insectabatur, ut uitæ eiusdẽ Thomę scriptores cõmemorãt. Vnde & edidit idem Ioannes,

Epistolas

Epistolas 32, ad Thomam,	*Lib. 1. Vix mihi domine uel unum diem.*
Inuectiuam in eundem,	*Lib. 1.*
Orationes elegantes,	*Lib. 1.*
Historiam, Lelandus tribuit.	*Lib. 1.*

Aliaq; multa scripsit. Dum uerò in archiepiscopũ Narbonensem electus, Romam pro pallio perrexisset, anno Salutis nostræ 1181, clerus, annuẽte Lucio tertio Rom. pontifice, Lugdunensem archiepiscopũ factum eum suscepit, & omnium Galliarum primatem, Roberto Montano teste. In Angliam senex rediјt, anno Domini 1194.

ROGERVS HEREFORDENSIS. XIII.

Rogerus Herefordensis in citeriori Cambriæ confinio procreatus, ita per ætatem processit, ut solas ferè literas ingenui hominis ornamentum crediderit. Quę opinio tam firmas in eius pectore radices egit, ut nulla dies, imò ne horula quidem, quantum per alias occupationes licuerit, præteriret, quin aliquid semper ageret ad eas assequendas. Grantæ Giruiorum, seu Cantabrigiæ (ut Lelandus colligit) philosophiæ & mathematicis rebus operam dedit asiduam, quam & successus (inquit) fœlix secutus est. Astrorum peritus fuit, & metallorum indagator planè maximus. Vnde tandem artifex factus, elegans opusculum contexuit,

De rebus metallicis,	*Lib. 1.*
In artem iudiciariam,	*Lib. 1. Quoniam regulas artis astronomicæ.*
Theoricam planetarum,	*Lib. 1. Diuersi astrologi secundum diuersos.*
De ortu & occasu signorum	*Lib. 1. Orizon rectus est circulus mag.*
Collectaneum annorum planet.	*Lib. 1.*
Expositiones Alphidij,	*Lib. 1.*

Atq; alia scripsit. Claruit anno à Christi Seruatoris natiuitate 1170, sub Henrico secundo Anglorum rege, primoribus ipsis acceptus atq; charus. Libri illius sunt Cantabrigiæ, cum opere Alphidij, de creatione metallorum.

APPENDIX.

Matthæus Parisius lib. 5. suorum Chronicorum: *Anno Domini 1179, concilium generale Romæ celebrabatur. In quo inter cætera constitutum fuit, ut clerici continenter uiuerent. Et si qui (ex continentibus illis) deprehensi fuissent in eo uitio laborare, quod est contra naturam (rasorum cœlibatus est) excõmunicarentur, & à clero abijcerentur. Et sequitur: Archiepiscopi in uisitatione sint contenti quinquaginta equis, episcopi triginta, legati 25. archidiaconi 7. decani 2. Nec stare compellantur ecclesiastici laicorum iudicijs. Ita superbia istorum Sodomitarum, qui Deum ipsum oderũt, ascendit semper: Psal. 73.*

EADMVNDVS GRYME. XIIII.

Eadmundus Gryme, ex Anglica gente ortus, & in Anglorũ gymnasijs educatus, eo tempore floruit, quo corrupta est hominum uia super terram traditionibus Antichristianis. Fuit (inquit Lelandus) in bonis literis non infœliciter uersatus. Cur illis ergo non est ad æterni creatoris gloriam, & proximi utilitatem, usus? Indiuiduus (inquit) erat Thomæ Becketi Cantuariorum archiepiscopi comes, atq; idem eius crucifer. A Christo tamen per cultus peregrinos diuisus, & crucis illius inimicus. In cæde patroni (addit) uulnus & ipse brachio accepit. Et id similiter fiebat, ut eiusdem proditionis particeps, & cõtumaciæ consors inueniretur. Deinde quieti studens (inutili ocio dixisset) scripsit ac edidit,

Vitam eiusdem Thomæ,	*Lib. 1.*

Mendacijs apertissimis, & excogitatis prodigijs refertus erat ille liber,

pro obscurāda Christi gloria, ut Sulmo narrat in actis Becketi. Claruit Edmundus anno à Christi seruatoris natiuitate 1180, sub Henrico secundo.

HEREBERTVS DE BOSHAM. XV.

HErebertus de Bosham, uel Bossenham, à loco natali inter Sudosaxones, sic dictus, liberalium artium ac scholasticæ theologiæ magisteriū Oxonij adeptus, suo illic non defuit muneri. Vir fuit, ut ex scriptis apparet, ingenio callidus, ac sermone compositus, rhetor & philosophus argutulus. Studuit strenuissimè in Gallijs olim, bonas ibidem mirificè excolens artes. Becketo (inquit Lelandus) Anglorū archigrammateo, seu summo regni cancellario, tandem ab epistolis erat: aspexitq; lachrymantibus oculis, Domini sui funus, adoptans defuisse illi pertinaciam. Et arrepto mox calamo, patroni uitam perscripsit: quam postea Petrus Longatosta, canonicus Bridlingtonensis, in Gallicos rhythmos transtulit. Eandem & Stephanus Langton, Latinè prius editam, suis eiusdem argumenti libris addidit: dum idem Becketus canonizatus pro nouitio Deo coleretur. Sic suis insanijs ac ludibrijs mundum excæcabant Papistæ malefici, atq; in idololatriæ barathrum detrudebant, dum esset in obliuione profunda sepultū sacrosanctum Dei Euangelium. Composuit igitur Herebertus

Gesta Becketi prædicti, Lib. 1.
Epistolarum uolumen, Lib. 2. *Herebertus modò nec magister.*
Defensorium Annæ, Lib. 1. *Errorum ueterum inuentores, inter.*
De suis peregrinationibus, Lib. 1.

Atq; alia. Iste ob præclara facinora Romam ab exilio uocatus, fiebat per pontificem Rom. Beneuentanus tandem archiepiscopus, ac Rom. ecclesiæ Cardinalis, ut habet Stephanus Langtonus lib. 4. de uita Thomæ. Claruit anno Salutis 1180.

APPENDIX.

Erat eo tempore Herebertus alter, inter mediterraneos Anglos natus, qui constitutus in Apulia archiepiscopus Cusentinus, anno Domini 1185, cum clero & familia, ac magno ciuium numero, absorptus fuit à quodam terræmotu, ut Nicolaus Triuetus in Chronico tradit. Anglorum multi his diebus, ex Thomæ audacia in causis ecclesiæ (uidete serpentis astutiam) summa in diuersis terris gerebant sacerdotia. In Sicilia Gualterus archiepiscopus Panormitanus, & Ricardus episcopus Siracusanus fuerunt, qui cum Ioanna regina illuc uenerant. Et alibi: Guilhelmus primus archiepiscopus Tyri phœniciæ, alter Guilhelmus archiepiscopus Burdegalensis, Gualterus Rothomagensis, Ioannes Lugdunensis, & alij nonnulli.

RICARDVS PLVTO. XVI.

RIcardus Pluto Dorbernensis, seu Cantuariensis ecclesiæ monachus insignis, à teneris annis studiosissimus bonarum literarum, famæ incrementum magnum solidæ doctrinæ adminiculo sibi comparauit. Vnde ut et illud immortale aliquando, luculento aliquo ingenij monumento faceret, apud se summopere multa et magna decreuerat: ut ex quodam ueterū theologorum catalogo Lelandus colligit. Studuerat enim Philosophiæ tum naturali tum ethicæ, & in ea longè supra sortem communem profecerat. Adiunxerat animum historijs cognoscendis, ut inde prudentiam hauriret. Ad utranq; theologiam, scholasticam scilicet & interpretatiuam, ingenium totum applicauerat, ut ex illis eruditior esset. Et hæc omnia fecit, ut Reipublicæ utiliter tandem prodesset. Collectis igitur tum demum historijs, doctrinis, & quæstionibus, quas accuratè tractaret, prosa & carmine composuit ad Normanniæ ducem Ricardum,

Ecclesiasticam historiam Anglorum,	Lib.1. *Illustrissimo duci Normannorum.*
Vnde malum? carmine,	Lib.1. *Ianua clausa diu, nunc appe.*
De inquisitione boni,	Lib.1.
De gradibus uirtutum,	Lib.1.
De uirginitate,	Lib.1.
De bono mortis,	Lib.1.
De loco & tempore,	Lib.1.
De arte iconica,	Lib.1.
In canones Apostolorum,	Lib.1.
Super opere Philonis,	Lib.1.

Et alia adhuc plura. Claruisse fertur anno ab incarnato Dei uerbo 1180, sub Anglorum rege Henrico secundo. His diebus quosdam in Anglia Christianorum pueros, in filij Dei contemptum Iudæi crucifixerunt: & Buriæ Robertum quendam.

DANIEL CHVRCHE. XVII.

DAniel Churche, seu Ecclesiensis, iam totus ab hominum memoria perijsset, nisi uetustum quoddam Chronicon, Londini repertum, tanti uiri nomen ab interitu uindicasset. Ex eo certè comperi, quòd per illam ætatem elegans esset poeta, in utroque scribendi genere, & prosa & carmine peritus, de domo ac familia nobilissimi Anglorũ regis Henrici secundi. Summi etiam ordinis eques fuisse uidetur, ex eodem scripto, & antiqua uir nobilitate clarus. Præterea, fide, pietate, atque liberalibus animi dotibus, insuper fauore ac loco apud optimum principem suum, probaque sublimiũ munerũ functione multo clarior. Quisquis ultra fuerit, inuenio illum Latinis uersibus edidisse opusculum quoddam elegans, cui titulum addidit,

Vrbanum, de morum comitate,	Lib.1.
Carmina rhythmica,	Lib.1.

Et alia plura composuit. Claruit anno à natiuitate Domini Seruatoris 1180, sub prædicto rege Henrico, optimo suo principe ac magistro: atque in eius curia plus quàm triginta annis mansisse, in eo Chronico perhibetur.

ODO DE CERITONA. XVIII.

ODo Shirton, seu de Ceritona, ordinis (ut fertur) monachorũ Cistercensium, doctor theologus, post peragrata patrię suæ gymnasia, Parisijs etiam bonas hausit literas, multarum cõcionum non infœlix scriptor. Penitiori naturalium rerum, adhuc iuuenis, cognitioni studebat: sed tanta cum fœlicitate & successu, ut præter communẽ philosophorũ eius temporis sortem uisus sit sapere: quo calculo, uel ipsis terrarum magnatibus quàm clarissimus fuit. Imò nonnullis, tum propter multam in rebus humanis experientiam, tum pariter propter singulare in rebus diuinis iudicium, à secretis cõsilijs habebatur. Inter cætera certè, quæ multa fecit, prouerbia illa quę Aesopus Græcus Græcè compilauerat, Latina reddidit, & commentarijs illustrauit: quod opus uocabat

Bestiarium, uel Brutarium,	Lib.1. *Iuerunt ligna, ut ungerent super se.*
Opus 60 parabolarum,	Lib.1. *Quoniam ut dicit Gregorius, plus.*
Homelias de tempore,	Lib.1. *Cum appropinquasset, &c. præsens.*
Homelias de sanctis,	Lib.1. *Ambulans Iesus iuxta mare Gali.*
Parabolarum aliud opus,	Lib.1. *Aperiam in parabolis os meum, lo.*
Pœnitentiale quoque,	Lib.1. *Descendi in ortum meum, ut uiderem.*
Partium opus,	Lib.1.

Narrationes quasdam, Lib.1.

Atq; alia nonnulla scripsit, quæ in multis Anglorum bibliothecis uidi. Ex doctrina tamen uidetur eorum unus, qui, iuxta Paulum, commutauerunt Dei ueritatem in fabulas, ne dicam mēdacia: Rom.1. Claruit anno Domini 1180, post Bernardi tempora.

ODO MVREMVNDENSIS. XIX.

ODo Muremundensis, abbas eruditus: sed cuius ordinis, scriptores quos ego frequentaui, non indicant. Sunt qui Præmonstratensiū sectæ, sunt & qui Canonicorum regularium, aut alterius adhuc factionis fuisse affirment. Sed ut ad literas ueniamus, quamprimum per maturos annos licuit, eruditis linguis & artibus operam dedit, et præcipuè Mathesi, de qua multa & copiose & doctè disputauit. Sed ubi studijs tam diligēter incubuerit, aut quibus usus sit præceptoribus, nihil certi pronunciare possum. Fieri tamen potuit, ut Oxonienses scholas, ubi tum bonæ florebant literæ, sedulò frequentauerit. Scripsit Odo de religione Christiana & Iudaica, Leone & Odone interlocutoribus,

Dialogum quendam, Lib.1.
De analyticis ternarij, Lib.1. *Quid dicendum sit de analyt.*
Analytica numerorum, Lib.1.
Chronicon quoq;, Lib.1.

Et alia quædam. De isto sic scribit Iacobus Faber Stapulēsis in præfatione sua super Latinis operibus Euclidis: Odo quidam (inquit) Mathematum peritus, scripsit analytica numerorum, & libellum de triade.

HVGO RHEADINGENSIS. XX.

HVgo Rheadingensis abbas, honesta olim familia genitus, relictis fortunis cum strepitu paternæ domus, claustri quietem sub monasterialibus umbris amplectebatur. Nec alia ab eo hoc factum est ratione, quàm ut opportunè bonis artibus inuigilaret. Delegit sibi in præceptores, dum monachus esset, uiros doctrina præcellentes: quorum anxius inhærebat uestigijs, donec & ipse parem sibi cum illis & gloriam & famam peperisset. Fuit enim ex labore magno & assiduo theologiæ consultissimus. Hanc illi uirtutem (inquit Lelandus) tum educatio tum diligentia insignem fecit. Quæstiones plures, non de triuio petitas, sed potius ex penetralibus scripturæ, in suos numeros redegit: & redactas tanto pertractauit acumine, ut dedisse illis lumen potius quàm aliunde petijsse uideatur. Scripsit igitur Hugo

Prædictas quæstiones, Lib.1.
Ad Petrum Blesensem, Epist. plur.

Et quædam alia. Claruit anno à diuini Verbi aduētu in carnem, 1180, sub Henrico secundo Anglorū rege. Petrus Blesensis, archidiaconus Bathoniēsis, aliquot epistolis huius Hugonis eruditionē & uirtutes eximiè collaudat.

APPENDIX.

His diebus Arnoldus D. Andreæ episcopus, Malcolmum Scotorum regem à promisso cœlibatu dehortabatur. Boethius: Gilbertus Cathanensis episcopus, Scoticæ ecclesiæ libertatem, contra Cardinalem Hugonem defendit. Idem Boethius: Vualdensium doctrina Euangelica per clerum damnabatur. Publicani in Francia mortuorum suffragia negabant. Thomas Vualdenus ad Martinum quintum: Surrexerunt his temporibus in Eboracensi patria nouorum dogmatum prædicatores. Petrus Blesensis, epi. 114. Giraldus Cambrēsis in auaros sacerdotes multa scripsit. Ranulphus lib. 4. cap. 26. Agenenses circa Tolosam sacerdotum nuptias defendunt, & aliter sentiunt de Eucharistia quàm ecclesia Romana. Robertus Montanus: Quidam Atrebati cōburuntur. Idem Robertus: Rarus in monasterijs

nasterijs hac ætate castus, rarior in mundo. Fasciculus temporum. Rasos & unctos intelligit.

RICARDVS DOVERENSIS. XXI.

RIcardus Douerensis, monachorum Benedictinorum eiusdem oppidi cœnobiarcha, post meritam Becketi proditoris necem, Cantuariensi archipræsulatu à rege Henrico donatus, Anagniæ ab Alexādro tertio confirmationem ac pontificalia suscepit. Prodit Nicolaus Triueth, uirum hunc fuisse magnæ religionis, & in exteriorum administratione industrium, sed in corrigēdis erroribus, defendendisq; cleri libertatibus, de nimia remissione notatum. Et in epistola 5. Petrus Blesensis: De te conqueruntur (inquit) quòd ecclesiam tuam destitueris, quòd deieceris eius dignitates, quas Thomas suo rubricauerit sanguine, &c. Nota dignitates, pie Lector. Fingebant enim sophistici præstigiatores, sed mēdacissimè (quòd uir pius esset) Christum ei in uisione, malā minitauisse mortem, quòd suæ ecclesiæ (Antichristi potius) dissipasset bona. Ita in suis creaturis, ubiq; gentiū tyrannicè tunc regnare quærebat Antichristus, atq; miseras hominum captiuare conscientias. Scripsit tandem Ricardus ad Alexandrum papam,

Contra suos perturbatores,	*Lib.1.*
Ad Petrum Blesensem,	*Epist.plu.*
Ad Henricum regem,	*Epist.plu.*
Ad tres episcopos,	*Epist.1.*
Ad suos coepiscopos,	*Epist.1.*

In hac ultima, Hiberniensium præsulū mores carpebat, quod à nullo confirmati, episcopalia munera ministrarent. Obijt mortem apud Halinges in Roffensi diœcesi, anno à Christi natiuitate 1184, Pontificatus sui 10. sub Henrico secundo.

GVILHELMVS PETROBVRGENSIS. XXII.

GVilhelmus Petroburgensis, à sua patria, immò à loco natali, Petri burgo, cognomen accepit: qui locus D. Petro dedicatus, ad orientem solem est, in Northamptonēsi comitatu, Lincolniēsis diœceseos. Fuit hic monachus Ramesiensis, atq; inter Academicos theologos fœliciter uersatus, lauream eius nominis facilè sibi comparauit, ac partam editis uoluminibus tam egregiè illustrauit, ut tandem inter theologorum lumina, Lelandi testimonio, connumeratus sit. Venerūt ad eius lectiones multi, tam doctrinam quàm facundiam in illo commendātes: eiusq; sunt consilijs usi, in grauibus causis, regni proceres ac magnates. Atq; utinam ita fuisset ab omni superstitione immunis. Vt in magno Catalogo Bostonus Buriensis exprimit, hos uigiliarum & laborum suorum fructus uicturis chartis commendauit,

Distinctiones theologiæ,	Lib.1. *Alpha, prima Græcorum litera.*
Commentarios in Cantica,	Lib.1. *Dilectus meus candidus & ru.*
Homelias notabiles,	Lib.2. *Aspiciens à longè, uidi turbi.*
Euphrasticam expositionem,	Lib.1. *Quid est, quod fuit ipsum quod.*
Opus partium,	Lib.1. *Reuerenter docet experiri ea.*
Interpretationes uocabulorum,	Lib.1. *Abraham dicitur ab abba, quod.*

Atq; alia plura. Claruit Guilhelmus anno à salutifero diuę uirginis partu 1188, iuxta Bostonum, sub sæpedicto Henrico secundo Anglorum rege: quo filius eius Ricardus, Francorum regis impulsu, ipsum prælijs molestabat.

ROGERVS CISTERCIENSIS. XXIII.

ROgerus Cisterciensis, Bernardinæ sectæ professor, in Fordano monasterio ad Axi fluminis ripas, hoc magnæ cæcitatis & Antichristianæ dementiæ

dementiæ tempore uixit, quo factus est sol niger, tanquam saccus cilicinus: Apoc. 6. Non doctis artibus & pietati, ut Lelandus habet, insolito quodam animi ardore, noctes atq; dies inuigilauit: sed fallacijs atq; imposturis diabolicis, ut Christi gloriam obscuraret. In transmarinis partibus, ut ipse colligit, apud Belgas erat, quo tempore & ingēs fama de Elisabetha Schonaugiensi monialiū abbatissa per orbem euolauit. Hinc factum est, ut Rogerus reuelationes eius, nō à Spiritu sancto, ut ille scribit, acceptas (cum sint blasphemijs & mendacijs plenæ) sed ab impostore monacho recepit: & hac conditione, ut collectas (apertum mysterium) beneficio Guilhelmi Sauignensis abbatis, in uolumen redigeret. Disposuit ergo, & in formā redegit, ac Balduuino Fordensi abbati dedicauit,

Reuelationes Elizabethæ	*Lib. 2. Omnes qui lecturi sunt.*
De 11. millibus Coloniensium uirginum,	*Lib. 1. Vobis qui pios affectus.*
Encomion D. Mariæ,	*Lib. 1.*

Hoc tanquam parergon, canoris uersibus scriptum, primo adiecit operi, quod & per Sigmundum monachum ad Balduuinum misit. In libro Coloniensium uirginum, impudentissima sunt mendacia. Claruit anno Domini 1180, sub prædicto rege Henrico secundo.

BARTHOLOMAEVS ISCANVS. XXIIII.

Bartholomæus Iscanus, in utraque philosophia, diuina et humana, non mediocriter eruditus, inter Anglicanę ecclesię proceres ista ætate conspicuus habebatur. Nam quoties de rebus literarijs aut ecclesiasticis ageretur, iudicium illius apud cōgregationem in magno stetit precio. Vtq; ego in eius laude taceam, non defuit suus encomiastes, Matthæus Parisius, bonæ fidei historiographus, qui hanc de ipso sententiam protulit: Bartholomæus (inquit) uir religiosus, & in theologicis disciplinis eleganter instructus, fit anno Domini 1161 antistes Exoniensis, seu Excestriēsis. Postquam uerò esset in episcopum constitutus, Balduuino Cisterciensis ordinis abbati Fordano, ob raram illius eruditionem morum comitati coniunctam, impense fauebat, ac eo familiarissimè interdum est usus. Vnde alter alterū immortalitati demum consecrans, opera quædam mutuò ac uicissim dedicarunt. Pulcherrimum certè certamen, inquit Lelandus. Bartholomæus igitur literas literis remunerans, ad Balduuinum scripsit

Dialogum contra Iudæos,	*Lib. 1. Omnis fides catholica tendit.*
Sermones eruditos,	*Lib. 1. Tollite iugum meum super uos.*
In obitu Thomæ archiepiscopi,	*Home. 1. Secundum multitudinem dolorum.*
De prædestinatione,	*Lib. 1.*
De libero arbitrio,	*Lib. 1.*
De pœnitentia,	*Lib. 1.*
Epistolas ad diuersos,	*Lib. 1.*

Atq; alia plura edidit. Claruit anno salutiferi partus 1180, senio molestatus, sub Anglorum rege Henrico secundo: tandemq; obijt, in sua ecclesia sepultus. Ad istum Ioannes Saresburius Carnotensis episcopus epistolas scripsit.

GILBERTVS DE SEMPRINGHAM. XXV.

Gilbertus de Semprinhgā, ex Lincolniensi prouincia oriundus, Iocelini equestris ordinis uiri filius & hæres, corpore atq; animo deformis, parum apud Anglos in literis profecit. In Gallias igitur studendi gratia missus, ut quod corpori defuit, sicut Lelandus indicat, ad animi formā accederet: comparatis demum literis, superstitionum magister Lincolniam est reuersus.

uersus. Vbi post nouas illudendorum animorum artes ac præstigia, quę claræ uitæ exempla Lelādus uocat, cōfluentibus ad illum tum mulieribus tum uiris selectissimis, aliquot breui cœnobia, præscriptis nouis uiuēdi sanctionibus, erexit. quorum illud celeberrimum, atque adeò primum erat, quod in pago Sempringamensi, natali solo, construxit. Et hæc fuere initia prima, inertis atque incestuosæ, ex uiris & fœminis, Gilbertinorū sectæ, quam ille primus inchoauit anno Domini 1148, ut authores sunt Scropus & Capgravus. Interim fuit unius earum forma inescatus, ut tradit eius Legenda, præter id quod sequitur. O' quā casta & sancta religio. Postea uerò Galliam repetijt, & decreta quæ suis Sodomitis, sectatoribus uel cœlibibus dixissem, prescripsit, Eugenio tertio Rom. pontifici examinanda obtulit. Romanus collaudato hominis instituto, ut ad eius commodum nato, nouæ sectæ authoritatem addidit. Denique confecto pro animi sententia negotio, lætissimus domum redijt, ac scripsit, ex Augustini & Benedicti regulis,

Gilbertinorum statuta,	Lib. 1.
Exhortationes quasdam,	Lib. 1.
Epistolarum opus,	Lib. 1.

Atq; alia. Vixitque, ut ego apud predictos authores legi, centum & 6 annos, quo tempore tredecim cœnobiorū fundamēta iecit. Obijt eo anno à Christi natiuitate, quo & rex Henricus, scilicet 1189. Sepultusque est Sempringamij, & in Papisticorum deorum numerum relatus.

APPENDIX.

Gilbertus ante mortem, DCC Fratres in cœnobijs suis habebat, & M ac C sorores. Qualis autem tunc fuerit eorum cœlibatus, Ealredus abbas Rhieuallēsis, mirabili ac funesto exemplo declarat in libro suo De quodam miraculo, quod ob historiæ prolixitatem decurtatum, mox sequetur. Sed & hæc Nigelli, eius temporis poetæ, de Gilbertinis carmina, non esse prætereunda censeo:

Canonici Missam tantum, reliquumq; sorores,
Explent officij debita iura sui.
Corpora, non uoces, murus disiungit: in unum
Psallunt, directo psalmatis absq; mero.

Et sequitur:

Harum sunt quædam steriles, quædam parientes,
Virgineoq; tamen nomine cuncta tegunt.
Quæ pastoralis baculi dotatur honore,
Illa quidem melius, fertiliusq; parit.
Vix etiam quæuis sterilis reperitur in illis,
Donec eius ætas talia posse negat.

CLAVSTRALIS COELIBATVS MIRACVlum, ex quodam Ealredi Rhieuallensis libello.

In Vuattonensi monasterio ordinis Gilbertinorum, puella quatuor annorum nutrienda suscipiebatur, Henrici Murdach archiepiscopi Eboracensis instantijs. Quæ mox ut infantilem excessit ætatem, cum puellaribus annis puellarem induit lasciuiam. Petulans illi oculus, sermo indecens, lasciuus incessus. Incedebat sacro tecta uelamine, sed nihil tali dignum habitu prætendebat in opere. Corripitur uerbis, sed non corrigitur. Vrgetur uerberibus, sed non emendatur. Et iam nubilis facta, serijs ludicra præponebat. Accidit autem ut fratres monasterij, quibus exteriorū commissa est cura, quidpiam operis facturi, ingrederentur monasterium fœminarum. Quod illa perpendens, accessit propius, & curiosius ipsorum opera contemplabatur, & uultus. Erat inter eos adolescens cæteris formosior facie, & ætate uiridior. Iniecit in illum oculos misera, & ipse uicissim intendebat in eam. A-

spiciunt se oculo blandiori, & mox serpens tortuosus utriusq; pectus ingrediens, letiferum insibilat per cuncta uitalia uirus. Res primum nutibus agitur, sed nutus signa sequuntur. Rupto silentio, tandem conserunt de amoris suauitate sermonem. Accendunt se mutuò, spargunt utrinque seminaria uoluptatis, libidinis incentiua. Ille stuprum meditabatur, illa de solo (ut postea dicebat) cogitabat amore. Interim coalescunt affectus, & ut liberius inuicem fruerentur, de loco et tempore in unam coiere sententiam. Placebat noctis obscuritas. Dat signum prædæ impijssimus prædo, ut ad sonitum lapidis in parietem uel tectum ædis, in qua pausare consueuit, certissima egrederetur ad eum. Elusit omnium industriam puella. Surgit misera, pergit ad ostium, & post celebratas matutinas egreditur adultera: post modicum reditura, accipitris excipitur unguibus.

Prosternitur: os, ne clamaret, obstruitur: et prius mente corrupta, carne corrũpitur. Experta uoluptas, nefas compulit iterare. Cum hæc sæpius agerentur, sorores sonitum quem crebrò audiebant admirãtes, fraudem suspicabantur. Illa maximè patuit suspicioni, cuius mores omnibus solebant esse suspecti. Fuga etiam iuuenis suspicionem adauxit. Cum enim concepisse se adulterio prodidisset, timens ne & ipse proderetur, relicto monasterio ad seculum ire perrexit. Sorores astutiores puellam cõueniunt. Illa ulterius celare non ualens, confitetur excessum. Stupor apprehendit omnes, quæ uerbum audiebant. Exarsit mox zelus in ossibus earum. Et aspicientes se mutuò, complosis manibus irruunt super eam. Extractoq; ab eius capite uelo, aliæ tradẽdam flammis, aliæ uiuam excoriandam, aliæ impositam stipiti assandam putarant. Spoliatur, extenditur, et absq; ulla miseratione flagellis atteritur. Præparatoq; ergastulo, uincitur, intruditur, cathenulis stringitur. Singulis pedibus duo annuli inducuntur, quibus duæ non parui ponderis cathenæ insertæ sunt: quarum una immani trunco clauis infigitur, altera per foramen extracta foris, sera concluditur. Sustentatur pane & aqua, quotidianis opprobrijs saturatur. Interea tumens uterus, magis ac magis denudabat conceptum. Metuebant sorores illud crimen omnibus impingẽdum. Sæpius igitur irruunt in captiuam. Et spirantes in ultionem iuuenis, quærunt ab illa, quando sit ei rediturus? Confitetur illa pactum eius. Ascitis igitur quibusdã è fratribus, rem aperit mater. Iubetq; ut nocte illa, unus tectus uelamine caput, designato loco sederet, aliosq; præsentes adesse, qui eum fustibus exciperent, ac uinctum tenerent. Mox adolescens, horum ignarus aduenit, habitu tunc secularis. Et ardens libidine, mox inspecto uelamine in uirum irruit.

Ita qui aderant, cæpere iuuenem. Res defertur ad uirgines, quæ zelum habentes, petunt à fratribus iuuenem sibi per modicum tempus dimitti, quasi secretum aliquod ab eo cognituræ. Susceptus ab eis, prosternitur ac ligatur. Adducitur ad spectaculum illa malorum omnium causa, daturq; ei in manibus instrumẽtum, ac proprijs digitis uirilia abscindere inuita compellitur. Tunc una de astantibus, arreptis quibus fuerat mutilatus, sicut erant fœda sanguine, in ora peccatricis proiecit. Vides quo zelo sorores urebantur, & quomodo istum mutilando, & illam opprobrijs insectando, iniuriam suam ulciscebãtur. Non laudo factum, sed zelum: non probo sanguinis effusionem, sed tantam contrariæ pitudines æmulationem. Sed ut ad propositum redeamus. Abscisus, fratribus redditur: mulier in carcerem confusa retruditur. Hactenus miseræ mulieris historiam scripsimus: deinceps quid Christus stillauerit, prosequemur. Exacta iam ultione, ac tepescente uirginum zelo, infans in uentre uiuebat, lac ex uberibus ubertim fluebat, adeoq; uterus intumescere uidebatur, ut putaretur paritura. Plumbeus color oculos circumfundit, faciem pallor inuadit, et nunc uacuatis humore mammillis, post modicum solito liquore replebantur. Iam eam uix capiebat ergastulum, iam partui necessaria præparantur, cauaturq; quantum potest, ne fletus infantis partum prodat. Ecce intempestæ noctis silentio, cum se misera sopori dedisset, uidet in somnis assistere pontificem, per quem, ut præmittitur, in eodem monasterio mancipabatur, amictũ pallio, uidelicet Henricũ Murdach. Cumq; seueriori oculo aspiceret in eam, Quid est (inquit) quod mihi quotidie maledicis? Negauit illa, nimio timore perterrita. Tunc episcopus: Verum est (ait) cur negas? Videns se deprehensam mulier, respondit: Verè domine, quia tu me huic monasterio tradidisti, in quo inuenerunt me tanta mala.

Ad hoc antistes: Tibi potius hoc imputato, quæ peccata tua necdum, ut oportet, patri spirituali propalasti. Sed uide ut quamcitius confitearis, psalmis his recitatis: & psalmos numerauit. Euigilans illa,

illa, uisionem & Psalmos commendabat memoriæ. Sequenti nocte, cum iam putaretur paritura, iterum affuit in somnis Pontifex, duas secum adducens uenusta facie mulieres. Accessit ad miseram, increpans & dicens: Si fuisses uera cõfessione purgata, manifestè cerneres ea quæ aguntur. Nunc quidem senties beneficium, sed modicum, & qualitatem facti scire non poteris. Erecta post modicum, uidet mulieres, infantem suum in ulnis ferentes, discedentem sequi Pontificem. Expergefacta, nihil ponderis sensit in uentre. Attrectat manu corpus, & totum uacuum reperitur. Mane facto, adsunt custodes: & ita inuenientes, imponunt illi quòd infantem occiderit. Euersisq; straminibus, nihil reperiunt. At illa retulit uisionem, nihil se amplius scire protestans. Palpant uterum, probant ubera, explorantq; omnia: sed nec partus signum, nec conceptus indicium uident. Nihil tamen sine patris Gilberti authoritate iudicare præsumunt. Sanctus pater Gilbertus adueniens, hæc omnia mihi bona fide retulit: adduxitq; ad eius cubiculũ, ubi in suo antro sedebat inclusa. Tantum Ealredus. Nota in hoc miraculo uirtutes, quæ comitãtur monasticũ cœlibatum: scilicet periuria, homicidia, infantum detrusiones in foricas & latrinas, præter alia multa quæ latent. Communiter enim in monasterijs eiusmodi portenta fiunt. De Gilbertinorũ ordine sic scribit Nigellus, eius temporis poeta, in suo Brunello uel stultorum speculo:

Quid de Sempringham, quantum uel qualia sumam
  Nescio, nam noua res me dubitare facit.
Hoc tamen ad præsens nulla ratione remittam,
  Namq; necesse nimis fratribus esse reor:
Quod nunquam, nisi clam, nullaq; sciente sororum,
  Cum quocunq; suo fratre manere licet.

HENRICVS PLANTAGENET. XXVI.

HEnricus secundus Anglorum rex, cognomento Plantagenet, Galfridi Andegauensis comitis ex imperatrice Mathilde Anglica muliere filius: inito principatu, cõsiliarios sibi delegit uiros eruditos & graues, cum quibus leges primùm recognouit & correxit. De illo scribit Petrus Blesensis in epistola ad Gualterum Panormitanum archiepiscopum: Non sicut alij reges (inquit) in palatio iacet, sed per prouincias currens, explorat facta omnium: illos potissimum iudicans, quos cõstituit iudices aliorum. Nemo est argutior in consilijs, in eloquio torrẽtior, securior in periculis, in prospe ris timidior, constantior in aduersis. Quoties potest à curis & solicitudinibus respirare, secreta se occupat librorum lectione, aut in cuneo clericorum aliquẽ nodum quæstionis laborat euoluere. Regibus alijs longè eruditior est, urbanior, munificentior. Ad pacem populi pertinet quicquid cogitat, quicquid loquitur, quicquid agit. Nullus sublimior, nullusq; magnificẽtior inuenitur. Pater eius, potentissimus & nobilissimus comes, fines suos amplissimè dilatauit. Sed iste patris facultatibus superaddẽs, in fortitudine manus suæ, ducatum Normanniæ, ducatum Aquitanię, ducatum Brytannię, regnum Angliæ, regnum Scotiæ, regnum Hiberniæ, regnum Gualliæ, paternæ magnificentiæ titulos, inęstimabiliter ampliauit. Quadam enim diuinitatis imagine semper ambiuit opprimere fastuosos, oppressos erigere, & aduersus superbiæ tumorem exitiales suscitare molestias, &c. Inde Becketum septennali exilio uexauit. Rex iste magnificus edidit

Leges & statuta,	Lib. 1.
Ad Alexandrum 3 papam,	Epist plur. In magnorum discriminum angust.
Ad Fridericum Cæsarem,	Epist. 1. Præcordiali amico suo Friderico.
Ad principes orientis,	Epist. 1. Quoniam peccatis nostris exigen.
Ad reges Castellæ & Nauarræ,	Epist. 1. Sicut ex literarum tenore, &c.
Ad Belam Hungarorum regem,	Epist. 1. Quoniam iampridem intelleximus.

Ad Principem Cursac,	Epist.1. Quoniam imperij uestri potentiam.
Ad Henricum filium,	Epist.1. Sciatis quòd Thomas archiepiscopus.
Ad Alexandrum Papam,	Epist.1. Vestræ pater satis innotescit.
Ad Gilbertum episcopum Londinensem,	Epist.1. Audiuimus grauamen, quod ille.
Ad Radulphum decanum Londi.	Epist.1. Mando uobis quod ad mandatum.
Ad regem Stephanum,	Epist.1.
Ad Hadrianum 4 Papam,	Epist.plur.
Ad patriarcham Antiochenum,	Epist.1.
Ad patriarcham Hierosolymitanum,	Epist.1.
Ad Thomam Cantuariensem,	Epist.plur.
Ad Bernardum Clareuallensem,	Epist.plur.
Ad Ioannem Carnotensem,	Epist.plur.
Ad Petrum Blesensem,	Epist.plur.
Ad Ricardum Cantuariensem,	Epist.1.

Et adhuc plures alias. In rebus bellicis fortunatissimus princeps, rara à suis populis tributa exegit. Annū ætatis 61 agens, è uita migrauit, anno Salutis humanæ 1189, & regni sui 35. Chinonæ in Normannia, inter uestales regia pompa, & tandem ad fontem Ebrardi sepultus.

APPENDIX.

In epistolis suis ad Alexandrum Papam, ad Gilbertum Londinensem, & ad filium Henricū, Thomam Cantuariēsem molestatorē, perturbatorē, aduersariū, ac regni sui proditorē, Henricus rex uocat. Rogerus Houedenus in secundo Chronicorū suorū libro narrat, quòd anno Domini 1186, post secundam in Hyberniam expeditionem, Vrbanus 3. pontifex Rom. coronam ex plumis pauonicis auro affabrè contextam, ad regem misit, pro Ioanne iuniore eius filio in Hyberniæ regem coronando. Nicolaus Triueth etiam scribit, quòd anno Domini 1188, Clemens 3, eiusdem sedis Pontifex, eidē regi Henrico, in Scotiæ regnum potestatem cōcessit, dum suis decretis non starent Scoti. Qui et Ioannem D. Andreæ episcopum, in ea expeditione ab exilio liberauit. His diebus in Polonia confirmabatur cleri cœlibatus. Albertus quidam, terræ Palæstinæ Eremita, & episcopus Bethleemitanus, post Ascalonēsem pugnā aduersus Salahadinū, anno Domini 1178, cum Guilhelmo Tyriensi archiepiscopo, Romæ generali synodo interfuit, ut idem Guilhelmus refert, in lib. 21. cap. 26. de Bello sacro. Qui anno Domini 1190, sub Cœlestino 3. Rom. pōtifice, patriarcha Hierosolymitanus factus, Teutonicorū militum ordinem præsente Henrico rege confirmauit. Georgius Sabinus, ac Funccius. Hic scripsisse dicitur de Eucharistia Lib.1. De statu Palæstinæ lib.1. atq; abbreuiasse Carmelitarum regulam, à Brocardo editam.

BALDVVINVS DEVONIVS. XXVII.

BAldvuinus Deuonius, tenui loco Excestriæ natus, uir ore facundus, exactus philosophus, & ad omne studiorum genus per illos dies aptissimus inueniebatur. Scholarum rector primùm erat, tum postea archidiaconus, eruditione ac sapientia in omni negotio celebris. Fuit præterea Cisterciensis monachus, & abbas Fordensis cœnobij, magnus suorū æstimatiōe, ac uniuersæ eorum societati quasi antesignanus. Fuit deinde Vuigorniēsis præsul: fuit & mortuo demum Ricardo, Cantuariorum archiepiscopus, ac totius Angliæ primas. Cui muneri Baldvuinus solicitè inuigilās, egregium se pastorem exhibuit: Dominicum semen, quantum patiebatur eius temporis iniquitas, ubiq; locorum spargens. Ricardus Anglorū rex, acceptis tunc regni insignijs, summo studio classem ac omnia ad Hierosolymitanum bellum gerendum, necessaria parauit. Secutus est illico regem in Syriam & Palestinam usq; Baldvuinus, ut esset in tam sancto (ut ipse putabat) itinere, laborum, dolorum ac periculorum particeps. Sed ut interim non sinam prætereire

terire quos edidit libros: scripsit ad Bartholomæum episcopū Excestriensem, dum adhuc abbas esset,

De corpore & sanguine Domini,	*Lib.1.Magnum & profundum noui ueriq;.*
De sacramentis ecclesiæ,	*Lib.1.Reuerenda nomina magistri.*
De orthodoxis dogmatibus,	*Lib.1.Doctrina sanctorum conciliorum.*
De sectis hæreticorum,	*Lib.2.Mysterium fidei Christianæ in.*
Commendationem fidei,	*Lib.1. Omnia fœdera societatis hu.*
De unitate charitatis,	*Lib.1.Institutio uitæ communis.*
De sacerdotio Ioannis Hircani,	*Lib.1.Genus magni Herodis, sub.*
Super eruditione Giraldi,	*Lib.1.Opus tuum archidiacone, quod.*
Sermones 33.	*Lib.1.Candidiores niue, nitidiores.*
De amore,	*Lib.1.Fortis est ut mors dilectio.*
Super historijs Regum,	*Lib.4.*
Contra Henricum Vuintoniensem,	*Lib.1.*
Commendationem uirginitatis,	*Lib.1.*
Carmen deuotionis,	*Lib.1.*
De cruce,	*Lib.1.*
De Angeli nuncio,	*Lib.1.*
Mythologiam,	*Lib.1.*
Epistolarum suarum,	*Lib.1.*

Atque alia plura. ut habent Ioannes Hagustaldensis, Giraldus, & Bostonus. Præfuit Cantuariēsi ecclesiæ ferè sex annis: & Ricardum regem in Syriam secutus, anno Salutis nostræ 1190, Tyri uitam finiuit, ubi & sepultus est.

RICARDVS DIVISIENSIS. XXVIII.

Ricardus Diuisiensis, Benedictinæ professionis apud Vuintoniam monachus, adultę ætatis flore, studijs eruditis iuxtà ac pijs animum intendebat. Vuintonia urbs est, in ora maritima, quæ ad austrum spectat, inter duos colles posita, olim quidē celebris. Floruit eo tempore Ricardus, quo Papistica lues magis ac magis in Anglia, immò in tota Europa accreuit, per Abadonem Romanum ac eius abyssi locustas in diuersis perditionum sectis. Existimationem certè non modicam apud monachos, cum quibus habitauit, ob eximias artes, è literarum fontibus haustas, & alias prænitentes in eo uirtutes, præsertim ob exquisitam historiarum Brytannicarum cognitionem, habebat. Vnde tandem chronographus politus, scripsit ad Robertum eiusdem olim ecclesiæ Priorem, postea Cartusianum,

Tempora regis Ricardi,	*Lib.1. Venerabili patri, & semper.*
Epitomen rerum Brytannicarum,	*Lib.2. Brytannia maior insula est.*

Atq; alia plura. Claruit anno salutis Christianorum 1190, sub Ricardo primo Anglorum rege, Leonino seu Cor leonis dicto. Quo tempore in Anglia Guilhelmus Longeshampius, Eliensis episcopus, eo absente tyrannizabat.

DANIEL MORLEYE. XXIX.

Daniel Morleye, ab oppido natali in comitatu Nordouolgiæ cognominatus (Lelandus Morilegum uocat) Oxonienses iuuenis adhuc scholas studiosissimè excoluit. Maturior annis factus, ac literarum appetentior, Lutetiam Parisiorum inuisit, ut ex eodem Lelando didici. Postremò, Mathematicæ artis cupiditate insolita tactus, animum ad Arabes, ea ætate in primis eruditos, adiecit, quorum disciplina tunc latè in Hispania floruit. Profectus igitur Toletum, Arabum scrinia excussit: & quod quærebat maximè, tandem inuenit. Hinc enata repetendi patriam cura, & oblata tempo

ris opportunitate, domum rediјt, calamum arripuit, ut quę foris didicit, scriptis illic commendaret. Demum igitur produxit, ac Ioanni Oxfordio episcopo Nordouicensi consecrauit,

De inferiori mundo,	Lib.1.
De superiori mundo,	Lib.1.
Principia Mathematices,	Lib.1.

Et alia nonnulla. Claruit Daniel anno nati Redemptoris nostri 1190, sub Anglorum rege Ricardo primo. Qui Hierosolymæ atque alibi tunc Turcas inuasit, quum magis expediuisset fuisse domi, ut euentus postea docuit.

MAVRITIVS SOMERSETVS. XXX.

MAuritius Somersetus, Cistercienſium seu Bernardinę sectę imitator, insolito quodam studiorum amore flagrans, Oxonij literas sub præceptorib. eximiè doctis excoluit. Nec manū prius de tabula sustulit, quàm in lectione bonorum authorum plures illic exegisset annos. Quæsitus (ut Lelandus habet) hac laboriosa scientiæ cura thesaurus, tandem est auspicatò inuentus. Et ne forsan deliteret absconditus, Fordam in suum cœnobiū, quod est Axi fluminis ripam prope, se transtulit, ac inibi uidendum omnibus exhibuit. Artes quas nouit, cōtubernalibus suis libenter exposuit: utque serijs iucunda subinde misceret, studium interdum ad Musas cōtulit. Qua parte, & inter alias monachalis ocij nugas carmine scripsit, ac Reginaldo Bathoniensi episcopo dedicauit,

De schemate pontificali,	Lib.1.
Carmina quoq; plura,	Lib.1.

Atque alia quædam. Claruisse his temporibus Mauritius fertur, sub Ricardo secundo Anglorum rege. In quibus, Hierosolymorū regni titulus, Anglis per eundem Ricardum citra possesionē accesit, Cyprique regnum denuò incipit.

APPENDIX.

Nigellus, poeta Brytannus, *in libro qui Brunellus uel Speculum stultorum inscribitur, sui temporis monachos his carminibus graphicè depingit:*

Qui duce Bernardo gradiuntur, uel Benedicto,
Aut Augustini sub leuiore iugo:
Omnes sunt fures, quocunq; charactere sancto
Signati ueniant, magnificentq; Deum.
Ne credas uerbis, ne credas uestibus albis:
Vix etenim factis est adhibenda fides.
Quorum uox lenis, uox Iacob creditur esse:
Cætera sunt Esau, brachia, colla, manus.
Rursus in Aegyptum, quam deseruere, reuersi,
Dulce sibi reputant à Pharaone premi.
Carnis ad illecebras nullo retinente ruentes,
In foueam mortis carne trahente cadunt.

IOANNES DE HEXHAM. XXXI.

IOannes de Hexham, seu Hagustaldensis, in septentrionali Anglorū patria, diœcesi uerò Dunelmensi oriūdus, monachus eruditus, ordinis Benedictinorum, & eiusdem cœnobij præses olim floruit. Inerant ei seueritas in uultu, & in externis moribus candor, cum dicendi ac disputandi facultate non modica: dum esset in suo monasterio uariarum artium prælector, ut produnt scriptores, Amator historiarum atque rerum insigniter gestarum

fuit,

fuit, & cultor antiquitatis non minimus: quamuis à sui temporis et sectæ superstitionibus non immunis. Bedam de Anglosaxonum gestis frequenter in manibus habuit, ac Simeonis Dunelmi præcentoris 400 & 30 fere annorum additiones, quibus & ipse quoque 25 annos apposuit. Scripsit enim continuationes eiusdem Simeonis ab anno Domini 1130, usque ad annum Domini 1156. quod opus uocabat

Historiam 25 annorum,	Lib. 1. Anno Domini 1130. *Asketillus primus.*
De signis & cometis,	Lib. 1. *Anno* Domini 1133, *stella cometis.*
Descriptionem Scotici belli,	Lib. 1. *Eodem anno, quo mortuus est.*
Conciones aliquot,	Lib. 1.

Sed & alia composuit. In præfato Chronicorum auctario, celebriora principum facta descripsit. Et claruit anno ab incarnato Dei uerbo 1160, sub rege Henrico secundo, fuitque in suo cœnobio tandem sepultus.

RICARDVS HAGVSTALDENSIS. XXXII.

Ricardus Hagustaldensis, Northumbriorum alumnus, & in ea prouincia natus, eiusdem cœnobij monachus ac prior, ut uocant, post prædictum Ioannē fuit. Iuuenis, eidem Ioanni, uiro insigniter docto, iuxtà ac integro, ut apparet, tradebatur, qui in eodem tunc monasterio iuniores instituerat cœnobitas. Creuit adolescens sub eo præceptore, literarū et prudentię successu fœlici: tandemque post illum, eidē præfuit loco. Studuit ipse, prędecessoris ac magistri sui exempla imitari, ac ei per omnia simillimus inueniri. Quod non tantum in monasterij gubernatione, sed & in moribus, uita, doctrina, & scriptis libris præstitit. Cum enim Hagustaldi prioratum ad aliquot annos tenuisset, ad historiarum studia cōuersus, ætatis suæ Chronicon per 56 annos collegit, ab anno scilicet Domini 1134, usque ad annum Domini 1190, & ita in libros diuisit,

Gesta regis Stephani,	Lib. 1. *Anno uerbi incarnati 1135 ab.*
Gesta Henrici secundi,	Lib. 1. *Anno igitur Dominicæ incarnationis 1156.*
De bello Standardico,	Lib. 1. *Mox autem aliqui eorum in medio.*
Chronicon paruum ab Adam,	Lib. 1. *Adam centum & triginta annorum.*

Aliaque nonnulla scripsit. Claruit anno à ueri Messiæ natiuitate 1190, in quo sua finiebat Chronica sub Ricardo primo Anglorū rege. Et cum postea persoluisset commune debitum naturæ, in suo cœnobio sepultus fuit.

PETRVS RIPPONENSIS. XXXIII.

Petrus Ripponensis, Canonicus eius collegij (ut uocant) secularis, eloquentia & eruditione (ut ea tulerūt tempora) probè instructus fuit, sed interim ritu ac doctrina superstitiosissimus. Rippon in Eboracensi patria pagus est, in quo Vuilfridus olim archiepiscopus sacerdotum Papisticorū collegiū instituit. In cuius collegij templo ipsi dedicato, summa idololatria seruabatur: uel quod scelerosius est, colebatur eius putridū cadauer. Huic Petro magna familiaritas erat cum Galfrido Plantagineta, filio notho Henrici secundi Anglorum regis, & archiepiscopo tunc Eboracensi. Qui rogatus ab eodem Galfrido, ut patroni sui prædicti Vuilfridi uitam & facta (ut illi putabant) splendida ex uarijs authoribus recenter colligeret, atque compendio quodam explicaret: non modò id diligens, uerùm etiam alacer expeditè exhibuit, & ad eundem scripsit

Eiusdem Vuilfridi uitam,	Lib. 1.
Miracula illius quoque,	Lib. 1.

Et alia quædam edidit. Qua parte (inquit Lelandus) & aliorum quoque secutus

tus est tum industriam, tum fidem. Heddium, Fridegodum, & Petrum Blesensem intelligit, qui & eius scripserũt uitam. Claruit anno Christi 1190, sub rege Ricardo prædicto.

RICARDVS PRAEMONSTRATENSIS. XXXIIII.

Ricardus, Præmonstratensium canonicorũ abbas fuit: sed cuius in Anglia cœnobij, apud scriptores nostros non legit. Hic relicta ditione paterna, istam Norberti Lothoringi sectam, nouiter in Angliæ regnũ introductam, facta professione Papistica petijt. Eam religionem, ut dici uolunt, fingebant impostores è cœlis uenisse, et à loco, ubi uisionem fuisse tradunt, se Præmonstratenses uocari, fallaciter iactitabant. Statim uerò post eius sectæ initium, quod fuit anno Domini 1120, quidã uir doctus Antuuerpiæ docuit, panem Eucharisticum nõ esse naturale Christi corpus. At Norbertus ipsius sectæ author, huic doctrinæ sese mox opposuit, creaturam mortuam uiui creatoris loco uenerandam exhibens. Citabat in concionibus scripturas sacras, sed Satanæ instar (ut Robertus Montanus habet) Christum in solitudine tentantis. Manet illic eius hucusq; cœnobium solenne, in rei gestæ memoriã. Et uide quæso, qualiter in isto Ricardo patrem sequatur sua proles impia, libris eius eosdem fœtores redolentibus. Scripsit enim

De canonæ Missæ,	*Lib.1. In uirtute sanctæ crucis, & in.*
De computo ecclesiastico,	*Lib.1. Manifestiores sunt effectus sol.*
De mysterijs sacrorum,	*Lib.1. Scribere proposui quæ mystica.*
Vitam diuæ Vrsulæ,	*Lib.1. Vniuersis Christi uirginibus.*

Atq; alia plura, tam prosa quàm carmine. In libro suo de Mysterijs sacrorũ, omnes papisticę Missæ partes, uersu quidẽ barbaro descripsit, ut eius cultum adaugeret. Claruit anno Christi seruatoris 1190, sub Ricardo rege.

NICOLAVS VVALKINGTON. XXXV.

Nicolaus Vualkington, in ipso iuuentutis suæ flore, Cistercensium ordinis monachorum cœnobium de Kirkeham adijt: ac monachum in eodem, ut in quieto uiuendi statu literas hauriret, earum sitibundus induit. Locus certè in aquilonari regni parte, ut scriptores indicant, amœnus admodum fuit, & meditandis tam sacris quàm prophanis scientijs aptus. Per plures igitur annos frequentiam hominum deuitans, ac strepitum fugiens rerum, bonis ardẽter illic inuigilauit studijs. Incœptis his obfuit bonis commune monachorũ pharmacũ, nempe superstitio hypocrisi adiuncta, quæ mentes alioqui pias in cæcitates plus q̃ diabolicas immergit: quæ interim tamẽ apud illos habẽt diuinissimi Dei cultus loco. Composuit Nicolaus

De uirtutibus & uitijs,	*Lib.1. Dominus dicit, Sancti estote.*
Historiam Gualteri Espec,	*Lib.1.*

Et alia quædam. Claruisse his temporibus fertur, quibus rex Ricardus, facta pace cum Saladino, per Thraciam & Pannoniam rediens, à Leopoldo Austriæ duce captus fuit, ac tandem auro multo liberatus.

APPENDIX.

Hugo Nouatus, in libello de fuga Guilhelmi Longeshampij, Heligensis episcopi, scribit: quòd idem Guilhelmus regni gubernator, cancellarius ac tyrannus, qui solebat non sine mille equis res suas agere, anno Domini 1191, ad Doueri litus, solus in habitu muliebri repertus fuit. Qui dum errabundus, & malefactis suis dignam mercedem timens, nauem ad tacitam fugam quæritaret, à nautis cognitus, capitur, à mulieribus illuditur, conspuitur, per lutum trahitur, ac contumelijs multis afficitur: ab omnibus uerò contemnitur, in carcerem conijcitur, & cunctis spoliatus fortunis tandem proscribitur. Mirabilis certè tragœdia, quam propter longitudinem ad præsens relinquere cogor. Rogerus

gerus Houedenus in secundo Chronicorum libro etiam habet: quòd eodem anno, dum rex Ricardus adhuc in Palæstina esset, Ioachimum abbatem Calabrum aduocabat, interrogãs illum de Antichristo. Qui respondit, Romæ iam diu fuisse natum, ac tunc maximè regnare, exaltareq; se super omne quod dicitur Deus: propter ea quæ tunc fiebant Friderico Cæsari Barbarossæ per Alexandrum 3, & in coronatione Henrici 6 per Cœlestinum 3. Quæ omnia uidebuntur in secundo Votariorum nostrorum libro, si Dominus concesserit uitam.

ROBERTVS DE BELLO FOCO. XXXVI.

Robertus de Bello foco, Saresburiensis ecclesiæ canonicus, ut uocant, secularis, uir literatissimus erat, ac philosophiæ studiosissimus: quo nomine et magistri prænituit titulo. Liberaliter primùm, uel ab ipsa adolescentia, in bonis hunc literis fuisse educatum, ex hoc præcipuè argumento colligi potest, quòd non prius uirilem ætatem attigerit, quàm clarum ex studiorum labore nomen inter suos sibi pepererit Anglos. Fuit illi cum Syluestro Giraldo Cambrensi magna necessitudo: nec minor, ut apparet, cum Gualtero Mapes: hominibus uel in fastigio cognitionis rerum naturalium eminentibus. Nec desunt qui arbitrentur hunc plura excepisse, præfato Syluestro dictante, & uicturis commendasse chartis. Hæc tamẽ ex multis pauca ad me uenerunt, quorum hic titulos pono:

Encomion Topographiæ,	*Lib.1.*
Monita salubria,	*Lib.1.*

Primum opusculum edidit, post lectam Oxonij, à suo authore Giraldo Cambrensi, topographiam Hiberniæ: quam scripsit, cum esset Ioanni regis filio à secretis. Claruit Robertus anno Christi 1190, sub rege Ricardo primo.

GVILHELMVS STEPHANIDES. XXXVII.

Gvilhelmus Stephanides, Cantuariensis monachus, non infimæ apud illos authoritatis, Londini olim natus, originẽ, ut Lelandus colligit, à Normannica nobilitate primam deduxit. Bonorum authorũ lectioni solidæ iuuenis addictus, teneros annos in Anglorũ scholis fœliciter exegit. Nec tantum contentus intra patriæ septa se continere, ad Gallos euolauit, ut thesauros inde reportaret prudentiæ tum humanę tum diuinæ. Per inanem tamen philosophiam insolentior factus, et per monachorum leges iniquior, plures aduersus eloquia Dei sacra blasphemias euomebat. Mendacijs insignibus Becketum suum extulit, postquam illi inter exilij molestias adhæsisset, ut pro regno Papistico, pia facta regis Henrici, apud uulgus indoctum obscuraret. Ioannem Sarisburiẽsem, qui breuiter eius gesta descripserat, à doctrina cõmendat quidem: sed ex tam succincta eorum narratione factum eius non probat. Aggressus est igitur maiusculum opus, in quo, quoniam uterq; Londinensis fuit ciuis, urbem natalem, Brytannorum dominam, graphicè suis depinxit coloribus. Huic operi titulum præfixit,

De uita & paßione Thomæ,	*Lib.1. Cum apud omnium fidelium mentes.*
De uisionibus post mortem,	*Lib.1. Postquam igitur beatißimus.*
De miraculis eiusdem,	*Lib.1. Quoniam ergo persecutionis.*
Actus Henrici secundi,	*Lib.1.*

Et alia quædam edidit. Hic ille est, quem Ranulphus Hygden, in cap. 25 septimi libri, sui Polychronici, Stephanum uocat: cuius & ille deflorabat opus hoc de Henrico. Claruit anno nati Seruatoris 1190, sub prædicto Ricardo.

APPENDIX.

Anno Domini 1196, sacerdotes quidam Roma uenientes in Angliam, utraq; uenena, & corporis

& animae, multis parabant. Monachus quidam ecstaticus Eueshami, nouum coelum ac nouum infernum ex insomnijs phanaticis formans, nouam Apocalypsim Tundali exemplo edidit. Londinensis quidam hypocrita, idem pro purgatorio fecit. Ioannes regis Ricardi frater, Philippum episcopum Beluacensem, & eius archidiaconum, armatos ad bellum coepit, ac carceri sic uestitos mancipauit. Historia est certe lepida. Exorti sunt in Hispania his diebus, ex una parte ordines quidam militares, ut Calatraui, Iacobi de Spata, Mariae de Mercede: ex altera parte Dominicani & Franciscani, ut illi armis, isti doctrinis, Petri patrimonium contra Vualdenses & Albigenses, defenderent. nam per eos indies labefactari coepit. Volebant (inquit Antoninus) auferre ab ecclesijs temporalia, et transubstatiationem in Mißis negare. Inclinãtem igitur ecclesiam, Dominicus & Franciscus humeris tempestiuè excipiebant, ut in quadam Pontificis uisione. Legio illa daemoniorum, quam Christus misit in porcos, Matth. 8. multos his annis uexabat, praesertim monachos. Saraceni etiam hac aetate Hispaniam ingreßi, terrasq; Castellae & Granatae superantes, Cistercienses atq; alios monachos sui Sodomismi admonuerunt. Has omnes historias ampliter narrant, Rogerus Houedenus, & Radulphus Cogeshale, in suis Chronicis, ac Votariorum nostrorum opus.

DE PAPIS, VEL ANTICHRISTIS Romanis.

117. Innocentius tertius, natione Campanus, patria Anagninus, genitore Trasimundo è familia comitum natus, concordantibus in eius electione Cardinalibus, in demortui Coelestini locum sufficiebatur. Contra Philippum Imperatorem, eo quòd à Germaniae principibus ipso inuito creatus fuisset, tanto odio exarsit, ut in haec uerba proruperit: Aut pontifex Philippo diadema & regnum (ò arrogans bestia) aut Philippus pontifici insigne Apostolicum adimat. Othonem subinde ducem audacem ac temerarium contra Philippum concitabat. Vnde huius beatißimi confessoris opera, saeuissima orta sunt bella, & humani sanguinis profusiones innumerae factae fuerũt, donec tandem ab alio quodam Othone scelerato ac nefando homicida, proditorio animo Philippo occiso, Otho ipse quem Pontifex in Philippum concitauerat, Romam properans, diadema Imperij acceperit ab eodem. At non diu horum impiorum (Papae & Othonis) firmata pax durauit. Nam quum Otho ea recuperare instituerет (quae, quum Imperio subiacerent, per multos tamen annos uarijs artibus à Pontificibus occupata fuerant) ab ipso Pontifice anathemate percutiebatur, imperialiq; dignitate spoliabatur. Ac principes sacramenti religione, qua Othoni tenebantur, absoluit: prohibebatq;, ne quis sub anathematis poena Othonem, aut habeat aut dicat Imperatorem. Fridericumq; Siciliae regem, à principibus Imperatorem creari curauit. Hic praeterea Innocentius, in Christi doctrinam blasphemus, lege sanciuit, ut maledicentib. Papae, poena infligeretur. Haec Marius, in Eusebio captiuo, ex Vrspergense abbate.

Innocentius iste, anno Domini 1212, tria ardua moliebatur: praedicti Othonis depositionem, profectionem Hierosolymae, & uniuersale concilium. Atq; eodem anno (ut Huldricus Mutius narrat) in Alsatia quidam nobiles hunc Papam impietatis damnabant, quod sacerdotibus uxores non permitteret, centumq; sunt per episcopos uno die combusti. nam carnium & matrimonij usum, omni tempore Christianis esse licitum docebant. Magna haeresis, ab ipso etiam Apostolo suffulta, 1. Tim. 4. Tales etiam (inquit Nauclerus) Mediolani erant, qui Alsatijs collectas miserunt. Mirabiles in Anglorum regem Ioannem tragoedias excitauit hic pontifex. Stephanum Cardinalem, cognomento Langtonum, eo inuito, in Cantuariensem archiepiscopatum intrusit, & 64 monachis ad uarias in illum proditiones animum addidit. Eundem regem ecclesiae hostem, cum haec non pateretur, iudicauit, fidelium communione priuauit, regnum eius sub interdicto per 6 annos et tres menses posuit, regia administratione illum submouit, sceptrum & coronam abstulit, populum ab illius obedientia absoluit, terras eius Francorum regis filio Ludouico dedit, ut fortunis ac uita spoliaretur iußit, & alias in eum tyrannides fecit. Territus inde Ioannes, princeps alioqui ualidus & inuictus, quod à suis optimatibus, episcopis ac popularibus destitueretur, inuitus ad eius obedientiam redijt. Christianorum omnium caput, atq; in terris deum, Antichristum hunc agnouit: ac graui iureiurando sponsionem ei fecit, se eius arbitrio staturum, posterosq; reges idipsum facturos, ut se deinceps Rom. pontificis beneficiarios agnoscerent perpetuò. Insignis certè haec erat Christianorum regum contumelia.

Idem Innocentius, sub recuperandæ Hierosolymæ fuco, Lateranense concilium anno Domini 1215, contra Imperatorem celebrauit, ut eum excommunicaret ac deponeret: inuaserat enim urbes S. Petri. In quo concilio, auricularem confessionem à Christianis primus extorsit, ac laicis calicem in Eucharistiæ communione primus etiam prohibuit. Almericum uirum eruditum pro hæretico damnauit, atq; eius ossa Parisijs cum suis sectatoribus cremari præcepit. Et hoc fecit (inquit Dominicus Soto, in quodam sermone) quòd ex templis eijciendas esse imagines docuisset. Ioachimi abbatis doctrinam improbabat, ministrorum coniugia in perpetuum sustulit, & monachorum mendicantium sectas in suam tutelam suscepit. Omnis utriusq; sexus, decretalem edidit: paschalem communionem ordinauit, decimas occultas exegit, de Missæ officio librum composuit, & pro Asiatico bello quadragesimam omnium redditũum partem postulauit. Potestatem ordinariam patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, in multis rebus ademit: principum discordias, ac discordem Cæsaris electionem Rom. pontificis arbitrio subiecit, & uxores in quarto affinitatis aut cognatiõis gradu posse duci permisit. Eucharisticum panem in templis asseruari statuit, & tintinnabulum cum lumine, quum ad ægrotum portaretur, eundẽ præcedere decreuit: clericumq; habentem cõcubinam, à beneficio suspendendum censuit.

Missalis canonis uerba (iniquus Satan) uerbis Euangelicis æqualia fieri iussit: sacerdotem cõfessiones reuelantem, in monasterium ad perpetuam pœnitentiam includi uoluit: & quòd principes terrarum corrigere Papa debeat, ac nullum deinceps, quem ille non coronauerit, pro Imperatore debere capi, ordinauit. Vniuersis ecclesijs, uel cuiq; earum quæ Romæ erant, pro conficiendis calicibus, argenti libram dedit: basilicam D. Sixti restituit: altare S. Petri plurimum ornauit, & ecclesiam S. Mariæ trans Tyberim solenniter dedicauit. Turrim, quam Comitum dicunt, superfluis sumptibus excitauit: sancti Spiritus hospitale Romæ erexit, ac prouentibus auxit, & alia in ea Satanæ sede mirabilia magna fecit. Dum uerò Perusium anno Domini 1216, pro tollendis (sed ingentis lucri gratia) dissidijs inter Genuenses & Pisanos, profectus esset, uitam morte commutauit. Eius tempore Liuonia Papisticam suscepit religionem. Petrus quoq; Aragonum rex, Papistarum præstigijs excæcatus, feudatarium Papæ Romano suum regnum cum omnibus suis ditionibus fecit (Vincentio teste) ut animæ salutem mereretur: & ita bestiam adorabat, Apoc. 13.

118. Honorius tertius, patria Romanus, Americo genitore, Perusij Pontificatum inijt: quum cibo rum subtractione artarentur Cardinales inclusi, electionem ipsius illic accelerare. Qui quamprimum profectus Romam, quoad potuit, Asianis bellis consuluit, sciens illa nonnihil cõducere his quæ tunc domi apud ipsos agebãtur. Deligebaturq; statim Ioannes Columna, Cardinalis Romanus, qui legatus ad eas res componendas cum ipsis copijs proficisceretur, quas Innocentius tertius ad id antè collegerat. Fridericum secundum, Constantiæ monialis filium, aduersus execratum Othonem quartum, Imperij diademate coronauit: cui tamen postea, ius suum in Siciliæ & Apuliæ terris legitimè occupanti, sacris interdixit. Et Honorius ille (inquit Marius) adeò contra Fridericum hunc Imperatorem concitatus est, ut ipsius rebelles quosdam, qui in Thuscia contra eius maiestatem arma sumpserant, seditiose foueret, ut illos Imperator (ut par erat) castigare non posset: baronesq; ab eius fidelitate absoluit. Quæ lis nihilominus, Hermanni de Salza Teutonicorum magistri intercessione, ad tempus est composita, ut habet eius ordinis Chronicon. Petrum Altisiodorensem comitem, in D. Laurentij basilica extra muros, in Græcorum Imperatorẽ, cum Iola coniuge coronauit. Carmelitas et Augustinianos antea productos, protegendos suscepit. Dominicanos uerò, sub Innocentio generatos, approbauit, confirmauit, et in adoptionis filios admisit, ut ecclesiæ patrimonium, ac panis in Missa papistica transubstantiationem, contra nouiter exortos hæreticos Vualdenses & Albianos defenderent. Finxerant enim parum ante eius mortem, uisionem Innocentio tertio factam esse, Lateranensem ecclesiam omnino ruituram, nisi parens eorum Dominicus eam subleuasset humeris. De qua uisione Mantuanus in 8. Fastorum libro, Satanicis his tunc nugis illusus, sic refert:

Sollicitus demum pro posteritate, penates
Venit in Ausonios. Penetrauit limina summi
Alta sacerdotis: qui postquam somnia uidit

Admiranda, uirum blandas admisit in ulnas,
Et genus illius durare in secula iußit.
Viderat in somnis Laterani ingentia templi
Tecta ruinosum caput inclinare, uirumq;
Supposuisse humeros, & sustinuisse ruinam.
Taliter admonitus pastor, succurrere feßis
*Posse hominem * fidei rebus, regnoq; labanti:* * perfidiæ potius.
Annuit, & uentis impleuit uela secundis.

Pro Franciscanis etiam, ut & illi de suis fictionibus glorientur, idem Mantuanus, magnæ tunc meretricis poculo inebriatus, in 10. Fastorum libro, fabulosum hoc portentum in sui Francisci gratiam adducit:

Vmber erat, coluit Tuscæ montana Lauernæ,
Quæ furum tutela fuit: pannosus, & ultro
Factus inops, misso sua sub uestigia fastu.
Mortales longè ante alios mitemq; humilemq;
Se exhibuit, Christi ante oculos patientis imago
Semper erat. Plagas & uerbera mente ferebat:
Et quas mente tulit, Deus apparere figuras
Illius in membris uoluit. Nam uulnere pectus,
Vulnere signauit palmas, & uulnere plantas.
Huius ad exemplum uitæ, se magna uirorum
Copia conuertit, numerumq; effluxit in amplum.
Posteritas huius patris appellata Minorum
Nomine, nodoso lumbos consueta rudente
Cingere, & in soleas calces inferre salignas.

Huius pontificis tempore, dum ista fierent, portenta mirifica militum armatorum in aere sunt uisa, tanquam acies illa Gog & Magog, Apoc. 20. quæ sub Satana gentes seduceret. Hi enim, mendicantium scilicet fraterculorum ordines quatuor, adorauerunt bestiam & imaginem eius, habentes illius characterem in frontibus ac manibus. Hi seduxerunt gentes, quæ sunt supra terræ angulos: & eos cōgregauit Satan, quorum numerus erat sicut arena maris. Hi ascenderunt super latitudinē terræ, & circuiuerunt castra sanctorum, ac ciuitatem dilectam: ut in sequentibus historijs multo lucidius apparebit. Honorius autem, satis à rebus externis quietus, Christianis principibus pro Hierusalem urbe non sine multorum sanguine dimicantibus, ad templorum structuras se conuertit. Ecclesias S. Laurentij, S. Viuianæ, & ad Sancta sanctorum restituit. Aedes præterea Casæmarij construxit, semifornicem & cyborium beati Petri miris fabrefactionibus exornauit. Decretales epistolas edidit, et indoctos ad sacerdotium promoueri non debere decreuit. In Eucharistici panis eleuatione, genu flectiones à populo exigebat: & quòd decenti habitu ac lumine præcedente ad ægrotū deferri debeat, constituit. Mulierem illam à marito suo separandā esse statuit, quæ post trienniū initi coniugij, uirum confitetur non habere potentiam coeundi. Archiepiscopis intra suas prouincias indulgentias concedere permisit, atq; in Parisiensi academia ciuile ius legi uetuit. Anno Domini 1223, quum Adamus Cathanensis episcopus in Scotia (ut Boethius refert) à suis ciuib. in propria culina crematus esset, quòd quosdam eorum propter subtractas decimas excommunicasset: non quieuit hic Papa, donec pro illo uno, quadringenti eorum, castratis etiam liberis, laqueis essent per Alexandrum regem suffocati. Immanißima certè hæc erat Antichristi huius Papæ tyrannis. In Apulia cum Cæsare bellum gessit: Raymundum comitem Tolosanum hæreticum declarauit, eius terras Francorum regi dedit, Christianaq; sepultura illum tum demū priuauit. Post hæc et alia facta Papalia, Honorius anno Domini 1227 mundum istum deseruit.

119. Gregorius nonus, natione Campanus, patria Anagninus, è comitum familia, & Innocentij tertij nepos (sic solent sanctißimi patres, suos appellare spurios) in Septizonio electus, prædecessoris

cessoris Honorij in Fridericum sententiam probauit. Gregorius iste (ut Marius scribit) crudeliore adhuc animo in Imperatorem desæuijt. Eum namq; accusare incœpit, quoniam Hierosolymitanæ peregrinationis uotum, quod sub Honorio uouerat, perficere ac absoluere nollet: eumq; hac ex causa nō modò non auditum, sed neq; ulla ratione conuictum, anathemate ferit. Imperatorisq; nuncios, honestas ac ueras domini sui excusationes afferentes, nunquam ut ad suæ beatitudinis pedes accederent, permittere uoluit, nec in conspectu Concilij audire. Quis unquam maiorem tyrannidē uidit? Pontificis odium nullis artibus unquam mitigari potuit. Sed Ioannem Hierosolymitanum regem, ac comites Thusciæ imperatoris rebelles, multosq; alios principes ad eum lacessendū excitauit. Dumq; Imperator diem conuentus, Christianorum principibus quibusdam Rauennæ indixisset, principesq; ut ei parerent, illuc properarent, Pontificis iussu iter eorum intercipiebatur: ac milites cruce signati (hi iussu Imperatoris collecti fuerant) ad Hierosolymitanam peregrinationem parati, omni uiatico spoliabantur. Quæ omnia Imperator uidens, Pontificis rabiem demum delinire curauit. Hierosolymam uersus iter parabat, traiecto mari Cyprum peruenit, mox Acon applicuit, multaq; propter Christi fidem multo cum sudore ac labore apud Soldanum egit.

Interim beatissimus Christi uicarius, ob Imperatoris absentiam capta occasione, Apuliam tyrannidi suæ (proditor) subegit: cruce signatos milites transfretare prohibuit, eosq; ex Apulia ac Longobardia expulit, multaq; alia portentosa ac indigna fecit. Sicq; dum bonus Imperator Christi oues, ne à lupis discerperentur, ense defendit: Pontifex, qui eas pascere tenebatur, lacerabat ac deuorabat. Imperator Hierosolymam, Nazareth, Ioppen, à Soldano recuperabat, & cum eo inducias decennales pactus fuit: atq; de his omnibus Pontificem per literas certiorem fecit, inde ipsius congratulationem ac Christianorum publicum gaudium (ut par erat) expectās. At Pontifex contemptis & abiectis literis (magna Hierosolymæ cura) eos qui literas attulerant, ne rei insigniter gestæ ueritatem narrarent, occidi mandauit, & Imperatorem diem suum obijsse palàm nunciauit. Quis unquā futurus carnifex Antichristus, si Papa non sit? At quā nam ex causa id fecit? Vt Apuliæ urbes aliquot, quæ Pontifici se subijcere noluerant, hac arte flectere posset. Atq; ne reuerteretur Imperator, ipseq; pro sua libidine totam Apuliam sibi subijceret, Soldanū per literas rogabat, ne terrā sanctam Cæsari redderet: (uide nunc eorum erga Hierosolymā zelum) quemadmodum eum reddere intelligebat. At Imperator, omnibus cum Soldano, quæ tum fieri poterāt, peractis, in Italiam reuertebatur. Et ex Apulia pulso Pontificis exercitu, diuino ei fauente auxilio, quæ sibi iniustè ablata fuerant, breui recuperauit. Pontifex iterum Imperatorem anathemate percussit, & unà cum Longobardis ac Thuscis contra ipsum coniurationem fecit, eo quòd cum Soldano fœdus inijsset.

Postremò, procurantibus principibus multis, ut pius Cæsar cum superbissimo tyranno Pontifice componeretur, absolutionem ipse centum millibus auri uncijs emit. Hinc conijcere licet, quàm carus rerum suarum mercator sit Pontifex factus: qui tamē fatetur, se nullis nummis Christo datis, claues soluendi ab illo accepisse. Mox Imperator in Germaniam parabat iter, ut quædam Henrici primogeniti sui errata corrigeret. At Pontifex (ô inauditam perfidiam) statim Germaniæ principibus per nuncios mandabat, ne quenquam ex Imperatoris domo in regem Romanorū decernant. Quod cum ei relatum esset, atq; unà intellexisset Pontificem cum multis Italiæ principibus contra ipsum conspirasse, ut prorsus Imperatoria maiestate priuaretur: Italiam inuasit, rebellesq; Longobardos compescuit: multas Vmbriæ, deniq; ac Hetruriæ urbes expugnauit. Totam Longobardiam, Viterbium, Perusium, Fauentiam, Cremonam, Vicentiam, Patauiumq;, quæ cum Pontifice conspirauerant, Imperio subdidit. Quæ cum Pontifex uidisset, Fridericus rursus anathemate percutiebatur. Imperator, qui Patauij tunc erat, hoc audiens, & quoniam Romanorum pontificum auaritia, audacia ac tyrannis, amplius ferri non poterant, ideo omnibus Christi fidelibus eas patefacere decreuit, ut illos ab errore ac falsa eorum religione reuocaret. Hac ex causa iussit cuidam in sacris literis eruditissimo, ut coram se liberam haberet concionem de anathemate, ac de ecclesia Romana. Contigitq;, ut absoluta concione adeò Rom. ecclesiæ errores detecti sint, Pontificumq; technæ atq; pessimæ artes ita patefactæ, ut Imperator Pontifici illi in hæc uerba scripserit:

Roma diu titubans, longis erroribus acta,

Corruet, & mundi desinet esse caput.

Interim potior Italiae pars Imperatori adhaesit. Et Gregorius in desperationem rerum ac tyrannidis suae in posterum exercendae adductus, anno Domini 1241 animam diabolo reddidit, cuius & opera & consilia dum uiueret, secutus est. Haec Marius in Eusebio.

De alijs actis Gregorij noni.

Gregorius iste (ut Matthaeus Parisius illum uocat) sanguisugus & auarus Papa, contra Fridericum Caesarem, qui Isabellam, Ioannis Anglorum regis filiam, duxerat in uxorem, cõcilium Romae celebrauit, ut illum Imperio deijceret. Ante cuius initium, Apostolorum in processione solenni capita aduersus eum circumtulit, ut eo spectaculo, inani quamuis, ipsi terrorem incuteret, ac subditorũ animos abalienaret: pugnantibusq; contra eum, uitam aeternam promisit. Sed ea re cognita, uias omnes terra mariq; Fridericus praeclusit: ex Cardinalibus plures, atq; alios Ecclesiae praelatos, nauigio uectos, per Pisanos coepit, & in carceres trusit. Cardinalium duos aquis submersit: aliorum quosdam, episcopos, abbates, & clericos, atq; inter illos Papae fratrem, ob insignes proditiones, patibulis suspendit. Prima excommunicatio huic Imperatori contigit, quod periculo pro terra sancta obeundo, iuxta Papae uoluntatem, immiscere se nollet. Papa enim (ut acta probabant) utriusq; Siciliae regnũ, Apuliam & alias terras quaerebat: unde & Imperatorem ipsum, earum terrarum haeredem, libenter extinctum uidisset. Hannibalem priscas Romanorum libertates optantem, senatorio munere deiecit: & Polonos, ut Prutenos, eius tunc aduersarios, delerent, instigauit. Guelphorum ac Gibellinorum factiones, quas neces innumerae ac intolerabiles miseriae subsecutae sunt, in Italia excitauit: & Decretalium opus (sentinam stultitiae & impietatis) à Raymundo quodam Hispano ac Dominicano collectum, ad multorum perniciem publicauit. Dominicum, Franciscum, Antonium de Padua, & Elizabetham Hungariae regis filiam, in sanctos retulit: ut in sectis Mendicantium fraterculorum, dum in hypocrisi res eius agerent, sanctitatis opinionem atque authoritatem augeret. Carmelitis, praeter asinos masculos, & aliquod animalium seu uolatilium nutrimentum, hoc est, lac & oua: anno Domini 1230, nihil possessionis admisit, caetera omnia hostiatim petere iussit: ut Paleonydorus refert. Immunitatem Iudaeis, inuitis Christianis regibus, pro pecunia concessit: & suos usurarios, uirorum omnium pessimos (Parisio teste) pro nummis omni fallacia hauriendis, in Angliam post legatos misit. Sacerdotia plura uni prohibuit, ut & inde lucrum accresceret: & quintam partem in Anglia, ac uicesimam in inferiore Germania, omnium ecclesiae prouentuum per dictos legatos petijt. Ad uirginis Mariae salutationem, et ad antiphonam (Christo ualde blasphemam) Salue regina, quam in templis cantari primus instituit, campanae pulsum addidit, & Eucharistici panis eleuationi tintinabulum. Statuit, ne laici Euangelium praedicent, cuiuscunq; sint conditionis: nec ullam ualere consuetudinem, per quam quis inducitur ad peccandum. Damnari per hoc statutum deberet Missa papistica, quae suis idololatrijs tot horribiles in ipsum Deum blasphemias peperit. Multo plura adhuc hic Papa constituens, reparans, & aedificans Romae (ut dictum est) anno Domini 1241 diem suum obijt. In quo mons quidam in Burgundia, magnam populi multitudinem dehiscens oppressit.

120. Coelestinus quartus, natione Lombardus, patria Mediolanensis, è familia Castilionum, episcopus Sabinensis, doctus, sed senex admodum ac ualetudinarius, in locum demortui Gregorij suffectus est. Qui, etsi multa etiam contra praedictum Fridericum, Imperatorem optimum, moliri cogitauerat, ea tamen furibundus pontifex ob uitae breuitatem absoluere non potuit. Nam eodem anno, quo Gregorius, intra primum mensem tantum, transactis solummodo decem & octo diebus, communi fato concessit, uenenato poculo (ut fertur) absumptus. Et non immeritò fortassis. Legitur enim in libro Thomae Ecklestoni, de aduentu Minoritarum ad Angliam, de Roberto quodam Somertono Anglo, Rom. ecclesiae Cardinale, qui, ne Gregorio praedicto succederet in Papatu, sub ipsa electione, ueneno sublatus fuit. Vnde Matthaeus Parisius, in octauo suorum Chronicorum libro sic scribit: Obijt eo tempore, anno scilicet Domini 1241, ad magnam ecclesiae Romanae confusionem, magister Robertus de Somercote, Anglicus, Cardinalis, ad officium Papale dignissimus, dum de electione Papali tractaretur, qui omnibus se amabilem exhibuerat, &c. Idem Matthaeus, eodem anno de legatorum moribus: Duo (inquit) remanserunt in Anglia Papales nuncij, pro colligẽdis pecunijs, de quorum

rum extorsionibus, ne aures offendãtur, melius est silere, quàm aerem fœdando recitare. Huius Cœlestini commune dictum erat: Difficilius est (ait) in secundis rebus, quàm in aduersis, esse moderatum. Post eius mortem uacauit Romana sella uno & uiginti ferè mensibus: donec à Friderico capti Cardinales, Balduuini Constantinopolitani Imperatoris, & Raymundi comitis Tolosani precibus restituerentur. Hos quatuor Pontifices, Innocentium tertium, Honorium tertium, Gregorium nonum, & Cœlestinum quartum, Georgius Vuicelius, adulator papisticus, ueros esse Ecclesiæ pastores, & senes optimos, atq; officio satisfecisse dicit: cum scelestißimi fuerint proditores.

GALFRIDVS VINESAVF. XXXVIII.

GAlfridus Vinesauf, seu De uino saluo, ex parẽtibus (ut apparet) Normannis in Anglia generatus, à Ioanne Lelando ita depingitur. Vir, quantum illa permittebant tempora (inquit) splendidæ, comptæ, & floridæ eloquentiæ, omnes neruos ingenij sui, quo præditus erat planè acerrimo, in solam ferè rem literariam intendebat. Itaq; nõ contentus scholas tantum patrias frequentare, Gallicas quoq; et Italicas celebrauit: & in illis commoratus, multis scientijs profecit. Solebat etiam nõ rarò, uiros doctrinæ fama celebres adire, prælegentes ac disputantes audire, & in rebus difficilioribus cum illis conferre sermones. Nam & constat illum Innocentio tertio Rom. Pontifici fuisse notum, cui dedicauit opus illud, quod prosa & carmine Hexametro edidit,

De arte dicendi,	Lib.1. *Neustria sub clipeo regis defensa Ric.*
Ad Guilhelmum Cancellarium,	*Lib.1. Quod Papæ scripsi munus speciale.*
De noua poetria,	Lib.1. *Papa stupor mundi si dixero.*
De statu Rom. curiæ,	*Lib.1. Nuper Apostolica Galfridus sede.*
Monodiam in obitum regis.	Lib.1.
Ad Cæsarem pro eo liberando,	*Lib.1.*
De rebus ethicis,	Lib.1.

Atq; alia scripsit. In carmine ad Cæsarem Henricum, hortabatur, ut interceptum regem Ricardum, regno restitueret. Claruit Galfridus anno gratiæ per Christum restitutæ 1199, sub Ricardo & Ioanne Anglorum regibus.

APPENDIX.

Eodem anno Hubertus Cantuariẽsis archiepiscopus, in coronatione regis Ioãnis, elegantẽ in eius laudem orationem fecit, de probis eius moribus, de præstantia in arte militari, ac de nobili carnis propagatione. Et cum secretius fuisset interrogatus archiepiscopus, cur talem præmisisset in eius coronatione sermonem: asserebat se certificatum fuisse cœlesti oraculo, super multis quæ in ipso uentura sunt. Interrogatus etiam postea Philippus Francorum rex à suis nobilibus, cur tam hostiliter eundem Ioannem Anglorum regem molestaret, qui nunquam sibi uel in minimo nocuisset: respondit, Proptérea quòd non quæsito illius fauore, Normanniæ principatum occuparet. Hæc Matthæus Parisius, in 7 libro suorum Chronicorum.

SIMON FRAXINVS. XXXIX.

SImon Fraxinus, quem Ioannes Lelandus Ashe fuisse patria lingua dictum, arbiter non indignus, candidè fatetur: Herefordiæ (inquit) inter canonicos sedis Pontificię, quos uocant Præbendales, non infimum tenuit locum doctrinę beneficio. Herefordia urbs est, ad occidentẽ solem & Vualliam spectans, tam ab episcopali sede, quàm etiam à splendidi comitatus titulo celebris. Coaluerat Simoni cõsuetudo à teneris annis gratissima cum Syluestro Giraldo Cambrensi, magno certè literarũ cultore. Hinc factum erat, ut frequenter inter se mutuò literas misitarẽt, quarum plures uersibus hexametris nos uidimus. Scripsit pro amico Giraldo, conuicijs & mendacijs læso, aduersus Adamum Cisterciensis ordinis monachum, & abbatem Dorensem,

Apologiam rhythmicam,	*Lib.1.Magistrorum omnium flos archileuita.*
Super innocentia eiusdem,	*Lib.1.Nescio quis monachus furtiuo.*
Ad magistrum Giraldum,	*Lib.1.Fons sine fine fluens,flos.*
Epistolas ad diuersos,	*Lib.1.*
Carmina quoq;,	*Lib.1.*

Et alia plura,tam uersu quàm prosa. Claruit anno gratię per Iesum Christum 1200, sub Anglorum rege Ioanne, uaria componens ac scribens. Et Speculum ecclesiæ, à Giraldo compositum, à prædicti monachi morsibus defendebat.

ADAMVS DORENSIS. XL.

ADamus, Dorensis cœnobij prope Herefordiam, Cisterciẽsis ordinis monachus & abbas, Adamo seniori in eo successit officio. Musicus hic erat, poeta, & philosophus magni nominis: sed pectore superbus ac turgidus. Cum enim Syluester Giraldus, uir per illam ætatem eruditissimus, eximium opus edidisset, quod ecclesiæ Speculum nominabat: in quo plures sui temporis abusus manifestissimos, in clero uehementer taxabat, Cistercięsiũ inter alios non omittens & auaritias & libidines: offensus mox Adamus, inani philosophia & religionis opinione tumens, cõtentiosis carminibus, animo uindicãdi, illum aggrediebatur. Ita nullum potest opus esse tam absolutum, quod non inueniat Momum calumniatorem. Vnde Adamus iste uersu scripsit,

Contra Speculum Giraldi,	*Lib.1.*
Rudimenta Musices,	*Lib.1.*

Et alia quædam. Cum hæc fecisset (inquit historia) in amaritudine animi, et ad ostentationem, epigrammatibus respondebant Giraldus & Simon Fraxinus. Claruit Adamus anno incarnati uerbi 1200, sub rege Ioanne.

GVALTERVS DE CONSTANTIIS. XLI.

GVALTERUS de Constantijs, genere Brytannus, à Maddano Locrini secundi Brytannorum regis filio, & ex Guendolena Corinei filia originem traxisse, in historijs perhibetur. Ita ab ipsa pueritia literis operam dabat, ut uir factus, ilico esset in Oxoniensem archidiaconum constitutus. In quo officio confirmatus, quotidie aliquid ad eruditionis cumulum adiecit, quo magis suos ad similia animaret. Hinc illi tanta accreuit æstimatio, ut ex archidiacono fieret episcopus Lincolniensis, anno Domini 1183: & sequẽti anno Rothomagensis archiepiscopus. Regem Ricardum in magno itinere uersus Palęstinam cum cæteris comitabatur. Sed auditis illis quę interim fiebant per Guilhelmum Longeshampium Eligensem episcopum, in Anglia factiose tyrannizantem, è Sicilia iussu regis redijt, primus iusticiariorũ (ut uocant) & Cancellarius eius loco subrogatus. Edidit Gualterus ad Excestriensem episcopum,

Super negotijs iuris,	*Lib.1.*
Epistolas ad diuersos.	*Lib.1.Gualterus archiepiscopus* Rothomagen.
Ad Radulphum de Diceto,	*Lib.1.Nouerit tua discretio quòd.*
Ad Hugonem Dunelmensem,	*Epist.1.Super aduentu regio,rumor est.*
De peregrinatione Ricardi,	*Lib.1.*

Atq; alia plura. Claruit anno Salutis nostræ per Christum 1199: in quo Ricardum Anglorum regem ad fontem Ebrardi sepeliuit, ac Ioannem eius fratrem Normanniæ principatu insigniuit. Sed quot postea uixerit annis, non inuenio.

APPENDIX.

Iam ad Carmelitas redeo, de quorum initijs aliqua scripsi, post Florentium Brauonium. Polydodorus lib. 7. de Inuentoribus rerum, & Sabellicus in historia Venetorum: Quia neq; uitæ instituto (inquiunt) neq; cultu, neq; certis cæremonijs nitebatur nouus ille Carmelitarum cœtus, abortus quidem, non res legitimè ab initio instituta, uisa est. Hæc illi. Brocardus igitur Hierosolymitanus, secundus eorum præses, anno Domini 1171, composuit eis regulam, ex Basilij dogmate quædam mutuatus, ut seposito Euangelio, secũdum illam uiuerent. Hanc anno Domini 1199. Albertus patriarcha Hierosolymitanus abbreuiauit, confirmauit, atq; obseruandam ipsis tradidit. Sequebatur in silentio ieiunium simulatum, cum horis canonicis, atq; alijs fucatis obseruantijs. Vt cum D. Pauli doctrina pugnantes, Gal. 4. dierum ac temporum obseruatores fierent. Fratres uerò laici, Petri Eremitæ calculis seu preculis uterentur, Mariæq; psalterium super illis murmurarent. Nullis tamen hucusq; uotis astricti fuerunt, excepto unico obedientiæ uoto, ad uniuersalem eorum præsidem. Et hanc clausulam in regula relictam habebant, ut de solo Saluatore salutem sperarent, & ambularent iuxta Dei uerbum in cæteris eorum factis. Cyrillus presbyter ad Eusebium: Adhuc ergo non sunt totaliter Papæ creaturæ, ut eos postea fieri uidebis.

IOANNES OXFORDIVS. XLII.

IOannes Oxfordius, uel de Oxonio, quem Hector Boethius in Præfatione historiæ ad Iacobum quintum Scotorum regem, à uado boum cognominat, ex honesta familia natus, post susceptos in gymnasijs labores, multiplici literarum eruditione clarissimus effulsit: dum adhuc magnifici illius Saresburiensis collegij decanus esset, inter Brytannicarũ historiarum cõsarcinatores post Galfridum Monemutensem, eodem Boetio teste, præcipuus habebatur. Enucleatissimè principũ origines, tempora, gesta, facta, cõsilia, pugnas, fortunas, & exitus uarios, ex diuersis authoribus, ad suã ætatem nõ absq; sudore perduxit. Clarendonẽsi consilio præsidebat anno Domini 1164, dum Thomas Becketus iuraret fidelitatẽ regi, & eandẽ mox abnegaret. Doctrina, ingenio & sermone ualebat plurimũ, dum regi Henrico secundo à sacellis esset, et in Siciliam pro filiæ Ioannæ spõsalijs mitteret: maximè dum summa illius legatione cum Gilberto Foliotho atq; alijs magnis uiris, ad Alexandrũ 3 pontificẽ, Romæ & Senonis in Gallia, aduersus prædictum Thomam fungeret. Episcopus primùm Cicestrẽsis, postea Norduicensis, & inter alia erudita opuscula hominum memoriæ cõmendauit,

Anglicam historiam,	Lib. 1.
Pro rege contra Becketum,	Lib. 1.
De itinere in Siciliam,	Lib. 1.
Orationes & epistolas,	Lib. 1.

Aliaq; nonnulla. Obijt anno ab initio communis hominum salutis per Christum 1200, sub Anglorũ rege Ioanne. Lelandus fatetur istum authorem fuisse Scalæ chronici: sed nõ rectè, cum Otterburnus Minorita in eo allegetur.

COLMANNVS SAPIENS. XLIII.

COlmannus Sapiens, ex Visisaxonum gente, ut ex scriptis apparet, oriundus, historiographus ætate sua percelebris, ac ueridicus temporũ testis habebatur. Crebrò nimirum eius utitur testimonijs Ioannes Hardingus, in secundo suorum Chronicorum libro potissimũ, ubi uirilem ætatem Anglicæ monarchiæ describit, sub Alphredo, Edvuardo seniore, Ethelstano, Eadmundo, & alijs 6 regibus, usque ad uiolentas Danorum in illud regnum irruptiones, atq; inter præcipuos Anglicarum rerum consarcinatores cõmemorat. Affirmat enim Colmannus, multo alijs historicis locupletius, Anglorum heptarchiam, post 300 & 36 annos à superato per Gurmun-

dum Carentio, in unum coijsse regnum amplissimũ sub prædicto Edvuardo, post bella ciuilia, ac mutuas sub 7 regulis clades: at sub Ethelstano plenius. Narrat etiam, Alphredũ regem 56 uicibus terra mariq; cum Danis dimicasse, sed dubio Marte plerunq;: in fine tamen uicisse. In scripta referebat Colmannus, fideli narratione, ad posterorum memoriam,

Rerum gestarum Chronicon, Lib. 1.
Catalogum rerum Angliæ, Lib. 1.
Dialogum de bellis Danicis, Lib. 1.
Angliæ descriptionem, Lib. 1.

Et quædam alia. De Guidone quodam Vuarvuicensi comite, mentionem facit, quòd Colbrandum superbissimum Dacum, sub Ethelstano occiderit. Claruit, authore Lelando, anno nati Seruatoris 1200, sub Anglorum rege Ioanne.

RICARDVS CANONICVS. XLIIII.

RIcardus Canonicus, ad Trinitatis fanũ Londini regularis, ab ipsa pueritia bonarum artium literas impense amauit, excoluit, ac didicit. Qui ex continuo labore atq; exercitatione longa, talis tandem euasit orator & poeta, quales ea ætas rarissimos nutriebat. Ob id Ricardo Anglorum tunc regi charus, longam cum eo peregrinationẽ in Palæstinam ac Syriam, dum expugnaret Turcas, suscepit. Vnde in Angliam tum demum reuersus, omnia quæ præsens uidit in urbibus, agris, ac militũ castris, fideli narratione, tam carmine quàm prosa descripsit. Neq; interim omisit eiusdem regis mores & formam, per omnia corporis lineamenta designare. Addiditq; præclaro suo operi, hoc aptissimum pro titulo nomen, scilicet

Itinerarium regis Ricardi, Lib. 1.
Gesta eiusdem regis, Lib. 1. Aegrotante Henrico rege Anglorum.
Epigrammata quoque edidit, Lib. 1.

Alias eius lucubrationes non proferunt authores, neq; Nicolaus Triuethus, neq; Lelandus ipse, qui tamen hæc omnia in suis habent scriptis. Claruit Ricardus anno à redemptionis nostræ initio 1200, sub Ioanne Anglorum rege.

GVILHELMVS PEREGRINVS. XLV.

GVilhelmus Peregrinus, poeta quidam per eam ætatem excellens, genere Anglus, florebat, literarũ, ut multi tunc erant, amator maximus, & qui bona tempora melioribus impenderat studijs. Hic cum accepisset expeditionẽ in Saracenos per regem Ricardum parari, accinxit se ad iter illud, nõ tantum ut miles, sed etiam peregrinus. Vidit ea quæ in mari Hispanico fiebant, uidit quę in Syria & Palæstina commissa fuerunt in Sultanum Babyloniæ regem ac perfidos Saracenos. Omnia hæc scripsit, & uiuis depinxit coloribus, ita ut quasi præ oculis totum poneret negotium: idemq; argumentum cum Ricardo Canonico non infœliciter, Heroico pertractauit carmine: opusq; iam absolutum, Huberto Cantuariorum archiepiscopo, & Stephano Turnehamo capitaneo rerum bellicarũ expertissimo dedicauit, addito hoc titulo,

Odœporicon Ricardi regis, Lib. 1.

Multaq; alia edidisse poetam talem, nõ dubito. Sed num extent illa eius scripta, mihi nõ constat. Hoc tamen satis constat, eum fuisse in precio, anno à salutifero uirginis partu 1200, sub Anglorum rege Ioanne.

ALA-

ALANVS TEVKESBVRY. XLVI.

ALanus Teukesbury, eius monasterij, ad confluentiam Auonæ & Sabrinæ fluminũ siti, abbas, suo seculo in magna quidẽ æstimatiõe fuit, tum fortunæ tum literarũ nomine. Erat illi quædã (Lelando teste) familiaritas cum Thoma Becketo Cantuariẽsi archiepiscopo, quo tẽpore ædituus erat fani Seruatoris Cantuariẹ. Scholasticè olim apud Oxonium eruditus, inanem ac frigidam iudicabat omnem Christi doctrinam, quæ nõ syllogismis Aristotelicis fulciretur. Quartus iste testis cauteriatus est, à Stephano Langtono introductus, qui suis prẹstigijs, detestanda prædicti Thomẹ scelera, pro sanctissimis exemplis mundo proposuit ueneranda. Et hæc fecit impostor papisticus, ut authoritas regia, quæ à solo Deo est, execrabilis bestiæ tyrannidi, locum coacta daret. Talia ijs diebus per instrumẽta sua operatus est Sathan, ut eo sublimius daretur ipsi regni solium, & ut uituli adorarentur in Bethel. Vnde tandem pro suo Thoma scripsit

Acta Clarendonensia,	Lib. 1.
Exilium & uitam Thomæ,	Lib. 1.
Problemata sophistica,	Lib. 1.

Et similes Antichristi fæces. De talibus pseudomagistris, qui Sathanæ spurcitias, suorum charismatum loco, ingerunt, præmonuit nos Christus, ne temerè eis credamus. Obijsse fertur anno Christi 1201, sub rege Ioanne.

SIMON THVRVAIVS. XLVII.

SImon Thuruaius, presbyter Anglus, patria Cornubiensis, cum esset dialecticus acutissimus, & omnium liberalium artium peritus, relictis Anglorum academijs, Parisiensi theologorũ scholæ multis annis præfuit. Tam excellẽs erat in illis scientijs quæ inflant, ut gymnasij magistros, tam admiratores quàm auditores haberet. Sed dum suo Aristoteli, superbus & arrogans, nimium inhæreret, & contempta Euangelicæ doctrinæ humilitate, plures in Mosen & Christum effutiret blasphemias: diuina ultione tactus, omni scientia priuabatur, ac mugitum humanæ locutionis loco deinceps edidit. Non tacuit hæc Polydorus Vergilius, lib. 15. Anglicæ historiæ. Simõ Thuruaius (inquit) uir doctissimus, quum plus æquo de sua gloriaretur doctrina, repentè literarũ ita est oblitus, ut rudissimus penitus sit effectus. Adeò, ut sicut nihil fuerat adolescente acutius, ita nec aliquid sene obtusius. Composuit tamen, cum adhuc esset eruditæ memoriæ compos,

Summam theologicæ,	Lib. 1.
Institutiones diuinæ paginæ,	Lib. 1.
Sententiarum quæstiones,	Lib. 4. *Duo quæsita sunt, primum utrum.*
Quæstiones quasdam,	Lib. 1. *Vtrum omnis actio uertatur.*
Alias quæstiones,	Lib. 1. *Reuerendissimo patri & domino.*
In symbolum Athanasij,	Lib. 1.
In Boethium de Trinitate,	Lib. 1.
De rerum naturis	Lib. 1.
De Christiana doctrina,	Lib. 1.
Lecturas scholasticas,	Lib. 1.

Et alia quædam. Abhorrens à salubri coniugio, Aleidem meretricem uxoris loco tenuisse fertur. Obmutuit elinguis factus, anno à uerbo incarnato 1201, sub Anglorum rege Ioanne: Simonem de Tornaco istum appellat Tritemius, sed falso.

APPENDIX.

Matthæus Parisius,lib.7.Anno Domini 1201. Dum Simon de Thuruay temerè in scholis palàm iactitaret,se scire totam Christi legem,ac improbando posse eandem adnihilare,ita est subitò primarum literarum oblitus,ut nec Dominicam orationem pronunciare,nec Alphabetum legere sciret. Nicolaus episcopus Dunelmensis,dum adhuc adolescens esset, uidit eius filium (prolificus erat) docere patrem literas, quasi puer septennis & illiteratus esset, qui mihi profectò (inquit) hæc scribenti, olim enarrauit. Eo anno fiebant horrendæ tempestates. Papa Innocentius 3. sub colore (ecce mysterium) subuentionis terræ sanctæ,pecunias colligebat. Hoc tolerantibus regibus (mysterium aliud) ne, qui indigebant in pace suspecta,auxilio Papali,destituerentur. Quæ argumētosa extorsio per futuros euentus Deo creditur displicuisse. His temporibus Eustachius abbas de Flaye (impostor) oraculo admonitus in Anglia prædicabat,de charta quadam comminatoria, quæ è cœlo in terram Hierosolymæ delapsa fuit,quam homines antea triduò in aere pendentem uiderant. Hæc prædictus Matthæus. Lumen ante Eucharistiam in Anglia seruabatur, ex prædicatione eiusdem Eustachij. Ranulphus Cestrensis: Extunc illic cœpit esse accidens sine subiecto, postquam Innocentius tertius scripsisset de officio Missæ.

GERVASIVS DOROBERNENSIS. XLVIII.

GEruasius Dorobernensis,seu Cantuariēsis, sub Benedicti instituto ad fanum Seruatoris cœnobita,tam diuinarum quàm humanarum in suo conuentu literarum interpres habebatur non infimus. Hanc urbem uetustissimam, quæ abest à mari millia passuum 12, Rudibrasium Brytannorum regem à Bryto nonum,scriptores condidisse affirmāt,circa annum 890 ante Seruatorem natum. Cantiorum reuera emporiū celebre est,& tam propinquis quàm longè positis gentibus ob innumeras in ea superstitiones maximè olim frequentatum. Studuit Geruasius, suprà quàm cuiquam credibile est, antiquarū rerum cognitioni. Quo nomine ingentem Chronographorum numerum collegit, præcipuè eorum qui res Brytannicas & Saxonicas accuratè tractabant. Vnde & ipse tandem in harenam descendens, periculum ingenij fecit, editis uoluminibus planè egregijs. In quibus tum Brytannorum ab origine historiam, tum Saxonum & Normannorum fortia facta, usque ad Imperiū Ioannis regis Angliæ deduxit, diligentia quadam inexhausta, posuitque hoc ordine

Historiam nostræ gentis,	*Lib.1.*
Brytannorum,ab origine,	*Lib.1.*
Saxonum & Normannorum,	*Lib.2.*
Vitas archiepiscoporum,	*Lib.1.*
De regiunculis Brytanniæ,	*Lib.1.*
De sedibus Pontificijs,	*Lib.1.*
De monasterijs constructis,	*Lib.1.*

Aliaque plura composuisse fertur, à me nec lecta nec uisa. Claruit anno Dominicæ incarnationis 1200, sub illustrissimo Anglorum rege Ioanne. Sed quid postea egerit, aut in quo loco obierit mortem, non inuenio.

IOANNES HANVVILL. XLIX.

IOannes Hanuuill, seu Hanuuillensis, cognomento Architrenius, in Brytannia insula ortus (ut Hugo Legatus in suo cōmentario narrat) septem artium liberalium Oxonij magister, ad Albani fanum monachi suscepit habitum, post longam seculi peregrinationē, ac Parisijs studiū. Illic enim monachos sacro imbuens nectare disciplinæ, Philomenico modulo, Architrenium opus nobile, uersu protulit. Ita se (inquit Lelandus) in bonis literis adhuc iuuenis fœliciter exercuit, & præsertim in poesi, ut uir factus, uel miraculum

raculum eloquentiæ profluentis, seculo alioqui tunc barbaro, uisus sit, & quidem Parisijs. Concinnauit autem opus, ut ea tulit ætas, sanè elegans, uenustum, ac spendidum, in quo subinde Encomiastes, aliquando etiam & Satyricus elucet. Nomen operi à Græco deriuatum fonte, inditum est, uidelicet Architrenius, ab insigni lamentatione. Patriæ uerò memor, Bryti ac Brytannorum gratissimus, tum antiquitatem tum gloriam abundè deprędicat. Ludouicus Viues, Lilius Giraldus, Symphorianus Campeius, Hector Boethius, Ioannes Textor, & Conradus Gesnerus, præclarã Hanvuillani in suis operibus faciunt mentionem. Poeta certè ætate sua egregius erat, ingeniosus & elegans, utpote in literis politioribus ab adolescẽtia ferè Lutetiæ nutritus. Contexuit filò rhetorico ac uersu opera plura, præcipuè illud quod Gualtero Constantio Brytanno, archiepiscopo Rothomagensi, dedicauit,

Architrenium scilicet,	*Lib.9. Velificatur Athos dubio mare.*
De rebus occultis,	*Lib.1. Rebus in obscuris dubitantes.*
Epigrammata quoq;,	*Lib.1.*
Epistolas & carmina,	*Lib.2.*

Atq; alia edidit. Hunc authores multo fuisse meliorem dicunt, quàm pro eo seculo. Claruit anno Salutis humanę 1200 sub Anglorum rege Ioanne: & ad *fanum* D. Albani fuisse tandem mortuum ac sepultum, plures certò credũt.

APPENDIX.

Architrenij opus præfatum, Hugo Legatus, eius cœnobij monachus eruditus ac pædagogus, commentarijs demum illustrauit. In quo opere (inquit) præfatus Ioannes, uir omni scientia instructus, peregrinum fingens, principem luctus se uocat. Quasi summus eorum uitiorum lamentator existeret, quæ orbem terrarum perlustrans, in illo passim regnare uideret.

NIGELLVS VVIREKER. L.

Nigellus Vuireker, monachus eo seculo pius iuxtà ac eruditus, Cantuariensis ecclesiæ præcentor, uir multæ lectionis fuit, nec minoris iudicij, ut Lelandus de ipso scribit. In re theologica (inquit) eò tandem processit, homo undiq; doctus, ut non modò suo monachorum collegio ornamento & utilitati esset, uerùm etiam toti Brytannico orbi: præsertim cum præter literas, quas planè plures & nõ uulgares habebat, tanta esset uitę puritate, honestate ac sanctitate, ut non ueritus sit scribere de abusu rerum ecclesiasticarũ, uel ad ipsum Guilhelmum Longeshampium, Eligensem episcopum, & regni cancellarium, hominem omnium quos sol tunc uidebat inuidiosissimum. At non eum solum acriter arguebat, sed & alios sui temporis pastores ac rectores, quòd essent sub Rom. pontificis tyrannide, quã authoritatem Petri & Pauli uocant, per illos admisi ad animarum curas, pueri, scurræ, ganeones, cinædi, uel sacrarum scripturarum osores, ad Christiani gregis perniciem. Sed hæc extra lineam præsentis negotij. Rectius libros à Nigello conscriptos nunc recensebo. Edidit enim carmine ad præfatum Guilhelmum, sub titulo Brunelli,

Speculum stultorum,	*Lib.1. Suscipe pauca tibi ueteris Guil.*
Monita ad amicum,	*Lib.1. Postquam tristis hyems zephyro.*
Aduersus barbariem,	*Lib.1. Si mihi credideris, linguam cohi.*
Super uitijs curatorum,	*Lib.1. Sentire de Domino in bonitate.*
Distinctiones utriusq; Testa.	*Lib.1. Quatuor sunt regulæ ducentes.*
De abusu rerum ecclesiæ,	*Lib.1. Sincerè & sine simulatione.*
Exceptiones ex Guarnerio,	*Lib.1. Sublimitas supernarum potesta.*
Commentarios Numerorum,	*Lib.1.*

Et alia plura scripsit. In omnibus suis opusculis, hypocritarum simulatos mores, & sanctimoniā fucatam uehementer increpat. Claruit anno ab aduentu Mesiæ in carnem 1200, sub Anglorum rege Ioanne.

GILBERTVS DE HOYLANDIA. LI.

Gilbertus de Hoylandia, ex Anglorū genere theologus summus & acutus, Bernardi Clareuallensis discipulus olim familiaris, & sub eo Cisterciensis monachus factus, ad sacratū literarum exercitia, post studia humana se cōtulit totum. Hoylandia regiuncula est, ut Lelandus colligit, quę Velandi & Lindi magnorum fluminum ripis inferioribus cōprehenditur. In Svuinsetensi Cistercianorum monasterio Lincolniensis agri, abbas demum cōstitutus, longè latèq; comparatam magno sudore sapiētiam, singulis petentibus profuse distribuit. Vir erat, ut Tritemius adducit, in scripturis diuinis studiosus & egregiè doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio. Scripsit post obitum magistri sui D. Bernardi, ubi ille dimiserat, ab eo uidelicet loco: In lectulo meo per noctes, &c. usq; ad finem, 46 conspicuos atq; elegantißimos sermones,

In Cantica canticorum,	*Lib.1. Varij sunt amantium affectus.*
Vitam diui Bernardi,	*Lib.1.*
Super epistolas Pauli,	*Lib.14.*
Super Psalterium,	*Lib.1.*
In Euangelium Matthæi,	*Lib.1.*
In Apocalypsim Ioannis,	*Lib.1.*
Sententias theologicas,	*Lib.1.*
De statu animæ,	*Lib.1.*
De casu diaboli,	*Lib.1.*
Homelias quoq; plures,	*Lib.1.*

Et alia multa, ut in suo Catalago Bostonus Buriensis ostendit. Claruit anno à communis salutis origine 1200, sub Anglorū rege Ioanne: & Cistercij tandem, à patria procul, obijsse fertur.

BENEDICTVS PETROBVRGENSIS. LII.

Benedictus de Burgo Petri, monachus olim ad Seruatoris fanum Cantuariæ, Benedictinus, in literis ab ipsa pueritia uersatus, doctrinæ & ingenij famam inter sui seculi eruditos habuit. Sed ut uerum ipse fatear, ne serpentis calliditas in eo decipiat quenquam, post imbibitas Oxonij carnalium studiorum fæces, purum diuinæ scripturæ intellectum impostricibus doctrinis corrupit. Fuerat hic primùm Cantuariensis prior, uel ut alij iduocant, cœnobiarcha: postmodū abbas Petroburgensis monasterij, anno Domini 1177 factus: ut pro magno ecclesiæ martyre Becketus coleretur, & ut sanctißimus ad Deum patronus uulgò haberetur, accesit hic quintus uel sextus, sed non ultimus, fucatæ eius sanctimoniæ testis, confictis mille mendaciorum signis, miraculorum loco. Nam præcipuè texuit (inquit Guilhelmus Stephanides) relationem eorum quæ post mortem egit, quod opus intitulauit

Miracula Thomæ martyris,	*Lib.1.*
Vitam eiusdem Thomæ,	*Lib.1.*

Et quædam alia scripsit. His diebus pessimis, uentri indulgētes monachi & hypocritæ, præstigijs plus quàm diabolicis mundum illudebant. Claruit impostor maledictus, anno Virginei partus 1200, sub Anglorum rege Ioanne.

GVILHELMVS PETYTE. LIII.

GVilhelmus Petyte, uel Paruus, Bridlingtonæ in terra Eboracensi natus, Nouoburgẽsis monasterij prope syluam Cuculinam canonicus regularis, ac doctor theologus fuit. Is humanis iuxtà ac diuinis studijs tantopere adhærebat, ut nullam ferè horam rectè collocatã putaret, nisi in doctorum librorum lectione. A' Polydoro Vergilio, ueridicus author pronunciatur, quòd Brytannicæ historię fidem læserit. A' Lelando æquiore rerum nostrarum censore, econtrà iustisimè reprehenditur, quòd Brytannicarum antiquitatum ignarus, tam calumniose cum Galfrido Monemutensi, homine erudito & mortuo, tam acriter in Chronicorum suorum Procœmio decertauerit. Arthurumq; fortiorẽ esse, Lelandus dicit, quàm qui supprimeretur à deside monacho: ac alium fuisse Merlinũ, quàm putaret subijciendum alicuius cucullati iudicio: quum eorum nomina de medio tollere niteretur. Erat tamen Guilhelmus (inquit) ne quem iusta defraudem gloria, uir sua ætate, rerum temporibus recentioribus gestarum non ignarus. Sed multo in scripturarum interpretatione, ut ex eius facilè apparet libris, fœlicior. Scripsit enim ab anno Domini 1066, ad annũ 1197 stylo satis nitido,

Historiam de gestis Anglorum,	Lib. 5.	*Historiam gentis nostræ, id est Angl.*
De Anglorum regibus,	Lib. 2.	*Primùm ostendenda est origo causæ.*
In Cantica canticorum,	Lib. 1.	*Crebra petitionis tuæ postulatio.*
Commentarios alios,	Lib. 1.	
Sermones eruditos,	Lib. 1.	

Atq; alia nonnulla. Rogero abbati Bellandensi dedicauit suum opus in Cantica. Galfridum prædictum tam petulanter lacessit, ac tam inuidis morsibus lacerat, ut ad id conductum facilè putes. Claruit anno Christi 1200 sub Anglorum rege Ioanne.

ALEONORA REGINA. LIIII.

ALeonora Regina, Ioannis Anglorum regis mater, mulier erudita, filia fuerat unica Guilhelmi ducis Aquitaniæ & Pictonũ comitis, ex quo à patre facta est hæres. Hanc à Ludouico Francorum rege repudiatam, in eius uituperium, in uxorem duxit Henricus secũdus Anglorum rex: quæ res materia fuit multorum bellorum, quæ postea cum Francis gesit. Nam ob illas nuptias, illa pars Galliæ, quæ hodie Aquitania & Pictauia nuncupatur, iure uxorio illi obuenit. Furijs olim agitata, ob regis mariti pellices, temerè fecit, ut filijs esset cum patre certamẽ. Ob id incarcerabatur Londini, à filijs tamen postmodum liberata. Ex mira comitate in omnes, tanta erat eius authoritas apud Anglos, ut Ioannem iuniorem filium, post Ricardi regis filij mortem, persuasore Huberto Cantuariensi, regem omnium consensu faceret. Hæc scripsit, pro liberatione filij Ricardi, dum à Leopoldo captus esset,

Ad Celestinum tertium Papam,	Epist. 1.
Ad Henricum Cæsarem,	Epist. 1.
Ad Ricardum filium, contra Eligensem,	Epist. plu.
Ad Ioannem filium regem,	Epist. plu.
De sua captione ad Ioannem,	Epist. 1.

Et ad alios plerosq;. Hanc longè prudentisimam mulierem in Mirabello Andegauensis agri oppido, cum præesset illis regionibus, per Arthurum nepotem captam, Ioannes rex celeri in Francos expeditione liberabat. Obijt tamen anno Domini 1203, mœrore magis quàm morbo ex infortunijs consumpta.

APPEN-

Matthæus Parisius lib.7. Anno Domini 1202, rex Ioannes admirandam habuit de Francis & Pictauensibus uictoriam ad Mirabelli castellum. Occurrens enim superbis eorum conatibus, omnes primum in fugam conuertit. In ultimo uerò congressu capti sunt ducenti milites, & cum ipso duce Arthuro omnes nobiles Pictauenses & Andegauenses, ita ut nec unus euaserit. Ioannes rex amanter est Arthurum allocutus, ut relicto Francorum rege, ei fideliter adhæreret. At ille spiritu indignationis, ut erat superbiæ plenus, contradixit. Præcepit igitur Ioannes, arctius eum in arce Rothomagensi custodiri. Quò postea deuenerit, omnibus ferè est ignotum. Veruntamen ab aliquibus est dictum, quòd clàm euadere uolens, in Sequana submersus sit, nec postea inuentus: alijs affirmantibus, quòd præ cordis tristitia & rancore contabuerit. Franci uerò, quibus propter eorum odium non est adhibenda fides, asserunt ipsum præcepto regis Ioannis fuisse interemptum. Hæc addidi propter Polydorum Vergilium, qui Papicolis & monachis indignabundis, nimium credulus omnia mala in hunc bonum regem odiosissimè uertit.

ROGERVS HOVEDEN. LV.

ROgerus Houeden, uel Houedenus, chronographus insignis, in Eboracensi prouincia, ex illustri Houedenorum familia natus, plurimum apud suos Anglos ingenij dexteritate ualuit. Quantum colligere possum (inquit Lelandus) in medijs suorum studiorum annis, legibus Cæsarianis iuuenis operam dedit, à quibus rectà se contulit ad pontificias. Gualterus Couentriensis, homo Anglus, in suis Annalibus scribit, Houedenum inter domesticos Henrici secundi Anglorum regis fuisse. Vnde aucta illi apud Principẽ existimatio, auctæ etiã opes fuerunt. Mortuo uerò Henrico, omne suum studium ad historiam scribendam contulit: Annalesq; suos insigni uolumine ibi inchoabat, ubi Beda historiæ finem imposuit, quos etiam deduxit usq; ad quartum annum imperij Ioannis Anglorum regis. A' Platone ipso instructus, credidit, non sibijpsi solummodo se esse natum, sed et cognatis & amicis. Illius lucubrationes perquiri diligẽter tandẽ fecit Edvuardus primus Anglorum rex, anno Domini 1291, cum pro Scotici regni titulo ingens esset controuersia, ut Ranulphus habet lib.7. cap.39 Polychronici. Scripsit ergo Houedenus ad utilitatem nostram communem,

Anglorum historiam post Bedam,	*Lib.2. In exordio huius operis, genealo.*
Historiam regum Northumbriæ,	*Lib.1.*
Commentarios legum,	*Lib.1.*
Nugarum iuuenilium,	*Lib.1.*

Et alia quædam. In præfatam uerò historiam, indices binos addiderunt Alanus de Lynna & Guilhelmus Thorpius, Carmelitanę sodalitatis doctores. Claruit Rogerus, anno à Christo nato 1204, quo historiam finiebat, sub rege Ioanne.

HVBERTVS VVALTERVS. LVI.

HVbertus Vualterus, Sarisburiensis episcopus, uir probus, ingenioq; ac pietate clarus, inter præcipuos unus eorũ erat, qui post Ricardum regem, expugnandorum Saracenorum gratia in Syriam proficiscebantur. Cum iste ex Palæstina rediẽs, audiret in Sicilia, quòd idem Ricardus in inimicorum manus incidisset, omisso itinere incœpto, ad eum cursim diuertebat. Quem & ille statim in Angliam misit, ut illic regij senatus authoritate, indicto pro eius redemptione tributo, pecuniam colligeret: quod & industrius fecit, ac regem liberauit. Inde Cantuariorum archiepiscopus factus, post eius mortẽ Ioanni illius fratri ac successori, paria fidelitatis officia præstitit. Longa enim oratione, toti Anglorum nationi persuasit, quòd uir pro

uidus,

uidus, præstans, fortis, genere nobilissimus, & imperio dignissimus esset: quo salutatus à populo fuit, atque in regẽ coronatus. Composuit Hubertus

Constitutiones synodales,	Lib.1. *Cum in diuinis officijs non sine.*
In coronationem regis,	Lib.1. *Non ambigo honestissimi ponti.*
Inuectiones in Giraldum Romæ,	Lib.1.
Epistolas & sermones,	Lib.2.

Atq; alia plura. Ex immenso animi dolore demum obijsse fertur, anno salutis humanæ 1205, cum sedisset annos 11, menses 8, & dies 6: quum uidisset ex intestinis odijs omnia in transmarinis regionib. pessum ire, regnante Ioanne.

ALEXANDER THEOLOGVS. LVII.

ALexander Theologus, abbas Benedictinorum ad fanum Augustini Cantuariæ, ita ab ipsis incunabulis operam literis dabat, ut uir factus, dignissimus haberet, qui tam famoso præesset collegio. A' Ioanne Anglorum rege ob doctrinæ eminentiam cõductus, ac Romam cum solennibus nuncijs anno Domini 1206 missus fuit, ut cum magnis illic procerib. super sceptri sui iure & authoritate regia in Anglorum regno disceptaret. Quoniam Romani pontifices, tyrannide plus quàm Pharaonica in regnis Christianorum omnia confundebant, regnum (ut facturum esse Antichristum Paulus admonuit) super omne quod dicitur Deus usurpantes. Probabat igitur rationibus & scripturis, coram Rabbinis illis, non esse in regnis à Deo constitutis, potestate regia dominationem maiorem. Episcoporum uerò nullum esse temporale regimen dicebat, quum Christi regnum de hoc mundo non sit. Allegauit'que Gregorij Magni dicta ad Augustinum monachum, de Anglorum ecclesiæ ab omni seruitutis iugo immunitate, atque contra omnes in ea conflictatione præualebat. Sed uide sequelam. Cum factus esset Stephanus Langtonus, inuito rege, Cantuariorũ archiepiscopus, & Angliæ primas: subornatis in illius destructionem principibus alijs, Alexander à Pandulpho legato, omni ecclesiarum functione & cõmunione priuatus, mendicare philosophus uerè Christianus in regis odium, sed post eius mortem cogitur, digito monstrantibus æmulis, & dicentibus: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum. Iste Alexander inter cætera scripsit,

Victoriam à Portheo,	Lib.1. *In nomine Dei altissimi, qui est trinus.*
De cessatione Papali,	Lib.1.
De ecclesiæ potestate,	Lib.1.
De potestate uicaria,	Lib.1.
Super alijs articulis,	Lib.1.

Atque alia plura. Claruit anno Domini 1207, quo Ioannes rex 64 monachos Cantuarienses, ob contumaciam & præcepti sui contemptum, in exilium misit, 15 die Iulij. De Alexandro autem uerificatur illud Apoc. 13. Quicunque non adorauerit imaginem bestiæ, occidatur. Et in Iulij tertij moneta noua: Gens & regnum quod mihi non paruerit, peribit.

APPENDIX.

Matthæus Parisius Lib. 7 *Anno Domini* 1204, *Calendis Aprilis, in prima noctis uigilia, tantus rubor in cœlo apparuit, ut ignis ab omnibus crederetur. Et quod mirandum est, in ipso rubore uehementissimo, stellæ micantes apparuerunt, &c. Eo anno primùm nati sunt Dominicani, sanguinolentum monachorum genus, ut Albigenses, uitiorum cleri insectatores acerrimos confunderent. Sequenti anno Dominicus eorum genitor, quasdam nobilium filias monasterio inclusit, ne Albigensiũ Euangelium saperent, ut habet* Nicolaus Triuethus. *His diebus,* Ioannes *Anglorum rex, monachorum &*

clericorum imposturis, subsidio & auxilio suorum destitutus: Aquitaniam, Turoniam, Pictauiam, Andegauiam, Brytanniam, Normanniã, & alias terras in Gallijs perdidit. De monachis ita scribitur.

O'Monachi, uestri stomachi, sunt amphora Bacchi.
Vos estis, Deus est testis, teterrima pestis.

Anno Domini 1207, uentus repentinus domos et arbores prostrauit, ut prodit Ioannes Euersdenus monachus. Eodem anno Franciscus sub Euangelij fuco Minoritas generauit, funiculis cinctos, ac nudis pedibus incedentes: eisq; Clarissas adiunxit, ut esset grata societas: & ne uideretur aliquando bonum, homines esse solos. Gen. 2. De quibus est hoc distichon: Cordula nodosa, pes nudus, cappa dolosa: Hæc tria nudipedes ducunt ad tartara fratres.

GERVASIVS TILBERIENSIS. LVIII.

GEruasius Tilberiensis, Henrici secundi Anglorum regis nepos, uir nõ mediocriter eruditus, cognomen à Tilberia, Ostrosaxonum oppidulo in Thamesino litore, traxit. Literarum titulo bonarũ insignis, magnam meritò apud Guilhelmum Remensem archiepiscopum iniuit gratiam; & initam solidè, qua erat prudentia, retinuit. Historiarum cognitioni inuigilabat, unde tandem quæ rectè didicerat homo candidus, posteritati editis libellis consecrauit: maximè Othoni quarto Imperatori, Ioannis regis ex matre nepoti, domino suo incomparabili. Qua apud eum authoritate & gratia fuerit, hinc apparet, quòd Arelatensis ditionis Marescallus designatus sit. Causa eius trãsmigrationis fuit, quòd Otho maternũ genus ab Anglica muliere Mathilde, Henrici Anglorum regis filia, duxerit. Chronicorum opus tandem, planè egregium edidit, & Othoni Imperatori dedicauit, titulum addens,

De otijs imperialibus,	*Lib. 3. Duo sunt, Imperator Auguste, quibus.*
Illustrationes Galfridi,	*Lib. 4. Descriptio quantitatis & multi.*
Historiam terræ sanctæ,	*Lib. 1. Postquam diuinæ propitiationis.*
De mundi scriptione,	*Lib. 1.*
Facetiarum ad Henricũ iuniorem,	Lib. 1.
De origine Burgundionum,	*Lib. 1.*
De mirabilibus orbis,	*Lib. 1.*
Tricolumnium Angliæ,	*Lib. 3.*
Dialogorum quoq;	*Lib. 1.*

Et alia nonnulla scripsit. Liber à Symphoriano Champerio editus, de antiquitate Lugduni, præclaram de nostro Tilberio mentionem facit. Claruit anno incarnati Mesiæ 1210, sub rege Ioãne. Illustrationes sunt, in utriusq; Brytanniæ historiam Galfridi Monemutensis.

APPENDIX.

Ex quodam huius Geruasij dialogo, libellus quidam est à nobis tempore iuuentutis nostræ editus, De tripertita regni Angliæ historia, sub illustrißimo Anglorum rege Henrico secundo. Quem quia per tres columnas digeßimus, duximus Tricolumniũ posse appellari. In prima quidẽ, de ecclesiæ Anglicanæ negotijs plurimis, et de nonnullis rescriptis Romanæ sedis. In secunda uerò, de insignibus prædicti regis gestis, quæ fidem humanã excedunt. In tertia autẽ, de pluribus negotijs, tam publicis quàm familiaribus, necnon et curiæ iudicijs agitur. Hic si fortè in manus tuas inciderit, caue ne te effugiat. Vtilis enim esse poterit futuris temporibus, & iucundus his qui de regni statu sub prædicto principe soliciti fuerint, &c.

SYLVESTER GIRALDVS. LIX.

SYluester Giraldus, Cambrensis, ex quadam nobilißima Vualliæ principum familia ortus, & in prouincia Penbrochiana natus, non procul à Tynbio, celeberrimo mercatorũ emporio, à Ioanne Lelando narratur. Quidam

Anglia Sacra Vol. 1. Praef. p. 20.

dum adhuc adolescens esset, statura procerus, facie & forma nitidus, ac doctrina præclarus, Baldvuino, Gualoni, Serloni, & alijs uiris doctissimis familiaris fuit. Per totam Europam literas quæsiuit: & post ingentes ea in re labores, Parisium perueniens, artium scholas publicas illic in Anglorũ collegio rexit. Per triennium quoq; auditor theologorum effectus, omnem sacrè scripturam postea exposuit. Omnium bonarum literarũ gloria celebris factus, cœpit apud Henricum regem magnus esse, atque filio suo Ioanni in Hybernia à secretis & à scriptis, cui & gratissimus semper erat. Dum inclytus ille princeps rebellãtes Hybernos patris imperio subigeret, aderat eius lateri Gyraldus, ut omnẽ peragraret ac describeret regionẽ. Similes postea labores in Cambria atq; uniuersa Anglia suscepit, Baldvuino præfato Cantuariorum archipræsuli comes etiam adiunctus. Sunt qui illum putent archidiaconum Landauensem fuisse, sed constat Brakaniæ ac Meneuiæ illum archidiaconum extitisse: tandemq; à canonicis eius ecclesiæ, ritè in episcopum Meneuensem electus, Romã eius rei gratia petijt, anno Domini 1200. Sed dum illic solicitè tractaret de metropolitano suæ ecclesiæ iure contra Hubertum Cantuariensem archiepiscopum, & ad eius inuectiones in pleno cõsistorio responderet, competitore quodam strenuè per pecuniam agente (sunt enim omnia uenalia Romæ) causa & dignitate cecidit. Est tamen eius nomen, ob id, in decretis Romanorũ pontificum celebre. Vt demum ad libros ueniam, composuit Giraldus,

Topographiam Hyberniæ,	Lib. 4. Placuit excellentiæ uestræ, inuictis.
De expugnatione eiusdem,	Lib. 3. Quoniam de insulæ Hybernicæ situ.
Topographiam Cambriæ,	Lib. 4.
Itinerarium eiusdem,	Lib. 3. Quoniam ea quæ in Brytannia.
Illustrationes Merlinorum,	Lib. 2. Quoniam in prioribus libris Mer.
Topographiam Brytanniæ primæ,	Lib. 4.
Distinctiones Giraldi,	Lib. 1. Nunc ad ea quæ contra naturæ.
Relationem dormientium,	Lib. 1. Regnabat Decius Imperator.
In opera quædam Senecæ,	Lib. 1. Lucius Annius Seneca Cordub.
Mirabilia terræ sanctæ,	Lib. 1.
Speculum ecclesiæ,	Lib. 4. Sicut hominum naturam quibus.
De planctu lachrimabili,	Lib. 1. Quoniam ad Cantuariensem sancte.
Pro reddenda talione,	Lib. 1. Ecclesiæ speculum qui me cupit.
Vitam Henrici secundi,	Lib. 3.
Acta regis Ioannis,	Lib. 1. Ioannes, filius iunior Henrici.
Ad Stephanum Cantuariensem,	Lib. 1. Postquam apud Gilfordiam dulci.
De institutione principis,	Lib. 3. In apibus rex unus est.
Super Merlino Caledonio,	Lib. 1.
Super Ambrosio Merlino,	Lib. 1. Circa prophetiæ præsentis expo.
Gemmam ecclesiasticam,	Lib. 1. Agmen in castris æterni regis.
Epithalamion,	Lib. 1. Vt lux post tenebras, post.
Inuectiones triennales,	Lib. 1.
De miseria conditionis humanæ,	Lib. 1. Vnde superbit homo, cuius.
Epigrammata uaria,	Lib. 1. In natale sacro, sacræ solem.
Carmina metrica,	Lib. 1. Florida fructifera Simonis.
De Cistertiensium nequitijs,	Lib. 1.
Epistolas & dictamina,	Lib. 1. Remisimus uobis librum nostri.
Vaticinalem historiam,	Lib. 1. Hactenus historia, pleno per.

Gesta laboriosa Giraldi,	Lib.3. *In tres particulas libellus.*
De auibus, & earum naturis,	Lib.1.
Rhetoricas orationes,	Lib.1.
De illaudabilibus Cambrorum,	Lib.3.
De prohemijs suorum operum,	Lib.1.
Descriptiones magnorum uirorum,	Lib.1.
Symbolum electorum, ad Mapes,	Lib.1.
Cosmographiam mundi,	Lib.1.
Chronographiam eiusdem,	Lib.1.
Speculum commonitorium,	Lib.1.
Speculum consolatorium,	Lib.1.
Remordentes epistolas,	Lib.1.
Querulum carmen,	Lib.1.
Certamina Galfridi Eboracensis,	Lib.1.
De honestate clericali,	Lib.1.
Cambricæ Mappæ expositionem,	Lib.1.
De quærente & soluente,	Lib.1.
Dialogos prosaicos,	Lib.1.
Vitam Ethelberti martyris,	Lib.1.
Vitam Dauid Meneuensis,	Lib.1.
Vitam Caradoci presbyteri,	Lib.1.
Vitam Remigij Lincolniensis,	Lib.1.
Vitam Hugonis Carthusiani,	Lib.1.
De monachis & clericis,	Lib.1.
De flosculis philosophicis.	Lib.1.
Ad inuectiones Huberti,	Lib.1.
Ad æmulorum obiecta,	Lib.1.
Itinerarium Balduuini,	Lib.1.
De fidei fructu ac defectu,	Lib.1.
De Mahumeto & eius nequitijs,	Lib.1.
Pro Guidone Vuaruuicensi,	Lib.1.
Prærogatiuarum computum,	Lib.1.
De mundi mirabilibus,	Lib.1.

Atq; alia plura. Proditionis semel, licet sycophanticè & falsè, à perfido quodam Cisterciensi monacho accusabatur: sed eius periculum, Deo donante, uir eruditus ac pius euasit. Claruit senex anno ab exordio Seruatoris in carne, 1210: sub illustrißimo suo Mecœnate, Ioanne Anglorum rege. uixitq; ultra septuagesimum uitæ annum, in Meneuensi ecclesia tandem sepultus.

APPENDIX.

Oxonij per tres dies Topographiam Hyberniæ, quam paulo antè ediderat, in scholis publicis recitabat. Vbi ætatis suæ in literis ruditatem & barbariem increpans: Habeat *(inquit) si literatura quandoq; resurgat, posteritas quod laudet, &c.* Et in Topographia Cambriæ: *Circiter idipsum tempus (inquit) quo Cambriæ descriptionem stilo perstrinximus, Mappam eiusdem expressam, quatinus & natale solum, non tantum literis, uerumetiam protractionibus quibusdam, & quasi picturis uarijs, nec incompetentibus aut indecentibus, nostra foret ad unguem opera declaratum, breui in loculo, arctoq; folio loca quamplurima complectētes, eademq; tunc dilucidè satis & distinctè disponētes, non absq; studioso labore propalauimus, &c.*

IOSEPHVS DEVONIVS. LX.

IOsephus Deuonius, Iscanus seu Excestriēsis, in extrema regionis ad meridiem

ridiem parte, & prope Cornubiam natus, in omni genere bonarum literarum, Latinè & Græcè doctissimus effulsit. Hic omnium poetarum sui temporis (Lelandi uerbis utor) facilè primus, tantæ eloquentiæ, maiestatis & eruditionis homo fuit, ut nunquam satis admirari possim, unde illi in tam barbara & rudi ætate, facũdia accreuerit, usqueadeò omnibus numeris tersa, elegans ac rotunda. Et alibi: Iosephus (inquit) Iscæ Deuoniorum alumnus, poeta Brytannus, omnibus numeris elegantissimus, & aureum suo seculo utriusque eloquentiæ flumen, uersus edidit cum antiquitate Romana de palma contendentes. Habent hi uersus suum genium, uicturũ quidem illum. Tum præterea, concinnitate quadam apta, elegantia pura, maiestate iusta, ita tersis adblandiuntur auribus, ut decies repetiti, nisi me uehementer fallit meus affectus, perplacebunt. hæc ille. Didici, Balduuinum Cantiorum archiepiscopũ fuisse patronum Iosepho, cui dedicauit primum suum opus & Antiocheiden. Transtulit enim ex Darete Phrygio, ac paraphrasticis carminibus exposuit, ediditq; opus

De bello Troiano,	Lib. 5. *Iliadum lachrymas concessaq; Perga.*
Bellum Antiochenum	Lib. 1.
De institutione Cyri,	Lib. 1. *Prælia bina ducum canimus po.*
Panegyricum ad Henricum,	Lib. 1.
Nugas amatorias,	Lib. 1.
Epigrammata quoq;,	Lib. 1.
Diuersi generis carmina,	Lib. 1.

Plura etiam præter hæc scripsisse eum, dubium nõ est: quæ fortassis temporis iniuria omnino extinxit. Claruit anno Salutis humanæ 1210, sub Anglorum rege Ioanne. Guilhelmus Fastregicus in libro de Rerum originibus, eius mentionem facit.

GVALTERVS MAPES. LXI.

GValterus Mapes, uir literatissimus, et ut testis est Giraldus Cambrensis in Ecclesiæ speculo, Henrici secundi Anglorũ regis, clericus olim familiaris fuit, ac filij eius Ioannis post illum. Sunt qui hunc ex Sarisburiensi canonico, sunt etiam qui ex Lincolniensi præcẽtore, Oxoniensem archidiaconum, anno Domini 1197, fuisse factum affirment. Contigit illum fuisse Romæ, cum illic lis esset inter Hubertum Cantuariẽsem archiepiscopũ, & prædictum Giraldum, pro metropolitano Meneuensis ecclesiæ iure, ut prius. Vidit Pontificis fastum plus quàm Luciferinum: uidit Cardinalium ac prælatorum spiritualium ambitiones, supercilia, luxus, libidines, auaritias, & id genus sanctitates intolerabiles. Nec poterat, cum rediisset domum, tam execrabiliũ uitiorum obliuisci, quin postea illos, quandiu uixit, uehementissimis criminationibus satyricè uellicaret. Sed fictis nominibus lusit, ut Goliæ pontificis, uel Ioannis de Abbatia, uel Ioannis de Corborio, uel Gualteri de Hybernia, ac similibus. Habebatq; Oxonij scurram seu bomolochum, doctum tamen, qui libenter eo consultore, iactitabat se facetiarum ac rhythmorũ suorum esse parentem. Nec poterat æquo perferre animo iniurias & calumnias, ab iniquo eius temporis clero, Ioanni regi maliciose illatas: sed illum quandoq; Iouem, quandoq; leonem in Satyris appellans, Pontificem Plutonem atq; asinum, prælatos uerò animalia bruta, imò & stercora uocabat. Vnde Latinis rhythmis facetè scripsit Gualterus, super enormitatibus cleri,

Apocalypsim Goliæ pontificis,	Lib. 1. *A' tauro torrida, lampade Cynt.*

Prædicationem Goliæ,	Lib.1. Viri uenerabiles,uiri literati.
Confeßionem eiusdem,	Lib.1.Estuor intrinsecus,ira uehemens.
Ad malos pastores,	Lib.1.A legis doctoribus,lex euacu.
Ad Christi sacerdotes,	Lib.1. Viri beatißimi,sacerdotes Dei præcones.
Planctum super episcopis,	Lib.1.Complange tui Anglia,melos suspendens.
In Papam & curiam,	Lib.1.Roma mundi caput est,sed nil capit.
Carmen ebriosorum,	Lib.1.Tertio capitulo,memoro tabernam.
Ad impios prælatos,	Lib.1.Dilatatur impij regnum Pharaonis.
Sermonem ad eosdem,	Lib.1.Tempus acceptabile,tempus est salutis.
Anathema pro pileo,	Lib.1.Raptor mei pilei,morte moriatur.
Dictamen lectionis loco,	Lib.1.Tanto uiro locuturi,studeamus esse puri.
De malis Romanæ curiæ,	Lib.1.Vtor contra uitia,carmine rebelli.
De palpone & assentatore,	Lib.1.Multi mortalium,in mundi stadio.
De malis monachorum,	Lib.1.Noctis crepusculo,brumali tempore.
Ad utrumq; statum,	Lib.1.Suscitauit dominus,simplicem & brutum.
De Thetide & Lyeo,	Lib.1.Cum tenerent medium omnia tumultum.
Disceptationem nubendi,	Lib.1.Sit Deo gloria,laus,benedictio.
De mundi contemptu,	Lib.1. Cur mundus militat sub uana gloria.
De punitione peccati,	Lib.1.Omnis caro peccauerat,& suam uiam.
Super conuocatione cleri,	Lib.1.Nonus rumor Angliæ,partes peragunt.
De mundi miseria,	Lib.1.Ecce mundus moritur,uitijs sepultus.
De fide Trinitatis,	Lib.1.Multis à confratribus pridie rogatus.
De Maria uirgine,	Lib.1.Pone scribentium tot esse millia.
Cambriæ epitomen,	Lib.1.Libri cursus nunc Cambriam,&c.
Topographiæ compendium,	Lib.1.Lectio certa prodest,uaria delectat.
Commendationes Giraldi,	Lib.1.
In Cistertienses monachos,	Lib.1.

Atq; alia multa. Huic Giraldus dedicauit libros suos, de operum suorũ procœmijs, ac de symbolis electorum. Claruit Mapus anno nati Seruatoris nostri 1210, sub Anglorum rege Ioanne, suo mecœnate ac Domino.

APPENDIX.

Giraldus, de utroq;, & Mapo & Bomolocho hæc scribit in Speculo ecclesiæ. Primum de Mapo, lib.3.cap.1.& 14. Gualterus cognomento Mapus, uir celebri fama conspicuus, & tam literarum copia, quàm curialium uerborum facetijs præclarus, Oxoniensis archidiaconus, facetias plures in Cistertienses monachos euomebat, quòd illos ob eorum ambitionem & auaritiam odio habuisset: Iudæis (inquit) & albis monachis, nulla fidelitas seruanda, cum nec ipsi seruẽt, &c. De Bomolocho uel scurra, ut quem putabat rhythmorũ authorem, Lib. 4. cap.16. eiusdem operis scribit: Parasitus quidam, Golias nomine, nostris diebus gulositate pariter & dicacitate famosißimus: qui Gulias melius, quia gulæ & crapulæ per omnia deditus, dici potuit: literatus tamen affatim, sed nec bene morigeratus, nec disciplinis informatus, in Papam et curiam Romanam carmina famosa plures & plurima, tam metrica quàm rhythmica, nõ minus impudenter quàm imprudenter euomuit, etc. De quibus, his aliquot addidi:

Roma mundi caput est, sed nil capit mundum:
Quod pendet à capite, totum est immundum.
Trahit enim uitium, primum & secundum:
Et de fundo redolet, quod est iuxta fundum.
Roma capit singulos, & res singulorum:
Romanorum curia non est nisi forum.
Ibi sunt uenalia iura senatorum:

Et sol-

Et soluit contraria, copia nummorum.
In hoc consistorio, si quis causam regat
Suam uel alterius, hic in primis legat:
Nisi det pecuniam, Roma totum negat,
Qui plus dat pecuniæ, melius allegat.
Romani capitulum habent in decretis,
Vt petentes audiant manibus repletis.
Dabis aut non dabitur, petunt quando petis.
Qua mensura seminas, eadem tu metis.
Munus & petitio currunt passu pari,
Opereris munere, si uis operari.
Tullium nec timeas, si uelit causari:
Munus eloquentia gaudet singulari.
Nummis in hac curia non est qui non uacet,
Crux placet, rotunditas placet, totum placet.
Et cum ita placeat, & Romanis placet,
Vbi nummus loquitur, & lex omnis tacet.
Cum ad Papam ueneris, habe pro constanti:
Non est bonus pauperi, soli fauet danti.
Et si munus præstitum non sit aliquanti,
Respondet hic tibi sic, non est mihi tanti.
Papa quærit, chartula quærit, bulla quærit,
Porta quærit, Cardinal quærit, cursor quærit.
Sed si dares ouibus, at uni deerit:
Totum mare salsum est, tota causa perit. Et cæt.

RADVLPHVS DE DICETO. LXII.

Radulphus de Diceto, Londinensis ecclesiæ ad fanũ D. Pauli decanus, & famæ non moriturę doctor theologus, ab ipsis pueritiæ suæ annis animum erga literas mirè propensum habuit. Cumq; fuisset in Anglia bonis artibus ac moribus utcunq; institutus, exteras regiones, ut moris tunc erat, pro linguis & noticijs adhuc maioribus petijt: ac non multo sudore easdem illic fœliciter obtinuit, perscrutatis tam Gentilium quàm Christianorũ dogmatibus. Testis erat in eius reuersione Londinensis ciuitas, urbium regni caput, quantum postea ingenio & sermone ualuerit. Apud illos enim cathedralis ecclesiæ, ut præfatum est, decanus effectus, frequentes solebat edere conciones, quibus solidæ eruditionis sibi peperit nomen. Velut alter Iosephus, aut Philo, suę gentis uetera monumenta atq; inclyta facta perpetuare studens, multa retroactis seculis incognita produxit in lucem. Inter nõ infimos rerum Anglicarum scriptores hunc ponunt, Ioannes Baconthorpius, in prologo quarti sentẽtiarum, quæst. 12. Ranulphus Higdenus, lib. 7. cap. 39. & Bostonus Buriensis in magno Catalogo. Vnde composuit memorabilis scriptor, & Ioanni Belmeys archiepiscopo Lugdunensi & Anglo dedicauit,

De temporibus mundi,	Lib. 1. In opusculo sequenti trium temporum.
Chronicorum opus,	Lib. 1. Annos ab initio mundi seriatim.
Imagines historiarum,	Lib. 1. Insula Brytanniæ, cui quondam Albion.
Continuationes Roberti de monte,	Lib. 1. Henricus Galfridi Plantagenet com.
Abbreuiationes Chronicorum,	Lib. 1. Chronica sunt imagines historiarum.
De præclaris scriptoribus,	Lib. 1. Trogus Pompeius à tempore Nini.

De aduen-

De aduentu Saxonum,	*Lib.1.Tempore Vortigerni regis Britan.*
Gesta Normannorum,	*Lib.1.Rollo Danus Popam filiam Berenga.*
Origines Hybernorum & Scotorum,	*Lib.1.Hybernia post Britanniam omnium.*
De Synodis ecclesiæ,	*Lib.1.Synodorum alia uniuersalis,alia.*
Super Ecclesiasticum,	*Lib.1.Docebo uos per manum Dei nostri.*
In Sapientiam,	*Lib.1.Ecce descripsi eam tripliciter.*
Epistolas ad diuersos,	*Lib.1.Gualtero Dei gratia Rothomagensi.*
Sermones quoq;,	*Lib.1.*
De regibus Anglorum,	*Lib.1.*
De mirabilibus Angliæ,	*Lib.1.*

Et adhuc alia edidit. Claruit anno Seruatoris nostri 1210, quo Chronica finiebat, sub Ioanne Anglorũ rege. Huius opera perquiri fecit in multis Bibliothecis, Edvuardus primus Anglorum rex, dum sui ius imperij in Scotos probaret.

GILBERTVS LEGLEVS. LXIII.

GIlbertus Legleus, corporalium curationum magister peritissimus, qui pro ea facultate multas terrarũ quæsiuerat academias, medicus olim fuit Huberti Cantuariensis archiepiscopi. Erat certè philosophus atq; mathematicus ætate sua non uulgaris. Excusserat ille, ut Lelandus habet, admirabili diligentia, omnes philosophorum iuxtà ac medicorum forulos, magnamq; & diuitem inde supellectilẽ domi forisq; corraserat. Quam ne inutiliter aut obscurè sibi uni ingratus retineret, rem herbariam uel plebi notam reddidit, ægrotos percurauit, sanis de tuẽda ualetudine cõsilia instillauit planè optima. Narrat de ipso Symphorianus Cãperius in tractatu 5. de Medicę artis scriptoribus, quòd fuerit in curandis humanis corporibus approbatissimæ experientiæ, in agendorum consilijs prudens, ac dubiorum clarissimus interpres. Scripsit Gilbertus in gratiam posteritatis,

De uiribus aquarum & specierum,	*Lib.1.Absyntium calidum est & siccum.*
Compendium Medicinæ,	*Lib.7.A morbis uniuersalibus propo.*
De proportionibus fistularum,	*Lib.1.De his instrumentis quæ flatus.*
De iudicio patientis,	*Lib.1.De corpore quidem humano Saturnus.*
Practicam Medicinæ,	*Lib.1.*
De re herbaria,	*Lib.1.*
De tuenda ualetudine,	*Lib.1.*
De particularibus morbis,	*Lib.1.*
Thesaurum pauperum,	*Lib.1.*
In Prognostica Hippocratis,	*Lib.1.*
In Aphorismos eiusdem,	*Lib.1.*
In uersus Aegidij,	*Lib.1.*

Atq; *alia*: sed hæc sola ad oculos peruenerunt. Claruit anno à Christo nato 1210, sub Anglorum rege Ioanne. Doctorem desideratissimum istum uocat prædictus Camperius, in nomenclatura eorum quos in scholis Medici allegare solent.

APPENDIX.

Matthæus Parisius Lib.7. Anno Domini 1203. *Quidam philosophi Græci, uultu ac gestu uenerabiles, ab Athenis in Angliam, ad regem Ioannem uenientes, dicebãt Latinos à ueritatis tramite, in fidei Christianæ articulis, hactenus longè errauisse. Et se illuc ob id uenisse, ut ad ueritatis agnitionem insuperabilibus argumentis eos reuocarẽt, ut demum saluarẽtur. Quod cum regi nunciatũ fuisset, respondit: Christi & sanctorum authoritate fides, quam suscepimus, roboratur. Nolo ut hominum disceptationi-*

ſceptationibus diſcuſſa, ullatenus uacillet. Nec ut certa pro incertis cōmutemus. Poſſent enim multos in fide ſtabiles, ſuis ambagibus ac rei nouitate, qua gaudent moderni, à ſtatu certitudinis deijcere. Recedant ergo, nec amplius audiantur, &c. Nihilq; ab illis propoſitum fuit, timentibus fortaſſe ſuo uentri Papicolis.

MAVRITIVS MORGANIVS. LXIIII.

MAuritius Morganius, Brytānici generis alumnus, & in auſtrali Cambrorum patria apud Demetas oriundus, non leuem ſibi ex eruditis artibus exiſtimationem peperit. Liberalium facultatum Oxonienſis magiſter, ac ludi literarij in patria ſua nō infimi nominis pædagogus, totius prouinciæ adoleſcentiam probè inſtituit. Erat autem Clementis, Nidenſis cœnobij abbatis, uiri non illiterati frater. Ioannes Lelandus fatetur, ſe Giraldi Cambrenſis iudicio libenter ſubſcribere, qui in libro de Inſtitutione principis, hunc non ſine magna ratione, uel literatiſsimum appellet. Comi ac perbenigno ingenio præditus fuit, ac nullum ferè reliquit tempus, ſtudiorum cura uacuū, quod non operoſe excoluerit bonis, ut tunc erant, diſciplinis. Pro ſua ætate ſingularis habebatur poeta, rhetorq; non contemnendus. Agreſtia nihilominus & incondita eruditorum iudicio fuerunt eius poemata, euaneſcentibus tunc literis politioribus. Edidit Mauritius ſub uario metrorum genere,

Epigrammata quædam, *Lib.1.*
Carmina & epiſtolas, *Lib.1.*

Et alia. Plures ſunt hiſtorici, qui hunc ſcribant, cum mortuo quodam milite colloquium habuiſſe nocturnum, ac cum eo uerſus edidiſſe, ſuper Anglici regni tunc ruina. Sed quid mentiēdo non fingit ob uentrem hypocriſis? Claruit anno Domini 1210, ſub rege Ioanne.

GVALTERVS MORGANIVS. LXV.

GVAlterus Morganius, Cambrici generis etiam Brytannus, qui apud Demetas, Auſtralis Cambriæ gentes, Morganenſis abbas cœnobij, cognitione naturalium rerum præter communem enituit ſortem. Muſis quoq; elegantioribus, ut Lelandus habet, impendio fauebat. unde ut naturæ ſuum decus, per elegantiam eo ſeculo familiarē reſtitueret, plura de auibus & animalibus carmine cōſcripſit. A' Cambris enim ad Anglos, ſtudiorum olim gratia perueniſſe illum, ex eis ipſis quæ edidit, ſcriptores non malè colligunt. Sub præceptoribus nempe bonis, in adoleſcētia philoſophus, ſcientias naturales didicit, ac memoriæ tanquam res aliquando profuturas commendauit, ne tantis ab altoribus degener alumnus haberetur. Annotauit in authoribus multa, ſuper illis quæ lucem deſiderabant, præſtantiorum ſemper iudicia ſecutus. Et carmine tandem compoſuit,

De animalibus, *Lib.1.*
De auibus quoq;, *Lib.1.*
Carmina diuerſa, *Lib.1.*

Et alia tam proſa quàm uerſu. Ioannes Frumentarius, abbas fani Albani, in libro de Viris illuſtribus, huius mentionem planè honorificam facit. Sed tempus eius non addit. Mauritio igitur adiunxi, ob identitatem cognominis.

APPENDIX.

Vide quæ his annis fiebant, ex diuerſis Chronicis. Ioannes Anglorum rex, Iudæos ac monachos puniebat. Scotos, Vuallos, & Hybernos rebelles ſuperabat. Mille ac uiginti Gallorum naues cæpit & combuſſit. Sacerdotum concubinas (non uxores) mulctabat. Prætoriam dignitatem urbi Londinenſi conceſſit. A' Papa Innocentio cum Othone Imperatore excommunicabatur, adminiſtratio-

 ne re-

ne regia abdicabatur, Gallorum bellis fatigabatur, Papistarũ odijs & cleri proditionibus confundebatur, ac tandẽ corona & sceptro priuabatur, sceleratißimoq; Antichristo sese subijcere cogebatur. Blondus lib.6. Decad.2. & Polydorus lib.15. Ioannes Anglorũ rex, qui prouentus ecclesiæ sex occupauerat annos, ab Innocentio excommunicatur: qui ad pontificis misericordiam confugiens, Angliam, Hiberniamq;, præter Petri nummum, Rom. ecclesiæ feudatarias ex fœdere constituit. Mille auri marcas pro utraq; insula quotannis soluere est pollicitus. Sic adorauit Bestiam, Apoc.13. Paulus Aemilius lib.6: Albianorum hæresis, quæ in comitatu Tholosano, Hispaniæ regione inualuit: ea fuit, quòd corpus Christi in pane, ita ut in alijs rebus esse censuerunt. Londinense chronicon: Albigenses in Anglia, clerum conuicijs insectabantur, quorum unus fuit Londini exustus anno Domini 1210. et crux contra illos statim prædicabatur. Inter commenticias eius temporis prophetias in regem Ioannem, unam dicebant à quodam spiritu proficisci, quæ incipit: Extincto Herode regnans, &c. Anno Domini 1214, Albertus patriarcha Hierosolymitanus, apud Achonem Phœniciæ urbem à Saracenis occidebatur.

IOANNES DE FORDA. LXVI.

IOannes de Forda, aliàs Fordeham, in prouincia Deuoniorũ, abbas Fordensis cœnobij, Cistercienſis ordinis, suo seculo theologus insignis habitus, Balduuini Cantuariorum archiepiscopi uestigijs studiosus inhærebat. Adolescẽs olim ad publicas scholas missus, ita Christianæ religionis mysteria unà cum doctis artibus imbibebat, ut multi de eius indole spem multo maximam conciperent. Vtq; erat ipse in rebus omnibus optime institutus, quæ uel ad religionem uel ad literas pertinerẽt: sic præter cætera cupiebat, cõmissum sibi gregem, sui quàm maximè similem facere. Foris uiderat literarum in publicis scholis exercitia, quę ingenuorum adolescentum animos ad res clarissimas anhelantes, pulcherrimè exacuebant. Ideoq; secum egit domi, ut & sui omnes simili fruerentur fœlicitate. Erat tandem illustrissimo Ioanni Anglorum regi, ob doctrinam & uitæ modestiam, ab auriculari, ut uocant, confessione. Iste inter cætera scripsit, post Bernardum, in Cantica canticorum, ab eo loco, Dilectus meus candidus,

Homelias centum & uiginti,	*Lib.1. Si quis me temeritatis & insolentiæ.*
Super threnos Hieremiæ,	*Lib.1. Quomodo sedet sola ciuitas plena.*
Introductorium eorundem,	*Lib.1. Benedictionem hæreditate poßideas.*
De triplici cruce,	*Lib.1. Vetus homo noster simul crucifix.*
Vitam Vuolfrici presbyteri,	*Lib.1. Reuerendo patri et domino Bartholom.*
Sermones duodecim,	*Lib.1.*
De contemptoribus mundi,	*Lib.1.*
Expositionem in Heremiam,	*Lib.1.*
Acta quædam regis Ioannis,	*Lib.1.*

Et alia nonnulla. Literaturã (inquit Lelandus) testantur libri multi, summa certè diligentia ab eo scripti: quorũ non pauci suorum negligentia desiderantur, aliquot uerò extant. Claruit anno Salutis humanæ 1210, sub rege Ioanne, in cœnobio tandem sine pompa sepultus.

GVILHELMVS LEYCESTRE. LXVII.

GVilhelmus Leycestrius, à montibus alij cognominãt, theologicæ cognitionis professor, inter canonicos supremæ Lindorum, seu Lincolniensis urbis celeberrimus uixit, & cancellarij in eadem ecclesia dignitate functus est, ut habet Ioannes Lelandus. Erat (inquit) seculum, in quod incidit, spinosis sophistarũ argutijs (imò fœdissimis idololatrarũ sordibus: dixisse potuisset) miserrimè obnoxiũ. Ille tamẽ pensata eius tẽporis malicia, honestè ac doctè scripsit, et ut tũc decebat suę functionis hominẽ. Talis ac

cantus

tantus uir Guilhelmus fuit, ut adhuc sit à suo sacerdotū collegio, & ab alijs multis, ob eruditionē ac pietatem celebratus. Liquet illum Oxonij studuisse aliquando, notumq; fuisse ob eximias uirtutes, omnibus regni magnatibus. Multa etiam de hoc literato uiro tradunt, in Anglicorum scriptorū catalogis, septem custodiarum doctores, ac tandem Bostonus ille Buriensis, eorū collector per omnes Angliæ bibliothecas diligentissimus: ac scripsisse ferunt,

Homelias 287. per annum,	Lib. 1. *Domini est assumptio nostra & sancti.*
Speculum pœnitentiæ,	Lib. 1. *De peccatorum agnitione tractatum.*
Speculum pœnitentis,	Lib. 1. *Dicit Esaias: Parate uiam Domini.*
De sacramentis ecclesiæ,	Lib. 1. *Cum in dispensatione sacramentorum.*
Flores sapientiæ,	Lib. 1. *Ad ædificationem animarum & morum.*
Summam breuem,	Lib. 1. *Presbyteri duplici honore digni.*
Numerale quoddam,	Lib. 1. *Introducendus in facultatem theol.*
Summam Numerorum,	Lib. 12. *Deus unus est, & hoc natura.*
Distinctiones theologiæ,	Lib. 1. *Arcus dicitur Christus & propi.*
Similitudinarium,	Lib. 1. *Ad declarandum in sermone quocunq;.*
De tropis scripturarum,	Lib. 1. *Dei dona dispensamus pulsantibus.*
De aduentu Domini,	Lib. 1. *Benedictus qui uenit in nomine.*
Expositiones Euangeliorum,	Lib. 1. *Cum appropinquasset Iesus Hierosol.*
Carmen alphabeticum glossatum,	Lib. 1. *Quis ueniat uideas, quo, quando.*
Expositiones epistolarum,	Lib. 1.
Super agnitione peccati,	Lib. 1.
De bonitate mulierum,	Lib. 1.
Ad quasdam moniales,	Lib. 1.
Concordantias Bibliorum,	Lib. 1.

Atq; alia plura. Claruit anno à communis salutis origine per Christum 1210, sub sæpe dicto Anglorū rege Ioanne: quo pons Londinensis ædificari cœpit. Et post edita uolumina multa, in suo collegio tandem sepultus fuit.

APPENDIX.

Bernardus Lutzenburgus: Sancto Dominico crucem prædicãte, cum 12 abbatibus Cisterciẽsis ordinis, contra Albigenses hæreticos: centum millia eorum occiderunt Catholici, seu proprio nomine Papistæ. Ex quibus centum & octoginta, contra Rom. ecclesiam obstinati, comburi potius quàm hæresim abiurare elegerunt. Quod & factum est. Beatus uerò Dominicus, decem annis permansit in illis partibus, in prædicationis officio, & hæresis (Christianismi potius) extirpatione, alijs ad propria redeuntibus. Christianus Massæus lib. 17. Chronicorum: Anno Domini 1210, in Narbonensi diœcesi 140 hæretici (Christiani) comburi maluerunt, quàm sequi fidem (hypocrisim) ecclesiæ Romanæ. Parisijs quoq; 24, eiusdẽ obstinationis. Septẽ millia quoq;, Biturigib. sunt occisi. Anno Domini 1211, in castro Vari Tolosanæ diœcesis 400 hæreticos flammis tradiderunt, 80 decollauerunt, principem Almericum suspenderunt, & dominam castri lapidibus obruerunt. Anno Domini 1213, Petrum Aragonum regem cum 20 millibus, sumpta Eucharistia, strauerunt. Hæc Massæus. Antoninus: Volebant ab ecclesia auferre temporalia. Thomas Cantipratensis lib. 2. cap. 39. de apibus: Miracula fiunt circa Eucharistiam, anno Domini 1213. A' procumbentibus deinceps honorabatur & adorabatur, parabanturq; ei ædiculæ. Iacobus de Vitriato, cap. 54. Constitutū fuit, ut campanella portaretur ante corpus Dominicum. Extunc cœpit de Eucharistia fieri articulus fidei: & creatura pistoris, Dei creatoris loco coli.

IOCELINVS BRKELONDE. LXVIII.

IOcelinus Brakelonde, Benedictinæ sodalitatis monachus, & magnifici apud Sudouolcas monasterij Buriensis alumnus, per disciplinas à doctis

acceptas, in literati uiri notationem accreuit. Originem uerò sui generis ab honesta Sudouolgicæ gentis familia traxit. Literis tam sacris quàm profanis Cantabrigiæ operam dedit, eo (ut fertur) tempore, quo Cantuariorũ metropoli Hubertus præfuit, & Ioannes Oxfordius Nordouicensi sedi, cui & ipse notus fuit. Pauca de illo referuntur, nisi quòd res gestas sui cœnobij libro accuratè scripto perstrinxerit. Hoc quoque aliquantulum accessit eius laudi, quòd nullo impellente, sed sponte sua, tantum suo sodalitio monumentum præstiterit. Composuit enim Iocelinus

Chronicon sui cœnobij, Lib. 1. *Quod uidi & audiui, scribere.*
Super electione Hugonis, Lib. 1. *Anno ab incarnatione Domini 1211.*
Vitam Roberti Martyris, Lib. 1.

Atq; alia nonnulla. Claruit anno à Seruatoris natiuitate 1214, sub Anglorum rege Ioanne. Quo idem rex ab excommunicatione, & regnum ab interdicto soluebant, postquam iuramẽto firmasset, se staturũ Pontificis arbitrio.

ROGERVS CROLANDIENSIS. LXIX.

ROgerus, Crolandiensis monachus, ac postea præses Frisconiensis cœnobij, in Lincolniensi æstuario siti, ab eximia, ut Lelandus colligit, doctrinæ cognitione, famam sibi clarissimam peperit. Vixit primùm Crolandiæ, ubi apud monachos educatus, inter literas illi ætati communes, Antichristianorum dogmatum superstitiones & fabulas plenissimo ore hausit: tandemq; artifex uisus, qui Benedicti instituto prodesset, & iniquitatis regno, pro sua portiõe suppetias ferret, eam apud ipsos iniuit gratiã, ut Frisconiæ Priori mortuo succederet, maiora expectaturus. Atq; ut suæ promptitudinis in hac parte specimen daret, ardenti erga Becketum Cantuariensem adfectus amore, eius uitam post 6 literarios testes, pingendã septimus accepit: qui superstitione ductus, mortuũ ipsum usqueadeò magnificit, ut summa diligentia ingens uolumen in 7 partes diuisum, & scriberet & publicum faceret. Opusq; illud Henrico Crolandiensi abbati dedicauit, addito titulo,

Vita Thomæ Cantuariensis, Lib. 7. *Amantißimo domino suo Henrico.*

Aliaq; eius farinæ edidit multa. Incœptum erat uanissimũ hoc opus, ultimo anno imperij Ricardi regis, auctum uerò & editum 14 anno regni regis Ioannis: sub quo claruit, anno ab incarnato Dei uerbo 1214, uaria componens.

APPENDIX.

Ex Thomæ Scropi Catalogo: Anno Domini 1212, quidam Eremi cultores, ex Carmelo Syriæ uenientes, Angliam intrabãt, solitaria quærentes loca. Sed rebus illic sub Pontificis interdicto tumultuantibus, nihil fecerunt. Ex eo tempore Simon Cantius ab illis informatus, & ex caua quercu, à quo Stockij cœpit cognomen, egressus, uitæ infœliciter actæ pœnitentiã hominibus prædicabat. Anno Domini 1214, postquam Ioannes Anglorum rex, Rom. pontificis tyrannidi se submisisset, deuotus ecclesiæ filius, princeps modestus, & rex benignißimus, ab eo pronunciabatur, quamuis parum antea nigro coruo fuisset atrior. Mandatum etiam ad Francorum regem Philippum misit, ut ab eius molestatione deinceps cessaret, illumq; ut ecclesiæ fœdarium defenderet atq; diligeret, cum expendisset plusquam 60 librarum millia in crucis aduersus illum negotio: prælatis etiam conquiescere, sub anathematis pœna iussis. Quod indignißimè tulit idem Francorum rex, ut habet Matthæus Parisius.

HVGO CANDIDVS. LXX.

HVgo Candidus, aliàs Vuhyte, iuuenis adhuc, Petroburgi, in Benedictinæ professionis uerba iurauit. Quanquam huius apud scriptores rarum sit nomen, nõ tamen ita abolitũ est, ut eius memoria prorsus interierit. Bonis certè ac prudentib. grata semper debebat esse eorũ diligentia, qui

quoad poterant, ſtudia conferebant ad hiſtoriæ conſeruationem, licet recta diſſonis ac uera friuolis interdum admiſcuerint. Ex eorum numero præſens author habetur unus, in eo exercitio percelebris artifex, hiſtoricus nempe eximius. Nullum prorſus diligentiæ reliquit hic locum, ut non aliquando conſequeretur rerum memorabilium & antiquitatis exquiſitam cognitionem. Hinc elaborata, Lelando teſte, quadam induſtria, originem ſui cœnobij, ſucceſſus fœliciſsimos, ac tandem diuerſam per Danos uiciſsitudinem, accurata perſcripſit uigilantia. In quo opere multa de primitiua Merciorum eccleſia tradit, à Beda, uiro alioqui tum docto, tum diligenti, prorſus intacta. Inter occupationes ergo monaſteriales Hugo collegit,

Hiſtoriam Petroburgenſem, Lib. 1.

An'ne alia extent eius ſcripta, planè ignoro. Luculentũ rerum geſtarum ſcriptorem Lelandus ipſum appellat: perduxiſſeq́ ſuam hiſtoriam uſque ad imperium Henrici tertij, illũ teſtatur. Claruit anno nati Seruatoris 1216, ſub rege Ioanne.

IOANNES DE S. OMERO. LXXI.

Ioannes de S. Omero, ex Nordouolgiæ comitatu oriundus, multarumq́ literarum peritus, ob rhythmos quos edidit Latinos, inter eruditos ſcriptores tandem collocandus accedit. Erat ætate ſua monachus quidam Petroburgenſis, qui in Nordouolgianos, ſuos comprouinciales & conterraneos ſtomachatus, rhythmos quoſdam famoſos edidit. In quibus patriæ illius atq; inhabitantium quorundã hominum agreſtes mores, ironicè ac facetè deſcripſit, quiq́ ſic incipiunt: Edictum exijt, Auguſto Cæſare. Qui mittens nuncios, iuſsit deſcribere Mundi prouincias, ſummo cum opere, &c. Ferunt utrunq;, & hunc & monachum Cantabriæ ſtuduiſſe, ac literarum quicquid habebãt, illic didiciſſe. Fuitq́, ut apparet, frequens inter illos tunc conſuetudo. Ioannes uerò inſpectis metris, in ſuæ gentis contumeliã factis, iniuria commotus, animo patriam uindicandi ſtatim afficiebatur. Et ne deeſſet qui tam petulãti monacho reſponderet, onus ipſe libens ſuſcepit, redditq́ illi pro numeris numeros, & pro rhythmis in eodem genere rhythmos. Et opuſculum intitulabat,

Norfolcianæ deſcriptionis impugnationem, Lib. 1. *Edictum fingitur factum à Cæſare.*

Alia quoq; ſcripſit, ſed non comparent. Claruiſſe illum puto his tẽporibus, ſub Anglorum rege Ioanne. In cuius regni penultimo anno, direptum fuit Petroburgenſe cœnobium, cum circumiacenti pago, per milites eiuſdem regis.

APPENDIX.

Anno Domini 1215, *Synodus Lateranenſis, Hieroſolymæ recuperandæ gratia celebrabatur. Aemilius lib. 6. Sed fucum eſſe uide. Nam Innocentius 3. pontifex Rom. in ea ſynodo decretales ſuas edidit, de tranſubſtantiatione, ut ſit articulus fidei: de auriculari cõfeſsione, de Euchariſtia in templis ſeruanda, de abolendis miniſtrorum coniugijs, & ut Papa terrarum principes corrigere debeat, ac ſimilibus. Angliæ regnũ ad Pontificis manũ, ut ſub Antichriſti iugo ſit, clerus tunc perduxit. Aediculæ ſeu ciboria Euchariſtiæ parabãtur, & Innocẽtius ſcripſit de officio Miſſæ. Vnde Conradus Vrſpergenſis: Habes Roma (inquit) quod ſitiſti. Decanta canticum: quia per malitiam hominũ, nõ per piam religionem, orbem uiciſti, &c. Mendicantium ordines, inquietorum garrulorumq́; monachorũ turba, Pontificias doctrinas diffundere cœpit. In Lombardia & Toloſa (inquit Antoninus) hæretici erant, qui moliebantur auferre ab eccleſia omnem temporalitatem. Hos expugnabat B. Dominicus. Magiſtratus ſacri palatij à Dominico Romæ inchoabatur. Leander Bononiẽſis: Valẽcenis Beghinæ incœperũt. Maſſæus. Vualdenſes dicebant, Mendicantium religiones fuiſſe malorum dæmonum inuentionem: Aeneas Syluius, cap. 35. de origine Bohemorum. Vrſpergenſis exclamat, clau-*

strales fictam inchoasse religionem: Mendicantium sectas intelligit. Post synodum Lateranensem, anno Domini 1216, nobilis quidam Anglus, hos rhythmos in sacerdotalis coniugij fauorem cōposuit: quos ad me ex Oxonio misit Ioannes Pullanus, uir certè integerrimus.

Prisciani regula penitus cassatur,
Sacerdos per hic & hæc olim declinatur.
Sed per hic solummodo nunc articulatur,
Cum per nostrum præsulem hæc amoueatur.
Ita quidam presbyter cœpit allegare:
Peccat criminaliter, qui uult separare,
Quod Deus coniunxerat, fœminam amare.
Tales dignum duximus, fures appellare.
O quàm dolor anxius, quàm tormentum graue,
Nobis est dimittere, quoniam suaue.
O Romane pontifex, statuisti prauè,
Ne in tanto crimine moriaris, caue.
Non est Innocentius, immò nocens uerè, — Coniugatus.
Qui quod facto docuit, uerbo uult delere:
Et quod olim iuuenis uoluit habere,
Modò uetus Pontifex studet prohibere,
Gignere nos præcipit uetus testamentum:
Nouum quod non retinet, nusquam est inuentum.
Præsul qui contrarium donat documentum,
Nullum necessarium his dat argumentum.
Dedit enim Dominus maledictionem,
Viro qui non fecerit generationem.
Ergo tibi consulo per hanc rationem,
Gignere, ut habeas benedictionem.
Non'ne de militibus milites procedunt?
Et reges à regibus, qui sibi succedunt?
Per locum à simili, omnes iura lædunt,
Clericos qui gignere, crimen esse credunt.
Nobis adhuc præcipit uetus testamentum,
Quod nostræ iam legis est uerax fundamentum,
Vt mares & fœminæ sciant instrumentum,
Tale, per quod habeant prolis incrementum.
Zacharias habuit prolem & uxorem,
Per uirum quem genuit adeptus honorem.
Baptizauit etenim nostrum Saluatorem:
Pereat qui teneat nouum hunc errorem. — Nouus error, anno Domini 1216.
Paulus cœlos rapitur ad superiores,
Vbi multas didicit res secretiores.
Ad nos tandem rediens, instruensq; mores,
Suas (inquit) habeant quilibet uxores.
Propter hæc & alia dogmata doctorum,
Reor esse melius, & magis decorum,
Quisq; suam habeat, & non proximorum,
Ne incurrat odium uel iram eorum.
Proximorum fœminas, filias & neptes,
Violare nefas est, quare nil deceptes.

Verè

Verè tuam habeas, & in hac delectes,
Diem ut sic ultimum tutius expectes.
Ecce iam pro clericis multum allegaui,
Necnon pro presbyteris plura comprobaui:
Pater noster nunc pro me, quoniam peccaui,
Dicat quisq; presbyter, cum sua suaui.

ADAMVS BARKINGENSIS. LXXII.

ADamus Barkingensis, inter Clarofontanos siue Shirburnenses Benedictinæ familiæ monachos, famam ab eruditione, quam, teste Lelando, mirificè excoluit, non tenuem tum demum comparauit. Occurrisset primò considerandum, de educatione & institutione hominis huius in re literaria, nisi prius Oxoniense gymnasium, doctorum uirorum nutrix assidua, nobis in ea quodammodo parte satisfecisset. Eruditionis uerò argumentum euidens esse poterit, quòd plebem sacris addocuerit concionibus: & quòd uacillantem in multis fidem, eloquentia firmauerit, ac scripturæ diuinæ soliditate corroborauerit. Vnde & enata est ei tandem cura scribendi aliquid, quod doctę posteritatis aures illiceret, mulceret, detineret. Scripsit igitur opus, ut illa iudicauit ætas, non indoctum, quod & Ioanni canonico Sarisburiensi dedicauit, Commentarios scilicet

Super quatuor Euangelia,	Lib. 4.
De utraq; Christi natura,	Lib. 1.
De serie sex ætatum,	Lib. 1.
Rhythmos & carmina,	Lib. 1.
Sermones quoq; plures,	Lib. 1.

Et alia tam soluta oratione quàm uersu. Hic si incidisset in doctum seculum, magnus in utroque scribendi genere euasisset. Claruisse fertur, anno à nostri Messiæ aduentu in carnem 1216, sub Ioanne Anglorum rege.

IOANNES GRAYE. LXXIII.

IOannes Graye, Nordouicensis episcopus, uir eruditus & grauis, atq; inde Ioanni Anglorũ regi acceptus, in summa apud illum authoritate mansit, splendidis semper functionibus ornatus. Vnde Huberto Cantuariensi defuncto, rex est hortatus monachos per suas literas, ut hunc suũ domesticum, archiepiscopũ diceret. Quod, ut ipsi gratificari uiderētur, quidã eorũ simulatè admiserũt. Vtranq; tamen electionē, hoc est, tam istã quàm unam adhuc alteram, Pontifex Rom. Innocentius tertius irritam fecit, præferens illi sedi Stephanũ Langtonum, D. Chrysogoni cardinalem, suam creaturã. Iniquè rex tulit repulsam Ioannis, ac monachos numero 64 ob proditionē in exilium egit, publicatis eorũ bonis. Pontifici deinde literas misit, aculeorum & expostulationum plenas, in quibus se nunquam passurum promittebat, Stephanum ea gaudere sede. Quæ res multorum in Anglia malorũ, Antichristo sæuiente, seminariũ fuit. Admodum facetus erat Grayus, atq; in dicendo elegans, seueritate ueruntamen Catoni non insimilis. Fuitq; illi quandoq; negotium cum ea calumniatorum turba, qui Guilhelmo Paruo hærentes, Arthurum Brytannorũ regem nunquam extitisse contenderēt: propterea quòd ipsum Gildas & Bedas silentio præteriuissent. Quibus argutè & prudenter respondebat: Forsitan (inquit) repudiabant sanctuli homines principem ex adulterio natum. Huiusmodi salibus plerunque utebatur: scripsisseq; inter cætera fertur,

Historiarum opus, Lib. 1.

Epistolas ad diuersos, Lib.1.

Atq; nonnulla alia. Subactis, ex ultima regis Ioannis expeditione, rebellibus Hybernis, præfectus iste relictus ipsis erat, ut eos in fidelitatis officijs contineret. Obijt anno Christi 1216, eicq; Pandulphus succesit.

GVALTERVS COVENTRIENSIS. LXXIIII.

GVAlterus Couentriēsis, immortali uir dignus memoria, in eadem celebri Vuarvuicēsis comitatus urbe & natus et educatus, ab honestis illic ciuibus originem duxit. Operam bonis literis sedulam admodum Oxonij impendebat, ubi gratissimum fuit optimarum disciplinarum emporium. Illustria eius facta, accuratè, sed sparsim, à diligētissimo Lelando, chartis præcipuè historicis, commendata sunt. Eo etenim teste, historiam est magno aggressus animo, quam etiam inchoatam ab origine Brytannorum ad sua tempora, annum uidelicet Domini 1226, maioribus animis deduxit. Secutus est autem hos potissimum authores Anglos, Galfridum Monemutēsem, Rogerum Houedenum, & Henrychum Huntyngtonium: ita tamē, ut multa addiderit non sine fide, quę nusquam apud illos leguntur. Vnum certè defuit homini, alioqui claro. Nam quanquam fide & lucido ordine nusquam, facundia tamen sæpiuscule destitutus erat. Quod non authoris, sed ætatis potius uitium fuit. Vnde composuit Gualterus,

Chronicon Brytannorum, Lib.1. *Brytannia insularum optima, inter.*
Anglosaxonum Chronicon, Lib.1. *Ethelstanus fuit primus rex de.*
Annales Anglorum, Lib.1. *Romanorum nonagesimus tertius.*

Et alia quædam edidit, ut ex honestis atq; Christianis studijs, apud posteritatē semper eius uiueret nomen. Vixit uaria componens ac scribens, regnantibus Ioanne & Henrico tertio, illius filio, Anglorum regibus.

IOANNES PLANTAGENET. LXXV.

IOannes Plantagenet, Anglorum rex, Henrici secundi iunior filius, tricesimo secundo ætatis anno, post mortuos fratres, ad regni fastigium sublimatus fuit. Hic princeps fortis, hilaris, amœnus, liberalis ac prouidus, pietate Christiana à puero ritè institutus, bonis artibus eruditus, & candidis moribus coruscans, ab eius temporis scriptoribus prædicabatur. Post insignem quocq; in agro Andegauensi à Gallis uictoriam, mox uociferabantur Anglorum gentes, hoc in illo adimpleri debere ueteris Merlini uaticinium: Capite leonis coronabitur, linguas taurorum abscindet, & colla rugientium onerabit cathenis. Sed cum in quosdam clericos secundum ius patriæ animaduertisset, quòd mulierem quandam occidissent, regiam monetā adulterassent, atq; alia perpetrassent flagitia multis mortibus digna: petijssetq; rex semel, ecclesiasticorū prouentuum decimas, pro recuperandis in Normannia terris, sibi dari: fortunis eius illuc usq; prosperis, ignauis uentribus timentes, inuidere cœperunt, atq; omnes illi subditas gentes, Anglos, Gallos, Scotos, Hibernos, & Cambros, ad defectionem ac rebellionem tacitis confessionibus concitare. Cum Romano pontifice etiam, Innocentio tertio, tandem agebant, ut execraretur, impeteretur armis, ac regia dignitate destitueretur. Vnde abreptis tum demum ab ipso tum principatibus transmarinis, Normannia, Aquitania, Cenomana, Turonia, Pictauia, & Andegauia, calamitosè coactus fuit, perpetuis eorū proditionibus, seipsum cum florentissimo Angliæ regno, execrabilis Antichristi tyrannidi submittere. Admirarer sanè excandescentem, imò rabiosè furentem Polydori Vrbinatis animum, qui in hunc Christianū principem pro clero Papistico plus insaniebat

ſaniebat, quàm quiſquam alius ſcriptor in atrociſsimos tyrannos, Neronē, Maxentium, aut Iulianum: niſi ſcirem, fuiſſe Pontificis quæſtorem. Sed ad rabiem uſq; frendeant pectora Papiſtica: Dominus, qui illum pro detegendis Antichriſti ſuperbiſsimi inſanijs tum deiecerat, in poſteris magnificè ſublimauit: dum unum filiorum, Anglorum fecerit regem: alterum uerò, Imperatorem Romanorum. In chartas retulit Ioannes, inter anxietates crebras,

Leges reipublicæ Anglicanæ,	Lib.1.
Leges Hyberniensium,	Lib.1.
Chartam libertatum Angliæ.	Lib.1. *Sciatis nos intuitu Dei, &c.*
Statuta regalia,	Lib.1. *Præcipimus uobis, quod ſine.*
Ad barones, de ſua uictoria,	Epiſt.1. *Sciatis nos Dei gratia ſanos.*
Ad Ciſtercienſes monachos,	Epiſt.1. *Ioannes Dei gratia rex Angliæ.*
Ad monachos Burienſes,	Epiſt.10. *Mandamus uobis, quòd omni.*
Ad monachos D. Albani,	Epiſt.1. *Ioannes Dei gratia rex Angliæ.*
Ad epiſcopum Vuintonienſem,	Epiſt.1. *Ad petitionem magiſtri Roberti.*
Ad matrem Alienoram,	Epiſt.1.
Ad Cantuarienſes pro Grayo.	Epiſt.1.
Ad Innocentium contra Stephanum,	Epiſt.1.
Comminatorias ad eundem,	Epiſt.2.
De ſua ſubmiſsione,	Epiſt.1. *Ioannes Dei gratia rex Angliæ.*
Super charta obligatoria,	Epiſt.1. *Ego Ioannes Dei gratia rex.*
Conceſsionem inueſtiturarum,	Epiſt.1. *Quoniam inter nos & uenerabiles.*
Ad epiſcopos Angliæ,	Epiſt.1. *Salua dignitate regia, & niſi.*
Ad Ricardum Londinenſem,	Epiſt.1. *Sicut honorem Dei & eccleſiæ.*
Ad uicecomites Angliæ,	Epiſt.1. *Vobis ſine dilatione præcipimus.*
Ad Stephanum Cantuarienſem,	Epiſt.4. *Venerabili in Chriſto patri Ste.*
Ad Philippum Francorum regem,	Epiſt.1.
Ad Northumbriæ comitem,	Epiſt.1.
Ad clerum Vuigornienſem,	Epiſt.1.
Ad regni magnates,	Epiſt.plu.
Ad Guilhelmum Londinenſem,	Epiſt.1.
Ad Euſtachium Elygenſem,	Epiſt.1.
Ad Papam contra Barones,	Epiſt.2.
Ad Londinenſes pro prætore,	Epiſt.1.
Ad Gyppeſuicenſes,	Epiſt.1.
Ad Dunuuicenſes,	Epiſt.1.
Ad Nordouicenſes,	Epiſt.1.

Et alias adhuc plures. Londinenſis ciuitatis mutans formam, prætorē eis cum duobus tribunis ſeu uicecomitibus, primus cōſtituit. E medio tandem, ueneno (ut ferunt) in poculis dato, per Ciſtercienſem monachum ſublatus fuit, anno à Chriſti natiuitate 1217, ætatis ſuæ 49, & 14 calendas Nouembris, cum regnaſſet annis 17, menſibus 6, ac decem diebus.

APPENDIX.

Vitam regis Ioannis ſcripſerunt, Syluester Giraldus Cambrenſis, Ioannes de Forda, Radulphus Niger, & Gualterus Hunte. Ioannes rex (inquit Lelandus) ut erat animo excelſo & planè inuicto, Romani pontificis iniuriam nō ferebat. Parum ante eius mortem, hanc Merlini prophetiam, quidam de ſua plebe ei tribuerunt, ut habet Nicolaus Triuethus: Virginea munera uirginibus donabit: Promerebitur inde fauorem tonantis, & inter beatos collocabitur. Renaſcente demū Euangelio, à quo-

L dam

dam monacho coniugato (quem uidi, ac noui) translatum est eius cadauer, atq; in nouo sepulchro positum, anno Domini 1529, ultimo die Iunij.

RADVLPHVS NIGER. LXXVI.

Radulphus Niger, ex Sudouolgia oriundus, & , ut fertur, Buriēsis alumnus, tandiu in iusto stabit precio, quandiu eruditorum chorus Bostoni Buriensis & Radulphi Coggeshali monumēta, solicita uersabit manu. Operam bonis artibus, in Anglorū bibliothecis, conatu uigilantissimo dedit: creuitq; per omnes doctrinæ gradus, donec peruenisset ad altissimum theologiæ sacræ magisterium. Rhetor per illam ætatem insignis fuit, & historiographus plane illustris, & ideo in æstimatione magna tam apud nobiles quàm clerum. Qui tamen accusatus corā Henrico secundo Anglorū rege, & perduellionis notatus, atq; tandem in exiliū trusus, atrociora quàm subditū decuit, de tanto principe, mordaci etiam stylo scripsit, in expulsionis suæ uindictā: ut testis est in suo Auctario prædictus Coggeshalus. Præterea magnificos illius actus, quibus ubiq; nobilissimus habebatur, iniquo silentio præteribat. Sed ut ad scripta perueniam, uicturis chartis commendauit, à Christi incarnatione usq; ad annum Domini 1213, bono ordine, de uitis Imperatorum, & tam Franciæ quàm Angliæ regum,

Chronicon succinctum,	Lib. 1. *Etsi succensere sibi neminem conueniat.*
Chronicon à condito mundo,	Lib. 1. *In principio creauit Deus cœlum.*
Gesta regis Ioannis,	Lib. 1. Victoriosissimo Anglorum rege Ricardo.
Initia regis Henrici tertij,	Lib. 1. *Defuncto Ioanne Anglorum rege illust.*
De regibus à Guilhelmo,	Lib. 1.
Super Pentateuchum,	Lib. 7. *Microcosmus minor mundus est.*
Super historias regum,	Lib. 24. *In canonica scriptura Bibliæ.*
In Paralipomenon epitomen,	Lib. 2.
De tribus uijs Hierosolymæ,	Lib. 4. *Militia Christiani hominis est.*
Pantheologicon,	Lib. 1. *Radulphus archidiaconus Clocestriæ.*
Interpretationes Hebræorū nominum.	Lib. 1.
Remediarium in Esdram,	Lib. 1.
De re militari,	Lib. 1.
De quatuor festis Mariæ,	Lib. 1.

Atq; alia plura, ut in Bostoni Catalogo. Claruit anno à reparatæ Salutis initio per Christum 1217, sub Ioanne & Henrico tertio Anglorum regibus. Ad huius Chronicon, Radulphus Coggeshalus Cisterciensium abbas, 100 et 16 annorum appendices fecit.

GERVASIVS DE MELKELEYA. LXXVII.

Geruasius de Melkeleya, uir ex multiplici rerum cognitione, immortali memoria dignus, ab illis à quibus originem traxit, ad literas & uirtutes optimè educatus legitur. Illustria quædam eius facta, licet parcè, splendidè tamē ac bona fide, Matthæus Parisius, homo in historijs diligētissimus, in scripta retulit. Oxonij enim ad aliquot annos, bonis artibus insegnē operam studiosus iuuenis impendit: ubi sub præceptoribus eruditis adeò profecit, ut & ipse magister sit illic demum effectus. Vnde philosophiæ ac Mathematices ualidus assertor, multa tum lingua tū scriptis protulisse fertur. Rhetor fuit & poeta per illud seculum fœlix, qui & in illis scribendi generibus opuscula reliquit, potissimum de arte dictandi, quod uocabat,

De saltu lacteo,	Lib. 1. Ne *meas uidear magnificare fimbrias.*
Epigrammata quædam,	Lib. 1.

De

De uersibus edendis, Lib.1.

Epitaphia quorundam uirorum illustrium: quorum Londini unum uidi, pro quodam Guilhelmo Mariscallo, quod incipit: Sum, quem Saturnum sibi sensit Hybernia, solem. Claruit anno à Seruatore nato, 1217, sub regibus Ioanne & Henrico tertio.

APPENDIX.

Post prophetas in ecclesia Iudæorum, sacerdotio regnante, sectæ originem acceperunt. Ita etiam fit in ecclesia Christianorum. Nam post pios doctores, Antichristo regnante, sectæ monachorum in ea sunt exortæ. Hæ regem sibi constituerunt Abadonem, Apoc. 9. ut earum hypocrisim defenderet. Cuius furoris confirmandi robora, ac propagandæ tyrannidis arma, post Lateranense concilium fuerunt, turgida Dominicanorum doctrina, fucata Franciscanorum sanctitas, Carmelitanorum superstitiones, & Augustinianorũ imposturæ, quæ suis locis sequentur: Dominicani enim sub Christianæ prædicationis fuco, Franciscani sub uitæ Euangelicæ fraude, Carmelitæ sub uirginitatis fallacia, Augustiniani sub dolo cœlestis doctrinæ, imò sub Christianæ paupertatis uersutia, pro huius sui regis Abadonis regno promouendo, omnes simul Sathanam induerunt. Ex prædicatione crucis contra Albigenses, Dominicani surgebant, qui statim cõmentarios ediderat super decreta Papistica. Franciscani sophisticè disputandi rationem illis adiunxerunt, additis theologiæ summis, atq; in Sententias quæstionibus et glossis. Indeq; mox fiebant sacri Palatij magistri, hæreticæ prauitatis iudices, cardinales, metropolites, ac legati apostatici, apostolici dixissem. Interim Dominicus & Franciscus, pro pacti, at nunquam præstiti (ut exitus probabit) cœlibatus remedio, Sorores & Claritas instituerunt. Dominicus enim, teste Nicolao Triuetho, Romæ anno Domini 1217, domũ Sororum fundauit. Doctores Canonici iuris, mathematicos, atq; ingeniosos sophistas in ordinem suum admisit: quales fuerunt, Reginaldus, Raymundus & Iordanes. Ex Francisci militibus, perpende Alexandrũ Halesium, Guarronem, ac Scotum.

ALBRICIVS LONDINENSIS. LXXVIII.

ALbricius Londinensis (sunt qui Albericum potius dici putent) meritò inter eruditos collocandus accedit: sed eius, inquit Lelandus, tenuis admodum ad nostras peruenit aures cognitio. Interim tamen constat, ex ueteris codicis inscriptione, fuisse eum urbis Londinensis alumnum. Est Londinum amplissima ciuitas, urbium Anglici regni caput, in meridionali insulæ parte, ad Septentrionalem Tamesis ripam posita, ac Trenouantũ olim dicta. Chronographi hæc pauca de Albricio tradũt, quòd philosophus & historicus fuerit, omnisq; bonarum disciplinarũ generis peritus. Quòd prima in Anglorum academijs literarum rudimenta didicerit, & seueriora dogmata in alijs postmodum perquisiuerit regionibus. Ingenium fœlix, ut ex scriptis apparet, et ad scientias natum habebat. Vnde nobis hæc reliquit rarissimæ suæ doctrinæ pignora, scilicet,

De origine Deorum, Lib.1. Fuit uir in Aegypto ditissimus.
Virtutes antiquorum, Lib.1. Quoniam misericordia & ueritas.
Canones speculatiuos, Lib.1.

Atq; alia plura. In penultimo tractatu, antiquos philosophos ac prouinciarum principes per multifarias eorum depinxit uirtutes. Coniecturis Lelandus ducitur, hunc fuisse celebrem anno Christi 1217, sub Ioanne & Henrico filio regibus.

ROBERTVS CVRSON. LXXIX.

RObertus Curson, ex nobili quodam Anglorum ortus genere, disciplinis tum prophanis tum sacris studiosus incubuit idq; (quantũ ex coniecturis colligo) in celebratissima Oxonij academia. Præstãtissimis illic institutoribus usus, ex summa circa ingenuas artes industria, & assiduo literarum labore, famam sibi inter suos celeberrimam cõparauit. Ampliora deinde

inde meditatus, Parisiorum Lutetiam atque Romam ipsam petijt, illic theologus doctor, *hic* uerò Cardinalis effectus. Vnde uterque, Matthæus Parisius ac Vuestmonasterius, hoc de ipso testimoniū adferūt, hic lib. 2, ille 8 suorum Chronicorum: Anno Domini 1218 (inquiunt) in captione Damiatæ Aegypti urbis, sub Ioanne Brenno Hierosolymorū rege, *fuit cum* Pelagio Albanensi, *magister* Robertus de Curson, Anglus, clericus celeberrimus, genere nobilis, ac Romanæ ecclesiæ Cardinalis, &c. Bostonus etiam Buriensis in suo Catalogo, Cursonum hunc composuisse narrat,

Summam theologiæ,	*Lib. 1. Videndum est primò, quid fides.*
De saluatione Origenis,	*Lib. 1.*
Lecturas solennes,	*Lib. 1.*

Et alia, quæ nos latent. Claruit anno superius numerato per prædictos testes, in Anglia regnāte Henrico tertio, Ioannis regis filio. Fuitque his diebus Honorij tertij Rom. Pontificis in Angliam, Bostono teste, legatus.

APPENDIX.

Ex lib. 8. Chronicorum Matthæi Parisiensis: Anno Domini 1218, pace inter Anglos & Francos composita, excepti sunt ab eius beneficio, episcopi, abbates, priores, monachi, canonici & clerici multi, qui Ludouico Francorum regis filio ac baronibus, consilium & auxilium contra regem Ioannem præstabāt: maximè magister Simon Langton, & Geruasius Hobrug. Qui omnibus beneficijs priuati, Romam adierunt, Papæ misericordiam experturi: quæ ualde parua erat, quamuis in eius fauorem eam fecissent proditionem. Legatus enim Vallo, mirabilem exercebat in clerum Angliæ tyrannidem. Et Papa Honorius tertius, hydrope spirituali eo tempore laborās, euacuauit per eundem legatū, clericorum & claustralium loculos. Hugo secundus, cognomento Vuallys, episcopus Lincolniensis, pro episcopatu recuperādo mille marcas exposuit, ac legato centum numerauit. Eius exemplo & alij sunt edocti, eandem sedare sitim. Romæ ea ætate per tres dies terram sanguineā pluit. Quo uiso portento, quidam scripsit: O' pater Honori, multorum nate dolori, Est tibi decori uiuere? Vade mori. Hæc Matthæus.

ETHELREDVS VVARDONENSIS. LXXX.

ETHelredus monachus Cisterciēsis instituti (Adilredum Ioannes Tritemius appellat) Vuardonensis abbas cœnobij, post cursoriā, ut uocant, humanorum dogmatum disquisitionem, sacrarum scripturarū lectioni inter monasteriales contemplationes & curas se totum addicebat. In concionibus sacris, dulcedine quadam & oris et scripti, diuo Bernardo non insimilis, plebem ad se audiendum uehementer attraxit. Eloquijs certè mellifluijs cum ingenij mitisimi nitore, in interpretandis scripturis abundabat: si defuissent admixtæ interdum monastico more superstitiones, ut ex opusculis liquet. Istum authorem sæpius allegat Thomas Vualdenus, in illis potissimum sermonibus, quos fecit coram Henrico Anglorum rege quinto. Composuit inter cætera Ethelredus, ad communem suorum utilitatem,

De uinculo perfectionis,	*Lib. 1. Extendisti Domine sicut cœlum.*
In Lucam Homelias,	*Lib. 1. Cum in exordio narrationis.*
Conciones notabiles,	*Lib. 1. Tempus est fratres charissimi.*
De tribus hominibus,	*Lib. 1.*
Epistolas ad diuersos,	*Lib. 1.*

Explicationesque alias, tam pias quàm deuotas ex literis sacris eruisse, ac memoriæ tradidisse dicitur. Claruit anno à salutifero diuæ Virginis partu 1220, sub Henrico tertio Anglorum rege, inter suos demum sepultus.

HVGO KIRKESTEDE. LXXXI.

HVgo Kirkestede, Bernardinæ sectæ, seu Cisterciensis instituti monachus,

chus, honesto quodã animi studio ardens, ut Lelandus noster habet, res gestas Bernarditarum in Anglia, uicturis commendauit chartis. In hoc tam utili suis monachis labore, Turstinum archiepiscopum Eboracensem secutus fuit, qui succincto quodam libello, de origine Fontanẽsis monasterij, id idem longe antea præstiterat. Atq; ut cõceptum opus maturius perficeret, Serlonem Eboracensem in consilia suscipiendum putauit: qui huius Hugonis collaudans conatũ, senex centesimum fere annũ agens, auxilia sua contribuit. Dictabat Serlo, dictata excipiebat Hugo, & excepta in suas distribuebat partes. Sic accrescente uolumine rerum à Bernardinensibus in Anglia gestarum, compleuit Hugo suum opus, & Ioanni Fontanensium abbati dedicauit, quod intitulabat,

Cistercienſium historiam, Lib. 1.

Atq; alia quædam edidit, quæ nondum uidi. Claruit anno ab incarnatione ueri nostri Messiæ 1220, sub Anglorum rege Henrico secundo. quo anno canonizatus fuit Thomas Beketus: & Parisijs proposita quæstio, an saluatus uel damnatus esset.

RICARDVS ELIGENSIS. LXXXII.

Ricardus Eligensis, uel Heliensis, Anguillariani cœnobij, ut Lelandus id uocat, monachus fuit. Qui, ut idem ille testis est, in ipsis Giruiorum paludibus, sacræ cognitionis studio totum se contulit: hac tamen lege, planè æquissima, ut succisiuis liberè horis historiarũ scriptoribus inuigilaret. Anguillarianę insulæ res gestas describere magno studio aggressus, uisis ac reuisis per plures annos Anglosaxonum monumẽtis, multo maiori postremo consummauit. Sic ille tandem monachorum pręses, antiquitatẽ sui collegij, alioqui perituram, optimo sanè consilio integram conseruauit, atq; in lucem emisit, ab alio eiusdem loci monacho tum demum exauctam. Erat enim philosophus, astronomus, geomanticus, poeta ac theologus, per eam ætatẽ eruditus: & eleganter, ut inter alios author est in suo Catalogo Bostonus Buriensis, composuit,

De insula Eligensi, Lib. 1.
Gesta sui cœnobij, Lib. 1.
Sermones quamplures, Lib. 1. *Ascendet sicut uirgultum coram.*
Carmina diuersa, Lib. 1.
Epistolas familiares, Lib. 1.

Aliaq; nonnulla. Hic præsens in obsidione Tolosæ, Simonis Montifortensis comitis necem prædixit, ac eius edidit Epitaphium. Claruit anno à Christi seruatoris nostri natiuitate 1220, sub Henrico tertio Anglorum rege.

APPENDIX.

In quodam Calendario historico reperi, quòd anno Domini 1220, Carmelitæ per Europam celebrari primùm cœperint, postquam Angelus Hierosolymitanus Iudæus genere, eiusdẽ ordinis Eremita Romæ prædixisset, Christianorum rempublicam breui affligendam esse. Fortaßis per mendicantium fratrum imposturas id postea fieri præsignabat, qui tunc orti, suæ iniquitatis mysterium fortiter operari cœperunt. Locustæ enim erant, quæ potestatem habebant scorpionum terræ, Apoc. 9. Idem uerò Angelus in Sicilia demum prædicans, sub Berengario Leocatensium duce, martyrio uitam finiuit. Sic enim Mantuanus scribit in quinto Fastorum libro:

Cum uerò incesti graue persequerere tyranni
Crimen, ut Helias lucos & Iezabel aras,
Et Baptista nefas regis uenerem q; nefandam:
Heu caput, heu pectus gladijs crudelibus hausit

Hostis, iter pandens animæ super astra uolanti.

Eius uitam scripsit Enochus Hierosolymitanus. Cæsario in Dialogis teste: Guilhelmus quidam aurifaber his diebus incineratus fuit, quia dixerat Romam esse Babylonem, & Papam Antichristum. Matthæus Parisius: Anno Domini 1221, orta erat dissensio inter Ricardum de Marisco episcopum Dunelmensem, & eiusdem cœnobij monachos, qui Romæ tandem se mutuò accusabant, de simonia, adulteriò, sacrilegio, ac periurio. Et cum seruus episcopi, eius loci monachum semel percussisset: Malè ei eueniat (inquit episcopus) quod tonsum illum non occiderit. Et locum illum mirabiliter afflixit. Hæc Matthæus Parisius.

PETRVS HENHAM. LXXXIII.

PEtrus Henham, monachus Vualdenẽsis (Lelandi uerbis utor) omnis antiquitatis, & maximè Anglicanæ, studiosus, authores qui de nostris rebus ante sua scripserant tempora, diligentissimè euoluebat. Vnde nõ mediocrem uoluptatem & utilitatem ex eorum lectione cæpit. Quæ enim uoluptas ingenioso maior ulla esse potest, quàm ut animum ad scientias natũ, cognitione rerum ad miraculum uariarũ informet, oblectet, adiuuet? Rursus quæ maior utilitas, quàm alieno exemplo uirtutem amplecti, uitia uitare, & quod his non infimũ accedit, quod ipse didicisti, alios docere: quemadmodum noster Henhamus fecit: qui à tempore Hengisti Saxonis, usque ad annum Domini 1244, res Anglicas scripsit, tam bona fide, quàm qui unquam optima: quod opus uocabat

Anglorum Chronicon, Lib. 1.

Sed, quæ erant secula, facundia impari: id quod ex eius ueteri exemplari apparet, quod in Vualdensi bibliotheca olim extabat. Claruit anno ab incarnato Dei filio 1224, uaria componẽs, regnante Henrico tertio Anglorum rege.

IOANNES AEGIDIVS. LXXXIIII.

IOannes Aegidius, uel de sancto Aegidio, ad fanum Albani natus, philosophus summus, ac Philippi Francorũ regis olim medicus, Lutetiæ primùm, Montis Pessulani postea, in magnis discipulorum frequentijs, easdẽ docuit artes. Qui Lutetiam denuò reuersus, seq; transferens ad theologiæ scholasticæ studia, magister etiam in ea facultate, ac lector publicus illic ordinatus fuit. Cœperunt tunc exurgere in altum, macilentissimæ abyssi fumiferæ locustæ, nempe mendicantium sectarum fraterculi, ut sub Euangelicæ paupertatis fuco, Vualdenses & Albigenses suis cruciatibus molestarent, quòd à clero temporalitates superfluas & transubstantiationem in triticeo deo faciendo niterentur auferre. Ad hos omniũ Anglorum primus, Ioannes iste, in tertia Dominicanorum fraterculorũ generali Parisijs synodo, anno Domini 1222, Antonino teste, uenit: ac professionem eorum, facta prius ad clerum concione, suscepit. Occasione cuius facti (inquit Nicolaus Triuetus) fratres duas scholas infra eiusdẽ loci septa habuerunt, eo ibidem resumente suas lectiones. Nam apud hos primus, ut Lelandus habet, Lutetiæ primùm, Oxonij postea, theologiam & artes publicè profitebatur. Vnde inter cætera suo tempore scripsit,

Practicas medicinales,	Lib. 1.
Futurorum prognostica,	Lib. 1.
In Aristotelem commentarios,	Lib. 1.
Morales interpretationes,	Lib. 1.
De esse & essentia,	Lib. 1.
De formatione corporis,	Lib. 1.

De

De laude sapientiæ diuinæ, Lib.1.
De prædestinatione & præscientia, Lib.1.
De paradiso & inferno, Lib.1.
De resurrectione mortuorum, Lib.1.
De materia cœli, Lib.1.
De productione rerum, Lib.1.
De cognitione angelorum, Lib.1.
De mensura angelorum, Lib.1.
Homelias ad clerum & populum, Lib.1.
Lecturas scholasticas, Lib.1.

Feruntur & alia, sed tituli desunt. Claruit anno assumptæ per Christum humanitatis 1224, quo Dominicani Angliam intrabant, Henrico tertio regnante. Istum Sirenæ, ex subdola uoce nō insimilem, moralizantium dulcissimum, appellat Triuethus.

APPENDIX.

Ex Londinensi chronico: Eo anno quo Dominicani fratres ex Italia in Angliam uenerunt, scilicet anno Domini 1224, multæ pluuiæ ac tonitrua fuerunt, & grandines ceciderunt instar lapidum quadrangularium, ad ouorum quantitatem, quibus arbores, uineæ ac segetes sunt destructæ, atq; homines contriti. Aues etiam per aera uolantes, carbones ignitos in rostris deferre, ac domos incendere uidebantur. Mirabiles in Anglia (inquit Matthæus Parisius) fuere tempestates & horrenda tonitrua, uentus furibundus, & segetum suffocatio, quæ ædificia diruerunt, ecclesias & arbores prostrauerunt, ac naues submerserunt, &c. Similia quoq; cernes apud alias fraterculorum sectas, suis in locis. Vide pallidum equum, Apoc. 6. Anno Domini 1222, in Oxoniensi synodo oblatus est archiepiscopo Cantuariensi Stephano Pseudochristus quidam, stigmata uulnerum in suo corpore ostentans. Nec defuit illi eiusdem farinæ Maria. Qui in eadem synodo damnatus fuit, quòd publicè docuisset se Christum esse. Ex chronico Londinensi, ac Lelando. Sequenti anno, exustus est Oxonij, diaconus quidam Couentriæ natus, qui circumcisus, ac Iudæam uxorem ducēs, Christum ignominiose blasphemauerat. Ex Matthæo Parisio, ac Nicolao Triuetho: Maledictus ille cœlibatus, qui iudaizare cogit.

CADVCANVS BRYTANNVS. LXXXV.

CAducanus, Brytannus genere, Bangorensis episcopus, rerum (ut Lelandus colligit) theologicarum peritissimus, relicta Pontificalium infularum dignitate, socium Cistercienſibus, Durense monasterium incolentibus, se præbuit. Rarum hoc equidem exemplum est (inquit) ut quis optimas fortunas macra commutet tenuitate. At Christianus episcopus fortunas tales non respicit, sed commissi gregis commodum: non opes quærit, sed animas. Qui episcopatum appetit, ait Paulus, perfectū opus desiderat. Non sic de monachatu ocioso, quum sit plantatio quam nō cōsolidauit Pater cœlestis. Sed quæ hominis erat pietas (inquit) cœlestia terrenis meritò prætulit. Ac si monachatus, merum diaboli inuentum, cœleste quiddam sit: episcopi uerò munus à Christo præceptum, res nihili. Non enim pastor est, qui nullo impellente in cœnobium fugit: sed iuxta Seruatoris doctrinā, infœlix mercenarius. Sed neque (inquit) studiorum eius interea elanguit successus. Edidit nempe Caducanus,

Speculum Christianorum, Lib.1. *Dominus in Euangelio: Qui ex Deo.*
Homeliarum opus, Lib.1.

Atq; alia quædam. Obijt Caducanus, anno ab aduentu ueri in carnem Messiæ 1225, sub Henrico tertio Anglorum rege, in Durensi cœnobio sepultus. Romæ eodem anno, terram sanguineam per tres dies, Matthæo Parisio teste, pluit.

ALEXAN-

ALEXANDER NECKAM. LXXXVI.

ALexander Neckam, Verolamij, seu ad fanum Albani natus, accrescen te ætate matura, diui Augustini Canonicorum sectę sese addixit: ea ta men lege, non ut sanctius uiueret, sed ut quietius atque liberius apud eos stu deret. fuit certè per illam ætatē doctissimus. Nam eius in bonis artibus co gnitio, non modò suis Brytannis, uerùm etiam Gallis et Italis, apud quos o lim claruerat, atque adeò orbi ferè uniuerso, incredibili admiratione ita inno tuit, ut ingenij miraculū diceretur. Philosophus enim habebatur eruditus, theologus præclarus, rhetor ac poeta insignis. In prælectione bonorum au thorum, non apparebat eo tunc elegantior, aut in uniuersali rerum noti tia copiosior: ex quo illis diebus frequētiora cæteris habebat auditoria. Vn de quicquid interpretabatur eis, ad clarum id perduxit illorum intellectū, schematum ænigmata & nodos mira facilitate dissoluens. Famosi tandem Excestriensis in Deuonia Canonicorum cœnobij, anno Christi 1215, guber nationē abbas suscepit: ubi suis reliquit posteris, monumēta quæ sequunt:

In Prouerbia Salomonis,	*Lib.1.In primo opere Salomonis.*
In Ecclesiasten,	*Lib.12.Superfluo detinentur labore.*
In Cantica canticorum,	*Lib.8.Humilitas uera gloriam excellen.*
Super Ezechielem,	*Lib.1.*
De naturis rerum,	*Lib.7.Forma decens admiratione dig.*
Laudes diuinæ sapientiæ,	*Lib.7.Gloria, maiestas, deitas, sapi.*
Corrogationes Promethei,	*Lib.4.Ferrum citò rubiginem ducit, &c.*
De puritate Mariæ,	*Lib.1.*
De utensilibus,	*Lib.1.Cum rerum notitiam præcedat noti.*
Elucidarium Bibliothecæ,	*Lib.1.De singulis Bibliothecæ libris.*
Noui testamenti expositiones,	*Lib.1.Ad noui testamenti seriem, me.*
De figuris & tropis,	*Lib.1.*
Distinctiones uerborum,	*Lib.1.Amor est appetitus rei propter.*
De humilitatis gradibus,	*Lib.1.Augustinus: Vera humilitas est.*
Super Psalterium,	*Lib.1.De orto deliciarum paradisi.*
De fabulis poetarum,	*Lib.1.*
Commendationes uini,	*Lib.3.Dum corpus curas, studeas.*
Nouum Anianum,	*Lib.1.Vincere quos leuis nequit.*
Nouum Aesopum,	*Lib.1.Ingluuie cogente lupus dum deuor.*
In Metamorphosin Ouidij,	*Lib.1.*
Carmina diuersa,	*Lib.1.Cortice nudato Tisarantus, &c.*
Ad uiros religiosos,	*Lib.1.Tedia nulla chori, tibi sint nec.*
Nuptias Mercurij & Philologiæ,	*Lib.2.Marciani Minei, felicis Capellæ.*
Lectiones scripturarum,	*Lib.1.*
Concordantias Bibliorum,	*Lib.5.Primus liber agit de his quæ per.*
Expositionem de anima,	*Lib.1.Interrogasti me, honoret te Deus.*
Prometicon carmen & prosa.	*Lib.1.Sponte sua genius me prouocat.*
De laude D. uirginis,	*Lib.1.*
Super exorcismo baptismi,	*Lib.1.Huic operi talis præponitur titulus.*
Vocabularium Biblicum,	*Lib.1.Post hæc de singulis libris Bibliæ.*
Speculum speculationum,	*Lib.4.Paradisum uoluptatis subdi huma.*
Octodecim sermones,	*Lib.1.*
Mythologiam, seu Scintillarium,	*Lib.4.Fuit in Aegypto ditissimus Sиropha.*
De muliere forti,	*Lib.3.Splendor paterni luminis in hoc.*

De

De conuersione Magdalenæ,	Lib.1. *Ad mensam Domini ueniens hæc.*
De rebus creatis in specie.	Lib.1.
De uita monastica,	Lib.1. *Quid deceat monachum, uel quid.*
Super utrumq; testamentum,	Lib.13. Præmissa descriptione originis &c.
In symbolum Athanasij,	Lib.1. *Caput aquilæ principis auium.*
De officio monachorum,	Lib.1.
De aduentu Domini,	Lib.1. *Post susceptam prædicandi functionem.*
De natiuitate Mariæ,	Lib.1. Egredietur uirga de radice.
De annunciatione eiusdem,	Lib.1. *In hoc uersu lectionis Euangel.*
De desponsatione Ioseph,	Lib.1.
De assumptione uirginis,	Lib.1. *Quæ est ista quæ ascendit per.*
Repertorium uocabulorum,	Lib.1. Licet nonnulli circa uocabula.
Moralia Euangeliorum,	Lib.4. Intentioni quatuor Euangelistarum.
De fide, spe, & charitate,	Lib.1.
Cur filius incarnatur,	Lib.1. Operis immensi quoniam Deus.
De uirtutibus,	Lib.1.
De præceptis Decalogi,	Lib.1.
Isagogen ad artes,	Lib.1.
Quæstiones uarias,	Lib.1.
Regulas in theologiam,	Lib.1.
Correctiones Biblicas,	Lib.1.

Et alia nonnulla, tam uersu quàm prosa. Galliam iuuenis, & Italiam, studendi gratia frequētauit olim. Obijsse uerò fertur anno à Christi seruatoris incarnatione 1227, sub Anglorum rege Henrico tertio, & Vuigorniæ sepelitur.

APPENDIX.

Ex Catalogo Bostoni Buriensis: Alexander nequam, de territorio D. Albani natus, Excestriēsis ecclesiæ canonicus, regularis et abbas, ibidem diu floruit. Hic semel in sancto Albano, monachatum petijt, atq; ad abbatem ita scripsit: Si uis, ueniam. Sin autem, tu autem. Respondit abbas: Si bonus sis, uenias: Si nequam, nequaquam. Et ita indignatus, cognomine in Neckam mutato, se transtulit Excestriam, ubi multa scripsit. Obijt tamē in quodam itinere extra suum monasterium, apud Vuigorniam in claustro monachorum sepultus. Cuius tumuli inscriptio talis est,

Eclipsim patitur sapientia, sol sepelitur:
Cui si par unus, minus esset flebile funus.
Vir bene discretus, & in omni more facetus,
Dictus erat Nequam, uitam duxit tamen æquam.

STEPHANVS LANGTON. LXXXVII.

STephanus Langton, Anglus ad literas natus, gymnasij Parisiensis magister in theologia, & ad fanum D. Mariæ canonicus secularis, ac tandē supremus eius studij cancellarius, in philosophia Aristotelica, nulli suo tempore habebatur secundus. Vtramq; theologiam, & scholasticam & interpretatiuā, ingenio callidus, nouo prælegēdi genere per subtilitates docuit: scripturasq; sacras multis annis quàm superstitiose per allegorizationes ac moralizatiōes exposuit. Qui mos diabolicus, unoquoq; ferè pro sui ipsius interpretante commodo, in maximum rei Christianæ detrimentū, ad hanc nostram ætatem semper in deterius accreuit. His initijs clarus, & Romam à pōtifice Innocentio tertio accitus, inter palatinos, palatinus & ipse, theologiam publicè profitebatur: ad S. Chrysogonum presbyter tandem cardinalis effectus. Mortuo interim Huberto Cantuariēsi archiepiscopo, idē pontifex (inquit Lelandus) ad solitas artes recurrens, causabatur nescio quid,

ut Stephanus iste substitueretur. Satis enim (ait) satis sciebat illum in Anglia magno usui sibi futurũ, utpote hominem à seipso, nõ ab Anglo, honoribus auctum. Ioannes uerò rex, ut erat animo excelso & planè inuicto, tantam iniuriam non ferens, Stephano statim regno suo interdixit. Perfidus erat Stephanus erga bonum principem, ut qui tam præfatum Pontificem, quàm Frãcorum regem Philippum, in eum incitasset, ac demum procerum regni contumaciam fouisset aduersus utrunque, ut Polydorus lib. 15. tradit. Atq; ob id postea fuerat ei interdictum sacris, & archiepiscopatu penè priuatus. Contexuit ille, quo ex aureo calice magnæ meretricis sordes effunderet largius,

Commentarios in Genesim,	Lib.1. *Tabernaculum primum factum est.*
Super Exodum,	Lib.1. *In ingressu filiorum Israel in terram.*
Super Leuiticum,	Lib.1.
Super Numeros,	Lib.1.
Super Deuteronomium,	Lib.1.
Commentarios in Iosue,	Lib.1. *Ego uisiones quasdam, quas in pro.*
In Iudicum,	Lib.1.
In Regum,	Lib.4. *Rectoribus ac scientiarum magistris,*
In Paralipomena,	Lib.2.
In Iobum,	Lib.34. *Licet cum malis ualde laudabile,*
In Tobiam,	Lib.1.
In Iudith,	Lib.1.
In Hester,	Lib.1.
In Psalterium,	Lib.1.
In prouerbia Salomonis,	Lib.1.
In Ecclesiasten,	Lib.1. *Hoc nomen ecclesiastes, interpretatur.*
In Cantica cantorum,	Lib.1.
In Ecclesiasticum notulas,	Lib.1.
Super Esdram,	Lib.2.
Super Esaiam,	Lib.1. *Audite cœli, & auribus percipe.*
Super Hieremiam,	Lib.1.
Super Ezechielem,	Lib.1.
Super Danielem,	Lib.1.
Tropologiam in prophetas,	Lib.1. *Ossa duodecim prophetarum sanctorum.*
Commentarios in Oseam,	Lib.1. *Duodecim pullulant de loco suo.*
In Iohelem,	Lib.1. *Verbum istud, est uerbum patris.*
In Amos,	Lib.1. *Amos interpretatur auulsus.*
In Abdiam,	Lib.1. *Hæc dicit dominus Deus ad Edom.*
In Ionam,	Lib.1. *Istud & respicit quod conceperat.*
In Micheam,	Lib.1. *Micheas interpretatur humilis.*
In Nahum,	Lib.1. *Septuaginta sic habent, assumpt.*
In Abacuch,	Lib.1. *Onus quod uidit Abacuch pro.*
In Sophoniam,	Lib.1. *Sophonias interpretatur speculator.*
In Aggeum,	Lib.1. *Licet Hieronymus istum binarium.*
In Zachariam	Lib.1. *In mense octauo per quem.*
In Malachiam,	Lib.1. *Priusquam tropologicè procedas.*
Super Machabæos,	Lib.2.
Super epistolas Pauli,	Lib.14.
Concordiam utriusq; testamenti,	Lib.8. *De uitando consortio, consilio, colloq.*

De

De uera pœnitentia.	Lib.1.
Adam ubi es?	Lib.1.
De similitudinibus,	Lib.1. *Nec miles in bello, nec sacerdos.*
Sermones sexaginta,	Lib.1. *Filia Sion, ecce rex tuus.*
Constitutiones Oxonienses,	Lib.1. *Ex authoritate Dei patris omni.*
De sacerdotibus Deum nescientibus,	Lib.1.
Quæstiones theologicæ,	Lib.1.
Vitam Thomæ Cantuariensis,	Lib.5. *Professores artium seculi proprios.*
Vitam Ricardi regis,	Lib.1.
De factis Mahumeti,	Lib.1.
Hexameron carmine,	Lib.1.
Benedictiones in monte Ebali,	Lib.1.
De maledictionibus quoq;,	Lib.1.
Annotationes Bibliorum,	Lib.1.
Repetitiones Lectionum,	Lib.1.

Aliaq; plura. Omnes Bibliorũ libros per capita distinxit, quibus adhuc Ecclesia utitur. Thomæ Becketi cadauer fœtidum, mirabili pompa transtulit: cuius facti inanissimi expensas superfluas, quartus post illum Pontifex uix persoluit. Obijt Cantuariæ tandem, anno salutis nostræ 1228, in maiori templo sepultus, sub rege Henrico tertio.

RADVLPHVS COGGESHALE. LXXXVIII.

Radulphus Coggeshale, Cisterciensis ordinis monachus, uir elimatæ tum eruditionis tum frugalitatis, eò peruenit excellentiæ in actionib. literarijs, ut sociorum sui collegij facilè primus haberetur. A' puero enim liberalibus disciplinis instructus, magnã apud primores uiros ob industriam præstantem, familiaritatis gratiam inuenit. Vnde tum demum, dignus qui cæteris præesset, inuentus, Coggeshalensi in Essexia cœnobio abbas præficiebatur, à prima fundatione sextus. In quo officio uix unum, ab utili studio uacuum omnino, intermittebat diem: sed uel ex humanis artibus, uel ex historijs, uel ex ipsis scripturis sacris, aliquid semper hauriebat. Ad Radulphi Nigri Chronicon, de Imperatorum ac regum tam Franciæ quàm Angliæ factis insignioribus, appendices fecit, à captione crucis (ut in eisdem narrat) uel ab anno Domini 1113, usq; ad annum undecimum Henrici tertij, Ioannis regis filij. Quod opus uocabat,

Additiones Radulphi Nigri,	Lib.1. *Anno gratiæ* 1114. rex Henricus.
Chronicon terræ sanctæ,	Lib.1. *Quantis pressuris & calamitatibus.*
Super quibusdam uisionibus,	Lib.1.

Conciones quasdam, & alia plura scripsit. Claruit anno à Christi incarnatione 1228, sub prædicto rege Anglorum Henrico tertio. In quo functionibus suis renũciabat 12 officij anno, frequẽti (ut scribit) ægritudine deinceps laborãs.

APPENDIX.

Ex chronico Matthæi Parisij: Anno Domini 1226, Papa Honorius tertius, per Othonem legatum, præbendas à toto Angliæ regno sibi dari petijt. Debent (inquit) matris inopiam filij naturales subleuare, &c. Petijt ab omnibus ecclesijs cathedralibus duas præbẽdas sibi dari: unam de portione episcopi, alteram de capitulo. Similiter de cœnobijs diuersas portiones. Pro rege atq; alijs respondit Ioannes Bedfodensis archidiaconus, per diuersas rationes, hæc non debere fieri. Eadem fecit Romanus quidam legatus apud Francos, in Bituricensi cõcilio, quæ Otho in Anglia. Eodem anno Raymundum comitem Tolosanum hæreseos damnabant cruce signati, quòd nollet his consentire, & Albigenses Papæ aduersarios cõburere. Hæc Matthæus. Gregorij noni tyrannidem, qua ecclesias in

Germania premebat, Fridericus Cæsar non potuit ferre, sed cōcionatores quosdam pios in Sueuia contra illum fouebat. Antoninus parte 3. Fridericus Cæsar pro hæretico habebatur, quoniā temporalia ab ecclesia auferre quærebat. In huius partem ueniebat Helias minorita, etiam excommunicatus. Blondus & Cranzius. Contra hunc Imperatorem, crucem prædicari pontifex præcepit, et cani Salue regina. Platina. Pugnantibus contra hunc Imperatorem, uitam æternam promisit. Leander Bononiensis. Iordanes secundus prædicatorum generalis, Fridericum Cæsarem obiurgabat, pro ecclesiarum bonis. Thomas Cantipratensis lib. 2. pro Dominicanis & alijs mendicantibus, priuilegia bullabat pontifex Gregorius nonus. Dominicum & Franciscum in sanctos retulit, ut fratres eo essent in sua causa firmiores. Huius pontificis tyrannidem, Conradus à Lichtenau, abbas Vrspergensis, depingit. Christianus Massæus: Anno Domini 1230, tanta fuit discordia Parisijs inter clerum et populum, (tumultuantibus fraterculis) ut relicta uniuersitate, alij Remos, alij Andegauos, alij Aurelianos, alij Tolosam, alij in Italiam, alij in Angliam abierint.

GVILHELMVS LANTHONIENSIS. LXXXIX.

GVilhelmus Lanthoniensis, genere Brytannus, & Lanthoniensis cœnobij Canonicorum regulariū in Cambria præses, literarum studijs ac uitæ monasticæ, ab ipsa iuuentute operam dedit. Præceptoribus, quos ea laudabat ætas, usus, & bona eorum monita secutus, famam ab exercitijs honestam inter suos emeritus est. Ampliora deinde meditatus, diuersa petijt Canonicorum claustra, in quibus suorum laborū fructus cæteris fratribus libens impartiuit. Facundus uir (inquit Lelandus) idemq; doctus, mirificè inardebat cupiditate quadam collaudandi Robertum Betunensem, Lanthoniēsis monasterij in montibus Brecaniæ cathedralibus quondam præsidem, tandemq; Herefordensis ecclesię pręsulem. Quare aggressus est demum luculento sermone describere

Vitam eiusdem Roberti, Lib. 1.

Quod opus Reginaldo, Vuenlocensis monasterij gubernatori dedicauit, & alia quædam edidit. Claruisse uerò Guilhelmus fertur, anno à Seruatoris nostri aduentu in carnem 1230, sub Anglorum rege Henrico tertio.

PETRVS CANONICVS. XC.

PEtrus, à fano Seruatoris seu Trinitatis, quod iuxta portam ueterē Londini nuper enituit, Canonicus, idemq; doctor & præses fuit, ac tandem eiusdem urbis archidiaconus. Quæ in huius descriptione ad literas nō pertinent, omittere nunc accelerationis gratia decreui: cōtentus tantum ostendere, uirum fuisse eximiè doctum, per ea quæ Ioannes Lelādus in medium adfert. Constat hunc (inquit) theologum extitisse omnibus numeris eruditissimum: id quod facilè deprehendere licet ex eius de Messię aduentu contra Iudæos, siue de reparatione lapsi, opere undequaq; magnifico. Quod opus per dialogos concinnatum, Petro ac Simone interlocutoribus, Simoni Langtono Cantuariorum archidiacono, & Stephani prædicti archipræsulis fratri iuniori dedicauit. Nec minus liquet, ex alijs eius uoluminibus, multis & magnis. Quorum unum in quatuor ingentibus uoluminibus, tanquam theologicarū rerum Lexicon magnum posteris exhibuit, titulumq; illi inscripsit,

Panteologum theologiæ, Lib. 52. *Solent impostores inter precio.*
Contra peccata, Lib. 6. *De beata mentis felicitate.*
De uirtutibus, Lib. 6. *Secunda pars huius operis.*
De aduentu Messiæ, Lib. 3. *Dilectißimo domino suo, &c.*
Remediarium conuersorum, Lib. 2. *Reuerendo patri Ricardo Londinens.*
Sermones eruditos, Lib. 1.

De

De terra Palæstinæ, Lib.1.

Et alia plura composuit. Sed ultimum opus, de terra Palæstinæ, ex Gallico transtulit in Latinum sermonem, stilo per illud tempus eleganti. Claruit Petrus anno incarnationis Dominicæ 1230, sub Henrico tertio, Anglorum rege.

ALEXANDER DE HALES. XCI.

ALexãder de Hales, relicta patria dum adhuc iuuenis esset, Gallica studia petijt. Qui in gymnasio Parisiẽsi, doctor irrefragabilis appellatus, superstitiosam Minoritarum sectam, lecturæ suæ tempore, uix mentis compos intrauit, præcedenti ductus Ioannis Aegidij Dominicani exemplo. Ingenio & eloquio peracutus: à multis iactitabatur, in Aristotelicis disciplinis ætate sua nulli cedere. Propterea Thomæ Aquinati, Bonauenturæ, & Guilhelmo Guarroni, qui ex locustis macilentis primi equi erant ad præliũ parati, in theologia sophistica præceptor accitus: miris subtilitatibus pro cõstabiliendo Antichristi regno, ipsos armauit. Doctrinam Petri Lombardi (quem cum duobus fratribus, ex sacrifici cõcubitu, sub ipso cœlibatu Papistico, monialis meretrix pepererat: testes sunt, post Antoninum, Textor & Agrippa) ut infœlici Papæ synagogæ ualde utilem, barbaro stilo explicuit: & subtilibus argumentis ampliauit. Cum paganorum placitis & Romanorum pontificum decretis, scripturas admiscuit sacras, atq; alia miracula fecit: ut homines magnam adorarent in Apocalypsi bestiã. Sic dedit (inquiunt impostores) perfectionem doctrinæ, Ecclesiasticæ theologiæ, & iuris canonici. Edidit ingens opus, iubente Innocentio quarto, in magnis uoluminibus, quod uocabat,

Summam Theologiæ,	Lib.4. *Quoniam sicut dicit Boethius.*
Declarationem suæ regulæ,	Lib.1. *Reuerendo in Christo patri, &c.*
Commentarios in Iob.	Lib.1. *Dicitur in Psalmo, quod huic con.*
Postillam ad Romanos,	Lib.1. *Annunciabo tibi quod expressum est.*
De uerbis exoticis,	Lib.1. *In exordio huius libelli, ista sunt.*
Dictionarium difficilium uocab.	Lib.1. *Cespitat in phaleris, Appus,*
Mariale magnum,	Lib.6. *Mariæ præcellentissimæ matris.*
Super Esaiam,	Lib.1.
Super Hieremiam,	Lib.1.
Super Ezechielem,	Lib.1.
In Euangelia,	Lib.4.
In Apocalypsim Ioannis,	Lib.1.
Lecturas Bibliorum,	Lib.1.
De mysterijs ecclesiæ,	Lib.1. *Anglia quò tandem tua tendit.*
Summam de uirtutibus,	Lib.1.
Quæstiones sententiarum,	Lib.4.
Compendium Theologiæ,	Lib.6.
De pœnitentia,	Lib.1.
De negligentia,	Lib.1.
Quæstiones de Anima,	Lib.1.
Lecturam sententiarum,	Lib.4.
Concordiam utriusq; iuris,	Lib.1.
De legibus,	Lib.1.
In Psalterium quoq;,	Lib.1.

Et alia plura scripsit, ut in Bostono Buriensi atq; alijs authorib. reperi. Diem obijt unà cum Ioanne de Rupella, Lutetiæ Parisiorum, ubi & sepultus est

inter suos Franciscanos, anno à Christianæ libertatis initio 1245, sexto calendas Septembris, sub Henrico tertio Anglorum rege.

APPENDIX.

Ex Londinensi Chronico: *Eo anno quo Franciscani fratres ex Italia in Angliam uenerunt, scilicet anno Domini 1226, superuenit uentus à Septentrione, quatiens domos & pomeria, nemora et turres ecclesiarum: uisiq; sunt dracones ignei, & maligni spiritus in turbine uolitare.* Eodem anno Gregorius nonus, *superbus & auarus pontifex*, Friderico Cæsari interdixit sacris. *Platina, Blondus, Aemilius.* Dum postea Fridericus, anno Domini 1229, *in Asiam nauigaret*, Turcas inuasurus: idem pontifex *Templarijs*, Asiaticisq; *Christianis præcepit*, ut tanquam à fidei hoste, ab Imperatore cauerēt. *Matthæus* Parisius: Anno Domini 1229, *postquam Imperator Hierosolymorum ecclesiam à paganis profanatam restaurasset*, Christi uestigia plenius adorare, & loca eius terræ adire in laneis & ieiunio disposuit. *Vnde Templarij et Hospitalarij audientes eum excommunicatum*, ex odio erga illum Papali cornua assumentes, subdolè ac proditoriè Soldano per literas significabant omnia, præcipuè quòd esset Iordanem aditurus, & quòd illum ibidem posset uel capere uel trucidare. Quod abhorrēs audire Soldanus, & Christianorum uersutiam, odium ac proditionem detestans, eorum maximè qui habitum religionis cruce signatorum baiulabant, aduocatis consiliarijs dicebat: Ecce fidelitas Christianorum. Admonitus tandem à suis, in cleri Christiani confusionem, easdem literas ad Imperatorē misit, omnem eorum detegens dolum: peregrinaturumq; nuncius eius præuenit. Vnde gaudens Imperator, gratias egit Soldano, quòd absconditos laqueos sic euasisset, dissimulauitq; cum illis ad tempus. Et ita conglutinatus est Imperator cum Soldano. Idem Matthæus: *Eodem anno exigebat papa Gregorius, aduersus hunc Cæsarem, decimas omnium rerum mobilium in tota Anglia, Vuallia, & Hybernia. Quod, clero mediante, pro maiori parte obtinuit, ex redditibus, prouentibus, fructibus carucarum, oblationibus, decimis, nutrimentis animalium, ac frugibus, et de omnibus obuentionibus ecclesiarum, altarium, uel possessionum, quocunque nomine censeantur, non debitis uel expensis aliqua ratione deductis.* Habuitq; *collector authoritatem excommunicandi & interdicendi contradicentes.* Hæc Mattheus.

RICARDVS MEDICVS. XCII.

Ricardus Medicus, cognomine et natione Anglicus, ab eruditis crebrò citatus, Oxonij ac Lutetiæ Parisiorum studuisse olim creditur. Inter illustriores medicæ rei pædotribas, à Symphoriano Champerio, in tractatu quinto de eius artis scriptoribus numeratur. Vir proculdubiò erat, eius atque aliorū testimonio, in difficilioribus morbis curandis clarissimus, in multarumq; rerum per diuersas mundi regiones experimentis probè admodū instructus. Opera nanque ab ipso edita, si quisquam dubitaret, hæc satis abundè demōstrant. Notior mihi (inquit Lelādus) alia parte nulla est, quàm ex compositis libris. Constat eum suo seculo in philosophiæ, matheseos, & medicinæ cognitione in primis eluxisse. Vnde conflabat ad singularem posterorum commoditatem, opuscula quæ sequuntur,

Tractatum de urinis,	Lib. 1. *Vtrum crassities uentris sit in bonum.*
De regulis urinarum,	Lib. 1. *Quinq; circa urinam attenduntur.*
De signis morborum,	Lib. 1. *Finis medicinæ ita laudabilis.*
De signis prognosticis,	Lib. 1.
De phlebotomia,	Lib. 1.
Anatomiam, Galeni more,	Lib. 1.
De febribus,	Lib. 1.
Correctorium Alchimiæ,	Lib. 1.
Speculum Alchimiæ,	Lib. 1.
De re medica,	Lib. 1.
Repressiuam,	Lib. 1.

De si

De signis febrium, Lib. 1.

Alia quoque multa scripsisse eum, fama apud Lelandum refert, quæ temporis obscurauit inuidia. Claruisse uerò à nostris scriptoribus fertur, anno à redemptionis humanæ initio per Christum 1230, sub Anglorum rege Henrico tertio.

RANVLPHVS GLAVNVYLE. XCIII.

RAnulphus Glaunuyle, Cestriæ comes, uir nobilissimi generis, & in utroque iure eruditus, in albo illustrium uirorum à me meritò ponendus uenit. Ita probè omnes adolescentiæ suæ annos, legibus tum humanis tum diuinis consecrauit, ut nō prius in hominem per ætatem euaserit, quàm nomen decusque ab insigni eruditione sibi comparauerit. Cum profecti essent Francorum heroes Ptolemaidem, inito cum Ioanne Brenno Hierosolymorum rege cōsilio, Damiatam Aegypti urbem obsidendam cōstituebant, anno salutis humanæ 1218. Misit illuc Henricus rex, ab Honorio tertio Rom. pontifice rogatus, cum magna armatorū manu Ranulphum, ad rem Christianam iuuandam. Cuius uirtus, Polydoro teste, in eo bello miris omniū laudibus celebrata fuit. Quo confecto negotio, Ranulphus in patriā reuersus, scripsit:

De legibus Angliæ, Lib. 1.

Fertur præterea & alia quædam scripsisse: sed tempus edax rerum, ea nobis abstulit. Claruit anno à Seruatoris nostri natiuitate 1230, cōfectus senio, dum Henricus tertius sub Antichristi tyrannide in Anglia regnaret.

APPENDIX.

Matthæus Parisius: Anno Domini 1230, *in die conuersionis S. Pauli, dum episcopus Londini in ecclesia eiusdem Pauli ad altare staret, admirabilis obscuritas subitò uenit, tonitruumque horribile, & prodigiosa obscuratio, cum fœtore intolerabili. Quædam etiam flamma per horæ dimidium, columnas et muros lambebat, tanquam uelum uento agitatum, &c.* Author ex Carmelitarum Chronicis: Anno Domini 1234. *Cyrillus Græcus, tertius Carmelitarum præses generalis, obijsse fertur. Hunc dicunt tam Mosi quàm Ioannis Euangelistæ exemplo, nouam Apocalypsim è cœlis circa annum Domini 1192 accepisse, Dei ipsius digito in argenteis tabulis Græcè scriptam, super futuro ecclesiæ statu. Et per hanc nitebantur impostores quidam, priorem illam Ioannis auferre, uel potius delere & in nihilum redigere, in ea seculi cæcitate. Quoniam erant tunc in Italia, Germania, Francia, & Anglia multi, qui Romam credebant Babylonem esse, ac meretricem illam magnam, et Papam esse Antichristum, ex priore Apocalypsi. Cuius opinionis, D. Petri Veronensis patruum fuisse, ipsius Legenda ac* Fasciculus temporum probant. *Oportebat igitur huiusmodi columnis labentem Lateranum, ut in uisione Innocentij tertij, his temporibus callidè fulciri. Conabantur etiam tunc Principes temporalia, ut prædictum est, ab ecclesijs auferre, & panis in Missa transubstantiationem contemnere: atque alia quædā facere, quæ uentribus & culinis non cōgruebant. Sed uide quàm sint ab inuicem diuersa, hæc Cyrilli & Ioannis oracula. Primum tradebatur à Deo, dum adhuc fuisset ecclesia in purissimo statu sub Apostolis. alterum hoc ab Angelo, nescio quo, dum esset ecclesia in statu corruptissimo sub apostatis & Antichristo. Primum in persecutione dura, ac Pathmi exilio, sub calamitate & cruce. alterum in placida mollicie ac iucunda Carmeli solitudine, sub fœlicitate atque otio suam. Primum erat mundum, lucidum, rectum, ac Dei scripturis & promissionibus consonum. alterum spurcum, tenebrosum, obliquum, atque ab omni diuinæ ueritatis usu alienum. Primum in luce Euangelij, alterum in tenebris Papismi. Ioannes diuinitus afflatus, in fide ac spiritu oraculum suscepit: Cyrillus Aaronicis uestibus indutus, in argenteis tabulis suum accepit. Ioannes in contemplatione rerum cœlestium, & in die Dominico: Cyrillus in missa papistica, atque in Hilarionis festo. Ille in ergo, iste in templo manufacto: ille uersus cœlum, iste uersus altare lapideum. Ioannes, pauidus ac penè mortuus cecidit ad Christi pedes: Cyrillus, erecto uultu ante altare stetit imperterritus. Ioannis reuelatio nobis attulit Euangelium æternum, ad Dei summam gloriam: Cyrilli reuelatio, calicem & thuribulum adfert,*

adfert, pro obscurando Dei cultu ac idololatria fulcieda. Ioannes dicit, quod in sexta ætate ecclesiæ, in qua nos sumus, sol factus sit niger, ut saccus cilicinus, Apoc. 6. Cyrillus uerò fatetur, oriturum esse tunc solem intra muros periurij. Quod tanquam ex diametro cum altero pugnare uidetur, quum sol ibi Christum significet. Ioannis prophetia paracletum interpretem habet. Cyrilli uaticiniū commentatores monachos, Ioachimum abbatem, Gilbertum Cisterciensem, & Ioannem de Rupe scissa. Vtrumq; tamen oraculum Græcè scribitur, ac futurum ecclesiæ statum narrare dicitur. Illud pellucidè & apertè, istud obscurè atq; cōfuse. Probate ergo spiritus, num ex Deo sint, 1. Ioan. 4. Poterit nempe Sathan se transformare in angelum lucis, 2. Cor. 11. At anathema sit, qui aliud Euāgelium doceat, Gal. 1. quàm ab ipsis Christi Apostolis prædicatum est. Aduentus tamen filij perditi erit in omni iniquitatis seductione, ne salui fiant, qui non crediderunt ueritati. 2. Thes. 2.

ALEXANDER VVENDOCK. XCIIII.

ALexander Vuendock, uel Venedotius, Cestriensis urbis episcopus, ex academiarum in diuersis terris aditu, disciplinas ita hausit, ut multarum rerum cognitione, plures sui temporis tam philosophos quàm theologos superasse diceretur. Bononiæ nanq; pluribus annis studuit, atque in Tholosano gymnasio theologorum scholas sophisticè rexit. Interim uisiones habuit nocturnas, & in somnijs illusione diabolica portentosas ostensiones, quibus exurgētes fratrum sectas quàm superstitiose approbabat: ac in lecturis & concionibus publicis, ad incredibilem Christianæ reipublicæ utilitatem tunc natas, blaterauit. Ita circuibat illis diebus famelicus Sathan, subdolè quærens quem deuoraret, nullumq; non aditum tentans, ut in exitium pertraheret homines. Posterorū memoriæ cōmendauit Alexander,

Postillas in Psalterium,	Lib. 1.
Sermones & lecturas,	Lib. 2.

Et alia. Quæ omnia ex præfatis somniorum spectris, anilibus fabulis sunt plena. Fato concessit demum, anno à nato generis humani Seruatore 1238, Cestriæ in sua ecclesia sepultus, sub Henrico tertio Anglorum rege.

IOANNES BLONDVS. XCV.

IOannes Blondus, ut illa ferebant tempora, inter doctos doctissimus, Lelando teste, Oxonij primùm, deinde Lutetiæ Parisiorum studuit, tanta cum fœlicitate, ut Oxonium denuò reuersus, unus ex multis publico stipēdio theologiā illic profiteretur. Quod cum aliquandiu cum ingenti fructu fecisset, accepit in ecclesia Eboracensi honestissimum doctrinæ & uirtutis suæ præmium, nempe præbendam, ut uocant, seu canonicatum. Nec multo pòst electus Cantuariorum archiepiscopus, quo nomine Romam anno Domini 1232 petijt, ubi, quibus artibus nescitur, causa & dignitate cecidit: atq; in eius locum subornatus est Eadmundus Richius, canonicus Sarisburiensis. Doctior fortassis erat, quàm cupiebant. Teste enim Matthæo Parisiensi, uix illi par unus, in omni eruditionis genere, per totum orbis ambitū ea ætate inueniebatur. Vel saltē pietatis aliquid in homine apparebat, quod auri sitibundis Romanorū cordibus parum placebat. Scripsit Blondus inter alia multa,

Summarium sacræ facultatis,	Lib. 1.
Disceptationes aliquot,	Lib. 1.

Atque in Scripturas sacras, commentarios plures. Mortuus est anno Domini 1248, regnante Henrico tertio Anglorum rege. Matthæus Parisius in suo Chronico, & Ioannes Rossus Vuaruicēsis, de Academijs Brytānicis, plura de ipso narrant.

APPENDIX.

Idem Matthæus Parisius: Anno Domini 1231, Ricardus Cantuariensis archiepiscopus Romæ cōquestus erat super rege, episcopis et clericis, ac redeundo ad tertium diem in itinere obijt. Quo sepulto, latrones in quadam noctis silentio, eius aperuerunt sepulchrum, ut annulum & alia episcopalia furarentur. Sed à Minoritis, mundi contemptoribus, præuenti fuerunt. Vulpes sic uulpem decepit. Eodem anno Cæsar, Papæ fratrem patibulo suspendi fecit. Quo etiam anno, Anglorum clerici, uidentes Italicorum clericorum in suis terris oppressiones, blada eorum subitò flagellata, uiolenter rapuerunt, ac pauperibus uendiderūt. quod magni schismatis occasionē præbuit. Anno Domini 1232, Gregorius Papa constituit uisitatores pecuniarios super uiros religiosos per orbem generaliter uniuersum, cum hac comminatorij iuris bulla: Gregorius episcopus, &c. Et ita (inquit præfatus Matthæus) egressus est à facie Dei Sathan. Eodem anno, suffragijs cleri, purgatorium exiuisse dicuntur Ricardus Anglorū rex, Stephanus Cantuariensis archiepiscopus, & capellanus unus, ut habet Matthæus Vuestmonasteriensis in Historiarum floribus. Ita suis nænijs imperitum uulgus tunc dementabant, circa missales prouentus, impostores diabolici. Tædiosum certe esset, omnes eorum imposturas narrare.

EADMVNDVS ABYNDONENSIS. XCVI.

Eadmundus Richius, Abyndoniæ in Bercheriensi comitatu natus, ita se Oxonij, omni tum literarum tum etiam uirtutū genere, Lelandi testimonio, exercuit, ut breui ingentē sui nominis famā latè sparserit. Abyndonia enim pagus est, ad Thamasim situs, et à Londino 45 circiter milliaria distat. Mortuo Ricardo Cantuariorum archiepiscopo, ut prædictum est, cassataq; Ioannis Blondi electione, ex Sarisburiensis collegij thesaurario, in eius successit locum, anno Domini 1233, tanquam ad Rom. pontificis nutum paratior, & quæstib. eius obaudiētior. Sedulò certè quærebant Rom. pontifices, eius sedis archiepiscopos, qui & metropolites erant, perpetuò suos facere. Ratio est, ut ambitionis eius imperium, auaritiam, idololatrias ac pompas fortiter defenderent. Eadmundus, ut uirginitatis assequeretur donum, ligneæ D. uirginis imagini annulo se desponsauit, ferijs sextis ieiunauit, cilicium portauit, uerbum crucis in Gallijs pro Papa prædicauit, pro defendendis clericorum superbijs exilium pertulit, & cum aqua lustrali miracula multa fecit. Prædicto etiam anno constructa est Londini domus, nō procul à ueteri templo, pro Iudæis ad Papismū conuersis. Inter cætera composuit Eadmundus,

Speculum ecclesiæ,	*Lib. 1. In nomine dulcissimi Domini.*
De contemplanda deitate,	*Lib. 1. Videte ad quid uocati estis.*

Posteriorem Gallicè edidit, quem & Guilhelmus Beufu, Norhamptonensis Carmelita in Latinum sermonem transtulit. Post lites cum rege Henrico, in Pontiniacensi Gallorum cœnobio sepulturā accepit, anno Domini 1240: exactis in episcopatu septem annis.

ROBERTVS RICHIVS. XCVII.

Robertus Richius, patria Abindonensis, et prædicti Eadmundi frater, cum adhuc iuuenis esset, relictis domi fortunis, fratrem secutus, literas illius exemplo solicitè quæsiuit, atque demum inuenit. Huius, excepto Matthæo Parisio, & in posterioribus diebus Lelando, pauci sunt qui mentionem fecerint. Fuit tamen cum Eadmundo fratre in Oxoniensi gymnasio diu: fuit cum eo semel atque iterum Romæ, ac tandem Pontiniaci cum moreretur. Dum uerò idem Eadmūdus, coram pontifice Gregorio nono, de rege Henrico conquestus esset, quòd sororem Aleonoram, quæ cœlibatum uouerat, Simoni Montifortensi in matrimonium locasset, cœpit apud

eundem (& non immeritò) detrimentis nonnullis affici. Sed neq; à Rom. pontifice quæ petierat, impetrauit. Confusus ergo, tanquã grauiora in dies ab utroq; accepturus incommoda, Pontiniacum in Altisiodorensi diœcesi Cisterciensis ordinis monachorum cœnobium, profugus petijt: ubi tabescentis animi, atq; aduersa tum demum ualetudine laborãs, uitã finiuit. Arrepto igitur calamo, ut ille qui semper ad latus eius erat, scriptis cõmendauit,

Eadmundi archiepiscopi uitam, — *Lib. 1. Beatus Eadmundus Cantuariensis.*

De translatione eiusdem, — *Lib. 1.*

Bene poterit esse, quòd alia scripserit: sed ea nõ uidi, nec multum obest. Claruit anno à Christi incarnatione 1246, sub Henrico tertio Anglorum rege: quo in Papisticorum idolorum numerum, cõfictis prodigijs, Eadmundus ab Innocentio 4 relatus fuit.

APPENDIX.

Matthæus Parisius: Anno Domini 1235, obijt Hugo de Vuellys, Lincolniẽsis episcopus, monachorum omnium ac sanctimonialiũ, præcipuè Gilbertinorũ, quos ob luxurias Hœdos uocabat, grauator indefessus. Cui successit Robertus Grosseteſt, homo doctissimus. Iudæi eodem anno effusa pecunia, admirandum priuilegium à Papa impetrauerunt, ne à Christianis regibus censerentur: & quòd eis liceret Christianos, seruientes ac nutrices habere, in dedecus ac derisum Christianorum magistratuũ. Eodem anno Raimũdus Dominicanus Decretales collegit, et Accursius iuriscõsultus glossas in eosdem edidit. Hinc facti sunt horũ generũ homines, apostoli Antichristi, ac instrumẽta Sathanæ. Papa in Angliã usurarios misit, quos suos mercatores seu escambiatores uocabat. Hi Londini habitãtes, uniuersam terram inficiebant, omne fœnum uiride comburentes, Apoc. 8. Illis strenuè se opposuit Rogerus, eius urbis episcopus: sed Rom. scorpij cruciatum sentiens, statim didicit (inquit Matthæus) ex Chamo Sem fieri, ac patris uerenda tegere. His diebus ordines Prædicatorum & Minorum, tantum augeri cœperunt, & in ædificijs ac fratrum bene literatorum numero prosperari, etiam in fama scientiæ & prædicationis, ut magnis & famosis cœnobijs æquari inciperent. Anno Domini 1236, magister Robertus de Brugis, ex schismatico & infideli Dominicanus factus, in Gallijs et Flãdria, hæreticorũ malleus, accusator ac deprehensor, multa millia Paterinorum, Bulgarorum, & aliorum conflagrari auxilio regio fecit. Cuius imposturas melius est silere, quàm explicare: tandem meritis exigentibus perpetuo carceri mancipabatur. Anno Domini 1237, Robertus Grosseteſt, episcopus Lincolniensis, uir pius, à suo clero intoxicatus, uix mortem euasit, auxiliantibus medicis. Ricardus Cornubiæ comes, regis frater, et alij nobiles de regno Angliæ, crucem contra Turcas assumpserũt. Fridericus Imperator sequenti anno ad eundem comitem super ea profectione scripsit, qui & eodem anno ex eius ac regis sorore Isabella filium suscepit. Discordia erat inter scholares Oxoniẽses et Othonem Rom. Pontificis legatum, post synodũ Londinensem. Imperatori eo anno imponebatur, quòd uacillans in fide, enormia dixisset de sacramento altaris. Hæc Matthæus.

HENRICVS BRACTON. XCVIII.

Henricus Bracton, ex illustri stemmate ortus, dum adhuc adolescẽs esset, Oxonij literis inuigilauit: & ex diuturno labore in eisdẽ gloriam reportauit maximam. Post aliquot annos, utriusq; iuris professor effectus, Londinum de more petijt: ut dum conuentus illic celebraretur, & ille suas ageret partes. Fuit inde ex præfectis ipsis unus, qui regendo comitatus, ruri, de damnis datis & controuersijs cognoscerent, ac maleficia uindicanda curarent: decemuiros, censores, uel iusticiarios appellant. Eoq; tandem maiestatis peruenit, ut Henrici tertij regis beneficio, totos uiginti annos præsidis iusticiæ supremi munere fungeretur. Quo tempore, integritati & conseruationi legum patriarum studens, egregium opus sub Bractonis titulo edidit,

De consuetudinibus Anglicanis, — *Lib. 5. In rege qui rectè regit, neces.*

Præter

Præter hoc solum opus, nihil aliud ab eo editum, in Anglorū bibliothecis uidi. Claruit anno post Messiam ex uirgine natum 1240, sub prędicto rege Henrico tertio. Quo stella fusca in oriente apparuit, uersus occidentem radium emittens, mense Februarij.

RICARDVS THEOLOGVS. XCIX.

RIcardus Theologus, post frequentata Anglorum suorum per plures annos studia, ardentiori quodam discendi studio tactus, relicto natali solo, impiger Parisios petijt. Vbi postea pulchrè locatus: partim legendo, partim etiam docendo ac scribēdo, talem sibi comparauit gloriam, qualem nec ætas hæc nostra, ut Lelandus colligit, cantitare cessat. Collegium D. Victoris, quod Lutetiæ nobilissimum est iuxtà ac antiquissimum, pietate excolebat uel rarissima: unde factum, ut & ipse Victorinis se adiungeret sociū canonicis. Quæ sors uitæ tam faustè ei illuxit, ut tandem inter suos proximum à primo locum acciperet. Multa Victorini in hoc Ricardo Anglico etiam nunc laudant, cùm eruditionem tum pietatem hominis deprædicantes. Multa scripsit, uir suo seculo undecunq; doctissimus: atq; alius fuit à Ricardo illo Scoto, uiro quoq; literatissimo, quem uocant de S. Victore. Hæc esse eius opera, Bostonus Buriensis demonstrat,

De arbore Nabuchodonosor,	Lib. 1.
Super Iohelem,	Lib. 1.
Expositiones in Nahum,	Lib. 1.
Super Ad me clamat,	Lib. 1.
Super Ecclesiasten,	Lib. 1.
Super Exijt edictum,	Lib. 1.
Sermones deuotos,	Lib. 1.
Opus pœnitentiale,	Lib. 1.
In orationem Dominicam,	Lib. 1.
Sex genera contemplationis,	Lib. 1.
De conceptione Mariæ,	Lib. 1.
Expositiones in Psalterium,	Lib. 1.
Sententias scripturarum,	Lib. 1.
De uitis patriarcharum,	Lib. 1.

Atque alios multos tractatus Parisijs edidit, quos optimos esse luculentæ suæ doctrinæ testes Lelandus pronunciat. Claruisse fertur anno à Seruatoris natiuitate 1240, regnante Henrico tertio: & Lutetiæ sepelitur.

GVALTERVS DE EVESHAM. C.

GVałterus de Euesham, qui Vuigorniensis patriæ uicus est, Benedictinæ professionis insigne olim monasterium habēs: in quo monachus factus, bonas horas uarijs studijs uariè collocauit. Et ne interim (ut Lelandus habet) laboris aut uigiliarum seueritas, mentis uigorem, promptitudinem, & alacritatē minueret, ad musicam consilio peropportuno se cōtulit. Qua de re & libellum consonantię uel suauissimę edidit. Eò nanq; per eam ætatem uentum fuit, ut apud imperitum uulgus, omnis diuini cultus ratio in eiusmodi cantoribus sita uideretur: quamuis generatim nullum aliud hominum genus sit leuius, aut improbum magis. Hieronymus horrenda uitia in eo psallendi genere notabat, theatrales modulos eorum cantica uocās. Gregorius uerò, consuetudinem illam ualde reprehensibilem esse dicebat. Athanasius ob uanitatem ecclesijs interdixit. Veruntamen Gualterus noster scripsit,

De speculatione Musices, Lib. 1. Plura quàm digna de specula.

An alia adhuc scripserit, nescitur. Nec multum refert, si huius generis sint. Claruisse fertur his temporibus, circa annum à Christi aduentu in carnem, 1240, in quo maxima fuit animorum corruptio, regnante Henrico tertio.

APPENDIX.

Matthæus Parisius: Anno Domini 1239, Fridericus Cæsar à Rom. pontifice per omnes ecclesias ter fuit excommunicatus. Apparuit hoc anno adinstar Luciferi stella maxima, ut facula ardens, quæ se iaculabatur per tractus aereos quasi sagitta ignea, relinquens ignem & fumum. Anglorum prælati eo anno Rom. pontificis legatis uno ore respondebant, filios non posse amplius tolerare tam diuturnam matris indigentiam, seu potius in petendo impudentiam. Ricardus Cornubiæ comes, regis frater, eo anno transfretauit, ac Palæstinam petijt. Hæc Matthæus. Natus dicitur hoc anno Albertus Drepanensis in Sicilia, magnorum prodigiorum filius: Christianus Massæus & Ioannes Funccius. Cum pontifex Gregorius concilium Romæ celebrandum conuocaret, quo Fridericum regnis exueret, Fridericus Cardinales, episcopos, abbates, doctores, monachos, & literatos, præclusis itineribus cæpit. Quorum quosdam patibulis suspendit, quosdam mari immersit, quosdam in uincula coniecit. Qua rei indignitate Sanctissimus ita motus est, ut ex animi dolore mortē obierit. Hinc subortæ sunt in Italia factiones: Guelforum, qui Papæ: & Gibellinorum, qui Cæsaris fouebant partes. Hæc illi.

CENTVRIAE TERTIAE, SCRIPTORVM BRYTANNIAE Finis, authore Ioanne Baleo.

IOANNIS BALEI SVDOVOLGII ANGLI, DE SCRIPTORIBVS BRYtanniæ,

CENTVRIA QVARTA.

RADVLPHVS FRESBVRNE. I.



ADVLPHVS Fresburne, in Northumbriæ comitatu oriundus, familia nō incelebri, post aliquot annos à Ricardi Leonini Anglorum regis ex Palæstina reditu, mutandæ militiæ gratia Carmelum Syriæ petijt: & communem habitationem cum eius eremi cultoribus, Christiparæ uirgini superstitiose deuotus, elegit. Fuerat iste ab adolescentia uirtute bellica clarus, ac literis utcunque instituτus, & in Saracenos Christianæ fidei hostes egregiè olim stomachatus. Seueritate eremitica ac Stoica disciplina Catonem quodammodo referēs, per nobiles Barones Ioānem Vescy & Ricardum Graye, qui sub prædicto Cornubiēsi duce Ricardo, iuniore Ioannis regis filio, illic cōtra Turcas militauerant, cum socio quodā Iuone Armorico Brytanno, in Angliam reducebatur, ut Carmelitano sodalitio prima fundamenta in eo regno poneret. Quod anno Domini 1240, in Holnensi Northumbriæ prope Alnevuicū solitudine, Carmelo Syriæ non dissimili: & in Aylesfordiensi Cantiorū aptissimo nemore, quę ipsorum erant dominia, primùm fecit: & ita Brunhamię, Nevuendeniæ, & in alijs postea locis desertis. Huius rei meminit Baptista Mantuanus in 8. Fastorum libro:

Cur apud Anglorum populos ita creuerit, audi:
Anglicus in Syrias ueniens exercitus olim,
Achonem Tyrij positam prope littora ponti,
Quæ prius occurrit, subitis oppresserat armis, &c.

Et

Et rursus ibidem:

Ista duces tanta intuiti miracula, secum
In patriam duxere uiros, quibus arma negabant
In laribus sedem Assyrijs: & templa, domosq;
Construxere nouas. Paucis ita floruit annis
Relligio, quasi uirga solo depacta feraci,
Et ueluti palmes robur translata recepit.

Quòd eremos isti atque Augustiniani inhabitauerint primùm, angelica facies illius erat qui Christum in deserto tentabat: ut ex sequelis luce clarius patebit. Hos futuros Antichristi ex Palæstina deductos milites, sed nondū rasos & unctos, neq; per uotum cœlibatus ac mendicitatem ociosam suas creaturas factos, in Anglia per 14 annos, cœnobijs constructis, Radulphus omnium primus gubernauit: ad eosdem interim scribens

Epistolas eruditas, — *Lib. 1. Quoniam sedulis ac frequentibus.*
Pia quædam monita, — *Lib. 1.*

Et alia, ad Dei cultum, *ut ei tunc uidebatur, necessaria.* Claruit sub Henrico tertio Anglorum rege, atq; ad Edvuardi primi initia peruenisse perhibetur. Senio fatigatus tandem, ualedixit terris: in Holnensi suorū fratrum cœnobio sepultus, anno salutis humanæ 1274, confictis prodigijs clarus.

APPENDIX.

Ex Londinensi Chronico: *Eo anno quo Carmelitæ fratres ex Palæstina uenerūt, scilicet anno* Domini 1240, *magna lues animalium & hominum, maximaq; inundatio imbrium fuit. Ex qua prouenit tanta* bladi *caristia, quòd quaternarium tritici pro quadraginta solidis uendebatur.* Matthæus Parisius: *Transijt hic annus (inquit) regno Angliæ inimicus, & toti ecclesiæ aduersarius, aridus per* tres menses, *pluuialis per reliquos. Belluæ marinæ eo anno pugnabant in Anglico littore, quod bellū designabat futurum inter regnum & sacerdotium. Vnde Papa per suum legatum, in concilio* Redingensi *petijt quintam partem omnium bonorū* Ecclesiæ *aduersus* Imperatorem. *Dissuasit* Imperator, Henricum *regem uehemēter increpans, quòd tam imprudenter suas terras permisisset à Papa depauperari. Sed serò id factum erat, prælatis prius,* Eadmundo *archiepiscopo impulsore, consentientibus, & in cleri conuocatione* Norhamptonæ *soluentibus. Eo quoq; anno Papa pro pecunijs crucesignatos absoluebat, Christianis in terra sancta sine numero ex ea proditione occisis.* Hæc Matthæus. Pōtifex *inde pugnaturis contra Cæsarem, uitam æternam promisit, Salue regina cantari præcepit: & in incantati panis seu tritícei Christi erectione, ac* D. *uirginis trina salutatione, campanas pulsari indixit.* Saxo Grammaticus, *lib. 15.* Danorum historiæ: *Rex Daniæ pontificales decimas execratus, sacerdotibus coniugia decernebat: quorum etiam sacra sibi, exploso Pontificis ministerio, sufficere prædicabat.*

LAVRENTIVS SOMERCOTE. II.

LAurentius Somercote, Cicestrensis ecclesiæ olim canonicus, ac iuris peritissimus, in Australi regni parte natus, eminebat. Quàm primùm per maturos annos licuit, ad uiros ille, qui tū religione iuxtà ac literis præpollebant, docēdus mittebatur. Decreuerant enim parentes, ut si per optimos præceptores id fieri posset, in uirum eruditum euaderet. Iactis igitur Latinæ linguæ primordijs, alias statim adiecit artes, nempe Dialecticam & Rhetoricam, cum utriusq; iuris cognitione. Erat tunc Romę Robertus Somercote, eiusdem ecclesiæ supremi ordinis Cardinalis, homo doctissimus, illius, ut apparet, frater, uel saltem sanguine connexus. Qui mortuo Gregorio nono, ne trium Electorum primus in pontificatu succederet, ueneni potione tollebatur, anno Domini 1241: altero, scilicet Celestino, post 17 dies sequente, ut tertio daretur locus. Laurentius uerò, dum esset Rom. pontificis subdiaconus, composuit,

De formis electionum, Lib.1. Licet circa diuersas formas.
Abbreuiata quædam, Lib.1. Omnibus sanctæ matris ecclesiæ.
Modum tractandi narrationes, Lib.1.

Et alia plura, quæ nos latent. Vltimum hoc opus in Gallico sermone edidit, cætera Latinè. Claruit anno restaurationis humanæ per natum Seruatorem 1240, Henrico tertio in Anglia regnante. At ubi obierit, nescitur adhuc.

TERTIAE CLASSIS SECTIO QVARTA, DE PAPIS VEL Romanis Antichristis, in regno locustarum sub Abadone, qui perditor est, Apoc. 9. usq; ad Iulium secundum.

A Syluestro secundo, qui magus diabolicus erat, per 243 annos hucusq;: hoc est, ad annũ à Christi natiuitate 1243, tanquam diabolus ipse, aut malignißimus Satan, in Romana ecclesia Antichristus regnauit. In omni enim seductione, tyrannide, ac ueritatis oppreßione (non addo fœditates plusquam Sadomiticas) sua tempora transigebant Pontifices, ad centesimum & uicesimumprimum Papam usq;: ita, ut Satanæ synagoga ac diaboli sedes, Apoc. 2. meritò tunc Roma diceretur: & pro habitatione dæmoniorum, ac omnis immundi spiritus custodia haberi potuerit, Apoc. 18. Vnde dum pergerent ipsi ad Concilia generalia, uel eorum Cardinales atq; à latere Legati ad prouinciarum principes & episcopos, sub reformationis (ut solent) aut componendæ pacis fuco: uidebatur semper à Domini facie egressus Satan, ut ulcere peßimo Iobum percuteret, Iob. 2. Nam quicquid in uarijs scripturæ locis Satan fecisse scribitur: & illi tunc, eius perpetui in terris uicarij, infulati, rasi & uncti, in omni crudelitatum genere horribiliter faciebant. Nec potentißimis huius mundi monarchis, in infernalibus eorum furijs pepercerunt. Exempla in præcedẽte libro, & in eo, qui nunc sequitur, clariora sunt, quàm ut egeant probatione: in duobus Henricis, quarto & quinto: in Fridericis quoq;, primo ac secundo: in Henrico septimo, ac Ludouico quarto: in Ioanne Anglorum rege, atq; eius patre Henrico secundo, & in alijs multis Christiani orbis regibus. Posthac autem, ab anno Domini 1243, sub Innocentio quarto & alijs 40 Papis, Abadonis, qui rex locustarum ac perditor est, regnum durabit ad Iulium secundum usq;. In quo regno per 260 annos, locustæ, id est, sectarum Mendicantium fraterculi, per prædictum Innocentium constabiliti, ac fortiores facti, omnia per doctrinas sophisticas uorabunt, uastabunt, destruent ac perdent. Quales sunt, Thomas Aquinas, Ioannes Scotus, Gerardus Bononiensis, Aegidius Romanus, et alij sine numero Sententiarij ac Sorbonistæ. hi quicquid ex fide aut Dei uerbo uiride est, per suas præstigias atrociter deuorabunt. hi fures illi sunt, qui aliunde quàm per ostiũ in ouile ouium ascendunt: de quibus Christus tam seriò nos admonuit, Ioan. 10. hi certè nõ ueniunt, nisi ut furentur & mactent. Attendite à pseudoprophetis illis, & Antichristi apostolis: à peßimis autem eorum fructibus sunt statim cognoscendi.

Papæ, uel Antichristi Romani.

121. Innocentius quartus, patria Genuensis, Synebaldus antea dictus, è Flisca familia ac Lauaniæ comitibus natus: à Cardinalibus illis quos Fridericus Cæsar carceribus detinuerat, in libertatem tum redactis, Anagniæ Pontifex creabatur, ut eorum damna uindicaret. Qui ex intimo eiusdem Cæsaris amico, inimicißimus hostis ilico factus (talis esse solet Antichristorum natura) maioribus molestijs quàm alius quisquam, optimum grauabat principem. Lubet hoc loco luculentißimum Hieronymi Marij testimonium assumere. Hic Pontifex (inquit) in Friderici odium, Lugduni concilium statim indixit: ubi illemet Innocentius concionabundus, Fridericum ipsum citabat. Friderici uerò legatus, tempus opportunum dari precabatur, quo uenire Lugdunũ posset. Quod Pontifex non modò non dedit: sed ira ac furore succensus, Fridericum anathemate notabat, Imperiali dignitate priuabat, à iuramento fidelitatis principes absoluit: eosq; ut alium eligant Imperatorem, hortabatur. Multa contra pijßimum Imperatorem falsa produxit: periurium, sacrilegium, & quorundam clericorum captiuitatem, atq; id genus alia. De quibus omnibus, etsi Imperator honestißimè apud principes antea se purgasset: Pontifex tamẽ adeò principes sollicitauit, ac pollicitationibus commouit, quòd Henricũ Landgrauium Thuringiæ elegerunt. Quod cum ad Imperatoris aures peruenisset, strenuè aduersus Innocentium, ac alios

ac alios quoſcūq; tyrānos, imperiū ſuū defendit, donec in Apulia Pōtificis laqueos effugere nequiuit. Nam ibi quidam pontificia largitione corruptus, uenenū ſacro Imperatori exhibuit. Cuius cauſa cum Imperator grauiter laboraſſet, iam conualeſcere uidebatur: ſed à Manfredo quodam adoleſcente ſpurio, qui et à Pontifice fortè corruptus erat pecunia, uel promiſſis, nobiliori iniecto puluino, ſuffocatus eſt. hæc ſunt, quæ de inuictiſſimo Friderico enarrari debēt. Nec hac in cauſa Blondo, Platinæ, Stellæ, uel Sabellico fides habenda eſt. Nec mirū quidem. hi enim tantū ea ſcripſerūt, quæ paſſim à Pontifice, ac eius adulatoribus, cōtra Imperatorem inuulgabantur per totam Italiam, ut cōtra eum totum terrarum orbem (ſi fieri potuiſſet) concitaret. at, qui rei ueritatē agnoſcere cupiunt, Petri de Vineis libros ſex Epiſtolarū legāt. hæc Marius. Cū prædictus Henricus, Thuringiæ lantgrauius, in Romanorum regem electus eſſet, Conradus Friderici filius, collecto exercitu bellum ei intulit. Sed ſine difficultate uictus, multos ſuorum amiſit, ac magna pars nobilitatis ſuæ capta eſt. Henricus inde ab his quibus eius electio diſplicebat, cōtemni cœpit, & clericorū rex dici. Papa tamen omnes Alemaniæ principes, per legatos ſolicitauit, ut Friderico & Cōrado eius filio relictis, Henrico electo parērēt. Hēricus interea cū finē uiuendi feciſſet, Innocentius nō ceſſauit Friderico nouū hoſtem opponere. Miſitq; in Germaniam legatum, Petrum Caputiū cardinalem: qui uocatis Coloniā principibus electoribus, effecit, ut Guilhelmus Holandiæ comes, uir impiger ad arma, rex eligeretur.

Fuerunt hoc tempore in Sueuia prædicatores, qui contra Romanum pontificem & Cardinales magna dicendi libertate ueritatem profiterentur. hi Friderici ſecundi & Conradi cauſam iuſtificantes, auſi ſunt dicere, apud ſummum Pontificem, Cardinales & epiſcopos nullam reſidere authoritatem: quoniam omnes una labe Simoniæ maculati eſſent, nec quicquam tenere poteſtatis à Chriſto. Et quòd ſacerdotes in mortali peccato conſtituti, nec ligarent, nec ſoluerent, nec conſecrarēt. quòd nemo in orbe Chriſtiano diuinis officijs interdicere poſſet: quodq; ſine diſcrimine ea audirentur & celebrarētur impunè. Et in fine ſuarū prædicationum: Indulgentiam (inquiūt) quam annunciamus, nō à Papa confictam, non à prælatis compoſitam, ſed ex Deo omnipotente uobis annūciamus. Conradus rex cum hos tueretur Romanæ ſedis aduerſarios & hæreticos (ita enim ueritatis diuinæ confeſſores appellant) in capitis penè periculum incidit. Ex Funccio ſimiliter ſunt hæc deſumpta. Regnauit hinc Guilhelmus Hollandiæ comes ſolus, ferè duobus annis: ſed nihil pro tanta dignitate memorabile fecit. Poſt hæc interegnum fuit, ſub quod duobus Imperij ſpes facta eſt, Alphonſo Hiſpano, & Ricardo Cornubiæ duci, Ioannis Anglorum regis filio, ad magnum Papæ commodū ac rei Chriſtianæ perniciem: ſed cum alter metu alterius nihil attentaret, imperium quaſi acephalon per id tempus fuit, donec Rodulphus Habſpurgius eligeretur.

Pro Abadonis regno ac locuſtis muniendis.

In prædicto Lugdunenſi concilio, anno Domini 1245, Innocentius pro firmando Abadonis imperio, conſtituit, ut Cardinales rubris galeris ac pallijs uterentur, & equis phaleratis per urbem ueherentur: non ut eo ſignificarent, ſe paratos eſſe pro fide catholica ac populi ſalute, propriū ſanguinem fundere, ut Chriſtianus Maſſæus in Chronologia ſomniat: ſed honeſtādi ordinis gratia (ſic Platina dicit) ut inde pompa inſatiabili atq; ambitione turgeſcerent: uel potius, ut meretrici matri, quæ inebriatur ſanguine ſanctorum martyrum, & ſedet ſuper beſtiam coccineam, purpura & coccino induta, Apoc. 17. per omnia reſpondentes eſſent. Apparatum Decretalium ſcripſit, authenticas compoſuit, de eccleſiaſtica poteſtate librum fecit, Clariſſis Franciſcanorum ſororibus regulam dedit, crucem contra ſuos æmulos prædicari iuſsit, Imperatorem à Pontifice deponi poſſe ſanciuit, & octauas Mariæ natiuitatis celebrari mandauit. Et ut de locuſtis Apocalypticis aliquid dicam: Mendicantium ordinum fratres (inquit Stella) plurimùm dilexit, & eos quidem Apoſtolicis fauoribus & priuilegijs, ac multis beneficijs, quoad uixit, proſequi non deſtitit. Dominicanos ad prælaturas promouit, ut patet de Hugone Cardinale, Ioanne Boſnenſi præſule, & Guilhelmo Anteradenſi epiſcopo. Franciſcanos ad ſuam confeſſionem uocabat: erat enim ei Nicolaus Anglicus ab animæ ſecretis. Carmelitas & Auguſtinianos in adoptionis filios admiſit, & ex profeſſis Chriſtianis per nouam formationem ſuas creaturas fecit. Ab eremis ad urbes pertraxit, & in ocio ſuum mendicare panem docuit. Carmelitarum regulam, ab Alberto Hieroſolymorum patriarcha prius eis traditam, per Dominicanos

nos correxit, mitigauit, declarauit, ac tum demum cum Apostatica benedictione confirmauit, ut non de solo Saluatore (ut eadem dictat regula) salutem sperarent. Permisit eos cum cæteris Mendicantium ordinibus, diuinum Dei uerbum adulterantes, prædicare, ut Abadonis regnum eo citius promoueretur: disputare, et eius aduersarij per Aristotelem confunderentur: et confessiones audire, ut populos omnes obaudientes haberet. Et omnes, quotquot erant sub religiosæ mendicationis titulo, prouidens eorum quieti, ab omni regum iurisdictione & episcoporum authoritate exemit.

Scripserunt interim hi Papæ pugiles, ne inuenirentur in his suis officijs negligentes, super Sententias, super Decreta, super Aristotelem, super monachorũ regulas, cum repertorijs, summis, tabulis, triuijs, quatriuijs, determinationibus, quæstionibus, quodlibetis, mortuorũ miraculis, martyrologijs, Marialibus, legendis, perspectiuis, aphorismis, et similibus. Scripserunt cõcordantias Decretorum, institutiones ordinum, de casibus iuris, de arte notariatus, de libellorum formatione, de præludijs causarum, de actione aduocatorum, de institutione nouitiorum, de substantialibus religionis, de excellentia eucharistiæ, de uirtute Missæ, de profectu monachatus, de sex alis Seraphim, de sandalijs Apostolorum, defensorium mendicitatis, de subiecto (non substantia) theologiæ, & alia, ita ut totus admiraretur mundus, super locustis tartareum puteum egressis, quibus potestas data est, ut scorpionum terræ, Apoc. 9. Nulla tunc erat religio aut doctrina authoritatis, nisi apud Iuristas, & horũ Mendicantium fraterculos. Ioannes Teutonicus, sacerdotis præbendarij ex Friburgo filius, Summam confessorum fecit: Rolandinus de Romancijs, iuris utriusq; professor, de ordine maleficiorũ opus edidit. Qui Tritemium & alios legit, ex eius temporis scriptis uidebit, regnasse cum suis locustis Abadonem ipsum Apocalypticum & uerum. Magna tunc erat mundi excæcatio, ueritatis amissio, populi perditio, & animarum periclitatio. Sed hos demum tetigit egregius Dei athleta, Guilhelmus de S. Amore, in libellis de nouissimorum temporũ periculis, & pseudoprophetantiũ signis. In hos Nicolaus Gallus, fidelis Christi seruus, igneam sagittã, aculeatũ opus, emisit, ad eremũ iterũ reuersus.

Ad Innocentium quartum nunc regrediamur. Vt consuetis Paparum præstigijs mundum deluderet, ad mortuorum canonizationes se conuertit. Eadmundum Cantuariensem archiepiscopum, & Stanislaum Cracouiensem præsulem, qui in impia Pontificis causa principibus restiterũt, ac Petrum Veronensem Dominicanũ, Christianorũ hominum pro hac Satanæ sede proditorẽ et martyrem Papisticum, sanctorũ ascripsit numero. Ad Tartaros, legatos misit, eiusdem sectæ Dominicanæ monachos, qui eos ad pacem et fidem Papisticam adhortarentur. Tantam sibi authoritatẽ apud Barbaros esse putauit hic Papa, ut sperarit immanissimos hostes illos, inspectis eius literis, colla statim submissuros bestiæ, iussaq; eius facturos. Spurios ille plures habuit, quos religionis gratia nepotes nuncupabat: præcipuè Guilhelmũ quendam, cuius sepulchrũ in S. Laurentio extra muros cernebatur.

Cum hoc Innocentio quasdam contentiones habuit magnus tunc doctor ecclesiæ, Robertus Lincolniensis, cognomine Capito, eius improbans teterrimos mores, auaritias, fastus, tyrannides, tam uiua uoce quàm scriptis. Noluit ille admittere ad canonicatum Lincolniensem, quendam eius spurium, ob inscitiam: sed eius Papæ expilationibus restitit, Angliam deglubentis. Fuitq; ideo ab illo excommunicatus. Quam excommunicationem tanta constantia contempsit, ut & in ea mortuus sit. Disputabat ille, Papam nihil contra iusticiam ueritatemq; posse: imò cum id attentet, peiorem esse Lucifero & Antichristo. Tandem à Papa ad curiam citatus, & iniustè damnatus, ab eo appellauit ad iudicem Christum. Narratq; Cestriensis lib. 7, quòd obeunte Lincolniense, audita sit uox in curia Papæ clamans: Veni miser in iudicium Dei: repertusq; sit sequenti die Papa in lecto exanimis, ac liuida in eo plaga, tanquam si fuste percussus fuisset. Fiebat hoc, anno Domini 1253, quum esset Neapoli arbitratus breui, toto Siciliæ regno se potiturum. & ibi in ecclesia S. Laurentij sepelitur: uacabatq; sella Romanensis annis duobus.

122. Alexander quartus, natione Campanus, patria Anagninus, ex cardinale Hostiensi, in Innocentij locum, Papa Neapoli surrogatus: Ecelinum de Runcano, & Manfredum Siciliæ regem, Pontificum hostes, persecutus est. Hæc erant huius spiritualissimi patris prima exercitia: non cura Christiani gregis, non animarũ zelus, non diuinæ ueritatis promulgatio. Admonuit nihilominus primùm callidissima uulpes, paratis interim aduersus illos militaribus copijs, ne contra Ecclesiæ dignitatẽ quicquam

quam molirentur: hoc est, ne Siciliæ regnum, quod ille affectauerat, sibi ac suis Cardinalibus auferrent. Qui tamē heroicos gerentes animos, accersitis è Nuceria Saracenis atq; alijs, copias Papales, nihil tale metuentes, apud fossam aggreßi, partim cæperunt, partim trucidarunt. Interea Alexander, excommunicato Manfredo, Anagniā profectus, Octauianū Vbaldina gente ortum, ecclesiæ Rom. Cardinalem, Neapolim misit: qui Neapolitanos contra eundem Manfredum in fide confirmaret, pollicitus se breui Campanis omnibus ac Neapolitanis auxilium allaturum. Sed Manfredus non contentus Neapolitanos solùm uexare, in Hetruria quoq; factiones mouebat, maximè uerò Florentiæ: ubi placuit Guelphos reducere, qui Gibellinorū conatib. resisterent. Sic est Italia tota, grauibus odijs ac maximis tumultibus & bellis horribiliter exagitata. Manfredus aūt, qui Conradū Siciliæ regē ueneno extinxerat, Panormi rex declaratus: cōducto milite, legatū Apostolicū magnis cladibus attriuit.

Eo tempore, theologi quidam Franciscanorum sectæ, Brixiam à Pontifice mißi (nō pacis, sed belli exuscitatores) eo prædicando ciuitatem deduxere, ut & Guelphos extorres reciperent, & partes synagogæ Papisticæ sequerentur. Beneficus erat Alexander, ac liberalis erga hos & similes, optimè de Abadonis religione per prædicationis officium meritos: eò tunc per tales hypocritas deductum est officium tam sanctum. Nam libellos quosdam contra fictam eorum paupertatem editos ab erudito uiro Guilhelmo de S. Amore, perpetuo edicto aboleuit. Affirmabat enim uir ille bonus, pauperes hos, ociosos nebulones potius (nota locustas) de eleemosynis uiuentes, non esse in statu salutis. Combußit etiam (teste Platina) uidente ipsa curia Romana, libellum pestiferū, à fraterculis editū, quo asserebant, statum gratiæ non à lege Euangelij (ô Dei proditores) sed à lege suorum spirituum procedere: ne ex illo hominibus appareret, suorum amicorum, fraterculorum scilicet, damnabile furtum. Quæ opinio ex Ioachimi abbatis & Cyrilli Carmelitæ uisionibus sumpta, declarabatur. Et liber ille à suis sectatoribus Euangelium æternum dicebatur. Ex uisione, qua beatum Augustinum in somnio se uidisse credebat Alexander, fratrum Eremitarum ipsius Augustini unionem, à suo prædecessore incohatam, ardenter perfecit: ordinemq; ipsum, sicut et antea Carmelitas Innocentius, relictis eremis, urbes petere & incolere ubiq; coegit: ut & ipsi doctrinis impostricibus, et cōfeßionum auditione, fructus eo genere dignos afferre possent. In eodem statu (inquit Stella Venetus) eundem ordinem confirmauit, quo alios Mendicantium ordines: multaq; priuilegia, exemptiones & indulgentias ipsis contulit. Et eorum primus generalis præses, Lanfrancus Mediolanensis ponitur.

Huius Alexandri legatus Rustandus, anno Domini 1255, in Angliam uenit, ut decimas in Anglia, Scotia et Hybernia contra Manfredum colligeret. Et multa detestabilia (inquit Matthæus Parisius) à fonte sulphureo Rom. ecclesiæ, proh dolor, imò proh pudor, tunc temporis emanarunt ad multorum perniciem. Infinitam enim, post crucis prædicationem per Mendicantes, Rustandus pecuniam exigebat. Inaudita erat exactio, quam Pontifex petebat. Vnde Fulco Londinensis episcopus dolenter dicebat: Antequam tantæ ecclesiarum iniuriæ, seruituti, & intolerabili oppreßioni consentiā, profectò caput amittam. Nam etsi illa curia, fideles Christi multoties usq; ad amaritudinem spiritus excruciauerit: nunquā tamen, sicut hoc et sequente anno, tam lethaliter uniuersos & singulos Christi seruos sauciauit. Cogebātur enim insontes idololatrare: & quasi apostatæ, ueritati, quæ Deus est, abrenunciare. Papa operatur omnia, non in ædificationem, sed ruinam. Concessa fuit decima in subsidium terræ sanctæ: sed cogimur eam in Apuliam transferre contra Christianos. Et sequitur: Datur potestas personis prorsus indignis, super nobiles ecclesias. Venduntur prælati ut boues et asini. Hæc est ultimæ seruitutis cōditio. Ecce uenditores, eijciēdi profectò à templo, ac flagellādi. Sed quia ignobilius est, facere iniuriam uiolenter, quàm pati cum innocentia: credendum est, quod super hoc clamor ascendat querulus ad Deum Dominum ultionum, &c.

In conuocatione Londinensi, cum prædictus Rustandus diceret, Ecclesias omnes esse Domini Papæ, modestè respondit Leonardus quidam Anglus: Verum est tuitione, nō fruitione: defensione, non dißipatione. Seuallus Eboracensis archiepiscopus, Roberti Lincolniensis exemplo, Papæ Alexandro restitit, rogans per literas, ut à consuetis uiolentijs cessaret. ut Petri exemplo ouiculas pascat, non tondat, non excoriet, non euisceret, aut ut famelicus lupus deuorando cōsumat. Et sequitur in Matthæo: Misit adhuc alios in Angliam legatos, præcipuè Arlotum & Mansuetum, Minoritas: qui

authoritatem habebant absoluendi pro pecunijs quoscunq;, falsidicos, periuros, uotorum transgressores, adulteros, homicidas, proditores, ueneficos, Sodomitas, & omnes. Vnde mulier quædam reclusa apud fanum D. Albani, terribilem uisionem habens, audiuit senem uultu uenerabilem, seueriter clamasse: Væ, uæ, omnibus terrã inhabitãtibus. Et illud ter iterauit, ac recessit. Anno Domini 1258, Ricardus Cornubiæ comes, Ioannis olim Anglorum regis filius, in Alemaniæ regem eligebatur, propter thesauri sui abundantiam. Illiq; Papa Imperium procurabat, sed callidè & silenter, ne Hispaniæ regi Alphonso (à quo etiam aureos acceperat nummos) aduersarius & impostor uideretur. Thesauris enim abundabat Ricardus. Vnde Satyricus quidam,

Nummus, ait, pro me: nubit Cornubia Romæ.

Alexãder quoq;, ubi ab externis negotijs uacuus erat, Decretales epistolas edidit. Astutis Aegyptijs, fraterculis & decretistis fauit, eorumq; plures ad Cardinalatum & episcopatus usque promouit. Templum testudineum S. Agnetis ædificauit: & quod antea Baccho dicatum fuerat, D. Constantiæ dedicauit, nouus deorum erector: altareq; suis manibus consecrauit. Mendicantium ordines literis celebrauit: interdixit tamen, ne quem antè finitum probationis annum (insignis stultitia) ad ordinis professionem admitteret. Sedecim bullas (Palæonydoro teste) Carmelitis concessit, & Claram Francisci discipulam ac sororem, in sanctas retulit. Cum demum insuper Viterbium concessisset anno Domini 1262, pacem inter Genuenses & Venetos ad suam uoluptatem compositurus, & non omnia sibi ad uotum succederent: ex animi tædio, eo loci mortuus est, & in D. Laurentij templo sepultus. Mirabilẽ à Christo defectionẽ per fraterculos mẽdicantes, sub hoc Pontifice postea notabis.

123. Vrbanus quartus, natione Gallus, ex urbe Trecẽsi oriundus, & Pantaleo (ut fertur) ante Papatum dictus, patriarcha Hierosolymitanus: assumpto Pontificatu, statim è Gallia milites conuocauit, ut hostem ecclesiæ Manfredum subigeret. Et quo citius id fieret, Ludouicum Francorũ regem exorauit, ut Carolum fratrem, Prouinciæ & Andegauorum comitem, cum exercitu in Italiam mitteret: eumq; utriusq; Siciliæ regem dixit. Carolus autem post uarias conflictationes, Manfredum ad Beneuentum urbem uicit & occidit: regnaq; Siciliæ à Papa contra ius & phas in feudum accepit, cum Calabriæ & Apuliæ ducatu: ex quo furto manifesto patratæ sunt multæ cædes. Absente hoc Pontifice (Perusij namq; erat) Romani iterum libertati studentes, Banderesios creabant, magistratus nouos, qui uitæ necisq; potestatem haberent. Senatorem, priuatum hominem quendã Brancaleonem Bononiensem elegerunt: quem paulo pòst fugatum, iterum reuocarũt. Pauca præter ea quæ iam dicta sunt, Vrbanus fecit: nisi quòd cuiusdam fœminæ instinctu, festum Eucharistici panis, seu triticei Dei, quod Corporis Christi uocant, quinta feria post Trinitatis festum instituerit, cum processionibus, facibus, uexillis, conopœis, Missarum solennijs, et octauis. Quibus maximas addidit indulgentias, ut præ cæteris dijs omnibus coleretur deus Mauzim. Eiusq; officium ex ueteris Testamenti figuris & umbris, per Thomam Aquinatem Dominicanorum doctorem sanctum fabricari iussit.

Multæ sunt opiniones, super prima huius festi originatione: sed hanc accipe certiorem esse, ex Arnoldo Bostio, ac Petro Præmonstratensi. Anno Domini 1264, reuelatio sanè diabolica, super hoc sacramenti festo celebrando, cuidam Euæ fœminæ in terra Leodiensi, in ocio superstitioso reclusæ, Pontifici ante Papatum familiariter notæ, facta est. Quam per suas literas ei significauit, rogans, ut festum illud Papali authoritate solennizandum ordinaret: cui has literas remisit sanctissimus pater.

Bulla Vrbani papæ ad Euam reclusam.

Vrbanus episcopus, seruus seruorum Dei, dilectæ in Christo filiæ Euæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Scimus ô filia, quòd magno desiderio desiderauit anima tua, ut solenne festum corporis Domini nostri Iesu Christi institueretur in ecclesia Dei, à Christi fidelibus perpetuis temporibus celebrandum. Et ideo tibi significamus ad gaudium, quòd nos ad corroborationem catholicæ fidei, dignum diximus statuendum, ut de tam mirabili sacramento præter quotidianam commemorationem, quam de ipso facit ecclesia, specialior & solennior memoria celebretur, certum ad hoc designantes diem, uidelicet feriam quintam proximam post Dominicam festi Pentecostes proximè sequentem, ut ipsa feria quinta deuotè, turbæ fidelium, propter hoc ad ecclesias affectuosè concurrant. Sitq; dies illa uniuersis Christicolis noua festiuitate iucundus, & ampla iucunditate festiuus, prout in literis

literis Apostolicis, quas per uniuersum mundum super hoc direximus, ad plenius continetur. Et scias quòd nos huiusmodi festum, cum omnibus nostris fratribus, Rom. uidelicet ecclesiæ Cardinalibus, necnon cum omnibus archiepiscopis, episcopis, cæterisq; ecclesiarum prælatis, tunc apud sedem Apostolicam commorantibus ad hoc, ut uidentibus & audientibus de tanti festi celebritate, præberetur exemplum, duximus celebrandum. Magnificet igitur anima tua Dominum, & exultet spiritus tuus, in Deo salutari tuo. Quia uiderunt oculi tui salutare tuum (horrendum idolum) quod parauimus (ô execrabilis Antichriste & Abadon) ante faciem omnium populorum. Lætare insuper, quia omnipotens Dominus tribuit tibi desiderium cordis tui, & uoluntate labiorum non fraudauit te cœlestis gratiæ plenitudo. Et quia quaternum, in quo totum ipsius festi habetur officium, tibi sub bulla nostra per latorem præsentium destinamus, uolumus, & per Apostolica scripta tibi mandamus, quatenus quaternum ipsum cum deuotione recipias, & eius copiam personis illam petentibus exhibeas liberaliter. Et libenter instes deuotis supplicationibus apud illum, qui memoriale tam salutiferum de sei pso reliquit in terris, ut nobis tribuat ex alto gratiam, commissam nostro regimini ecclesiam suam regendi utiliter, ad laudem & gloriam sui nominis, & salubriter gubernandam. Datum apud urbem ueterem, sexto idus Septembris, Pontificatus nostri anno tertio.

Ex hoc Tartareo fonte effluxit innumerabiliũ idololatriarũ ac superstitionũ pelagus, quod uniuersum ferè Christiani orbis populum horribiliter inquinauit. Thomas Cantipratensis: A' procumbentibus (inquit) adoratur & honoratur. Sed & antea sub Honorio parabantur tabernacula. Hic sanguinis sitibundus Papa, inter Guelphos & Gibellinos plusquam triennio sedit, & eorum factiones ad ruinam et exitium multorum per Italiam certare prouocauit. Ludouicum Francorum regem, sed suo malo, in Saracenos armauit: & Mendicantium sectas, locustarum rex, fauoribus auxit, ac priuilegijs ornauit. Qui aliquando lacessitus, quòd esset obscuro genere natus, respondit: Nobilem uirum non nasci, sed uirtute fieri, nobilitatis est. Vnde Perusij demum in maximarum rerum conatu, anno Domini 1265, cum omnia uoto non succederent, animam in mœrore exhalauit. Cometes miræ magnitudinis (inquit Massæus) apparuit tribus circiter mensibus ante huius Pontificis mortem: et ipsa nocte qua defunctus est, apparere desiuit.

124. Clemens quartus, patria Narbonensis, Guido Fulcodius antea uocatus, aduocatus in Francia consistorialis, episcopus Podiensis, archiepiscopus Narbonensis, ac Sabinensis Cardinalis fuit, qui duas filias & filium unum ex uxore ante Papatum sustulit. Christiani sanguinis effusiones nec iste perhorrescẽs, prædecessoris Vrbani cœpta prosecutus, Pontificiam hanc abhominationis sedem solita Antichristorum tyrannide occupabat. Carolum Andegauiæ comitem prædictum, magno cum exercitu in Italiam uocabat, ubi occiso Manfredo, rex Siciliæ ac Hierosolymæ declarabatur: hac tamen lege, ut quotannis quadraginta millia aureorum nummûm Romanæ culinæ persolueret. Qua inter eos peracta conuentione, uarijs in locis bella crudelissima atq; hominum cædes perhorrendæ pullularunt. Prodidit namq; idem Pontifex Conradinum, Conradi Siciliæ regis filium, regnorum hæredem prædicto Carolo, ita quòd eo cum Germanorũ exercitu per Viterbienses agros transeũte, ubi tum ille degebat, Pontifex dixisse fertur: Conradinum illum tanquam agnum ad occisionem duci, quo se proditionis conscium esse non dissimulauit. Deinde cum circa Neapolim cum Carolo confligeret, & initio satis haberet uictoriæ, proditione sese aperiente, Conradinus & Fridericus dux Austriæ capiebantur. Qui in captiuitate miserè tractati & irrisi, tandem iussu papæ Clementis, etiam decollati sunt, quum paternum & auitum Conradinus peteret regnum. Sic Neapolis regnum ad Gallos quoq; deuenit, et ducatus Sueuiæ Rom. pontificis improbitate cessauit. Quis hæc audire non perhorrescat? Pontifex, qui se Christi uicarium, ac Petri successorem iactat, regiam maiestatem uiolauit, cuius tamen rationem summam habere ex Christi ac Petri præcepto teneretur. Qualiter hic Pontifex, cum diuersis mundi principibus circa Imperium tum uacans, pro pecunijs luserit: & quomodo Mendicantes fraterculos, ut suis prædicationibus ipsum facerent regem, ad ecclesiarum dignitates prouexerit, perlongum esse hic narrare. Viterbij mortem oppetijt Clemens anno Christi 1270, apud Dominicanos sepultus. Vacabatq; Pontificia sedes duobus annis, cum tam scelestus inueniri nõ posset, qui superioribus bene succederet. Heguuidam uiduam, Poloniæ olim ducissam, ille canonizauit.

Est eodem tempore & D. Ludouicus Francorum rex Sanctorum ascriptus numero.

125. Gregorius decimus, natione Lombardus, patria Placentinus, de familia Mediolanensiū Vicecomitum, Theobaldus antea dictus, ex Laudensi archidiacono post Asianam peregrinationem, finitis Cardinalium discordijs ferè biennalibus, dignus tandē successor inuētus est. De cuius electione, Ioannes Portuensis Cardinalis hos uersus cecinit:

Papatus munus tulit archidiaconus unus,
Quem patrem patrum fecit discordia fratrum.

Hic inter cætera, pacem inter Genuenses et Venetos diu, nō sine sacræ sedis incommodo, concertantes, cōstituit: deinde Florentinis, eiusdem sedis inuadentib. oppida, sacris interdixit. Postea proficiscens in Galliam, anno Domini 1273, Lugduni concilium celebrauit, in quo Michael Palæologus Imperator Constantinopolitanus, cum Romano dogmate rursus conuenit, cum eius maiores duodecies antea conuenissent, semperq; desciuissent. Interfuit et Philippus Francorum rex, cum multis Gallorum & Anglorum, aliarumq; nationū uiris nobilibus atq; eruditis. In eo Concilio statuit, ut defuncto Pontifice, Cardinales in conclaui quodam clauderentur, sine cibo ac potu, donec unanimi consensu alium elegissent Papam. Fecit ordinationem quinq; episcoporum Cardinalium, & ut laudabiles atque honestæ personæ (fuit ergo tunc maior eorum pars inhonesta) ad talia assumerentur officia, sanciuit. Pro terræ sanctæ subsidio (uetus hæc erat Pontificum ars) & pro statu rasorum ecclesiæ multa uersutus constituit. Ex nobilibus multi, tam reges quàm comites, ad iter Hierosolymitanum se cruce signabant: quos personaliter illic se uisitaturum, callidè pollicebatur.

Mendicantium ordinum fraterculos (ne suis locustis deesse uideretur Abadon) ad uarias prælaturas assumpsit: Bonauenturam Franciscanum Cardinalem Albanensem fecit, & Petrum de Tarantasia Dominicanū, archiepiscopum Lugdunensem ac Hostiensem cardinalem, cum alijs multis. Florentinis omne ius belli interdixit: Rodulphum Habspurgensem comitem, post longam Imperij uacationem & bella ciuilia, Imperatorem approbabat: & Alphonsum Castellæ regem post expensas circa Imperium grauissimas, defuncto Ricardo Cornubiensi, uerbis, non nummis placabat. Et quanquā Radulpho iniunctū ab Electoribus esset, ut Romam intra annū proficisceretur, diadematis caussa ille tamen nunquam hoc fecit, publicas prætendens occupationes. Priuatim princeps sapiens apud se dicere solebat: Cæsarum uestigia læta ac magnifica uideri in Italiæ introitu, sed in exitu tristia, misera & luctuosa. alludens ad illud Aesopicum de uulpe & leone: ubi uulpecula dicebat, se quidem uidere multa introeuntium uestigia (in speluncam leonis scilicet, ad quam inuitabatur) sed exeuntium paucissima. Misit tamen Rodulphus uicepræsidem, seu locumtenentem in Italiam, quem urbes magna parte susceperunt. Papa uerò Romam reuertens, ac iter prope Florentinorum mœnia faciens, eos interdicto iam ferè triennali, soluere noluit, ut Volaterranus scribit: huius Paulini dicti immemor, Sol nō occidat super iracundiam uestram, Nolite locum dare diabolo, Ephes. 4. Aretium perueniēs demum, anno Domini 1275, in itinere fato decubuit, quinto sui Pontificatus anno: & ibidem sepelitur, nec unquam peruenit aut uidit Romam.

126. Innocentius quintus, patria Burgundus, professione Dominicanus, & Petrus de Tarantasia prius appellatus: Aretij à Cardinalibus electus, cum adhuc duraret uetus simultas, primus ex locustis seu famelicosis fraterculis ad Papatum peruenit. Post sui ordinis in Gallia præfecturam, cognito eius callido atq; arroganti ingenio, Gregorius ex archiepiscopo Lugdunensi (ut dictum est) inter ecclesiæ Rom. cardines ipsum adscripsit, episcopum Hostiensem ac summum pœnitentiarium creans. Ita potestatem habebant locustæ, creandi super se regem Abadonem, Apoc. 9. dum iste esset Hostiensis episcopus, ante Papatum Cardinalis factus, cuius officium erat, Papam præ alijs consecrare: & Bonauentura Franciscanus, Cardinalis episcopus Albanensis. Qui Petrus ipse, uel Innocentius, in Papā electus, Romam paulo pòst abiens, & in D. Petri templo coronatus, animum statim, ut in antiqua quiete ad carnem uiueret, ad res Italiæ pacandas adiecit. Quare legatos, non infimæ authoritatis uiros, misit, qui et Hetruscos in perniciem Pisanorum conspirantes, & Genuenses ac Venetos de uita & sanguine inter se certantes, ab armis discedere sub anathematis pœna cogerent. Aderant & oratores Caroli Siculorum regis, cuius etiam authoritate rem magis ex sententia cōfici posse sperabat.

Fecere

Fecere mandata Hetrusci, maximè uerò Florentini: quos ob eam rem Pontifex à Gregorij prædecessoris interdicto absoluit. Genuenses autem & Veneti, quorum odia magis inoleuerant, sese inuicem mutuis cladibus cōficiebant: quos tamen Innocentius in suam traxisset sententiam, si ei diutius uixisse licuisset, adeò ad rem illam animatus erat. Moriebatur autem secundo die post sex menses sui Pontificatus, eo anno quo Gregorius prædictus, in Lateranensi basilica terræ cōmendatus est. Hic licet multa facere proposuisset (inquit Carsulanus) morte præuentus tamen, nil nobile fecit. Presbyteris secularibus (ut narrat Platina) non parum displicuit hic Pontifex, quòd Viterbij post lites inter illos & Dominicanos, super Clementis quarti sepultura, corpus eius sepeliendum Dominicanis tandem adiudicauerit.

127. Hadrianus quintus, patria Genuensis, è Flisca familia ortus, Othobonus antea uocatus, Romæ post Innocentium prædictum, in atrio Lateranensi Pontifex creabatur. Fuit hic Innocentij quarti olim nepos (nescio num filius) diuiq; Hadriani diaconus Cardinalis ab eodem ordinatus, & in Angliam legatus, pro colligendis pecunijs cum summa potestate missus. Sed dum controuersias inter regem & barones sedare laboraret, quo quietius res suas ageret, a ciuibus Londinensibus in carcerē est coniectus, demumq; liberatus. Anno Domini 1266, magna episcoporum et sacerdotum frequentia, Northamptonæ unum, & Londini alterum concilium celebrauit: ubi posteaquàm res, quæ ad Papismum pertinebant, ad statum sibi placentem perduxisset: leges tulit, quibus Anglia longis in posterum temporibus ad papismum utebatur. Denunciauitq; impios esse episcopos omnes, qui principū partes contra regem Henricum tertium, temerè secuti fuissent: quos ipse tamē muneribus partim absoluit, partim Romanum adire Pontificem coegit. Creatus itaq; pontifex, Viterbium statim proficiscebatur, Rodulphumq; Imperatorem ad comminuendā Caroli Siciliæ regis potentiam (is ille est, quem contra fas iusq; prius euexerant) qui tum Romæ omnia pro arbitrio agebat, in Italiam uocauit. Verùm Rodulphus Bohemico bello implicitus, Hadriani desiderijs satisfacere non potuit. Carolus autem ad declinandam inuidiam intentus, omnem uim belli in Achaiam transtulit, uiam sibi ad imperium Constantinopolitanū facturus. Hadriano (inquit Platina) in animo fuerat, & ditionem ecclesiæ tutiorem ab oppressoribus reddere: & constitutionē Gregorij prædecessoris, de restrictione Cardinalium in eligendo Pontifice, in aliam redigere formam. Sed eius conatibus & animi magnitudini mors obstitit. Quid (inquit Vuicelius) faceret Papa quadraginta dierum? Viterbij enim decessit anno Domini 1276, ante suæ consecrationis munus: & in Franciscanorum cœnobio sepulturam solennem accepit, quadragesimo die sui Pontificatus. uacabatq; sedes illa 28 diebus.

NICOLAVS FERNEHAM. III.

Nicolaus Ferneham, Oxonium florentis ætatis adolescens, Lelando teste, coluit: & bonę indolis, ac ingenij præter communem sortem acuti, signa exhibuit illustria. Animum ad rei herbariæ cognitionē applicans, Hippocratem, Dioscoridem, Galenumq;, medicorū lumina, Parisijs & Bononiæ frequentauit, medicinæ studium suscipiens. In Angliam post longa studia reuersus, in precio magno esse cœpit, tum propter fortunas in sanandis ægrotis, tum maximè propter literas quas latè acquisiuerat. Hæc & similia effecerunt, ut & rex ipse accersiret illum, ac munificentijs quibusdam ornaret. Ex regis aula tandē, Cestrensi episcopatu relicto, sedem Dunelmensem libens accepit, atq; in eo perseuerauit. Hæc de ipso refert uterq; Matthæus Parisius ac Vuestmonasterius, in suorum Chronicorum libris. Scripsit suo tempore Nicolaus

Practicas medicinæ,	Lib. 1.
De uiribus herbarum,	Lib. 1.

Atque alia his similia. Claruit anno à diuini Verbi incarnatione 1241, quo erat in episcopum consecratus, regnanre Henrico Anglorū rege tertio. Et post aliquot annos obijt, in sua ecclesia sepultus, Gualtero succedente.

APPENDIX.

Matthaeus Vuestmonasterius in Floribus historiarum, lib. 2: Anno Domini 1241, Praedicatores & Minores plurimum erant per mundum diffamati, quod pecunia mediante, cruce signatos in Christianorum perniciem absoluissent, seu uoto leuassent. Templarij quoq; eodem anno Hospitalarios in terra sancta multis & magnis iniurijs uexabant. Postea apud Achon, illis magis ac magis inuidentes, Ricardo Cornubiensi decedente, cum ipso Soldano se confoederabant. Et hinc sunt religiosi per illos dies in captiuitatem ducti. Orta est eodem anno discordia inter Robertum Lincolniensem episcopum & capitulum, quia corrigere moliebatur Canonicorum excessus. Obijt eo anno Isabella imperatrix, Ioannis regis filia, & Henrici soror, magna spes Anglorum. Anno Domini 1243, stellae in magno numero de coelo cadere uidebantur. Imperator duos Minoritas bullarum portitores, in ordinis eorum cõtemptum patibulo suspendit. Diuulgatum fuit hoc anno de Imperatore, quod nusquam audire Missam & alia diuina curabat. Beghinae in Alemania eodem anno, in magno mulierum numero creuerunt, authore earum primo penitus ignoto. Et in ciuitate Coloniensi inueniebantur aliquot millia. Mysteriũ est. In coelibatu latet necessitas. Anno Domini 1244, Martinus quidam, Papae Innocentij nuncius, pro colligendis pecunijs in Angliã uenit. Caesar interim supplicabat, ne in suũ damnum aliquid Papae contribueretur. Responderunt praelati, quod patri eorum spirituali, pro ecclesia dimicanti, non deessent. Eodem anno in Angliam uenerunt Crucigeri, qui Colcestriae locantur, & alij quidam monachi. Anno Domini 1245, Fridericus Caesar excommunicabatur. Dum Papa, ut fertur, ipso die esset Lugduni in concilio, repentino incendio combusta est eius camera, ministris incautè ignem relinquentibus. In eo igne foeliciter perijsse creditur charta ipsa obligatoria, de Angliae tributo iniusto, dum Fridericum Pontifex persequeretur. In eo concilio conquestus est rex Angliae per procuratores, super innumerabilibus exactionibus Papae. Et contradictum est tributo Angliae, quo inuoluit eam rex Ioannes tempore belli & odij per alium Pontificem, scilicet Innocentium 3, inter ipsum & suos nobiles. Haec Matthaeus.

APPENDIX ALIA.

Ioannes Palaeonydorus in Fasciculo tripertito: Anno Domini 1245, Innocẽtius quartus sub Papali protectione Carmelitas suscepit denuò per bullã. Ioannes Maria, Polutianus, in Mari magno: Anno Domini 1245, Eremitae montis Carmeli, mendicitatem primò in Europa post Dominicanos et Minoritas profitebantur. Inde permissi sunt praedicare, & confessiones audire. Nam multi ex eis tunc erant in theologiae facultate instructi. Sed uix unum in quolibet coenobio, ubi tamen multi fratres erant, sacerdotem habebant: tam rari apud illos fuere tunc sacrifici. Ex bullis praefati Innocentij haec sunt desumpta. Guilhelmus de S. Amore, in Defensorio ecclesiae, lib. 2: Postquam fundati essent Praedicatores & Minores, in mendicitate ociosa, finxerunt Carmelitae, Mariam Christi matrem mendicasse: atq; Augustini fratres, Paulum primum Eremitam idem fecisse. Haec ille. Sub praedicationis & confessionis audiendae colore, mendicantes fratres, pro Antichristi regno promouendo, mirabilia multa his diebus ubiq; per mundũ faciebãt. Et ut cum alijs eadem fruerẽtur ex illis officijs dulcedine lucri, quidã ex praedictis Carmelitis & Augustinianis, Pontificis indultum clanculũ quaeritabant, ut urbes contra primũ eorum institutũ inhabitare liceret. Quorum imposturas subolens Nicolaus Gallus, sub Sagittae igneae titulo, aculeatum librum aduersus illos argutè scripsit. Sed de ipsis postea.

ROBERTVS BACONVS. IIII.

Robertus Baconus, Oxoniensis Academiae doctor, & in theologia regens seu praelector, ut Nicolaus Triuetus in Chronico regum narrat: ex magna ad Dominicum deuotione, Praedicatorum ordinem senex ingrediebat. Et post ingressum ordinis (inquit) lectiones suas in scholis D. Eduuardi, per plures annos continuauit. Huius olim in theologia primùm praeceptor, postea socius erat Eadmundus Abyndonius, Cantuariensis archiepiscopus, in diuos postea relatus. Quem Ricardus Vuichiensis, eius cancellarius, Ricardi Leonini regis, Stephani Langtoni, atque unius sacrifici animas, ut prius dictum est, à purgatorio flagrãti uidisse liberatas, asseruit. Idcirco ex

ex eius ore audiētes Dominicani, assiduè per illos dies è suggestu Euangelij loco declamabāt, *ut horribilis eius flammæ terror ipsorum promoueret quæstū.* Composuit Robertus, dum Petri Lombardi sentētias exponeret,

Lectiones ordinarias, Lib. 1.
Super Psalterium, Lib. 1.
Vitam Eadmundi archiepiscopi, Lib. 1.
Glossas scripturarum, Lib. 1.
Sermones uarios, Lib. 1.

Et alia plura. Obijt mortem anno à diuini Verbi incarnatione 1243, sub Anglorum rege Henrico tertio, ut in suo Chronico Matthæus Parisius habet. Quo anno (inquit) luna passa est eclipsim, ac mare limites excessit.

SIMON LANGTONVS. V.

SImon Langtonus, Stephani prædicti Cantuariensis archiepiscopi frater, atque eius ecclesiæ archidiaconus, animum erga literas, ab ipsa pueritia mirè propensum habuit. Sed erga suum principem Ioannem olim Anglorum regem, in fratris causa, tam iniquus proditor fuit, ut nō solùm apud Rom. pontificem Innocentium tertium, sed et apud Philippum Frācorum regem, atque suos ipsius barones & nobiles, in multis illi obesset. Imò tam atrox & immanis aduersarius erat, ut nec iubente ipso Pontifice, Geruasio cuidam Hobrugo Londinensis ecclesiæ præcentori adiunctus, à consuetis iniurijs ac malitia desisteret, sed & Pontificis ipsius execrationes omnino contemneret. At uide sequelam. Omnibus tandem spoliatus fortunis, Romam cum suæ factionis cōplicibus adire cogebatur, Pontificis gratiam petiturus: quam, teste Matthæo Parisio, penè nullam inuenit. Hic scripsit

De pœnitentia Magdalenæ, Lib. 1. *Miserator & misericors Dominus.*
Epistolas ad diuersos, Lib. 1.

Atque alia quædam. In præfato opere, quasi palinodiam retroactæ uitæ, pœnitentia tactus, cecinit. Et oppetijt mortem, anno à Christi Seruatoris natiuitate 1248, in quo plures eruditi in Anglia uiri obierunt, sub Henrico tertio.

RICARDVS FISHAKER. VI.

RIcardus Fishaker, aliàs Fizacrius, in Excestriensi patria natus, apud solos sectarios animarum salutem esse credens, Dominicanorū fratrum institutis perpetuò se innodauit. Et horum obtenebratus nebulis Cimericis, deliramentisque fanaticis excæcatus, nihil Oxonij & Parisijs præter tragelaphos & hircoceruos, aliasque sophistarum scurrilitates mōstrificas protulit. Nec alij his diebus docti ab imperito uulgo iudicabantur, quàm qui talium nugarum & somniorum inanium subtiles essent artifices. Sic perijt à terra salutaris ueritas, hominibus in exitium ductis per illos qui ex alienis laboribus uiuere quærebāt. Roberto Bachono comes adiunctus, Lutetiæ Parisiorum studuit. Quos ita esse indiuiduos, Lelandus narrat, ut Brithum Bacchio, ac Theseū Pirithoo, quos nec mors ipsa diuidere potuerat. Nam extincto Bacono, superesse Fizacrius noluit. Congessit iste ex uarijs ociosorum dogmatum labyrinthis inextricabilibus,

Sententiarum commentarios, Lib. 4. *Rom. 11. O' altitudo diuitiarum.*
In primum nocturnum Psalterij, Lib. 1. *Iste liber docet, quid maximè.*
In parabolas Salomonis, Lib. 1. *Multiplici ratione audiendum.*
De pœnitentia, Lib. 1. *Quia ut habet sanctus August.*
Postillas morales, Lib. 1.
Commentarios Bibliæ, Lib. 1.

Quæstiones

Quæstiones uarias, Lib.1.
Quodlibeta quoq;, Lib.1.

Et alia plura. Huius pro deo suo Mauzim fulcimentis, fortiter innitebantur Guilhelmus Vuodeforde aduersus Vuiclevum, & Guilhelmus Byntre in Disputationib. ordinarijs. Obijt, Oxonij sepultus, anno Domini 1248, sub Henrico.

APPENDIX.

Platina: *Innocentius quartus in* Lugdunensi *concilio,* Fridericum *Cæsarem imperio et regnis priuauit. Cardinales, ut rubris galeris uterentur, et equis ueherentur, instituit.* Apparatus Decretalium *edidit. Glossatores eorundē excitauit. Contra* Petrum Vineam, *super Pontificis in Cæsarem authoritate scripsit. Et fratres mendicantes ad tartaros legatos misit, ut & apud barbaros authoritatem haberet.* Christianus Massæus: *Statuit, ut Cardinales rubeo galero uterentur: quo significarēt, se paratos esse pro fide catholica, & salute populi, etiam proprium sanguinem fundere. Hæc ille. Fucus certe speciosus.* Potius id fiebat, *ut in mysterio designaret, magnam illam fornicationum matrem, tunc ebriam esse de sanguine sanctorum martyrum Iesu:* Apoc.17. *Vide eorum tyrannidem in* Fridericū, *& alios. Luna enim, quæ ecclesiam significat, facta fuit in sexta uisione sanguinea,* Apoc.6. *Notari poterit anno sequenti, nuptiarum historia, inter* Boscardum Auēnensem *subdiaconum &* Margaretam Hannoniæ *dominā, apud prædictū* Massæum. *Digna profectò est, ut & legatur et ponderetur.*

Matthæus Parisius: *Anno Domini 1246, diffinitum erat in parliamento apud Anglos, ut efficaciter scriberetur Domino Papæ, ut à consuetis oppreßionibus cessaret. Scripserunt igitur episcopi per se, scripserunt abbates & priores, scripserunt comites & barones, scripsit & ipse rex, ita ut ferina potuerint emollire corda. Eodem anno Papa audiēs per quosdam susurrones, quòd clerici quidam in* Anglia *opulenti, morbo repentino correpti, indecenter à seculo migrassent: statutum fecit, ut defunctorum clericorum bona in eius usum deinceps cederent. Nam* Ioannes Hotost, *archidiaconus* Norhamptonensis, *sic moriens, 5 marcarum millia, cum 30 cuppis argenteis, & aliquot aureis, atq; infinitis iocalibus reliquit. Ita etiam fecerunt,* Robertus Hayles *archidiaconus* Lincolniensis, Almaricus *archidiaconus* Bedfordiensis, *& alijs plures. Cum hæc ad regis aures peruenissent, arctè præcepit, ne inaudita hæc nouitas procederet, nec Prælati quicquam illi contribuerent. Sed his cognitis, frendens Papa rescripsit, ut contributio solueretur, potentes executores mandati constituens,* Vuintoniensem *ac* Noruuicensem *episcopos. Hi uerò negotium Papale fulminibus ita exequebātur, ut territis prælatis, regi silentiū imposuerint, ut ne mutiret quidem. Non enim iuuat frustratorios regis conatus describere, cum finem tam flebilem sortiatur. Assumens ex præteritis audaciam Papa, miseros Anglos opprimere non cessabat. Sed & solito imperiosius prælatis mandabat, ut omnes in suis beneficijs residentes, tertiam bonorum suorum partem ei per triennium conferrent: non residentes dimidiam, adiectis conditionibus durißimis. Ad quod exequendum, episcopum* Londinensem, *uicarium constituit. Atq; ut eo celerius fierent,* Eadmundum Abyndonium *canonizauit. At rex per suos clericos hæc fieri prohibuit. Et postquam Papa et sui clientes Imperatorem deposuissent, in eius necem proditoriè conspirauerunt. Hæc Matthæus.*

SIMON STOKIVS. VII.

Simon Stokius, ex Cantiorū comitatu, honestis parētibus ortus, à duodecimo ætatis anno eremum incoluisse, & in putri caua quercu, unde cognomen cæpit, cellam sibi constituisse dicitur. Syluestres illi fructus (inquit Lelandus) ambrosiæ dapes erant: scaturiēs ex horridis rupibus aqua, nectar: cauæ quercus & antra, purpureus thorus. Qui tandem audiens ex Palæstina Syriæ, Carmelitas aduenisse, quos olim oraculo uenturos accepit, si uera sit historia, alacri itinere perrexit ad illos, ferè octogenarius, & eorum societati se statim adiunxit. A' quibus, ut cœleste numen, ex uitæ & doctrinę fama exceptus, in proxima eorum synodo generali Aylesfordiæ, anno Christi 1245, fit uniuersalis totius per Europam ordinis præses sextus,

Alano

Alano Armoricano Brytone officium resignante, eosq́ 20 annis gubernauit. Oxonienses magistri ipsum interim, licet renitentē, suæ theologiæ Baccalaureum fecerunt. De huius hominis eruditione, uitæ sanctimonia, prophetico spiritu, miraculorum prodigijs, & secretis uisionibus, multo plura quàm uera narrantur. Quod ex solitudine Dei uerbum sæpiusculè annunciauerit, ac plebis scelera taxauerit, sanctitatis eius non leue argumentum est. Sed quòd Mariam uirginem, suis propitiam optauerit, à spiritu Euangelicę doctrinę penitus ignaro prodijt. Neq́ quòd in Carmelo per septennium manna cœlesti nutritus fuerit, impudentissimo caret mēdacio. Composuisse uerò inter alia memoratur hic Simon,

De Christiana pœnitentia,	*Lib.1. Amos super tribus sceleribus.*
Epistolas ad fratres,	*Lib.1. Frater Simon prior generalis.*
Canones cultus diuini,	*Lib.1.*
Homelias ad populum,	*Lib.1.*
Ad Christiparam uirginem,	*Anti. Flos Carmeli, uitis florigera.*
Ad eandem Christiparam,	*Anti. Aue stella matutina, &c.*

Et alia quædam, sed superstitiosa. Mundū reliquit centesimo ætatis suæ anno, 16 die Maij, in terra Vasconię, æde Burdegalēsi sepultus, anno Seruatoris nostri 1265, regnāte Henrico tertio: eumq́ postea, cum ex terra effoderet corpus, Burdegalēsis archiepiscopus in sanctos Papisticos retulit. Huius uitā scripserūt, Monaldus Rosarius Vasco, Rolandus Bouchier Hannonius, et Ni[illegible]laus Harlemensis Batauus, uiri suis temporib. eruditi.

IOANNES CANTIANVS. VIII.

IOannes Cantianus, sic illum Lelandus cognominat, post Simonem meritò locandus occurrit, tum quòd illius synchronus, licet eo aliquanto iunior, tum quòd eiusdem comitatus alumnus sit. Bonam in puero indolem uidentes illi, qui ei ab ipsius natiuitate fauebant, ante pubertatis annos in literis educandum ac docendum procurabant. Cumq́ bonis artibus et moribus probè fuisset institutus (Lelandi uerbis utor) relicta patria & scholis in quibus adolescens creuit, iam uiriles attingens annos, Galliam Aquitanicam petijt.: ubi & placita legum causidicus non improbandus excutiebat. fuitq́ postea Canonicus Andegauensis ecclesiæ, in fano D. Mariæ uirgini sacro: quo tempore, in studijs quietus edidit,

De casibus iuris,	*Lib.2.*
Rubricas quoq́,	*Lib.1.*

Et alia id genus plura. Demum ad Franciscanorum institutum conuersus, anno à Christi incarnatione 1247, inter illos consenuit, sub Henrico tertio, ut author est Thomas Eckleston, in libro suo de aduentu Minorū ad Angliā.

APPENDIX.

Matthæus Parisius: *Anno Domini 1247, tepuit fidelium deuotio erga ecclesiam, propter quotidianas extorsiones, quæ fiebant. Vnde quidam nobilissimi Francorum, mirabilem contra Papam conspirationē fecerunt, epistolas & facetias inter se multas conficientes. In Parliamento Londini eodem anno oblata est querimonia lamentabilis, super ruina reipublicæ Anglicanæ, ex iniurijs regno illatis, per imperiosas Romanorum postulationes pecuniarias. Vnde epistolas solito mordaciores ad eos scribebant Angli. Nihilominus Papa iubente, in Angliam eo anno mittebantur duo Minores, Ioannes Cantianus & Adam de Marisco, pro pecuniaria subuentione, auxilium uel charitatem ad opus Papæ petituri. Et post multas disceptationes hinc inde, prælati tandem consenserunt ad contributionem 11 millium marcarum. Terræmotus eo tempore ædificia concussit, & mare supergrediebatur limites. Tonitruum homines & arbores contriuit. Conducti sunt eo tempore subdoli quidam, ut Fri-*

dericum Cæsarem ueneno uel pugione è medio tollerent. Eadem ex altera parte & Papa timuit.

Theodorus Bibliander: Vsq; ad Innocentium quartum articulus fidei non fuit, neq; lex ecclesiæ, ut homines adorarent panem & uinum in Eucharistia. Papa igitur creator, nouum deum Mauzim produxit per transubstantiationem, &c. Thomas Cantipratensis: A' procumbentibus adoratur & honoratur. Sed & antea sub Honorio parabantur tabernacula. Idem: Guilhelmus Cornelius, Antuuerpiensis sacerdos, post quatuor annos à sepultura exurebatur, ob hæresim sacramenti, per Nicolaum episcopum Cameracensem. Platina: Petrus Vinea, ex urbe Capua natus, Cæsaris cancellarius, scripsit de potestate imperiali. Et quia dicebat, administrationem publicam Imperatoris esse, pro hæretico habebatur. Radulphus Coggeshale: In Hungaria quidam aduersabantur Rom. ecclesiæ. Ioannes Funccius: In Sueuia concionatores quidam, Friderici & Conradi causam iustificantes, in fortitudine spiritus dicebant, apud Papam et Cardinales nullam à Christo authoritatem residere, quòd omnes una labe simoniæ maculati essent. Et cum hos tueretur Conradus rex, penè incidit in capitis periculum.

Appendix alia.

Ex Philippo Riboto & Siberto de Beka: Anno Domini 1248, Carmelitæ fratres, paupertatis & castitatis uotis irretiri primùm cœperunt, ut inde haberent uirtutem draconis, & ad plenum essent Papisticus ordo. Præcepit enim põtifex Innocentius quartus Hugoni D. Sabinæ Cardinali, & Guilhelmo Anteradensi episcopo, qui Dominicani erant, ut eorum regulam ipsius authoritate decernerent, corrigerent, atq; ad suas nequitias aptarent, ut plenè tandẽ essent eius creaturæ. Qui ut sibi in Papismo conformes fierent, ac suarum fœditatum participes essent in regno Antichristi, hanc & consimiles impostrices clausulas obedientiæ eorum uoto addiderunt, scilicet, cum castitate & abdicatione proprietatis, &c. ut eiusdem cum eis Sodomæ iurati ciues essent. Vocatur namq; spiritualis illa ciuitas, Sodoma & Aegyptus, Apoc. 11. Et ita adorantes bestiam illam magnam, atque habentes characterẽ et numerũ nominis eius, poterant sub ea emere ac uendere, Apoc. 13. Poterãt et urbes intrare, mendacia seminare, cõfeßiones audire, nundinas exercere, exorcismos facere, Missas murmurare, panes incantare, nouos Deos facere, et colendos alijs exhibere: nonnas, Pinzocheras ac Beghinas cõstuprare, & alia miracula edere. Inde Parisijs, Londini, Coloniæ, Florẽtiæ, Venetijs, Tolosæ, Perpiniani, et in alijs ciuitatibus, fixerunt suos nidos. Cyrilli prophetia: Ab infantiæ suæ primordio, usq; ad tẽpora pubertatis, margaritis multiplicibus, parẽtumq; sanctitudine, excisi de petra durißima uallis uirginis nitebũt, donec pedetentim muscarũ stercoribus, et uiarũ pulueribus fuscabũtur, &c. De abstinentia à carnibus, mendicitate ualida, silentio nocturno, horis statutis, & alijs traditionibus papasticis, nihil hic dico, Ioannes Stella ac Tritemius. Idem Innocentius, sororibus S. Claræ regulã cõposuit ac dedit.

GVILHELMVS SHIRVVODE. IX.

GVilhelmus Shiruuode, prima literarũ incrementa, Lelando teste, accepit apud Oxoniẽses, in collegio uniuersali, posteriora uerò in Gallijs, Lutetiæ Parisiorũ. Lincolniensis ecclesiæ tandem, regis beneficio cancellarius designatus, in omnibus ad eam functionẽ spectantibus, pulchrè profecit: & præcipuè in scholasticis lectionibus, quas ne inani torperent otio, suis in dies exhibebat. Huius pietatem erga Oxonienses, in scholarium reductione post interdictũ legati, Ioannes Rossus Vuaruuicensis in libello de academijs Brytannicis mirum in modum extollit, atq; Rogerus Baconus in libello De laudibus Mathematicæ artis, ad Clementem quartum Rom. pontificem. Sunt non pauca, quę prædicto Lelando coniecturam faciunt, eundem hunc esse Guilhelmum, quem Matthæus Parisius à Dunelmo cognominat, & in archiepiscopum Rothomagensem electum narrat. Scripsit suo tempore Shiruuodus

Lecturam sententiarum,	Lib. 4.
Distinctiones theologiæ,	Lib. 1.
Conciones aliquot,	Lib. 1.

Aliaq; plura. A' Roma post Innocentij quarti Pontificis confirmationem

pecuniariam,

pecuniariam reuersus, anno à natiuitate nostri Seruatoris 1249, Rothomagi ultimum uitæ diem clausisse fertur, in Anglia regnante Henrico tertio.

MICHAEL CORNVBIENSIS. X.

MIchael Blaunpayn, patria Cornubiẽsis, ob illustria quędam facta Magister cognominatus, natalitio cognomine penè obliterato, poeta suo tempore per Angliã & Galliam percelebris fuit. Cùm iste adhuc puer esset, ac spiraret nescio quid literarum, parentes quibusdam bonarũ artium peritis in patria uiris educandum tradiderunt: à quibus postea diligentissimè instructus, contulit se tandem ad Oxoniũ & Parisium, ac uarijs in utroque gymnasio inuigilauit studijs. Hinc illi magna tum rerum humanarum, tum cœlestis doctrinæ accreuit cognitio. Latinæ linguę usum, & doctas artes, tum præterea condendorum carminũ peritiam, tanquam ab ipsis fontibus hauriebat. Contra quendam Normannũ, Henricum Abrincensem, suæ artis peritum, edidit,

Versus ac poemata, Lib. 1. *Archipoeta uide, quod non sit.*
Epistolas & carmina, Lib. 1.

Aliaq; plura composuit. Et claruit anno ab aduentu Messiæ in carnem 1250, sub Henrico rege præfato. Euenerunt eo anno iubileo (*inquit Matthæus Parisius*) *prodigia inaudita & nouitates admirandę: Cæsare interempto, panes ac nubes sanguinem dederunt.*

IOANNES GODARDVS. XI.

IOannes Godardus, Bernardinæ sectæ, seu Cisterciensis, ut uocant, ordinis professor, idemq; bonarum artium (ut Lelandus habet) candidus amator, famã ab ingenij fœtura claram meritus est. Matheseos etenim sublimiorem illam auidè tunc exhauserat & mente & ore cognitionem. Ea uerò quoniam sine arithmeticæ ratione non constat, & hanc quoq; non paruis sudoribus perdidicit. Et quid ista nos docent? Profectò quòd in claustris monasticẽ professi, Peripatetici potius sint quàm Christiani: cum extra mundum, ut iactitãt, habitantes, terrena tam altè sapiant, Euangelio neglecto. Vnde contexuit Godardus, ac Radulpho cœnobij Coggeshallensis abbati dedicauit,

De triplici modo computandi, Lib. 1.
De rebus Mathematicis, Lib. 1.

Et alia eiusdem generis plura edidisse fertur, quæ D. Pauli atq; aliorum Christi Apostolorũ monitis, in religionis negotio, parum conueniunt. Claruisse dicitur anno Salutis humanæ 1250, regnante Henrico tertio.

APPENDIX.

Matthæus Parisius: Anno Domini 1250, Robertus Lincolniensis episcopus, uir pius & doctissimus, religiosos suæ diœcesis post horrendos quosdam excessus citabat, reformandæ eorum uitæ gratia. Sed exemptionibus à Papa Innocentio per pecuniam impetratis, impediebatur. Ad Papam igitur longissimo itinere senex & piè querulus uenit, dicens: Credebam Domine, quod te auxiliatorem habens, omnes de quibus sum conquestus, ut debeo, castigarem, atq; à suis erroribus reuocarem. Ipsi uerò Præmonstratẽses, Cistercienses ac Gilbertini, & quidam alij, data pecunia, proh pudor, ab omni bono se redemerunt. Cui Papa: Frater, liberasti animam tuam. Quid ad te, de gratia mea? Fecimus eis gratiam. Nunquid oculus tuus nequam est, quia bonus sum? Scriptura bene dispensata. Hæc de consilio Cardinalium fecit Papa. Vnde uacuus recessit bonus episcopus, senex & infirmus, suo proposito fraudatus & confusus, multorum euacuatis crumenis.

Eodem anno fuit capitulum generale Prædicatorum Londini, ex omni natione Christianorum. Erantq; quadringenti et amplius fratres. Hos prima die rex pauit, secunda die regina, tertia episcopus

Londinensis, & consequenter alij magnates & abbates. Author: Sic terram inhabitantes adorauerunt bestiam, Apoc. 13. Et qui prius erant tenues locustæ, nunc sunt impinguati, et equorum instar ad prælium parati. Apoc. 9. Eodē anno (inquit prædictus Matthæus) terræmotus erat in Anglia mirabilis, mugitum subterraneum emittens, euersis ædificijs multis. Prædicatores et Minores, Papæ præcepto, officia subierūt in eius negotijs peragendis, supra excellentes ecclesiarum cathedralium prælatos. Nam & hæreses Albigensium & Iouinianorum in Anglia tunc pullularant, quæ prædicationibus, disputationibus, et miraculis (præstigijs ac mendacijs) eorum sopitæ erant. Quorum aliqui eo in certamine occidebantur, ut in Lumbardia Petrus Veronensis. Præmonstratenses uerò ac Cistercienses ob literarum imperitiam, bubulcos atq; ouium tonsores derisoriè uocabāt, priusquam scholas instituissent. Hæc Matthæus. Author: Hæresis Albigensium est, Papam & Prælatos auaræ oppressionis ac tyrannidis arguere: Iouinianorum uerò, luxuriæ aut sodomismi: ut in præfato Lincolniensi episcopo, qui clerum fortaßis ac monachos coram pontifice Innocentio de eisdem uitijs accusabat: quorum protectionem uiolentam, idem Papa suam gratiam superius uocat. Gratia certè est diaboli uicario digna.

VINCENTIVS COVENTRIANVS. XII.

VIncentius Couentrianus, per hanc ætatem ex multarum literarum notitia celebris, primus Minoritani generis fuit, qui Cantabriæ in gymnasio publico sophisticas profiteretur artes. Huius exemplo & alij eiusdem professionis postea admoniti, non tam literariam causam, quam in diuersis præstigijs etiam Papisticam & merè diabolicam promouerunt. Inter quos & hi tenebriones, apud eos qui nugis illorum egregiè fuerant excæcati, in magno planè precio erant: scilicet Ioannes Vuestonus, qui proximus à primo, Cantabriæ inter Franciscanos, est suo more scripturas interpretatus. Sequebatur in eadem functione Gallus quidam, Guilhelmus Pictauensis dictus, qui & suas partes exhibuit. Et hos omnes Ioannes Lelandus Carmelitas fuisse scribit, non memor eorum quæ Thomas Ecklestonus Franciscanorum chronographus in opere suo ponit. Scripsit Vincētius declarationem eorum quæ fiunt in missa, quod opus uocabat

Expositorium Missæ, Lib. 1. *Vt uiris ecclesiasticis innotescerent.*
Repetitiones lectionum, Lib. 1.

Atq; alia quædam. Sed propter ea quæ superius notantur: poterat enim fieri, quod finitis Minoritarum lectionibus, Carmelitis quoq; legerint, ab anno Domini 1251, quo primas illic posuere sedes, ad annū eius 1259, quo primus ex ea familia Hunfridus Neckton doctoratum suscepit.

ALBERICVS VEERVS. XIII.

ALbericus Veerus, ex illustrißima tum Oxonienſiū tum Claranorum comitum stirpe ortus, in Bonaclea uilla Trenouantū, ut Lelādus colligit, tribus à fano Osithæ milliaribus disſito, magnam à studijs sibi comparauit laudem. Tantum ille olei & operę, ut dici solet, in studijs, quę ingenuū decent uirum, collocauit, quantum facilè sui seculi nemo, claris natalibus ortus. Locum uerò laboribus suis ac uigilijs commodum, Chiensi in littore, fano Osithæ uirginis regiæ nominatißimo, prudens delegit. Fuit ille secessus, studioso certè quietus, placidus & amœnus. Vnde canonicus sub D. Augustini methodo tandem regularis effectus, plura, quamuis superstitiose iuxta temporis consuetudinem iniquam, ingeniose tamen composuit,

Vitam uirginis Osithæ, Lib. 1.
Antiquitates sui cœnobij, Lib. 1.
De Eucharistia quoq;, Lib. 1.

Aliorum eius operum nihil reperio, apud harum rerum notarios. In istis autem

autē plura de Ostrosaxonibus bono ordine tradit. Creditur Albericus ista ætate claruisse, anno scilicet salutiferi partus 1250, sub Henrico tertio.

RICARDVS VVICHIVS. XIIII.

Ricardus Vuichius, in occidentali regni parte, dioecesi Vuigorniensi natus, post teneræ pubertatis annos, Oxonij & Parisijs dialecticam, philosophiam, atq; alias artes didicit. Postea Bononiam profectus, Pontificiorum canonum lethiferas feces tam abundè per septēnium hausit, ut cæteris inde tam ibi quam alibi, ad multorū perniciem, prælector publicus copiose propinauerit. Theologiæ uerò non aliud gustauit genus, quàm quod ipsi in redeūdo, Aurelianis ex suo Aristotele ac Sententiarū magistro, Petro Lombardo, ministrassent mendicantium ordinum fratres. Insuauibus his pabulis, Oxoniensis gymnasij, & Cantuariēsis ecclesiæ sub Eadmundo archiepiscopo cancellarius, ac tum demū Cicestrensis ecclesiæ pontifex: oues Christi inutiliter, imò perniciose pauit. Nouis enim Antichristi præconibus, fratribus prędictis, uti bis antea relatū est, hic seriò recensuit, ut ad cleri commodum uulgò innotesceret, Eadmundū suum conspexisse olim oculis apertis, Ricardi regis, Stephani archiepiscopi, atque ignoti sacrifici manes, è flagranti Papæ purgatorio solutos. Qui & id non sine opiparo prouentu exinde propalarunt. Et dum præfatus Eadmundus, prædecessoris Becketi secutus institutum, ecclesiæ rebellem atq; aduersarium Henricum regem esse diceret, quòd uectigal iure regio à clericis exegisset: eius iste fouebat ineptias, potius calcar addidit. Conflauit tandem ex undiq; collectis Romanę synagogæ obseruantijs, ut habent contra Vuicleuum Guilhelmus Vuodefordus, ac Bostonus Buriensis in Catalogo,

De officijs ecclesiæ, — *Lib. 7. Officium ut ex debito fiat.*
Ad Innocentium 4. contra regem, — *Epist. plur.*

Et alia quædam. Animam efflauit tertio nonas Aprilis, in suaq; ecclesia sepultus fuit, anno à Christi incarnatione 1252, ætatis suæ 56, & episcopatus 9, sub Henrico prædicto in deos Papisticos post decem annos ab Vrbano 4 relatus. Eius uitam scripsit Radulphus Bockinge Dominicanus.

APPENDIX.

Matthæus Parisius: Anno Domini 1251, cum Henricus rex decreuisset, plenè à suo regno delere Iudæos, dictum illi fuit à quibusdam consiliarijs, ne id tunc fieret, sed ut adinstar Cain, maledicti profugi manerēt in suis terris. Non occidantur omnino (inquiunt) sed uiuant, ut toti mundo pateat continuata eorum miseria. Detestabiliores enim iudicati tunc erant falsi Christiani, ac Papæ usurarij, tam pauperum quàm diuitum bonis impinguati. Verumtamen districtè iussit rex, ne quis Iudæus, carnes deinceps in Quadragesima aut sextis ferijs comederet. Eodem anno Lincolniensis episcopus Robertus, incontinentes sacerdotes seueriter castigabat, quosdam flagellando, aliosq; omni administratione priuando, & ab ecclesijs pellendo. Tenebræ palpabiles atque horribiles etiam eo anno fiebant. Hæc Matthæus. His diebus Dominicani ac Minoritæ, teste Antonino, Tolosæ per Pontificem hæreseos inquisitores fiebant, qui magnam in Christianos tyrannidem exercebant. Idem Vuormaciæ fecerunt Conradus Dorso, & Ioannes eius discipulus, etiam Dominicani, multos pios uiros flammis adiudicantes, qui ob id tandem miserabiliter perierunt. Petrus Veronensis, in eodem officio tyrannizans, anno Domini 1252, prope Mediolanum occiditur, & 24 die postea per Papam Antichristum canonizatur. Aristoteles his temporibus in theologorum scholas per Mendicantium fratrum Rabinos assumebatur, ut Rom. ecclesiæ fidem iuuaret. Antoninus: Gualterus Carliolensis episcopus, Oxonij cum quibusdam sacerdotibus Prædicatorum ordinem intrauit. Radulphus Maydston, episcopus Herefordensis, cum uno abbate & monachis, id idem apud Minoritas fecit. Et hi (inquit) ad ædificia fratrū lapides portabāt. Sic bestiā illam adorabāt, quæ loquebatur sicut draco, Apoc. 13.

IOANNES BASINGVS. XV.

IOannes Basingus, aliàs de Basyngstoke, uir nō minoris literaturæ quàm uirtutis, fundamenta disciplinæ philosophicæ, ut apud Lelandum inuenio, Oxonij iecit. Deinde Parisiorum Lutetiam, studiosorum sui temporis morem impigrè secutus, peragrato itinere petijt. Nec sic contentus, ipsas etiam Athenas, omnium eruditarum artium parentem simul & nutricem, non sine ingenti quodam discēdi ardore profectus est. Vbi Constantinam nobilem fœminam, uix annos uiginti natam, de penitioribus operosæ naturæ causis magna cum authoritate disputantē audiuit. Cum exemplarib. Græcis inde reuersus, et archidiaconus primò Londinensis, postea Legecestriensis, sub Roberto Grossetesto seu Capitone, episcopo Lincolniensi factus, ut aspirantem ad bonas literas iuuentutē animaret, præcipuè ad Græcorum authorum lectionem, transtulit, atque in lucem emisit,

Grammaticam Græcam, Lib. 1.
De concordia Euangeliorum, Lib. 1. *Omnia tempus habent, & suis spa.*
Conciones eruditas, Lib. 1.

Atq; alia plura concinnauit. De eius morte sic scribit Matthæus Parisius in Auctario suorum Chronicorum: Anno Domini 1252, magister Ioannes de Basyngstoke, archidiaconus Legecestriensis, uir in triuio & quadriuio ad plenum eruditus, obijt.

ROGERVS VVALTHAM. XVI.

ROgerus Vualtham, ad Pauli sanum, quod Londini celeberrimum est, canonicus secularis, uir fuit, ut ex eius apparet scriptis, si tempora rectè consideremus, tersè, nitidè, & eleganter eruditus. Quo nomine, Fulconi Basseto Londinensis sedis episcopo, & alijs quibusdam regni prælatis, charissimus erat. Nihil prius ipse in uotis habuit, quàm assiduè ueterū scriptorum monumenta contrectare: sed tanto cum fructu, ut laudem inde magnam comparauerit. Plura enim ex assidua eorum lectione uidit, ac memoriæ, tanquam ingentium thesaurorum arcæ, solerter commendauit. Vnde tandem congesta supellectili copiosa, ex amœnis antiquorum authorum campis, opus de memorabilibus dictis & factis in uolumen concinnauit, ac titulum illi addidit,

Compendium morale, Lib. 13. *Sapientiam antiquorum exquiret sapiens.*
Imagines oratorum, Lib. 1.

Et alia plura composuit. Primum opus in diuersis Anglorum bibliothecis uidi. Alterum esse Londini in ecclesia Paulina, Lelandus in Catalago refert. Claruit Rogerus anno Salutis humanæ 1250, sub rege Henrico.

GVILHELMVS SENGHAM. XVII.

GVilhelmus Sengham, ex humilibus, sed honestis & Christianis parentibus ortus, tam apertū ingenij mansueti, sed uiuidi specimē, puer admodum, in primis literarum tyrocinijs præbuit, ut magnū aliquid in eo futurum plures conciperent. Ex artista, ut appellant, fiebat tandem theologus: & pensata temporis qualitate, quum ex tartareo lacu prodirent in terram locustæ, nempe Mendicantiū sectarum fratres, omnino non impurus. Legit profectò, exposuit ac docuit pleraque, non sine multorum tum utilitate tum fructu, ut author est Thomas Colbyus, episcopus Vuaterfordēsis, in suis collectaneis. In opere suo de fide & legibus, quod pleriq; alteri cuidam Guilhelmo de Alta petra, Parisiensi quōdam episcopo, tribuūt, dicit, nullam esse legem ad hominis salutem, præter Christi Domini nostri Euangelium,

gelium. Et hoc in Papistici regni medio protulit, ac dum esset aliud Euangelium pro eo abolendo intrusum, quod Dei atque hominum proditores quidam æternum Euangelium uocabant, ut suam hypocrisim supra omnẽ deum attollerẽt. Impostura hæc plusquàm diabolica statim sequetur. Sunt tamẽ qui Augustinianis fratrib. istum, in primo earũ ad Angliã accessu, se mox adiunxisse ferant: & illum prędictus Thomas, fratrem Guihelmum appellat. Porrò Lanfrancus Mediolanẽsis, primus eorum præses generalis, illos fratres anno Domini 1252, ad Angliam pro quærẽdis illic sedibus misit, antequàm essent ab Alexandro 4 Rom. pontifice, post sui Augustini apparitionẽ ecstaticam admissi, ut ex eius bulla claret. Composuit Guilhelmus præfatum opus,

De fide & legibus.	Lib. 1.
De claustro animæ,	Lib. 1.
De professione nouitiorum,	Lib. 1.
De tentationum remedijs,	Lib. 1.

Scripturarũ explicationes aliquot, et alia quædam nobis adhuc ignota. Claruit, ut ex prædictis apparet, circa annũ à salutifero Virgĩnis partu 1260, sub Henrico tertio Anglorum rege. Eius uerò opuscula, præfatus Thomas Colbyus tabulis decorauit.

APPENDIX.

Ex Londinensi chronico: Eo anno, quo Augustiniani fratres ex Italia in Angliam uenerunt, scilicet anno Domini 1252, incœpit magna pestilentia Londini, et durauit per totum regnum, à festo Michaelis usq; ad festum D. Petri ad uincula, proximè futurum. Tartari eo anno Papisticam fidem per Dominicanos & Franciscanos susceperunt, ut Turcas ad Rom. ecclesiæ commodum opprimerent. Religio certè Tartarea est, ac Tartaris digna, quæ ex huiusmodi locustarum hypocrisi assurgit. At imperium Romanorum & Christianorum, penè per Antichristos deletum, ab horum laboribus auxilium non sentit, immò detrimentum maximum. Et ecce, pro amplianda religione ad Tartaros uadunt. Maledictum certè, atque iniquissimum illusorum genus. Albertus Crantzius: His temporibus (inquit) imperium Romanum miserè iactabatur, cum esset uenale, & sensatis principibus non ualde optabile, &c. Matthæus Parisius: Anno Domini 1253, Innocẽtius Papa regnum Siciliæ Henrico Anglorum regi pro pecunijs obtulit, ad usum sui filij Eadmundi: cum tamen defuncto Conrado, Manfredum regem haberet. Sed rex nummorum expers, petitis non poterat respondere. Quoniam nimis indiscretè suum regnum obligauerat Papæ mercatoribus. Hæc ille.

Appendix alia.

Matthæus Parisius: Robertus Lincolniensis episcopus, eodem anno apud Buckden, ubi mansionem habebat, graui ægritudine decubuit. Qui spiritu prænoscens, ecclesiæ tribulationem futuram, uocauit ad se fratrem Ioannem de S. Aegidio Dominicanum, in arte medicinali peritum, et in theologia magistrum regentem. Et recitatis quibusdam Romanorũ factis, sui ordinis fratres ac Minoritas uehementer apud ipsum redarguit, quòd liberius prælatorum uitia in suis concionibus non reprehenderent, eos ob id uocans adulatores, palpones, heræticos, atq; hæreticorum fautores. Hæresis (inquit) est sententia, humana temeritate nata, scripturæ sacræ contraria, palàm edocta, et pertinaciter defensa. Cuicunq; (ait) hæc hæresis diffinitio conuenit, hæreticus est, &c. Et multas rationes, authoritates atq; argumenta contra utrosq;, & prælatos et fratres, adduxit, quæ omnia breuitatis causa nunc prætereo. Hæc & alia (inquit prædictus Matthæus) multa lugubria, proposuit ante mortem suam, grauiter infirmatus ob graues ecclesiarum oppressiones. Et sequitur: Robertus Lincolniensis, Dei zelum habens, canonicos & sacerdotes suos uexauit, in religiosos terribiliter, in religiosasq; terribilius fulgurauit, &c. Suborta est tunc discordia, inter uniuersitatẽ Parisiensem et fratres Prædicatores, qui multiplicati & exaltati, renuebant scholarium iuribus subesse, Hæc Matthæus.

ROBER-

ROBERTVS GROSSETEST. XVIII.

Robertus Grosseteſt, patria lingua Grouteheade, Latinè Capito dictus, in Sudouolgia Nordouicenſis diœceſis prouincia, ex infimo iuxta mundum genere natus fuit, ut teſtis eſt Triuetus. Anglorũ ferè omniũ, qui illis temporibus paulo eruditiores erant, communi quadam conſuetudine ductus, ut linguarum cognitioni operam daret, Galliam inuiſit. Poſt ſtudia in patriã reuerſus, fit primùm Legiceſtrienſis archidiaconus, poſtea Lincolnienſis poſt Hugonem Vuelleſiũ epiſcopus. Romani pontificis Innocentij quarti, in ſuis cõcionibus publicè, ſed modeſtè, quòd abſens tunc eſſet, auaritiam, faſtum & tyrannidẽ, multoties reprehendit. Quod tam ægrè ferebat Pontifex, ſi uera refert in ſuis Annalibus Ioannes Burienſis abbas, ut eo mortuo cogitauerit de exhumando eius cadauere. Ad eundem Innocentium aculeata etiam dedit ſcripta, quod pro ſuis nepotulis ac ſpurijs, Angliam tot exactionib. inſolitis uexaret. Propterea priuatus tandẽ ſacris, & diris maledictionibus ad inferos execratus, atq; tum demum ad ſanguinariam illam, ut illic cõpareret, curiam citatus, à Papiſtica tyrannide appellauit ad æternũ Ieſu Chriſti ſummi iudicis tribunal. Et eodem anno defunctus (ſi iuſta ſunt quæ Ranulphus, uterq; Matthæus, & Fabianus narrant) Pontificem ipſum, apud Neapolim lectulo decumbentem, in uiſione ſic percuſſit, ut manè repertus ſit mortuus, ſiniſtro latere cruẽtato: dum toto Siciliæ regno ſe breui potiturũ ſperaret. Sacerdotes uerò non Dei, ſed hominum mandata docentes, Antichriſtos, Satanę miniſtros, fures nocturnos, latrones diurnos, morum corruptores, animarũ carnifices, & angelos tenebrarum uocabat: eorumq; à Papa exemptiones, retia diaboli eſſe dicebat. Et ut librorum eius elenchum apponamus, ſcripſit,

De ſacerdotali officio,	*Lib.1. Templũ Domini ſanctum eſt, quod eſtis.*
Pro danda pœnitentia,	*Lib.2. Dilecto ſuo N. Robertus ſalutem.*
De doctrina cordis,	*Lib.1. Præparate corda ueſtra Domino.*
Oculum moralem,	*Lib.1. Si diligenter uoluerimus intelligere.*
De luce,	*Lib.1. Formam primam corporalem quam.*
De coloribus,	*Lib.1. Color eſt lux incorporata per.*
Sermones 37,	*Lib.1. Egredietur uirga de radice Ieſſæ.*
De præceptis & ſymbolo,	*Lib.2. Sicut dicit Apoſtolus, Plenitudo.*
De uenenis, uel peccatis,	*Lib.1. Ratio ueneni potiſſimè conue.*
De confeſſione,	*Lib.1. Quoniam cogitatio hominis conſi.*
De lingua humana,	*Lib.3. Lingua congruit in duo opera.*
In 2 quadragenas Pſalmorum,	*Lib.2. Pſalmorum libri, Græcè Pſalterium.*
In Apocalypſim Ioannis,	*Lib.1. Vidi in dextra ſedentis ſuper.*
Super Euangelia,	*Lib.4. Miſſionem filij legimus duplicem.*
De præmijs Apoſtolorum,	*Lib.1. Miſit de ſummo, & accepit me.*
In uerba Gabrielis,	*Lib.1. Ingreſſus Angelus ad eam, dixit.*
Dicta Theologica,	*Lib.1. Aaron non conſenſit in uitulum.*
Difficilia naturalis ſcientiæ,	*Lib.1. Studioſiſſimè, ſæpiusq; rogatus,*
De ſufficientia cauſarum,	*Lib.1. Ariſtoteles in primo Philoſophiæ ſuæ.*
Theoricam planetarum,	*Lib.1. Circulus eccentricus lunæ egreſ.*
De officio diuino,	*Lib.1. Dicto de linguæ exercitio utili.*
De aeris temperie, prognoſtica,	*Lib.1. Ad præcognoſcendam diuerſam diſpo.*
De aſtrolabio,	*Lib.1. Aſtrolabij circulos & membra.*
Exameron, de operibus 6 dierum,	*Lib.1. Omnis ſcientia & ſapientia mate.*

Home-

Homeliarum uolumen,	Lib.1. Dominus noster Iesus Christus.
Contra prælatorum ignauiam,	Lib.1. Moyses, qui tradente Domino susce.
Ad Minores, de laude paupert.	Lib.1. Pauper & inops laudabunt nomen.
De scala paupertatis,	Lib.1. Beati pauperes, quia uestrum est.
De originali peccato,	Lib.1. Quæstio circa originale peccatum.
De ueritatibus,	Lib.1. Ego sum uia, ueritas & uita.
Constitutiones synodales,	Lib.1. Debentes de uobis rationem bonam.
Sententias scripturarum,	Lib.1. Abominatio desolationis quadru.
Summam iusticiæ,	Lib.10. Summa iusticiæ Christi fidelium.
De dotibus,	Lib.1. Primò tractandum est de dote.
De potentia,	Lib.1. Omne quod ens est, aut ens
De libero arbitrio,	Lib.1. Cum per arbitrij libertatem ali.
Aliud opus de arbitrio,	Lib.1. Quia cum circa rei esse potißimum.
De scientia & uoluntate,	Lib.1. Quæritur de scientia Dei, quomodo.
Super prologo Bibliorum,	Lib.1. Frater Ambrosius, &c. Hanc epistol.
De potentijs animæ,	Lib.1. Vt dicit Philosophus 2 de Anima.
De reparatione lapsi,	Lib.1. In principio creationis mundi.
Tractatum de homine,	Lib.1. Adam ubi es? qui legit, intelligat.
De agricultura transtulit,	Lib.1. Pater ætate decrepita, filio dice.
Pœnitentiale quoddam,	Lib.1. Ad primum dicat sacerdos confiten.
In Paulum ad Galathas,	Lib.1. Vt Apostolus in alijs epistolis.
De cura Pastorali,	Lib.1. Natis & educatis in Christi disci.
De forma prima,	Lib.1. Rogauit amicus, ut de forma.
De iride,	Lib.1. Et perspectiui diligenter specu.
De cometis,	Lib.1.
De utilitate artium,	Lib.1.
Compendium scientiarum,	Lib.1.
Compendium ciuitatis Dei,	Lib.1.
De Dei misericordia & iustitia,	Lib.1. Consequenter tractatur de misericord.
De locali Dei præsentia,	Lib.1. Hic queritur de locali præsentia.
Summam uitiorum capitalium,	Lib.1. Primo uidendum est, quid superb.
De natura luminis & diaphoni,	Lib.1. Considerandum quippe est, quid.
Quæstiones Elenchorum,	Lib.2.
Quæstiones Priorum,	Lib.2.
De lineis physicis,	Lib.1.
De impreßionibus aeris,	Lib.1.
In priora Aristotelis,	Lib.2. Cum omnis scientia sit ueri acquisitiua.
In posteriora eiusdem,	Lib.2. Intentio Aristotelis in hoc primo.
In Elencha quoq;,	Lib.2. De sophisticis autem Elenchis.
De Anima humana,	Lib.1. Multi circa animam errauerunt.
De humilitate Christi,	Lib.1.
Deum fieri hominem,	Lib.1.
De resurrectione Christi,	Lib.1.
Super Iobi commentarios,	Lib.1.
De sphæra cœlesti,	Lib.1. Intentio nostra hoc tractatu
Summam theologiæ,	Lib.1. Spiritus sanctus per os Salomonis.
Summam Philosophiæ,	Lib.1. Prophetantes famosi primi fuerunt.
In Hierarchiam Dionysij,	Lib.6. Non inueni in exemplari Græco.
De diuinis nominibus,	Lib.1.

Calendarium perpulchrum,	Lib.1.
In threnos Hieremiæ,	Lib.1.
Templum Domini,	Lib.1.
De arte computi,	Lib.1. Computus est scientia numerationis,
De computo ecclesiastico,	Lib.1. Qui bene præsunt presbyteri, duplici.
Conciones ad Rom. pontificem,	Lib.1. Dominus noster Iesus Christus.
Testamenta patriarcharum, transl.	Lib.1. Transcriptum testamenti Ruben.
Commentarios in logicam,	Lib.1.
In prædicamenta Aristotelis,	Lib.1.
De cœlo & mundo,	Lib.2.
De generatione & corrupt.	Lib.2.
Commentarios in Physica,	Lib.8. Cum scire & intelligere adquirantur.
Commentarios in Ethica,	Lib.10. Primum capitulum de eo quod est.
Sermones elegantes,	Lib.1. Erunt signa in sole & luna.
De cessatione legalium,	Lib.1. Fuerunt plurimi in primitiua ecclesia
Quæstiones Ethicorum,	Lib.10.
Commentarios in Meteora,	Lib.4.
De natura intellectus,	Lib.1.
Recollectiones pœnitentiæ,	Lib.1.
Epistolas 127, ad amicos,	Lib.1. Dilecto sibi in Christo, magistro
Epistolas familiares,	Lib.1. Reuerendo in Christo patri ac do.
Dictamina 147,	Lib.1. Amor multipliciter dici uidetur.
Paruum Catonem,	Lib.1. Cum animaduerterem quàmplurimos.
De lapide Philosophico,	Lib.1.
De Necromantica & Goetia,	Lib.1.
In Astrologiam,	Lib.1.
Annotationes in Suidam,	Lib.1.
De ciuilitate morum,	Lib.1. Stans puer ad mensam domini.
De potestate pastorali,	Lib.1.
Tonitru, contra curiam Romanam,	Lib.1.
De pollutione nocturna,	Lib.1.
De casto amore, Gallicè,	Lib.1.
Assertionem uirginitatis Mariæ,	Lib.1.
De gratia Dei,	Lib.1.
Suarum meditationum,	Lib.1.
Praxim Geometriæ,	Lib.1.
Theoricam planetarum,	Lib.1.
Compendium Sphæræ,	Lib.1.
Expositiones in Genesim,	Lib.1.
Commentarios in Lucam,	Lib.1.
De discretione spirituum,	Lib.1.
De suo studio,	Lib.1.
In Boetium de consolatione,	Lib.5.
Contra luxuriam,	Lib.1.
In uesperijs Adæ,	Lib.1.
De formis ad Adamum,	Lib.1.
Suidam è Græco transtulit,	Lib.1.
Damascenum annotauit,	Lib.4.
Enchiridion scripsit	Lib.1.

Ad Innocentium quartum inuectiuas misit, quòd Anglorum ecclesias tam turpiter grauaret, & alia multa composuit. Ex hac uita Buckdenæ migrauit tandem, 7 idus Octobris, anno à communis Salutis initio 1253, Lincolniæ in templo maiori sepultus. Ad Papisticorum deorum catalogū propterea non admittitur, quòd in bene saginatos patres tam aculeatè scripserit.

APPENDIX.

Matthæus Parisius: Anno Domini 1253, migrauit ab huius mundi exilio sanctus præsul, Robertus Lincolniensis, pius sui regis monitor, terrificus Papæ redargutor, manifestus & audax prælatorum reprehensor, monachorum corrector, presbyterorum director, clericorum instructor, scholarium fautor, populi prædicator, orphanorum & uiduarum defensor, incontinentium persecutor, scripturarum perscrutator, ueritatis amator, Romanorum uerò malleus & contemptor, Lincolniæ sepultus. Ille magnus ecclesiæ doctor, Hebraicè, Græcè et Latinè peritus, multa de glossis Hebræorū extraxit, ac de Græco pleraq; in Latinum sermonem transtulit, ut patet de Testamentis patriarcharum, & de operibus Dionysij, Damasceni, Suidæ, atq; aliorum. Nicolaus Triuethus: Vir fuit excellentis sapientiæ & purissimæ doctrinæ, omniumq; uirtutum exemplar, & qui de glossis Hebræorū multa extraxit. Matthæus Parisius: Anno Domini 1254, Romanus pontifex Innocentius de philosophia dicebat: Verè (inquit) de philosophia dici potest, Prostat, et in precio pro meretrice sedet. Cum uellet idem Innocentius iratus, ossa prædicti Lincolniensis episcopi extra ecclesiam proijci, ut per totum mundum acclamaretur ethnicus, rebellis & inobediens: in uisione nocturna, ab eo, ut fertur, ad mortem percutitur. Hæc ille. Prædictus certè Innocentius de Philosophia loquens, ut Caiphas uerum prophetasse uidetur, cum esset sub diabolo Pontifex anni illius. Si meretricē esse tunc nouit, cur sanctissimus ipse permisit illā in theologorū scholis præesse, præcipere, fœdare, corrumpere, inficere, destruere, ueritatem proscribere, & ad suas libidines omnia pertrahere? Certè non ob aliud id fecit hic Sodomorum patriarcha, quàm ut ex uxore agni, uel Christianorum ecclesia fieret Babylonicum scortum. Ex his enim apparet, quòd scientes et uolentes, diaboli uoluntatem, ut filij naturales, ubiq; fieri permiserint ac iusserint. O Christianorum perfidissimi proditores.

HENRICVS DE HANNA. XIX.

HEnricus de Hanna, solitudinis amator, ut Lelandus colligit, & Carmelitani professor instituti, ex syluatico Brunhamiæ Nordouolcarū cœnobio, solennis diuini uerbi preco prodijt. Hic secundus in Anglia noui sui ordinis rector, quem prouincialem uocant, Londini in eorum generali synodo, anno Domini 1254 cōstitutus, eorum fratrum gubernationi 18 annis præfuit, uir literis & diuinis & humanis eruditus. Quo tempore, dum Cornubię comes Ricardus, Henrici regis frater ac Ioannis filius in Cæsarem esset electus, fauente illi quodam Nicolao Noelso, domū quam habebat Oxonij in uico de Stockvuell, obtinuit, ac prædictis fratrib. suis in ædem uertit. Ecce iam relictis eremis, ut prius dictum est, post Dominicanos & Franciscanos, ad urbes maioris lucri gratia properabant. Nam ab Innocentio 4 antea pecunijs procurauerant, ex suis prædicationibus & auditis cōfessionibus, quæstum se facere posse, & omnibus hominum conscientijs praeesse: ut adimpleretur in eis quæ Spiritus sanctus Apoc. 13, & 2 Thes. 2, per Apostolos Ioannem ac Paulum prædixerat. Sic laborem uertebāt in ocia, ac pietatis opera in mendicitatem, diuina lege, Deut. 15, prohibitam. Quæ omnia pijs lachrymis statim defleuit Nicolaus quidam Gallus, Narbonensis, qui propterea in illos emisit sagittam suam igneam, librum aculeatum ac mordacem. Scripsit tandem Henricus ab Oxonio & alijs Anglorum cœnobijs ad suos fratres,

Elegantes epistolas, — *Lib. 1. Dilectis in Christo filijs, Londinens.*
Conciones aliquot, — *Lib. 1.*

Ordinationes conuentuum, Lib.1.

Et alia nonnulla. In Gallijs demum prouincialis effectus, per Franciam, Germaniam, Hyberniam & Scotiam, cœnobijs multiplicandis intendebat. Obijt senio grauatus, anno Salutis humanæ 1299, quarto calendas Decẽbris, & Stanfordiæ sepultus fuit, sub Edvardo primo Anglorum rege.

GODVVINVS SARISBVRIENSIS. XX.

GOdvuinus, Sarisburiensis ecclesiæ præcentor, non modò eruditione (Lelãdus enim sic habet) sed & uitæ quoque simplicitate, castitate & integritate, clarus erat. Literarũ certè cultor assiduus fuit, & propterea hoc loco non est silentio prætereundus. Et si fortuito casu cõtingeret nos illius obliuisci, libri tamẽ quos edidit, suæ cognitionis non iniqui testes, illum ab omni possunt obliuione asserere. Vnde præter philosophiæ ac theologiæ studium, superiora etiam frequẽtiuscule meditabatur, cœlum ipsum pia cogitatione cõscendens. Extant eius libri, magna certè cura conscripti, nec impari fœlicitate editi. Quorum unum Ramuliȩ, seu potius Ranildȩ Anachoretæ, fœminæ incomparabili dedicauit, titulum addens,

Piarum meditationum, Lib.1. *Hæc sunt prima documenta legis.*
De tribus habitaculis, Lib.1. *Tria sunt omnipotentis Dei manu.*
Sermones non uulgares, Lib.1.

Atq; alia nobis adhuc ignota congessit. In penultimo suo opere, de Tribus habitaculis, D. Patricium Succetum est imitatus, sed multo maiori uolumine. Claruit his temporibus, sub Henrico tertio Anglorum rege.

APPENDIX.

Nota hoc loco, talem à Christo defectionem per Satanæ ministros hypocritas, qualis non fuit à prima plantatæ per Apostosos ecclesiæ origine. Ioachimus abbas in cõmentario super Hieremiam, tempus æstimat esse periculosum futurum, ab anno Domini 1200, usq; ad ultimos dies. In quibus apparebit (inquit) lex libertatis. Euangelium regni Christi tunc prædicabitur, et ecclesia purgabitur, ut à palea & zizanijs triticum, &c. Dum in profunda cæcitatis etignorantiæ caligine dormirent ecclesiæ proceres, his diebus malis uidete quid fecerit Sathan. Quosdam impostores malignos statim suscitauit, qui in humilitate & religione angelorum ambulantes, inflati tamen sensu suæ carnis, ut Paulus habet Colos. 2. uerum Christi Euangelium auferre, delere, immò destruere nitebantur. Et hi Dominicani ac Franciscani nunc uocantur, qui circiter annum prædictum nati primùm erant, Dominicani scilicet anno Domini 1204, Franciscani 1207, ut Martinus Carsulanus eorum chronographus supputat. Veruntamẽ uterq; Matthæus noster, Dominicanos anno Domini 1197 originem habuisse scribit. Hi nempe uidebant se aliter, sub patribus Dominico & Francisco, non posse sui regis Abadonis auaritias, pompas ac libidines, dæmoniorum doctrinis defendere, contra Vualdenses seu pauperes de Lugduno, atq; Albigẽses hæreticos, infensissimos hostes, nisi sepultũ uel extinctũ fuisset prænominatum Euangelium: ex præfati igitur Ioachimi doctrinis ac Cyrilli uisionibus, Euangelium nouum, fucatæ suæ sanctitati accommodum cõflabant, & illud uocabãt Euangelium Spiritus sancti, Euangelium deinceps duraturum, atq; Euangelium æternum.

De quo Guilhelmus de S. Amore, in libro suo de Periculis nouissimorum temporum, cap. 8. Vndecimæ horæ (inquit) iam præterierunt, 1254 anni. Sunt etiam nunc transacti 55 anni, quòd aliqui laborabant, ad mutandum Euangelium Christi in aliud Euangelium, quod dicunt perfectius, melius & dignius, quod appellant Euangelium Spiritus sancti, siue Euangelium æternum. Quo adueniente euacuabitur Euangeliũ Christi, ut parati sumus ostendere, ex illo Euangelio maledicto. Et sequitur: Doctrina quæ prædicabitur Antichristi tempore, uidelicet Euangelium æternum, Parisijs, ubi uiget sacræ scripturæ studiũ, à suis proposita fuit, ut publicè explanaretur, anno Domini 1255. Vnde certum est, quod iam prædicaretur, nisi aliquid esset quod eam detineret, &c. Et sequitur: Maledictũ illud Euangeliũ, iam in ecclesia propalatum est: propterea timendum est de subuersione eiusdem ecclesiæ.

Quod comparatum (inquiunt) ad Euangelium Christi, tanto plus perfectionis ac dignitatis habet, quantum sol ad lunam comparatus, & ad nucleum testa, &c. Quò tendis Sathan? Vbi statuisti ponere sedem? Blasphemia enim hæc est plusquam diabolica. Et in secundo sermone eiusdem Guilhelmi: De istis periculis (inquit) iam quædam habemus Parisijs, in libro qui uocatur Euangelium æternum. In eo docetur, quòd Christus ipse non est Deus, quòd sacramentum eius nihil est (Missam eius loco tunc sumpserant) & quod Euangelium eius non sit uerum Euangelium. Neq; sunt hæc penitus noua: immò sunt 55 anni, quòd primò fuerint inchoata. Et ideo dicitur, quòd illi per quos hæc pericula uenient, dabunt aliam legem uiuendi, & aliter disponent ecclesiam: quod est ualde execrabile & abominabile dictu, &c. Hæc Guil. de S. Amore.

Appendix alia.

Matthæus Parisius: Anno Domini 1254, conuocatis Londini Iudæis omnibus, comes Cornubiæ Ricardus, pecuniam multam ab eis exegit ad opus regis, sub pœna carceris & mortis. Helias eorum pontifex, Londini natus, habito cum eis consilio, pro omnibus respondit: Domini proceres, uidemus haud dubiè, quòd dominus rex nos delere proponit. Ob Deum petimus, ut licentiam & conductum nobis det, à regno suo recedendi, ut alibi quæramus mansionem, ac misericordiam inueniamus. Et sic recedemus, non redituri, relictis hic supellectile & domicilijs. Quomodo nos diligeret Iudæos misellos, qui suos Anglicos naturales indies destruit? Habet Papales mercatores, immò suos fœneratores, ne dicam confusores, qui de præstationibus cumulos coaceruant pecuniarum infinitos. Innitatur rex eis, & suis inhiet emolumentis. Nos profectò supplantatos depauperauerunt. Quod utiq; rex scire dissimulat, exigens à nobis quæ non possumus exhibere, etiam si oculos nobis erueret, uel si excoriatos iugularet. Atq; hæc singultibus & lachrymis sermonem impedientibus dicens, siluit ferè cadens in ecstasim moriturus. Quod cum ad magistratuū notitiam peruenisset, non permiserūt eos à regno recedere: sed dicebant, Quò fugeretis miseri? Ecce uos odit Francorum rex, & persequitur, atq; exilio perpetuo uos damnauit. Vitantes charybdim, in scyllam mergi desideratis. Et sic pauca substantiola, quæ eis ad exilem eorum sustentationem relinquebatur, ab eisdem uiolenter est extorta. Et sequenti anno Iudæi denuò dicebant ad regem: Vsurarij Papæ nos supplantauerunt, permitte ut liberè exeamus de regno tuo, &c. Hæc Matthæus.

ADAMVS DE MARISCO. XXI.

ADamus de Marisco, ex Somersetēsi comitatu, & Bathoniensi diœcesi oriundus, post aliquantam Latini sermonis notitiā, adhuc adolescēs, Oxonij in dialecticis & in philosophia sedulam nauauit operā. Aetate demum prouectior, inter ipsa adhuc profanarū artium studia, Assisiatis Francisci depicta uulnera Vuigorniæ in sua patria admiratus, Minoritarum permixti coloris uestem cum nodosa fune, secundi baptismi loco suscepit. Eximius mox, & famatus (ut author est Triuethus) in sacra theologia doctor ille erat, ut qui Roberto Lincolniensi cæteris familiarior, diuinas cū eo sæpenumero comparauerit scripturas. Erga ipsum igitur singulariter affectus idem Robertus, ingētem librorum cumulum, Oxoniensi Franciscanorum cœnobio, ex testamēto reliquit. Nam illo adhuc uiuēte, post sectæ suæ professionem Vuigorniæ factam, Oxonium repetens, in publicis Franciscanorū scholis theologici professoris munere diu functus fuit. Vnde inter ocia literaria scripsisse fertur Adamus,

Elucidarium Scripturæ,	Lib. 1.
Lectiones ordinarias,	Lib. 1.
Theologicas quæstiones,	Lib. 1.
Epistolas ad Grossetestum,	Lib. 1.

Iustum quoq; in sacram scripturam librorum numerum edidisse illum, Catalogus quidam refert. Thomas Ecklestonus, in Franciscanorū gestis, ad annū Domini 1257, protrahit. In quo, in Eligēsem episcopū electus, suo iure priuatur, per Hugonē Balsamū, qui maiorē pecuniā dedit.

GREGORIVS HVNTYNGTON. XXII.

GRegorius Huntyngton, inter Ramesienses monachos (ut Lelandus habet) monachus et ipse, atque Abbatis uicarius, seu Prior, linguarū cognitioni assiduè incubuit. At linguam præcipuè excoluit Hebraicā, sacrarum literarum cōseruatricem. A' Guilhelmo Normanno Anglorum rege, permissi Iudæi, à Rothomago primùm, in Angliam commigrabant. Vnde per urbes & oppida sparsi, & positis de more synagogis, Rabinorū suorum dogmata accuratè perlegebant. Excrescente eorum in Brytannia numero ac auaritia, sub imperio Ricardi Leonini insigniter sunt mulctati. Postea regnante Edvuardo primo, fortunæ Iudæorum fisco adiudicantur regio, eisdem exilio in pœnam proposito. Horum libris auro cōparatis, Gregorius Hebraicæ linguæ cognitionē ex Hebraicis exemplarib. hausit. Reliquitque suis symmistis multa egregiè calamo annotata: quæ docta, cum uoluptate, legeret posteritas: præcipuè hæc,

Artem intelligendi Græca,	Lib. 1. Quoniam in antè expositis libris.
Grammaticæ summam,	*Lib. 1. Ars quam fingo in mea lectoriola.*
Explanationes Græcorū nominum,	Lib. 1. Nemicerius episcopus ad Caltidium.
Attentarium quoddam,	*Lib. 1. In sanctæ crucis uirtute, & in.*
Epistolas curiales,	Lib. 1. Galfridus filius Simonis, appel.
Expositionem Donati,	*Lib. 1. Iste titulus, uarius inuenitur.*
Notulas in Priscianum,	Lib. 1. Dicit Isaac in libro de Diffinit.
Imaginem mundi,	*Lib. 1. Ad instructionem multorum quibus.*
Rudimenta Grammatices,	Lib. 1. Agressus sum ego nouem regulas.
Sententias per uersus,	*Lib. 1. Aut uideat quisquis diuinum.*
Regulas uersificandi,	Lib. 1. Litera est minima pars uocis.

Atque alia plura. Librorum Hebraicorum ab eo diligentissimè collectorum, Catalogus bibliothecæ Ramesianæ luculentam mentionem facit. In quo eius loci Prior claruisse fertur 38 anno Henrici tertij Anglorū regis, scilicet anno Christi Domini 1255, uaria componens.

APPENDIX.

Matthæus Parisius: Anno Domini 1255, grauis dissensio Parisijs durabat, inter scholares et Dominicanos, qui contra Vniuersitatis consuetudines pleraque in magna superbia & abusione fecerunt. Stetit Gallorum rex pro uniuersitate, similiter & cives. Præualuerunt tamen Dominicani Papæ deuoti, ob multimoda eorum obsequia. Iudæi Lincolniæ eodem anno Hugonem puerum crucifixerunt. Eodem anno Rustandus legatus in Angliam uenit, ut decimas in Anglia, Scotia, et Hibernia colligeret pro Papa Alexandro quarto, ad debellādum Manfredū, Friderici Cæsaris filium, Rom. ecclesiæ inimicum. Rege enim per Petrum de Egbranke, episcopū Herefordensem, dementato, multa detestabilia à fonte sulphureo Rom. ecclesiæ (proh dolor, imò proh pudor) tunc temporis emanarūt ad multorum perniciem. Infinitam enim post crucis per mendicantes fratres prædicationem, Rustandus pecuniam exigebat. Inaudita erat exactio, quam petebat Pontifex. unde Fulco Londinēsis episcopus dolēter dicebat: Antequam tantæ ecclesiarū iniuriæ, seruituti, atque intolerabili oppressioni consentiam, profectò caput amittam. Eodem anno reuocata erat uniuersitas Parisijs, quæ undique dispersa tunc fuerat, propter suspensiones lectionum et disputationum, per fratres Dominicanos, qui omnia, sed suo malo, perturbauerant. Transijt hic annus Rom. ecclesiæ & Papali curiæ, si deuotionem consideremus, uirulentissimus. Exspirauit enim, quæ consueuit haberi, deuotio penes Rom. ecclesiam & Dominum Papam. Nam etsi illa curia fideles Christi multoties usque ad amaritudinem spiritus excruciauerit, nunquam tamen, sicut hoc & sequenti anno, tam lethaliter uniuersos et singulos Christi seruos sauciauit. Coguntur enim insontes idolatrare, & quasi apostatæ, ueritati, quæ Deus est, abrenunciare. Et ultra, quod intolerabile est, temporalia bona uiolenter deprædari.

Papa operatur omnia non in ædificationem, sed ruinam. Consueuerunt olim laici prælatis decimare: nunc coguntur prælati decimare laicis, scilicet Papæ usurarijs. Concessa fuit decima in subsidium terræ sanctæ, sed cogimur eam in Apuliam transferre contra Christianos. Imò ex obligatione iniustissima, grauiora subire cogimur: nempe, multipliciter mentiri, falso iuramento præstito quod cœlitus in utroq; Testamento prohibetur. Cōcedere cogimur terminos solutionis, quos nullo modo possumus obseruare, nisi incidamus in laqueos Florentinorū usurariorum, quos eius prædæ socios & participes esse nouimus. Datur potestas personis prorsus indignis super nobiles ecclesias. Venduntur prælati, ut boues & asini. Hæc ultimæ seruitutis cōditio. Ecce uenditores, eijciendi profectò à templo, ac flagellandi. Sed quia ignobilius est facere iniuriā uiolenter, quàm pati cum innocentia: credendum est, quod super hoc clamor ascendat querulus ad Deum, Dominum ultionum, &c. In conuocatione Londinensi, cum prædictus Rustandus diceret, ecclesias omnes esse Domini Papæ: respondit pro omnibus magister quidam Leonardus Anglus, satis modestè: Verum est (inquit) tuitione, non fruitione uel appropriatione. ac si diceretur, defensione, non dissipatione. Et adduxerunt Papæ quæstores umbratilem chartam regis Ioannis (ueram non habebant) qua olim resignauit confirmationes & inuestituras prælatorum pro se & hæredibus, cum confirmatione Innocentij tertij, ut omnia confunderent. Præuaricatores, susurrones, et magnatum adulatores, omnia his diebus perturbabant ac molestabant, habentes in ore, Nolumus principes offendere. Oportet his diebus plura dissimulare, et conniuentibus oculis, quamuis lædant, pertransire. O' meticulosos, &c.

Appendix alia.

Matthæus Parisius: Anno Domini 1256, crebrescentibus scandalis & odijs inter magistros Parisienses & fratres Prædicatores, seu Dominicanos, electi sunt cum magna deliberatione, celeberrimi magistri, Guilhelmus de S. Amore, Odo uel Otho de Doaco, Christianus canonicus Beluacensis, Nicolaus Barus super Albam, Ioannes Dritō uel de Sicca uilla Anglicus, rector uniuersitatis Parisiensis, & Ioannes Belin Gallicus, omnes philosophi, omnes rectores in artibus, in decretis, & in theologia, ex nobilibus procreati, ut Romam adirent ad Dominum Papam, pro tranquillitate uniuersitatis Parisiensis ac fidei redintegratione, quæ detrimentum patiebatur magnum. Nam fratres noua quædam prædicabāt, legebant, & docebant deliramenta, ex libris Ioachim abbatis. Incipit eorum liber, Euangelium æternum: & quædam alia, quæ non expedit recitari. Prædicatores autem suos expeditos nuncios contra uniuersitatem miserunt, ut magistris in faciem contradicerent. Subsannabat populus, eleemosynas consuetas subtrahēdo: uocās eos hypocritas, Antichristi successores, pseudoprædicatores, regum deceptores, principum adulatores, falsos consiliarios, ordinariorum contemptores, & eorundem supplantatores, thalamorum regalium subintratores, confessionum præuaricatores, & qui ignotas prouincias peruagando, peccati audaciam subministrabant. Auditis igitur hincinde querelis, præcepit, Papa ut nouus ille liber quem Euangelium æternum nominant, secretò, ac si fieri posset, sine fratrum scandalo, combureretur, & alia quæ de Ioachim scriptis emanasse dicebantur. Diligētia igitur Hugonis S. Sabinæ Cardinalis, & Ioannis de Columna arhiepiscopi Messanensis, qui de ordine Prædicatorum erant, cautè ac tacitè procuratum est, ut tumultus ad horam cōquiesceret. Hæc Matthæus. O' Satanæ ministros. hæc certè omnium abominationum mūdi maxima est. Quis, his uisis, Papam negabit Antichristum, & hos eius esse præcones ac filios naturales?

SEVALLVS EBORACENSIS. XXIII.

SEuallus Magnanimus, Eboracensis archiepiscopus, uir pariter doctrina atq; animi integritate ornatus, uehemēter his diebus obstupuit, cum uideret in Rom. pontificibus tam impudentem tyrannidem, ut in regnis Christianorum, inuitis etiam ipsis principibus, omnia usurparent, turbarēt, confunderent. Vnde in amaritudine spiritus, Roberti prędicti Lincolniensis episcopi exemplo constitutus, ut Matthæus Parisius rem narrat, cogitabat illos in ecclesię ministerio propter eius peccata positos esse, atq; ad multorum perniciē euectos, non ut ædificent, sed ut noceant, mactent, ac perdant. In ea tandem cogitatione inconsolabiliter dolens, Alexandrum quartum

tum per literas rogabat, ut à consuetis & quotidianis uiolentijs cessaret, uel saltem se temperaret, sanctorum humilitatem secutus. Hortatus est eum, ut D. Petri exemplo, Christi pascat ouiculas, non tondat, non excoriet, nō euisceret, aut ut lupus famelicus deuorando consumat. Intruserat enim Pontifex in ecclesiasticas functiones maiores, extraneos quosdam, iuuenes lasciuos ac petulantes, & Anglici sermonis prorsus ignaros: præcipuè Iordanum quendam, quem eo inconsulto Eboracensem decanum fecerat. Cum uerò obstitisset Seuallus, illico excōmunicabatur, pulsatis etiam campanis, & candelis ad uulgi terrorem accensis. Sed hæc patienter & constanter uir pius sustinuit, nolens nihilominus indignis sacerdotia cōferri. Et quāto magis Papa præcipiente maledicebat, tanto magis à populo honorabat, licet tacitè, ob Rom. tyrannidis metum. Aspera & grauis mundi amatoribus uidebatur hæc Christiani pastoris conditio: sensatis tamen amœna ac iucunda, cū in persecutiōe uirtus incrementū suscipiat. Hæc atque alia de ipso retulit præfatus Matthęus. Victuris chartis Seuallus suo tempore cōmendauit,

Breuiloquium ad Alexandrum,	*Lib.1.*
Statuta synodalia,	*Lib.1.*
Ad suos sacerdotes,	*Lib.1.*
Sermones & epistolas,	*Lib.1.*

Atq; *alia*. Sed dum cōstanter aduersus Antichristi, & curiæ eius maledictæ furias dimicaret: tribulationibus demū, iniurijs et angustijs lacessitus, uir bonus exspirauit, anno Salutis humanæ 1258, archiepiscopatus sui anno quinto, Henrico tertio non regnante, sed in Anglia ferente imaginem Romanæ bestiæ.

HVNFRIDVS NECKTON. XXIIII.

HVnfridus Nekton, patria Sudouolgius, relicta cum fortunis paterna domo, in Nordouicensi Carmelitarum cœnobio, superstitiosis eorū se tradidit institutis. Et hoc ille fecit in eius loci primordijs, cum Philippo Vuarino de Covugate, illius urbis nobili ciue ac uiro primario, qui domū suam, uxore defuncta, ipsis in ædem contulerat, seque cum omnibus bonis in mancipium. Tantum Hunfridus iste in scientijs profecit, perspicaci adiutus ingenio, ut primus ex Carmelitis esset, qui post prædictos Minoritas, Vincentium, Ioannem & Guilhelmum Pictauum, in publico Cantabrigię gymnasio theologiam scholasticè prælegeret. Ex omnique sua factione primus tandem fuit, qui anno Domini 1259, sub eius gymnasij rectore Guilhelmo Ludhamo, Eligensi postea episcopo, ac suo semper Mecœnate, theologicus doctor sit effectus. Antichristi regnum ac iura Papistica maiorū more deinceps tuebatur tam in disceptationibus publicis, quàm in concionibus etiam magistralibus, per urbes & oppida, uel in ipsis ecclesijs maioribus, ad uulgi dementationem factis: ut uerum sit, quod Dominus olim ad suam dixerat plebem, Ezech. 16: Tradidi te desiderio te odientium, nempe Palæstinorum. Per eos enim fornicata es cum Asyrijs. Nam & isti ex Palæstina uenerunt, suis progenitoribus multo peiores. Quoniam illi de manuum labore uiuebant: isti uerò Antichristo sic iubente, ex otio, mendicitate ac dolo. Edidit inter cætera Hunfridus,

Sermones Dominicales 14.	*Lib.1. Omne debitum dimisi tibi.*
Ordinarias quæstiones,	*Lib.1.*
Lecturas scholasticas,	*Lib.1.*
Super articulis theologicis	*Lib.1.*

Cætera eius scripta sunt mihi ignota. Diu enim sub Henrico tertio & Eduuardo primo Anglorum regibus uixit: ac demum senex, uitæ suæ sortitus est finem, anno Virginei partus 1303, Nordouici in suo cœnobio solenniter sepultus. de quo Ioannes Lelandus hoc protulit distichon:

Laudibus Hunfridum meritis super astra feramus,
Cui data Grantanæ laurea prima scholæ.

APPENDIX.

Matthæus Parisius: Anno Domini 1257, Henricus Anglorum rex pessimo fretus consilio, ut filium suum Eadmundum ad Siciliæ regnum promoueret, Papam intelligere fecit, in Anglia inexhauribilem esse pecuniarũ puteum, cum tamen ipse per Papæ negociatores Florentinos penè fuisset exhaustus. Nam illorum usuræ ad plusquam centum quotidie libras ascenderunt, ita ut Angliæ imminere t desolatio ac ruina. Famis inedia multi tunc perierunt, & honorabiles quidam hostiatim mendicando multiplicatis suspirijs noctes transegerunt insomnes. Pleriq; etiam sunt uenenis extincti, repertis quibusdam uasculis lethali liquore plenis. Tres nimirũ aduersarios habebat tunc Anglia: Romanos, Pictauenses, ac Iudæos. Papa nihilominus per archiepiscopos Messanensem & Tarentinum infatuabat regem, super Siciliæ & Apuliæ regnis pro filio suo Eadmundo. Qui propterea magnam à clero pecuniam exigebat: & dederunt illi 42 millia marcarum, ad læsionem suam non modicam. Mox sequebatur Arlotus, Minoritarum generalis, qui 20 superbissimis equis intrabat, super præfatis regnis responsum petiturus. Exegit ille in parliamento pecuniã infinitam, quam rex soluturum se obligabat Papæ mercatoribus sub magnis pœnis: quas reor inhonestum, immò horridum esse recitare. Responderunt in eodem parliamento, tacentibus prælatis, nobiles, periculosa esse ac dubia, quæ Pontifex super his regnis offerebat. Quod cum intellexisset ille, alios misit nuncios, qui uulpinis calliditatibus credulam regis simplicitatem circumuenirent. Vnde certatim aduenerunt, Sterlingos olfacientes nummos, ut munera reportarent, nunc episcopus Bononiensis cum annulo quodam regij muneris signo, nunc archiepiscopus Messanensis Dominicanus, nunc Ioannes de Diua Minorita, nunc Bernardus de Nimpha, nunc Senesius, nunc Rustandus, nunc iterum Arlotus, & alij nonnulli. Quos omnes rex infatuatus, cum summa reuerentia suscepit, in maximum regni sui damnum.

Magnates igitur, silentibus prælatis, regis uias deinceps dirigere conabantur. In fineq; responderunt, se amplius nolle tales extorsiones sustinere. Cum uerò his non obstantibus, misisset rex inæstimabilem pro dictis regnis pecuniarum summam, illam non sufficere dicebat Pontifex, usuris suis compensandis, quæ sui occultè subripuerunt. Imposuitq; regi, quòd ecclesiam decepisset, unde sorduit eius fama inter nationes. Ita excanduit ira Papalis in regem, cum promissa peteret, ut excommunicationis sententiam ac regni sui interdictum pararet, grauioribus adhuc succedere comminatis. Vnde rex mente confusus, quinq; millia marcarum ultrò numerauit, ut cordis eius iram temperans, sententiã ad tempus prorogaret. Inde perijt spes tota de Siciliæ & Apuliæ regnis, quæ inuito Pontifice Manfredus rex tenebat. In cuius fauorem Brancaleo senator Romanus, à quodam Anglo Matthæo Beluerario adiutus, Papam uicit, & cardinalium parentes atq; affines suspendit plures, ac uilescere cœpit Romanum nomen. Postea rex Angliæ grauiter est conquestus, quòd Papa tam magnum habens thesaurum, misso etiam annulo, non staret promissis. Sequebatur tonitruus in Anglia uehemens, uentus & choruscatio horribilis, euersis domibus, molendinis, & horreis. Eo anno Minoritæ Londini scandalum incurrebant, quia 71 Iudæos ad supplicium reseruatos, ob necem Hugonis pueri Lincolniensis, suis intercessionibus, pecunijs conducti, à morte & carcere liberauerunt. Tepuit igitur Londinensiũ deuotio erga Minoritas: sicut Parisiensiũ refriguit charitas erga Prædicatores, qui Vniuersitatis consuetudines infirmare conabantur, Hugone cardinale fortiter eos roborante.

Appendix alia.

Matthæus Parisius: Anno Domini 1258, Ricardus Cornubiensis, regis frater, in regem Alemaniæ eligebatur, ob fidelitatem, constantiam & sapientiam, sed maximè propter thesauri abundantiã. Illiq; Papa Imperium procurauit, sed callidè ac sub silentio, ne Hispaniæ regi Alphonso aduersarius uideretur. Thesauris enim abundabat Ricardus. Vnde Satyricus quidam,

Nummus ait pro me, nubit Cornubia Romæ. His temporib. statutum est Romæ, quemlibet ex Anglia electum transalpinare, ut Romanorum loculos impregnēt, in magnam ruinam Anglici regni. Nam omnia tunc illic erant uenalia. Sub reformationis colore multi etiam in Angliam uenerunt, & inter alios frater Mansuetus Minorita, qui authoritatem habebat quoscunq; absoluendi, falsidicos, periuros, uotorum transgressores, adulteros, homicidas, proditores, ueneficos, Sodomitas, et omnes: quod prudentibus fuit in sibilum ac derisum. Minores eodem anno in urbe Buriensi impetum in monachos fecerunt, pro construendo illic cœnobio: et Prædicatores Dunstabliæ in Canonicos illic regulares, ac per Hugonem Cardinalem in ea pugna præualuerūt. Anno Domini 1257, cum rex esset ad fanum Albani, conquestus est Matthæus Parisius super utraq; uniuersitate, tam Oxoniensi quàm Parisiensi, quòd maledictum illud Euangelium nouum, iniquum & blasphemum, quod uocabant æternum, in magnum Christi dedecus illic per fratres legeretur. Ipso eodem anno Londini apparuit Papæ authoritate, nouus & incognitus ordo fratrum eorum, qui à saccis, quibus induti erant, Saccij uocabantur. Cantabrigiæ etiam mansio concedebatur fratribus Bethleemitis, qui Prædicatorum more uestiti, stellam rubeam in pectore, quinq; radijs crinitam habebant, in cuius medio rotunditas erat aerei coloris, propter stellā quæ nato Domino apparuit in Bethleem. Totq; ordines exorti tūc erant, ut ordinum confusio uideretur, ita ut hi hos, & econuerso supplantarent: nec sufficiebat populus, ut cōsueuit, eos eleemosynis sustentare. Habebatq; mulier quædam reclusa apud S. Albanum terribilē uisionem, quæ tamen uidebatur oraculum cœleste. Vidit senem barbatum, uultu uenerabilem, sed seuerum, qui uersus uillam intonabat: Væ uæ omnibus terram inhabitātibus. Et illud iterauit, ac recessit. Hæc omnia Matthæus.

IOANNES DRITONVS. XXVI.

IOannes Dritonus, aliàs de Arida uilla dictus, ex illustri quadam Anglorum familia procreatus, ab ipsa pueritia prælegentes audiuit, bonas artes didicit, ac literis incubuit totus. Cumq; in his exercitijs aliquot annos collocasset, Parisiorum Lutetiam de more petijt, ut & illic adhuc maiora atque altiora conquireret: philosophus statim nominatissimus, ac magnus theologiæ magister habebatur. Contigit enim graues fieri molestationes, & schismata suscitari per Dominicanos ac Minoritas, dum ille anno Domini 1256 summus esset gymnasij moderator. Nam quidam eorum, in summum Christi uituperium, Sathanicū illud opus, ex Ioachimi & Cyrilli monachorum somnijs conflatum, pro æterno Dei Euangelio, in apertis scholis exponere præsumpserant. Quorū impudentias horribiles, post Guilhelmū de S. Amore, atque alios pios theologos, & iste tam uoce quàm scriptis peracriter tetigit. Res tandem uenit ad Pontificis aures, & quod multis mortibus punire debuerat, mira arte celabat, tegebat, tuebatur, hæreseosq; eorū accusatores extemplò damnabat. Sic suas creaturas Antichristus defendere solet, iudicans bonum malum, & econtrariò. Et ita pij doctores in detegendo illorum fratrum hypocrisim & apertas blasphemias, nihil profecerunt: tam callidus erat Sathan in promouendis tantarum iniquitatum mysterijs. Veruntamen Dritonus doctè ac religiose scripsit

Contra Seductores fratres,	Lib. 1.
De tribus principijs,	Lib. 1. *Quia speculatio intellectus discernit.*
De relatione quoq;,	*Lib. 1. Quærunt de prædicamento relationis.*
De principijs theologicis,	Lib. 1.
Conclusiones scholasticas,	Lib. 1.

Atque alia plura. Claruit uir pius anno à Christi seruatoris natiuitate 1260, sub Henrico tertio Anglorū rēge, cum Romani pontificis tyrannidē multi timerent, qui tamen illius fulminationes atq; excommunicationum tonitrua nihili æstimabant.

MATTHAEVS

MATTHAEVS PARISIVS. XXVI.

MAtthæus Parys, seu Parisius, ad fanum diui Albani, quod olim Verolamium dicebatur, Benedictini monachus instituti, liberalibus literis ab infantia eruditus, studijs continuis uacabat, ac uiros doctos impensissimè coluit. Et cum prudens uidisset, historiam rem esse cordatis hominibus in primis necessariã: auspicatus à cõquestu, ut uocant, Guilhelmi Normannorum ducis, per octo regum tempora, acta nostræ gentis, usq; ad annum 35 Henrici tertij Anglorum regis, annũ scilicet Domini 1251, maxima cum diligentia iuxtà ac fide perscripsit. Cui & postea, multarũ rerum scientia auctus, cõtinuationes nouem ferè annorum, & appendices additamentorum titulo annexuit. Simili quoq; diligentia in illustrandis memorabilibus 22 Albanensium factis, usus est, incipiens à Vilogodo primo, usque ad Guilhelmum perduxit, cuius tempore calamum exercuit. Ob eximias corporis & animi dotes multis erat acceptus, regi Henrico præcipuè: qui iussit, ut sui temporis gesta conscriberet, quod & fecit. In quibus quorundam Romanorum pontificum auaritias, fraudes, mendacia, dolos, pompas, impudentias, tyrannides, blasphemias, & artes pessimas ita depinxit, ut nullus unquã Apelles melius. Fœditates & turpitudines Antichristi, pedum osculis non honorauit, sed uiuis reprehensionibus detexit, derisit ac damnauit, ut & illas detestaretur posteritas. Congessit Matthæus,

Historias à conquestu,	Lib. 8. *De chronographia locuturi primò.*
Continuationes historiarum,	Lib. 1. *Dominus rex fuit apud Vuinton.*
Descriptionem mundi,	Lib. 1. *Castrum Douorense in ipsa rupe.*
Historias Hyberniensium,	Lib. 1. *Magnus Patritius Hybernorum.*
Historiam à mundi origine,	Lib. 1.
Gesta 22 abbatum,	Lib. 1.
Additamenta chronicorum,	Lib. 1.
Vitam diui Guthlaci,	Lib. 1.
Vitam Vuolstani episcopi,	Lib. 1.
Vitam Eadmundi archiepiscopi,	Lib. 1.
De paßione D. Amphibali,	Lib. 1.
Chronica maiora D. Albani,	Lib. 1.

Et alia nonnulla. Ab Innocentio quarto Rom. pontifice iussus, ut Lelandus habet, in Nordouicensi diœcesi conspurcatum monachismum à multis inquinamẽtis olim purgauit. Obijt eo anno quo Chronica finiebat, anno scilicet nostri Seruatoris 1259, ad fanũ Albani sepultus, Henrico 3 regnante.

APPENDIX.

Matthæus Parisius: *Anno Domini* 1258, *Bancaleo senator Romanus, qui Papam pro Manfredo uicerat, superborũ malleus, malefactorũ extirpator, populi protector, ueritatis defensor, ac iusticiæ amator obijt, erecto eius in cleri improperiũ triumphi signo. Successoremq; ei auunculũ eius protinus elegerũt, Papales nuncios contẽnentes et cachinnãtes. Et auditis in Anglia Manfredi Siciliæ regis pugnis prosperis ac triũphis, nullus erat qui Papæ condoleret, propter eius extorsiones. Cum peteret à fidelibus precum suffragia, fucum & hyporisim esse multi tunc dicebant, nec de eius sanctitate quicquam deinceps curabãt. Hoc tempore Gualterus Suthfelde, episcopus Nordouicensis, obijt Colcestriæ, qui famis tempore argentea uasa uendidit, ut pauperibus subueniret.* Hæc Matthæus. His temporibus in *Angliã uenerũt fratres cruciferi, fratres Paulini, fratres de Armenia, fratres de Pœnitentia, fratres de Viridi ualle, & ordo Bonorum hominum, Asherugi & Edyndonæ locatus: ac quicquid uiride fuit, hæ locustæ suffocabant, Apoc. 9. Thomas Cantipratensis lib. 2. cap. 56. Circa annum* Domini 1258, *in Cameracensi diœcesi Dominicani hæreticos plures combusserũt.* Nam

hi cum Minoritis, Papæ tortores tunc erant: atq; homines in Christum credentes, in igne sacrificabant. Augustinianorum secta eodem anno confirmabatur, ex nocturno quodam Alexandri quarti somnio. Ex bulla eiusdem: Carmelitis eodem anno cōcessi sunt carceres, per eundem Alexandrum, pro puniendis eorum apostatis. Ex eius bulla quoq;: Mysterium hoc magnū ac multiplex est. Nam plures tunc ab illis discesserant, contemptis Papæ characteribus ac uotis, præter id quod latet.

Appendix alia.

Matthæus Parisius: Anno Domini 1259, Londini baptizabatur Helias Iudæorum pontifex. hic multa Christianis Anglicis reuelauit, super illo potu mortifero, quo plures tunc essent extincti. In quibusdam secretissimis locis uasa, quæ Costrelli uocantur, ueneno plena reperiebantur, seris tutissimis munita. In illis generaliter inuentus erat liquor ceruleus, uenenū habens lethale. Quem canibus oblatum, noluerunt gustare, nisi cibis permixtum, et tunc moriebantur. Hoc in Anglorum interitum, à Romanis, Iudæis & Pictauensibus procurabatur. Eo anno Pictauenses magnum thesaurum in saccis lanarum subdolè detulerunt. Interim Douorici littoris custos, et transeuntium indagator, multos Romanorum legatos et mercatores, & inter alios Arlotum Papæ consiliarium, numismate onustos inuenit, quos ut leuius transirent, quàm citius exonerauit. Eodem anno Prædicatores & Minores domicilia sumptuosa cōstruxerunt, exhaustis oblationibus ac redditibus, et adhuc molestati fuerunt Parisienses per hos fratres. Oxonij et Cantabrigiæ grauissima creuit discordia inter Anglos & exteros, Scotos & Vuallos, aquilonares & australes, multiq; uexillis explicatis hostiliter sunt interempti. Apud Trinitatē Londini, inter Canonicos de lana caprina cōtendentes, unus alterū interfecit. Templarij & Hospitalarij, fratres de S. Lazaro, et fratres Thomæ Acconensis, se mutuò interfecerūt in terra sancta. Vnde qui olim erāt ecclesiæ defensores, iam facti sunt dissipatores. Hæc Matthæus. Hic plura adhuc ex eodem authore dicenda essent de Odomaro Vuintoniēsi, Guilhelmo Sarisburiensi, et Petro Herefordensi episcopis, utriusq; reipublicæ proditoribus, atq; alijs magnis nebulonibus: de Dominicanis, qui comperientes regis & magnatum deuotiones magna industria (dixisses impostura) petram quandam albi marmoris acquisiuerunt, in qua uestigia pedum Christi, dum ascenderet, impressa uidebantur: de Franciscanis, qui Christi sanguinem: et de Cistercietibus, qui lac Mariæ se adeptos esse fingebant, si longa eorum narratio tædium non generaret.

HAYMO DE FEVERSHAM. XXVII.

HAymo de Feuersham, ex eo celebri Cantiorū emporio oriundus, relictis scholis patrijs, contulit se ad famosam Parisiorum Academiam, periclitaturus, quantum non modò diligentia, uerumetiam ingenio ualeret. Vnde inter Aristotelicos, ut Lelandus habet, Aristotelissimus, Franciscanorum gregi in ipso Dionysij fano comitem, solo insolita prædicandi nomine, se addidit. Quorum regulam ac fenestratos calceos, ex quadā deuotiōe ad Seraphici Francisci stigmata in foribus depicta, professus in Anglia, statim fiebat prouincialis eorum minister. Moxq; uocatus à sui ordinis primatibus Bononiam, deinde Patauium, ac demum Romam, totius eius familiæ primam accepit gubernationem, quam quinq; annis tenuit, Anglorum magistratu alteri relicto. Hinc à Gregorio nono in Græciam legatus mittebatur, ut fucata sanctitate quosdā illic deluderet. Hi seductores durissima seruitute Christianam plebem, non aliter quàm Pharaonis iniqui milites opprimebāt, *ut æterni Dei honorem transferrent ad hominem illum impium,* totius perditionis filium, ut Paulus Antichristū uocat. Nam ex ipsis & Dominicanis multi tunc erant, qui sub titulis inquisitorum ac magistrorum hæreticæ prauitatis, Christi fideles, ut dictum est, ad martyriū ubiq; pertraherent. Et hic Haymo eorum unus fuisse narratur, qui Alexādri quarti Rom. pontificis iussu, correxit, rubricauit, atq; ad horas sine omni deuotiōe murmurandas aptauit,

Breuiarium Romanum, *Lib. 1.*

Super

Super Sententias,	Lib.4.
Sermones per annum,	Lib.1.

Et alia plura scripsit. Claruit anno à Christi natali 1260, Henrico tertio in Anglia regnante. Et tandem in Italia senex Anagniæ moriebatur, à pontifice Rom. in ultima ægritudine uisitatus, atque illic est sepultus. Multi his diebus contra istorum fratrum hypocrisim scripserunt.

IOANNES GVALENSIS. XXVIII.

IOannes Gualēsis, uel Vualleys dictus, Vuigorniæ Minorita, magnus suæ professionis theologus, et in omni disciplina scholastica doctissimus per istam ætatem æstimatus, relictis Oxoniensium scholis, Parisiorum academiam petijt. Vbi tantam curam, diligentiam et operam, eruditis studijs adhibuit, ut & tandem apud illos doctrinæ excellentis nomine, ter maximus haberetur, atque arbor uitæ non absque insigni Seruatoris blasphemia diceretur. Multis annis, inquit Ioannes Tritemius, in Parisiensi gymnasio theologiam gloriose, & maximo suorum auditorum applausu docuit. Ea ingenij promptitudine ac rerum cognitione præditus fuit, ut de quacunque re, licet non ornatè, potuerit disserere. De ipso plura narrāt eius ordinis scriptores, præcipuè Bartholomæus Pisanus in conformitatibus Francisci. ut quod multa disputauerit, atque in scripta retulerit: sed ad ueram Euāgelij gloriam, nulla. In scholis sæpiusculè disputabant hi turgidi Pharisæi, de uirtutibus, imò de ipsa perfectione Euangelica: non ex corde, ut inde fierent meliores, sed potissimū ut spectarentur ab hominibus. Multa scripsit opuscula Gualensis, quibus non minimam sibi gloriam apud posteros acquisiuit, scilicet

Communiloquium de uitæ regimine,	Lib.7. *Cum doctor siue prædicator Euangelicus.*
Floriloquium de philosophorum dictis,	Lib.1. *Cum enim deberemus apes imitari.*
Legiloquium de mandatis diuinis,	Lib.1. *Scribam eis multiplices leges.*
Moniloquium, seu collectiloquium,	Lib.4. *Cum almus Christi confessor Franciscus.*
Breuiloquium de sapientia sanctorum,	Lib.1. *In principio, secundum quod testatur.*
Foriloquium,	Lib.1. *Cum enim circa res domesticas.*
Compendiloquium quoque,	Lib.1.
Ordinarium uitæ religiosæ,	Lib.3. *Nunquid nosti ordinem cœli, & ra.*
De ordinatione uniuersali,	Lib.1. *Quoniam omni negotio tempus est.*
De uirtutibus antiquorum,	Lib.3. *Quoniam misericordia & ueritas.*
Manipulum florum,	Lib.1. *Ruth paupercula collegit spicas.*
Locarium quoddam,	Lib.1. *Volo uiros orare in omni loco.*
Itinerarium,	Lib.1. *Quoniam uir Deo dedicatus.*
Diætarium,	Lib.1.
Indices duorum operum,	Lib.1. *Ablatio rerum sustinenda est ex.*
Summam iusticiæ,	Lib.10. *Summa iusticiæ Christifidelium.*
In Apocalypsim Ioannis,	Lib.1. *Legimus apud Eusebium in eccle.*
Pastoralia,	Lib.1. *Licet beatus Gregorius admonu.*
De disciplina,	Lib.1. *Disciplina ad mentem instruendam.*
Super oculo morali,	Lib.1.
De correptione,	Lib.1. *Probata uirtus quasi per ignem.*
De exhortatione,	Lib.1. *Qui exhortatur in doctrina.*
De cognitione uitæ,	Lib.1. *Quoniam omni negotio necessarium.*
De origine Mahumeti,	Lib.1. *Ad ostendendum quòd Mahumetes.*
Historiarum collectanea,	Lib.1.
Additiones celebres,	Lib.1.

De pœnitentia,	Lib.1.
De relationibus,	Lib.1.
De esse & essentia,	Lib.1.
De uisitatione infirmorum,	Lib.1.
Breuiarium præceptorum,	Lib.1.
Commentarios in Valerium,	Lib.1.
In fabulas Ouidij,	Lib.1.
In Mythologicon Fulgentij,	Lib.1.
Lecturam sententiarum,	Lib.4.
Lecturas scripturarum,	Lib.plu.
Sermones de tempore,	Lib.1.
Sermones de sanctis,	Lib.1.
De diuersis materijs,	Lib.15.

De alijs uerò illius opusculis nihil hucusq; uidi: quamuis Bartholomæus Pisanus & Iacobus Bergomensis, plusquam octodecim uolumina magna illum edidisse ferant. Claruisse fertur anno Christi Domini nostri 1260, regnante Henrico tertio: ac tandem inter suos commilitones sepelitur.

ALEXANDER ESSEBIENSIS. XXIX.

ALexander Essebiensis, eius olim celebris cœnobij, ad occidẽtem Angliæ solem præses, uel Prior, ut uocant, ordinis Canonicorum regularium D. Augustini, inter rarissimos suæ tempestatis rhetores ac poetas meritò celebrandus occurrit. Erat ille non modò doctarum artium cultor egregius, uerùm etiam eruditorum uirorum fautor, et quidem præcipuus. Ouidium Nasonem, Palladium Methonæum, & Decium Ausonium imitatus, de Fastis seu sacris diebus elegiaco metro tractatum edidit. In quo maiora festa, ac sanctorũ per anni circulũ uitas pulchrè descripsit: ut & nostris diebus, ac eius penè exemplo fecit Baptista Mantuanus, poeta celeberrimus. Et licet eius carmina non habeantur omni ex parte emuncta, nitida & pura, ut hæc peteret ætas: sunt tamẽ eruditionis plena, ac plerunq; Virgilianũ aliquid spirantia. A' superstitione tamen ac fabulis ea non eximimus. Scripsit Essebius carmine heroico, pro sui ingenij exercitatione, ad Lethardũ, argumenta Bibliorum, uel

Compendium historiarum Bibliæ,	Lib.1. *Ante dies omnes mundi fuit omnis.*
De sacris diebus,	Lib.1. *Omnia cum nequeam sanctorum scribere.*
Festiuale quoddam,	Lib.1. *Duo præclara diuinæ pietatis.*
Vitam S. Agnetis,	Lib.1. *Agnes sacra sui pennam sapientis.*
Vitam Bertellini eremitæ,	Lib.1. *Quoniam quanto intellectui nostro.*
Vitam Cungari eremitæ	Lib.1. *Dum quidam Constantinopolitanus in.*
Confeßionem ad Deum,	Lib.1. *Confiteor tibi Domine Deus.*
Meditationes quasdam,	Lib.1. *Duæ sunt uitæ, quæ in sacra script.*
Epistolas & carmina,	Lib.1. *Laborem in ludum uertit fructus.*
Historiæ Brytannicæ epitomen,	Lib.1.

Atq; adhuc alia tam carmine quam prosa literis commisit. Claruisse fertur anno Salutis humanę 1220, statim post initia regni Anglorum regis Henrici tertij. Aliqui ex nostris scriptoribus Somersetensem, alij Stasfordiensem fuisse putant.

LAVRENTIVS ANGLICVS. XXX.

LAurentius Anglicus, ad Parisiorum Lutetiam theologię magister, et illius collegij, quod illic insigne Angli olim habebant, præpositus, ex lecturis atq; cõcionibus publicis magnum sibi comparauit nomen. Videns

hic

hic demum quò tenderet pro bellua Behemoth, nouorum hypocritarum, nempe fratrum Mendicantium impietas, uel potius apertissima insania, ut indies pro firmando Papæ regno, tuendisq; cleri superfluitatibus digladiarentur, Guilhelmi de S. Amore, Christiani Beluacensis, Gerardi Sagarelli, & aliorum partes contra illos fouebat. Euangelium quoque maledictum illud, ex Ioachimi & Cyrilli scriptis, ad Christi obliterationem editum, quod spirituale & æternum uocabant, cum ipsis per scripturas sacras fortiter impugnauit. Cum uerò essent iniquissimi nebulones, per hos pios doctores in furto illo Satanico deprehensi, pro diluendo inæstimabilis infamiæ malo, cum Alexandro 4 pontifice egerunt Hugo Barchinonensis Cardinalis Hispanus, & Ioannes de Columna archiepiescopus Messanensis Italus, ambo Dominicani, ut illud Euangeliū nouum unà cum prædicti Guilhelmi libro, De nouissimorum temporum periculis, Romæ combureretur, ut sub eo colore periret utriusque memoria. Composuit Laurentius, uir certè probus, si ad finem usq; perseuerasset,

Contra pseudoprædicatores, Lib. 1.
Defensorium Guilhelmi, Lib. 1.

Et alia quædam. Claruit anno Christi 1260, Henrico tertio regnāte. Territus tandem Alexandri prędicti fulminationibus, fratrum clamoribus, & Pictauensis comitis Alphonsi comminationibus, incœptorum illum adeò pœnituit, ut inter Dominicanos sepeliri se permiserit, ut libro 2, cap. 9, Cantipratensis habet.

APPENDIX.

Platina in uita Alexandri: Beneficus enim Alexander, & liberalis est habitus, maximè uerò erga pauperes Christi (Mendicātes fratres intelligit) & bene de religione Christiana (Papismo potius) meritos. unde libellos quosdam contra paupertatem (mendicitatem oicosam) editos, à quodā Guilhelmo de sancto Amore, perpetuo edicto aboleuit. Affirmabat uir ille perniciosus (pius Christi seruus) pauperes religioni deditos (impostores pessimos) et eleemosynis uiuentes, non esse in statu salutis. Combussit etiam, uidente curia Romana, libellum pestiferum (cur nō & libelli authores?) quo author asserebat, statum gratiæ non à lege Euangelij, sed à lege spiritus procedere. Quæ opinio ex libris Ioachimi abbatis sumpta dicebatur. hic autem liber à sectatoribus Euangelium æternum dicebatur. Hæc Platina. Ioānes de Parma ordinis fratrū Minorū, minister generalis, qui in gymnasio Parisiensi Sententias legerat, doctrinā abbatis Ioachimi sequebatur: Ex Antonino. Contra Guilhelmum de S. Amore et alios pios theologos, his temporibus declamabant ac scribebant, Thomas Aquinas, Albertus Magnus, Bonauentura de Balneo regio, Humbertus Viennēsis, Hugo Barchinonensis, Helias Brunetus, & alij mendicantium fraterculorum plures.

Ex parte altera Guilhelmus de S. Amore, Gallus, scripsit Defensorium scripturæ & ecclesiæ, contra pericula imminentia ecclesiæ generali per hypocritas ac pseudoprædicatores, penetrantes domos, ociosos et curiosos, gyrouagos lib. 4. De periculis nouissimorum temporum, lib. 1. De quinquaginta signis pseudoprophetantium, lib. 1. Quæstiones, de mendicitate, cōtra Bonauenturā, lib. 1. Et sermones aliquot. Gerardus Sagarellus, Italus, doctor Parisiensis, scripsit contra Minoritas lib. 1. Cui per Apologiam respondit Bonauentura Franciscanorum generalis. Et hic Parmæ et per sanguinolētos illos dicitur esse combustus. Desiderius Longobardus de statu monachorum hoc tempore disputabat: & quod deberent de manuum suarum labore uiuere, librum edidit: & istum Thomas Aquinas hæresiarcham esse dicebat. ex Bernardo Luthēburgo. Philippus, scholæ Parisiēsis cancellarius, ac doctor theologus, contra eosdem fratres prædicabat, ut habet Thomas Cantipratensis. Guido Bonatus, Italus, astrologus, apud forum Liuij natus, scripsit contra Minoritas lib. 1. Cabasila quidam, contra Thomā Aquinatem, calamum quoq; strinxit. Manfredum Siciliæ regem excommunicabat Papa, quia libros habebat aduersus fratrum mendicitatem: Fasciculus temporum. Vnde Ioānes

Hussius,

Husſius, tom.2. ſuorũ operũ: Magiſtri Pariſienſes (inquit) ſpiritu Ieſu plura in duob. libris prædixe runt, quàm poſſunt in eccleſia Ieſu reperiri, &c. Anno Domini 1260, *Carmelitæ fratres, uiſis populorũ odijs ac ſcandalis aduerſus Prædicatores et Minores, officia inquiſitionis et exequtiõis cau ſarum cum cura Monialium à ſe excutiunt. Ex quadam bulla Alexandri quarti: Propterea pauciores ſemper erant Cardinales ex his et Auguſtinianis, quàm ex aliorum Mendicantiũ ſectis, ut in quadam ordinaria quæſtione Ioannis Chelmeſtoni apud Nordouicum olim legi.*

PETRVS SVVANYNGTON. XXXI.

PEtrus Svuanyngton ex Nordouolgiorũ comitatu oriũdus, in Brunhamienſi cœnobio *Carmeli inſtituta*, ſolẽni *profeſsione* ſeruãda, Hunfridi NeckToni ſynchronus ſuſcepit. Qui quum in ſciẽtijs tam profanis quàm ſacris, ut tunc erãt, apprimè eſſet eruditus, Carmelitarũ omniũ primus, in Oxonienſi gymnaſio, theologiæ ſcholaſticæ ſupremum nomen, magiſtrorũ ſuffragijs eſt adeptus. Vnde non ſolùm Oxonij in Anglia, ſed & Burdegalis in Vaſconia tandẽ, ſub Gerardo Bononienſi, ſupremo ſui ordinis præſide, Sententias Petri Longobardi ordinariè prælegit, contentus interim doctior quàm eloquẽtior haberi. In diſceptationibus uerò ſcholaſticis, acre ac uehemens habuiſſe ingenium, à ſuis ambitioſe dicebatur, à quodam Gobelino Alemano præcipuè: qui poſtea ad eius ſectæ Anglos, Clementis quinti Rom. pontificis commiſſarius, arbitralia quædam ſtatuta, atque alia ſcripta edidit. Incommoda multa ſuo tempore pertulit hic Petrus, tam carceris quàm exilij, ſub præfato Gerardo, quod illi cum quibuſdam alijs theologis reſtiterit fortiter, ne Angliæ prouincia ad eius quæſtum in duas diuideret præfecturas. Protulit interea, ut ipſe putabat, ad poſteritatis uſum,

Commentarios ſententiarum,	Lib.4.
Ordinarias quæſtiones,	Lib.1.
Quodlibeta 47,	Lib.1.
Lectiones ſcripturarum,	Lib.1.

Cætera eius ſcripta nos latent, aut, ut Lelandus habet, in obſcuro ſunt: quemadmodũ & eius mors ac ſepultura. Claruit anno incarnati Meſsiæ 1270. Mœcenatem ille habuit Gilbertum de Nordouico, Hamarenſem epiſcopum, eiuſdem inſtituti uirum eruditum, Henrico tertio regnante.

HELIAS TRICKYNGHAM. XXXII.

HElias Trickyngham, Benedictinæ profeſsionis monachus, Metamſtedæ, *uel ex recentiori nomine Petroburgi, ſub præceptoribus* undique doctis, in bonis literis educatus fuiſſe narratur. Quorum in ſcientijs liberalibus *inſtitutiones, & in alijs exercitijs uirtutes tam fœliciter eſt æmulatus,* ut nullum prorſus, pro ipſis hauriendis, diligentiæ locum reliquerit. Vnde *tantus poſtea magiſter euaſit, ſiue eruditas artes, ſiue linguarum* elegantiã ſpectes, quantum illa ſecula, & meritò quidem, obſeruabãt ac uenerabant. *Nec diu ſtetit ſine ſuo honore tam clara uirtus. Fuit enim doctoris* mox inſignijs, Oxonij donatus Helias. qui inter cætera ingenij ſui monumẽta, Latino ſermone reliquit,

Temporum annales,	*Lib.1. Ab origine mundi in prima ætate.*

Et alia quædam, mihi adhuc ignota. Annales uerò, 644 annos continent, & incipiunt ſtatim poſt Anglici regni partitiones per Saxones, ac ferè à *Papatus* initio per Cæſarem Phocam, ab anno ſcilicet Domini 626: & durant uſque ad *annum Domini* 1270, in quo claruit ſub Henrico præfato.

HELIAS DE EVESHAM. XXXIII.

HElias de Eueſham, *in Vuigornienſi comitatu, honeſto apud* Anglos loco

loco natus, monasticæ uitæ à puero ferè in eiusdem uillæ cœnobio rigidus obseruator, & gloriȩ contemptor, habitauit. Non illum genus, nō opes detinuerunt, quo minus ad diuersas regni partes, literarum causa, cum socijs quibusdam proficisceretur. Tantum certè post pios labores in sciētijs profecit, ut ex discipulo magister effectus, plures tandem habuerit suarum lectionum auditores. Recreationis gratia, multoties se contulit ad historiarum contemplationem, uir experientiæ ac iudicij plenus. Deniq; ex uarijs Lelandi testimonijs, apparet illum excellenti eruditione fuisse præditum. Non tamen hactenus certò colligere possum, illum edidisse quicquā, præter hoc unum, scilicet

Chronicorum opus, Lib. 1.

Addant ipsi, qui plura illum adhuc scripsisse nouerint. Et sciant, me hunc ei dedisse locum, post prædictū Heliam, ob id solum: quòd uiderim eos pares esse studio, professione ac nomine, nesciens alioqui quo anno claruerit.

RADVLPHVS BOCKYNGE. XXXIIII.

RAdulphus Bockynge, patria Cicestrensis, de Suthsexiæ comitatu, Dominicanæ factionis cuculliger, sub Euangelicæ prædicationis ac religiosȩ simplicitatis fuco, sanctitatem nō modicam magnus hypocrita simulabat. Illum igitur Ricardus Vuichius Cicestrensis pontifex, de quo prius, in confessorem, ut uocant, ac malesanæ consciētiæ medicum, præ alijs multis assumpsit. Vt est in adagio uulgari, Similis similē quærit: uel, Similes habent labra lactucas. Porrò qualis fuerit Ricardus, præscripta eius facta demōstrant. Qualis uerò præsens Radulphus, sequēs intimabit impietas. In eius nempe uitȩ, quam scripsit, opusculo, à pseudodoctrina, prȩstigijs, mendacijs, idololalria, fastu pontificio, cōscientiarum carnificina, animarum læsione, rebellione in regem, et similibus imposturis ipsum commēdat. Ex illis nihilominus mox deificabatur ab Vrbano quarto, Romano pontifice. Composuit ergo Latinè, sed stylo satis barbaro, ac Isabellæ Arundeliæ comitissæ dedicauit,

Vitam Ricardi episcopi, Lib. 1. *Sicut dicit Cassiodorus in principio.*
Sermones quoq;, Lib. 1.

Quòd aliud quicquam præceps effuderit, non inuenio. Claruit anno ab incarnato Dei filio 1270, sub Henrico tertio Anglorum rege: roburq; suarū manuum cum Amalechitis, populis à Deo maledictis, idolorum potentiæ deputabat.

APPENDIX.

Quamuis Euangelium illud diabolicum, de quo iam diximus, fuerit quorundam fratrum astutia, ac Rom. pontificis arcano præcepto deletum: mansit tamen eadem in Deum blasphemia, ac summa, à recta fide in Christum, unicum humani generis seruatorem, defectio, ad nostra usq; tempora, in Papistarum meritis de condigno & congruo, in sanctorum suffragijs, Papæ largitionibus atq; indulgentijs, in bonis operibus, oblationibus, donis, uotis, solutionibus, cœnobiorum erectionibus, ieiunijs, uigilijs, somnijs, silentijs, horis, organis, sequentijs, hymnis, cantilenis, campanis, altaribus, simulachris, purgatorijs, missis, murmurationibus, mitris, delubris, templis, synagogis, sacrificijs, sectis, breuiarijs, bullis, lustralib. aquis, rasuris, unctionibus, cœmeterijs, cineribus, palmis, calculis precatorijs, candelis, calicibus, crucibus, cathedris, cappis, candelabris, cereis, thuribulis, pompis, ritibus Babylonicis, Aegyptiacis cultibus, spectaculis, reliquijs, regulis, monachis, mendicabulis, chordis, codicibus, ocreis, bracchis, pseudodoctrinis, sententijs, summis, decretis, luminibus, picturis, cæremonijs, idololatrijs, incantationibus, exorcismis, sputis, legendis, uitis, fabulis, ocijs, ineptijs, atq; alijs innumeris apostaticarum adinuentionum imposturis & abominationibus. Pro his per dæmoniorum doctrinas

firmandis, ac per disceptationes sophisticas perpetuandis, Robertus D. Ludouici *Francorum regis frater, his temporibus Parisiorum Sorbonam primus instituit. Et alter eius frater, Alphonsus, Pictauensium comes, minis ac terroribus pios doctores per Dominicanos fugabat. Et ut Cantipratensis habet in opere suo de Apibus mysticis, Albertus Magnus, Hugo Cardinalis, Thomas Aquinas, Bonauentura, & alij eiusdem farinæ theologi, mirabilia magna & multa Parisijs tunc faciebant. Philosophiam quoq;, qua deinceps in scholis utebantur magistri nostri, Erasmus dicit in quadam epistola, his diebus esse natam. Degenerabant istis temporibus (inquit Lelandus) à sua puritate artes, unà cum Latinæ linguæ elegantia: perstrepebatq; in scholis nescio quæ sophistica garrulitas. Eos igitur omnes, quibus Seruator Christus cordi est, adhortor in Domino, ut hæc ob ea quæ in ecclesiæ doctrinis ac doctoribus deinceps usq; ad annum Domini 1520 sequuntur, medullitus hoc loco perpendant, explorent, iudicent.*

ALPHREDVS ANGLICVS. XXXV.

ALphredus Anglicus, cognomento Philosophus, homo apprimè doctus, Othobono cardinali diacono olim à sacellis, tandem comes adiunctus fuit, dum in Angliam Vrbani quarti Rom. pontificis legatus ueniret, ut cõtrouersias inter Henricum regem atq; eius optimates tolleret. Locum igitur inter literarum proceres honorificũ tenere nunc debet, hac potissimum ratione, quòd utriusque linguę cognitio ac philosophiæ studium quoddã ardentissimũ, illum eò euexerint. Rogerus Baconus istũ inter linguarum politarũ interpretes numerat, in libro suo de Vtilitate linguarum. Bostonus Buriensis in magno suo Catalago, & his nostris diebus Ioannes Lelandus, hæc quæ sequuntur opuscula, scripsisse illum aliquando affirmant, uidelicet,

De motu cordis,	*Lib.1.*
De musica,	*Lib.1. Licet mihi inter meditandum.*
In Bœthium de Consolatione,	*Lib.5.*
In Aristotelem de uegetabilibus,	*Lib.1.*
In Meteora eiusdem,	*Lib.4.*
De educatione accipitrum,	*Lib.1.*
De rerum naturis.	*Lib.1.*

Atq; alia nonnulla. Sed & illum ferũt, authores aliquot, doctis illustrasse commentarijs, præsertim philosophos. Claruit anno salutis Christianorũ 1270, Henrico tertio regnante, dum magnus esset procerũ in Anglia tumultus.

IACOBVS CISTERCIENSIS. XXXVI.

IAcobus Cisterciensis, cognomine ac natione Anglicus, Bernarditarum sectæ monachus, & doctor Parisiensis, deperditum ferè ob ignauiam, sui ordinis in Anglia nomẽ, assiduis lectionibus ac literarum exercitijs reuocauit. Postquàm Dominicani & Minoritę, ex suo Aristotele turgidi, Pręmonstratenses ac Cistercienses monachos, nouorum in scholis problematum adhuc ignaros, ut prius narratũ est, bubulcos atq; ouium tonsores contemptim uocassent: Stephanus quidã Lexintonus, etiam Anglus, & Clareuallensis abbas, scholam ipsis Lutetiæ statim parabat, quam Cadmeiam nominauit. Huius loci præses, ut apparet, Iacobus olim fuit: qui & lecturas in artibus illic cõtinuabat, & scripturas scholastico more suis interpretabatur. Erat nanq; seculum in quod incidit, spinosis sophistarum argutijs miserrimè obnoxium. Vnde non leuiter ille errauit, soli Christiparę uirgini tribuẽdo, quæ spiritus sanctus uniuersæ electorum Ecclesiæ (cuius nec ipsa plus est quàm membrũ) integrè ac perfectè, absq; omni exceptione assignat. Non enim

enim poterunt talia fieri sine summa omnipotentis Dei iniuria & blasphemia. Ex doctrinæ suæ ærario protulit Iacobus,

In Cantica canticorum,	Lib. 1.
Lecturas scholasticas,	Lib. 1.
Conciones Euangeliorum,	Lib. 1.

Et alia plura. Claruit anno Salutis nostræ 1270, regnante Henrico sæpe dicto. Istum introducit inter magnos, ut ipse putat, authores, Petrus quidam Vincentinus Dominicanus, pro corroboranda sui Thomæ, circa Mariæ conceptionem opinione.

GVILHELMVS DE VVARA. XXXVII.

GVilhelmus de Vuara, aliàs Guarronis, uiginti à Londino passuũ millibus, in eo oppido natus, Minoritanæ superstitionis & monachus & doctor, Oxonij primùm, postea Parisijs, scholasticis lecturis præfuit. Aristotelicæ philosophiæ, theologorum eius temporis more, perlongo studio peritus, & ingenij uafricie callidus, multas in doctrina absurditates et fallacias merè diabolicas peperit. Erat eius ætatis theologia, per istum & cõsimiles, in quæstiones penè infinitas concisa. Inter discipulos, quos tunc multos habebat, Ioannem Scotum, cognomento Duns, subtilissimum sophistam (argutorum sophistarum deum Lelandus appellat) ac ueræ illius, quam Christus & Apostoli docuerũt, theologiæ nocentissimam pestem, ad multorum perniciem protulit. Hinc est quod Alexander Minutianus in epistola quadam scripserit, ex Anglia primùm, & inde ex Parisijs manasse sophisticè disputandi rationẽ. Nata reuera tunc erat noua in scholis philosophia, ex chimæris Homericis: qua, pro corrumpendis ac falsificãdis scripturis, Papæ impostores deinceps utebantur. Reliquit Guilhelmus impuri pectoris hæc pignora, quibus ostendit quàm prompti fuerit animi, pro dilatando eo tenebrarum regno: scilicet,

Commentarios sententiarum,	Lib. 4. *Quoniam teste beato Augustino.*
Quæstiones ordinarias,	Lib. 1.
Quodlibetales quæstiones,	Lib. 1.
In opera Aristotelis,	*Libros plures.*
Lecturas theologiæ,	Lib. 1.

Cætera eius scripta nondum uidi, nec illis caruisse nocet. Istum Ioannes Picus, Mirãdulæ comes, Ioannẽ de Guara appellat, in Heptaplo suo de opere sex dierum, sed non rectè. Claruit anno pietatis Christianæ 1270, sub Henrico prædicto.

ROBERTVS OXFORDIVS. XXXVIII.

ROBERTVS Oxfordius, superciliosæ illius atque iniquissimæ Dominicanorum factionis doctor, à Leandro Alberto Bononiensi, in quarto libro de gestis Prædicatorum, pleraque edidisse suo tempore scribitur. Irrequieto & turgido is præditus ingenio, furore stultissimo ac impatientis animi impetu, excandescere solitus fuit, merisque fatuitatib. in omnes inuehi, qui Thomæ Aquinatis doctrinam fallacem, Apollinis oraculi loco non habuerint. Et hanc litigandi uirtutem, post Aristotelem, è fontibus eiusdẽ sui Thomæ, cuius erat synchronus, hausit. Hinc Henricũ Gandauensem, atque Aegidiũ Romanum, solennes eius ætatis, licet persimilis farinæ, theologos, & famatæ eruditionis magistros, leoninis dentib. momordit, quod ipsius Thomæ in suis Sententiarum lecturis quosdã taxassent errores scholasticos. Permissum enim postea fuit Lutetiæ, à Parisiensi episcopo, ex cõsensu Sorbonico-

rum magistrorum, quòd liberè possent, quotquot uoluerant, disputare & opinari super certis articulis, aduersus eundem Thomã collectis, ut habet Ioannes Baconthorpius, lib.3. Sententiarum, dist.29. Quod incalescentẽ huius, inter cæteros, hominis grauabat stomachum. Vnde coaceruauit demũ argumenta quædam sophistica,

Contra Henricum Gandauensem, Lib.1.
Aduersus primum Aegidij, Lib.1.
Contra quosdam Sorbonistas, Lib.1.
Protectorium Thomæ Aquinatis, Lib.1.
Determinationes uarias, Lib.1.

Et plura his similia fecit. Quàm ociosa ac friuola sint ista, iudicet prudẽs lector. Claruit hic Momus, conuiciorum & reprehensionum plenus, anno à Christo nato 1270, imperante adhuc Henrico tertio. Quo Dominicani Christianos plures flammis dederunt.

APPENDIX.

Anno Domini 1262, Vrbanus quartus Rom. pontifex, primus instituit Eucharistici panis seu triticei Dei festum, cum maximarum indulgentiarum bullis. Quidam historiarum scriptores id fieri affirmant instinctu Thomæ Aquinatis Dominicani. Alij ex quodam, cruentatæ hostiæ (sic uocant panem illum) ad Vulsinum castrum in Italia, miraculo prouenisse perhibent. At Arnoldus Bostius in epistola 6. ad Ioannem Paleonydorum, cui magis assentior, hoc huius negotij initium sic ponit: In patria Leodiensi (inquit) reclusa erat nomine Eua, quæ festum sacramenti, cuius ante illos dies nulla fuerat memoria, ab Vrbano quarto, per totum orbem solennissimè celebrari procurabat. Nam & exemplar literarũ eiusdẽ Vrbani ad dictam sororẽ uidi. Hæc ille. Gallus erat Vrbanus, & ante Papatum, ut apparet, ei sorori quandoq; familiaris. Ex huius ergo superstitiosulæ mulieris diabolica illusione, originem habuisse uidetur hoc sacramenti solenne festum. Aperiebatur inde non solùm fenestra, sed & latissima porta idololatriæ omnium quæ unquam fuerunt horrendissimæ. hæc certò prognosticabat id, quod apud Thomã Cantipratẽsem Dominicanũ, lib.2. cap.54. suarum Apum, seu de Vniuersali bono legi. Anno enim Domini 1256, apparuit ei diabolus, ut illic fatetur, candida casula indutus, tanquam in alba pyxide sacramentũ perferẽs. Vide historiam apud ipsum authorem, nimirum lectione digna est. Vnde portabatur deinceps in processionibus histrionicis ac pompaticis, miraculis undiq; prorũpentibus. Sic spreta & derisa est primitiuæ ecclesiæ in eo ministerio simplicitas. Obijt eo anno Hugo Cardinalis, Dominicanus, operatoræ tate sua mirificus.

THOMAS DOCKYNGE. XXXIX.

THomas Dockynge, ex Nordouolgiæ comitatu natus, nutritus, & educatus in humanioribus literis, ac tandem Minoritarum instituta Nordouici professus, à Lelando celebratur his uerbis: Dockyngus (inquit) ex probatorum authorum lectione, nondum ita liquidè mihi est cognitus, ut eius uitam tanquam per speculũ apertè posim posteritati ostendere. Quæ mihi tamen de illo constant, cum studiosis omnibus communia habere uolo. Franciscanam iuuenis secutus est institutionẽ, idq; in Isidis uado, quod Oxonium uocant: ubi longo temporis usu tam multa fœliciter didicit, ut cessante Ioanne Gualẽsi, theologiam publicè profiteretur, ipsi in eruditione non inferior. Si autem quisquam sit, qui uelit hoc meum dictum exquisitius trutinare, is inquam ad eius libros rectà se conferat, inuenturus meam in hac parte fidem haud dubiam. Hæc ille. Et ut demum perueniam ad eius scripta, quæ plura sunt, & non omni ex parte mala: composuit

Commentarios in Iobum, Lib.1.
Quæstiones in Iobum, Lib.1. *Quæritur utrum status prosperitatis.*
In Deuteronomium, Lib.1. Legitur Exodi 16. quòd Dominus.

Super

Super Esaiam,	Lib.1.Habemus firmiorem sermonem prophe.
Commentarios in Lucam,	Lib.1. Fluuius egrediebatur de loco uolup.
Quæstiones in Lucam,	Lib.1. Non misit me baptizare, sed euange.
In Paulum ad Romanos,	Lib.1.
Ad Corinthios,	Lib.2.
Ad Galatas,	Lib.1. Epistolæ Pauli ad Galatas permittitur.
Ad Ephesios,	Lib.1. Ephesij sunt Asiani, epistolæ argument.
Ad Philippenses,	Lib.1. Philippenses sunt Macedones, alioqui.
Ad Colossenses,	Lib.1. Colossenses, & hi sunt Laodicenses.
Ad Thessalonicenses,	Lib.2. Thessalonicenses sunt & Macedones.
Ad Timotheum,	Lib.2. Timotheum instruit & docet de ep.
Ad Titum,	Lib.1. Titum commonefacit atq; instruit.
Ad Philemonem,	Lib.1. Philemoni familiares literas mit.
Ad Hebræos,	Lib.1. Incipit epistola ad Hebræos, circa.
In præcepta Decalogi,	Lib.1. Est quædam mensura fidei, quæ.
Lecturas Bibliorum,	Lib.1. Terminato procemio, incipit tract.
Super Sententias,	Lib.4.
In posteriora Aristotelis,	Lib.2.
Quæstiones ordinarias,	Lib.1.

Atq; alia plura quæ sparsim in Anglorum bibliothecis habebantur. Claruit anno patefactæ gratiæ per Christum 1270, sub Henrico tertio Anglorum rege. Franciscanorum illustrium catalogus, & Thomæ Ecklestoni liber, plura de hoc scriptore narrant.

IOANNES GRAMMATICVS. XL.

IOannes Grammaticus, ab ipsis adolescentiæ suæ annis literarum bonarum studijs deditus, Oxonij in Anglia, et Parisijs in Gallijs, gymnasia nō sine pingui prouentu ad aliquot annos frequentauit. Eam inter suos laboris & scientiæ titulos, tum laudem tum existimationem sibi interim comparauit, ut eruditorum suffragijs, in patriam suam reuersus, pro instituendis nobilium ac magnatum filijs didascalus certis in locis sit designatus. Vnde rhetor ac poeta insignis habebatur in eo corruptissimæ cæcitatis seculo, cum degenerarent artes ab omni sermonis puritate. Quem quoniam ab eruditione quidam scriptores collaudant, ego significandum putaui, scripsisse illum opus quod uocabat Integumenta,

Super Ouidij Metamorphosin,	Lib.1. Paruus maiori paret, ueloxq;.
De arte metrica,	Lib.1. Parisiana iubar diffundit gloria.
Compendium grammatices,	Lib.1. Grammaticam triuialis apex si.
Carmina quædam,	Lib.1.

Et alia nonnulla congessit. Istis temporibus claruisse Ioannes fertur, sed annum à Christi natiuitate non addunt scriptores nostri: qui tamen honestam de ipso mentionem faciunt. ei propterea hunc ad præsens locum delegaui.

ROBERTVS DODEFORDE. XLI.

RObertus Dodeforde, Ramesię monachus Benedictinę sodalitatis, fertur bonarum artium studiosus fuisse, multumq; eius temporis ecclesię, ex cognitione theologica penitiori illa, profuisse. Post Gregorium Huntinctonum, eiusdem loci monachū, qui profligatis, ut dictum est, à regno Angliæ Iudæis, Hebraicæ linguæ thesauros quosdam auro comparauerat, eorum & ille custos esse desiderabat. Qui cupito tandem potitus officio, non parum est illico gauisus. Apprehendit illa diuina (ut ipse putabat) uolumi

na, & religiose coluit, dilexit, exosculabatur. Quare cum ipse, sicut & ante illum prefatus Gregorius, mirifice profecerit in ea lingua, dignissimus planè est mihi uisus, qui doctorum uirorum numero, in hoc meo Catalogo accedat. Scripsit Robertus Postillas, ut uocant,

In parabolas Salomonis, *Lib. 1. Ipse mittet quasi imbres eloquium.*
Conciones aliquot, *Lib. 1.*

Cæterarum eius editionum nec titulos uidi. Claruisse etiam fertur istis temporibus, sub Henrico rege prædicto, ac uaria composuisse, quæ inuida uetustas aboleuisse dicitur. Floret tamen eruditionis eius fama, ex his quæ retulimus.

THOMAS SPOTTE. XLII.

Thomas Spotte, inter Benedictinæ professionis cœnobitas, ad fanum Augustini Cantuariæ monachus celebris erat, nō solū religionis quam profitebatur, uerumetiam doctrinæ excellentis titulo. Sed qualia in eo cœnobio munera obiuerit, in quo tot mortuorum cadauera sunt ab Antichristo, solutis pecunijs, in altū erigi permissa, ac deorū loco uenerata, in Chronicis non inuenio scriptum. Hoc solū reperio, quòd inter ocia literaria suæ ciuitatis, ac duorum in ea magnificorum sui ordinis collegiorum, celebriora facta collegerit. Imò quod luculenter suorum abbatum historiā congesserit, ab aduentu Augustini (ut uocant) Anglorum Apostoli in Brytanniā, usq; ad annum à Christo nato 1272. hanc Guilhelmus Thornus, eiusdem ordinis & cœnobij monachus, postea deflorauit, atq; eis de suis addidit, ut ipse fatetur in sui operis eiusdem tituli procœmio. Edidit ergo Spottus,

Cantuariorum historiam, *Lib. 1.*
Abbatum suorum uitas, *Lib. 1.*

Feruntur & alia, sed tituli nunc desunt. In præfatis uerò libris, nō solùm abbatum Benedictinorum ad Augustini fanum egregia facta, uerùm etiam regum, atq; eiusdem sedis Pontificum tempora subinde elucent. Claruit anno Domini 1274, sub Edvuardo primo.

APPENDIX.

Guilhelmus Rishanger, in continuatione historiarū Matthæi Parisij: His diebus (inquit) Romanorum legati, multa grauamina Anglis intulerūt, super ecclesiasticis admissionibus, ampla beneficia, prout libuit, suis semper prouidentes. hos igitur tandem, licet serò, regnum exire compulerunt, missis nuncijs ad pontificē Romanū, super iniquissimis eorū factis. Successit Vrbanus Alexandro, qui auxilio crucesignatorū, Romæ fugauit Manfredi regis exercitum, cōtulitq; Carolo Francorum regis fratri Siciliæ regnum: gestareq; deinceps id regnum fecit, arma Francorū. Anno Domini 1265, Clemens quartus, tanquam Anglorum perturbationi compatiens (astutia est uulpina) Sabinensem episcopum in Angliam misit, qui tamen intrare permissus non fuit. Sequenti anno Othobonus legatus, sub reformandæ pacis fuco (mirandæ sunt hypocritarū artes) inter regem et comites, in Angliā uenit. Qui anno Domini 1267, in Northamtonēsi synodo, episcopos (à Pontifice fortassis ad id nihilo minus incitatos) comitibus fauentes excōmunicauit, statutaq; noua edidit. Manfredus interim, Pontifice procurante, à Carolo umbratico rege occidebatur. In parliamēto Buriensi, eodē anno, legatus ille (scopus legationum) decimas uendicabat, ad opus Rom. curiæ, propter debita (res sanè prodigiosa) Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ, sub nomine Eadmundi filij regis. Quod totum negatum fuit, cum non esset (exitus certè probabat) ad utilitatem regis & regni. Rebelles quidam in insula Eligensi, ad ecclesiæ obedientiā postea per legatum uocati, respōdebant: Quòd Romanæ ecclesiæ tanquam capiti libenter quidem obedirent, sed non eorum immodicis oppressionibus & auaritijs. Et rogabant legatum, ut ad suas terras restituerētur, ne amplius hincinde prædari cogerentur. Erant enim nobiles illi, contra quos idem legatus Londini prius crucem prædicari iusserat, ut in hostes Christianæ fidei.

Prædicatores,

Prædicatores, Minores, & aliorum ordinum fratres, in condendis cœnobijs fortiter his diebus laborabant. Hæc ille.

Appendix alia.

Nicolaus Gallicus, patria Narbonensis, septimus Carmelitarum magister generalis, deformatū sui ordinis statum pijs lachrimis deplorabat, quod à pristina morum probitate ac sanctis studijs, sui fratres tunc essent in omniū uitiorū labyrinthum prolapsi. Prius enim dū eremos incolerent, orationi, lectioni, ac manuum labori iugiter incumbebant. Nunc autē in urbibus cōmorantes, sub hypocrisi matre, omnia in ocium, desidiam, inertiam, libidinem & luxum conuertebant. Is igitur post quinq; sui regiminis annos, laboris inutiliter expensi tædio tactus, officio cessit: & edito in eos libro satis aculeato (Igneam sagittam uocabat) ad eremi quietem, illis relictis, est reuersus in montem Euuatrof, anno Domini 1270. Qui postquā priuignos, reprobos, cauteriatos errones, fabulatores, garrulos, inutiles consiliarios, malignos discursores, Sodomæ ciues, optimi testamenti contemptores, præsentiū & futurorum seductores, Draconis caudam tertiam stellarum partem de cœlo trahentem & in terram mittentem, Apoc. 12. & his similia uocasset, in hæc uerba in quinto capite prorupit: Dicite (inquit) quæ & qualis est ista religio noua, in ciuitatibus adinuenta? Per plateas ciuitatū, de mane usq; ad uesperam bini & bini discurrentes, uagis gressibus circuitis, ipsum habentes pædagogum, qui rugiendo circuit quærēs quem deuoret. Et sic in uobis prophetia, In circuitu impij ambulant, ad uestræ confusionis cumulum, ueraciter est impleta. Est enim causa discursuum huiusmodi principalis ac præcipua, ut uisitetis non pupillos, sed puellas: non uiduas in tribulatione existentes, sed fatuas iuuenculas, Beghinas, moniales, ac dominas. ubi, alter in alterius iactantes lumina uultus, uerba quæ naturā adamantis in se habēt, & quæ bonos mores destruunt atq; corrumpunt, alternatim emittitis, cordiū allectiua, &c. Non est hæc religio munda et immaculata apud Deum & patrē, in qua oportet quemlibet immaculatum ab hoc seculo utiq; custodiri. heu me fratres charissimi, dum luto seculi estis inuoluti, cur uos creditis minimè maculari? hæc Nicolaus.

Vnde Guilhelmus de S. Amore, qui eodem tempore uixit, in Defensorio scripturæ et ecclesiæ, lib. 2. hoc testimonium habet: Fratres mendicantes (inquit) Beghinas circunducunt, gyrouagi, super hoc, Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, &c. Thomas Cantipratensis, lib. 2. cap. 56. de Apibus, seu Bono uniuersali: Incubi dæmones (fratres dixisset) ita religiosas uirgines illis diebus opprimebant, ut nulla eis ualeret crucis signatio, nec aqua benedicta, nec ipsum Christi corporis sacramentum. Thomas Ecklestonus, in libro de aduentu Minorum ad Angliam, narrat quosdam Frācíscanos, statim post primum eorum introitum, uirilia sibi amputasse, non propter regnum cœleste (qui longè alius castrandi modus est) sed ut in hoc mundo sanctiores haberentur, hypocritæ. ac primum eorum illic ponit, Guilhelmum quendam Etonum. Sic se olim castrabat Origenes, magnus ecclesiæ doctor, Hierophantas Atheniensium sacerdotes imitatus, ne molestam sibi uenerem experiretur: aut ut alij uolunt, ne quandoq; à suis auocaretur studijs. Propter hæc et alia Guilhelmus de S. Amore, de illis hoc dicit, in libro suo de Periculis nouissimorum temporum: Qui prius uiuebant in simplicitate cordis, post ingressum sectæ eorum, sunt astuti hypocritæ. De quibus Paulus Aemilius in Chronicis Gallorum: Anno Domini 1260. Mendicantium ordinum fratres suum genus uitæ miris laudibus, ac religionis sanctitate, schismaticè ac seditiose commendabant. Guilhelmus à sano Amoris, Sorbonicus doctor, alijq; doctrina clari, mendicitatem illam in uulgus, ac uotiuam sine causa paupertatem improbabant, contendentes speciem & prætextum religionis dari inerti ac desidiosæ uitæ, & mendicationi. Liber eius, qui adhuc extat in bibliotheca Sorbonæ, damnatus est. Hæc ille. Abbas Vrspergensis Conradus Lichtenauu, claustrales fictam religionem inchoasse exclamabat, anno Domini 1201, deincepsq; rapinas, deprædationes, incendia, seditiones, bella, & latrocinia iustificata esse apud populum & sacerdotem.

PETRVS DE YCKEHAM. XLIII.

PEtrus de Yckeham, patria Cantianus, & ut ego cōiecturam facio, Cantuariæ, in ipsa urbe & natus, & aliquandiu in literis educatus fuit. At ætate maturior & moribus ornatior factus, Lutetianos ipsos in Galliarū regno petijt,

gno petijt, à quibus tum eruditionis tum pietatis nomine, humanissimè est acceptus. Regimen studij Parisiensis eo tempore penes Philippum, eius academiæ cancellarium, in scripturis & philosophia doctissimum, tunc erat: qui præcognita hominis peritia, eum ualde familiarẽ habuit. Perlustrabat interdum Petrus inter ocia literaria, suæ gentis annales ac gesta memorabilia: & assidua eorum lectione delectatus, Gallorum seu Armoricorum Brytannorum posteritati accurata diligentia consecrare curabat, ut & illis, ita ut Anglis, familiariter essent nota. Gallicè igitur edidit, dum adhuc fuisset in Gallijs,

Genealogiam regum Brytanniæ, Lib.1.
Genealogiam Angliæ regum, Lib.1.

Cæterorum eius opusculorum nihil apparet. Continuata uerò sunt prędictorum operum tempora, à primo in Albionem Bryti regis aduentu, usque ad Edvuardum post conquestum, eius nominis primum, scilicet annũ Domini 1274, ut Lelandus in Collectionibus habet.

IOANNES BECKTON. XLIIII.

IOannes Beckton, utriusq; iuris doctor & episcopus Herefordiensis, magna per hos dies apud regẽ & principes authoritate ualebat, in iurisprudentia insigniter eruditus. Sed qualis interim fuerit, in studio legis diuinæ, pro Euangelij ministerio, ad quod tunc uocabat, apud nullos certè scriptores inuenio. Leges utiles ac necessarias fore, quis non nouit? dum pro priuato leguleiorum commodo non sint, sed pro cõmuni ciuium utilitate conscriptæ. Factæ sunt leges (inquit Isidorus) ut earũ metu, humana coerceatur præceps audacia, tutaq; maneat inter improbos innocentia. At Euangelij ministrum episcopum, qui solis Dei eloquijs ac promissionibus Christianum pasceret gregem, in illis uersari, quæ ad causas spectant forenses, ut in Anna & Caipha, plus quàm Iudaicum est. Nihilominus congessit Ioannes iste, ad communem, ut dicunt, Anglorum reipublicæ utilitatem, ingens opus ex uarijs scriptis collectum,

De legibus Anglicanis, Lib.1.

Edvuardo Henrici regis filio (inquit Lelandus) tum prætera toti plebi, longè utilissimæ hæ leges erant. Ex hac uita tandẽ migrauit, anno à Christo redemptore nato 1275, sub Edvuardo primo, eiq; successit Thomas Cantilepus.

PAPAE, VEL ANTICHRISTI
Romani.

128. Ioannes uicesimus secundus, natione Lusitanus, patria Vlixponensis, professione medicus, Petrus Portugalis antea dictus, ex Cardinale & episcopo Tusculano Pontifex creabatur. Hic etsi doctissimus haberetur, ignoratione tamen rerum gerendarũ, & morum inæqualitate (sic habet Platina) plus detrimenti quàm honoris & emolumenti, Pontificatui attulit. Multa enim stoliditatem et leuitatem præ se ferentia egit, in hoc uno tantum commendatione dignus, quòd adolescentes literarũ studiosos, inopes maximè, beneficijs ecclesiasticis & pecunia iuuit. Vexabant tunc Veneti Anconitanos, quòd in Dalmatia mercaturam exercerent, nullo persoluto Venetis portorio: neq; eos (ut par erat) uectigales ecclesiæ, Pontifex ipse tuebatur: in uerbis tantummodo promptus, in rebus agendis timidi et infracti animi. Anconitani autem Pontificis auxilio destituti, seipsos colligentes, eruptione facta, Venetos urbem obsidentes, magno illato incommodo, propellebant. Vsus tamen consilio Ioannis Caietani, cuius nutu tum omnia gerebantur, quod ipsius auxilio & suffragijs pontifex creatus esset, legatos tum ad Michaelem Palæologum, tum ad reges occidentales misit, qui eos suo nomine cohortarentur, ut pace inter se inita, arma in Saracenos & hostes Christiani nominis pararent. Quod nisi

nisi faceret Paleologus, & promissam seruaret unionem, Carolo Siciliæ regi imperium Ioannis assignaret. Pollicebatur, & ex stellis præsagiebat sibi longam uitam homo stolidus, & diu se uicturũ omnibus prædicabat: quippe cuius uita & mores omnibus patebant, adeò erat inuerecundi & secordis ingenij. Sed ecce, dum hanc stultitiam coram suis assereret, camera quædam noua (aulam lusoriam Valerius uocat, Stella preciosum thalamum) quam in palatio Viterbiensi ad delicias extruxerat, post quartum diem anno Domini 1277, subitò corruit. Atque inter ligna & lapides solus inuentus, septimo die post tantam ruinam, & Pontificatus sui mense octauo, miserè interijt, in maiori templo sepultus. Sic est præsagij uanitatem mox expertus: uacauitq; sedes per contentionem sex mensibus. Scripsit de problematibus quædam, Aristotelem imitatus: Canones medicinæ, Thesaurum pauperum, & Epistolas.

129. Nicolaus tertius, patria Romanus, de gente Vrsina, Ioannes Caietanus antè appellatus, protracta in sex menses electione, nõ sine magnis purpuratorum patrum litibus, Papalem sedem occupabat. Horum conclaui, senator, Siciliæ rex Carolus præfuit, qui admodum instabat, ut unus aliquis ex Gallica natione eligeretur. Nicolaus ergo, inito Pontificatu, Caroli potentiam cõminuturus: Hetruriæ uicariatum ei abstulit, Italiamq; bellicis tumultibus impleuit. Et ut suis consuleret commodis, Petro Aragonum regi persuadebat (uetus ars Pontificum) ut Siciliæ regnum repeteret, dicens: Hoc hæreditario iure Constantiæ uxoris suæ ad se pertinere. Quod consilium Petro admodum placuit. Sed quos'nam fructus huius sanctissimi patris consilium hoc peperit? Petrus, magna instructa classe, Sardiniam petijt, ibiq; expectabat, ut in Sicilia motus orirentur. Nam Siculi, contra Carolum & Gallos coniuratione facta, diem dederunt, ut cum primùm uesperi campana audiretur, Galli absque ullo sexus discrimine cæderentur. Qua in re adeò sæuitum est, ut etiam mulieres prægnantes cæsæ fuerint. At facinus hoc perhorrendum, non sub Nicolao, sed sub Martino quarto, eius successore, perpetratum est. Nicolaus præterea, senatoriam urbis Romanæ dignitatem, quam Clemens quartus prædicto regi Carolo dederat, ad se transtulit: perpetuoq; edicto uetuit, ne in posterum quis aut rex aut princeps, magistratum ipsum petere, aut obire auderet. Huius perfidia factum est, ut Flaminia tota cum ipsa Bononia, & Rauennæ exarchatus, quæ Imperatoribus diu suberat, in Rom. synagogæ potestatem redactæ sint. Sed & senatorum munus (inquit Stella) quod principibus & regibus ecclesia demandare consueuerat, ipse solus obiuit.

Aedificijs nouis Romã ornauit: & inter cætera apud S. Petrum ædes percommodas ac leporariũ muris altissimis cinxit: in quo & ipse (Papale officium) sæpius uenationes occupabat: basilicas Petri ac Pauli, uetustate collabentes, restituit: & quasdam ædes in Laterano iam diu inchoatas, ipse perfecit. Condidit à fundamentis Sancta sanctorum, et Apostolorum capita argenteis capsulis imposuit. In Missis hypocrita lachrymas fudit: & adeò Franciscanis fauit, ut et Decretali epistola, quædam ipsius factionis ambigua declarauerit. Multa ad cleri (non Christiani populi) utilitatem constituit: et ex Mendicantium ordinum fraterculis, Cardinales plures ad Abadonis regni commodum fecit. Notarios ac tabelliones quosdam à se reiecit: & ne magistratus ultra annum gererẽtur ullo in loco, sub anathemate præcepit. Reprehendebatur à multis, quòd Bertholdum nepotem (spurium fortassis) Romandiolæ constituisset comitem: & Latinum Cardinalem, Dominicanum, nepotem alium, aut nothum potius, legatum in Hetruriam misisset. Suos enim à Platina, Stella, & alijs nimium amasse dicitur, ita ut ea quæ aliunde rapuisset, illis sine lege condonaret. Nam quibusdam nobilibus Romanis castella ui abstulit, ac suis dono dedit, et inter alia Surianum castrum. Gibellinis, factiosis hominibus ad suas tyrannides defendendas, ubiq; restitutis, Florentiæ & alibi pro suo libito magistratus posuit, & alia incommoda gessit. Proposuerat quoq; hic Pontifex, duos reges ex domo Vrsina, unum in Hetruria, & alterum in Lombardia creare. Sed dum hæc perficere cogitasset, in Sutrio oppido existens, apoplexia correptus, anno Domini 1281, & quarto sui Pontificatus anno, subita morte sine loquela expirauit: cum tamen ex bona complexione, multo diutius uicturus crederetur. Quam mortẽ prædixisse quendam ferunt, per exundationem maximam Tiberis, quæ tunc fiebat. Hunc dicunt ex concubina filium generasse, crinibus & unguibus similem ursæ. uide Ioannem Nouiomagum, in illustrationibus Bedæ.

130. Martinus quartus, natione Gallicus, patria Turonensis, Simon antea uocatus, & S. Ceciliæ Cardinalis presbyter in Pontificem à Gallicis Cardinalibus, qui numero tunc superiores erant, electus, Viterbij coronari noluit, quòd illi ciuitati ob impetum in patres factum, sacris interdictum esse putaret. Viterbienses enim, Italicæ factionis primarium Ricardum Hannibalem secuti, & conclaue ingressi, Cardinales capiebant, atq; in uincula cōijciebant, contemptis ac profligatis Vrsinis. Vrbem itaq; ueterem petens Martinus, quod Oruietum uocant, eo loci omnia solennia peregit: & octo Cardinales eodem die creauit, ut fortior ad pugnam fieret. Regem uerò Carolum ad se uenientem, non modò perbenignè suscepit: uerùm & eidem senatoriam dignitatem, qua fuerat à Nicolao priuatus, restituit. Quod non ita ab omnibus probatum fuit, cum ea res excitatura uideretur magnas in urbe seditiones, reuersis iam Vrsinis, ac pulsis Hannibalibus. Vrsinis enim ob odium in Nicolaum tertium conceptum, Carolus mirificè aduersabatur: Martinus tamen res suas cautelis curaturus, Matthæum de Aquasporta Franciscanum, ex gente Vrsina cardinalem & episcopum Portuensem plurimum coluit. Petrum Arragonū regem, classem contra Carolum in Siciliam parantem, anathemate Martinus notauit, regnum eius in prædam id occupare uolenti exposuit: subditos ab eius iuramento absoluit: bonorum ecclesiasticorum usurpatorem dicebat, & cruce signatos in illum concitabat.

Petrus tamen hæc nihil curans, Siciliæ regnum iuuante Palæologo obtinuit. Siculi etiam Gallorum superbias ac libidines amplius ferre nequeuntes, suadente Ioanne Prochita, in Carolum coniurationem inierunt: & omnes simul, nullo habito sexus discrimine, pulsatis campanis occiderunt. Præterea Martinus inter acta Papalia Romanis concessit, ut ex nobilibus duos senatores eligerent: & Palæologum Græcorum imperatorem excommunicauit. Bellum cōtra Forolivianos gessit, & Mendicantes fraterculos (locustas Apocalypticas, quas sciebat esse similes equis ad præliū paratis) pro muniendo Abadonis regno, priuilegijs fouit. Et cum solitam refectionem cum suis Capellanis (teste Carsulano) tandē sumpsisset, anno Domini 1285 arripuit eum infirmitas occulta: de qua postquam dixisset, se nimium pati, fato succubuit: licet medici nullum mortis indicium in ipso reperissent: Perusijq; sepultus fuit. Hunc scribunt authores, quos sequitur Thomas Coperus in Chronicorum Epitome, primo sui Pontificatus anno, Nicolai prædecessoris concubinam in suam familiarem accepisse. Sed ne similis illi casus accideret, ut futura proles sit urso similis, præcepit ursos omnes, in palatio per Vrsinæ factionis Pontificem olim depictos, auferri, uel deleri: persuasus, quòd formæ in ipso coitu à fœminis conceptæ, in productis infantibus expressæ non raró maneant. Peritus ea in arte, ut apparet, hic Pontifex erat. Sed non animaduertit bestia, portendere hoc monstrum, qualis sit ex eiusmodi factis, Papalis cœlibatus ac sanctitas.

131. Honorius quartus, patria Romanus, è gente Sabella, familia nobilissima, Iacobus antea nuncupatus, ac diaconus Cardinalis, Perusij finita Cardinaliū electione Papatum sublimiter inijt. fratrem ille habuit Pandulphum quendam, probatum uirum, senatoriam dignitatem in urbe tum gerentem: qui in sicarios, fures, & parricidas seueriter animaduertebat. Habitauit Honorius in monte Auentino, ubi nouas ædes extruxit, & alios ad id faciendum multos incitauit. Petrum Aragoniæ regem, qui Siciliæ regnum cōtra Carolum tunc occupauerat, anathemate percussit: & Martini prædecessoris interdicta aduersus illum confirmauit, quod papali auaritiæ eam non relinqueret regionē. Nec non et in Guidonem Feltronum, Flamineæ urbes occupantem, terribile bellum mouit: atq; eo statim superato, Romanæ ditioni prouinciam illam totam præter ius fasq; per tyrannidem adiecit. Et ne pro Abadonis regno nihil uideretur fecisse, Augustinianorū fraterculorum sectam, Parisijs non receptā, sed à multis impugnatam, quòd in Lateranensi concilio non satis esset probata, roborauit, confirmauit, ac multis priuilegijs communiuit: Carmelitanis quoq; fraterculis, sepositis uestibus strugulatis seu pallijs barratis, album aßignauit amictū, decreuitq; dici Virginis fratres. Quibus gestis, nō diu superuixit, sed anno Domini 1288, & secundo sui Pontificatus anno moriens, ex S. Sabina in Auentino monte, ad D. Petri basilicā delatus, magna cū pompa sepeliebatur. Decem mensibus uacabat sedes, ob ægritudines et terræmotus. Podagra ac chiragra uehementer hic Pontifex interdum laborabat, ita ut instrumentis quibusdam (ut Platina scribit) ad id aptè fabrefactis, missas sacrificare necesse esset. Sub eo Græci, relicto Papismo, solitam fidem sectabantur.

132. Nicolaus

132. Nicolaus quartus, patria Picenus, professione Franciscanus, ex urbe Aesculana, Hieronymus antea dictus, & ad S. Sabinam presbyter Cardinalis, post decimum mensem Honorio prædicto Papa successit, cum iterum Cardinales non unum sentirent. Apud S. Mariam maiorem, seu ad præsepe Christiparæ uirgini superstitiose deuotus habitauit, cuius apsidem ædificijs et picturis exornauit. Ex omni locustarũ genere, seu monachorum factione, ad Abadonis usum Cardinales creauit, ut essent equis similes in prælium paratis, & haberent leonum dentes ac caudas tanquam scorpionum, quibus nocerent: Apoc. 9. Nam omnes (inquit Platina) pariter amabat, nec plus se debere affinibus & cognatis, quàm eorum cui libet arbitrabatur. Sed quem erga Dei populum amorem gesserit, ut Euangelij pabulo aut Dei promißionibus nutrirentur, certè non lego. Petrum Columnam (inquit Funccius) in patrum collegium adoptauit, cæterùm nihil egit memoria dignum. Anteriorem nihilominus, posterioremq; Lateranensis basilicæ partem restituit, ac uermiculato opere poliuit. Pro tuenda Ptolemaide Palæstinæ urbe, milites multos, sed ære alieno conductos, misit: & Ludouicum Tolosanum Minoritam, in papisticos sanctos retulit. Augustinianis fraterculis immunitatem concessit, & Carmelitis (quis non credat res esse magnas?) albi pallij sumptionem per bullam plumbeam ratificauit. Deniq; cum urbem Romanam ciuilibus dißidijs agitari, & incendia cædesq; plurimas perferre cerneret (nulla animarum habita ratione) animi tædio, quod malè sibi omnia ad fastum Pontificium succederent, anno Domini 1291, in sua habitatione ad Mariam maiorem ex hac uita migrauit, eoq; loci sepelitur. Quo mortuo, Cardinales Perusium sunt profecti, quo eis liberius Pontificem eligere liceret. Duobus annis tamen, et tribus mensibus, discordijs intestinis adeò laborabant (monstrum ualde horrendum) ut in ea electione concordare nunquam potuerint.

133. Cœlestinus quintus, patria Eserniensis, prope Sulmonem, Ouidij natalem locum, natus, professione anachoreta, et Petrus Moroneus antea uocatus, transacta biennali Cardinalium ambitione, Caroli secundi regis Neapolitani et Latini Cardinalis fauore Pontifex declarabatur. Qui post suam creationem Aquilam profectus, eò statim Cardinales omnes ad se uocabat: & 12 nouos creauit, de quorum numero duo Eremitæ erant. Eius autem coronationi interfuisse ducenta hominũ millia, Ptolemæus Lucensis scribit. In primo consistorio (inquit Christianus Massæus) dum strictè reformare uellet Romanam ecclesiam, ut alijs esset in exemplum clerus illius, tantum incurrit indignationis, ut delirum ac fatuum susurrarent. Quorum unus non re, sed nomine Benedictus appellatus, apposuit quendam cubiculo Papæ, qui facto foramine per fistulam multis noctibus insonabat, ac si esset angelus quispiam: Cœlestine Cœlestine, cede. negotium enim supra uires est. Perdiu quoq; suadebant quidam, ut cedendo saluti suæ consuleret. Intellexit ista rex Carolus: uocauit ad se Pontificem, & quàm maximè potuit, obsecrabat, ne dignitatem cœlitùs datam abijceret. At ille: Faciam (inquit) quod Deus uoluerit. Reuersus à Neapoli, cum requiem non haberet, abdicauit se magistratu, in uigilia S. Luciæ, & ad eremum ire festinabat. Tantum Massæus. Prius tamen omnium consensu constitutionem fecit, licere Pontifici abdicare se magistratu. Quam quidem constitutionem Bonifacius octauus, eius successor, homo callidus, postea cõfirmauit, ac sexto Decretaliũ addidit. Cæterùm, successor eius Bonifacius ille, metuens, ne populus se cõtempto, illum sequeretur, in arctißima custodia eum clausit usq; ad mortem. Defunctus est igitur anno Domini 1295, in carcere, decimo nono die Maij, post annum unum & quinque menses initi Pontificatus. Ab eo processit Cœlestinorum monachorum secta.

134. Bonifacius octauus, natione Campanus, patria Anagninus, Benedictus Caietanus antea nuncupatus, Cœlestini prædecessoris consiliarius summus, Neapoli mira proditione in eius est suffectus locum. Qui dum esset S. Martini in montibus presbyter Cardinalis, adeò Pontificiam hanc dignitatem exoptauit, ut nil ambitione & fraude prætermiserit, quod ad eam rem consequendam pertinere arbitraretur. Tantæ præterea arrogantiæ fuit, ut & omnes ferè contemneret. Ambitione enim exæstuans, subornatores quosdam, ut dictum est, immisit, qui noctu demissa uoce, quasi cœlitùs in cubiculum Cœlestini Põtificis, alioqui simplicis, ei persuaderent, ut Pontificatum deponeret, si saluus fieri uellet. Quod & factum fuit. Bonifacius uerò, contra ius fasq; sede Pontificia occupata, simplicem uirum, qui Roma exibat, ut solitudinem aliquam petens, ibi uitam suam degeret, captum perpetuo car

ceri mancipauit. Dicebatq; (teste Mario) se id facere, non alicuius odij in Cœlestinum causa: sed ne authores seditionum Cœlestino duce, calamitatem aliquam ecclesiæ Romanæ inferre possent. Quis Bonifacium istum, teterrimum monstrum, ac hominum cunctorum ingratissimum non appellet? cum simplicem uirum suis artibus delusum, è Pontificatu non solum deiecerit, sed et illum tanquam facinorosum aliquem perpetuo carceri mancipatum, ante tempus præ animi dolore mori coegerit? Tantam Bonifacius cœpit exercere tyrãnidem, ut octauus Nero potius dici mereretur. Cardinales quosdam ad se uocabat Bonifacius ille. Sed hi eius perfidia ac furore perterriti, ad illum accedere non audebant. Schismatici ergo declarabantur. Et non solum beneficijs ac dignitatibus, quæ à Pontificibus acceperant, eos priuabat: sed fundis paternis, oppidis, ac bonis omnibus eos spoliabat.

Collectis præterea copijs, illos unà cum Columnensibus, & quotquot Gibellinæ factionis extabant, quocunq; se conferebant, insequebatur. loca omnium, ad quæ se recipiebant, uastabat ac populabatur. Vnde quidam eorum, nullum locum sibi ab eo tutum uidentes, nemora ac saltus incolebant: quidam ex nobilissimis Italiæ familijs, cum litora maris aliquandiu ueluti feræ inhabitassent, cum piratis tandem humanitatis expertibus, ex Italia abierunt. Mitius enim se à piratis tractandos nouerant, quàm à sanctissimo hoc patre Bonifacio, si fortè in eius incidissent manus. Tãto odio Gibellinos persecutus est, ut eorum quosdam Genuam concessisse audiens, illuc & ipse se contulerit: ut eos omnino destrueret, eorumq; nomen ex hominum memoria ac orbe terrarum tolleret. Et quum in die quem illi Cinerũ uocãt, cineres pro more populo ministraret, archiepiscopus urbis Porchetus (hunc Gibellinæ factionis esse à multis audierat) accessit, ac genibus flexis, aperto capite stabat, ut cineres acciperet. Quẽ cum Bonifacius intuitus esset, nullam loci, nullã populi qui astabat, nullam religionis rationẽ habens: ira in archiepiscopum succensus est, ac cineris magnam quantitatẽ in eius oculos coniecit, dicens, Memento homo quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem redigêris. Eundemq; archiepiscopum dignitate priuauit, licet postea iterum restituerit.

Hic Alberto duci Austriæ, Imperij confirmationem bis terq; petenti, semper negauit. Hic, cum tota Italia sæuissimis bellis, ortis inter Siculos Aragonẽsibus fauentes, ac Robertum Calabriæ ducẽ, ferueret: nunquam (etsi à multis ad id hortaretur) authoritatem suam pro ineunda pace interponere uoluit. Sed diuino iudicio factum est, ut hi qui Italiã deserentes, cum piratis fugerant: rursus in Italiã à Deo ueherentur. ac collectis paucis aliquot, qui Bonifacij rabiem fugientes, modò hic modò illic delituerant, Anagniæ Pontificem nihil tale metuentem, refractis ualuis caperent, atq; Romam ducerent. ubi triginta quinq; dierum spacio, præ dolore ac rabiei magnitudine desperabundus, anno Domini 1304, infœlicem animam, innumeris malefactis onustam, emisit. Hic ille Pontifex fuit, de quo dictum est uulgò: Intrauit ut uulpes, uixit ut leo, mortuus est ut canis. Ille regna & imperia in sua esse manu arbitratus, utrumq; gladium usurpauit, & totius mundi dominum haberi se uoluit. Reges terrarum arrogantissimus & improbus, nisi à sua sanctitate (tyrannide) regna accipere uellent, execrandos ac deponendos esse censuit. Francorum regem Philippum excommunicauit, quia extra suum regnum pecunias ferri non permisit: eiq; atq; suis maledixit usq; ad quartam generationem, porrectis etiam reliquijs & cruce. Ac Imperatorem Albertum, bis terq; antea reiectum, non aliter in imperio confirmauit, quàm ut Frãciam occuparet, Philippo deposito. Alphonsum Aragonum absoluit, & regnum Sardiniæ illi certis pactis concessit. Discordias inter Italicas factiones fouit, ac semper alere studuit: & tributa à clero, sine sua concessione principibus dari uetuit.

Cœli se clauigerum esse in superbia gloriabatur: et à nemine iudicari debere promulgauit, quamuis innumeras ad inferos animas secum duceret, tanquam licitè commissurus omnia. Iubileum Iudaico more primus instituit, & Romam adeuntibus indulgentias plenarias ac peccatorum remissiones sufflauit, ut eo orbis confluxu agnatos et amicas nocturnas ditaret. Basilicam Petri tintinnabulis æreis, quibus nil dulcius auditur, ornauit: eiusq; uectigalia longè adauxit. Mendicantium sectas, Abadon magnus, priuilegijs & immunitatibus mirum in modum adiuuit: ac Fratricellos, qui dicebant Apostolos à clero imitandos, damnauit. Sextum decretalium composuit, & per omnes academias publicari mandauit. Apostolis, Euangelistis, & quatuor ecclesiæ doctoribus, honores idololatricos duplicauit: atque Anglorum ecclesijs, excommunicandi populum bis in anno, authoritatem generaliter dedit.

dedit. Diuũ Ludouicum Francorum regem canonizauit: & Hermannũ Ferrariensem in sanctos relatum, post triginta annos à sepultura, exhumari comburiq; fecit. Inquisitiones confirmauit, degradationes ordinauit, rasiones ampliauit: Cardinales Columnenses & Vrsinos deposuit, reges regnis deiecit, meretrices nutriuit, bastardos ac spurios generauit, & alia portenta Papalia fecit, donec Othomannum Dominus aduersus nos excitaret, quum nullus esset malorum finis.

135. Benedictus undecimus, natione Lombardus, patria Taruisinus, Nicolaus nominatus, professione Dominicanus, parentibus obscuris, patre uidelicet opilione, post Cardinalatum et episcopatum Hostiensem, ad Papatus apicem tandem peruenit. Fuit ille statura breuis, ac procedente ætate caluus, ingenio uersutus & eloquens, ac Bonifacio propterea acceptus: qui mox suscepto Pontificio fastu, ad Italiam pacandam, & augendam rem Papisticam, quam intestinis odijs agitatam cognouerat, animũ impense adiecit. Narrat Leander Albertus, cum Pontifex esset creatus, matrem eius Perusium uenisse, uisendi filium gratia, ad tantam prouectum dignitatem: & à senatu uestibus ornatam, ut eum salutatura decenter adiret. Sed illam ignominiose repulit, nec pro matre agnouit, donec esset priore uestimento induta. Hanc (inquit) matronam agnosco, porrò mater est. Obtulit ille templo D. Eustorgij, urbis Mediolanensis, poculum argenteum ingentis ponderis, quem calicem uocant: thuribulum cum acerra, seu arcula thuris: candelabra argentea: & cortinam sericeam magnam, precij aureorum centum: & trecentas libras, quæ ad ærariũ Pontificiũ pertinebãt, pro altera cortina facienda circa, sepulcrũ Petri Veronẽsis, Papistici martyris suæ sectæ Dominicanæ. Omnia data fuere precij octo milliũ librarum Mediolanẽsium. Valde liberalis erat, ex pannoso fraterculo magnus hic Põtifex, in idololatrijs ad diaboli pompam alendis: sed in diuini uerbi ministerio ad Christi gloriam, nihil attulit. Bonifacij captores, Anagninos omnes, Nogaretumq; & Sarram, quousq; soluissent, anathemate notauit: sed Philippum Francorum regem censuris irretitum, absoluit. Columnienses Cardinales, Ioannem et Iacobũ, in gratiã recepit, quos ingenti odio Bonifacius fuerat prosecutus. Cardinales ex sua factione, Nicolaum Pratensem Hetruscum, Guilhelmum Maklesfeldum antea defunctum, & Gualterum Vuinterburnum, Anglos, fecit. Peractis itaque aliquantulum dissidijs, à prædecessore inchoatis, quarum gratia Perusium erat profectus, anno Domini 1305, nono sui pontificatus mense, abbatissæ cuiusdam ficuum obsonio, è uita sublatus fuit, & apud Dominicanos magna pompa sepultus. Asserunt eum (ait Leander) ueneno in ficu præparato interijsse.

136. Clemẽs quintus, patria Vasco, ex genitore Bernardo nobili milite, Bertrãdus Gothus antea dictus, episcopus Conuenarum, et archiepiscopus Burdegalensis: Perusij à collegio Cardinalium absens, post contentionem longam Pontifex cõstituebatur. Is autem electioni consentiens, ex Burdegala Lugdunum profectus, eò Cardinales omnes ad se uocabat. Qui sine mora Pontifici obtemperarunt, & curia Romana in Gallias translata anno Domini 1305, ad septuaginta quatuor annos ibi remansit, cum magno Romanorum incommodo. Coronationi huius Clementis, interfuere rex Franciæ Philippus, Carolus eius frater, es Ioãnes dux Britaniæ: qui ruina muri oppressus, cum 12 alijs statim moriebatur, dum solẽnitatis pompa per urbem duceretur. Philippus quoq; rex ea ruina, aliqua ex parte debilitatus fuit. Pontifex autem, in tanta trepidatione, ex equo deturbatus, carbũculum ex tiara amisit, precij florenorum sex millium. Peracta deinde solenni pompa, sedatisq; rebus omnibus, plures Cardinales ex Gallis creabat, ex Italia nullum: licet Ioanni & Iacobo Columnensibus, dignitatem Cardinalatus integram restituerit. Tres præterea Cardinales cum senatoria potestate Romam misit, quorum auspicijs urbs ipsa atque Italia gubernaretur. Sardiniã insulam, à Saracenis occupatã, ea conditione Friderico Siciliæ regi concessit, ut eam quamprimum, pulsus hostibus (sed ad suum tandem usum) inde recuperaret. His Platinæ uerbis, hæc addidit Hieronymus Marius.

Clemens quintus (inquit) quoniam non alijs seruire ac ministrare, quemadmodum Christus Apostolis suis mandauit, sed ut & illi ab Imperatoribus ministraretur optabat, decreto statuit, ut designati in Germania Cæsares, quamuis Romanorum regis appellationem sortirentur, à summo tamen Pontifice Imperij iura ac nomen acciperent. Atque ut mortuo Imperatore, per omne interregni tempus, Italicarum urbium, quæ Cæsari stipendiariæ essent, arbitrium & potestas penes Romanum pontificem esset. Hæc ille. Clemens Papalẽ sedem, scortator publicus ac meretri

cum patronus, in Auenione ad voluptatem constituit. Viennense generale concilium anno Domini 1311 celebrauit. In quo Templarios, rege ipso ditiores, pro publicandis eorum bonis atrociter extinxit: & Ioannitas, Hospitalarios milites, qui Rhodum à Saracenis obtinuerant, eorum spolijs atq; indulgentijs magnificè prouexit. Fratricellos unà cum Dulcino quodã Nouariensi, qui ecclesiasticos impugnabat, prædicata cruce atq; indulgentijs datis, per Dominicanos oppreßit: & Beghardos ac Beguinas, qui panem Eucharisticum honorare nolebant, improbabat. Magistrum Templariorum cum uno socio, Parisijs comburi iußit, in præsentia dominorum Cardinalium: & contra Iudæorum insolentias quasdam, ordinationes fecit, confiscatis eorum bonis. Iuramenta à principibus præstita, non subiectionis, sed fidelitatis esse decreuit: & ecclesiæ bona non esse ab eadem alienanda, mandauit. Secularibus commercijs occupatos, & sumptuosis uestibus ornatos clericos puniri uoluit: ac monachis aucupationes & uenationes abstulit.

Venetos, Florentinos ac Lucenses, sacris interdixit: & Eucharistici panis festum confirmauit. Clementinas constitutiones congeßit, & sanctorum reliquias summè uenerandas esse pronunciauit. Per Neapolionem & Pelaguram Cardinales legatos, Italicas res curabat: ac Cœlestinum quintum confessoribus Papisticis adiunxit. Constitutiones monachorum ordinauit, & Franciscanorum regulam tum denuò declarauit. Nouißimè Clemens, nunc dysenteria, nunc stomachi ac laterum dolore cruciatus, apud Roccam Mauram, castrum supra Rodanum, anno Domini 1314, naturæ ceßit. Et Carpentoratum usq; in Vasconiam transuectum est eius corpus: uacauitq; sedes usq; in tertium annum. Huius tempore, & eodem quo obijt anno, Henricus Lutzemburgus Imperator, quum Siciliæ regnum, ad quod à Siculis uocabatur, armis iam ad se pertrahere institueret, à pseudomonacho Bernardo à monte Politiano, Dominicastro, ex Guelphorum conspiratione, qui se amicum Imperatori diu simulauerat, intoxicata hostia, quam bono principi, dum Eucharistia sese confirmaret, dederat, perfidiose perimebatur. Pius uerò princeps, cum sentiret uenenum sibi datum, proditorem illum monachum, ut fugeret, admonuisse fertur his uerbis: Domine, recedatis. Nam si percipiant Teutonici, & nostri deuoti, morte moriemini. Qui Senas recedens, aurum quod ei in mercedem impietatis erat promissum, accepit, scelestißimus Iudas. Sed confratres suos Dominicanos non liberauit. Nam multi eorum in Thuscia, Lombardia, & alijs locis, unà cum domibus, igne, gladio 'ue perierunt.

GVILHELMVS HANABERGVS. XLV.

GVilhelmus Hanabergus, Carmelita, in Londinensi prouincia natus (Lelandi uerbis utor) Isiacam seu Oxoniensem palæstrã à puero frequentauit. Quo nomine cum iam sciẽtias pleno hausisset ex uiuis ipsis fontibus ore, in theologorum album est solenni quadã pompa relatus. Est pręterea quartus, cedente ei uel saltem morte absumpto prædecessore, Rogero Crostvuicko, eius ordinis in Anglia prouincialis præses, anno Domini 1278, pleno Nordouicensis synodi decreto constitutus. In quo officio ita se gesfit, ut plusquam 20 annos in eo compleuerit. Interim tamen, neglecta Euangelij puritate, plures aduersus Christũ admisit blasphemias, Rom. Pontificum bullis confirmatas, mutatis chlamydibus barratis in cappas albas, ut Mariæ pudicitiam in ueste exprimerẽt. Et eos Honorius quintus (ut Polydorus habet) Virginis appellauit familiam, ut nomen uirginitatis cum pallio albo, qui color minimè maculatus est, rectè cõueniret. Sed qualiter apud eos cum ueste uita conuenerit, postea fortasse suis in locis apparebit. Accessit & eis ab omni principum atq; episcoporum iurisdictione immunitas, ut essent per Antichristum patrem, ad omnem obscœnitatem liberi. Edidit Guilhelmus

Quæstiones ordinarias,	*Lib. 1. Vtrum actus uirtutis moralis.*
Determinationes celebres,	*Lib. 1.*
Lecturas in theologia,	*Lib. 1.*
Sermones quoq; uarios,	*Lib. 1.*

Et alia

Et alia quædam. Obijt senex, Londini tandem sepultus, anno à Christi incarnatione 1311, sub Edvuardo secundo Anglorum rege. De altari portatili, de legatis ultimarum uoluntatum, de nouis locis recipiendis, & quòd non darent de agris ac uirgultis decimas, cum alijs Rom. pontificum concessionibus, breuitatis causa nihil hic dico.

ROBERTVS KILVVARBY. XLVI.

Robertus Kilvuarby, garrulus sophista, post imbibitas Parisijs profanarum artiũ feces, Oxoniensis Academiæ scholasticus doctor effectus, & Dominicani sodalitij per Angliam prouincialis, non modicæ in clero Papistico authoritatis rabbinus emicuit. Quem undecimo eius præfecturæ anno, Gregorius decimus Rom. pontifex, post litem eligẽtium monachorum, ad ueteres artes recurrens, cassata illorũ electione, qua de causa nescio (inquit Lelandus) nisi forte eum tanto munere oblato, sibi & suis quæstibus obaudientem esse uoluerit, in sedem Cantuariensem intrusit. Eo officio ac totius regni primatu cum potiretur Kilvuarbius, stultitia inaudita quasdam hæreses in grammatica & logica reperit atque damnauit (ut sunt, Ego currit, Animal est omnis homo) pœnarum legibus in earum usurpatores etiã editis. Istas quoque postea, nihilo insolentiores effecti magistri nostri Parisienses, communi suæ Sorbonę decreto, tanquã preciosos Papisticę theologię thesauros, suis addiderũt Sentẽtijs. Ex hoc præclaro facinore ac similibus, Nicolaus tertius Rom. pontifex, illum Romã uocauit, atque Portuensem episcopum & Cardinalem declarauit. Ecce quomodo obscurata tunc erat aurea Ecclesiæ primitiuæ facies, ac mutatus Euangelicæ doctrinæ color ille optimus. Versa est mihi (inquit Dominus 22. cap. Ezechielis) domus Israel in scoriam: degenerauerunt Ecclesiarum ministri in feces, & excrementa sordida. Dominantibus his locustis, magna lucis obscuratio atque aeris tenebrositas manebat super terram, ex uaframentis sophisticis. Cum enim non possent nouo suo, ut prædictum est, gaudere Euangelio, transferebant se ad fallaciarum technas, ac dæmoniorum somnia. Sed cum interim insigni arrogantia, se iactitarent eruditos, indocti atque insulsissimi sunt reperti. In exemplũ uenire poterit hic summus ex Dominicanis turgidis Anglorum archipõtifex, qui plaustra suarũ nugarũ hæc nobis reliquit, scilicet

In Isagogen Porphyrij,	Lib. 1.
In prædicamenta Aristotelis,	Lib. 3.
In Perihermenias eiusdem,	Lib. 2.
In 6 principia Gilberti,	Lib. 1.
Super Priscianum minorem,	Lib. 1. *Sicut scribitur in primo Posteriorum.*
De modo significandi,	Lib. 1. *Quoniam in ante expositis libris*
Lecturam sententiarum,	Lib. 4. *Sapientia ædificauit sibi domum.*
Super confessiones Augustini,	Lib. 1. *In primo libro confessionum.*
Super Ezechielem	Lib. 1.
In Paulum ad Romanos,	Lib. 1.
In eundem ad Corinthios,	Lib. 2.
De sacramento altaris,	Lib. 1.
De ortu scientiarum,	Lib. 1. *Licet autem primus homo quantum.*
De diuisione scientiarum,	Lib. 1. *Cum secundum philosophum Aristotelem.*
Originalia Patrum,	Lib. 1. *Abimelech, per somnium admonitus.*
Quæstiones dialecticæ	Lib. 1.
In priora & posteriora,	Lib. 4.

In diuisiones Boetij, Lib.1.
In topica Aristotelis, Lib.4.
In elenchos eiusdem, Lib.2.
De conscientia & synderesi, Lib.1.
Quaestiones de conscientia, Lib.1.
De anima, Lib.3.
De causis animae, Lib.1.
De differentia spiritus & animae, Lib.1.
De instantibus, Lib.1.
De diuisione entis, Lib.1.
De relatiuis, Lib.1.
De natura relationis, Lib.1.
De relationis praedicamento, Lib.1.
De rebus praedicabilibus, Lib.1.
Sophistriam Grammaticalem, Lib.1.
Sophistriam Logicalem, Lib.1.
De doctrina Aquinatis, Lib.1.
De unitate formarum, Lib.1.
In Boetium de consolatione, Lib.5.
De tempore, Lib.1.
De uniuersali, Lib.1.
In Physica Aristotelis, Lib.8.
De coelo & mundo, Lib.4.
De generatione & corrupt. Lib.2.
In Meteora, Lib.4.
Super Metaphysicam, Lib.12.
Parua naturalia, Lib.1.
Expositionem literae senten. Lib.1.
Distinctiones doctorum, Lib.1.
Commentarios theologiae, Lib.1.
Philosophiae notulas, Lib.1.
Quodlibeta quoque, Lib.1.

Et alia id genus multa. Veneno tandem extinctus, ut authores sunt Ioannes Euersdenus & Thomas Vuiccius in suis Annalibus, in fata concesit, anno Christi 1279, Edvuardo primo in Anglia regnãte, & Viterbij in Italia est insigni pompa apud Dominicanos sepultus. Ecce quales apostolos Antichristus mittit. Ex macris & extenuatis locustis, praesides prouinciarum facit. Porphyrium ac Gilbertum Porretanũ, quos alibi inter haereticos numerãt, hic pro catholicis habent, & commentarijs illustrare incipiunt, ut per eorũ doctrinas fortius fortasse decipiant.

APPENDIX.

Albertus Crantz lib.8. cap.27. suae Saxoniae: Ioannes Semeca, praepositus Halberstatensis, & iuris doctor, primus Herculea audacia ausus est glossare Decretum, quod ante eum nemo & post eũ nullus excellentius fecit. Hic Clementi quarto Rom. pontifici se opponẽs, decimas per Galliã et Germaniam exigenti (quae Pontificũ tum erat temeritas) excõmunicatus est, ac praepositura priuatus. Obijt cum Papa eodem anno Domini 1269. Thomas Eclestonus: Anno Domini 1269, in Anglia Dominicani mordacibus scriptis Minoritas impugnabãt, quòd lege uetuissent sub religionis fuco pecuniae tactum, cum tamen illos scirent nummorũ esse cupidissimos. Sed diabolus eos ad maiores nequitias paratos, concordes statim reddidit. Inuidia suscitauit rixas, hypocrisis denuò soluit. Guilhelmus Rishanger,

hanger, in Continuatione chronicorum Matthæi Parisij: Anno Domini 1273, Henricus tertius Anglorum rex obijt, qui sacerdotibus, cum missas celebrarent, assistere solebat, & eorum manus oscula ri. Huic S. Ludouicus Francorum rex dixisse olim perhibetur, Missis audiendis nō semper esse uacandum, sed interdum audiendas esse conciones sacras. Respondit Henricus (ineptissimè quidē) se mal le amicum sæpius uidere, quàm de ipso loquentem audire. Et hoc quid aliud est, quàm id quod filiorū Dei est, reijcere, nempe uiuum Christi uerbum: aut, ut apertius loquar, est Dei testamentum contem nere, creaturam creatoris loco colere, & hominem peccati super omne quod dicitur Deus euehere: atq; tandem in illud incidere, quod obstinatissimis Iudæis Seruator improperabat, Ioan. 8. Propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis. Ita solent principes imperitos suis præstigijs dementare, impostores diabolici, et summos Dei ministros ac mundi monarchas, in imagines magnæ bestiæ uertere, Apoc. 13. Talia nimirum sunt Antichristi miracula. Anno Domini 1273, in cōcilio Lugdunēsi, Mendicantiū ordines in quatuor sunt redacti, ne in infinitū procederent: et 23 ordines in eo concilo damnabantur. Clericorum possessiones prædicti fratres defendebāt à secularium principum iurisdictione. Thomas Cantipratensis lib. 2. cap. 9.

GILBERTVS THEOLOGVS. XLVII.

Gilbertus Theologus, cognomēto Magnus, ex Anglorum natione Cistercienſis monachus, &, ut fertur, præpositus eorum generalis, ætatē ex doctrina & patriam eloquentia splendidiorē reddidit. In gymnasijs Brytannicis literarum studia incunctanter coluit, bonasq; disciplinas in alijs regionibus fouit, potissimum Parisijs ac Tolosæ, prælegere, scribere, aut meditari sacra solitus semper. Magna enim diligentia, imò consuetudine quadam, bibliothecarum penetralia quæsiuit, perlustrauit, euoluit: & ubi reperisset opus aut rarum, aut antea nō uisum, ut in Cluniaco Cyrilli Græci Carmelitę oraculum cum Ioachimi abbatis commentario, ingentē statim se inuenisse thesaurū gloriabatur. De Cyrillo illo fatetur in pręfatione quadam, quòd infra horæ spacium 11 capitula abditissimorum mysteriorum memoriæ commendauerit: sicut de Ioanne, Haymo, quòd omnem suam Apocalypsim uno die uiderit. Sed quale sit Cyrilli oraculum, prius dictum est. Perspicacis ingenij homo certè Gilbertus erat, cui accessit & innata oris facundia, ut in eius uita constat. Theologorum abdita (inquit author) absolutè prospexit: nec fuit ullum doctrinæ genus, quod non ad unguem didicerit. Vnum in ipso ingemimus malum, illudq; monachis ferè omnibus commune: quòd moralitatum allegorijs, quibus quisq; suo sensu abundat, plus tribuerit, quàm apertissimo diuinæ scripturæ sensui: nempe Gregorij magni, suiq; Bernardi, in obseruandis ritibus, concionibusq; uulgandis, imitator esse studebat. Exarauit uir ingeniosus elegiaco metro,

Pro Christiano, contra Gentiles,	Lib. 1.
De naturis rerum, prosa,	Lib. 1.
Historiam quandam,	Lib. 1.
Commentarios in Psalterium,	Lib. 1. *Christus est integer, caput cum memb.*
In oraculum Cyrilli,	Lib. 1. *Cum ad monasterium Cluniacense.*
Distinctiones theologicas,	Lib. 1. *Duplex est abstinentia, detestabilis &c.*
Conciones eruditas,	Lib. 1. *Rom. 15. Quæcunq; scripta sunt, ad.*
Quid sit monachus,	Lib. 1.
Doctorum collectanea,	Lib. 1.
Epistolas ad diuersos,	Lib. 1.
Commentarios scripturarum,	Lib. plures.

Aliosq; tractatus edidit, sed eorum tituli non occurrunt. Claruit anno incarnati Messiæ 1280, sub Eduardo primo Anglorum rege: corpusq; eius Tolosæ inter

sacra seruatum esse dicunt. Thomas Scropus historiam eius allegat, & Alanus de Lynna, concionibus eius indices addidit.

HELIAS RVBEVS. XLVIII.

HElias Rubeus, ex Cantabrigiensi comitatu Tripelaunensis alumnus, adolescentiæ annos in optimis studijs fœliciter collocās, tandem animum ad maiora & altiora conuertit, atq; Cantabrigiæ, ut fertur, theologiæ mysterijs se totum dedicauit. Vir erat, ut testis est in suis Collectaneis Lelandus, humanitate ac prudētia insignis, & multis scientijs nobiliter instructus. In curia regis plerunq; uersatus, de insigni nobilitatis nomine, ex carnis prosapia, non ipsa uirtute, plerosq; uidit inaniter gloriari: quos tamē ab auita nobilitate longè degenerauisse nouit. Istos heroico animo atque Herculea audacia aggressus, uiuis rationibus fatuitates eorum detexit: ostendens nobilitatem genuinam, non ex sanguine, sed uirtute æstimandam esse. Composuit igitur,

Contra nobilitatem inanem, Lib. 1.

Et alia quædam, quorum nihilominus titulos hucusq; non uidi. Quo uerò tēpore, aut sub quo rege, uel uixerit, uel obierit, Lelandus non prodit, qui tamē honestam de illo mentionem facit. Hic stabit ergo, donec proprium inuenerit locum.

GVALTERVS RECLVSVS. XLIX.

GValterus Reclusus, homo ab adolescentia in bonis literis uersatus, apud Augustinianos eremitas, ut ferunt authores, solitariæ uitæ propositum elegit. Qui post imbibitas artes, quas uocāt, seculares, ætate adhuc florente, studijs sacris addictissimus, utriusq; doctrinę, diuinæ & humanæ, experimenta quædam publica dedit. Discipulos inde suarum lectionū non paucos habebat, qui tandem euasere in uiros & probos & doctos. A multis impugnabatur his diebus Augustinianorum ordo, Parisijsq; repudiabatur. Illum propterea ratū fecit, anno Domini 1287, Honorius quartus Rom. pontifex, & Carmelitas exaltauit, mutatis in alba pallia eorū chlamydibus, antea stragulatis: ut authores sunt, Philippus Ribotus, Sabellicus, Volaterranus, Polydorus, & Platina. Scripsit inter cætera Gualterus, dum esset ab hominum societate ac ciuium tumultu per inclusionem separatus,

De mundi contemptu, Lib. 1.
De uita solitaria, Lib. 1.
Meditationes quoq;, Lib. 1.

Atq; alia plura. Claruisse fert, anno ab exorta pietate Christiana 1280, sub Eduuardo primo Anglorū rege. Huius opuscula nonnulla, ad cōpendia reduxit Ricardus Lauynham, homo eruditus, ut lectorib. apprimè necessaria.

HVGO DE EVESHAM. L.

HVgo de Euesham, uir eruditione præcipuus, professione uerò Medicus, & eius artis per illam ætatem phœnix, ex iugi frequētatione gymnasiorū, multis regionib. cognitissimus fuit. Intermiscebat ille studijs Pæonijs, seuerioribus illis, plausibilem & iucundam Matheseos cognitionem, quæ numeros, quæ proportionum consonantiam, quæ deniq; stellarum erraticarū motus addoceret. Senserant hæc multi per Gallias & Italiam, præcipuè Martinus quartus Rom. pontifex: qui illum per literas accersebat, exorans, ut quæstionibus quibusdam in re medica tunc nouiter exortis, satisfaceret. Idq; illuc citò adueniens, tum alacriter tum doctè præstitit, peritiores in prædictis artibus ubiq; secutus. Scripsit præterea quæstiones, quas disputabat,

Super

Super opere febrium Isaac,	Lib.1. Quoniam de filij bonitate sicut test.
Medicinales canones,	Lib.1.
Problemata quædam,	Lib.1.

Aliaq; plura edidisse dicitur, quorum hucusq; titulos nō uidi. Claruit anno incarnationis Dominicæ 1281, quo Romæ factus erat Cardinalis presbyter tituli S. Laurentij, per præfatum Pontificem Martinum, Edvuardo primo in Anglia regnante. Obijt Romæ anno Domini 1287, ueneno sublatus.

APPENDIX.

Platina: Anno Domini 1275. Viterbij inter sacerdotes cathedralis ecclesiæ, & fratres Prædicatores, de corpore Clementis quarti orta erat contentio. Vterq; enim ordo Pontificis corpus apud se sepultum esse uolebat. Sed Innocentius quintus litem, quæ 8 annis durauerat, tandem diremit: & quia Dominicanus fuit, id fratribus committi debere adiudicauit. Minores etiam Viterbij, ut ipsis in pōpaticis sepulturis æquales essent, eodē anno Hadriani quinti corpus in suo sepeliri cœnobio procurarunt. Vide locustarum exilium, ambitiones & arrogantias summas. Ex Thomæ Cooperi Chronico: Anno Domini 1281, qui erat primus annus Martini quarti Rom. pōtificis, mulier quædam illi familiaris infantem peperit ursæ similem, pilosam atq; unguibus deformatam. Quod cum intellexisset sanctißimus ille, præcepit omnes imagines urseas per palatium expungi ac deleri, sciens talia solere contingere ex conceptis à fœmina in ipso coitu huiusmodi formis. Prudens certè & peritus harum rerum Pontifex. Quis non crederet, iudicium hoc Christi uicario dignum? Ioannes Nouiomagus in illustrationib. Bedæ: Fœmina quædam Romana parit puerum, crinibus et unguibus similem ursæ. Quidam aiunt hanc fuisse Nicolai tertij pontificis concubinam, qui Martinū præcesserat. Hæc Rom. ecclesiæ mater & domina, utrique Pontifici extra coniugium deuotè seruiuit. O`uenerei, imò sordidißimi cœlibes, ac Priapi sacerdotes. Concipe hoc loco miraculū magnū, ex Platina. Nicolaus prædictus ex Vrsina familia uenit, & ursum nepotem habuit: non est ergo mirandum, si ursas genuerit. Cognatos suos ac nepotes (quos alij dicunt filios, & domesticos) omnium primus, supra modum exaltare studuit. Platina. Suos enim ita amasse dicitur, ut aliunde raperet, quod eis condonaret. Nam quibusdā nobilibus Romanis castella ui abstulit, ac suis dono dedit. Ex ordine Minorum episcopum Hostiensem fecit, & Portuensem ex ordine Prædicatorum. Et hæc suis mysterijs non carent. Hostiensis enim solus habet dignitatis pallium, quia eius est Papam creare. Portuensis illi in eo officio solus assistit. Inde sunt loricati, inde alas habent, & equorum capita leoninis similia: Apoc. 9.

Appendix alia.

Platina: Erat Nicolaus tertius religionis obseruatißimus, & adeò ordinis Minorum ob contemptum rerum humanarum amator, ut ipse etiam Decretali epistola, quædam ipsius ordinis ambigua declarauerit. Cornelius Agrippa: Sunt ex illis, quibus pecuniam tetigisse piaculum est, & nihil illos mouent uerba Pauli dicentis, Bonum est mulierem non tangere: quas illi non rarò impudicis contrectant manibus. Et clanculum confluunt ad lupanaria, stuprant sacras uirgines, uitiant uiduas, & hospitum suorum adulterantes uxores, nonnunquam etiam (quod ego scio & uidi) Iliaci prædonis instar abducunt, & Platonica lege compopularibus suis communes prostituunt. Et quarum animas lucrari debent Deo, illarum corpora sacrificant diabolo, aliaq; his multo scelestiora, & quæ nefas est eloqui, insana libidine perpetrāt. Interim castitatis uoto abundè satisfaciētes, si libidinē, si luxuriam, si fornicationē, si adulteria, si incestū uerbis acerrimè incesset, detesteturq;, et de uirtute locuti, clunes agitent. Sed flagitiosißimi lenones, scelestißimæq; lenæ, sæpe sub illis religione pellibus delitescūt. Tales habent aulicæ Dominæ plerumq; sacrorum suorum mystas, & aulicarum nuptiarum scortationumq; cōsultores. Ioannes Lelandus. Transfretauerat his diebus in Brytanniam Radulphus quidam Alemanus, uir magnæ tum continentiæ tum eruditionis, & præterea gubernator summus totius Carmeliticæ sectæ, post Nicolaum Gallicum. Is fratrum, qui in urbibus morabantur, ignauiam pertæsus, iuxta id quod in eius opere, quod inscribitur Ignea sagitta, legerat, cognitaq; antè per literas, Holnensis propè Alneuicum eremi celebritate, eam solitudinem prædecessoris exemplo petijt: ubi deposito magistratus sui onere post 4 annos, inter solitarius illic uixit, obijt, ac sepultus est anno Do

mini 1277. Ex quadam historia: Franchus Senensis, Italus, eques olim auratus, postea eiusdem sectæ reclusus, uir abstinētißimæ uitæ, monachos porcos impinguatos uocare solebat. Hic obijt anno Domini 1296, & eius corporis media pars Senæ, media Cremonæ seruatur, ut in hoc disticho:

Franchus eques Italus, Carmeli ex gente reclusus:
Cuius habent corpus, Sena, Cremona simul.

IOANNES BVRIENSIS ABBAS. LI.

IOannes Buriensis, celeberrimi illius apud Sudouolcas cœnobij, ad Eadmundi fanum abbas, inter suæ ætatis philosophos ac theologos, non infœliciter eruditus habebatur: id quod ex multis argumentis apparet, tùm ex hoc præcipuè, quòd Ioannes Euerisdenus in serie temporum, & Ioannes Lelandus in Roberto Capitone, honestam de ipso mentionem fecerint. Quorum Euerisdenus refert, illum Romam anno Domini 1279, pro sua per Nicolaum tertium cōfirmatione, petijsse: Lelandus uerò, quòd alijs chronographis locupletius rem gestam inter ipsum Capitonem seu Grossetestum, & Innocentiū quartum Rom. pontificem, explicuerit. Etsi alijs nullis, quanquam & alia non desint, uel his tantorum uirorum testimonijs, dignus est qui in numero nostrorum scriptorum poneretur. Nunquam certè me pœnitebit, illū inter authores numerare, quem tam probi authores suis scriptis celebrauerint. Iste inter cætera composuit,

Suæ gentis annales, *Lib. 1.*

Et alia nonnulla. Sed quantum ad illa, hoc scias, ea quorundam monachorū desidia perijsse. Claruit anno à nostri Seruatoris natiuitate 1280, sub Edvuardo post conquæstum primo Anglorū rege, in suo cœnobio tandem post fata sepultus.

GVILHELMVS PAGHAM. LII.

GVilhelmus Pagham, quem in suis Commentarijs, quidam eius ætatis sententiarij, de Pagula cognominant, in Cantiorum comitatu & Cantuariensi diœcesi originem habuisse perhibetur. Ita polluit hic literis & prudentia, ut Gobelinus Alemanus in arbitralibus statutis habet, ut nō solùm Oxonij, sed & Parisijs quoque summū theologici muneris promeruerit gradum. Oxonij aūt usus est familiaritate ac docta cōsuetudine Roberti Vualsingamij, hominis ex suo ordine eruditißimi. Ad cuius exemplum (inquit Lelādus) ita se suaque formabat studia, ut grauis simul & eruditus, ab optimo quouis inter suos Carmelitas iudicatus sit. Tam magni enim fecit eius ingenium idem Lelandus, ut diuinum fuisse dixerit. In generali tandem, ad Genuam Liguriæ metropolim, Carmelitarum synodo, totius Angliæ & Scotiæ prouincialis, ut uocant, constitutus fuit. Et post tertium eius regiminis annum, à Clemente quinto Rom. pontifice fiebat in Hybernia Midensis episcopus, ubi & reliquum suæ uitæ peregit. Plura produxit præsens scriptor Guilhelmus, sed planè sophistica, utpote

Lecturam Sententiarum,	Lib. 4.
Placita theologica,	Lib. 1.
De perfectione intellectus,	Lib. 1. *Intellectus humanus, suū habet prin.*
De notitia actuali,	Lib. 1. *In intellectu creato quædam uis est.*
De ueritate formali,	Lib. 1. *Vtrum ueritas sit formæ substantial.*
De ente rationis,	Lib. 1. *Rectitudo motus est, ut philosophus.*
Quæstiones ordinarias,	Lib. 1.
Conciones populares,	Lib. 1.

Atque

Atq; alia adhuc plura. Inter huius discipulos præcipuus fuit Ioannes Vualsingamius, qui ipsius crebram in suis allegationibus mentionem facit. Claruit anno Christianæ salutis 1280, sub Edvuardo primo Anglorum rege, in sua ecclesia post aliquot annos sepultus. Hoc tempore floruit Marcus, Gondriæ & insularum episcopus, eiusdem instituti.

HENRICVS ESSEBVRNE. LIII.

HEnricus Esseburne, professione Dominicanus, philosophiæ ac theologiæ monumēta, eo in loco, ut Lelandus habet, solicitis collustrauit oculis, quo Isidis uadum, uel ut nunc uocant, Oxonium, eruditorum fouet, amat, celebratq; numerum. Insoliti splendoris iubar (inquit) ne arctius domi includeretur, Deuam usq; doctrinę suæ radios extendit. Deua nanq; flumen est, quod Cestriam urbem alluit, & procul ab ea circiter passuum millia sex in Oceanum se emittit. Dum uero in ipsa ciuitate Cestriæ, suorum fratrum collegio præesset, inter cætera, quæ dexteritate sanè multa composuit, quosdam diuinarum scripturarū Commētarios, à se olim Oxonij atq; alibi lectos, posteritati reliquit. Fuit Esseburnus longè eruditior, quàm illa ferebant tempora: & dignus planè, qui uel hoc nostro seculo à multis legeretur. Vnde non pœnitendo labore congessit,

In parabolas Salomonis, Lib. 1. *Sicut dicit Ecclesiasticus triges.*
In Ecclesiasten eiusdem, Lib. 1. *Salomon nos inuitans ad diuinæ.*
Lecturas Bibliorum, Lib. 1.
Processus in theologia, Lib. 1.
Sermones quoq;, Lib. 1.

Et alia multa, quæ in Dominicanorum bibliothecis ubique per Angliam uisebantur, quorum tituli non occurrunt memoriæ. Claruisse à suis fertur circa annum à Messiæ in hanc carnem aduentu 1280, sub prædicto rege Edvuardo primo.

IOANNES DE HAYDA. LIIII.

IOannes de Hayda, literarum bonarum amator, & sua tempestate quæsitor insignis, terras peragrabat multas, ac gymnasia frequentabat, ut illas ubertim adipisceretur. Politarum interim linguarū cognitioni, & reconditis naturæ mysterijs, ingenio peracutus, prompta iuxta ac expedita adiugilauit diligētia. Proinde si quid obscuri, luxati, aut parum lucidè explicati occurreret, iudicio eruditorū maturo, prudenter quidem est usus. Et quia poematibus, quæ uirtutum exempla magnis laudibus ornant, multorum animos excitatos et accensos ad literarū studia nouit: poesim & ipse, ut quandam olim antiquis populis communē philosophandi rationē, coluit, præsertim illud genus quod heroicum uocant, quòd & fortia heroum facta, ac principum res gestas præ alijs carminum generibus celebrauerit. Vnde & ipse uersu composuit

Vitam Malchi monachi, Lib. 1. *Prælia gesturus, Iudos pius & quas.*
Formam uitæ honestæ, Lib. 1. Hei quicunq; *legit, Martini musa.*
De Iona propheta, *Lib.* 1. *Vos qui nescitis, nunc* dicite de.
Passionem D. Laurentij, Lib. 1. A'Decio temptus, *gladioq; furen.*
Epistolas ad diuersos, Lib. 1. *Sicut in omni artium professione, ac.*

Atq; alia plura tam prosa quàm carmine, ut ex his eius opusculis liquet: sed ueros illorum titulos iampridem amisi. Veterum scriptorum censuram & authoritatem magni faciebat uir candidus, quem his temporibus claruisse coniectura est.

APPENDIX.

Bernardus Lutzenburgus in Catalogo hæreticorū: His temporibus *claruit* Petrus *Ioannis, diœcesis*

cesis Biranẽsis Aquitanus, qui in Postillis suis super Apocalypsin, Matthæũ, ac Genesim, multas posuit hæreses, quæ authoritate Papæ et magistrorũ consilio sunt postea solenniter in curia Rom. damnatæ. Per Babylonẽ enim, meretricẽ magnã illam, ecclesiã Romanã intelligit: quam uocat carnalẽ bestiam, & Satanæ synagogã. per mysticũ Antichristũ, intelligit Papã. omnesq; abbates quinti temporis, conuenire dicit in quintum bestiæ caput: quæ bestia est diabolus, Antichristus, & congregatio malorum. Et sic de alijs hæresibus, quas ponit Guido Perpinianus in utroq; opere de hæresibus, & Nicolaus Emericus in libro Inquisitionum. Post mortem fuit denuò declaratus hæreticus per Clementem quintum, ut aiunt: et ossa eius effodi atq; exuri iussa. Hunc Minoritam ponit prædictus Guido. Otho Phrisingensis episcopus doctissimus, quædam his diebus in clero mala uehementer arguebat. Ioannes de Molinis, cap. 9 sui Speculi: Romæ lis erat his diebus inter Præmonstratenses canonicos & fratres Carmelitas, sub Nicolao quarto, propter cappas albas, quas illis concesserat Honorius quartus eius prædecessor, in magnum eorum, ut dicebant, præiudiciũ ac scandalum. Sed fratres Pontificis fauorem nacti, qui et frater erat, licet alterius speciei, tandem uicerunt. Cornelius Agrippa in libro de Incertitudine scientiarum, similem contentionem fuisse postea narrat inter Canonicos regulares & fratres Augustinianos. hi corã Pontifice Rom. pertinaciter litigabant, super beati Augustini habitu, uidelicet nigram'ne ille stolam super alba tunica, an candidam super nigra induisset. Et cum pro lite dirimenda deficerent scripturæ, uisum fuit Romanis iudicibus, rem omnem (ridiculum sanè) ad statuarios & pictores relegare: ut illi ex cucullato tentatore diabolo ultimam adferrent sententiã. Videat hic prudens lector, inania per hanc ætatem Papistarum studia, & quàm sanctè, ut uocant, rem curarint diuinam.

ROGERVS BACONVS. LV.

Rogerus Baconus, Franciscanę sectæ imitator, ac philosophus acutissimus, ita diligenter in omnis generis authoribus uersatus fuit, ut sui seculi unicum planè miraculum diceretur. Primos autem adolescẽtiæ annos Oxonij in rebus dialecticis ac philosophicis exegit: unde ingenium per se fœlix, quasi accepto à cote nouo acumine, fœlicius reddidit. Accessit ei in Mathesi peritia incredibilis, sed absque Necromantia: quamuis ea à multis infametur. Ingeniosissimus erat (inquit Ioannes Picus Mirandulanus comes, & in omni literatura prophana percelebris) mathematicus præsertim ac philosophus eruditus. Vt sacras literas plenius hauriret, Parisiorum academiã petijt, ut ex cõiecturis Ioannes Lelandus colligit, tam Græcæ quàm Hebraicæ dans operam linguæ. Eadmundum Abyndonensem, & Ricardum Fiacrium, Dominicanũ, amicos & studiorum parentes, iuuenis olim summè coluisse creditur. Eius in multis damnauit doctrinam Hieronymus de Esculo, illius sectæ generalis tunc minister, postea Rom. põtifex, dictus Nicolaus quartus, indocta atq; iniqua quorundam fratrum suorum persuasione. In ea nimirum dicebant aliquas contineri nouitates suspectas: fuitq; multis annis ab eisdem carceri ob id mancipatus, ut Antoninus in Chronicis habet. Ingentem Rogerus librorum numerum edidit, nempe

De uisu & speculis,	Lib. 1. De speculorum miraculis uolente Deo.
De utilitate Astronomiæ,	Lib. 1. Post locorum descriptionem debent.
Introductionem in Astrologiam,	Lib. 1. Fusius quidem dictum de astronom.
Descriptiones locorum mundi,	Lib. 1. Ad hoc autem quod certius & pla.
De Philosophorum lapide,	Lib. 1.
De multiplicatione specierum,	Lib. 1. Primum capitulum circa influentiam.
Perspectiuam quandam singularem,	Lib. 1. Hic aliqua dicenda sunt de persp.
Perspectiuam distinctam,	Lib. 3. Propositis radicibus sapientiæ tam.
Artem experimentalem,	Lib. 1. Positis fundamentis primis &.
De prolongatione uitæ	Lib. 1.

Communia

Communia naturalis philoso.	Lib.4. Postquam tradidi Grammaticam secund.
Computum naturalium,	Lib.1. Omnia tempus habent suum, iuxta.
De morali philosophia,	Lib.1. Manifestaui in præcendentibus lec.
Logicam quandam,	Lib.1. Introductio est breuis & aperta.
Antidotarium uitæ humanæ,	Lib.1.
In posteriora Aristotelis,	Lib.2. Dictum est de syllogismo in uniuer.
De operibus naturæ occultis,	Lib.1. Superius quidem dictum est, quid.
De cœlo & mundo,	Lib.2. Prima igitur ueritas circa cor.
Leges multiplicationum,	Lib.1. Expletis quatuor partibus terti.
Cosmographiam,	Lib.1.
De forma resultante in speculo,	Lib.1. Quæritur de forma resultante in.
De perspectiua continua,	Lib.1. Cupiens te & alios sapientiores.
De fluxu & refluxu maris,	Lib.1. Descriptis his figuris circa modum.
De fluxu maris Brytanici,	Lib.1. Visis effectibus illis, qui ex
De regionibus mundi,	Lib.1.
Summam Grammaticalem,	Lib.1. Oratio Grammatica aut fit medium.
De constructione partium,	Lib.1. Ad completam cognitionem construc.
De ualore Musices,	Lib.1. Secundum Boetium & cæteros authores.
De gradibus medicinalibus,	Lib.1. Omnis forma inhærens recipit inten.
De ponderibus,	Lib.1.
De retardatione senectutis,	Lib.1. Domine mundi, qui ex nobilissima.
De uniuersali regimine senum,	Lib.1. Summa regiminis uniuersalis est hæc.
De erroribus medicorum,	Lib.1. Vulgus medicorum non cognoscit.
De uigore artis & naturæ,	Lib.1. Vestræ petitioni respondeo, quemadmodum.
De regibus mundi,	Lib.1.
Compedium studij theologici,	Lib.5. Quoniam autem in omnibus causis.
Ad Clementem 4. Rom. pontificem,	Lib.1. Sanctissimo patri domino Clementi.
Laudes Mathematicæ artis,	Lib.1. Post hanc scientiam experimentalem.
Speculum Alchimiæ,	Lib.1. Multifariam multisq; modis loquens.
De radijs solaribus,	Lib.1.
De utilitate linguarum,	Lib.1. Multæ præclaræ radices, ex manifest.
Pro conseruatione sensuum,	Lib.1. Cogito & cogitaui ab initijs primorum.
De locis stellarum,	Lib.1. Quoniam infinitum est discernere.
De secretis,	Lib.1. Interrogationi tuæ respondere consti.
De aspectibus lunæ,	Lib.1.
Rogerinam maiorem,	Lib.1. Sicut ab antiquis, & cæt.
Rogerinam minorem,	Lib.1. Humana natura, & cæt.
De Geometria,	Lib.1.
Grammaticam hebraicam,	Lib.1.
Grammaticam Græcam,	Lib.1.
De causis ignorantiæ humanæ,	Lib.1.
De materia prima,	Lib.1.
De septem experimentis,	Lib.1.
De paßionibus animæ,	Lib.1.
De speculis ustorijs,	Lib.1.
De intellectu & intelligibili,	Lib.2.
De somno & uigilia,	Lib.2.
De Metaphysica,	Lib.1.
De utilitate scientiarum,	Lib.11.

Contra

Contra Necromanticos,	Lib.1.
In opera Vergilij,	Lib.plu.
De speciebus,	Lib.1.
De copiæ uel inopiæ causis,	Lib.1.
Documenta Alchimiæ,	Lib.1.
De coloribus per artem fiendis,	Lib.1.
De sculpturis lapidum,	Lib.1.
De uniuersalibus,	Lib.1.
De centris grauium,	Lib.1.
Parabolas de quadratura,	Lib.1.
In Auicennam de anima,	Lib.1.
Venti nouem districtiones,	Lib.1.
De rebus metallicis,	Lib.1.
De impedimentis sapientiæ,	Lib.1.
Commentarios sententiarum,	Lib.4.
De arte memoratiua,	Lib.1.
Prognostica, ex siderum cursu.	Lib.1.
De planis,	Lib.1.
De situ Palæstinæ,	Lib.1.
De locis sacris,	Lib.1.
De miraculis rerum,	Lib.1.
Ad epistolam Bonauenturæ,	Lib.1.

Et alia adhuc plura. Obijt anno Salutis humanæ 1284, Oxonij apud Franciscanos sepultus, sub Edvuardo primo Anglorum rege. Ad istum olim scripsit Bonauentura, super tribus Minoritarum articulis, paupertate scilicet, labore manuum, ac studio lectionis: quibus ille scriptis respondebat.

IOANNES DERLINGTON. LVI.

IOannes Derlington, perceptis ab ipsa adolescentia profanarum disciplinarum rudimentis primis, *ex fatua quadam* ad Dominicum Calaguritanum deuotione, eius intrauit sectam, cum nō bene saperet. Progressus paulatim ad annos maturiores, tantum in scientijs quæ inflant profecit, & in ostentatione pharisaica creuit, ut solēnis in theologia fieret magister noster, ac Henrici tertij Anglorum regis auricularis olim confessor. Ex quibus Romani pontifices, Ioannes 21, Nicolaus 3, & Martinus 4, hominem suis commodis aptum cernentes, pro colligendis, *ut uocant*, *Petri denarijs*, ac sacerdotum & monachorum decimis, suum quæstorem per Angliam atque Hyberniam illum constituebant, ac tandem archiepiscopum Dublinienſem. Nullo enim tempore (inquit Lelandus) defuerūt suæ artes Romanis corradendi pecunias, siue Turca aliquid nouarum rerum, siue nihil in Christianos moliretur. Relicta ergo religiosa apostoli Petri functione, Derlingtonus iniqui proditoris Iudæ permansit in officio. Porrò Mendicantium hypocritarum officium tunc erat, ut Cantipratensis & Antoninus habent, cleri possesiones à secularium principum iurisdictione tueri, & Deum Mauzim per transubstantiationem defendere. Tradit Triuetus, Derlingtonum inter alios ingenij fœtus edidisse,

Concordantias magnas Anglicanas,	Lib.1.
Sermones ad utrumq; statum,	Lib.1.
Disceptationes scholasticas,	Lib.1.

Atq; alia quædam. Cum iste in septimo episcopatus sui anno, mercenarius & non

non pastor, accinxisset se primùm ad iter, non ut pascat, sed ut mulgeat uel tondat, diuina tactus ultione, diem clausit extremum, anno nati Seruatoris 1284, Londini apud Dominicanos sepultus.

IOANNES CHELMESTON. LVII.

IOannes Chelmeston, ex Eboracensi comitatu ac diœcesi oriundus, ab ipsis ferè incunabulis literarum studiosus, ac scientiarum cupiens, inter earum partium Carmelitas cõuersabatur, illorum professus instituta. Oxoniũ tandem ab ordinis sui præside missus, in artibus sophisticis adeò gradatim profecit, ut in magistralem euectus cathedram, ob ingenij acumen ac disceptandi peritiam inter primos sit habitus. Supremæ (inquit Lelandus) inter Isiacos classis, Chelmestonus theologus, insignem à literis famã est consecutus, eiusq; quæstionum libri ab eis leguntur. Brugis in Flandria, & alibi per inferiorem Germaniã, à generali magistro Gerardo de Bononia iussus, ordinariè perplura disputauit: ut de ipso Gobelinus Alemanus tradit in libello de Pœnitentijs conuicariorum. Ioannes Vinetus in 5. capite sui Chronici etiam docet, fuisse tunc lites Romæ in ipsa Pontificis curia, inter Præmonstratenses & Carmelitas, circa palliorum suorum colores & formas, ut prius est relatum. Chelmestonus uerò multa fertur scripsisse opuscula, sed sophistica penitus, utputa

Quæstiones ordinarias,	Lib. 1. *Vtrum sit aliquod sacramentum, quod.*
Determinationes theologicas,	Lib. 1. *Vtrum per peccata uenialia Deus.*
Quodlibeta quædam,	Lib. 1. *Vtrum Spiritus sanctus distingui.*
Lecturas scholasticas,	Lib. 1.
Sermones & collationes,	Lib. 1.

Præter hæc, nulla uidi unquam ab eo scripta, quamuis plura edidisse dicatur. Claruit anno à diuini uerbi incarnatione 1290, sub Edvuardo primo Anglorum rege, uaria cõponens. Sed ubi demũ obierit mortẽ, nõ reperio.

THOMAS BORSTALE. LVIII.

THomas Borstale, in Nordouolgiæ patria, ut fertur, natus, ordinis Eremitarum diui Augustini scholasticus doctor, ad calamũ iam uenit: uir suorum fratrum iudicio, si quis alius, immortali fama dignus. Nam præterquam quòd per Anglorum gymnasia, in omni disciplinarum genere uersatus tunc fuerit, Parisiorum Lutetiã accesit, ut & eius perlustraret doctrinarum pomaria. Vnde utramq; notitiam, humanam scilicet ac diuinã, tam copiose illic hausit, in ipsa ætate tam barbara, ut & Sorbonicus magister, inter primos sui ordinis sit inibi effectus, atq; ad lecturam theologiæ publicam prælector admissus. Quam in Petri Longobardi sententias, cum fœlicitate quadam consummasse illum, Augustinianorum indicant Chronicà. De graui per illos dies schismate inter hos & Dominicanos, circa eorũ, ut ipsi uocant, scapularia, quòd nullũ esset eorũ nec in colore nec forma discrimen, nihil hic scribo, cum de lana caprina sit talis cõtentio. Sed missa hæc faciens, ad libros ab illo sophisticè quidem, iuxta eius ætatis naturam, editos, tandem uenio. Composuit enim

Lecturam Sententiarum,	Lib. 4.
Ordinarias disceptationes,	Lib. 1.
Quodlibeta scholastica,	Lib. 1.

Et alia plura, quorũ tamen nec ipsos titulos adhuc reperi. Claruit anno à partu uirgineo 1290, sub Edvuardo primo Anglorũ rege, ac uictore longè fortunatissimo. Obijtq; tandem Nordouici, in suo illic cœnobio sepultus.

GREGORIVS DE VVINTONIA. LIX.

GRegorius Cairguent, seu de Vuintonia, Benedictinorum monachorum regulam secundi baptismi loco professus, cucullam & ocreas in Glocestriẽsi cœnobio, anno à Christi incarnatione 1237, iuxta eius sectæ sanctiones induit. In quo porcorum stabulo (sic Franchus Senensis rasorum habitacula uocabat) in omni superstitiõe & crapula per 60 ferè annos, usq; in senectam & senium perseuerauit. Interim res gestas, sed minutulas quidem, quæ de anno in annũ fiebant in suo monasterio & extra, ab anno Domini 680, usque ad annum Domini 1291, inter ocia literaria collegit, iuxta illud Vergilij Maronis,

Et uacet annales nostrorum audire laborum.

Non tamen ea quæ ad Christi religionem, aut ueram Euangelij gloriam pertinent, in eo opere descripsit: sed illa tantum, quæ ad superstitionem & luxum spectant, in ædificijs, prouentibus, ac donis. Vt uerò his finem imponamus, congessit Gregorius,

Annales sui cœnobij, *Lib. 1. Anno incarnationis Domini 681, regni.*

Quod opus 558 annos cõtinet: & de regibus Merciorum primò, postea Anglorum mentionẽ facit, seruato cuiusq; anni ordine. Claruit senex anno post Seruatorem natum 1290, sub Edvuardo prædicto Anglorum rege.

GREGORIVS DE BRIDLINGTONA. LX.

GRegorius de Bridlingtona, eius cœnobij in Eboracensi prouincia Canonicus regularis, suis à me coloribus hic depingendus esset, si sui ordinis historiæ iustam ministrarent materiam. Sed in hac parte hactenus obstitit uel notariorum defectus, uel chronographorum apud eos incuria, qui descriptis ineptijs anilibus, seria ingratè præterierunt. Omissis ergo ad presens quæ ipse tota uita gesserit, siue in bonarum literarum exercitijs, siue in alijs uocationis suæ functionibus, scripta eius ex multis pauca, quæ apud alios authores inuenimus, ut operis nostri argumentum exposcit, libenter apponemus. Composuit ille, ut inter alios harum rerum consarcinatores Bostonus Buriensis in magno suo scriptorum Catalago numerat,

Super Cantica canticorum, *Lib. 1. Quisquis hunc Salomonis librum.*
De arte musices, *Lib. 3. Debitum existimaui meum esse.*
Sermones quoq;, *Lib. 1.*

Commentarios etiam in scripturas Bibliorũ plures edidisse putatur, post lecturas suas publicas, quas tamen nondum uidi. Collegij sui præcentorẽ olim fuisse illum, ex scriptis apparet. Sed quo tempore claruerit, certè non inuenio.

APPENDIX.

De supradicto Ioanne Derlingtono, Matthæus Parisius in 8 Chronicorum suorum libro scribit: quòd cum anno Domini 1256, uocatus ille esset ad regis confeßionem & familiare colloquium, regnum Angliæ patuit Papali discrimini. Hæc enim sunt eius uerba: Quæ probant hypocritas istos, regum ac regnorũ fuisse tunc apud suum Antichristum astutißimos proditores. Ioannes Euerisdenus: Anno Domini 1276, eclipsis lunæ uniuersalis erat, quæ plenam ueræ ecclesiæ desolationem in foribus esse prognosticabat: prosperante in Papis, monachis, episcopis, sacrificulis, rasis & unctis, diaboli synagoga. Anno Domini 1280, luna uersa est in sanguinem. Quod significabat, ecclesiam totam esse sanguinariam factam. Nam sequenti anno (Paulo Aemilio teste) bellum Tarraconense imperio Papæ fit, aduersus Christianos Hispanos, perinde atq; antea aduersus Saracenos, crucisq; insigne acceptum. Quæ alia tunc fiebant per Italiam, Apuliam, Siciliam, Neapolim, & cætera Christianorum regna, cruentißima bella, aut quantus, Papa incensore, cruor effusus, perlongum esset hic recitare.

recitare. Interim tamen impijs pax erat. Nicolaus quartus (inquit Platina) seditiones, quæ tum Romæ subortæ erant, declinãs, Reatæ quosdam Cardinales, ex omni ferè religione creabat. Omnes enim pariter amabat, nec plus se debere affinibus & cognatis, quàm ipsis suis creaturis arbitrabatur. Episcopos, nimirum mitratos, Rom. pontifex pro dilectis filijs, sacerdotes lyripipiatos pro bonis ac fidelibus mancipijs, personatos seu laruatos monachos pro creaturis naturalibus, uniuersitates uerò & diœceses pro officiosissimis ancillis deinceps habebat: præter id, quod Cæsar quandoq; sit senior eius filius, Gallorum rex iunior, & Anglorum rex plerunq; adoptiuus.

Appendix alia.

Ioannes Euerisdenus: Anno Domini 1281, cinerei coloris apparebat luna: quasi præter cineres, ipsa ecclesia suis filijs nihil deinceps tribueret. Hoc postea præstitisse Bonifacium octauum, Platina prodit, dum in solennitate cinerum, quum Euangelij loco plebi cineres daret, in Porcheti Genuensis archiepiscopi oculos cineres furiose conijceret, addens hæc uerba: Memento homo, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerẽ redigeris. In Sudouolgia illis diebus choruscatio prodigiosa, mare uitreum, & aues in aere bellãtes, cum alijs portentis insolitis uidebantur, iuxta eundem Euerisdenum: quæ suis euentibus non carebant. Quoniam, ut Platina scribit in præfato Bonifacio, magnarum calamitatum futurarum indicia fuerunt. Polydorus lib. 17. Anglicæ historiæ: Anno Domini 1291, concilium Londini habebatur. In quo in primis agitatum est, de eiectione Iudæorum, quorum erat per omnem Angliam ingens multitudo, quo sic oues ab hœdis segregarẽtur. Itaq; publico edicto iussum est, ut intra paucos dies omnes abirent cum bonis. Illi iussis cõcilij parentes, alij aliò discesserũt. Ita profuga gens de Anglia in perpetuum exiuit, misera semper aliquo terrarum petitura, usq; eò dum denique deleatur. Hæc ille. Et nunc quia de Iudæis fit mentio, aliqua longius repetam. Anno enim Domini 1264, Iudæi 500 à ciuibus Londinensibus occidebantur, ob execrabilem eorum usuram. Et anno Domini 1278, ob aureorum nummorũ minutiones longo tempore furtiuè per eos factas, 284 Iudæorũ sunt laqueis strangulati, fuitq; monetæ reformatio. Et hæc de Papistis ac Iudæis, Christi proditoribus iniquis, ad præsens sufficiunt.

THOMAS BVNGEY. LXI.

THomas Bungey, Minoritanæ professionis alũnus non minimus, apud Icenos seu Nordouolgios ortus, prope ripas Auonæ fluuij celebris, in emporiolo sui cognominis (ut Lelãdus habet) natus fuit. Maturior annis factus, in Isidis uado, siue Oxonio, studijs incubuit totus: & usque adeò tam que strenuè in philosophia ac theologia profecit, ut ab opere gloriam sibi cõparauerit immortalem. Porrò decimus erat Franciscani in Oxonio collegij prælector, reconditam in Mathesi cognitionem habens. Vnde maiora tentans, quàm simplex literatorum turba rectè expendere aut intelligere facilè potuerit, multa credebatur cacodæmonũ fecisse consilio & infami studio. Adducor (inquit) ut credam, eum in huiusmodi naturalium rerum experiẽtia usum fuisse adprobato Rogeri Baconi iudicio, qui eam magiæ partem libris accuratè scriptis posteritati consecrauit. Erat enim Bungeius, Franciscanorum Angliam incolentium, ut consueto utar uocabulo, prouincialis minister, & edidit prælectionis tempore,

Commentarios Sententiarum,	Lib. 4. Fidem uestram clypeis munire.
De magia naturali,	Lib. 1.
Quæstiones theologicæ,	Lib. 1.

Atque alia, quorum magnificè meminit illustrium Franciscanorum Catalogus. Claruit anno patefactæ gratiæ per Christum 1290, sub Edvuardo Anglorum rege. Alius eiusdẽ cognominis atq; instituti, fert etiam Edvuardi tertij ætate floruisse.

HVGO DE MANCESTRIA. LXII.

HVgo de Mancestria, cum esset per ætatem doctrinæ capax, ut literas ac mores ad uirtutes addisceret, ludos literarios multis in locis frequẽ

tauit. Adolescenti adhuc tantum arridebat Dominicanorum fratrum institutum, ex quotidiana cum eis cōferendi in studijs cōsuetudine, ut in eorum consortium ascribi se permitteret. Adeò tandem apud illos discretione, prudentia, & doctrinæ seueritate profecit, ut (teste Triuetho) magnus in theologia magister, Prędicatorum in Anglia prouincialis, ac regi Edvuardo primo & eius matri Aleonorę, quasi à domestica familiaritate haberetur. Eius nempe ad Philippum Francorum regem cum Guilhelmo Geynesburgo Minorita, nuncius erat, pro recuperandis terris suis in Aquitania fraudulēter ablatis. Scripsit hic demū, præfati regis iussu, aduersus impudentissimū quendam impostorem, maleficijs ac fraudibus instructum, qui pręstigijs eius dementauerat matrem,

De fanaticorum delirijs,	Lib. 1.
Compendium theologiæ;	*Lib. 1.*

Et alia plura. Finxerat enim se impostor ille diabolicus, cæcum: & ad Henrici tertij regis tumbam sanatum se iactitabat, ut regis ac matris fauore lucra ei obuenirent. Claruit Hugo anno incarnati Messię 1294, quo Edvuardi regis obiuerat legationem.

RICARDVS KNAPVVEL. LXIII.

RIcardus Knapvuel, Dominicani methodi obseruator non desidiosus, diu in diuersis Angliæ studijs, sed particularibus quidem, triuialia, quadriuialia, logicalia, & physicalia, uarijs sub præceptorib. auidè hausit. Sacris demum initiatus, & magnorum litigatoriæ theologiæ magistrorum ascriptus numero, eandem facultatem magnificè & cum nimio Papistarum applausu docuit, rerum sophisticarum nimius æstimator. Tam in declamādis ad plebem sermonibus, quàm etiam in disceptationibus scholasticis, impudentem semper, iuxta suum genus, induebat faciem. Et non contentus simplicitate uerborū scripturæ diuinæ, ab Aegyptijs tendiculas quæsiuit, ut incautos cautè deciperet. Ex Aristotele enim hæreticorum patriarcha, uertiginis seu peruersitatis spiritum immisit in multos: unde errores octo ipsi impositi erant à Ioanne Peckamo Minorita, Cantuariēsi archiepiscopo, quos tamē scriptores nō explicāt. Fertur ille, hæc ingenij sui opuscula reliquisse:

Lecturam sententiarum,	Lib. 4.
Aduersus corruptorium Thomæ,	*Lib. 1.*
De unitate formarum,	Lib. 1.
De immediata Dei uisione,	*Lib. 1.*
Quæstiones theologiæ,	Lib. 1.
Conciones uarias,	*Lib. 1.*

Et alia quædam, quæ Bostonus Buriensis & Leander Albertus commemorant, Clapolum & Capuuelum cognominantes. Claruit anno à redemptionis nostræ initio per Christum 1290, sub prædicto Anglorum rege Edvuardo tertio.

IOANNES PECKAM. LXIIII.

IOannes Peckam, in Cicestriensi oriundus diœcesi, Franciscanorū sectæ fraterculus, fit hoc modo ex tenui ac macilenta abyssi locusta, equus ad Antichristi usum ferocissimus. Erat hic primò ex parentū fortunis pauper, sed animo superbus et arrogans: eloquio, incessu, ac gestu pompaticus: sic illum depingit in Chronico Triuethus. Ex assiduo ethnicorum studio sophista subtilissimus, Oxonij à Bongeyo prædicto proximus, lectiones repetiuit, ut eorum uocabulis utar, & Parisijs in Petri Lombardi theologia rexit, Minoritani nominis in Anglia tum demum prouincialis minister. Adeò postmo-

postmodum creuit in noticia utriusque iuris, ut Romæ fieret palatij Sathanici magister (lectorem Palatinū uocant) ore & ingenio sublimis, ac totus, ut scribunt, gloriosus. Tandem pro complendo quodam iniquitatis mysterio, per Nicolaum tertium Rom. pontificem, cassata monachorū electione, designatus fuit archiantistes Cantuariensis, ac totius Angliæ primas, ut pro sua parte impleret, quod Apoc. 9 scriptū est, ac noceret mensibus quinque. In synodis Redingi & Lambeti, clero uniuerso strictissimè imposuit, non Euangelij regni Dei prædicationem, sed statutorum concilij Lugdunensis executionem, atque constitutionum Othonis et Othoboni Romanorum Cardinaliū obseruationem: quibus mirum in modum Polydorus Vergilius statum religionis confirmatum dicit. Sic erat in spiritu eius dolus, & dolos tota die cum suis hypocritis meditabatur impius, ut pro execrabilib. idolis, extingueret gloriam magni Dei deorū in Sion. Composuit interim, ut diuersi authores affirmant,

Commentarios sententiarum,	Lib. 4.
Quæstiones quodlibetales,	Lib. 1. *Inter thesauros sapientiæ & scientiæ.*
Postillā in Cantica canticorum,	Lib. 1. *Dissolueris filia uaga, prouer.*
In Threnos Hieremiæ,	Lib. 1. Tempus plangendi, & tempus psal.
Contra priorem Cisterciensium,	Lib. 1. *Super tribus sceleribus & quatuor.*
Lecturas Oxonienses,	Lib. 1.
De sphæra,	Lib. 1. *Corporum mundanorum principalium.*
Contra insipentem,	Lib. 1. *Perfectus omnis erit, si sit sicut.*
De passione Domini,	Lib. 1. *Pullus aquilæ sanguinem lambit.*
Sermones Dominicales 25.	Lib. 1. *Honestè ambuletis sicut in die.*
Apologiam quādam,	Lib. 1.
Statuta synodalia,	Lib. 1. *Ab exordio nascentis ecclesiæ* Chri.
Constitutiones prouinciales,	Lib. 1. Ne quis per ignoratiam se excuset.
Collectanea Bibliorum,	Lib. 5. *Deum qui te genuit dereliquisti.*
Canticum pauperum,	Lib. 1. Confitebor tibi Domine rex & col.
Officium diuæ Trinitatis,	Lib. 1.
Perspectiuam communem,	Lib. 1. Inter philosophicæ considerationis
Perspectiuam particularem,	Lib. 1. *Perspectiua cum sit una de scien.*
De confessione fratribus facta,	Lib. 1. *Tandem quæ sint fratri de pœniten.*
De perfectione Euangelica,	Lib. 1. *Quis dabit capiti meo aquam.*
Locos ex utroque testamento,	Lib. 1.
De peccatis capitalibus,	Lib. 1. *Quæstio est de peccatis capitalibus.*
De decem præceptis,	Lib. 1. *Duo sunt mandata Dei præcipua.*
Notabilia Metaphysices,	Lib. 1. Vno modo dicitur, quod non habet.
Super symbolo,	Lib. 1. *Credimus sanctam Trinitatem esse.*
De Eucharistia quæstiones,	Lib. 1.
Speculum ecclesiæ de Missa,	Lib. 1. *Dicit Apostolus ad Ephesios 6.*
Speculum animæ,	Lib. 1. Audi Domine, & uide, & inclina.
De ratione diei Dominicæ,	Lib. 1. *Ecce charissime, singulis festis.*
De uanitate rerum mundanarum,	Lib. 1. Non is utique liber inutilis erit.
Tractatum pauperis,	Lib. 1.
Quodlibeta scholastica,	Lib. 1. Vtrum Deus prædestinatum ab æterno.
Super confessionibus fratrum,	Lib. 1. *Nouella quæstio, quæ nobis oblata.*
Dialogum Francisci & Paupertatis.	Lib. 1. *Inter cæteras præclaras & præci.*
Mathematica rudimenta,	Lib. 1. *Scripsi dudum rogatus à socijs.*

Theoricam planetarum, Lib. 1.
Psalterium meditationum Mariæ, Lib. 1. Mente concipio, laudes perscribere.
Quæstiones ordinarias, Lib. 1. Vtrum theologia ex duobus componi.
Apologeticon quoq;, Lib. 1.
Carmina diuersa, Lib. 1.
Hæreseon à se damnatarum, Lib. 1.
Pro Bonauentura Franciscano, Lib. 1.
De mysterijs Minorum, Lib. 1.
De eorum paupertate, Lib. 1.
Postillam super Marcum, Lib. 1.
Itinerarium suum, Lib. 1.
Contra Ricardum Knapuuel, Lib. 1.
Epistolas ad Oxonienses. Lib. 1.
De uanitate seculi, Lib. 1.

Atque adhuc alia. Per Euangelicam perfectionem, Minoritarum mendicationem procacē intellexit. Exactis in episcopatu annis 13, Cantuariæ obijt anno ab incarnato Dei uerbo 1292, sexto idus Ianuarij. & illic fuit solenni pompa sepultus, regnãte in Anglia Edvuardo primo, in prælijs fortunato.

APPENDIX.

Ex Chronico Thomæ Vuyke: *Ricardus Knapuuel, doctor ordinis Prædicatorum, introduxit octo opiniones erroneas, & fidei Christianæ contrarias, anno Domini 1286, ac eas sustinere non erubuit. Quas, eo ad citationem non comparente,* Ioannes Peckam *archiepiscopus Cantuariensis, pro tribunali sedēs, cum suo clero dãnauit. At prouincialis eius ordinis (*Hugo de Mancestria*) se ingerens, allegabat pro illo, quòd nullus haberet in sui ordinis fratres potestatē, nisi Papa solus. Et ad eius sedē appellauit. Nec quicquã poterat deinceps archiepiscopus, qui tamen in regē & episcopos omnia poterat.* Et ex alio ignoti authoris Chronico: *Ricardus Knapuuel, Dominicanus, erronea quædã è suggesto docuit, anno Domini 1286, et citatus non cōparuit. Dicebatq; prouincialis, se atq; suos soli Romano pōtifici subditos esse.* Ioannes Lelandus: *Cum esset* Robertus Kiluuarbius *Dominicanus, à Nicolao 3. Rom. Pontifice, Cardinalis et episcopus Portuensis factus,* Peckanus *eius authoritate, sed uiolenta, Cantijs in archiepiscopum designabatur. poetas ille nō rarò, animi recreandi gratia, in manus sumpsit: & quod maius est, ipse scriptitauit carmina, licet impolita et agrestia. Ociosam atq; hypocriticam fratrum suorum mendicitatem, Euangelicam perfectionē nominabat: & eius impugnationes, nouellas hæreses esse dicebat: ut patet in eius Apologia contra insipientem nouellarum hæresum confictorem. sic pium quendam hominem uocat (*Guidonem Bonatum *fortasse) qui Dei uerbo illam ecclesiæ pestem insectabatur. Mirabiles etiam fecit in ecclesia Anglicana, sub reformationis titulo, mutationes, magnus hic et robustus Antichristi satelles,* Thoma Cantilepo *Herefordensi episcopo, querelam aduersus eum Romam deferente, atq; in uia moriente.* Ioannes Acton & Guilhelmus Lynuuode, *in Commētarijs constitutionum eius prouincialium, capitulo De sanctimonialibus non uiolandis, enormia quædam sacrificulorum facta, & furcis digna producunt.*

THOMAS DE ILLEYA. LXV.

THomas de Illeya, patria Sudouolgius (Hylleyũ dici puto) adolescens adhuc, in Gippesvuicēsi Carmelitarum cœnobio, sese in perpetuã seruitutem, superstitiosis illorum cultibus, parentum suorum cōsensu addixit. *Magna tamen illi semper cura fuit, ipsis fortiter incumbere disciplinis, tanquam melioribus, & quas per illos dies mundus habebat chariores.* Accrescente uerò ætate, in Cantabriensi gymnasio theologicus doctor effectus, utramq; theologiã, scholasticam & interpretatiuã, magnificè profitebatur, Chrysolithus uulgò per illã ætatē, ut Lelãdus habet, dictus. Sed & omnia tunc permixta fuerunt Petri Longobardi spurij sententijs, atq; execrabili-

bus

bus Papæ legibus, quæ alæ locustarũ erant, eas in altũ ferentes. Interim discurrebant, hircis in suo cœlibatu lasciuiores, pinzocheras, beghinas, sororculas, ac moniales undique & cœnobiatim adeuntes: quod futurum prædixit, ac in suis uberrimè defleuit in Ignea sagitta, Nicolaus Gallus, homo certe pijssimus, ut prius dictum est. Tractatus quosdam hic Thomas edidit, quibus ingenij & doctrinæ uires ostendit, uidelicet

Quæstiones theologicæ,	Lib. 1.
In Apocalypsim Ioannis,	Lib. 1. *Apocalypsis, reuelatio dicitur.*
Introductiones ad lecturam,	Lib. 1.
Conciones ad populum,	Lib. 1.

Sed & lectiones in scripturam plures, atq; alia nobis incognita reliquit. Brugis in Flandria Chelmestono adiunctus, ordinariè disputauit ac prælegit, sub Gerardo Bononiensi, ut Gobelinus scribit. Et claruit anno Christi 1290, sub rege Edvuardo primo.

IOANNES ACTON. LXVI.

IOannes Acton, corruptè Athon, uel de Atona dictus, utriusq; iuris doctor, suæ facultatis insignia Oxonij cum splendore tulit. Postea Lincolniensis ecclesiæ canonicus, quæ præceptores antè docuerant, aut quę in publicis scholis prælecta à magistris audiuerat, omnia impiger, prius memoriæ, tunc uerò scriptis, currente calamo commendauit. Sed neque unquam defuit officio, quamdiu ocium ad id, alijs curis uacuum suppetebat. Postea & ipse cathedram ascendens, magna cum laude, nec minore fructu, docere cœpit: quo factum est, ut à multis summè coleretur. Qui ut aliquid tandem memoria dignum præstaret, constitutiones ecclesiasticas Othonis et Othoboni, Cardinalium legatorum, quas circa annum Domini 1268 in Anglorum synodis fecerant, commentarijs illustrauit, atq; edidit

Apparatum in easdem,	Lib. 1. *Ad succidendos palmites pestiferos.*
In statuta Anglicana quoq;,	Lib. 1. *Quoniam domum Dei fortitudo.*

Denique quanquam probabilis sit coniectura, illum multo plura adhuc scripsisse: ego tamen, ut ingenuè fatear, hæc sola uidi. Claruisse uerò fertur anno uirginei partus 1290, sub Eduardo primo Anglorum rege.

MICHAEL MATHEMATICVS. LXVII.

MIchael Mathematicus, proprio cognomine Scotus fuit dictus, sed nõ à regione natali, ut Lelandus noster habet. Nam ille à fide dignis didicisse se affirmat, eum in Dunelmensi ditione genitum & ortum fuisse, ac prima in literis incrementa Dunelmi imbibisse. Maturior annis, Oxonium primò, postea Lutetiam de more petijt, ubi philosophię ac Mathematicis artibus diligentissimam exhibuit operam. Alia deinde multa, pro adipiscendis scientijs *naturalibus, astrologus peritissimus,* peragrabat orbis terrarum loca. Etiam conscendit tandem per gradus, ad ipsa *Theologiæ sacræ fastigia. Vbi nempe Ioannes* Baconthorpius, in tertio Sententiarum, dist. 33. & quæst. 3. de legis iusticia disputat, *istum introducit non leuem authorem,* pro suo confirmando argumento. Vt quod ea iusticia uirtus sit moralis, & ad alias morales uirtutes communis, sicut est *genus ad species.* Et *quia Magiæ naturalis penitiores recessus inuestigauit,* Necromanticus à uulgo creditus est. Comparata autem & doctarum *linguarum cognitione, interpretationi se consecrauit, qua parte* & bonas artes iuuabat. Rogero Bacone non malo teste, in libro de Vtilitate *linguarum. Eximius iste* physicorum motuum, cursusq; siderei indagator, inter cætera ingenij sui monumenta

menta cōposuit, iussu Friderici secundi Imperatoris, cū adhuc iuuenis esset,

Super authorem Sphæræ,	Lib.1. *Sicut dicit Philosophus in principio.*
In Aristotelis Meteora,	Lib.4. Tibi *Stephane depromo hoc opus.*
De constitutione mundi,	Lib. 4. *Maxima cognitio naturæ & scientiæ.*
De anima quoq;,	Lib.1. *Intendit per subtilitatem demonst.*
De cœlo & mundo,	Lib.2.
De generatione & corrupt.	Lib.2.
De substantia orbis,	Lib.1.
De somno & uigilia,	Lib.2.
De sensu & sensato,	Lib.2.
De memoria & reminiscentia,	Lib.2.
Contra Auerroim in Meteora,	Lib.1.
Imagines astronomicas,	Lib.1.
Astrologorum dogmata,	Lib.1.
In Ethica Aristotelis,	Lib.10.
De signis planetarum,	Lib.1.
De Chiromantia,	Lib.1,
De Physiognomia,	Lib.1.
Abbreuiationes Auicennæ,	Lib.1.
De animalibus ad Cæsarem,	Lib.1.

Præter hæc, nihil opusculorum eius uidi, quamuis his longè plura ediderit. Fusius hunc in suis cōmendant scriptis, Ioannes Picus Mirandula, Symphorianus Champerius, Cornelius Agrippa, & alij authores. Claruit senex anno à communis Salutis origine 1290, sub rege Edvuardo primo.

HVGO DE NOVO CASTRO. LXVIII.

HVgo de Nouo castro, Dunelmēsis quoq; ditionis alumnus, eius oppidi Minoritis à parentibus suis traditus fuit, ut unà cum Christianæ uitæ exemplis bonas imbiberet artes. Sed ecce pro uita mors, & pro religione plusquam uanissima, omnium qui unquam fuerunt gentilium, superstitio. Non in sculptilibus solū ligneis ac lapideis, sed in ipsissimis idololatriarum omniū sordidissimis fecibus, Francisci nempe perforatis calceis, chordis, & braccis: quæ parituris statim mulierculis, & alijs sibi ac suo Francisco deuotis peregrinis, contrectanda, exosculanda, atq; summa ueneratione in Antichristi regno colenda, deuotissimè exhiberi solent: præter id quod latet. Vt iuxta dictum Pauli, in scelerum fraude tandem pereant, qui reuelatę à Christo ueritati non crediderunt. Iste tamen in eius Sodomæ medio, aliquid ad salutē sapere uidebatur, ex opere quod scripsit De uictoria Christi,

Contra Antichristum,	Lib.1. *Non sum propheta, nec filius pro.*

An alia adhuc opuscula congesserit, planè nescio. Sed utinā plenè, & non fictè, eam tractasset materiam. Auis tamen rarissima ille fuit, inter tot Stoicas simias & cucullata monstra. His quoq; temporib. claruisse ipsum puto.

THOMAS SVTTON. LXIX.

THomas Sutton (sunt qui Suetonium uocent) Dominici Calagurij sectator non inglorius: multa tulit, fecitq;, sudauit & alsit, ut scientiarū cognitionem paulo subtiliorem adsequeretur. Nec uana quidem messis, tanto respondebat labori: si uera sunt, quemadmodum esse non dubito, quę de eo Leander Albertus Bononiēsis, in libro quarto De uiris illustrib. Prędicatorij ordinis, scribit. Secutus est autem in studijs suis pertinacissimè Thomam Aquinatem, usqueadeò, ut quæ ille callidè, sed subinde obscurè commentatus

mentatus est, hic non rarò lucidiori oratione interpretatus sit. Fuit iste in cõclusionibus scholasticè disputãdis, atq; declamãdis ad plebem sermonibus, nõ infimæ apud suos Anglos opinionis. Parisijs demum, inter diuturnos studiorũ labores, sophisticę theologiæ doctor effectus, post certamina Sorbonicis cõsueta, plura in lucẽ emisit, sed ad ueræ lucis obscurationẽ. Hi enim robusti Antichristianorũ tyrannorum satellites erant, qui sub doctrinæ ac sanctitatis fuco, furores illorum confirmabant, sæuissima Agno inferentes bella. Nihil in uotis hi magis habuerũt, quàm eius abolere leges sanctissimas, & earũ loco Sathanicas traditiones ad fidei plenam exinanitionem inducere. Vnde Suttonus composuit furiosa hæc syntagmata:

Quæstiones difficiles,	Lib.1.
Duo quodlibeta,	Lib.1.
De relatione,	Lib.1.
De unitate formarum,	Lib.1.
Super prædicamenta,	Lib.3.
In sex principia,	Lib.1.
Super priora,	Lib.2.
Super posteriora,	Lib.2.
In Perihermenias,	Lib.2.
Breuiarium theologiæ,	Lib.4.
Concordiam theologorum,	Lib.1.
Summam theologiæ,	Lib.1.
Commentarium psalterij,	Lib.1.
Complementum Thomæ,	Lib.1.
Illustrationes eiusdem,	Lib.1.

Feruntur & alia multa, sed hæc sola apud Bostonum Buriensem & Leandrũ Bononiensem reperi. Claruit anno à Christo redẽptore nato 1290, sub prædicto Anglorum rege Edvuardo primo, uaria sophisticè connectens.

IOANNES RVFVS. LXX.

IOãnes Rufus, aliàs Reade, inter Dominicanæ factionis monachos, qui ad sui nominis gloriam, Prædicatores appellari potius exoptant, continuis profanarum tum literarum tum cæremoniarum exercitijs, totam ferè cõsumpsit ætatem, iactis primùm in Cornubia, solò (ut apparet) natali, studiorum suorum seminibus: alias, amicorum adiutorio, regni partes pro eorum adiuit incremẽto: & quod officiose quærebat, ad frugem obtinuit. Ad calamum hic uenit (ait Lelandus) sed minus expeditè, quàm ego interim optarem. Istud constat (inquit) studiosum fuisse illum, & lectione antiquitatis impendiò delectatum. Vnde ne frustra operam cognitioni rerum dedisse aliquando uideretur, præclara quidem multa, in numerũ sedulus collegit: & collecta tandem, sacrosanctæ posteritatis memoriæ, magna planè cura, nec inferiori diligentia, commendauit, præsertim

De Pontificibus Romanis,	Lib.1.
De imperatoribus quoq;,	Lib.1.
Annales suæ patriæ,	Lib.1.

Atq; alia quædam edidit. Erant hæc Chronica de Cæsaribus & Papis, Ventæ Icenorum, seu Nordouici, compendiosa ac uetusta, in Carmelitarũ bibliotheca. Hæc Lelandus. His etiam temporib. & hunc claruisse coniectura est.

APPENDIX.

Bonifacius octauus Rom. pontifex, ex maleficijs totus conflatus, uocibus simulatis Cœlestinũ

prædecessorem suum perterruit, ut Papatum deponeret, ceu impar tantæ functioni, quam ipse tamē auidißimè postea arripuit. Et intrauit in ecclesiam ut uulpes, imò ut fur & latro, ut in ea lupum ageret, non Christi seruū, & exiret ut canis uel molossus rabidus inter canes & porcos. Ioannes Nauclerus: Iste solicitus erat pro Papatu, non expectans tamē ut uocaretur uelut Aaron: sed nocte quadam cum modica comitiua accessit ad palatium Caroli, offerens ei omne auxilium ecclesiæ, in recuperatione regni Siciliæ, si operam ipse daret, ut eligeretur in Papam. Rex autem hac spe inductus, effecit, ut Cardinales noti, posthabitis alijs, ipsum eligerēt. Quod tandem fecerūt. Matthæus de Vrsinis, et Iacobus de Columna: Qui electus, deceptum Cælestinum, et callidè captū, in carcere mori coegit. Platina: Cardinales uerò prædictos grauißimè postea persequebatur, eos cum amicis et adhærentibus, publico decreto, dignitatibus, officijs, fundis paternis, castellis et oppidis priuans: quod essent Gibellini, ut ipse putabat. Ita ut mallent exiliū pati, & in piratarum incidere manus, quàm sanctißimi illius clementiam experiri. Et assentatores, atq; in his & similibus fautores habebat, Nicolaum Taruisinum Dominicanum, ac Ioannem Murronem Franciscanū, quos & Cardinales tunc fecerat, mira sanctitate famatos hypocritas. Polydorus: Anno Domini 1297, Bonifacius octauus cleri immunitati consulens (inobedientiæ potius illius, qui iubet censum regibus dari) in quodā Concilio interdixit, ne posthac principes sacerdotibus tributa imponerent, néue illi imposita conferrent sine iussu Rom. Pontificis. Id præscriptum extat in libro tertio Sexti Decretalium, cap. 3. Quod & Polydorus non iniquum esse dicit, quamuis Dei præcepto contrarium. postquā uerò Eduuardus Anglorum rex ex Scotiæ bello reuersus, ut par erat, tributum petijsset, populus imperatam pecuniam se soluturum dixit. At sacerdotes responderunt, id sibi facere per Pontificis Rom. præscriptum, minus licere. Quo responso, rex iracundia permotus, bona sacerdotū paßim publicari iußit, qui indictum tributum pendere pernegassent, &c.

Appendix alia.

Ioannes Euerisdenus: Anno Domini 1295, terribilis erat elementorum cōcußio, dum Bonifacius in Papam assumeretur. Anno Domini 1296, Columnēses cardinales et alios Bonifacius ut schismaticos damnauit, ac bonis priuauit: quia dicebant, non Bonifacium, sed Cælestinum, uerum esse Pontificem. Anno Domini 1297, electores Albertum, Austriæ ducem, in Romanorū regem elegerunt, cui imperium Bonifacius postea ter negauit. Nicolaus Triuethus: Anno Domini 1298, Sextum Decretalium Bonifacius edidit, tertio die Martij. Vtrumq; gladium deinceps usurpabat. In generali synodo uetuit, tributa à principibus, sacerdotibus imponi, aut imposita conferri, nisi suo permissu id fieret. Philippum Gallorum regem, suæ arrogantiæ repugnantem, unà cum regno eius, Alberto imperatori subiecit, cuius tamen prius trinam petitionem spreuit. Authoritatem excommunicandi populum bis in anno, Anglorum clero concessit: benedicendi nullam. Matthæus Vuestmonasteriensis: Anno Domini 1299, fratres Minores, ex sua mendicitate diuites facti, infinitam pecuniā Papæ obtulerūt, ut illis permitteret annuos prouentus aut redditus. Sed meritò (inquit) sunt suis frustrati desiderijs. Matthæus Palmerius: Anno Domini 1299, Bonifacius octauus hæresim eorū qui se Fratricellos uocabant, damnauit, & ubiq; persecutus est. Hi enim multa Rom. ecclesiæ statuta damnabant: Christū & Apostolos pauperes fuisse docebant, & Cæsarem non esse Rom. Pontifici subiectum. Sed ut de pijs aliquid hoc loco dicatur, accedit Ioannes Maria Polutianns: Albertus Drepanēsis (inquit in eius uita) ex nobili genere in Sicilia natus, hæreditate pauperibus data, nihil præter unicū Christum sibi reseruans, nimis auarū eum esse sæpißimè dicebat, cui Christus cum suis bonis nō sufficiat unde munus illi à Deo peculiariter cōcessum fuit, ut plures ad Christi fidem conuerterit Iudæos, quàm quisquā alius cōcionator tunc uiuēs. Cōposuit ille homelias, de pijs moribus, de timore Dei, de amore fraterno, de patientia, de mundi contemptu, de fallacijs diaboli, & similibus. Obijtq; tandem quinquagenarius, anno Domini 1292, Messanæ, apud Carmelitas sepultus, de quo Baptista Mantuanus:

Semper à curis animum caducis
Flexit ad uitæ studium beatæ:
Risit humanæ genus omne laudis,
Risit honores.

Peruigil somnos abigens inertes,
Vel pios ibat manus in labores,
Vel reuisebat meditans utrumq;
Lingua uolumen.
Ibat in casus patienter omnes,
Prosperam sortem tulit & sinistram,
Sicut inuicto scopuli marinos
Pectore fluctus.

GVILHELMVS DELAMARE. LXXI.

GVilhelmus Delamare, quem Tritemius Lamarensem cognominat, Minoritanæ factionis artista, & Oxoniensis gymnasij magister non *infimus*, ridiculosa sophistarum somnia sub Christianæ theologiæ titulo in scholis proferre non erubuit. Laborabat iste apud homines ingenio simplices, more suorum sodalium, Euangelij gloriam impijs humanorum operum dogmatibus obscurare, ut eo citius luna, quæ Ecclesiam apud eos designat, sit tota ut sanguis, Apoc. 6: seu carnalis effecta, ne Christi seruatoris possideat regnum. Bonauenturæ cardinalis doctrinam, in multis mendacem, quòd & Franciscanus esset, *præ cæteris omnibus* sublimauit, ut homines ab ea sola, neglecto Aquinate, pro recta, ut ipse putabat, scripturarum intellectione penderent. Ita sæpenumero *inuicem* mordebant locustæ, potestatem habentes scorpionum terræ, Apoc. 9. Et liberum fortasis adhuc erat, eiusdem Aquinatis doctrinã *impugnare*, *ut prius in* Roberto Oxfordio. Scripsit igitur hic noster Guilhelmus,

Super Sententias,	*Lib.* 4.
Quodlibeta sophistica,	*Lib.* 1.
Reprehensorium Thomæ,	*Lib.* 1.
Pro suo Bonauentura,	*Lib.* 1.
Additiones in eundem,	*Lib.* 1.
Lecturas scholasticas,	*Lib.* 1.

Et adhuc alia id genus portenta. Magnus hic erat Thomæ Aquinatis post illius mortem aduersarius, spinosis sui *Scoti* quęstionibus mordicus hærens. Claruit anno à Christi summi pastoris ortu 1290, sub rege Edvuardo primo.

THOMAS VVICKE. LXXII.

THomas Vuycke, aliàs Vuiccius, Oxonij canonicus de Osneye, ex eorum sodalitio quos Augustini Regulares cognominant, à uaria doctrina & morum probitate, famam apud suos non infimam accepit. Porrò liberalium disciplinarum notitiam, ab ipsis incunabulis *egregiè imbiberat, cui* rerum insigniter gestarum *cognitionem* adiungendam esse in animo ducebat. Laudabili ergo in illis omnibus eruditione præditus, ad memorabiliũ sui temporis actorum conseruationem, sua demum cõtulit studia. Et historiam inde perbreuẽ, sed luculentam congesit, ac stylo per eam ætatem polito lucubrauit, de præclarioribus principum & aliorum uirorum illustrium factis, à Guilhelmi Nothi regnorum primordijs, usque ad postremos penè annos serenißimi regis Edvuardi primi: hoc est, ab anno Domini 1066, ad suam usq; senectutem. Hanc historiam, seu potius historiarum annales, inter alia rarißimorum authorum opuscula reperi primùm in Gorlestonensi Augustinianorum fratrum bibliotheca, affixo illi operi hoc titulo,

Chronica compendiosa,	*Lib.* 1. *Anno incarnationis Domini nostri.*
Abbates de Osneye,	*Lib.* 1. *Anno* Domini 1129, *regnante* Henrico *pri.*

Commendationes uini,	Lib.1. *Syncerum mihi dede merum, si uis.*
Increpationem gulæ,	Lib.1. *Prandens in mensa, uentris depo.*

Aliaq; edidit, tam carmine quàm prosa. In abbatũ Catalogo numerant omnes monasterij sui præsides, continua succeßione, descriptis eorũ actis à prima fundatione eiusdem, ad annum usq; Seruatoris nostri 1290, in quo claruit sub dicto Edvuardo.

SIMON DE GAVNT. LXXIII.

SImon de Gaunt, uel Gandauus, Londini natus, sed à Gandauo Flandrorum urbe nobilißima oriundus, unde & paternum genus ex matre Angla, liberalium artium, liberalis & ipse, cultor magnus fuit. Nec tamẽ ita studebat linguarum puritati, ut neruos, uim ac robur naturæ, & reconditæ sapientiæ postponeret: contentus interim doctior quàm eloquẽtior haberi. Aetas autem maturior, illum uirtute ac fortuna comite, principibus ita commendauit, ut mortuo Nicolao Longospathario, circa annum Domini 1297, episcopus Sarisburiensis, per Edvuardum cognomento Longum, Anglorum tunc regem, præficeret. Ex Lelandi libro de Viris illustribus hæc sunt mutuata. Et ut ad scripta ueniamus, edidit inter cætera, ad uirgines Terentinas, Duriæ seu Dorseti cultrices,

De uita solitaria,	Lib.7.
Ad suos sacerdotes,	Lib.1.

Et alia quædam. Paralipomena (inquit Lelandus) Geruasij Dorouernensis historiæ adiuncta, & Chronica Sarisburiensis ecclesiæ, honorificam faciunt de Simone mentionem. Claruit anno Christi 1298, sub rege prædicto.

GVILHELMVS HOTHVN. LXXIIII.

GVilhelmus Hothun, uel Hodon (de Odone, externi authores cognominant) Parisiensis doctor, & Dominicanorũ fratrum in Anglia prouincialis, bis eius gentis curam pluribus annis cum splẽdore geßit. Mißus tandem ab Edvuardo rege legatus ad Bonifacium octauum Rom. pontificem, Christiani orbis pestem, perniciem, & omnium malarum artium monstrum, anno Domini 1298, fit auro currente, Dubliniensis archiepiscopus, et citerioris Hyberniæ primas: ut & eius tyrannidis atq; insatiabilis crumenæ in ea regione peruigilans quæstor adesset. Nam ingentis fuisse spiritus, & acutißimi ingenij, potißimũ qui posset multis artibus sibi conciliare fauores hominum, à suæ sectæ chronographis iactitatur. Ex quo summam eius impudentiam ac supercilium inuerecundum, quum sit cucullatorum genus arrogantißimum, facilè coniectare licet. Vnde superstitiosis cautelis doctrinam spiritus preßit, ne sincera lux Euangelij tunc appareret. Pauca post se reliquit scripta, & illa quidem inutilia sunt ac uana, uidelicet

Glossas Sententiarum,	Lib.4.
Quæstiones super primum,	Lib.1.
De immediata Dei uisione,	Lib.1.
De unitate formarum,	Lib.1.
Lecturas scholasticas,	Lib.1.

Aliorum eius operum titulos non uidi. Apud Diuionem in Burgundia, ex Roma reuersus, uita exceßit, ut Leander habet, anno à Christi incarnatione 1298, eius cadauere Londinũ deportato, Edvuardo primo regnante.

IOANNES DE HYDA. LXXV.

IOannes de Hyda, Vuintoniensis monachus, & eius collegij, quod nouũ cœnobium, ab Alphredo magno Anglorum rege extructũ, ac Hyda dicebatur,

cebatur, Benedictinorum obseruantijs se totum dedidit in eodem. ubi studio quodam discendi literas plane grandi correptus, modis omnibus agebat, ut fructum aliquādo maturū et aptum ex eo colligeret. Agebat etiam, ut ex eo collectum non modò sibi seruaret, uerùm quoq;, quo erat in proximum amore, & cæteris impertiret ac cōmune faceret. Memor interim erat, se non solùm sibi, sed & patriæ quoq;, & utilitati publicæ fuisse natum. Iactis ideo fundamētis studiorum optimis (nam eo meliora iudicanda ueniunt, quòd scripturis & historijs sacris, ad uirtutem inseruiuerint) ad calamum statim se accinxit, & inter cætera multa composuit ad episcopum Vuintoniensem,

Vitam patientis Iobi,	*Lib.1. Venerabili patri & amico speci.*
Homelias quasdam,	*Lib.1.*

Feruntur & alia nonnulla, quorum titulos hucusq; non uidi, neque quo anno claruerit legi. Ex cōiecturis tamē in ista tempora retuli, donec aduenerit, qui propriū eius & tempus & locū ex uetustis authorib. designabit.

ROBERTVS CROVVCHE. LXXVI.

ROBERTUS Crovuche, seu Crucius dictus, chordigeræ sectæ fraterculus, celebris suo seculo, ut Lelandus habet, nō modò eruditionis, sed & religionis quoq; titulo. Fuit iste ad aliquot annos, magister sui ordinis in Anglia supremus, quem Ministrum prouincialem uocant, atq; uulpeculas minores in omni calliditate fratraria, maior & ipse uulpes, nutriuit ac fouit: ut iuxta Psalmographum, In abdito pauperes astutè deciperēt. Et artes ad id, non ex doctore Paulo, qui lucē habet fidei, sed ex Aristotele magistro, qui lumē rationis adfert, impauidus attulit, ut essent pro suo Abaddone Papa, ad omnē impietatis cautelam armati: ut & diuinæ scripturæ uerba, per subtilitates Scoticas, ad eius ambitionē, auaritiam, fastum, luxū ac tyrannidem confirmandā & alendam, artificiose detorquerēt. Vnde pro his suis sectatoribus, non infimus interpres exposuit, ac magistralibus glossulis illustrauit

Petri Lombardi sententias,	*Lib.4.*
Physica Aristotelis,	*Lib.8.*
Ethica eiusdem,	*Lib.10.*
Quæstiones quoq; edidit,	*Lib.1.*

Et hæc sola sunt, quæ solennium Franciscanorum Catalogus indicat: ad Euangelij uerò gloriam, omnino nihil. Claruit anno à nostri Messiæ natiuitate 1300, quo iubileum Iudaicū Papa in Ecclesiam reuocauit, Edvuardo primo regnante.

APPENDIX.

Ioannes Euerisdenus: *Anno Domini 1299, talis fuit terræmotus, qualē nemo tunc uiuens unquā senserat. Et Papa Bonifacius octauus, Reatæ tunc residens, ad fratres Prædicatores fugit.* Ita solebant ueteres tyranni, Gothi, Vuandali, Hunni, Attila, Phocas, Pipinus, *apud monachos latebras quærere, terrorē superni iudicis fugientes, iuxta illud* Apoc 6. *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, et ab ira Agni.* Idem Euerisdenus: *Et sequebatur cometes mirabilis. Eodem anno* Bonifacius *instituit Iubileum plenariæ remissionis, eis qui Apostolorum limina Romæ uisitarent.* Theodorus Bibliander: *Bonifacius cæremoniā Iubilei abolitam aduentu Christi, qui perpetuū annum placabilem & dies salutis attulit, ipse audacter contemptis legibus Apostolicis, reuocauit in ecclesiam. Atq; sequenti anno, in maximo conuentu hominum, qui Romam confluxerant ob insolitam rem Iubilei, primum Pontificio, deinde Imperatorio ornatu se exhibuit, ostentās duos gladios, et uoce altissima proclamans: Ecce duo gladij hic. ut declararet se Pontificem maximum, & Imperatorem supremum, atq; monarchā totius orbis, instructū duobus cornibus, æmulantibus Christi poten*

tiam. Si hoc diabolicum monstrum, urbibus ac regibus formidabile, Antichristus ille magnus non sit, tantā sibi in terris potestatē ambitiose arrogans, nullus unquā futuro expectandus erit. Vnde Albertus Crantzius, cum hæc scriberet, exclamare coactus fuit: Vides ô Petre successorem tuum? Et tu salutifer Christe, tuum cerne uicarium. Vide quò ascendit superbia serui seruorum tuorum. Basilicam D. Petri tintinnabulis æreis exornauit, quorum sonitu, Volaterano teste, nihil dulcius audiri poterat. Vectigalia eiusdem basilicæ longè adauxit. Christianæ multitudinis confluxu ditatus. Agnatos sublimauit, meretrices ditißimas fecit, inquisitiones hæreticæ prauitatis confirmauit. Permutationes beneficiorum, ecclesiasticorum rasuras atque immunitates à iurisdictione seculari, & hæreticorum degradationes, ordinauit, ac Mendicatium fratrum imposturas cōfirmauit. Simulq; edicto constituit, Rom. pontificem à nullo hominum debere iudicari, quamuis innumeras animas exemplis suis peßimis ad inferos detruserit: ut omnia illis impunè perpetrare liceat. Sic Dominus Othomanum excitauit aduersus nos, cum nullus esset superstitionum & malorum finis, Turcarumq; potentia terribilis in Asia esse cœpit.

Theodorus Bibliander: Is est Bonifacius, qui principes uiros è patrijs sedibus iniustè pepulit. De quo Platina domesticus scriptor testatur, quòd maluerit Imperatoribus, regibus, principibus, nationibus, populis, terrorem quàm religionem inijcere, aurum undiq; conquisitum plusquam dici potest sitiens. Albertum enim designatum Romanorum regem ab electoribus principibus, ter contumeliose reiecit, propterea quòd eius ambitioni insaturabili non satisfactum esset. Philippum autem Gallorum regem imperij spe lactauit, quem postea tamen priuata quadam malicia excommunicatum, regno suo priuauit: Albertum prædictum ea lege coronans, ut illum inuaderet. At concordantes tandē principes immanem eius tyrannidem contempserunt. Discordias inter Italiæ respublicas seminauit, & aluit magnopere, per nouas factiones Nigrorum & Alborum. Gallis & Græcis de imperio Constantinopolitano certantibus frigidam suffudit, & oleum camino largè suppeditauit: ut ianua Othomanno prædicto aperiretur, ad instaurandam Turcicam dominationem, quæ Asiam & Europam tum alijs calamitatibus attereret, tum in Mahumetis impiam uesaniam pertraheret. Iuxta Angeli Hierosolymitani prophetiam, in Mantuano:

Præterea quod te superi monuere, Scytharum
Hoc infame genus Turcos tunc temporis ultra
Caucaseos montes positum trans Bosphoron, esse
Venturum excidio Graijs, finesq; aditurum
Ausonios: quod nos hac tempestate dolentes
Vidimus impletum, &c.——

Christianus Massæus: Anno Domini 1301, Bonifacius scripsit Philippo Franco, se esse dominum omnium (nota dictum Pauli, 2. Thes.2, ut intelligas) tam temporalium quàm spiritualium per orbem terrarum. Consequenter & regnum Franciæ à se debere suscipi. Quod quia rex non fecerat, meruisse priuari. Rex autem contemptis legatis, literas ipsorum igni publico tradidit, & uias regni præclusit, ne quis poßet Romam accedere. Concilioq; Parisijs conuocato, Pontificem ipsum, scismaticum, hæreticum, & sedis inuasorem nominans, ad generale Concilium aduersus illū appellauit. Nicolaus Triuethus: Anno Domini 1303, regnum Scotiæ suum esse, Papa per literas, aduersus Eduardum Angliæ regem iactitabat. Eo anno Parisiensis eidem Bonifacio imposuerunt hæreses & homicidia. Sequenti anno rex Gallorum Cistercienses monachos molestabat: & Dominicani suas sorores, Papæ licentia in Gallijs fundabant.

Appendix alia.

Ex Bernardo Lutzenburgo, & alijs scriptoribus: Arnoldus de Villa noua, medicus ac mathematicus summus, quem aliqui Catalanum, alij Gallum Narbonensem fuisse scribūt, hæreticus à papistis iudicatur. Quia dixisset, quòd diabolus totum populum Christianum subdolè fecerit à Christi ueritate deuiare, & quòd fides Christianorum sui temporis non sit alia quàm illa quam dæmones habeāt: Quòd claustrales sint extra charitatem, & damnentur, qui falsificauerint doctrinam Christi, Christianos ad infernum ducentes. Quòd theologi perfidiose adiunxerint philosophorum somnia scripturis

ris sacris. Quòd in sacrificio altaris sacerdos nihil offerat Deo, missas quoque nec uiuis nec mortuis prodesse. In consultationibus etiam Papalibus scientiam non inesse, nisi humanorum operum, ac similia. Ex Daniele quoq; ac Sibylla Erithræa edisserebat, Antichristum plenè post annũ Domini 1300 sæuiturũ in pios, & futuram esse in ecclesia persecutionẽ. Vnde præter naturalia ac medicinalia, scripsit De esu carniũ contra Iacobitas, Gladium iugulantẽ contra Thomistas, Allocutionẽ Christi ad Christianos, De uersutijs pseudotheologorum, De mysterio cimbalorum ecclesiæ, De cõsummatione sæculi, et Prophetiam catholicam. A Dominicanis Tarraconæ hæreseos damnatus fuit. Et missus tandem à Friderico Siciliæ rege ad Pontificem Rom. inter nauigandũ perijt, Genuæ sepultus. Circa annũ Domini 1302, Petrus Caßiodorus, Italus, uir nobilis et Christianè eruditus, monitoriè scripsit ad Anglorum ecclesiam, ne amplius ferant, sed omnino à se reijciãt, Romanorum Pontificum iugum ac tyrannidem. Libellus incipit: Cui comparabo te. Petrus de Aragonia eodem anno docebat, Romanam ecclesiam alteram esse Gomorrham, & à Dominicanis hæreseos damnabatur. Dantes etiam Florentinus suum cõtra Papam præstitit officiũ. Hubertinus de Casali, Minorita, nouas quasdam sub specie reformationis separationes incœpit, et aliter in quibusdã articulis sensit, quàm Rom. ecclesia. Eckardus Teutonicus, Dominicanus, quadam uerborum nouitate, contra theologorum sui temporis consuetudinem, 17 errores introduxit, à Romano Pontifice damnatos. Albertus Patauinus, Augustinianus, multos ab iniquitate ad semitam iustitiæ, sua prædicatione conuertit. Ex Ioanne Tritemio.

RICARDVS MYDDLETON. LXXVII.

Ricardus Myddleton, seu Media uilla dictus, Minoritarũ fratrum professus supererogationis, ut uocant, regulã, Oxonij scholasticis doctrinis impense operam dedit. Ingenio acutißimus erat, & ad omnem fallaciarum cautelam promptißimus: in soluendisq; magistralium altercationum sophisticis dubijs exercitatißimus. Et multũ suo studio profecisset (inquit Lelandus) nisi quæstiones de rebus philosophicis, argutiores quàm utiliores, totas scholas tunc temporis latè occupassent. Cæterùm, neque in Elenchis Aristotelicis, neq; in iure Papistico (quod, sed falso, Canonicũ appellant) ulli habebatur ætate sua secũdus. Fulcitus igitur his Antichristi armis ac stratagemate, grandia quædam, sed minus utilia, atq; utinam non perniciosa, Parisijs iste in conspectu Sorbonicorum rabbinorum, disputauit, docuit & exposuit. Eius etiam censorio iudicio, post Franciscanorum regulæ declarationem, quę tunc à multis impugnabatur, Bonagratia, decimus eorum minister generalis, commisit examinationẽ doctrinę fratris Petri Ioannis: quem ipse cum aßidentibus, hæreticum declarauit, quòd in suis Commentarijs Romanam ecclesiam diaboli synagogam uocasset. Ex quo effossum est eius cadauer, & à Clemẽte pontifice extemplò cõburi iussum. Multa Ricardus opuscula scripsit, scilicet

Lecturam sententiarum,	Lib. 4. *Abscondita produxit in lucem.*
Super dist. Decreti,	Lib. 1. *Patres nostri omnes sub nube.*
De ordine iudiciorum,	Lib. 1.
In quatuor Euangelia,	Lib. 4.
In epistolas Pauli,	Lib. 14.
Quodlibeta theologica,	Lib. 1.
De conceptione Mariæ,	Lib. 1.
In Francisci regulam,	Lib. 1.
Contra Petrum Ioannis,	Lib. 1.
Commentarios imperfectos,	Lib. 1.

Aliasq; lucubrationes & Postillas conflauit, sed titulos earum amisi. Claruit anno à salutifero diuæ Virginis partu 1300, sub rege Edvuardo primo, apud suos tandẽ

non infimo loco sepultus. Istum pro magno authore, Sententiarij ferè omnes huius ætatis habent.

THOMAS SPERMAN. LXXVIII.

THomas Sperman, à teneris annis Dominicanorum fraterculorũ societati, ob ritus eorum Antichristianos impiæ se adiungẽs, & in corruptis eorum perseuerans studijs: inter omnes sui temporis Summistas excellens habebatur. Ingenium erat illi uegetum ac discussum, ut eius sectæ ferunt authores, & ad persuasiones in utramq; partem (execrabiles hominũ feces) uel dialecticas uel sophisticas, apertissimum. Vnde post adeptam scholasticæ theologiæ lauream, ut uocãt, doctoralem, per Anglorum academias & alia studia particularia, doctrinæ suæ reliquias quàm latissimè sparsit. At cuius spiritus interim fuerit, non est è longinquo petendum. Obruerant enim tunc tenebræ malarum doctrinarum uniuersum ferè orbem. Ita quod nullus poterat à purissimo Dei Euangelio legem illam discernere, cuius in Sina tabulas propheta Moses fregit. Atq; utinam non aliquid peius tunc aduenisset. Contexuit ueruntamen Thomas iste, Leandro Bononiensi teste, commentarios non spernendos,

In totam Genesim, Lib.1.
In Paulum ad Hebræos, Lib.1.
In canonicam Iacobi, Lib.1.
Quæstiones disputatas, Lib.1.

Atq; alia id genus non pauca, ut & eius Ordinis *Annales multo adhuc fusius tradunt*. Claruit namq; sub illustrissimo Anglorum rege Edvuardo primo, anno à Christi Iesu natali 1300. Sed ubi obierit, nescitur.

GVILHELMVS LIDLYNGTON. LXXIX.

GVilhelmus Lidlyngton, quem aliqui ex Cantabrigiensi patria prope Reistonũ, alij ex Lyncolniensi natũ dicunt: post studia philosophica, theologici doctoratus fastigiũ Oxonij, Stanfordiensis Carmelita suscepit. Cum insigne nomen ex continua diuini uerbi prædicatione in uulgo obtinuisset, Prouincialis in Anglia suę sectæ pręses quintus cõstituebatur: quatuorq; annis eidem pręfuit curæ. In Narbonensi postea Galliarum synodo, per generalem magistrum, Gerardum Bononiẽsem, ut duplex inde lucrum sequeretur, diuisa fuit eorum in Anglia ditio in duas prouincias, cum multiplicata essent hinc inde cœnobia, anno Domini 1303. Quod huic atq; alijs adhuc decem in ea terra peritis theologis non parũ displicuit. Hi enim fortiter restiterunt eius synodi sanctionibus: publicatis etiam libellis, ad non modicum ecclesiæ scandalum, ac utriusq; partis inquietudinem, Clemente etiam quinto, Rom. pontifice, id tandem ægrè ferente. Vnde post fulminatas excommunicationum sententias, Parisium à prædicto ordinis sui pręside Gerardo uocatus, ad aliorum terrorem, quadriennalem ferè pœnitẽtiam illic egit, exulq; à patria cum quibusdam complicibus tamdiu manebat. Interim uerò Parisijs splendidè se gerebat, in prælectionibus ac disceptationibus publicis. Composuit enim Lidlyngtonus, ut Gobelinus habet in utroque opere,

Contra statutum Narbonense, Lib.1.
In Euangelium Matthæi, Lib.1. *Anima mea conturbauit me.*
Determinationes quasdam, Lib.1.
Lecturas theologiæ, Lib.1.
Sermones ad populum, Lib.1.

Et

Et alia quædam edidit. Pacatis tandem cõtrouersijs, in generali apud Genuam altera synodo, *effectus est terrę sanctę, seu Palęstinę prouincialis, anno Domini 1309,* Edvuardo secundo regnante, ne auaritia domi laborãtes amplius molestaret. In *Angliam tamen post Gerardi fata reuersus,* Stanfordiæ demum sepelitur.

IOANNES FIBERIVS. LXXX.

IOannes Fiberius, seu Castorius, qui etiã uulgo Beuer dicebatur, Vuestmonasteriẽsis collegij monachus eruditus fuit, & historicus ætate sua nõ contemnendus. Huic ab ipsa iuuentute, inter atros Benedicti Nursini milites, non defuit literarum peritia, acri animo & alacri ingenio cõparata. Fulcit sermonis mei ueritatem Lelandus, Brytannicarum antiquitatũ asiduus indagator, qui eius authoritatẽ non nihili facit, tam in Assertione regis Arthuri, *quam etiam in Cygneę cantionis commentario. Huius certè opus es*se crederem, quod Polydorus Vergilius lib. 2. Anglicæ historiæ, codicẽ antiquissimum uocat. *In quo, Vuestmonasterium describẽs, suppresso tamen* authoris nomine, inuenisse se dicit, eius locũ fuisse olim circumdatũ aquis, & Spinarum insulam appellatum. Plura cõposuisse dicitur Fiberius, uir naturali ordine in historijs pollens. *Præcipuè historiam illam insignem, à Bry*ti primi regis introitu in hanc insulam, usq; ad annum Domini 1306, quam intitulauit,

Chronicorum editionem, — *Lib. 1. Aeneas cum Ascanio filio fugiens.*
De rebus Vuestmonasteriensibus, — *Lib. 1.*

Et alia. In quibus non succinctè aut in transcursu, principum & aliorum uirorum illustrium facta narrat, sed largè & cum iudicio quodam, pensatis singulorum uel uirtutibus uel uitijs. Claruit anno à Christi natiuitate prius numerato, Edvuardo primo regnante.

GVILHELMVS MAKLESFELDE. LXXXI.

GVilhelmus Maklesfelde, in Couentriensi diœcesi natus, & apud Dominicanos sodales Aristotelicis fragmẽtis ab ineunte ætate nutritus, ingenio atque impostrice doctrina, nonnihil eorum attulit impostori cœtui. Sophisticen iste longo studio callebat, quæ deceptrix quædam sapientia est, sub falso theologiæ titulo diuinam scientiam adumbrans. Huic accumulauit & decreta Papistica, quibus in eo unà coeuntibus, profundisimũ esse theologum mundus ipsum adiudicauit. Vnde ab eis non solùm est magnificus in Anglia magister effectus, sed & coram purpurato Babylonicæ matris senatu optimus filius apparebat: ita ut illum Nicolaus Taruisinus, ex eodem errore, ordine dixissem, in Papam electus & cõfirmatus, à Bisuntinensi synodo eorum generali redeuntem, atque in itinere mortuum, quarto mense ab eius obitu, diuæ Sabinæ cardinalem creauerit. Magnum certè beneficium, ac decus mortuo cadauere dignum. Sed ecce multis lachrymis lugendum ordini malum. Dum creator ipse sanctisimus, alios eius sectę in Cardinales uerteret, superuenit Abbatissa quædam, illi ualde, ut apparet, olim familiaris: & ficuum obsonio, quod ad id parauerat, cum paucis mensibus regnasset, ipsum è medio Perusij sustulit, ut alteri fortasis amatori locũ senex daret. Reliquerat Guilhelmus suis, dum uixerat, posteris ac fratribus,

Problemata quædam, — *Lib. 1.*
Conclusiones ordinarias, — *Lib. 1.*
Orationes ad clerum, — *Lib. 1.*

Et alia his similia. Cum uerò defunctus esset, Londinũ usq; per longum iter

corpus eius deferebant, cum roseo galero, quod nunquã eius attigit caput: ut & illic super mortuo Rom. senatore, gloriosi Papæ milites insigniter gloriarentur. Hocq; fiebat, anno à Christo nato 1304, sub Edvuardo prædicto.

IOANNES DVNS. LXXXII.

IOannes Duns, Scotus alio cognomine, et doctor subtilis appellatus, mediocri apud Northumbrios loco, in uilla de Emyldun, tribus ab Alnevuico milliarijs distante, natus fuit, ut ex antiquis codicibus Martonensis collegij Lelandus Oxonij passim collegit. Hic postquam Oxonij per aliquot annos in eo collegio socius studuisset, ad patriam denuò reuersus, in Nouo castro Dunelmensis agri oppido insigni, Franciscanis fratribus noua se professione adiunxit. Vnde post lectas Oxonij, ex inito tandem doctoratu, Sententias, Lutetiam uocatus à suis summystis, peregrina sua dogmata, ab Aristotele desumpta, in multarum animarum perniciem sparsit. Nam litigiorũ patriarcha, ut in utranq; partem acutius argueret, subtiliusq; cauillaretur, non nudam ueritatem, quæ mentiri non potest, sed sophisticen, ex serpentis cerebro natam, aduocauit: quæ omnium malorum causa, primos parẽtes in uetito pomo decepit, & ad hæresim perduxit. Hæc Satanæ mendaciorum patris primogenita, totum mundum à principio corrupit, & homines in religione ambiguos ac neutrales fecit: Gentes seduxit, et Israelitas afflixit. Eadem infœlix mater, aduersarium Dei ab initio nutriuit, in cuius hucusq; manu prosperatur dolus, Dan. 8. Hæc est illa quam Paulus uocat sapientiam carnis, & ea per quam diabolus operatur semper iniquitatis suæ mysteriũ. Hanc impudẽtem meretricẽ, portentosus hic artifex, pro summa Dei sapientia, sub theologiæ nomine mundo obtrusit, ut sol ipse, qui Christus est, tanquã saccus cilicinus, Apoc. 6. dubius, obscurus, inglorius, ignotus, & sibijpsi dissimilis, hominib. appareret. Vt hanc Megerã infernalẽ, admirabiliorẽ & acceptiorẽ desipiscẽti redderet mundo, imposturarũ labyrinthos ingenio Dædalino excogitauit, cõtendẽdi formulas nouas uerbis intricatis subtiliter adinuenit, & monstrifica conflictationũ uocabula formauit, ex suppositionibus, obligatorijs, insolubilibus, formalitatibus, modis intrinsecis, hæcceitatibus, atq; alijs sophistarum chimæris. Et stultior est hæc Sententiariorum theologia, ex hoc Centaurorum biformi conflata genere, quàm sunt scripta fabulosa Hesiodi & Orphei theologorum gentilium. Eam tamen obscuritatum & ignorantiarum uoraginem, impenetrabile esse ingenij acumen, talpa cæciores Papicolæ, pro defendendis sui Papæ idololatrijs dijudicant. Ex hac theologia, seu nouo eorũ Euangelio, pro Euangelicis doctoribus emergunt pseudopropheta, sophistæ, impostores, hæretici: & qui contempto coniugio, rasi Sodomitæ sunt, ac fœdissima inferni mancipia. Functus igitur Dunsius draconis officio, eum ex illa fructum discipulis ac sequacibus dedit: cuius pastu, in Dei ignorantia discebant scire bonum & malum. Eamq; scientiam apostatricẽ Dei uerbis addidit, ut mendax inueniretur, Prouerb. 30. imò adulterans ipsa Dei uerba, protulit meras nugas, docens nõ ad gratiam, sed quæstum, ut ex Christi sponsa ecclesia fieret synagoga meretrix. Composuit iste tenebrosus deorum nuncius, in Petri Longobardi Sententias communes, opus bifarium, scilicet

Commentarios Oxonienses, Lib. 4. *Vtrum homini pro statu isto sit.*
Reportationes Parisienses, Lib. 4. *Circa prologum primi Sententiarum.*
Quodlibeta scholastica, Lib. 1. *Cunctæ res difficiles, ait salua.*
In Analitica posteriora, Lib. 2. *Scire autem opinamur unumquodq;.*

In

In Metaphysicam quæstiones,	Lib.12.
De cognitione Dei,	Lib.1. *Quia summa nobis cognitio est.*
De perfectione statuum,	Lib.1. *Status prælatorum præsupponit.*
Sermones de tempore,	Lib.1. *Erunt signa,&c. In hoc Euang.*
Sermones de sanctis,	Lib.1.
Collationes Parisienses,	Lib.1.
Lecturam in Genesim,	Lib.1.
De rerum principio,	Lib.1.
De primo principio,	Lib.1.
Commentarios in Euangelia,	Lib.4.
In epistolas Pauli,	Lib. plures.
Quæstiones uniuersalium,	Lib.1.
Quæstiones Prædicamentorum,	Lib.1.
In Aristotelis Physica,	Lib.8.
In Categorias eiusdem,	Lib.1.
Tetragreumata quædam,	Lib.1.
Commentarios imperfectos,	Lib.1.

Cætera eius scripta nos latent. Demum adiuit Coloniam, ut & illic Papistarum Hercules, de asini umbra certaret: atque ibi in ætate uirili ex apoplexia defunctus est, & apud Minoritas sepultus, anno Christi redemptoris 1308, in Anglia regnante Edvuardo secundo. Istum & alios eius farinæ philosophos, qui obscuritate uerborum sacræ theologiæ ueritatem inuoluerant, negotium perambulans in tenebris, Ioannes Vuicleuus uocare solebat. Eorum uerò interpretũ cum hoc suo antesignano, quotquot sunt, aut fuerunt, nondum potuerunt certum & planum facere Sententiarum magistrum. Poeta uetustus cecinit:

Doctor subtilis, nomen subtilia donant,
Quem uestis uilis, pes nudus, chorda coronant.

APPENDIX.

Huius sunt hæc contra sanam Apostolorum doctrinã, commenta insana: Cæremonialia ueteris legis post Christi paßionem sine peccato obseruari posse: Salutem & spiritum sanctum à Papa esse post Christum: Imaginesq; ea esse ueneratione adorandas, qua illi quos repræsentant: & talia sine numero. Adhuc tamen catholicus est, et Papisticæ ecclesiæ columna. In transubstantiatione uerò, quam in Eucharistiæ sacramento esse dicunt, quum nec scripturis, nec rationibus ueris probari potuisset, totius ecclesiæ consensum pro defensionis clypeo assumere coactus fuit. Ex eius quarto Sententiarum. Et hæc de præfato Dunsio.

His temporibus beneficium orbi Christiano datum fuit, magni Constantini beneficio nõ impar, ut habet Theodorus Bibliander in primo libro Vindicationis Christianismi cõtra sophisticen: Cum Bonifacius octauus (inquit) millesimo circiter anno ab ea ecclesiæ pace, quam Constantinus anno Domini 321, iuxta Eusebium, reparauerat, libertatem illam Christianam penitus oppreßisset, regibus formidabile monstrum. In maxima Christianorum frequentia, primo anno iubilæo, palàm duos gladios, duoq; penes se esse cornua, quæ potestates designãt, ostentauit. Et sanxit Christi aduersarius ille magnus, omni creaturæ necessarium esse ad salutem, subesse Rom. Pontifici. Sed Armachanus, immortali uir gloria dignus, in academia Oxoniensi, &c. Potius hoc tribuendum est Ioanni Baconthorpio, eius præceptori, qui in academia tam Parisiensi quàm Oxoniensi, Christianæ fidei, doctrinæ, & ecclesiæ, anno à Christi natiuitate 1321, qui à prædicto Constantinianæ libertatis anno millesimus est, palàm se uindicem atq; assertorẽ potẽter exhibuit, dum suum in Sentẽtias commẽtarium, ac de Christi dominio librum, eo anno scriberet. Nam Thomas Vualdenus, tom.1. lib.2. artic.3. contra Vuicleuistas, hæc de illo scribit: Ioannes Baconthorpius Carmelita (inquit) & post eum Ricar

dus Armachanus, habent, quòd sacerdotale fastigium, regnorum monarchis succumbere debeat. Et alibi, in eodem tom. lib. & artic. Ricardus Armachanus in opinione de Christi dominio, regno, ac sacerdotio, Ioannem Baconthorpium sequitur, &c. Is ergo est, qui accendit ignem illum, non ex Patricij purgatorio petitum (ut doctissimus Bibliander scribit) sed ex tabernaculo Domini, quem Christus misit in terram, uoluitq; ut arderet. Ab eo enim tempore nunquam defuerunt pij in Anglia, & fortes uiri, ut erant prædictus Armachanus, Ioannes Vuicleuus, Ioannes Oldecastelius, Thomas Ocleuus, ac nostris diebus Tyndalus Barnesus, Rogerus, Cranmerus, Ridlæus, Latimerus, & similes, qui lampadem cœlestem ueluti per manus tradentes, hãc nobis Euangelij optatissimam lucẽ, et Christi notitiam pepererunt. Baconthorpium uerò Baptista Mantuanus hoc tetrasticho celebrat:

Iste tenebrosi damnat uestigia Scoti,
Et per sacra nouis it documenta uijs.
Hunc habeant quibus est sapientia grata, redundat
Istius in sacris fontibus omne sophos.

Appendix alia.

Anno Domini 1306, Eremita quidam Anglus, in ecclesia Paulina Londini disserebat, ea non esse sacramenta à Christo instituta, quorum tunc usus in ecclesia fuit. Et eius Eremitæ mentionem facit Ioannes Baconthorpius, in 4. Senten. Dist. 2. quæst. 1. Paulus Aemilius: Eodem anno, sedes Papalis cum curia Romana, Auenionem est translata, ubi annos 74 constitit. Et Iudæi à Francorũ rege spoliati, è Gallia sunt pulsi. Nicolaus Triuethus: Philippus Francorum rex, à Clemente 5. Rom. pontifice his diebus petijt, ut Bonifacij 8. ossa comburerentur, quòd hæreticus esset. Quod tamen negatum fuit. Clerus Angliæ conquerebatur eodẽ tempore, super oppressionibus prædicti Clemẽtis, sibi tunc illatis. Christianus Massæus: Anno Domini 1307, iussu eiusdem Francorũ regis, & Clementis pontificis, 13 die mensis octobris, subitò capti sunt Templarij, quotquot in regno inueniri potuerũt, quòd dicerentur ad paganismũ defecisse: quorum multi combusti fuerunt, propter eorum diuitias. Ex chronico Caletensi: Ordo de pœnitentia Iesu Christi, fuit eodem anno interdictus: qui habebat dono regis Anglorum, in urbe Londinensi, synagogam Iudæorum. Thomas Ecklestonus: Fratres de pœnitentia Iesu Christi, Petrus Teukesbury, Minoritarum in Anglia minister, recepit, et in capitulo Londinensi commẽdauit. Hi ortum habuerunt in prouincia, tempore concilij Lugdunensis, per quendam nouitium qui fuit expulsus. Idem Thomas: Fratres de ordine martyrum, tertio anno administrationis eiusdem Petri, in Angliam uenerunt. Quorum fundator erat quidam Martinus, qui fuerat Parisijs quasi fatuus nobilium Alemaniæ. Ioannes Clyn, Hybernus: Anno Domini 1309, Sarabitæ, ex Aegyptiorum monachis orti, in Anglia primùm pullulare cœperunt. Hi porcorum ac boum pellibus induti, & succincti funibus, palmarum spinas ad calcanea portantes, angelicam faciem simulabant, sed in corde lupum fouebant. Ex chronico Caletensi: Anno Domini 1310, Ordo Paulinorum Angliam intrabat, Colcestriæ locatus. Anno Domini 1357, Trinitarij, seu fratres de redemptione captiuorũ, qui etiam uocantur Ordo de Ingham, in Angliam primùm uenerunt.

ROBERTVS VVALSYNGHAM. LXXXIII.

Robertus Vualsyngham, formata utcunq; literis iuuentute, Nordouicensium Carmelitarum cœnobium ac sectam petijt, cõsuetudines, cæremonias, atq; inania illorum studia mox cumulatissimè complexus. Tandiu postea scholasticis exercitijs Oxonij dabat operam, donec instructissimus pro Papæ regno interpres euaserit,, ac summus celeberrimusq; earum facultatũ professor haberetur. Ioannem Baconthorpiũ inter alios multos, auditorẽ ac discipulum habebat, admirandæ tunc eruditionis & ingenij iuuenẽ. Ex cuius Sentẽtijs, Quodlibetis, & Ordinarijs quæstionibus, creberrimas ille allegationes adducit in suis etiam scriptis: de cognitione hominis respectu Dei, de ideis Platonicis, de actu liberi arbitrij, de personæ uocabulo, de uerbo in diuinis, ac similibus, Magistrum eum uenerabilẽ appellans. In summisq; delicijs habet, subtilissimas eius soluere rationes. In quarto Sen-

to Sententiarum, papisticos sacerdotes à reliquo populo distinguit, iuxta decretum Bonifacij secundi: ut sint per Pontificis characterẽ, non per ministerium uerbi, Christianæ multitudinis duces: utq; impleatur illud Apoc. 11. Exterius atrium templi, foris exclude, neq; id metire: quippe datum extraneis est, qui sanctam urbem conculcabunt. Et illud eius dictum pro magna confirmandæ sacerdotalis unctionis authoritate, assumit Thomas Vualdenus, in Opere suo de Sacramẽtis. In quodam libro Quodlibetorũ eius peruetusto, hoc reperi scriptum: Iste Robertus aduersus Alexandrum de Hales, Gerardum Bononiensem, Aegidium Romanum, Ioannem Duns, Simonem de Feuersham, Henricum de Gandauo, Thomam Sutton, Robertum Covuton, Ricardum Conyngton, & alios adhuc ætatis suæ doctores scholasticos, determinauit publicè per impugnationes subtilissimas, &c. docendo & disputando. sic magnam sibi apud Anglos comparabat ille famam. & hæc scripsit in magnis uoluminibus, scilicet

Elucidationes Sententiarum,	Lib. 4. *Verbum dulce multiplicat amicos.*
Quæstiones ordinarias,	Lib. 1. *Vtrum respectus uestigialis formæ.*
Alias quæstiones ordinarias,	Lib. 1. *Vtrum ens, uerum, & cætera nomina.*
Quæstiones solennes,	Lib. 1. *Vtrum in diuinis persona producens.*
Quæstiones uespereales 12.	Lib. 1. *Vtrum Christus per suum intellectum.*
Determinationes Scripturæ,	Lib. 1. *Ego sum uia, ueritas, & uita.*
Quodlibeta maiora,	Lib. 1. *Quæstio in ecclesia olim fuit, utrum.*
Quodlibeta minora,	Lib. 1. *In ista quæstione de quolibet, quæ.*
Super Ecclesiasticum,	Lib. 1. *Sicut dicit Augustinus, libello de.*
Contra Gerardum de Bononia,	Lib. 1.
Conciones ad uulgum,	Lib. 1.

Et alia multa nobis incognita. Guilhelmi Lidlyngtoni præsidis sui prouincialis, aduersus præfatum Gerardum generalem, hic fortiter atq; animose olim tuebatur causam: ut produnt Gobelinus Alemanus, ac Ioannes Lelandus. In Nordouicensi cœnobio tandem ab hac luce migrauit, anno Salutis nostræ 1310, in Ianuario, sub Edvuardo secundo Anglorum rege.

IOANNES VVILTON. LXXXIIII.

IOannes Vuilton, professione Augustinianus, iuuenis olim spectatæ indolis, per Anglorum gymnasia tam philosophiæ quàm theologiæ operam dabat, certè pro ætate hac sua nõ inutilẽ. Comparato tandem uiatico, Parisium peruenit, ubi multa in diuersis scientijs expeditissimè didicit: quæ & in cõmentariolos, memoriæ suæ gratia, lucido quodam ordine redegit. Et cum facultatis (ut uocant) sacræ effectus esset magister, lecturis atque cõcionibus formandis totus incubuit, & successus in illis fœlices orbi commonstrauit. Vnde captata occasione, ex eius non solùm doctrina, uerùm etiam acutè arguendi experiẽtia, Ioannes Baconthorpius in primo & secundo Sententiarum, insigniter ipsum collaudat, illius authoritate in multis rationibus usus. Composuit uerò Parisijs & in Anglia Vuiltonus,

Lecturam Sententiarum,	Lib. 4.
Sermones hyemales,	Lib. 1. *Sicut in die honestè ambulemus.*
Sermones per quadragesimam,	Lib. 1. *Memor esto unde excideris, Apoc.*
Sermones æstiuales,	Lib. 1. *Quæ sursum sunt quærite, non quæ.*
Sermones de sanctis,	Lib. 1. *Simili pœna afflictus est seruus.*
In priora Aristotelis	Lib. 2.
In posteriora quoq;,	Lib. 2.

In Ethica eiusdem, Lib.10.
Determinationes in theologia, Lib.1.
Quæstiones & lecturas, Lib.1.

Feruntur & alia ab eo scripta, dum esset Oxonij prælector publicus, ut habet Catalogus theologorum eius ordinis. Claruit anno à Domini Seruatoris natiuitate 1310, Edvuardo secundo in Anglia regnante, & in quodam ordinis sui cœnobio sepelitur.

GVALTERVS VVYNTERBVRNE. LXXXV.

GValterus Vuynterburne, in Sarisburiensi patria natus, Aristotelicarũ doctrinarum heluo, magnus in theologia magister, & Edvuardi primi Anglorum regis confessor (ut uocant) in Dominicanorum tumenti familia consenuit. Mox ut mortuum luxissent patres, prædictũ Guilhelmum Maklesfeldium, apud Benedictum suum, eius nominis undecimũ Papam, multis pecunijs egerunt, ut hic uenerabilis eorũ doctor, illius in officio succederet. Speciosum certè, imò splẽdidum ualde, excelsis & turgidis illorum tunc animis uidebatur, Cardinalitiũ diadema à suis rabbinis geri, eosq; propterea à magnis principibus salutari. Sexto igitur mense, ante prædicti Pontificis ex ficuum sorbitiuncula necem, ad emptam multo auro dignitatem uenit: non modica pompa D. Sabinæ Cardinalis etiam presbyter effectus. Quod tamen ingentis superbiæ fastigium, ad quindecim menses, morte intercedente, uix tenuit. Chartis hic plura commisisse ab historicis dicitur, ut ab auida posteritate legerentur: sed hos solos eorum titulos hausisse licuit, uidelicet,

Summam theologiæ, Lib.3.
De peccato originali, Lib.1.
Quæstiones theologiæ, Lib.1.
Sermones coram rege, Lib.1.

Et alia eiusdem farinæ. Cum post Clementis 5 electionem, uersus Gallias transiret, apud Genuam in septembri, uita excessit, anno Christi 1305. Sed inde Londinum translatum est eius cadauer, ut super eo & illic coram mundo sublimiter gloriarentur.

RANVLPHVS LOCKESLEY. LXXXVI.

RAnulphus Lockesley, literarum ab adolescentia studiosus, inter Franciscanos qui Isidis uadum, seu Oxonium incolebant, celebris erat, tum philosophiæ tum theologiæ calculo: ut Lelandus apertè demonstrat. Tantorũ igitur (inquit) in studijs laborum, præmia accepit dignissima: relatus uidelicet demum in classem theologorum supremam. Tum ille ut nouæ dignitati uideretur bellè respondere, post lectiones quas in ipsis theologorũ scholis publicas habebat, Aristotelis ac Longobardi, præscripta consuetudine, libros commentarijs donauit, ac sui ordinis proceribus examinanda commisit. Quid præterea in alijs negotijs fecerit, nullibi apud harum rerum authores inuenio. Scripsit enim, ut ad libri mei scopũ me tandem conuertã,

Lecturam Sententiarum, Lib.4.
De paupertate Euangelica, Lib.1.
Super Aristotelis philosophia, Lib. plures.

Atq; alia nobis ignota. Claruit anno diuini Verbi incarnati 1310, sub Edvuardo post conquestum eius nominis secundo. Et hic nota, quòd iste ac sui similes fratrum scriptores, per Euangelicam paupertatem, mendicitatẽ eorum ociosam semper intelligant.

NICOLAVS STANFORDE. LXXXVII.

NIcolaus Stanforde, uir planè dignisſimus illuſtris ſcriptoris titulo, ut etiam præfatus Lelandus habet: qui diuinæ ſcripturæ maieſtati meritò aſſurgens, ſtudiũ omne ſuum in ea rectè collocauit. Sed negligētia priorum temporum, obſcuram eius famam huic noſtro reliquit ſeculo: Quo nomine (inquit) profectò indoleo, utpote deſtitutus in cauſa honeſta, præſenti præſidio. In quibuſdam tamen Bernardinorum, ſeu Ciſtercienſiũ monachorum bibliothecis, ſpectantibus ſe obtulerunt quædam eius ſcripta erudita. Hinc eius nomen celebre admodum apud illos fuit, & tanto magis, quòd ipſorum ſectæ fortaſsis profeſſor olim extiterit. Vtq; tum demũ commemorem, quæ ſuæ poſteritati opuſcula dederit, compoſuiſſe inter cætera multa dicitur,

Moralitates in Geneſim, Lib.1.
Conciones aliquot, Lib.1.

Aliorum eius operum titulos non uidi. Inter legendum (inquit Lelandus) admirabar profectò, hominē eius ætatis tam argutè, tam ſolidè, tamq; ſignificanter potuiſſe ſcribere. Vnde mihi coniectura eſt, illum his claruiſſe temporibus.

GVILHELMVS VVHETLEY. LXXXVIII.

GVilhelmus Vuhetley, aliàs Boetianus à Lelando cognominatus, uir in humanis literis per eam ætatem eruditus, ſcholæq; Oxonienſis cultor eximius, in omni genere liberalium artium ſtrenuè ſe exercuit. Erant eo ſeculo, quemadmodum & hoc quidem noſtro, Boetij Manlij Seuerini lucubrationes in æſtimatione magna. Quare operæprecium ei uiſum eſt, illius opera, quæ tunc habebantur in uſu, commentarijs ſuis in pubis gratiam illuſtrare. Inter eruditos igitur niſi eum collocarem, ingratum me planè literatorum chorus omnis, & non immeritò, appellaret. Erat nimirum frequens illi cum eruditis eius tempeſtatis hominibus, dum eſſet tandē rector eccleſiæ de Yathisbery, conſuetudo. Qui, ut dictum eſt, ſcripſit commentarios

In Boetium de Conſolatione, Lib.5. *Philoſophiæ ſeruias, ut inde contingat.*
De diſciplina ſcholarium, Lib.1. *Hominum natura multipliciter eſt.*
Super diuiſiones eiuſdem, Lib.1.
Epiſtolas ad diuerſos, Lib.1. *Reuerendo uiro ac domino Henrico.*

Feruntur & alia, quæ non uidi. At nunc (inquit Lelandus) eloquentia fœcunda in eam execreuit magnitudinem, ut qualiacunq; ſint opera quæ edidit, modò blattas & tineas paſcant. In iſta tempora & hunc referendum puto.

APPENDIX.

Scala Chronicorum: Anno Domini 1310, Robertus Vuinchelſea, Cantuarienſis archiepiſcopus, Templariorum hæreſes ac ſcelera, Clemētis quinti Rom. pontificis iuſſu examinabat, aduocatis ex omni regni parte teſtibus multis. Qui anno ſequenti in Viennenſi concilio generali damnati erant in conſiſtorio publico, & exuſti. Horum conſtantiam quære apud Sabellicum. Ioannes Baconthorpius, in quarto Sententiarum: Beguuina quædam, quæ libellum quendam aduerſus clerum ediderat, prope Pariſium combuſta fuit, cum quodam conuerſo, qui à fide (ut dicunt) apoſtataſſet. Ex Ioanne Nauclero et alijs: Anno Domini 1313, Henricus ſeptimus Romanorum Imperator, uerſus Apuliam iter arripiens, in aſſumptionis Mariæ feſto, poſt orationes et ieiunia, Euchariſtiæ ſacramentũ ſumere deſiderabat. Vnde quidam Dominicanus, Bernardus de monte Politiano, eius ex Guelphorum conſpiratione confeſſor, præmijs ac policitationibus ſubornatus, intoxicatam hoſtiam optimo principi dabat, uertens calicem uitæ (inquiunt) in calicem mortis. Mox ut Imperator ſenſit adeſſe (hoc nouo miraculo) mortem, ſceleſtiſsimo illi monacho dixiſſe fertur: Domine, recedatis. Nam ſi percipiant

piant Teutonici & nostri deuoti, malum quod nobis fecistis, morte miserabili moriemini. Qui Senas recedens, aurum, quod erat ei in mercedem impietatis promissum extemplò accepit. Sed hoc confratres suos non liberauit. Nam multi eorum in Thuscia & Longobardia atq; alijs locis, unà cum domibus, igne & gladio perierunt. Superante autem morbo Cæsar eo in loco è uita migrauit, in medio rerum cursu: & corpus eius magno suorum luctu Pisas est relatũ, ac in tumba argentea super quatuor columnis fixa sepultum.

THOMAS IOYCE. LXXXIX.

Thomas Ioyce, alij Iorsium cognominant, audaculæ Dominicanorũ familiæ doctor, per uniuersam Angliam & Cambriam prouincialis præses, eandẽ cum arrogantia non modica 7 rexit annis. Audiens ille post Gualteri Vuinterburni Cardinalis obitum, Clementem quintum Rom. pontificem esse Lugduni, illuc statim pecunijs onustus, properanter accessit, ut in demortui sodalis succederet locum. Ambitiosi (inquit Lelandus) fraterculi tunc erant, & mundanæ gloriæ, ut apparet, cæteris hominibus paulo appetentiores. Peruenit itaq; celeriter ad Pontificis curiã, secundo mense à Gualteri morte: ac persoluto precio, tertius ex illa factione Sabinensis Cardinalis est anno Domini 1305 factus, decimooctauo calẽdas Ianuarij, in ieiunijs quatuor temporũ. Ab eo die intrepidus Antichristi miles, rostris (ut aiunt) & unguibus, iniustissimas quasdam defendebat ambitiosi Pontificis erga Romanos, causas. Et eo citius ac libetius hos & Franciscanos, numerato numismate promouebat tunc Pontifex: quòd illos sciret cęteris sophistis subtilius dementare posse prouinciarum principes, atq; ex auditis eorum cõfessionibus suas facere creaturas. Hæc barbara scripta reliquit hic Thomas,

Commentarios Sententiarum,	Lib.4.
Postillam in Psalterium,	Lib.1.
Sermones per annum,	Lib.1.

Et *alia quædã*. Claruit anno à Seruatore nato 1310, sub rege Edvuardo secundo. Sex fratres, ex uno & eodem utero natos, habebat, quos omnes horum Ammonitarum Molocho Dominico obtulerunt parentes. Ad Oxonium tandem est eius delatum corpus, & apud Dominicanos sepultum.

GVALTERVS IOYCE. XC.

GValterus Ioyce, ab alijs Iorsius dictus, Prædicatorij seu Dominicani nominis etiam theologus, ac prædicti Cardinalis Thomę frater: quęsiuit per inania sophistarum dogmata in clero & ipse regnare ad tempus. Et uenit bene nummatus, citato gradu, ad prædictum pontificem Clementem quintum, Pictauij eo tempore commorantẽ: ut super beneficij ex pauperum spolijs ditissimi, & magnæ metropolis precio cum illo conueniret. Apertisq; thesauris nõ suis, obtulit ei munera preciosa auri & argenti, quæ in torpenti ocio, absque manuum suarum labore, insigni fallacia cumulauerat. Quibus tantã in eius oculis inuenit gratiam, ut anno Christi 1306, Armachanus archiepiscopus & totius Hybernię primas sit declaratus. Prodijt inde ex latebris uulpinis, in omnem circumquaq; regionem illam, ut Christi mactaret oues, atq; Antichristo pararet plebem imperfectam. Hasq; interim dedit Papisticæ negociationis feces,

Promptuarium theologiæ,	Lib.3.
De peccatis in genere,	Lib.1.
Quæstiones uarias,	Lib.1.

Atque alia. Claruit eo nati Seruatoris anno, quo eius frater, uidelicet 1310, sub Edvuardo secũdo. Tam politici ac prudentes œconomi isti erant in sua

rum

rum fraudulentiarum dispensatione, ut sub obscuro mendicationis titulo attrahere sibi maximorum regnorum dominia sciuerint.

GVILHELMVS GAYNESBVRG. XCI.

GVilhelmus Gaynesburg, ad honorem pictorum Francisci uulnerum, funiger factus, in ueste, ut uocant, grisea, fenestratos calceos Seraphicus histrio portauit. Liberalibus artibus ex cōmuni Aristotele competenter instructus, ad palæstricæ theologiæ studia se cōuertit, cœpitq; statim e loquijs sanctorum sanctissimi Papæ inhærere. Oxonij uicesimusquintus suæ sectæ prælector erat, ac Romæ tandem Satanici, dixissem sacri palatij lector, ut Thomas Ecklestonus habet: famamq; à literis, ingenio, & acumine sophistico cōparabat. Edvuardi primi Anglorū regis cū Hugone Mancestrio Dominicano, legatus olim fuit, ad Philippum Francorum regem, super reficiendis Aquitanicæ prouinciæ damnis. Et quia hanc in concionib. ac scholasticis congressibus defendebat doctrinā, Papam nō posse errare, neq; à quoquam esse iudicandum, licet mille Christianorum animas ad orcum detruserit, effectus est à Bonifacio octauo, execrabilissimo Romanæ sedis monstro, Vuigorniensis episcopus, anno Domini 1301. Scripsit ex sua Battologia Cyclopicus miles, iuxta Lelandum,

Quæstiones subtiles,	Lib.1.
Disceptationes quasdam,	Lib.1.
Sermones ad utrumq; statum,	Lib.1.

Alia eius scripta nos latent, sed dispendio planè nullo: cum è medio tollendæ sint hæ Papistarum sordes, ceu nocētissima scandala. Claruit ex Franciscano prodigiosus pontifex, anno ab incarnato Dei filio 1310, sub Edvuardo secundo Anglorum rege.

ROBERTVS BASTON. XCII.

ROBertus Baston ex illustri quadam familia natus, in comitatu Eboracensi non procul à Notyngamio primæuam duxit originē. Hunc rhetorem ac poetam Oxonij laureatum, è Scardeburgensi Carmelitarum cœnobio, cui tunc præfuerat in orientali Brigantum littore, secum accepit rex Edvuardus primus in Scotiam iturus, anno Domini 1304, ut in futura Striuelinēsis castri fortissimi obsidione, insigniter gesta describeret. De quo sic habet Hector Boethius in libro 14 Scotorum historiæ: Adduxerat rex Edvuardus (inquit) Carmelitani ordinis monachum quempiam, qui carmine herico destructionē Scotiæ, Anglorumq; uictoriā caneret. Et sequitur: Neq; hoc quidē silentio prætereundū est. Cū in Scotorū manus sequēti anno uiuus uenisset Carmelitanus ille, iussu Roberti Brusij tormētis coactus, stylo conuerso Scotorum uictoriam alteram posteritati prodidit, carmine quidē barbaro, sed illi seculo haudquaquā cōtemnendo. Similia etiam narrant Ioannes Maior in quinto suorum Chronicorū libro, cap.3, ac Ioannes Bellenden in Scotica translatione. Composuit igitur Bastonus, principum impulsu, poeta incultus & agrestis,

De Striuelinensi obsidione,	Lib.1. *De planctu cudo metrum cum carmine.*
De altero Scotorū bello,	Lib.1. *Me cordis angustia cogit mira fari.*
De Scotiæ guerris uarijs,	Lib.1. *Ludere ualentibus, ludo paro lyram.*
De uarijs mundi statibus,	Lib.1. *Totum regnat seculum, Papæ potestas.*
De sacerdotum luxurijs,	Lib.1. *Scribere decreui, quia ludum fingere.*
Contra Artistas,	Lib.1. *Meum est propositum, gentis imperitæ.*
De diuite & Lazaro,	Lib.1. *Paupertate melior est argenti mar.*

Epistolas ad diuersos, Lib.1. Venerabili patrum cœtui, frater.
Sermones synodales, Lib.1.
Poemata & rhythmos, Lib.1.
Tragœdias uulgares, Lib.1.

Et alia plura. Ab isto testimonium cæpit Nicolaus Triuethus, quòd rex Edvuardus in prædicta obsidione, miraculose mortis periculum euaserit, iaculo feriente corporis eius uestem. Claruit anno Salutis humanę 1310, sub Edvuardo secundo, & Notingamiæ demum sepelitur, Philippo eius fratre succedente.

PAPAE, VEL ANTICHRISTI ROMANI.

137. Ioãnes uicesimus tertius, natione Gallus, patre Arnoldo de Ossa, Iacobus Caturcēsis antea nominatus, Cardinalis episcopus Portuensis, post bienniј spacium, quo sedes ob 23 Cardinaliũ altercationes uacasset, Lugduni Papa renunciabatur. Inde uerò Auenionem cum curia profectus, octo Cardinales creauit: quorum de numero fuere Iacobus Caturcensis iunior, eius ex sorore nepos, & Ioannes Caietanus è gente Vrsina. Hugonem Geraldũ Caturcensem episcopum, Pontificalibus insigniјs priuatum ac degradatum, curiæ seculari cruciandum, excoriandum & exurendum, donec expiraret, tradidit: quod in eius personam (ut dicebant) coniurasset. Ecclesiam Tolosanam, quam unicè dilexit, ad archiepiscopatum transtulit: cuius castella sex in urbes erexit, ut haberet quibus dignitate præesset. Diœceses quoq; archiepiscopatui Narbonensi adscripsit, Limosam, & abbatiam S. Pontiј. Adeò præterea rebus nouis Pontifex ille studuit, ut & simplices episcopatus bifariam diuiserit, ac diuisos in unum redegerit, atq; abbatias in episcopatus, & episcopatus in abbatias uicißim transtulerit. Nouas etiam dignitates, & noua collegia in ecclesiјs constituit, ac prius constituta in aliam formam transtulit. Clementinarum editionem confirmauit, & publicandam gymnasiorum doctoribus ac magistris mandauit. Ordinem Grandimontensem (desidiosorum monachorum) additis quibusdã constitutionibus reformauit, et Cæsaraugustanam ecclesiam in metropolim sublimauit, aßignatis ei quinq; cathedralibus templis, ex undecim quæ Terraconensi subessent.

Militum inanium, seu ociosorum nebulonum nouam sectam in Lusitania instituit, quæ & Christi militia subdolè dicebatur, ut Saracenis (ceu dicunt) resisterent: ac Templariorum bona, annuente Alphonso Portugaliæ rege illis delegauit, quo liberius illi militiæ uacarent. Duos Thomas in Papisticos sanctos retulit: unum Herefordensem episcopum Anglum, & alterum Aquinatem Dominicanum: atq; unum tertium, Ludouicum episcopum Tolosanum, Caroli quondam Siciliæ regis filium, Minoritam, à Nicolao quarto prius admissum, illis addidit. Ordinauit, ut ter in die tintinnabula pulsarentur, quo populus in uestigio genua flectens, salutationem angelicam D. uirgini idololatricè recitaret. Creatis deinde in secunda ordinatione septem Cardinalibus, eos declarauit pertinaces hæreticos, qui affirmarent Christum et Apostolos nihil habuisse propriј. Misitq; diplomata ad Academias publicas, ne scholastici ea de re disputare auderēt. Damnauit præterea Petri cuiusdam Franciscani glossulam, qui ad Christi paupertatem imitandam quosdam animauerat: quorũ de numero multi damnati & exusti sunt. Habita insuper ordinatione tertia, decem Cardinales creauit: inter quos fuere Ioannes Columna, & Matthæus de gente Vrsina Dominicanus. Carmelitas assumpsit in ius & proprietatē S. Petri, ab omni ordinariorũ dominio, ut soli sanctißimo subiciantur tanquã filiј dilectißimi: pluresq; eorum episcopos fecit, Guidonem Perpinianum, Ioannē Claranũ, Catalanos, atq; aliarum nationũ alios. Nam mirabilē ante Papatum (authore diabolo) uisionē habebat, ut in bulla testatur: quòd Maria uirgo, in magna Cardinaliũ cōtentione, ab aduersariјs illũ liberaret, ac Papam faceret: hac tamē seruata pactione, ut hos suos fratres à purgatorio seruaret immunes. Vide Appendices.

Docuit errores quosdam Ioannes, præsertim animas corpore exutas, Deum non uidere ante extremum diem. Sic enim (teste Massæo) pater suus docuerat, seductus uisionibus Tundali cuiusdam Hyberni. Misitq; Parisium duos, alterum Dominicanũ, alterum Franciscanum, qui eandem hæresim prædicarent. Sed Pontifici restiterunt Thomas Vualleys Dominicanus Anglus, quem Papa in carcerem misit; Durandus de S. Porciano, Guilhelmus Calethus, & aliј. Pro suo arbitrio ecclesiarum

ordines correxit, at inuertit: et collegia scribarum Apostolorum numero distinxit, qui accepto pre cio, literas à se destinatas conscriberent. Multas constitutiones, quæ Ioanninæ dicuntur, fecit: & Io annem de Poliaco theologum damnauit, quia docebat, fratribus Mendicantibus non esse confitendum: monachas tamen, quas Beginas uocant (Auentino teste) ad coniugia compulit, & picturas detestabatur. Pro solidis articulis etiam tenebat, quòd Christus aliam pietatis regulam Apostolis nõ dedisset, quàm cæteris Christianis: quòd Apostoli uotum paupertatis nunquam uouerunt, & quòd uota nihil faciant ad perfectionem. Ioannes Mandeuilla lib. 1. cap. 7. refert, hunc Papam prolixè scripsisse ad Græcos, unicam tantum esse Christianã ecclesiam, seq; eius esse caput, ac Christi uicarium. Cui Græci breuiter respondebant: Potentiam tuam summam erga tuos subditos, firmiter credimus: superbiam tuam summam tolerare non possumus, auaritiam satiare non ualemus. Diabolus tecum, quia Dominus nobiscũ. Quo Laconismo seu breuiloquio, totam rationẽ et statum Papæ indicabant.

Ludouicum Bauarum, imperatorem optimum, ecclesiæ rebellem, schismaticum & hæreticum, hic Papa declarauit, quòd à principibus electus, administrationem imperij suscepisset, nullo sibi præstito subiectionis iuramento. Accedit Hieronymi Marij de Ludouico testimonium: Ioannes (inquit) Ludouicum Bauarum acerrimo odio prosecutus est, tum quia à Germaniæ principibus in regem Romanorum electus, nomen ac titulum Imperatorium (ut Clemens quintus decreuerat) de manu Pontificis accipere dedignabatur: tum quoq;, quoniam monachos quosdam, quos tanquam hæreticos ipse damnauerat, aduersus illum defendebat. Ideo Ioannes Ludouicum hæreticum asseruit. Ludouicus in Italiã ueniens, uicarios singulis Imperij ciuitatibus, ut par erat, imposuit, ac Mediolanum uenit. Cumq; Pontificis rabiem delinire optaret, ad illum qui Auenioni in Gallia tum sedem habebat, oratores misit, qui Imperialia insignia peterent sibi more maiorum benignè ac amico animo conferri. Pontifex nõ modò id facere recusabat, sed & oratores summa cum ignominia repulit: Imperatoremq; ipsum peremptoriè (ut dicunt) citabat, ut Auenionem ueniret, ac statutis ecclesiæ se subijceret. Imperator Pontificiam in ecclesia tyrannidem agnoscens, seq; à Deo Imperatoriam maiestatem habuisse sciens, eãdem pariter sanctam ac inuiolatam seruare studebat. Ideo nec Pontificibus se tanquam seruum subijcere uolebat. Ideo Auenionem petere denegabat. Pacis tamẽ cum esset auidus, rursus per nuncios obsecrabat, ut imperialia signa ei benignè cõferrentur. Pontifex in sua perstabat sententia: Vicecomites, quibus tum imperator Mediolani dominium permittebat, in Ludouici odium excommunicabat.

Imperator cum Pharaonis cor induratum conspiceret, Romam, multis secum adscitis Italorũ principibus, peruenit, ac honorificè ab uniuerso populo est susceptus: imperialiaq; insignia pro more sibi concedi petijt. Romanorum proceres ac totus populus, oratores ad Ioannem in Galliam mittebant, eumq; obsecrabant supplices, ut urbem suam inuisere uellet, ac regi Romanorũ imperialia insignia conferre. Quod si ipse hoc facere renueret, se antiquam populi Romani legem ac iura seruaturos asserebant. Ioannes, oratoribus auditis, summa cum ignominia, terroribus ac minis eos à se repulit. Quæ uidens populus Romanus, decreuit optimo Ludouico concedere quod petebat. Et ita à senatoribus Stephano & Nicolao, iussu totius cleri ac populi, cum coniuge unà coronatus fuit, omnibus nobilibus qui astabant acclamantibus, Ludouicum Augustum, Romanorum Imperatorem. Quid quæso hactenus Ludouicus egit, quòd optimum ac magnanimum Imperatorem non deceret? Attamen Ioannes hoc audiens, eum læsæ maiestatis reum ac hæreticum incusabat, durißimos processus contra illum publicabat, imperiali dignitate deijciebat, regno priuabat, excommunicatione crudelißima, tanquam ecclesiæ Rom. rebellem atq; hæresiarcham cõdemnabat. Hæc Marius. Aliamq; rationem non habebat, qua suam potestatem, fictumq; ac furtiuum ius suum defenderet, quàm ementita execrationum fulmina. Sed quidam erant his diebus tam theologi quàm iuristæ, qui docebant Christum & Apostolos nihil habuisse proprij, & Imperatorem non esse in temporalibus Papæ subiectum. Ex horũ numero fuerunt Michael Cæsenus et Guilhelmus Ockã Minoritæ, Marsilius Paduanus et Ioannes de Iandunо iurisperiti, cũ alijs multis. Per hos Ludouicus Imperator ita cõfortatus est, ut Papæ se conatibus uiriliter opponeret, tali appellatione in omnes imperij fines publicata. Literæ Ludouici.

Nos Ludouicus Romanorum rex, proponimus aduersus Ioannẽ, qui se dicit esse Papã, quòd Christi testamentum de pace malè exequitur, publicam Christianitatis pacem perturbans. Nec reminisci

tur à sancto Constantino, id quicquid nunc habet honoris, latitanti Syluestro permissum: malè gratus Romano imperio, unde desumpsit omnem quo nunc abutitur splendorem, &c.

Cum ergo Ludouicus ac Romani proceres, iniqua Ioannis facta optimè cognoscerent, populusq; Romanus à maiori ad minimum usq; ægrè ferret, quòd ab eo oratores quos miserant, ita delusi essent, unà omnes conueniebant, ut antiquus mos in eligendo Pontifice in ecclesiam inueheretur: ut uidelicet à populo Rom. electus, ab Imperatore ipso confirmationem acciperet. Ideo Petrus quidam Corbariensis, Minorita, in Rom. Pontificē creabatur, ac Nicolaus quintus dicebatur: Ioannem uerò hæreticum, atq; ecclesiæ tyrannum, & non pastorem, publicæq; Christianorum pacis perturbatorem declarabant. hæc quoq; omnia Imperator, ac Rom. concilij proceres, ecclesiæ catholicæ submittebāt. Hæc Marius. Interim Ioannes anno Domini 1335, & ætatis 90, Auenione uitæ finem accepit, in cathedrali ecclesia insigni funeris pompa sepultus. Tantum iste in thesauris reliquit, quantum nullus ante eum Pontifex unquam Romanus: aurearum scilicet drachmarum 205000. Huic Papæ, Carolus Gallorum rex, decimas de suis ecclesijs primus permisit, ut quæstus eius particeps fieret. Bulla reuocationis huius Ioannis, super animarum fœlicitate ante diem iudicij, habetur in Petri Præmonstratensis chronico. Interrogatus aliquando, quid foret à ueritate remotius? respondit: Vulgi sententia. Nam quicquid laudat (inquit) uituperio dignū est: quicquid cogitat, uanum: quicquid loquitur, falsum: quod improbat, bonum est: quod approbat, malum: & quicquid extollit, infame. Sed nō uidebat, quod ab iniquis pastoribus ac sacrificulis hæc hausissent.

138. Benedictus duodecimus, patria Tolosanus, professione Cisterciensis (Carmelitam Paleonydorus facit) frater Iacobus de Furno antea uocatus, S. Priscæ presbyter Cardinalis, sextodecimo die post Ioannis mortem, Auenione Papalem sedem ascendit. Hic nil (inquit prædictus Marius) Ioanne benignior in Ludouicum extitit. Execrationes innouabat, illum honore regio spoliabat, ac ducatu Bauariæ sententijs priuabat. Optimus Ludouicus (uidete eius bonitatem ac prudentiā) Germaniam petijt. Omnes electores, duces, episcopos, comites, humanæ diuinæq; sapientiæ doctissimos quosq; conuocabat. Et coram omnibus acclamatione publica ac solenni, nouas confirmationes antiquis legibus addidit & corroborauit: ingenueq; demonstrauit, quòd electores Imperij, et præter hos nemo, regem Romanorum eligere debent. Ita ut cui plura accedant principum suffragia, is uerus censeatur electus, siue Rex siue Imperator: cum in essentia idem sint, licet nomina diuersa cernantur. Qui Imperator possit sine Romanæ sedis confirmatione, imperij iura exercere & administrare: quiq; mox post principum insinuationem, à Pontifice inungi debeat, si legitimè sit electus. Quòd si recusset Pontifex, possit à quocunq; catholico antistite proclamari Imperator et Augustus, ut iam diu fieri solebat. Cum maximè inunctiones istæ, solennitates tantum quædam sint adinuentitiæ, à Pontificib. excogitatæ, nomina tantum, & non res concedentes: in signum defensionis ac unionis ecclesiæ & imperij Romani. Non enim sacramētum fidelitatis imperator Pontifici tribuit, sed fidei defensionis: quandoquidem hoc iusiurandum, nullam in temporalibus maioritatem operatur.

Præterea bonus Imperator falsissimum esse ostendit, per uacationem imperij ius ad Papam deuolui: idq; esse contra sacri imperij libertatem, dignitatem, iura ac maiestatem. Sed longa & approbata consuetudine, inconcusse à maiorum ordinatione hactenus obseruata, uacante imperio, administrandi imperij iura, feuda conferendi, & negotia cætera disponendi, Palatino Rheni deberi, non obstāte Clementina. Deinde in sui excusationem coram omnibus rationem fidei suæ clarissimè ac sanctissimè protulit, planeq; confessus est, se Christianum hominem, articulos fidei integrè credere, sicut in ecclesia catholica docebantur. Et de omnibus quæ illi à Ioanne 23, & à Benedicto 12 objiciebantur, se optimè purgauit. Quis non admiretur, Ludouici ita à Pontificibus uexati pietatem? Quid, si armis negotium cum Pontifice transigere uoluisset? At quoniam Christianam fidem ac pietatem induerat, Christiani pariter & cuiusuis humani sanguinis effusionem detestabatur, huius optimi Ludouici bonitas tandem, & à Benedicto Pontifice cognita est. Nam cum inter Benedictum & Philippū Galliæ regem simultas quædam esset orta, pax inita est statim inter Pontificem et Cæsarem: Pontifexq; tanto erga Imperatorem amore deuinctus fuit, ut eum aduersus oratores regis Galliæ, qui grauissimè semper in ipsum Imperatorem inuehebantur, defenderet, ac eius innocentiam intrepidè tutaretur.

Quamobrem

Quamobrem factum fuit, ut Pontifex hæretici protector, ab ipsis oratoribus ignominiose appellaretur. Quorum uerba, etsi Benedictus aliquandiu non parum pertimuisset (nam illi maxima bella indicebant, si Imperatorem absolueret) tamen illum demum absoluit. Et in tota Germania publico decreto publicari iussit, processus omnes quotquot à Ioanne contra Imperatorem facti fuerant, nullos esse: nec decuisse Ioannem contra illum talia attentare, cum Pontificis & Imperatoris iurisdictiones distinctæ sint. Et apertè testatus est, Ludouicum in omnibus se gessisse, quemadmodum strenuum ac Christianum Imperatorem decebat. Sciendum tamen, Pontificem nihil horũ ex animo, sed arte, in Ludouici fauorem fecisse. Nam cum uideret regem Galliæ, in cuius ditione ac regno morabatur, simultate quadam secum agere: ueritus est, ne si Imperatorem hostem haberet, nullum ei superesse auxilium, si Galliæ rex in illum aliquid moliri uoluisset. Hac igitur ex causa Benedictus, è re sua esse arbitratus est, si Imperatorem sui beneuolum redderet: sperans ita futurum esse, ut nihil contra ipsum tentare auderet. Hæ sunt artes, quibus pontifices Romani tyrannidem suam in Dei ecclesia fouerunt, ac fouent. Hæc sunt arma, quibus inferorum portæ aduersus Pontifices præualent. Hæc Marius. Sed ad instituta redeamus. Benedictus sententias prædecessorum suorum in Ludouicum confirmauit: in Imperialibus Italiæ oppidis uicarios constituit, & senatorum munus Romæ ab Imperatore ad se traxit. Rem omnem ad Apostolicæ pœnitentiariæ curam pertinentem excogitauit, taxationes literarũ ordine constituens, & diuitias ingentes ex omnibus nationibus collegit.

Omnium episcopatuum, prælaturarum ac beneficiorum collationes, sibi et successoribus primus usurpauit, & indoctos à sacerdotijs repulit. Plures monachorum sectas reformauit, multasq; ordinationes ac decretales fecit. Vt omnes eius capellani canonicas horas cum nota celebrarent, ac in uno dormitorio cubarent, constituit: nec haberent alios redditus, quàm ad mensæ uictum & uestitum. Auenione pontificias ædes, & quidem celebres, cum turribus & pomœrijs ædificauit: & Francisci Petrarchæ sororem pulcherrimam, ab eius fratre Gerhardo, senex adulter, muneribus magnis ad usum improbum emit. Presbyteros Cardinales sex ordinauit, & ecclesiæ beati Petri tectum absens magnis impensis restituit. Theologus inexorabilis, Pontificem habere consanguineos negabat: & acta quædam, Leandro teste, contra Dominicanos edidit. Ecclesiæ, non animarum, sed auri uim multam reliquit: ac meretrices plures aluit. Dum Zotum pictorem peritissimum, pro pingendis martyrum historijs, in nouis suis ædibus conduceret, anno Domini 1342 febre correptus, mox perijt, et Auenione sepelitur. De quo tale metrum scribitur:

Iste fuit uerò laicis mors, uipera clero:
    Deuius à uero, turba repleta mero.

Eius erant hæ sententiæ: Talis esto filius, quales cognatos habere cupis. Malus mortem, bonus magis uitiũ formidat. Quæsita legendo, serua: quæ nescis, legendo disce. Aeque turpe est carere amicis, atq; eos sæpe mutare. Regi turpius est uinci beneficijs, quàm armis.

139. Clemens sextus, patria Lemouicensis, professione Benedictinus, Petrus Rogerius antea nuncupatus, & abbas Fiscanensis ex Rhotomagensi archiepiscopo, Auenione pontifex Benedicto surrogatus fuit. Hic sua factione supra modum Romanum turbauit Imperium. Episcopos enim omnes, & principes, cum Imperatore Ludouico Bauaro sentientes (Nauclero teste) excommunicauit. In contumeliam eius creabat uicecomites, Imperij uicarios: & ille uicissim Ludouicus in ecclesiæ ditione, Imperij uicarios posuit. Hieronymus Marius in Eusebio captiuo, Clementis uiolentiam sic describit: Clemens sextus (inquit) homo mulierum, honoris ac potentiæ cupidissimus, diabolico furore percitus, literas scriptas foribus templorum affixit, quibus Imperatori grauissimarum pœnarum supplicium comminabatur, nisi infra triduum suis satisfaceret cupiditatibus, & ab occupatione iurium Imperij abstineret. Mira istius inclementis Clementis crudelitas. Imperator Francfordium uenit: & paratus omnia sibi iniuncta pro uirili facere, per oratores petijt, ut illi ueniam daret, illumq; in sui gratiam reciperet. At pontifex oratoribus dicebat, se nunquam Ludouico ueniam daturum, nisi prius omnes errores ac hæreses confiteretur, & Imperium deponeret, & se atq; filios suos & bona omnia in manus ac uoluntatem ipsius reponeret: polliceretur q; se nihil horum rursus suscepturum, nisi ex ipsius Pontificis gratia. Et horum omnium formulam quandam scripto oratoribus tradidit: quamq; ut Ludouico

offerrent, mandauit. Vbi hic pastoris forma? Vbi patris aspectus? Vbi sanctitatis specimen? Bonus Imperator, ne qua fortè orirentur bella, aut cædes, si non se subijceret, formulam Pontificis accepit, eaq; inspecta, Christiano sanguini consuluit. Hunc enim plurimum effundendum conspiciebat, si in sententia perstitisset. Ideo illam non tantum sigillo corroborabat, sed & iuramento se omnia seruaturum esse pollicebatur.

Quod dum Pontifex audiuisset, admodum miratus est. Sed num Ludouicum in gratiam suam recepit? Num illi aliquod beneuoli animi signum ostendit? Audite quomodo res se habuerit. Ludouicus formulam illam principibus, electoribus, ac oratoribus ciuitatum Imperij demonstrauit. Principes articulos quosdam, quoniam in perniciem ac destructionem Imperij à Pontifice concepti fuerant, detestati sunt: Imperatoriq; firmum auxilium & assistentiam polliciti sunt, si iura imperij, ut antè fecerat, defensare uellet. Per oratores Clementem rogarũt, ut ab eis articulis, in læsionem sacri Imperij excogitatis, abstineret. Et nihil præterea aut agentes aut petentes, oratores discesserunt. Clemens uerò horum omniũ causam in Ludouicum transferens, eius ac filiorum exterminium unà meditabatur. In cœna Domini crudelissimè illum execrabatur, Ioannis pontificis processus omnes durissimos innouabat, hæreticum ac schismaticum declarabat. Principes electores admonebat, ut alium eligerent Imperatorem. Archiepiscopum Moguntinensem dignitate, ac eligendi authoritate priuauit, eo quòd, cum Imperatoris innocentiam cognosceret, sacram eius maiestatem uiolare nolebat. Cæteri uerò electores, ingenti pecuniarum largitione corrupti à Ioanne Bohemorũ rege, Carolum ipsius filium, regem Romanorum decernebant: quem Clemens inclemens paulo pòst in publico consistorio approbauit. At quis horrida bella enarrare posset, quæ ex Clementis huius beatissimi in imperium admisso scelere orta sunt? uiginti milibus Gallorum per Eduuardum Anglum prostratis, & Ioanne Caroli patre cum multis nobilibus occiso. Ludouicus autem, dum Pontificis processus adhuc curaret, imperij administratione relicta, ex Clementis insidijs, uenenum bibit, ex quo atque corporis collisione mortuus est. Hæc Marius.

Hinc agnoscant populi, quàm omnibus bonis detestandam tyrannidẽ, Pontifices Romani in Christi ecclesia exerceant. Optimos Imperatores iniusto anathemate feriunt: eos Imperiali maiestate omnibus bonis, omnibusq; liberis, quæ omnia à Deo ipso acceperunt, expoliant. Electores imperij authoritate sua priuãt, aliosq;, quicunq; illis placuerint, substituũt. Imperatores, inuitis omnibus imperij principibus ac ciuitatibus, eligunt: seditionum ac bellorum semina serunt, ut Christianus sanguis ferro exhauriatur optant ac moliuntur. Si ferro id præstare nõ possint, ut id contingat lethalibus potionibus procurant. Imperium ipsum deniq; ad eam deduxerunt calamitatem, in qua hodie adhuc iacet. Is enim Carolus, quem ipsi inuitis omnibus Imperij ordinibus imperatorem crearunt, ut filium sibi successorem pararet, Electores adeò magnis pollicitationibus ac largitionibus corrupit, ut publica imperij uectigalia illis oppignerarit, quæ & hodie retinent: atq; ideo Romanum imperium sese attollere non potest. Nam tum Electores Carolum iureiurando coegerunt, ne pignora unquam reuocare posset. unde tandem factum est, ut imperio prostrato, Turca ecclesias Christi inuaserit, earũq; plurimas destruxerit: parumq; absit, ne ubiq; per totam Europam ferro, ac miserrimo Mahumetici dogmatis iugo debacchetur. Resipiscẽt'ne aliquãdo Christiani principes, ut summum ecclesiæ Christi hostẽ ac tyrannum agnoscant? Quomodo Solymanum Otthomanum à Christi ecclesia arcebunt, si domesticum hunc Turcam non arcent? Nunquam sanè. Is namq;, cum inter principes Christianos discordias ac bella serere & fouere omni studio, pollicitationibus, largitionibus, proditionibus, uarijsq; dolis contendat, in causa est, tum ut ipse semper aliquot principum amicitiam seruans, tyrannidẽ suam tanquam diuinum quoddam numen præseruet: tum ut Christiani principes semper inter se dissidentes, nunquam aduersus Turcam cõuenire possint. Quis igitur non, cum tales uideat esse Pontifices, dicere audeat, contra eos inferorum portas non præualere?

Hic Papa Clemens, ad quinquagesimum annum, auri gratia Iubileum reduxit: et absens anno Domini 1350, Romæ celebrauit. Et erant quotidie infra dictum annum (ut Præmonstratensis narrat) quinq; millia peregrinorum, intrantium & exeuntium Romam, ut bene poterant computari. Duodecim Cardinales diuersis temporibus constituit, ex quibus plures erant monachi, nepotes, atq; affini

tate

tate sibi coniuncti: & Petrũ à Casa Carmelitã, patriarcham Hierosolymitanũ fecit: ac Petrum Beretum eiusdem professionis, Vasionensem episcopum. Palatium Auenione pro media parte ampliauit, consistoriumq; magnum ædificauit, & tyrannides in Italia per ignobiles excitauit. Iuonem presbyterum canonizauit, ac Flagellatorum sectam diplomate damnauit. Episcopo Bambergensi potestatem dedit absoluendi eos qui Ludouico adhæserant, sed his conditionibus: primò, ut sibi iurarẽt fidelitatem, tanquã Dei uicario: secundò, ut crederent Imperatorem non habere ius constituendi Papam, aut deponendi: tertiò, ut neminem agnoscerent regem uel Cæsarem, non confirmatum à Papa. Dum familiares demũ ac domestici prandiũ adijssent, relicto ei solo cubiculario, apostemate tactus, anno Domini 1352 subitò corruit atq; expirauit.

EX BVLLA HVIVS CLEMENTIS SVPER anno Iubileo.

Quicunq; peregrinandi causa ad sanctam ciuitatem (Romã, malorũ omnium sentinam, intelligit) accedere proposuerit, illa die qua de hospitio suo uiam arripere uoluerit, eligere possit confessorẽ seu confessores, & in uia et in locis alijs quibuscunq;. Quibus quidem confessoribus authoritate nostra concedimus plenam potestatem, absoluendi omnes casus Papales, acsi persona nostra ibi esset. Item concedimus, quòd si uerè confessus in uia moriatur, quòd ab omnibus peccatis suis sit immunis penitus et absolutus. Et nihilominus (nota scelestissimum Antichristum) prorsus mandamus angelis paradisi, quatinus animam à purgatorio penitus absolutam, in paradisi gloriam introducant, etc. Atq; in alia Bulla: Nolumus (inquit) quòd pœna inferni sibi aliquatenus infligatur: cõcedens insuper cruce signatis, ad eorum uota, tres aut quatuor animas, quas uellent, è purgatorio posse eripere. Quam erroneam intolerabilemq; temeritatem atq; hæresim, tunc Parisiensis schola palàm detestata est, atq; corripuit. Sed fortassis pœnitens hodie, quòd non hyperbolicum illũ Clementis zelum pio aliquo cõmento interpretati sunt, ut res ualeret potius quàm periret, cum propter eorum affirmare uel negare nihil mutatur in re. Centum millia pauperum clericorum circa Auenionem eo anno ex pluribus nationibus erant, pro impetrandis indulgentijs. Et fortassis ut lucri gratia confessores essent, ac diabolicis his laqueis simplicium hominum conscientias domi miserabiliter captiuarent.

140. Innocentius sextus, natione Gallus, patria etiam Lemouicensis, Stephanus antea uocatus, utriusq; iuris doctor, ex aduocato Claromõtanus episcopus, & ex Cardinale Hostiẽsi ac summo pœnitẽtiario Pontifex factus fuit. Erat ille uir uitæ Papalis, iurisconsultissimus, superciliosus, pertinax, seuerus, & qui ecclesiastica beneficia precium persoluentibus liberaliter dedit. Post initum Papatũ reseruationes quasdam à Clemente prædecessore factas, ad futurum respiciens commodum, prudẽter suspendit: constituitq; statim, ut prælati, quotquot habebant beneficia, ad suas ecclesias proficiscerentur, non ut Euangelium rectè prædicarent, sed ut Papistica ludibria extollerẽt, ac retinerent, & fructus earum in ocio & ad luxum colligerent. Dicebat enim, oues pascuas à proprio pastore (tonsore, aut corrasore potius) non à mercenario custodiri debere. Impensam quoq; domesticam, quæ magna erat, parcus & auarus imminuit: familiã suam ad certum, adhuc tamen non satis honestum (uide Petrarcham) redigens numerum. Nec domi uoluit, nisi suis affectibus & commodis seruientes, habere: & ut idem facerent carnales (Cardinales dixissem) acerrimo edicto mandauit: dictitans, suam atq; omnium ecclesiasticorum uitam cæteris exemplo esse debere: ita ut ad suum (nõ Christi seruatoris, qui Papalem curiam non tenuit) exemplum, plebs Christiana respiceret. Præterea uerò Papalis palatij auditoribus (magnis certè nebulonibus) salaria cõstituit, ne suis faucibus quicquam surriperẽt. In uictu parcus erat (scriptores inquiũt) sed in sumptu bellico largissimus, dum ablata repeteret spolia. Aegidium Hispanum, è gente Carilla, cardinalem Sabinum è latere suo, in Italiam misit, qui bello fur fures persequeretur, ditionesq; ecclesiasticas insigni tyrannide partas, tutiores illi redderet.

Per Petrum Thomam Aquitanum, Carmelitam, huius Pontificis legatum, Bononia in eius potestatem uenit: qui & illuc, ut Abadoni peregregiè inseruiret, theologiam Sorbonicam primus adduxit. Illi propterea Pactensem, Militensem atq; Coronensem episcopatum, Cretensem archiepiscopatum, ac tandem Constantinopolitanum patriarchatum dedit. Huius Innocentij põtificis iussu, Carolus

lus quartus Romæ à duobus Cardinalibus imperij coronam accepit, sed hac adiecta conditione, ut neq; Romæ neq; in Italia diutius moraretur. Ille nihilominus, cum domum uenisset, archipræsulem Moguntinensem admonuit, ut clerũ in uestibus, calceis, capillis, & toto uitæ habitu reformaret, sub pœna amissionis omnium beneficiorum. Coram hoc Pontifice, Ricardus archiepiscopus Armachanus, contra Mendicantes fraterculos nouem propositiones publicauit. In primo sui Pontificatus anno, tyrannus iste Babylonicus Ioannẽ Rochetayladam Franciscanum, quòd aliqua in clerum dixisset, Auenione cremari iussit. Plura ille prophetauit (inquit Præmonstratrensis) de Antichristo & de summis pontificibus futura: & ideo de hæresi suspectus habebatur. Cœpit enim prophetizare anno Domini 1345, tempore Clementis sexti, & multa ex suis uaticinijs uisa sunt euenisse, &c. Festum lanceæ & clauorum Christi, hic Pontifex ordinauit, ut et ea mortua idola à Christianis Dei loco adorarentur. Mœnibus & fossis Auenionem circumdedit, & extra urbem Carthusienses fundauit. Cumq; classem pararet in Turcas, anno Domini 1362, Romanis tumultuãtibus, perturbati animi tædio uitam exhalauit, apud dictos Carthusianos extra Auenionem sepultus. Ante huius Pontificis mortem tanta solis defectio facta est, quanta prius unquam: quasi tam tenebrosum id tempus fuerit, ut de ueritatis luce nihil penè sit in ecclesia relictum, Apoc. 6. Eius etiam tempore, ut Massæus testatur, flamma quædam post solis occasum diu uisa, terribile ostentabat incendium: deinde locustarum immensitas multis in locis, erosis frugibus, etiam uirgulta depasta est.

IOANNES HORMYNGER. XCIII.

IOannes Hormynger, ex claro genere, in Sudouolgia, ut fertur, oriũdus: literarum non infimus cultor, idemq; bonarũ artium ardentissimus amator fuit. Plures ille uarijs in locis diuersas scientias prælegentes audiuit: interdum tamen deposita philosophiæ seueritate, solitus est Musarum fontes petere: & historiarum, quæ magnarũ rerũ exemplis sapientiores homines reddunt, indulgere lectioni. Cum uerò semel esset Romæ cum diuersarum nationum indigenis, & quisq; eorũ de patriæ suæ cõmoditatibus summopere gloriatur: Angliam uerò, quòd non similes, uel penitus nullas haberet delicias, contemnerent: eiusdem Angliæ commoditates omnes coram illis exposuit, nõ sine omniũ admiratione, quũ tot & tales essent, atq; ipsis non prius notæ. Qui tum demum reuersus in patriam, in Anglico sermone scripsit, à uarijs amœnitatibus ac delicijs

Angliæ commendationes, Lib. 1. *Vt ad beneplacitum & solatium serenis.*

Præter hoc unum, nihil opusculorum eius hucusque uidi. Claruit anno à ueri Mesiæ aduẽtu in carnem, 1310, sub prædicto Anglorũ rege Edvuardo secũdo. Quo anno in Scotia tanta fames erat, ut equorũ carnes comederẽt.

GVILHELMVS RISHANGER. XCIIII.

Walsingh: f. 116. lin: 47.

GVilhelmus Rishanger, Benedictinorũ instituti ad fanum Albani monachus & chronographus, regis Henrici tertij stipẽdio, post Matthæi Parisij mortem conductus, eidem in eo successit officio. Mos enim & consuetudo occidentaliũ mundi regum semper erat, secum habere eos qui gesta eorum ueritate præcipua notarent: sed nec uiuẽtibus ipsis, nec filijs aperire. Ea deinde in regalibus archiuis ad posteros custodiebant: ut in Brytannorum historia Ponticus Virumnius habet. Hoc certè officium annis multis, Albanensis huius cœnobij monachis in Anglia delegatum fuit: qui regum facta per annos singulos scripserũt. In ea functione, præsens hic Guilhelmus, ad Ioannem eius loci abbatem, ab anno Domini 1259, ad suam ætatem usq;, insigni labore composuit,

Chronicorum opus, Lib. 1. *Sunt quædam uetustatis indicia.*
De bellis Leuues & Euesham, Lib. 1. *Quamplurimorum praua inoleuit con.*
Super electione Scotorum regis, Lib. 1. *Ad regiæ celsitudinis Angliæ.*

De Ioan-

De Ioanne Balliolo rege, Lib.1. *Conuenientibus apud Norham, Du.*
De iure regis Anglorum ad Scotiam, Lib.1. *Sanctissimo in Christo patri Bon.*
Continuationes Matthæi Parisij, Lib.1. *Rex Henricus componit cum rege.*
Annales Eduuardi primi, Lib.1. *Anno Domini 1300, septimo Nonas.*

Sed & alia plura edidisse dicitur, quorum non noui titulos. Claruit anno à Christi Iesu natalitio 1312, annos ætatis habens 62: in monachatu uerò 41, sub prædicto rege Edvuardo secundo, in suo tandem cœnobio sepultus.

APPENDIX.

Volaterranus: Dantes Aligerus, uel Alepherius, poeta Florentinus, opusculum scripsit de Monarchia. In quo fuit eius opinio, quòd Imperiū ab ecclesia minimè dependeret. Cuius rei gratia, tanquam hæreticus post eius exitum damnatus est, Bartholi Saxoferrati & aliorum iurisperitorum sententia. Marsilius Patauinus uir doctissimus, cleri uitia his temporibus insectabatur: & inter alia docuit, Pontificem Rom. nō Christi uicem gerere. Baconthorpius super 4. Sententiarum: Ioannes de Ianduno Italus, prædicti Marsilij socius, dicebat, quòd Christus ascendens, dimisit ecclesiam sine uicario, & quòd Papa maiorem potestatem cæteris præsbyteris non habeat: quodq; Cæsari subesse debeat, & ab eo iudicari. Hos duos Alpharus Minorita in libro De planctu ecclesiæ reprobabat, & Ioannes 23. Rom. pontifex hæreseos damnabat. Hieronymus Squarzaphicus in uita Petrarchæ: Petrarchus Hetruscus (inquit) Francisci Petrarchæ pater, Florentiæ olim scriba reformationum erat: quod officium cum dignitate multos annos tenuit: sed à factiosis tandem pulsus circa annū Domini 1306, in Gallias proficiscens, Auenionem perrexit. Vbi sub Clemente quinto, tabellionatus officium, in curia, ut ipse uocabat, nouæ Babylonis, exercuit. Bernardus Lutzenburgus: His diebus Petrus Olerius Barchinonensis, Durandus Gundensis, Guilhelmus Gilberti, & Valentinus quidam, hæreseos erant à Bernardo Podiensi Dominicano et inquisitore damnati: non nominatis eorum articulis. Paulus Aemilius: Anno Domini 1319, Ioannes à Poliaco, theologus Parisiensis, cogente Papa à sententia deductus est, & iussus palinodiam canere. Asserebat enim, fratribus Mendicantibus confitendum non esse de peccatis: & quòd si quis hoc fecisset, ad pastorem & curionem redeundum. Idem habet Baconthorpius in 4. Sentent. Ex epitoma Chronicorum: Quidam secretarius Cæsaris, Huldricus Augustanus, Papam in suis literis, bestiam è mari ascendentem, ex 13. cap. Apoc. uocabat.

RADVLPHVS BALDOCK. XCV.

RAdulphus Baldock, uir multę celebritatis apud reges Edvuardum primum atq; eius filium Edvuardum secundum, rara quadam tum eruditione, tum eximia morum uirtute fuit. Nam mortuo Ricardo Grauesende Londinensi episcopo, communibus uotis antistes eidem ecclesiæ illico designabatᷣ. Quod autem ad eius attinet studia, homo multę lectionis et experientiæ, præcipuè in rebus à nostris principibus gestis, putabat sibi gloriæ futurum, si ea quæ à fide dignissimis didicisset, quæq; ipse uidisset, posteritati tanquam per manus traderet. Chronicorum igitur aggressus opus, à Brytannici regni origine inchoauit: quam postea per successiones regum continuauit, & ut erat in ea parte instructissimus, magna cum fœlicitate absoluit. Editionemq; illam, ne titulo careret, uocabat

Historiam Anglicam, Lib.1.

Et alia congessit. Ioannes Burgensis in suis rerum Anglicarum annalibus, historiæ huius Radulphi mentionem facit: quam Lelandus Londini tandem se inuenisse refert. Obijt anno Redemptoris nati 1313, & septimo sui Pontificatus anno.

RICARDVS BLYTON. XCVI.

RIcardus Blyton, in Lyncolniensi patria prognatus, artibus à iuuentute profanis in secta Carmelitica se totum consecrauit. Qui labor licet inanis, si de religione loquamur, adeò illi inutilis non fuit, ut inde ma-

gnificum gloriæ nomen sibi facilè per totam latè comparauerit Angliam. Oxoniensis enim gymnasij celebris cultor, ut Lelandus habet, laureã theologici nominis tandẽ accepit. Admiratus est aliquando Edvuardus secundus Anglorum rex, huius & eloquentiam, & in sacris concionibus neruos, dum esset instituti sui decimus per Angliam præses prouincialis. Ergo ex multis illum unum, qui auriculari suæ præesset confessioni, assentientibus prælatis delegit, ut & consueto more cor eius ad solitum Antichristi commodum, cautelis ac fucis pararet. Ita solẽt ex regibus Christianis imagines fieri Romanæ bestiæ, hominesq́ mutari in boues & asinos. Scripsit inter cætera Blytonus,

Repertorium Sententiarum,	Lib. 1. *Cupientes aliquid de penuria.*
De priuilegijs Mendicantium,	Lib. 1. *Cum sanctissimus pater & idem.*
Epistolas ad diuersos,	Lib. 1. *Reuerendo in Christo patri.*
Sermones per annum,	Lib. 2.
Ordinarias quæstiones,	Lib. 1.

Atque alia plura, quorum tituli non occurrunt. Claruit anno ab incarnatione diu expectati Messiæ 1320, sub prædicto Anglorum rege Edvuardo secundo. Obijtq́ post 14 annos decrepitus senex, Lincolniæ demum sepultus.

IOANNES VVALSYNGHAM. XCVII.

IOannes Vualsyngham, ex eo Nordouolgiorum pago illustri oriundus, Nordouici, uel ut coniectura ducor, Brunhamię, Carmelitarum obseruationibus ociosis parentum cõsensu initiatus fuit. Deinde maturioribus annis, Oxonium bonarum tunc artium pro Papæ regno corruptricem petijt: ibiq́ ad paucos annos ingenij sui periculũ faciens, aliò se suaq́ studia transtulit, nempe Lutetiam Parisiorũ. Nec id quidem fecit ille, sine magno per eos dies successu. Nam post ingẽtes labores, iniquis studijs collocatos, nimirum ut An tichristum defenderet, in Sorbonicorum magistrorum classem est receptus. In patriam tum reuersus, et eruditionis fama illustris, anno Domini 1326, in undecimum suæ per Angliam sectæ prouincialem præsidem cõstitutus: ingenio, ut Tritemius infert, subtilis & acutus, parum plus biennio illos gubernauit. Sed ex Albiensi statim Aquitaniæ synodo generali, cum Ioanne Alerio & Petro de Casa, contra Guihelmum Ockam, qui Petri Corbariẽsis causas defendebat, ad Ioannem 23 Rom. pontificem, Auenionem super Papę potestate disputaturus uenit. Erant tunc multi, pręter Alpharum Hispanum Minoritã, qui de ecclesiastica iurisdictione quæstiones aduersus illum proponebant: quòd pro nihilo quasi duxisset Papæ ac prælatorũ authoritatem in temporali dominio. At non cõparuit Ockamus, licet peremptoriè citatus, sciens à tyrannico Pontifice laqueũ sibi ob defectionem illam parari. Composuit hic animosus Papistarum Achilles, in magnis uoluminibus,

In Sententias Lombardi,	Lib. 4. *Vtrum theologia sit scientia.*
Quæstiones ordinarias,	Lib. 1. *Vtrum relationes in diuinis.*
Determinationes theologicæ,	Lib. 1. *Vtrum efficaci ratione possit.*
Quodlibeta quoq;,	Lib. 1. *In disputatione de quolibet.*
In Prouerbia Salomonis,	Lib. 1. *Viam sapientiæ monstrabo tibi.*
Conclusiones disputabiles,	Lib. 1. *Quòd quidditas rei naturalis.*
Pro cursu scripturæ sacræ,	Lib. 1.
De ecclesiastica potestate,	Lib. 1.
Sermones 60.	Lib. 1.

Lecturas in theologia, Lib.1.

Contra Ockamum quoq; in gratiam Rom. pontificis aliqua scripsisse dicitur. Et non solùm Papæ præfato ob ingenij calliditatẽ acceptus erat, sed et Benedicto 12 magis, qui ipsum diu retinuit. Claruit anno Christi 1330, Eduuardo tertio in Anglia regnante, ac tandem in Gallijs sepelitur.

THOMAS CHABHAM. XCVIII.

THomas Chabham, Sarisburiensis ecclesię canonicus, idemq; decanus, uicarius, seu subdecanus, doctor theologus, ætate sua insignis, in eorũ inueniebatur albo numeratus, quos sacerdotes seculares uulgus appellat. Tam erat ille actu sobrius & uita modestus, ut cognomine eius penè obliterato, clericus probus ubiq; & ab omnibus diceretur. Vnde defuncto Roberto Vuinchelsea archiantistite Cantuariensi, anno Domini 1313, plenam iste electionem habuit, ut & ea post illum gauderet functione. Successit nihilominus, rege Eduuardo secundo iubente, ut is cui magis fauebat, Gualterus Regnolde, qui sibi tunc erat à thesauris, Vuigorniæ episcopatu huic interim designato. Qualis autẽ fuerit eius doctrina, facilè poterimus ex editorum librorum titulis conijcere. Suntq; qui in Scripturis sacris & iure positiuo, post alias disciplinas, longa exercitatione peritum scribant. Nam & ille (inquit Lelandus) malorum uulneratus impotentia, pœnitentiæ præsentissimum pharmacum excogitauit, & chartis uicturis cõcreditum commendauit. Vnde congessisse hæc opera dicitur,

De casibus pœnitentiæ, Lib. 7. *Cum miserationes domini sint super.*
Speculum ecclesiæ, Lib. 1. *Pœnitentiam agite, appropinquabit.*
De peccatis in genere, Lib. 1. *Cum summa theologicæ facultatis.*
Tractatum de baptismo, Lib. 1. *Ob diuinam prouidentiam & curam cir.*
Commentarios aliquot, Lib. 1.
Sermones quoq;, Lib. 1.

Feruntur & alia, quæ non uidi. Claruit anno à Christi natali 1316, quo erat in episcopum ordinatus, prædicto Eduuardo in Anglia regnante. Pœnitentiarij uerò canones, ac pœnarũ pro peccatis mensurationes, imbecilliũ conscientiarum carnificinæ & insatiabili sacerdotũ quæstui nunq; satis respondent.

ROBERTVS PLYMTON. XCIX.

RObertus Plymton, in Deuomensi comitatu natus, & in eo sui cognominis pago Canonicus sub D. Augustini methodo regularis effectus, postremas famæ partes, ut Lelãdus colligit, à literis nõ accepit. Cumq; iam in illo uiuendi genere diu pedem promouisset, insito quodam docendi ardore totus cõflagrans, plebẽ à consuetis mundi uitijs, sacris è suggesto concionibus auocabat. In tantis enim suorũ Anglorũ tumultuationibus, uidebat in dies in agro Domini crescere mala semina, uirtutesq; euanescere. Homines igitur, ut essent salutis suæ memores admonuit, & ad uitæ infœliciter actæ resipiscentiam ore ac uoce fortiter animauit. Illum equidẽ ferunt, Totnesiæ aliquando fuisse archidiaconũ, & Deuonios suos Euangelica doctrina rectè instituisse. Eiusq; non fictę pietatis illic exempla uel adhuc luculenter apparent, præcipuè opus cui titulum indidit,

De pœnitentia, Lib. 1.
Conciones Dominicales, Lib. 1.

Et alia quædam edidisse fertur. Sed præter hæc nihil opusculorũ eius hucusq; uidimus. Quo uerò tempore, uel sub quo rege claruerit, apud nullum adhuc scriptorem inuenio. Hunc ergo pro tempore locum occupabit, donec contigerit proprium inueniri.

THOMAS CASTELFORDE. C.

Thomas Castelforde, terræ Eboracensis alumnus, ac Benedictinæ professionis ad Pontem fractum, seu in Ponfretensi cœnobio monachus: ab adolescentia ipsa probè educatus, & literis instructus fuit. Quæ illi honesta educatio, postea tam bene cessit, ut ex assidua diligentia atque industria, quas studijs impendebat, & monasterio cōmodum, & sibijpsi splendorem attulerit. Impensius quidem post uariarum artium exercitia, ut scribit Lelandus, antiquæ rerum Anglicarum studebat ille cognitioni. Cumque in eo (inquit) fœlicissimè laborasset opere, huc animum intendebat totum, ut Ponfreti, quod ego emporium olim ab Antonino Legiolium dictum crediderim, gloriam modis exornaret omnibus. Aggressus igitur opus pręclarum, illud ab Askeo Saxone, nobili possessore loci deduxit, usque ad declinationē nominis Laceyorum, quo tempore hæreditas ad Lancastrienses peruenit comites. Et opus hoc præclarum Castelfordius uocabat

Historiam Ponfreti, Lib. 1.
Gesta sui cœnobij, Lib. 1.

Atque alia plura congessit. Tantum se ex huius libris didicisse fatetur Lelandus, quantum uix sperare licuit: id quod in libro de Ciuili historia, se patefacturum promittebat. His temporibus & ipsum claruisse puto.

APPENDIX.

Theodorus Bibliander: Ioannes 23, adhibitus primùm arbiter honorarius & sequester, dissidentibus Cardinalibus in electione Papæ, seipsum elegit Pontificem, quum esset episcopus Protuensis, & cancellarius regis Francorum. Dicitur autem hic moriens in thesauro habuisse tantū auri & argenti, ut 25 millies milleni aurei æstimentur. Idem instituit ordinem militū sepulchri Dominici, rem Europæ in primis perniciosam, Asiaticis autem, Saracenis & Turcis quæstuosam. Nicolaus Bertrandus in historia Tolosana: Hugo Geraldus, episcopus Caturcensis, excoriatus & combustus erat, quòd in Pontificis mortem esset machinatus. Platina: Abdicare autem se episcopatu & sacerdotio compulit Hugonem Caturcensem episcopum, priuatum omnibus Pontificalibus insignibus, anulo, mitra, cappa, pileo, camisiaque Romana. Priuatum etiam & degradatum, ut eorum utar uocabulo, at curiæ seculari traditum, omnibus cruciatibus coactū esse uitam cū morte commutare, quòd in Pontificem coniurasset. Baconthorpius in Compendio uitæ Christianæ: Anno Domini 1320, Parisijs quidā theologus publicè docuit, quòd melius clericis esset uxores proprias ducere, quàm more eius ætatis incontinenter continere. Ioannes Tritemius: Plures his diebus uisiones habebant, potius illusiones. Simon monachus Haffligemensis scripsit uisionem cuiusdam cōuersi. Guilhelmus monachus etiam Haffligemensis scripsit uisiones cuiusdam monialis. Fasciculus temporum: Anno Domini 1323, Dominicani pro suo purgatorio ac nundinis Missarum, cuiusdam Guidonis spiritum præstigiabant, in ciuitate Alesti prope curiam Papæ. his quoque diebus, Extrauagantes, ab omni pietate exorbitātes, ecclesijs sunt obtrusæ. Baconthorpius in 4 Sentent. dist. 8. quæst. 5. Ioannes Parisiēsis ordinis Prædicatorum posuit, quòd panis in altari maneret post consecrationem. Thomas Vualdenus in libro de Sacramentis: Idem Ioannes Parisiensis scripsit postea de uerbo impanato, ad Guidonē Perpinianū Carmelitam. Scripsitque de Antichristo, & eius temporibus.

Appendix alia.

Christianus Massæus: Anno Domini 1322, Ioannes Papa Decretalem edidit in Fratricellos, quorū caput erat magister Michael de Cesena, minister ordinis Minorū generalis. Hic dogmatizabat, Christum & Apostolos adeò fuisse pauperes, ut nihil haberent suum, nec in particulari nec in communi. Imperatorem Romanum nō esse subiectum Pontifici, nisi tantum in spiritualibus. Et neminem posse saluari, qui aliter crederet. Credidit Ludouicus Bauarus, & ex ipsis quendam Petrum de Corbaria creauit Romæ Pontificem, indito nomine Nicolai quinti. Qui mox Bauarum in Cæsarem consecrauit & unxit. Multos etiam suæ gentis episcopos ordinauit. Quæ cū rescisset Ioannes, & Michaelem, &

lem, & Bauarum, & reliquos omnes communione ecclesiæ interdixit, ac misit exercitum in Fratricellos, quorum multi damnati et exusti fuerũt. Petrus captiuus Papæ sistitur: fatetur culpam, remittitur ei: sed arctæ custodiæ mancipatur. Qui uerò effugere potuerunt, in Græciam abijsse memorantur. Bauarus interim conciliũ coegit. Ioannes Iandunus et Marsilius Patauinus, natione Lombardi, studentes Parisijs, Bauarum adeunt, manus eius confortant, & non esse subiectum Pontifici confirmant. Michel etiam apud Perusium generale capitulum celebrat, & contra Pontificem cum Bauaro ad futurum generale concilium appellant. Pontifex autem tam appellantes quàm fautores eorum condemnat. Per idem ferè tempus idem Pontifex in quosdam Beghardos censuit, & Beguinas, qui in Viennensi quoq; concilio fuerant reprobati. Hi prædicabant hominem ad tantam in hac uita perfectionem peruenire posse, ut Dei gratia amplius non indigeat: sed esse omnino in spiritus libertate, & nulli creaturæ deinceps fore subiectũ. Et hi similes quibusdã nostri temporis Anabaptistis erant. Fasciculus temporum: Ex prædictis Beghardis & alijs, ob hæresim pauperum de Lugduno, combusti sunt Parisijs & alibi 114, & Michael generalis Minorum hæreticus declaratur. Guilhelmus Ockam, pro Fratricellis cum Petro Corbario, aduersus Ioannem Papam scripsit: & eodem anno Domini 1322, in Anglia sol 6 diebus sanguineus apparebat.

CENTVRIAE QVARTAE, SCRIPTORVM BRYTANNIAE Finis, authore Ioanne Baleo.

IOANNIS BALEI SVDOVOLGII ANGLI, DE SCRIPTORIBVS BRYtanniæ,

CENTVRIA QVINTA.

IOANNES BACONTHORPIVS. I.



IOANNES Baconthorpius (Baconem Tritemius & alij cognominant) oriundus ex Baconthorpa humili Nordouolgiæ pago, à quo nomen accepit: primis adolescentiæ suæ annis, Carmelita Nigeriensis factus est. Nigeria enim oppidulum Nordouolgiæ est, in ipso penè littore situm (Lelandi uerbis utor) à Vualsingamio plus minus quinq; passuum millibus distãs: quod à uulgo Blakneya uocatur, ubi Carmelitarum nuper collegium memorabile. Cumq; illic per annos aliquot, literis iuxtà ac uirtuti studuisset, Oxoniũ petijt, deinde etiam Lutetiam Parisiorum. Ita tandem & hinc et illinc comparata multarũ scientiarum copia quidem diuite, cum summo utriusq; iuris ac theologiæ magistratu, non sine magna sui celebritate nominis, Auerroistarum princeps dictus, domum redijt. Talis ille erat, *in omni bonarũ artium genere*, qualem necantè nec pòst habebat Anglia, ex omni Mendicantium monachorum cumulo. Exactis *inde aliquot ab eius reditu annis*, *in publico suorũ* fratrũ ex omni parte regionis conuentu, Londini anno Domini 1329, prouincialis præses Angliæ *duodecimus omnium suffragijs designabatur*. Et quum eo magistratus munere quatuor annos functus fuisset, per literas accersitus, magnis *itineribus* Romam *uenit, ubi inter disputandum*, uel sibilos semel passus est: non quòd parum acutè ac facundè disseruisset, sed quòd diuersam sententiam aliquandiu *tueretur*: uel, *ut apertius dicam*, quia pontificis Romani authoritati nimiũ in cancellandis diuinis de matrimonio legibus, fortassis *incogitãter* attribuisset. Sed *erroris* à *Dei uerbo* admonitus, uitiũ agnouit: detestabat̃ noxam, ac palinodiã modestissimè cecinit: solidissimis scripturis & rationib. probans, *in gradib. cõsanguinitatis diuina* lege prohibitis, Papam dispensare non posse. Et magnam ab eo facto famam per literas ibidem sibi peperit, ut fusius *narrat* Iacobus Calcus Papiensis, in opere suo de Henrici octaui Anglorum regis diuortio. Deinceps Baconthorpius in omnibus scriptis, Sophisticen, *ut hæresim, blasphemiam*, ac perniciosissimam fidei pestem aspernabatur. Statura quidem pusilla fuit, sed magno ingenio atq; eruditione, ut habet Ioãnes Trissa Nemausensis, in libro suo De uiris illustribus: iuxta illud uetus poetæ dictum,

Ingenio magnus, corpore paruus erat.

Opus non est, ut uariam & reconditam eius eruditionem accurata hic oratione depingã. Illud certè ante nos copiosissimè fecit Paulus Pansa, rhetor apud Italos præstantissimus, his uerbis: Si Dei optimi maximi (inquit) penetralia adire suadeat animus, nemo accurabilius essentiam eius mandauit literis. Si rerũ causas, si naturæ effectus, si cœli uarios motus, ac elementorum contrarias qualitates discere exoptet quisquam, hic se officinam offert. Christianæ religionis arma Vulcanijs munitiora contra Iudæos, solus hic resolutus doctor ministranda tradidit: Mesiæ aduentum dilucidat, Antichristi aperit uenturas fallacias, Mahumeti sectam prosternit, Scripturæ nodos

nodos soluit, & ænigmata cuncta serenat, &c. Atque ut operum eius elenchum adponam, scripsit hic doctor celeberrimus,

In magistrum Sententiarum,	*Lib.4. Vtrum ad habendam supernaturalem cog.*
Compedium legis Christi,	*Lib.1. Et ut per omnia fides & mores cha.*
Quæstiones ordinarias,	*Lib.1. Cum ex scripturis sacris colligi pos.*
De aduentu Meßiæ,	*Lib.1. An ex scripturis ueteris testamenti.*
De Christi dominio,	*Lib.1.*
Placita theologica,	*Lib.3. Vtrum sola fide sit tenendum, animam.*
Determinationes,	*Lib.1. Vtrum poßit in scriptura canonica.*
In Metaphysicam Aristotelis,	*Lib.12. Est enim mea intentio, in hoc oper.*
In Ethica eiusdem, ad Cancellarium,	*Lib.10. Vt dicit commentator in Prologo,*
In Politica quoq;,	*Lib.8.*
In Aristotelem de Anima,	*Lib.3. Intentio mea est secundum uerba lit.*
De potentijs animæ quæstiones,	*Lib.1. Vtrum potentiæ animæ realitate abs.*
In Meteora,	*Lib.4. De primis, &c. Docet hic liber.*
De cœlo & mundo,	*Lib.4. Philosophus hic suam de cœlo &.*
De generatione & corrupt.	*Lib.2. Tractaturus de generatione &.*
De sensu & sensato,	*Lib.2. Quoniam autem de anima secundum.*
De sensu & sensibili,	*Lib.2.*
De motu animalium,	*Lib.1. Secundum Philosophum 3. Physicorum.*
De memoria & reminiscentia,	*Lib.2. Reliquorum autem primum est consi.*
De somno & uigilia,	*Lib.2. Considerandum est in hoc de somno.*
De longitudine & bre. uitæ,	*Lib.2. De eo autem quod est esse, &c.*
In Physica Aristotelis,	*Lib.8. Quoniam intelligere & scire.*
In Elenchos eiusdem,	*Lib.2. De sophisticis autem Elenchis.*
In Topica,	*Lib.4. Propositum quidem negotij est.*
In Posteriora,	*Lib.2. Omnis doctrina & omnis disciplina.*
In Priora,	*Lib.2. Primùm quidem oportet constituere.*
In Perihermenias,	*Lib.2. In hoc primo Perihermeniarum.*
In Prædicamenta,	*Lib.3. Circa librum prædicamentorum pri.*
De Sophismatibus,	*Lib.1. Cum alicui secundum eius entitatem.*
De sphæra iudiciali,	*Lib.1.*
De multiplicatione specierum,	*Lib.1. Species multiplicata ad medium.*
De conceptione Mariæ,	*Lib.3. Nondum erant abyßi, & ego iam concep.*
Aliud opus de conceptione,	*Lib.1. Conceptio carnalis beatæ Mariæ.*
Speculum Carmelitarum,	*Lib.1. In primis attende, quòd beata uirgo.*
In regulam eorundem,	*Lib.1. Cuiuslibet religionis titulus, ortum.*
Compedium iurium eorundem,	*Lib.1. Beatus Bernardus in quodam sermone.*
Tractatum de suo ordine,	*Lib.1. Omnibus Christi fidelibus, in Domino.*
De paupertate Christi,	*Lib.1.*
Commentarios in Genesim,	*Lib.1. Tria debent in uniuersitate rerum attendi.*
Super Exodum,	*Lib.1. Hic incipit secunda pars ante legem.*
Super Leuiticum,	*Lib.1. Liber iste uocatur hebraicè Vaiicra.*
Super Numeros,	*Lib.1. In Postilla quam feci super Matthæum.*
Super Deuteronomium,	*Lib.1. Hic ultimus liber diuiditur in tres.*
In Iosue,	*Lib.1. Factum est post mortem Moysi serui.*
In Iudicum,	*Lib.1. Iudicum liber hebraicè dicitur Sophtim.*
In Ruth,	*Lib.1. In diebus unius Iudicis, quando.*
In libros Regum,	*Lib.4. Fuit uir unus, &c. In hoc primo.*

In Paralipo-

In Paralipomenon, Lib.2. Adam, Seth, Enos, &c. Repetitio.
In Esdram & Nehemiam, Lib.4. In anno primo Cyri regis Persarum.
In Tobiam, Lib.1. Tobias ex tribu & ciuitate Nept.
In Iudith, Lib.1. Apud Hebraeos liber Iudith secundum.
In Hester, Lib.1. In diebus Assueri, qui regnauit.
In Iobum, Lib.1. Materia huius libri duplex est.
In Psalterium, Lib.1. Beatus qui custodit uerba prophe.
In Prouerbia Salomonis, Lib.1. Parabolæ Salomonis filij Dauid.
In Ecclesiasten, Lib.1. Verba Ecclesiastis, &c. In hoc lib.
In Cantica canticorum, Lib.1. Osculetur me osculo oris sui,
In librum Sapientiæ, Lib.1. Diligite iusticiam, qui iudicatis.
In Ecclesiasticum, Lib.1. Omnis sapientia à Domino Deo est.
Super Esaiam, Lib.1. Visio Esaiæ, &c. In exponendo.
Super Hieremiam, Lib.1. Verba Hieremiæ, &c. Postquam.
In Threnos eiusdem, Lib.1. Lamentationes Hieremiæ post capt.
In librum Baruch, Lib.1. Libellus iste qui Baruch nomine.
Super Ezechielem, Lib.1. Factum est in tricesimo anno, in.
Super Danielem, Lib.1. Anno tertio regni Ioachim regis Iuda.
Super minores prophetas, Lib.12. Sciendum est primo, hos duodecim.
Super Machabæos, Lib.2. Machabæorum libri iuxta Hieronymum.
In Euangelium Matthæi, Lib.1. Dicit apostolus Paulus ad Hebræos.
Iterum in Matthæum, Lib.1. Matthæus, qui & Leui, ex publicano.
In Euangelium Marci, Lib.1. Passio Christi intelligitur, cum leo.
Postillationes in Lucam, Lib.1. Mons Sina non coniungitur Hierus.
In Euangelium Lucæ, Lib.1. Hic prologus diuiditur in quatuor.
In Euangelium Ioannis, Lib.1. Ioannes Euangelista in hoc prologo.
In Paulum ad Romanos, Lib.1. Christus factus est ex semine Dauid.
Ad Corinthios, Lib.2. Ostenso in epistola ad Romanos.
Ad Galatas, Lib.1. In hac epistola ad Galatas est.
Ad Ephesios, Lib.1. Ad intelligendum huius epistolæ.
Ad Philippenses, Lib.1. Ostenso superius in Postilla quam feci.
Ad Colossenses, Lib.1. Paulus apostolus Iesu Christi per.
Ad Thessalonicenses, Lib.2. Epistola hæc prima dicitur ad.
Ad Timotheum, Lib.2. Moyses dixit: Tremebundus sum, &.
Ad Titum, Lib.1. Titum instruit Apostolus de suo.
Ad Philemonem, Lib.1. Familiares Philemoni literas.
Ad Hebræos, Lib.1. In epistola ad Hebræos probatur.
Rursus in Paulum, Lib.14. Ad intellectum huius epistolæ.
In acta Apostolorum, Lib.4. Sanctus Euangelista Lucas in.
In epistolas Canonicas, Lib.7. De cultura cœlestium præceptorum.
In Apocalypsin Ioannis, Lib.1. Apocalypsis Iesu Christi, &c.
De æternitate Dei, Lib.1.
In Augustinum de ci. Dei, Lib.22. Intentio Augustini in opere de.
In eundem de Trinitate, Lib.15. Lecturus hæc quæ de Trinitate.
In Anselmum de incar. uerbi, Lib.1. Anselmus in hoc libro de incarna.
In eundem, Cur Deus homo? Lib.2. Prima particula qualiter orig.
De fide & baptismo, Lib.1.
Sermones uarios, Lib.2. Rationabiliter lex Christi per.
Alios quoq; sermones, Lib.1. Lex Christiana timorem docet, &.

Regulas Christianæ fidei, Lib.1. Prima regula totius Christianæ rel.
De Iudæorum perfidia, Lib.1. Iudæi, an credere debeant prædi.
Contra idololatriam, Lib.1.
De cessatione legalium, Lib.1. Lex Christi statim post passionem.
Concordiam Christi & prophetarum, Lib.1. Miracula quæ refert Matthæus de.
De præceptis & consilijs, Lib.1. Præcepta continet lex Christiana.
De peccatis & remedijs, Lib.1. Peccatum rationabiliter Christus pro.
De dignitate ecclesiæ, Lib.1.
De perfectione iusticiæ, Lib.1. Vtrum Christus & Apostoli in hac.
Compendium uitæ Christianæ, Lib.4. Ordinauit in me charitatem, Cant.
De sanctificatione festiuitatum, Lib.1. Vniuersis præsens documentum insp.
De generali iudicio, Lib.1. Iudicium de peccatis Christus const.
In canones Pontificum, Lib.1.
Contra Iudæos, rationes, Lib.1. Vtrum in scriptura canonica Iudæi.
De beatorum uisione, contra Papam, Lib.1.
De astrorum scientijs, Lib.1.
Contra magicas artes, Lib.1.
Contra Ioannem de Poliaco, Lib.1.
De iurisdictione claustralium, Lib.1.
Quod in cœlo sit laus uocalis, Lib.1.
De non ducenda fratria, Lib.1.
Contra uanitates seculi, Lib.1.
Contra superstitiones, Lib.1.

Legi et alios suarū lucubrationū titulos; sed memoria exciderunt. Post multos labores literarios, circa annū à Christi natiuitate 1346, ex hac luce migrauit, Lōdini sub Edvuardo tertio, Trissa teste, sepultus. Si nō fuisset hic scriptor, eius ætatis caligine impeditus, sub Antichristi tyrannide, multa & magna præstitisset, nec eo fuisset quicquam absolutius. Multa certè in ipsis tenebris uidit, quæ pronunciare non audebat. Porrò inueni sententias aliquot grauiores apud illum, quàm apud omnes eius temporis scriptores. Et eas, ut fragmēta quędam pietatis eius collegi: quę tamen apud Hybernos perijsse timeo. Addidi tanquam ad colophonem, carmina quædam barbara, à Laurentio Burello Diuionensi edita:

Anglia me genuit, Ioannem quisq; uocabat,
Et de Bacone nomine notus eram.
Cum cuperem sacros è fonte haurire liquores,
Parisios petij plena fluenta lares.
Illic quod studium potuit, quod cura laborq;,
Præteritum ingenio nil uolui esse meo.
Nam non sacra fuit tantum mihi pagina curæ,
Pontificum canones sed placuere mihi.
Quattuor exposui uulgata uolumina Petri,
Sed magis in quarto mens mea fixa fuit.
Scripsi & Ephemerides, quæ uos Quodlibeta uocatis,
Tum uetus atq; nouum clarius esse dedi.
Ethica nec nostris sine scriptis lentus omisi,
In Metaphysicis stat labor ipse meus.
Inq; Animæ libros scripsi: tum multa notaui,
Augustine tua rursus in urbe Dei.

Nec quæ de trino simul uno scripta dedisti,
Sum passus scriptis illa carere meis.
Anselmum exposui, dum scripto quæritat ille,
Cur Deus è sancta uirgine factus homo?
Et dum describit, quo pacto è uirgine uerbum
Assumpsit carnem, sedulus exposui.
Pauperiem Christi scripsi, & quis iure tenere
Has posit fluxas pastor ouilis opes.
Historiam breuiter tetigi, qua candidus ordo
Noster, ab excelsa fit genetrice Dei.
Tum mea Iudæi sen serunt uulnera cæci,
Tum scripsi ut uirgo concipit atq; parit.
Scripsi alios multos, quos non te candide Lector
Pœniteat studij, si semel ipse legas.
Et tandem in prima terra post fata quieui,
Dulcius est patrium quod tegit ossa solum.
Post iacui tanquam per tempora longa sepultus,
Omnia sic tempus innouat atq; fugat.
Franciscus Medicus, sed relligionis alumnus,
Viuere me rursus, & mea scripta dedit.
Nam mea formari per multa uolumina fecit,
Causa fuit doctum quod legat ore uirum.
Debeo multa uiro, tum debeo multa legenti,
Multa & tu debes, dogmata quisquis amas.

GVILHELMVS MAVNFELDE. II.

GVilhelmus Maunsfelde (à Leandro Bononiensi Massetus cognominatur) inter Prædicatores, quo potissimum gloriari nomine Dominicani solent, nō postremus uixit, aut in precio fuit. A' professione, mox arrepto communi monachorum mendicantium magistro Aristotele, Logicen, Physicen, Ethicen, ac Metaphysicen magno cum labore didicit: ac si res Christiana his paganorum fecibus indigeret. Testantur nanq; lucubrationes eius, quàm non triuialiter aut indiligenter sit in illo callido, fugitiuo & incerto studēdi genere uersatus. Sed in quem finem, is nouit, qui omnia Dei uerbo, ceu Lydio quodā lapide probare solet. Nihilominus Leander prædictus in quarto suorum Prædicatorum libro, inclytum theologiæ professorem illum appellat, quòd Thomę Aquinatis rixosa dogmata aduersus Henricum Gandauensem, iam diu mortuum, Roberti Oxfordij etiam defuncti exemplo, tam strenuè defenderit. Vnde pro magno Papistici regni fulcimento contexuit, ut Bostonus Buriensis habet,

Quæstiones ordinarias,	Lib. 1.
Defensorium Thomæ Aquinatis,	Lib. 1.
Contra corruptores eiusdem,	Lib. 1.
Quæstiones de Angelis,	Lib. 1.
Quæstiones de anima,	Lib. 1.
Contra Henricum Gandauensem,	Lib. 1.
De comparatione statuum,	Lib. 1.
De decem uirginibus,	Lib. 1.
In uetus testamentum,	Lib. 1.
Postillas Bibliorum,	Lib. 1.

Et alia,

Et alia, quibus asinum Domini adhuc ornare, & oliuarum ramos ante pedes eius sternere, labores insumpsit. Claruit magnus in Anglia magister anno à cõmunis Salutis origine 1320, sub Edvuardo secundo Anglorum rege.

IOANNES CANON. III.

IOannes Canon (eius ordinis scriptores unà cum Tritemio Canonicum appellant) Minotaurorum, Minoritarum ordinis dixissem, non modicus doctor, Thrasonica iactantia, theologicorum magistrorum hac ipsa tempestate cathedras impleuit. Post fabricatas Oxonij nouas quasdã Chimæras, Parisium petens, Ioannis Dunsij uel Scoti, mirifici illius Franciscanorũ Herculis uestigia, diligentissimus eius discipulus ad tempus obseruabat: non aliter quàm olim in Aluernici montis cacumine frater Leo Pecorella, seraphici sui Frãcisci uulnera. In scripturis enim ac philosophia, iuxta pythonicum sui Aristotelis spiritum, subtiliter fuit doctus: & iuris tam Pontificij quàm Cæsarei, Tritemio teste, non ignarus. Impudẽtium itaq; mendaciorum, his studijs magister tandem effectus, tota die in ocio ac mendicitate concinnabat dolos. Et protulit è tam grato sui pectoris thesauro,

Lecturam Sententiarum, Lib. 4.
In Aristotelis Physica, Lib. 8. *Quæritur utrum substantia finita.*
Disputationes ordinarias, Lib. 1.
Quæstiones dialectices, Lib. 1.
Lecturas magistrales, Lib. 1.

Aliorum eius operum tituli non comparent. Disceptationes theatrales tamen, Parisijs & in Anglia, mira barbarie annis tenuit pluribus. Claruit autem, anno à Christi per carnem humanam origine 1320, sub prædicto Edvuardo secundo.

ROBERTVS GRYME. IIII.

ROBertus Gryme, monachus de Bardeney, cœnobio celeberrimo & antiquissimo Lindisiorum, ut Lelandi uerbis utar, literis ab eius adolescentia & uirtuti operam non inutilem dedit. In sacris literis postea, ut Christianæ professionis decuit uirum, pijs usus præceptoribus ac patronis, bonas indesinenter horas collocauit. Non in contentionibus syllogismorum, aut in opinionibus hominum, sed in doctrina sana atq; incorrupta ecclesiã ædificare lecturis & sermonibus fideliter laborabat. Defuit illi Asiaticũ dicendi genus, profluum et luculentum: at non interim defuit solida eruditio, cum promptissima docendi uoluntate cõiuncta, ut apparet ex eius scriptis. Composuit enim, sed stylo ex temporis iniquitate scholastico,

Commentarios in Euangelia, Lib. 4.
Conciones quoq; uarias, Lib. 1.

Feruntur & alia, sed desunt nunc tituli. Ex hoc apparet scriptore, aliquos semper in monasterijs fuisse, qui spiritum habuerũt filiorum Dei, quamuis interim in nonnullis errauerint. Sed quo tempore claruerit, nullibi inuenio.

GVILHELMVS ASKETLE. V.

GVilhelmus Asketle, à quodam eius temporis scriptore, sed corruptè, Chettle dictus, clericus fuit fani Ioannis, quod Beuerlaci sacrũ est, ut Lelandus probè colligit. Hic locum (inquit) suæ educationis, tacito deuenerans pectore, multa de rebus in eo gestis, tum præcipuè de memorabilibus factis, prodigijs & uirtutibus diui Ioannis archiepiscopi olim Eboracensis, animo peruoluebat: exoptans futurum aliquando, ut serie rerũ narrandarum pulchrè instructus, uel clarissimã Beuerlaci & sui patroni famam

 efficeret.

efficeret. Quid multis? Tentauit opus planè honestum, adiutus tum præteritorum lectione, tum præsentium experiētia oculata. Vnde edito tandem opere tripertito, uoto abundè satisfecit suo, exordium ultimæ narrationis desumens ab aduentu Guilhelmi Normāni, ubi Folchardus Dorobernensis, idem tractans argumentū, reliquit. Cōposuit ergo, ut opus illud diuidā,

De rebus Beuerlacensibus,	Lib. 1.
Vitam Ioannis archiepiscopi,	Lib. 1.
De miraculis eiusdem,	Lib. 1.

An aliud quicquam ediderit, compertum adhuc non habeo. Dedicauit autem monumentum hoc ingenij non moriturum, Thomæ Beuerlacensis ecclesię præposito. Et claruisse fert anno nati Redemptoris nostri 1320, sub Edvuardo secundo.

GODFRIDVS CORNVBIENSIS. VI.

GOdfridus Cornubiensis, Oxonij & Parisij doctor, sectæq; Carmeliticæ professor, utrumq; gymnasium, ut Lelandus habet, potenter excoluit, & tam Aristotelis quàm etiam Longobardi fontes in eisdē degustauit. In precio (inquit) hac ætate Cornubius erat, & scriptor non contemnendus habebatur: quiq; contra Gerardum Bononiensem, pro Anglicanę prouinciæ commodo, Guilhelmi Lydlingtoni partibus adhærebat. Ab excellenti ingenio insuper Baconthorpius hominem commendat, doctorem solennem illum appellans, *Dist. 29.* quarti Sent. eiusq; authoritate seuera in suis rationibus & argumentis plerunq; est usus. In hoc tamen reprehendendus occurrit, quod *in Aristotele totus, in* Christo penè nihil uersatus sit, quòd & locustæ naturam in portētosis syllogisandi formis, realitatibus, insolubilibus, ac sophismatum uersutijs communi mendicantium fraterculorum more explicet. Vtq; successus initijs suis pares orbi commōstraret, per commentarios edidit,

Super Sententias,	Lib. 4.
Quodlibeta decem,	Lib. 1.
In Metaphysicam Aristot.	Lib. 12.
In Physica eiusdem,	Lib. 8.
In posteriora quoq;,	Lib. 2.
In 6 principia Gilberti,	Lib. 1.
Super prædicamenta,	Lib. 1.
Contra Gerardum Bononiensem,	Lib. 1.

Feruntur & alia, sed tituli desunt, nec rei Christianæ officit multum. His ueruntamen discernimus agnos ab hœdis, & Apoc. 9. à scorpionibus homines, ne lædamur eorum aculeis. Claruit Godfridus anno Christi 1310, sub Edvuardo prædicto.

APPENDIX.

Ex Christiano Massæo: Anno Domini 1324, ciues Magdeburgenses Brocardum episcopū suum interfecerunt, quòd ecclesiæ iura (Papismum scilicet) defendebat. Ex Ioanne Tritemio: Cum Bonauentura Patauinus, Augustinianorum generalis, & D. Ceciliæ Cardinalis, eodem tempore ecclesiæ libertatem (sic luxus ac libidines suas uocat) acerrimè tueretur contra principes, à Carrariensi domino sagitta confixus interijt. Ex Arnoldo Bostio: Dum Guido Perpinianus, Carmelita, Maioricensis & Eluensis episcopus, ea ipsa ætate pro ecclesiæ causis (pro Papæ tyrannide potius) superciliose cōtenderet, à rege Maioricarū episcopatu primò pellitur. Ex Matthæo Vuestmonasteriensi: Anno Domini 1327, Oxonij schisma fuit: & frater Thomas Dunhead ordinis Prædicatorum, ob conspirationes in regem incarceratus, miseram uitam finiuit. Similia spiritualium proditionum exempla

multa his diebus erant. Ioannes Baconthorpius lib. 3. Sent. dist. 29. Anno Domini 1324, Episcopus Parisiensis, consensu magistrorum permisit, quòd licitè possent disputare et opinari de articulis contra Thomam Aquinatem collectis. Ex Tritemio: Durandus de S. Porciano, Dominicanus, & postea episcopus Aniciensis, scriptorū Thomæ Aquinatis primò denfensor erat, postea uerò acerrimus impugnator, sed eius mutationis causa fluctiuaga fertur. Ex Balthazaro Vuerlino: Durandellus quidam, Dominicani instituti monachus, scripsit contra dictum Durandum Aquinatis impugnatorem, sic exorsus: Existimasti quòd ero iniquè tui similis. Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Ex Arnoldo Bostio: Guido Perpinianus prædictus, scripsit reprobationes cuiusdam operis Catalonici, hæresim olentis, editi olim, ut apparet, à quodam medico, Arnoldo de Villa noua.

IOANNES GATISDENE. VII.

IOannes Gatisdene, quem Matthæus Syluaticus in Lexico Ioannem Anglicum appellat, philosophiæ strenuissimè incubuit, in eo collegio quod Oxonij à Martono quodā cancellario ac fundatore nomen accepit. Cuius (ut in Lelando) cum plenius cognitionē penitiorē illam imbibisset, totum ad artem medicam se contulit. In qua usqueadeò effloruit postea, ut sui seculi lumen facilè crederetur. Empiricus enim, seu Medicus qui summam experientiam habet, à Symphoriano Champerio, in tractatu quinto de Medicæ artis scriptoribus, cognominatur. Nihil equidem scriptis protulit, quod nō erat uel ex authoribus probatis authenticū, uel diuturniori experiētia probatum. Hic septimo anno solennis suæ lecturæ, ex pingui (ut aiunt) Minerua, exhibuit illud luculentum opus, quod uocabat

Rosam Anglicam,	Lib. 1. Galenus in primo de regimine sanit.
De regimine acutorum,	Lib. 1. De cibis & potibus præparandis insi.
De simplicibus medicinis,	Lib. 1. Aurum temperatius est omni metallo,
De digerentibus & euacuantibus,	Lib. 1. Quoniam quidem de melioribus amicis.
De instrumentis suæ artis,	Lib. 1. Dicitur exemplum quæuis confectio.
Quid pro quo,	Lib. 1. Pro Aristol. rot. ruta domestica.
De flebotomia,	Lib. 1. Propositum præsentis negotij simpli.
Practicen medicinæ,	Lib. 1.
Pro dietarijs,	Lib. 1.

Et alia plura composuisse fertur. Istum inter illos scriptores numerat Remaclus Lymburgensis, quos Practicos nominant. Claruit anno à nostri Seruatoris natiuitate 1320, sub Eduuardo secundo Anglorum rege.

THEOBALDVS ANGLICVS. VIII.

THeobaldus Anglicus, uir uarijs naturæ dotibus & scientijs excellens, sed impotentis animi scrupulo nimis superstitiosus, ad Carthusianorū monachorum seueritatem, ut ille putabat, salutarem, conuolauit. Arduam proculdubio esse credebat Domini uiam, spinisq; et ueпribus humanarum traditionum circumseptā, diuinæ partim ueritatis ignoratione, partim inepta Papæ religione dementatus. Ad eos igitur bene saginatos atq; impinguatos Brunonis porcos accessit, ut summæ perditionis, nisi Christus in ea Sodoma adsit, inueniret pascua: cum hypocritica lues nihil citius adferat, quàm ipsam spiritus mortem, Apoc. 6. Sed hoc unum in homine laudandū inuenio, quod in ea Gomorra existēs, ex frequenti Bibliorum, ac ueridicorum Chronicorum lectione, uitas hominum probatiorum inuestigauerit. Illas siquidē à mundi origine ad suā ætatē collegit, et editū opus uocabat

De progressu sanctorum patrum,	Lib. 1.
De uita contemplatiua,	Lib. 1.

Atq; alia scripsit solitaria documenta, sed ad meditationem inertem & contemplationem ociosam

spectantia. Claruisse uidetur ex suis & aliorũ scriptis, anno ab incarnato Dei uerbo 1320, sub Edvuardo prædicto Anglorum rege.

STEPHANVS EYTON. IX.

STephanus Eyton, uel Edon, Canonicus sub D. Augustini professione, Vuarotrensis cœnobij fuit, quod non procul distat à Crago, Eboracensis prouinciæ castello. Hic dulce ocium, Lelando teste, studijs literarijs miscuit, sed tam utilibus atq; adeò ferè necessarijs, ut à posteritate laudem sit meritus. Edvuardum Aruonium, quem alio cognomine secundũ uocant, Anglorum regem, ardenter amabat: uices tamẽ summopere dolebat, ut eius qui deuius et præceps, nihil non agebat prępostere. Illius interea res gestas ab anno in annũ bona fide collegit: cuius tempore, quod gauatim narrat, Scotorũ res auctæ, nostræ quidem (ni manifesta negemus) insigniter diminutæ erant. Vt igitur ad scripta deueniam, congessit

Acta Eduardi secundi, Lib. 1. *Post mortem toti mundo deflendam.*

Præter hoc unum, nihil opusculorum eius uidi, quamuis adhuc plura fortasse scripserit. Claruit Eytonus, regnante eodem Aruonio, anno à Christi redemptoris ortu 1320, & post aliquot annos in prædicto cœnobio uitæ finem accepit.

IOANNES GOLDESTON. X.

IOannes Goldeston, in Eboracensi prouincia oriundus, & Carmelita ex superstitiosa quadam ad Deiparam Mariam deuotione factus, celebris ætate sua Parisiensis rabbinus effulsit. Erat in scripturis perperam & ad monachorum ac sacerdotum quæstum intellectis, atq; in philosophia mundana non infimè doctus, ingenio peracutus, & ad persuadendum in utranq; partem idoneus: Aristotelicum acumen (inquit Lelandus) quemadmodum illa iudicauit ætas, ita exactè consecutus est, ut pauci exactius. Solidæ quoq; eruditioni, potius quàm picturatæ eloquentiæ studebat: ita tamen, ut sui seculi facundia non caruerit. Ex Lutetia Parisiorum reuersus demum, utranq; theologiam, scholasticam scilicet & interpretatiuam, Oxonij pluribus annis publicitùs docuit, maiori nominis fama quàm auditorũ fructu. Erat tamen alijs multis sui temporis doctoribus, in uerbo facundior, in sententijs grauior, atq; in scripturis eruditior, ut ex operibus uidi. Sed commune cruciantiũ locustarũ malum, in cauteriandis cõscientijs habebat. Multa hic scripsit opuscula, quæ in diuersis Anglorũ bibliothecis reperi, uidelicet

In Magistrum Sententiarum, Lib. 4. *An uiatori manenti in uia posit.*
Disputationes Sententiarum, Lib. 1. *Vtrum Deus sua ratione formali.*
Quodlibeta uaria, Lib. 2. *Quæritur utrum Christus sit simpli.*
Determinationes theologiæ, Lib. 1. *Vtrum hæc sit uera, Homo factus est.*
Quæstiones ordinarias, Lib. 1. *Vtrum idæa in diuinis pertineat ad.*
In Euangelium Matthæi, Lib. 1. *Cum primò prædicasset Euangelium.*
Moralitates in Matthæum, Lib. 1. *Sciendum quòd triplex est merces.*
Moralitates in Ioannem, Lib. 1. *Hic est Ioannes Euangelista, qui.*
Moralitates in Psalterium, Lib. 1. *Christus est super omnia, non tamen.*
In canonicam Ioannis, Lib. 1. *Semen ipsius in eo manet, quod.*
Diuisiones sermonum, Lib. 1. *Ter orauit Christus propter pec.*
Collectanea quædam, Lib. 1. *Quid homo sit secundum formam.*
Sermones de sanctis, Lib. 1. *Similis factus est leoni in oper.*
Sermones 50 de tempore, Lib. 1.
Orationes ad clerum, Lib. 1.

Et alia plura. In moralizationibus, quæ mysteriorum sunt locutiones, & in elenchis Aristotelicis plus satis abundauit, uir alioqui nõ impius omnino. Claruit anno Salutis humanæ 1320, regnante Edvuardo prædicto, & eius sub imperio eruditus uir obijt.

IOANNES VVINCHELSEA. XI.

IOannes Vuinchelsea, ab adolescentia errorum magistros, Porphyrium, Porretam, & Aristotelem, Oxonij secutus, theologiam ineptiorem peperit, quàm erat antiqua illa Gentiliũ sapientia, poetica ac fabulosa, ab Orpheo, Musæo & Hesiodo olim conficta. Certum est enim, ut hanc ab istis, ita & illam ab ipsis totam dependere doctoribus, mixtione quadam Centaurica ex diuinis & humanis, per subtiles quæstiunculas & argutos syllogismos fabricatam. Quis ergo non uidet, Chimærica tandem portenta ab his laboribus generari? Processit Vuinchelsæus, prædictæ academiæ sophisticus doctor & prælector olim publicus, ad professionẽ prioribus conuenientem studijs, nempe Franciscanam, senio susceptam Sarisburiæ. Sed ante religionis, ut uocant, ingressum, scholastico stylo edidit,

Sermones festiuales,	Lib. 1.
Super Logicam Aristotelis,	Lib. 1.
Lecturas scholasticas,	Lib. 1.
Quodlibeta theologica,	Lib. 1.

Et alia quædam opuscula. Qui proselytus adhuc, seu ut dicere solẽt, nouitius factus, ante completũ probationis annum, in eodem fraterculorũ collegio senex migrauit, anno Christi 1326, sub Edvuardo prædicto, ut habet Franciscanorum registrum.

NICOLAVS LYRANVS. XII.

NIcolaus Lyranus, ex Iudæorũ genere Anglus, ut Tritemius & Vuernerus sunt testes: atq; inter Hebræorum Rabbinos in literis Hebraicis ab ipsa pueritia nutritus, illud idioma sanctum, ad unguem, ut loquuntur, nouit. Qui mox ut frequentasset scholas publicas, ac Minoritarum quorundam sincerioris iudicij audisset conciones, abhorrere cœpit à Talmudicis doctrinis, atque ita à tota suæ gentis insania stultissima. Conuersus ergo ad Christi fidem, ac regenerationis lauacro lotus, Franciscanorum familiæ se statim adiũxit. Inter quos scripturis sanctis studiosissimus, ac longa exercitatione peritus, Oxonij & Parisijs, cum insulsissimis Rabinis, qui plebem Iudaicam uana Mesiæ aduenturi policitatione lactauerant, disputationibus & scriptis mirificè conflictauit. Deniq; contra eorum apertissimas blasphemias, utrunq; Dei Testamentum diligentiori examine & elucidatione explanauit. Si in plerisque, ut ei à multis imponitur, delirauerit, tempori est imputandum, in quo ferè omnia erant hypocritarum nebulis obscurata. Meliorem certè cæteris omnibus per eam ætatem nauauit in scripturis operam. De uerborum simplicitate non est quòd conquerãtur homines, cum à uocabulis æstimanda non sit æterni patris ueritas. Præclara scripsit opuscula, ut prædictus Tritemius habet, quibus nomẽ suum celebriter deuenit ad posteritatis notitiam, uidelicet hæc:

In *Genesim ad literam,*	Lib. 1. *In principio, &c. Omissis.*
In *Exodum,*	Lib. 1. *Secundum quod dicit Isidorus.*
In *Leuiticum,*	Lib. 1. *Vocauit autem Moyses, &c. Sicut.*
In *Numeros,*	Lib. 1. *Locutus est Dominus, &c. Ex.*
In *Deuteronomium,*	Lib. 1. *Declaratio sermonum tuorum.*

In Iosue,	Lib.1. Introduces eos, & plantes.
In Iudicum,	Lib.1. Suscitauit Dominus iudices.
In Ruth,	Lib.1. In diebus, &c. Hic consequenter.
In Regum,	Lib.4. Per me reges regnant, & legum.
In Paralipomenon,	Lib.2. Colligite fragmenta ne pere.
In Esdram & Nehemiam,	Lib.3. Erit sacerdos super solium.
In Tobiam,	Lib.1. Hæc oportuit facere, &c.
In Iudith,	Lib.1. Arfaxat, &c. Post historias.
In Hester,	Lib.1. In diebus, &c. postquam,
In Iobum,	Lib.1. Patientiam habe in me, &c.
In Psalterium,	Lib.1. Propheta magnus surrexit.
In Prouerbia Salomonis,	Lib.1. Ecce descripsi eam tibi tripli.
In Ecclesiasten,	Lib.1. Verba Ecclesiastæ. Sicut dicit.
In Cantica canticorum,	Lib.1. Osculetur me, &c. Expedi.
In Sapientiam,	Lib.1. Post libros historiales, &c.
In Ecclesiasticum,	Lib.1. Omnis sapientia, &c. Hic inci.
In Esaiam prophetam,	Lib.1. Hierusalem Euangelistam dabo.
In Hieremiam,	Lib.1. Prophetam in gentibus dedi.
In Ezechielem,	Lib.1. Aperti sunt cœli, & uidi uisio.
In Danielem,	Lib.1. Danieli autem dedit Deus.
In Threnos Hieremiæ,	Lib.1. Quomodo sedet. In præcedenti.
In librum Baruch,	Lib.1. Hæc uerba, &c. Post librum.
In prophetas minores,	Lib.12. Duodecim prophetarum ossa.
In Machabæos,	Lib.2. Et factum est, &c. post histo.
In Euangelium Matthæi,	Lib.1. Quatuor facies uni, & quat.
In Marcum,	Lib.1. Facies leonis à dextris eorum.
In Lucam,	Lib.1. Facies bouis à sinistris erat.
In Ioannem,	Lib.1. Facies aquilæ desuper ipsorum.
In epistolas Pauli,	Lib.14. Ecce descripsi eam tibi tri.
In Acta Apostolorum,	Lib.1. Repleti sunt omnes spiritu sanct.
In Epistolas canonicas,	Lib.7. Iacobus Dei, &c. Liber iste.
In Apocalypsim Ioannis,	Lib.1. Oportet te iterum prophetare.

Et rursus eosdem libros moraliter exposuit, demptis septem. Edidit præterea

Apologiam contra quendam Iudæum,	Lib.1. Potens sit exhortari in doctrina.
De Iudæorum perfidia,	Lib.1. Cum Dei adiutorio intendo.
Quodlibetum de Christi aduentu,	Lib.1. Primò quæritur, utrum in lege.
De impletione legalium,	Lib.1. Vtrum per scripturas à Iudæis re.
De uisione Dei contra Papam,	Lib.1. Qui elucidant me, uitam æternam.
De uirginali priuilegio,	Lib.1. Meditatio simplicis de fidei ri.
Collationes quasdam,	Lib.1. Quatuor facies uni erant, &c.
Super Sententias,	Lib.4.
De corpore Christi,	Lib.1.
De idoneo ministrante,	Lib.1.
Sermones de tempore,	Lib.1.
Sermones de sanctis,	Lib.1.

Et alia. Doctor Martinus Lutherus, in secundo & nono capitibus in Genesim, se ideo dicit amauisse Lyranũ, atq; inter optimos posuisse, quod præ cæteris interpretibus diligenter fuerit historiam prosecutus. Claruit anno Christi

Christi 1327, quo Danielem exposuit, ac Parisijs demum obijsse fertur.

APPENDIX.

Theodorus Bibliander: *Vsque adeò inualuit tyrannis Papistica in sacras literas, ut impulerit etiã uiros alioqui bonos, & doctos, & diligentes scrutatores sacrarum literarum, in absurdissimas interpretationes.* Id quod accidit etiam Nicolao de Lyra, cui non parum debent studiosi diuinæ scripturæ. Vt exempli gratia, Apoc. 16. *Phialam iræ & ultionis diuinæ effusam in Euphratem,* exponit Lyranus de Carolo Magno: ut quod inuitatus à beato Iacobo, purgauerit uiam ad eius sepulchrum, in Hispania prius ignotum, hoc modo: *Sextus Angelus, id est, beatus Iacobus, effudit Caroli Magni potentiam, quem inuitauit ad puniendum gentem Saracenicam, quæ dicitur flumen magnum, propter populi illius multitudinem. Et siccauit aquam eius, auferendo Saracenorum potentiam: ut præpararetur uia regibus, id est, peregrinis sancti Iacobi, &c.* Similiter de angelo habente clauem abyssi, Apoc. 20, quem dicit esse Innocentium tertium, *qui approbauit ordines fratrum Minorum & Prædicatorum: Vidi angelum (inquit) id est Papam Innocentium tertium: descendentem de cœlo, id est de apice Pontificali, condescendentẽ sanctis Francisco & Dominico: habentẽ clauem abyssi, id est potestatem approbandi dictos ordines, ad reprimendam potestatem diaboli: & catenam magnam, id est fratrum utriusq; ordinis multiplicitatem. Et apprehenderunt draconem: quia per eorum uitam & doctrinam potestas dæmonis est repressa, & reprimetur usq; ad Antichristi tempora, &c.* Alij quidam Papistarum expositores, *Papam dicunt hunc angelum significare: catenam dicunt esse ordinem Cardinalium ac prælatorum: Imperatorem uerò significari per Draconem & diabolum.* Callidis his sutelis Dei uerbum ad suas libidines, ambitiones & quæstum trahunt. Oua aspidum hi ruperunt, & telas araneæ texuerunt. *Qui comederit de ouis eorum, morietur.* Persuasio traditionum humanarum contra Dei uerbum, ouum est draconis septemcipitis, magni & rufi, qui homicida & parens mendaciorum fuit ab initio creaturæ. Ex quo basiliscum edidit, regem locustarum, angelum abyssi, qui Hebraicè Abadon dicitur, Latinè pernicies.

RADVLPHVS ACTON. XIII.

Radulphus Acton, philosophus iuxtà ac theologus olim celebris, literis & uirtuti adolescens, in diuersis Angliæ scholis operam dedit. Vnde præceptorum ac parentum cura tandem est factum, ut ad maiora studia commigrans, tanquam ad seueriorum artium torrentes se conferret. Quod tam fœliciter ei successit, ut Oxonij magisterium theologicum adeptus, domumq; rediens, magnã sibi ab elimata eruditione laudem inter suos peperit. Cuiusdam enim insignis ecclesiæ rector constitutus, Euangelium regni Dei feruore non modico prædicabat in medijs Romanarum superstitionũ tenebris. Et licet uitio temporis impeditus ita cæcutiret, ut neque plenè sentire neq; purè loqui potuerit: plures tamen protulit locutiones, Dei filiorũ spiritum exprimentes, ut in scriptis eius concionibus adhuc claret. Ex libris certè quos publicos fecit, hos in antiquis uidimus bibliothecis,

Homelias Euangeliorum,	*Lib. 1. Cum in ecclesia mea quietus residerem, & lo.*
Homelias Epistolarum,	*Lib. 1. Hora est iam nos de somno surg.*
Sermones de sanctis,	*Lib. 1. Ambulans Iesus iuxta mare Gali.*
De communi sanctorum,	*Lib. 1. Dixit Iesus discipulis: Ego sum uitis.*
Super epistolis sanctorum,	*Lib. 1. Corde creditur ad iusticiam, ore.*
Homelias morales,	*Lib. 1. Dei uerbis charissimi fratres.*
Commentarios in Paulum,	*Lib. 14.*
Illustrationes in Longobardum,	*Lib. 4.*

Et alia nonnulla. De tempore (inquit Lelandus) quo effloruerit incertus, ex coniectura illum adscribo literatorum numero, qui anno à communis Salutis initio 1320 claruerunt, Edvuardo Aruonio regnum Angliæ gubernante.

IOANNES DVMBLETON. XIIII.

IOannes Dumbleton, Oxoniensis sophista, inter Martonensis collegij alumnos, Porphyriū & Aristotelem secutus, in ethnicis eorum somnijs, & deceptorijs cautelis, infelices horas infelicius collocauit. Rationes inde non dialecticas modò, uerùm etiam philosophicas, absq; omni tamen sermonis elegantia, subtilius excussit. Hinc illi ex assiduis disputationū uersutijs, nomen, fama, & inanes accreuere insanientium Papistarum laudes. Id cum ambitiosus magnarū fatuitatum magister intelligeret, ut indies adaugerent, accinxit se ad Commentarios quosdam inutiles super his effingendos, ut & per illum erigeretur aureus in Oreb uitulus. Inter cætera enim tum demum composuit:

De logica intellectuali,	Lib.9. *De sophismatibus quæ non re, sed no.*
De Philosophia naturali,	Lib.9. *Incipiendum est à primis naturæ.*
Summam theologiæ maiorem,	Lib.10. *Plurimorum scribentium grati laboris.*
Summam theologiæ minorem,	Lib.1.
Summam artium,	Lib.1.
In Philosophiam moralem,	Lib.10.
Commentarios in Cantica,	Lib.1.

Atq; *eius farinæ alia plura.* Callidā iste antiqui serpentis astutiam his gentilium idololatrarū placitis fouens, pro Papæ ac Sathanæ regno, apertas impietates defendebat. Claruit anno incarnati Mesiæ 1320, sub dicto Edvuardo.

THOMAS LANGFORDE. XV.

THomas Langforde, in Essexiæ comitatu, à Maldona non procul, ut fertur, natus, inter Dominicastros, Dominicaster & ipse, prima literarum elementa accepit, rudimentaq; perdidicit. Grandior factus, Cantabrigiensem academiam adiuit, ut esset ad docendum, utinam non ad decipiēdum, potentior. Et crescente paulatim eruditione, scholastica & crassa (qualem habebat tam sordida ætas) theologisticorum magistrorū solennitate quadam ascriptus est numero. Vir erat in scripturis, Aristotelico spiritu intellectis, non mediocriter doctus, ingenioq; & eloquio ad sophisticas rixas promptissimus. A' quibus non mediocriter & illum commendat in historia Prædicatorū Leander Bononiensis. Opera enim hic plura edidit, præcipuè ab orbe condito ad sua tempora,

Chronicon uniuersale,	Lib.1.
Sermones per annum,	Lib.1.
Disputationes quoq;,	Lib.1.

Aliaq; nonnulla congessit. Et historiæ quidem eo nobis sunt necessariæ, quòd aliorū semper & fortunas & casus ob oculos ponant. Claruit anno ab exorta Christiana pietate 1320, sub Edvuardo secundo rege prædicto.

OSBERTVS PYCKENHAM. XVI.

OSbertus Pyckenhā, ex Lynnēsi Nordouolgiorū cœnobio Carmelita, natale solū (hęc inferūt sui) uelut alter Aristoteles aut Plato (si absit barbaries) doctrina multiplici illustrauit. Inter exteros, nempe Gallos, bonam uitę partē transigens, tantū ipse scientijs (quib. dementabat tunc mundus) profecit, ut cōmunibus academiæ suffragijs, pileatorū theologorum numero Lutetiæ sit ascriptus. Fuit nimirū, ut Tritemij uerbis utar, *in scripturis* (Papisticè deprauatis) *eruditissimus, & in philosophia seculari egregiè doctus* (seductus) *acuti ac uehementis ingenij*. Discendo (inquit Le-

landus

landus) & docendo, Parisij tantus, non modò philosophus, uerùm etiam theologus euasit, ut ingens auditorum numerus ad eius prælectiones, tanquam ad sacrosanctum oraculum conuolaret. Hęc & his similia multa sunt, quæ de eo fusius adhuc domestici sui tradiderunt scriptores. Veruntamen, si ex doctrina iudicetur, ex illis ipsis Palæstinis maleuolis erat, qui cœlestis Abrahæ puteos purissimos, humanorū stercorum commentis opplentes, obruerunt: quos eius famuli olim fideles, prophetæ & apostoli fodissent. Reliquit Osbertus posteris suis, ut interim omittā quæ in eius laudem Burellus & Bostius scripserunt in magnis uoluminibus,

Lecturam Sententiarum,	*Lib.4. Conclusio una proposita hæc.*
Quæstiones Sententiarum,	*Lib.4. Pro introductione sententiarum.*
Replicationum suarum,	*Lib.1. Vtrum uoluntas creata sit poten.*
Quodlibeta duplicia,	*Lib.2. Vtrum ex puris naturalibus.*
Determinationes theologiæ,	*Lib.1. Vtrum sit poßibile, Deum per.*
Super Mariæ conceptione,	*Lib.1.*
De clara Dei uisione,	*Lib.1.*
Postillas Bibliorum,	*Lib.1.*
Sermones quoq; uarios,	*Lib.1.*

Et alia deniq; plura. Hæc tamen sola Bibliothecas occupasse uidimus. Claruit anno à Christi incarnatione 1330, sub Edvuardo tertio Anglorum rege potentissimo, præfuitq; multis annis Londinensi Carmelitarum cœnobio, in solenni tandem tumulo, & Gallicè inscripto, sepultus.

NICOLAVS OCKAM. XVII.

Nicolaus Ockam, Franciscanorum non modicus doctor, imò præ alijs multis amatus, decimus octauus Oxonij apud eos in cœnobio prælector publicus, tempestiuè (inquit Lelandus) suo nunc loco accedit. Huius deprædicant doctrinam & libros, tam Thomas Ecklestonus in historia de eorum accessu ad Angliam, quàm etiam eruditorum Franciscanorū Catalogus. Ex illis tamen pseudoapostolis esse uidetur, de quibus D. Paulus 1. Timoth. 1. ait: A' fide quidam aberrantes, cōuersi sunt in uaniloquium: uolentes esse legis doctores, non intelligunt neq; quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Sophisticen quippe, scatebram uniuersi mali, quę orbem semper miseris & horrendis ab initio modis perdidit: studijs suis & ipse ad ueritatis exinanitionē nutriuit, ut ex his eius operib. liquet. Scripsit enim

Commentarios in Longobardum,	*Lib.4.*
Quodlibeta sophistica,	*Lib.1.*
Opus de uerbo,	*Lib.1.*
De latitudine oppositionum,	*Lib.1.*
Astrologi iudicium,	*Lib.1.*

Et alia id genus. Sed ad sacrarum scripturarum enucleationē perfectam aut purā, omnino nihil, quod apud historiarū scriptores legimus. Claruit anno à Redemptoris nostri natiuitate 1320, sub Edvuardo secundo, uaria cōdens.

GVILHELMVS OCKAM. XVIII.

GVilhelmus Ockam, Minoritanę factionis theologus, & Ioannis Dunsij, hominis etiā Angli, sed cognomento Scoti, in scholastica doctrina discipulus, tam atrociter est tandē in illum debacchatus, ut omnia penè oppugnauerit eius & argumēta & dicta. Adinuenerat iste primum Nominalium sophistarum uiam, ut uocant, Realium sophistarū uiæ omnino aduersariam, tum ut nouorum generum litigia crescerent, tum ut ad salutem per

Christum uia redderetur difficilior, uel saltem ut ad eam lumen omne penitus absumeretur. Veruntamen erga Ioannē 23 Rom. Pontificem, Petri Corbariensis causam defendens, ad nihilum quasi deduxit Papę ac prælatorum in temporali dominio potestatem. Et sanctè quidem, si id nō egisset in hominum gratiam, pręcipuè Ludouici quarti Cæsaris, cognomēto Bauari, & prędicti Petri, qui ex Minorita erat tunc Pontifex etiā factus. Hanc ob rem multi, Nauclero teste, protinus confluebant theologi, Alpharus Hispanus, Augustinus de Ancona, Ioannes Vualsyngamus, Ricardus Conyngtonus, Guilhelmus Excestrius, & alij, ad Auenionem Galliæ Narbonensis urbem, super ecclesiastica in temporalibus potestate, aduersus illum peracriter disputaturi. At sapiēs Ockamus, potius elegit in aula Cæsaris, ad quem cum socijs confugerat, quàm in curia Pontificis disputare. Potentissime Imperator (inquit) defende me gladio, & ego defendam te uerbo. Et hic multa ingenij monumenta nobis suo tempore reliquit, scilicet

Super Porphyrium,	*Lib. 1. Quoniam omne operans, quod in suis.*
Summam Logices ad Adamum,	*Lib. 1. Omnes Logicæ tractatores in.*
Maiorem summam Logices,	*Lib. 4. Dudum expletis lectionibus.*
De decem generibus,	*Lib. 1.*
In prædicamenta Aristot.	*Lib. 3. Completa expositione libri Por.*
In Peribermenias,	*Lib. 2. Postquam Philosophus in libro præd.*
Defensorium Logices,	*Lib. 1. Dominus potest facere omne.*
Super Elenchos,	*Lib. 2.*
De scientiarum ingressu,	*Lib. 1. Studiosissimè, sæpiusq; rogatus.*
Quæstiones Physicorum,	*Lib. 8. Vtrum priuatio sit aliqua res.*
In Sententias Longobardi,	*Lib. 4. Circa prologum quæro, utrum.*
Quodlibeta magna,	*Lib. 1.*
Dialecticam nouam,	*Lib. 1. Contradictio in Deo non est.*
Defensorium sui, contra Papam,	*Lib. 1. Omni quippe regno desiderabilis.*
Errores Ioannis 23,	*Lib. 1. Locuti aduersum me in lingua,*
Compēdium errorum eiusdem,	*Lib. 1.*
De fautoribus hæreticorum,	*Lib. 7. In omnibus rebus curiosis.*
Dialogum militis & clerici,	*Lib. 1. Miror optime miles in paucis.*
De sacramento altaris,	*Lib. 1. Stupenda supernæ munera lar.*
De quantitate corporis Christi,	*Lib. 1.*
Compēdium theologiæ,	*Lib. 1.*
De actibus hierarchicis,	*Lib. 1.*
In opera Aristotelis,	*Lib. plures.*
Quæstiones posteriorum,	*Lib. 2.*
Quæstiones de anima,	*Lib. 1.*
De priuatione,	*Lib. 1.*
De materia prima,	*Lib. 1.*
De forma prima,	*Lib. 1.*
De forma artificiali,	*Lib. 1.*
De quatuor causis,	*Lib. 1.*
De mutatione subita,	*Lib. 1.*
De pluralitate formæ contra Sutton,	*Lib. 1.*
De inuisibilibus,	*Lib. 1.*
Conciones uarias,	*Lib. 1.*
Epitomen,	*Lib. 1.*

Apologiam

Apologiam quandam,	Lib.1.
De præceptore & discipulo,	Lib.1.
Opus nonaginta dierum,	Lib.1.
De Christi paupertate,	Lib.1.
De paupertate Apostolorum,	Lib.1.
De prædestinatione sanctorum,	Lib.1.

Atq; alia. In Defensorio sui, conuellit Rom. Pontificis imperium. Vnde illum excommunicauit Ioannes Pontifex, & magistrorum Parisiensium cœtus pro hæretico magno damnauit, suaq; proscripsit Academia, exustis etiã libris. Postea tamen est iterum pro acuto theologo admissus. Claruit anno Christi 1330, sub Edvuardo tertio, in Monacensi Bauariæ apud Noricos cœnobio demum inter Franciscanos sepultus.

APPENDIX.

Theodorus Bibliander: Eo tempore, quum Midas iste, Ioannes Papa 23, paupertatẽ Christi etiam & Apostolorum detestaretur, & Ludouicum Imperatorem, optimum principem, indignis modis uexaret: Christus seruator dedit hominibus eruditis & pijs, apertionem oris, & liberatem scribendi ac loquendi ueritatem contra machinationes Papisticas, uel potius Antichristianas. Namq; Marsilius Patauinus, iuris diuini & humani peritissimus uir, explicuit sophisma perniciosum ecclesiæ & imperio in libro cui titulũ fecit, Defensor pacis. Guilhelmus etiã Ockam, & Michael de Cesena, frater Bonagratia, et alij theologi, diuinis scripturis dominatũ Papæ oppugnarũt. Ioannes Lelandus: Inter hæc, secta quædã fratricellorum orta est, qui paupertatem Christi & Apostolorum cõstanter prædicauerunt. Inter quos & hic noster Ockamus postea signifer fuit. Nam librum de paupertate Christi, strenui ducis officio functus, scripsit ad Ioannem 23 Pontificem Romanum. Ille uidens, nisi maturius tantæ pesti occurreret, suas opes, pompã, fastumq; perditũ iri, totis uirib. nouã factionẽ radicitus extirpare contendit, Ockamum ecclesiasticæ censuræ fulmine percutiens. Territus Ockamus, in Bauariam ad Ludouicum imperatorem confugit, à quo humaniter est acceptus, &c. Antoninus par. 3. tit. 24, cap. 9. Ioannem Papam Fratricelli pro hæretico habebãt, quia dicebat Christũ aliquid habuisse in communi, idq; per Iudam distribui uel disponi, Ioãnes Tritemius: His diebus Gerardus Odonis, minister generalis Minoritarũ, composuit officiũ de D. Francisci uulneribus pictis. Sequebatur & festiuitas braccharum eiusdem, ut Thomas Ecklestonus habet. Franciscus Maronis etiam scripsit de formalitatibus, ut & hæc ætas suam habeat theologiam nouam.

RICARDVS VVALINGFORDE. XIX.

Ricardus Vualingforde, ab oppido eiusdem nominis in ipsa Tamesis ripa, ubi natus erat, sic dictus: curante patre fabro ferrario, Oxoniũ, Academiam uicinam adolescens petijt, atq; in Martonensi collegio literis profecit. Ita monasticæ uitæ amor (Lelandi uerba sunt) in eius postea irrepsit animum, ut D. Albani monasterium adiret, & in Benedicti uerba iuraret. Quid eius labores & uigilias, quas Arithmeticæ, Astronomię, Geometrię, & cæteris id genus artibus impendebat, commemorem? Certè hoc cõstat, tam numerose doctum fuisse: ut tandem ad cœnobiũ reuersus, solus ex tanto monachorum numero uisus sit dignus, in mortui abbatis locum succedere. Talem eruditionis, ingenij & artis excellentis miraculo, horologij fabricam, magno labore, maiore sumptu, arte uerò maxima, compegit: qualem non habet tota, mea opinione, Europa secundam: siue quis cursum solis & lunæ, seu fixa sidera notet, siue iterum maris incrementa & decrementa, seu lineas unà cum figuris ac demonstrationibus, ad infinitum penè uarijs, consideret. Huic operi canones, edito libro, cui nomen Albion, addidit: ne monachorum errore tandem uilesceret, ut erat in Mathesi omnium sui tempo-

ris primus. Albion enim, omnia per unum (all by one) Brytannicè sonat, arridetq́ cœnobij uocabulo. Vnde composuit

Canones in Albionem,	*Lib.1. Albion est Geometricum instrum.*
De sinibus demonstratiuis,	*Lib.1. Quia canones non perfectè.*
De cohrda & arcu,	*Lib.1. Arcus dicitur pars circunferent.*
De iudicijs astronomicis,	*Lib.1. Ad perfectam notitiam eorum.*
De rebus astronomicis,	*Lib.1.*
De rebus arithmeticis,	*Lib.1.*
Exafrenon,	*Lib.1.*
Rectangulum,	*Lib.1.*
De computo,	*Lib.1.*

Atq; alia plura. Claruit anno Salutis humanę per Seruatorem natum 1326, sub Edvuardo secundo. Incidit demum in lepræ scabiem, qua morbi contagione ingrassante, extremum obijt diem, in suo cœnobio honorificè sepultus.

THOMAS HASILVVODE. XX.

THomas Hasilvuode, ex chronographorum eorum numero unus fuit, quos illustris uir memorię, clarissimusq́ Anglicarum antiquitatũ assertor, Guilhelmus Botoner, in suis collectaneis adfert. Qui Canonicus regularis Augustinianæ professionis existens, in monasterio de Leydis, Cantiani comitatus, scholas celebrauit, amauit & coluit: inq́ eo teneros literarum studiosissimus exegit annos. Aetas uerò illius ubi matura esse cœpit, bonarum artium conseruationi in eodem cœnobio, iuniorum institutor traditus fuit. Cum tandem inter eruditos illic eximius haberetur, ad historiarum uariam lectionem se contulit, & ex multis inter alia collegit,

Chronicon compendiarium,	*Lib.1.*

An aliud quicquam inter ocia sua literaria ediderit, compertum adhuc nõ habeo. Id tamen reperi apud præfatũ Botonerũ, claruisse illum anno à Christi redemptoris natiuitate 1321, sub Edvuardo secundo Anglorũ rege.

ROBERTVS KAREVVE. XXI.

RObertus Karevue, aliàs Ceruinus, Oxoniensium magistrorum raras admiratus tum uirtutes tum doctrinam egregiam illam (sic certè scribit Lelandus) cœpit & ipse Oxoniensis esse, ac philosophię incredibili studio adhærere. Tandem emeritus eruditi uiri nomen, exhibuit rem titulo planè non inferiorem, in lectionibus & scriptis editis. Hæc ille. Putabat'ne in his Lelandus, scripturã diuinã, suapte natura clarã & simplicẽ, absq; acumine Thomistico aut subtilitatibus Scoticis materiam esse confusam & informem? opusq́ esse Aristotele fanaticorum patriarcha, ut per hos cæcorũ duces infundat carnalis suæ rationis lumen, quo illustrentur Christianorũ scholæ? Quorsum tendit execrabilis hæc calumnia? Composuit hic sophisticus doctor

In posteriora Aristotelis,	*Lib.2. Testante Lincolniensi, in primo poster.*
Super Sententias Longobardi,	*Lib.4. Tria sunt mihi difficilia, & quar.*
Ordinarias quæstiones,	*Lib.1.*

Et glossulas quasdam magistrales, quæ genuina Scripturæ uerba à natiuo sensu, ad Rom. synagogæ fastum, ambitionem, auaritiam, tyrannidem & luxum confirmandum, uiolentissimè torquebant. Claruit anno Christi 1326, sub prædicto Edvuardo.

IOANNES BLOXHAM. XXII.

IOannes Bloxham, Cestriensis cœnobij Carmelita: Oxonij post exercitationes pueriles, utrique philosophiæ, & diuinæ & humanæ, noctes atque dies,

dies, sui seculi more inuigilauit. Eoq; eius accreuit fama post susceptum doctoratum, ut apud Anglos, Scotos & Hybernos, supremum sui ordinis magistratum gereret. postquam esset Ioannes Baconthorpius, super quadam matrimonij quæstione, Romam uocatus. Anglorum uerò regibus Edvuardis, secundo & tertio, tam charus ille fuit, ut in arduis eorũ negotijs ad Hyberniam & Scotiam nuncius sæpe mitteretur. Hybernorum interim plura sui ordinis cœnobia præcipiente rege uisitauit: & ad locũ, Atrium Dei appellatum, primores eorum aduocãs, magnam apud eos pro tempore reformationem instituit, non ad puram Euangelij regulam, sed ad impias Papisticarum superstitionum formas. Illic etiam docuit, Papam Antichristũ uniuersalis ecclesię summum esse pastorem: & quòd sic credere, atq; illi parêre, sit de necessitate salutis. Scripsit præterea Bloxhamus,

Commentarios sententiarum,	*Lib.4.*
Annotationes in Apocalypsim,	Lib.1. *De apertione septem sigillorum.*
Epistolas 186. ad diuersos,	Lib.1. *Viro uenerabili ac discreto.*
Hyberniensium ordinationes,	Lib.1.
Sermones uarios,	Lib.1.
Quæstiones disputatas,	Lib.1.

Feruntur & alia, sed tituli desunt. Claruit anno ab incarnatione ueri nostri Messiæ 1334, quo erat in Anglia magister sui ordinis, sub Edvuardo tertio: rexitq; eundẽ annis duobus cum dimidio, in expeditionibus regijs deinceps occupatus.

ROBERTVS PERSCRVTATOR. XXIII.

ROBERTUS Perscrutator, patria Eboracensis, & in ea satrapia nutritus, ut sub religionis fuco mundum egregiè magus dementaret, Dominicanorum fraterculorum ordinem intrauit. Inter quos, post Aristotelicas artes obnixè imbibitas, nefarias & maleficas uersutias, Goetiam atq; Theurgiã, cum experimẽtis necromanticis profundius hausit, ac didicit. Et, ut Lelandus habet, philosophiæ penetralia omnia tam anxiè perscrutatus est, ut magiam nescio quam præstigiosam, magnis ausis aggressus sit scribere, & in lucem emittere. In quod opus, & casu haud scio an utili, incidit Henricus Cornelius Agrippa. qui in libro de Vanitate scientiarum, & in epistola nuncupatoria ad Ioannem Tritemiũ Spanhemensem abbatem, super occulta philosophia recitat: Quòd quum se Magiam tradere polliceretur, non nisi deliramenta, superstitiones, & meras nugas præstiterit. Congessit ille,

De magia cæremoniali,	Lib.1.
De impreßionibus aeris,	Lib.1. *In anno Christi 1325, in ciuitate.*
Correctorium Alchimiæ,	Lib.1. *Cum omnis rerum emendatio illi.*
De mirabilibus elementorum,	Lib.1.
De mysterijs secretorum,	Lib.1.

Et alia quædam eius generis. Circa hæc tempora claruit hic præstigiator, anno scilicet à Seruatoris per carnem origine 1326, Edvuardo secundo adhuc regnante, & sub fratris Perscrutatoris cognomine suos uulgabat fœtus.

NICOLAVS TRIVETH. XXIIII.

NIcolaus Triueth, ex Nordouolgiorum comitatu, natalium splendore conspicabilis, genitorem habebat Thomam Triuetum, equitem auratum, atq; olim regis iusticiarium. Londini inter Dominicanos à puero conuersatus, eorumq; instituta professus, politioribus literis, ut tunc erant, & se & factionem suam multipliciter ornabat. Oxonij tandem, iactis his rerum fundamentis,

fundamentis, theologici doctoratus pileo donatus, in scholis disceptando, & in templis declamando, illustris magister habebatur. Parisium inde academiam nobilem, linguarum et cognitionum auidus, petijt: oculos, animum, sensus denique omnes ad literas conuertens, quas demum tanquam è plenis fontibus ad saturitatem usque hauriebat. Erat procul dubio rebus tum humanis tum diuinis, longo exercitio peritus, ore & ingenio promptissimus, historicusque sua tempestate celeberrimus. Vnde Londinum denuò reuersus, totius sui collegij præses, ad eius tam utilitatem quàm honorem constituebatur. Congessit exquisito labore uolumina plura, pręcipuè annales à mundi exordio usque ad natum Christū, etiam ab eo ad sua tempora usque. In quibus Gallorum, sicut & Anglorum, res gestas pulchro descripsit ordine. Et hæc ingenij monumenta posteritati commendauit,

In declamationes Senecæ,	*Lib.8. Filij potentes alant parentes.*
In Ouidij Metamorphosin,	Lib.15. *A'ueritate quidam auditum auer.*
In Boetium de consolatione,	Lib.5. *Explanationem librorum Boetij.*
In eundem de Disciplina schol.	Lib.1. Boetius in libro de Trinitate.
In Aristotelis problemata,	Lib.1.
In tragœdias Senecæ,	Lib.9. Sicut docet Tullius, duo sunt ge.
In alia opuscula eiusdem,	Lib.1. *Rudis adolescentiæ petulantiam.*
In Valerium, ad Rufinum,	Lib.1. Mulier, si primatum habeat, &c.
In Augustinum de ciuitate Dei,	*Lib.10. Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas.*
Quodlibeta theologica,	Lib.1.
Commentarios in Genesim,	*Lib.1. Corruptio humanæ naturæ ex primo.*
Commentarios in Exodum,	Lib.1. Deus uisitabit uos, & ascendere.
Super Leuiticum,	Lib.1. *Expositionem librorum legis Mosaicæ.*
Super Psalterium,	Lib.1. *In Psalterio decachordo psallam tibi.*
Commentarios scripturæ,	Lib. plures.
Historiam ab orbe condito,	*Lib.5. Inter eos qui mundi concedunt exor.*
Historiam 6 regum Angliæ,	Lib.1. Atheniensium Romanorumque res gestas.
In Paralipomenon,	Lib.2. Inter celebres ueteris Testamenti.
De computo Hebræorum,	Lib.1. *Expleta expositione Leuitici.*
De astronomia,	Lib.1.
In regulam Augustini,	*Lib.1. Inter multas & uarias, religiosam.*
De perfectione iusticiæ,	Lib.1. Insinuauit mihi nuper amicus.
De Missa, & eius partibus,	*Lib.7. Fons sapientiæ uerbum Dei in excelsis.*
De officio Missæ,	Lib.1. Rogatus à quibusdam, ut de Missa.
Annales à Christo,	Lib.1.
De peccatis,	Lib.1.
De uirtutibus,	Lib.1.
Quæstiones uarias,	Lib.1.

Cætera eius scripta, quæ plura fuisse dicunt, non uidi. Historiam ab orbe condito, Annotationes temporum à mundi origine nuncupauit, & Hugoni de Engolisma, archidiacono Cantuariensi dedicauit. Obijt ferè septuagenarius, anno à Christo nato 1328, & in Dominicanorū collegio Londini est sepultus, Edvuardo tertio regnante.

APPENDIX.

Ioannes Ludouicus Viues, in censura ueterum interpretum operis D. Augustini de ciuitate Dei, Triuethum hunc cum adiuncto sibi socio Thoma Vualleys, nihil illic exposuisse sacrum refert. Nicolaus Brigam, in uenationibus rerum memorabilium, dicit illum scripsisse super poemata et historias solas,

solas, ab Augustino in eo opere tactas. Ioannes Bloxham, in Hyberniensium ordinationibus, statuta quinquaginta rubricarũ Gerardi Bononiensis, quas constitutiones uocant, pro legibus ad mores in synodo promulgauit: & Ordinale Siberti de Beka, pro religione cæremoniarum obseruari apud eos deinceps præcepit: ut ita, neq; in diuinis neq; in policitis legibus obedietes essent Deo, iuxta illud Leuit. 20. Custodite præcepta mea. Et illud Rom. 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Vide in his traditionibus, qualiter à Christo ad Antichristum plenè defecerint, ut locustarũ naturam exprimerent: atq; ut ostenderent, se habere super se regem, angelum abyssi & Abadonem, exterminatorem ac perditionis filium, Apoc. 9. & 2. Thes. 2. Ioannes Palenydorus, uel de Veteri aqua, scribit in lib. 3, cap. 11. Fasciculi ordinis sui tripertiti, Mariam Christi matrem, Ioanni 23. hæc parũ ante Papatum, in quadam uisione dixisse: Vidi tuam ad me deuotionem. Veluti igitur ego te ab aduersario tuo liberabo, & ad altissimum (Maria Papas facit) promouebo gradũ: sic uideas, quòd similem fratribus meis, Heliæ filijs, uicem rependas. Regulam ab Innocentio confirmatam, solidè approbabis. Insuper me & filio meo iubentibus, priuilegium hoc dabis, ut quicunq; ordinem meum intrauerit, à culpa & pœna liberatus (non saluat Christus sine Papa uicario) in æternum saluus fiat et, c. Istam apparitionem cum inauditis indulgentijs, & animarum à purgatorio liberationibus, in quolibet eius festo & in sabbatorum Missis, in quadam Bulla legi, tam in Anglia quàm in Hannonia. Quæ etiam Romæ, anno Domini 1530, sub Clemente 7 renouata fuit, Nicolai Audeti eorum magistri generalis procuratione pecuniaria. Impudentissima hæc magnæ meretricis impostura fuit, in tanta Euangelij luce. Et ecce quàm sint matri similes in mendacijs ac dæmoniorum doctrinis filij nequam. Francisci uulnera, & Dominici cilicium, ad hæc comparata, nihil sunt. O Dei atq; hominum proditores.

GVILHELMVS ALNEVVYCK. XXV.

GVilhelmus Alneuuyck, in illo Northumbriæ ad septentrionem oppido munitissimo, prope Scotiam erat editus: qui putãs in solo Francisci nodoso funiculo Christum residere, eius institutũ insanus arripuit. Necq; satis illi postea fuit, histrionicos ipsius sectæ mores imitari, quin & fanatica sophistarum dogmata, sacrosanctis Dei scripturis, in quotidiano studio præponere moliretur. Id demũ uidentes Oxoniensium magistrorum proceres, theologi suprema insignia omnibus suffragijs illi cõtribuerunt. Qui & illinc memor collati muneris, fructus tali theologo dignos protulit, nempe superstitionis paganicæ fæces ac tenebras. Nihil enim in prælectionibus theatricis delicatum magis habuit, quàm insolitis uerborum portentis corrumpere Christi legem, & in eius seruos dolum facere. Ista tum demum edidit, ut habet Bartholomæus Pisanus, in Conformitatibus Francisci,

Lecturam Sententiarum,	Lib. 4.
In Philosophiam naturalem,	Lib. 8.
Sophismatum elenchos,	Lib. 1.

Et similia. Quantum hæc Christianę professioni conducant, discernat ille, qui uel scintillam attigerit fidei. Fuit hic aliquando Episcopus in terra laboris, & Auenione obijt, anno Christi 1332, ut ex quodam didici Minorum catalogo.

MARTINVS ALNEVVYCK. XXVI.

MArtinus Alneuuyck, ex eo etiam Northumbriani comitatus oppido natus, in Nouocastrensi Minoritarũ collegio, Franciscani stigmatizati, adhuc adolescens, seraphicus imitator esse studuit. Ab eius professione & regula, quas alterius baptismi atq; Euangelij suscepit loco, processit mox ad Porphyrium, Aristotelem, Longobardum, Scotum, & alios nouos ex Papę commissione scripturarum interpretes. Ab illis hausit spiritum, nõ paracletum illum, qui gratia & intellectu apostolos repleuit, ac linguas docuit, Act. 2, sed spiritum uertiginis, qui errare fecit Aegyptũ in omni opere

suo, sicut errat ebrius & uomens, Esa. 19. Ex illo spiritu, Oxonij à magistris in theosophistarum receptus classem, tricesimus secundus apud Minoritas Sententias prælegit. Composuit iste

Commentarios in Longobardum,	Lib. 4.
Chronicorum opus,	Lib. 1.
Disputationes quasdam,	Lib. 1.

Præter hæc nihil opusculorum eius in illustrium Franciscanorum Catalogis reperi. Obijt mortem, Guilhelmo prædicto ætate, ut apparet, iunior, anno à Christi incarnatione 1336, Nouicastri in suo cœnobio sepultus, Edvuardo tertio regnante.

IOANNES TANETOS. XXVII.

IOannes Tanetos, ab ea Cantiorũ insula sic dictus, incœpti Benedictini monachus, & ecclesiæ Cantuariensis ad fanum Seruatoris præcentor, cæteros commilitones scientijs ætate illa superabat. Est Tanetos insula, quæ ad ortum Cantij spectat, patetq́ in longitudinẽ uix milliaria nouem, ac in latitudinẽ paulo minus. Mathematicas scrutatus hic disciplinas, præcipuè musicam, nouos quosdam a seculo Anglico inauditos canendi modulos, uelut Amphion alter, commonstrabat: ut eo admiratiores essent in magna illa idolorum synagoga Romanorum cæremoniæ. His putabat friuolis hominum commentis, Deum magnificè coli, delirans ille monachus: qui non alia post Euangelij fidem, quàm *mutuæ charitatis officia* à *Christianis* hominibus petit. Atque dum esset hic omnium in choro ductor, & ad cantiones antesignanus, Papisticarum obseruationũ studiosissimus, chartis commisit opus nouum,

De officijs Cantuariensis ecclesiæ,	Lib. 1. *Quia propter diuersas diuersorum.*
De quorundam sanctorum uitis,	Lib. 1.

Et alia quædam. Aegyptiorũ sacra, celebritates & pompas, pro Christianis ritibus habebat hic musicus. Et claruisse fertur anno à Seruatore nato 1330, sub Edvuardo tertio Anglorum rege: Cantuariæq́ tandem sepelitur.

HVGO DE SANCTO NEOTO. XXVIII.

HVgo de sancto Neoto, uel à fano Neoti, Huchinẽsis cœnobij in Hartfordiensi comitatu Carmelita, inter eius sectæ commilitones, artium studiosus, uitam duxisse fertur honestam. Aliqui istum spiritum habuisse uigilantem ex hoc putant, quòd illis tunc adhæsisse diceretur, qui in Aegyptiacæ caliginis medio, ueritatis lucem quærebant: fuisseté ipsis consuetudine quadam familiaris, gratus & utilis. Porrò in nulla ætate dormitauit, ut canit Psalmista: Neque dormiet, qui custodit Israel, Psal. 120. In scholis Cantabrigianis (inquit Lelandus) magnam ille ex continua concione, ac solida literarum cognitione sibi peperit laudem. Præmiumq́ eruditionis non uulgaris, insignib. theologi in eadẽ Academia dono datis accepit. Vnde dum mundus profundo adhuc obrueretur ignorantiæ somno, dormitantem hominum multitudinem, Dei uerbo excitare non cessabat. Hinc ille post suas lecturas & conciones, lucubrationes edidit

In Lucam euangelistam,	Lib. 1. *Beatus Lucas istud Euangelium.*
De conceptione Mariæ	Lib. 1. *An beata uirgo fuerit in orig.*
Sermones per annum,	Lib. 1.
Quæstiones disputatas,	Lib. 1.

Atq; alia, quæ nos latent. Hic apud suos erat, quasi piscis ita in palude uiuens, ut nihil trahat de sapore palustri, doctrinamq́ pietatis in lecturis habebat. Obijt

bijt Huchini, sexto idus Septēbris, anno Christi 1340, sub tertio Eduuardo.

GVILHELMVS ALTON. XXIX.

GVilhelmus Alton, (exteri scriptores de Alchono corruptè cognominant) cum adhuc adolescens esset in Suthamptonensi comitatu, cęca suasione suorum parentum, seu potius mera insania, Dominicanorū se sanctionibus deuouit. Neq; unquam fuit in illis obliuiosus aut negligens auscultator, quæ uel eorum hypocrisim promouebant, uel fastum eleuabant, (ut erant ipsissima eorum cæremonialia & Thomistica dogmata) sed tam prospero incessit in illis gradu, ut inter solenniores ordinis sui magistros tandem numeraretur. Quibus tamen deinceps honoribus apud illos auctus fuerit, aut quæ in cœnobijs ac synodis officia gesserit, in suorū fratrum Chronicis nō lego. Veruntamē ad astra ipsum in suis scriptis euehūt, Leander Bononiēsis & Petrus Vicentinus, Italici scriptores, quòd impense Aristotelem coluerit, atq; in uirginis Mariæ conceptione labem affirmauerit esse. Composuit assiduus (rara auis inter fratres) scripturarum interpres, & Parisiensis Sorbonæ magister,

Lecturam in Ecclesiasten, Lib. 1.
Postillam in Matthæum, Lib. 1.
De decem uirginibus, Lib. 1.
Quæstiones uarias, Lib. 1.

Et Commentarios adhuc in libros sacros, plures, ut habet Bostonus Buriensis, in magno suo Catalogo. Eratq; non uulgaris sermonum declamator, & floruit anno à salutifero diuæ Virginis partu 1330, sub Eduuardo prædicto.

RICARDVS STRADLEY. XXX.

RIcardus Stradley, apud Anglos occidētales, in ipsis Vuallię finibus ortus, in tenera ætate tot clara bonę indolis signa ostendebat, ut parētes amore sui totos inflāmauerit. Iamq; ex ephebis excesserat, cum Herefordiæ iuraret in uerba Bernardi Clareuallensis: hac tamen proposita sibi lege id fecit, ut studium quoq; sacrarum literarum professionis adiūgeret instituto, ut Lelandus noster habet. In eo studij genere cogitabūdus, & in eius amore in dies magis ac magis ardens, animum à profanis artibus, ad Christi legem & ad Euangeliorum dicta conuertit. Atq; ita in illis studijs, Lelando etiam teste, eluxit Ricardi huius inter suos sodales gloria, ut uni illi totius collegij fortunas, honorem, gubernationemq; deferrēt. Edidit ipse inter ocia literaria,

In Euangelia commentarios, Lib. 4.
In orationem Dominicam, Lib. 1.
Homelias quoq; multas, Lib. 1.

Aliosq; plures Bibliorum libros ecphrasibus & glossis suo illustrauit more, in suo tandem cœnobio sepultus. Sed quo tempore claruerit, nostrorum scriptorum asserit nullus. Ad hæc igitur tempora, quorundam coniecturis illum transferre cogor.

APPENDIX.

Paulus Aemilius: Anno Domini 1329, Petri Cugnerij actio in episcopos pro Philippo Valesio Gallorum rege producta est, qua conabatur illis cùm temporalem auferre iurisdictionem, tum illorum totiusq; cleri mores in melius conformare, Petro Bertrando Eduorum episcopo præcipuo defensore. Hanc finijt rex, quare nomē Catholici meruit. Ex alio chronographo: Petrus de Cugnerijs, miles et consiliarius Philippi Francorum regis, scripsit de grauaminibus prælatorum, anno Domini 1329. Petrus Bertrandi iuris doctor & episcopus Eduensis, aduersus Cugnerium scripsit, ex quo factus est

Cardinalis. Christianus Massæus: *Circa annũ* Domini 1332, *Papa Ioannes* 23, *prædicauit errorem, dicens, animas non uidere Deum ante extremum iudicium. Sic enim pater docuerat, deceptus ex uisionibus (ecce Euangelium sanctißimi) Tundali, impostoris Hybernici. Misitq́; Parisium duos (pseudoapostolos) alterum Dominicanum, alterum Franciscanum, qui eandem hæresim prædicarent. At Pontifici restitit quidam Thomas Vualleys prædicator Anglus, quẽ propterea Pontifex in carcerem misit. Illi etiam restiterunt Ioannes Baconthorpius & Osbertus Pyckenhan Carmelitæ: Nicolaus Lyra Franciscanus, Durãdus de S. Porciano, & Guilhelmus Caleth, Dominicani. Rex autem Gallorum Philippus conuocauit concilium ad palatium suum in Vintiana sylua: ubi omnes congregati, cõtra Pontificem subscripserunt. Hinc rex legatos ad Papam misit, ad reuocãdum errorem eum adhortans, ac ut Thomam captum dimitteret. Qui uinctum absoluit: se quoq́;, ut fertur, admonitionibus amicorum in mortis articulo emendauit. Raphael Volaterranus: His temporibus, Ioannes Andreas, ex patre Andrea presbytero & matre concubina natus floruit, qui fons Canonum existens, apud Mugellium agri Florentini oppidum, iuris scientia uirtutibusq́; alijs natalium pudorem contexit. Ioannes Tritemius: His quoq́; diebus, Guido de Monte Rothery composuit Manipulũ curatorum: et Hermanus de Shildis Augustinianus, Manuale sacerdotum, ut eis essent Euangelij loco.*

GVILHELMVS HERBERT. XXXI.

Gvilhelmus Herbert, ex Brytannica gente, apud Vuallos oriũdus, eo tempore literis operam dabat, quo non solùm Brytannia ipsa, sed & tota simul Europa, imò uniuersus ferè mundus, Papæ paganismo corrumpebatur. Non poterat ergo eius ætatis frequentans gymnasia, quibus Antichristus ipse in cunctis dominabatur, *iniquarum illius fœditatum* non trahere sordes: quum difficile sit picem tangere, & non ab ea inquinari, Eccles. 13. Et quo id citius in suum fieret damnum, Minoritas Herefordenses est aggressus, *ut eorum* cum cuculla Papismum indueret. Lelandi uerbis mollioribus deinceps utar. Hic Franciscanæ institutionis (inquit) philosophus, idemq́; *theologus, inter Oxonienses floruit usque adeò*, ut prælegendo & concionando, famam insignem latè sibi comparauerit. Quam ut & ampliorem quoq́; faceret, scripsit de more scholastico,

Quodlibeta quædam, Lib. 1.
Commentarios in Deuteronomium, Lib. 1.
In Apocalypsim Ioannis, Lib. 1.

Et alia nonnulla. Apud Thomam Ecklestonum in historia Minoritarũ, quadragesimus tertius theologicæ lecturæ professor, Oxonij in eorum collegio numeratur. Obijt anno à Christi natiuitate 1333, Herefordiæ sepultus sub Edvuardo tertio.

RICARDVS CONYNGTON. XXXII.

Ricardus Conyngton, Cordigeræ sectæ supremus in Anglia magister, ab excellentis doctrinæ uiris Oxonij nutritus, non modò literas illic profitebatur, uerùm etiam interpretationi Latinorum authorũ sedulus incũbebat. Sed ea fecit, prius q̃ esset in altißima superstitione Minoritis adiunctus. postea ab Antichristo discedere, uel in minimo fas nõ erat: sed cautelis sophisticis, ut armis ad eius bella contra Dei ueritatem necessarijs, uti. Et hoc in eo apparet opere, quòd pro Ioanne Papa 24, aduersus Ockamum scripsit, cui titulum addidit, De Christi dominio. Hinc est, quòd à doctißimorum uirorum Oxonij consuetudine, scilicet Ioannis Vualsingamij, Guilhelmi Excestrij, & aliorum, Lelandus illum cõmendat. Constat etiam (inquit) tantam huius apud suos tum doctrinæ tum continentiæ titulo existimationem fuisse, ut ministri prouincialis præficeretur muneri. Edidit uerò

Lecturam Sententiarum, Lib. 4.

In Psalmos poenitentiales,	Lib.1. Saepius dum sedebam solitarius.
In quadragesimale Gregorij,	Lib.1.
De Christi dominio,	Lib.1.
Sermones solennes,	Lib.1.
Quodlibeta quoq;,	Lib.1.

Alia multa composuisse à suis perhibetur, ego tamen praeter haec nihil opusculorum eius uidi. Obijt tandem Cantabrigiae, anno assumptae nostrae humanitatis per Christũ 1330, in Franciscanorum coenobio sepultus, sub dicto Eduuardo.

GVILHELMVS EXCESTRE. XXXIII.

GVilhelmus Excestre, ex eadem urbe, ut apparet, oriundus, quae totius Deuoniae & Cornubiae episcopalis sedes est, atq; eiusdem ecclesiae cathedralis canonicus fuit praebendarius. Est autẽ Excestria seu Exonia, urbs Deuoniae comitatus, loco excelso ad occidentem uersus posita: abluiturq; flumine Exi, à quo nomẽ habet, distatq; à mari circiter millia passuum tria. Hominem istum, historici ab eruditione praecipuè collaudant, quam et honor, nempe Oxonij magistratus theologicus, suo quoq; tempore secutus est. Dum uerò Ioannes 23 Rom. pontifex, Fratricellos damnaret, qui docebant Christum & Apostolos adeò pauperes fuisse, ut nihil haberent suum, neq; in particulari neq; in communi: timebat hic etiam suae tam crumenae quàm uentri: expertus eandem hydropicã sitim, quam nouerat habere Romanos. Arrepto igitur calamo, determinationes illas, quas parum antea in scholis euomuerat, contra Ockamum & alios ei adhaerentes theologos statim scripsit,

Pro proprietate Ecclesiae,	Lib.1. Saepe expugnauerunt me à iuuent.
De paupertate, contra fratres,	Lib.1.
De generatione Christi,	Lib.1.

Et alia plura edidit, quae mihi sunt ignota. Caetera autem quae toto uitae suae tempore fecit, antiquitas obscurauit. Verumtamen claruisse illum nouimus, anno ab aeterni filij Dei incarnatione 1330, Edvardo tertio in Anglia regnante.

LVCAS BOSDENVS. XXXIIII.

LVcas Bosdenus, ut Lelandi testimonium adferam, ex Occidentali quadam Anglorum regione Carmelita: Isidis in uado (sic uocat Oxoniũ) à primis adolescentię suae annis, bonis artibus inuigilauit. Vnde per omnes scientiarũ gradus, processu temporis in eodem gymnasio tam prosperè creuit, ut theologi titulo supremo tandem insigniter sit donatus. Sed hoc in eo ac sui similibus sophistis, quod optassem, non pensitauit Lelandus, quòd molitiones giganteas impostricibus hominũ scientijs, aduersus Dei scientiã in excelso, cum Nimrodica factione extruxerit. Audẽt etenim tales Antichristi milites, terminos antiquissimos, quos ecclesiae patres, Apostoli & prophetae posuerunt, submouere: & cõdere nouos articulos fidei, noua dogmata, nouasq; uiuendi leges. Neq; uerentur fraude & interpretationibus malignis, scripturas diuinas inuertere & corrumpere, contra illud Salomonis Prou. 30. Ne addas quicquam uerbis illius, & arguaris, inueniarisq; mendax. Hi sub specioso pacis nomine, pacem hominibus auferunt: & Christũ ostentando, Antichristum insinuant. Hic Lucas barbarè quidem scripsit,

In sex principia Gilberti,	Lib.1, Prout uult Aristoteles in quinto.
Super Philosophiam naturalem,	Lib.8.
Quaestiones theologicae,	Lib.1.

Aliaq; eiusdem farinae. In his est illa adulterina sapientia, quam Paulus uocat

operationem Satanæ, in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt, eo quòd ueritatem non receperunt. Claruit Bosdenus anno Christi 1340, sub eodem Edvuardo.

THOMAS VVALLEYS. XXXV.

THomas Vualleys, aliàs Gualēsis appellatus, ex Dominicanorum instituto theologicus heros, in Oxoniēsi gymnasio plures sui temporis magistros ingenij magnitudine superabat. Fuit nimirum (si uera sunt, ut certa esse conijcimus, quæ de eo Tritemius adfert) utraq; disciplina, diuina & humana, nō ignobiliter eruditus, sermonū popularium declamator eximius, atq; in scholasticis digladiationibus concertator acutus. Quum prædictus Papa Ioannes 23 claram Dei uisionē ante diem ultimū in beatis pernegasset, & per concionatores Minoritas & Dominicanos Parisij propalari mandasset, occurrit eis hic Thomas, & in Christi uerbo potenter obstitit, perferens & opprobria & carceres. Illum tamen Ioannes Ludouicus Viues, indignè uersari dicit circa pulcherrimos D. Augustini libros, extitisseq; cognitionis rerum ac elocutionis prorsus inopem. Sed huic Lelandus ita respondet: Quærebat ea ætas (inquit) potius bonarum scientiarū neruos, quàm orationis pompam, aut eloquētiæ phaleras. Quam in suis studijs rationem Gualensis hic noster secutus est, homo alioqui nec lucido docendi ordine, nec mediocri destitutus facundia: id quod ex eius operibus liquet. Et ne quid studiosus lector desideret, operum eius indicem subijciemus. Composuit enim,

Commentarios in Genesim,	Lib.1. *Philosophus in libro de Animalibus.*
Moralitates in Exodum,	Lib.1. *Signa legem in discipulis meis.*
In Leuiticum,	Lib.1. *Masculum immaculatum offeret ad.*
In Numeros,	Lib.1. *Recensiti sunt filij Israel per no.*
In Deuteronomion,	Lib.1. *Vide terram quam Dominus Deus.*
Super Iosue,	Lib.1. *Surge & transi Iordanem istum.*
Super Iudicum,	Lib.1. *Post mortem Iosuæ surrexerunt.*
Super Ruth,	Lib.1. *Quócunq; perrexeris, pergam.*
In Esaiam,	Lib.1. *Lauamini & mundi estote, auf.*
In totum Psalterium,	Lib.1. *Beatus qui custodit uir ueritatem.*
In Prouerbia Salomonis,	Lib.1. *In absconditis parabolarum conuer.*
In Ecclesiasten,	Lib.1. *Dixi igitur in corde meo, uadam.*
In Cantica canticorum,	Lib.1. *Canticorum liber additur, quo.*
In 12 prophetas,	Lib.12.
Super Matthæum,	Lib.1. *Tria insinuantur hoc loco, ut ad.*
In Paulum ad Hebræos,	Lib.1. *Beatus homo qui sperat in te.*
Moralitates scripturarum,	Lib.1.
De statu animarum post mortem,	Lib.1. *Memento mirabilium eius quæ fe.*
In Augustinum De ci. Dei,	Lib.10. *Fluminis impetus lætificat ciui.*
Ad omne hominum genus,	Lib.1.
Moralitates in Ouidium,	Lib.15. *Ouidius in primo libro Metamor.*
De formis ueterum Deorum,	Lib.1. *A' ueritate quidam auditum auer.*
Aduersus Iconoclastas,	Lib.1.
Campum florum iuris Canonici,	Lib.1. *Disciplinæ claustrali deditus.*
De theoria, seu arte prædicandi,	Lib.1. *Cum prædicationis officium sit potius.*
De temporibus in potestate patris,	Lib.1. *Non est uestrum nosse tempora uel mo.*
Commentarios Sententiarum,	Lib.4.

Sermones

Sermones multos, Lib.1.
Lecturas Bibliorum, Lib.plures.

Atq; alia nonnulla. Præfatum uerò opus de arte prædicandi, Theobaldo de Vrsinis archiepiscopo Panormitano dedicauit. Et Leander Bononiensis in Chronico Prædicatorum, Thomam Anglicũ illum appellat. Claruit anno à Christi incarnatione 1332, quo erat per Ioannem 23 Papam incarceratus, Eduardo tertio regnante.

THOMAS PONTIVS. XXXVI.

THomas Pontius (assumo Lelandi ipsius uerba) monachus & abbas cœnobij quod ad fanum Augustini, sed sub Benedictinorũ instituto, nuper Cantuariæ floruit: magnam ex eruditione laudem tum domi tum foris sibi cōparauit. Quare iuuat tam præclarum uirum aliquo uirtutis exemplo, sed illustri, doctorum auribus quàm commendatissimum tradere. Romæ huic fuit magna cum præfato Thoma Galensi Dominicano familiaritas, cuius & ingenium & literas Romani in magno sanè habuerunt precio. Peperit autem hæc familiaritas Pontio immortalē gloriam. Nam cum pontifex Romanus Ioannes 23, in celeberrima disputatione asseruisset, beatorũ animas nō uisuras Deum ante supremi iudicij diem, & Galensem ac Baconthorpium, aliosq; aduersarios habuisset: adeò Ioannis authoritatē non est secutus Pontius, ut Gualensis atq; aliorum partes potenter defenderit, & de eadem re luculentum postea ediderit opus, cui titulum fecit

De clara Dei uisione, Lib.1.

An alia præter hoc ediderit, certum non habeo. Qui uerò de præsenti Pontio plura scire cupit, Guilhelmi Thorni de abbatib. Cantuariæ librũ legat. Claruit anno à Christi aduētu in carnē 1332, sub Eduardo rege prędicto.

APPENDIX.

Hieronymus Squarzaphicus Alexandrinus, in uita Francisci Petrarchæ: Benedictus 12 Papa, qui Ioanni in Pontificatu successit, ne tantus amor Francisci Petrarchæ erga Lauretam puellam formosam uacuus haberetur, (qui canonicus Paduanus & Parmensis archidiaconus tunc erat) ut illā in uxorem acciperet, persuasit. Et ut facilius abduceretur, concedebat beneficia teneri posse, & alia etiam insuper erogare. Nam dum in curia in precio esset, undiq; à principibus & à Pontifice pollicebātur illi honores. Erat soror Petrarchæ, quæ iam duodeuiginti habebat annos, quæ Auenioni, ubi orta, cum Girardo morabatur, eleganti forma, moribus insignis & uirtutibus prædita. Cuius pulchritudine & forma perditè deperibat Pontifex (ô quàm sanctus erat cœlibatus sanctissimi) & ut illa potiretur, multa fieri fecit experimēta. Tandem cogitauit præmijs et honoribus Petrarchā in suam trahere opinionem. Cardinalem se facturum promittit, dummodo illa suo cōcederetur arbitrio. Franciscus, qui in omni re Deum præ oculis habebat, ira commotus, & id quod lingua, fronte, animoq; gerebat, respondit, tam fœtidum galerum capiti non esse ponendum, sed fugiendum abominandumq; omnibus. Et si reuerentia Dei non retraheret, calamo tantæ rei indignitatem se uindicaturum esset et fecit, prout Philelpho placet, in una sua morali cantilena. Nihilominus Pontifex furoris impatiens alterum fratrem Girardum tentare cœpit: qui paucis muneribus captus, sororem concessit. Quo facinore audito, & ecclesiam Dei uidens per abrupta uitiorũ sic trahi, Auenioni aufugit, & Italiam uersus ire cœpit, frater pœnitentia ductus, nupta sorore tandem, Carthusiensium ordini, in conuentu de Materno propè Massiliam, reiectis rebus mundanis, se deuouit.

Appendix alia.

Ex epistolis eiusdem Petrarchæ: Roma non iam ciuitas, sed laruarum & lemurũ domus est: & ut breuiter dicam, scelerum ac dedecorum omnium sentina, atq; ille uiuentium infernus tanto antè Dauidico ore notatus, quàm fundatus aut cognitus. Quid euenturum censes, ubi extincta prorsus & sepulta uirtus est? & ubi nulla fides habitat? ubi tumor, liuor, luxus, auaritia, cum artibus suis regnāt?

ubi

ubi peßimus quisq; prouehitur, & munificus prædo ad cœlum tollitur, iustus pauper opprimitur: ubi simplicitas amentiæ, malicia sapientiæ nomen habet. ubi Deus spernitur, adoratur mundus, calcantur leges, irridētur boni. Noui expertus, quòd nulla ibi sit pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla Dei reuerentia, nullus timor, nihil sancti, nihil iusti, nihil æqui, nihil pensi, nihil deniq; uel humani: amor, pudor, decor, candor, inde exulant. De ueritate equidem sileo. Nam quis usquam uero locus, ubi omnia mēdacijs plena sunt? aer, terra, domus, turres, uici, atria, plateæ, porticus, uestibula, aulæ, thalami, tectorum laquearia, murorum rimulæ, diuersoria ædium, penetralia templorū, iudicum subsellia, Pontificum sedes? ad postremū, ora hominū, nutus, gestus, uoces, frontes, animi? Quid ait? An mentior: an uerò de mendacijs uerū loquor? In illa nepharia scelerū scena, omnia sunt uirtute uacua, plena criminibus, plena fallacijs, plena fucis, plena blanditijs, plena peßimis artibus, ambitionis, auaritiæ, superbiæ, liuoris. Corrupti enim sunt, et abhominabiles facti in studijs suis. Non est qui faciat bonū, nē est usq; ad unū. Visa loquor, non audita. fato meo peßimo in eas terras puer euectus, &c. Ecce iam oculis uides, iam manibus palpas, qualis est Babylon illa nouißima, feruens, æstuans, obscœna, terribilis. Nilum & Euphratem Roma uincit, imò tartarea flumina uincit: Cocytum uincit, & Acherontem. Quicquid uspiam perfidiæ & doli, quicquid inclementiæ & superbiæ, quicquid impudicitiæ effrenatæq; libidinis, quicquid deniq; impietatis & morum peßimorum sparsim habet, aut habuit mundus, id totum cumulatim occupat, aceruatimq; tenet, &c.

Appendix alia.

Ex epistola quadam Petrarchæ: Ad ridicula festino. Quis oro non rideat illos senes pueros, coma candida, togis amplissimis, adeoq; lasciuientibus animis? Tam calidi, tamq; præcipites in uenerem senes Cardinales sunt, sic in libidines inardescunt, & in omne ruunt dedecus, ut ea faciant, quæ iuuenes non auderent. Spectat hæc Sathan ridens. Atq; impari tripudio delectatus, interq; decrepitos et puellas arbiter sedens, stupet, plus illos agere quàm se hortari. Ac ne quis rebus torpor obrepat, ipse interim & seniles lumbos stimulis incitat, unde fœda paßim oriuntur incendia. Mitto stupra, raptus, incestus, adulteria, qui iam Pontificalis lasciuiæ ludi sunt. Fuit seniculus quidam Cardinalis, hircina libido homini inerat, uel si quid libidinosius. Hic seu mures metuens, seu lemures, dormire solus non audebat. Nil apud eum tristius, nil miserius cœlibatu. Nouas quotidie nuptias celebrabat, & creber uagis amplexibus sponsus erat, cum & os illi uacuū & ætas plena esset. Septuagesimum pridem annum excesserat, septimo uix iam dente superstite. Erat illi puellarum auceps, unus ex multis, qui cantor erat, sed qui uocem ab altaribus ad choreas ac lupunaria transtulisset. Multis ille pollicitis misellam uirgunculam illexerat. Impatiens moræ senex aduolat, & ulnis arreptam, pendulisq; labijs exosculans, consummare nouas nuptias anhelabat. Repentino malo percita, & olente senio, & uultu lurido deterrita, exclamat, Ad magnum se quendam & insignem prælatum, non ad deformem & decrepitum sacerdotem aduenisse, nec esse se paßuram à tam turpi sene uiolari. Et cum nil proficeret senex, in secretarium se prorupit. Arreptoq; quo conscripti patres à reliquis discernuntur, rubenti pileo, & insigne suum albo caluoq; uertici imponens: Cardinalis (inquit) Cardinalis sum, ne timeas filia. Sic in geniale cubiculum deduxit. Ad hunc modum Cupidinis ueteranus, Baccho sacer & Veneri, non armatus, sed togatus & pileatus, de suis amoribus triumphauit. Huius & reliquorum mille sunt talia, quorum quædam non ludicra, sed pudenda, alia uerò inania & horrenda sunt.

IOANNES RIDEVALL. XXXVII.

IOannes Ridevuall, è sodalitio Franciscanorum (aliqui tamen Augustinianum fuisse cōtendunt) humanioribus iuxtà ac diuinis literis se totum uel lubentisśime obtulit. Tanta non potuit alacritas (Lelandi uerba sunt) prospero suo carere successu. Nam hominem uel gloriæ fugientisśimum, eruditio percelebrauit. Dum enim eruditis artibus Oxonij studeret, per omnem noticiam ad summum magisterium usq; tam insigniter creuit, ut fama pasśim egregia quæq; de illo per totam Brytanniam prædicaret. Hinc necesse habuit libros scriptitare, quibus tanquā luculentisśimis indicibus, specimen nō protritæ cognitionis palàm faceret. Concinnauit igitur in authores

res tam ueteres quàm nouos, tam sacros quàm prophanos, prophetas, apostolos, doctores, rhetores, ac poetas, Dauidem, Salomonē, Ioannem, Paulum, Augustinum, Fulgentium, Valerium, Ouidium, & similes elaboratos commentarios, qui & hoc suo sequuntur ordine, scilicet

Super Psalterium,	Lib. 1.
In Cantica canticorum,	Lib. 1. *Diligenti discretione cautum est.*
In Euangelium Ioannis,	Lib. 1.
In Epistolas Pauli,	Lib. 14.
In Augustinum de Ciuitate Dei,	Lib. 12.
In Mythologicon Fulgentij,	Lib. 3. *Intentio uenerabilis uiri Fulgentij.*
In Valerium ad Rufinum,	Lib. 1. *Loqui prohibeor, & tacere non.*
In Ouidij Metamorphosin,	Lib. 1. *In huius expositionis initio multa.*
Quæstiones 8 ordinarias,	Lib. 1. *Primus articulus quæstionis, quam.*
De non ducenda uxore,	Lib. 1.
Sermones per annum,	Lib. 1.
Lecturas scripturarum,	Lib. 1.

Et alia plura his similia, ut habet Bostonus Buriensis. Super Fulgentio tractat de uirtutibus & uitijs, sub imaginibus deorum & dearum, quos olim coluit uana superstitio paganorum. Claruit anno Domini 1330, sub dicto rege Edvuardo. Et apud quosdā authores, Ioannes de Musca uocaᵗ, Minoritis charus.

HENRICVS COSTESAY. XXXVIII.

Henricus Costesay, uel Cosseye, professione Minorita, & Oxoniensis gymnasij cultor, si quis alius planè magnus, Lelando etiam teste, incredibili quadam industria, circulum illic philosophiæ absoluit. Hoc idem & processu temporis in re theologica præstitit, habuitq; pius labor suos tandem successus non infœlices. Nam dum ille inter alios diuinarū scripturarum codices, Dauidis sanctissimi Israelitarum regis psalmos studiosius euolueret, multa super operis maiestate cogitans, subijt eius animū noua cura, sed utilis & sancta: nēpe ut hoc eius immortale opus, à sancto profectū spiritu, elucidationibus exquisitis illustraret. Idemq; postea meditabaᵗ circa compendium illud theologię Christianę, quòd Ioannes Euangelista, uerus Christi in terris uicarius (si talem habuerit unquam) diuino ipsius pręcepto fideliter exarauit, Apocalypsim scilicet. Ac utrunq; suo tempore, sed alterum hoc triplici commentario perfecit, laboris inde non moriturā percipiens famam. Vt igitur ad scripta me uertam, composuit

Expositiones in Psalterium,	Lib. 1. *Aperiam in Psalterio propositionem.*
Lecturam in Apocalypsim,	Lib. 1. *Quod uides, scribe, Apoca. 1.*
Commentarios maiores in eandem,	Lib. 1. *Ecce descripsi eam tibi tripliciter.*

Et tertiam adhuc explanationē in eandem Apocalypsim addidisse narratur, iuxta hoc quod in ultimo Commentario dixerat: Descripsi eam tripliciter. præter conciones & lecturas scripturarum plures. Obijt Babvuele, prope Buriam in Sudouolgia, anno Christi 1336 sepultus, sub prædicto Edvuardo.

GALFRIDVS ALYEVAVNT. XXXIX.

Galfridus Alyeuaunt, uel Alieuantus, in Eboracensi prouincia natus, pro debito Dei timore ac proximi dilectione, aliarumq; uirtutū officijs, ignauorū parentum socordia, Romani Sodomismi fæces & idolomanias, ex professo Carmelitarum instituto gustauit. Tantos hic progressus, in impijs hominum sine Dei uerbo commentis & doctrinis fecit, ut apud Oxonienses magnus in eorum Babylone rabbinus haberetur. Theologus

Isiacus (sic enim Lelandus habet) eximiè per eam ætatẽ cognitus fuit. Vehementer certè ipsis diebus turgescere cœpit & illud exilium locustarum genus, sub candida ueste nigerrimum: creueruntq; cum Dominicanis & Franciscanis in caballos ferocissimos. Nam præter episcopos illos, quos in Anglia, Hybernia, & Scotia, tum plures à se generatos uidebãt: foris etiam in alijs regionibus suos habuere Patriarchas, Cardinales, Archiepiscopos, Primates, Metropolitas, à latrone (latere dixissem) Legatos, & magnas Romanæ synagogæ columnas, ad non modicam eorum inter alios mendicantium fraterculos gloriam, quam magnopere apud mundũ quærebant. Vnde impostricis suæ doctrinæ testimonia in diuersis Anglorum bibliothecis hic plura reliquit, potissimùm

Lecturam sententiarum,	*Lib. 4. Sol lucet in uirtute sua usq;.*
Commentarios in Lucam,	*Lib. 1. Quoniam quidem multi, &c.*
Tabulam originalium,	*Lib. 1. Abimelech, &c.*
Ordinarias quæstiones,	*Lib. 1.*
Sermones ad populum,	*Lib. 1.*

Aliorum eius operum non uidi titulos. Per istum & similes misit Deus ingratis hominibus operationes errorum, ut ad suam ipsorum perniciem mendacijs crederent. Claruit anno post Seruatorem natum 134, Edvuardo tertio regnante.

IOANNES EVERISDEN. XL.

IOannes Euerisden, monachus Buriensis ad Eadmundi fanum, & eiusdẽ magni cœnobij cellarius, ut uocant, à teneris annis assiduam doctis artibus nauauit operam. Inter cætera nanq; placidi sui temporis, & sine omni tumultu exercitia, studiorum ardore succensus, poeticen, historiam, ac iuris scientiam, præ omnibus alijs coluit. In illis equidẽ sumptuose adeò & diurnas & nocturnas collocauit horas, ut rerum gestarum posteriores eius monasterij scriptores, inter eruditissimos & illum ponere non dubitauerint, eiusq; in historijs authoritate nõnunquam sint usi. Plura de Franciscanis hic tradit, potissimum quòd eo anno (Domini scilicet 1258) quo impetuose ac uiolentia Papali, in urbem Buriensem seu Babvuelam se intruserant (quod & Matthæus Parisius habet) uentus prostrauit turres, domos, & arbores. Scripsit Euerisdenus, ab initio mundi, usq; ad annum Christi 1336.

Seriem temporum,	*Lib. 1. Fructuosum arbitror, seriem temporum trans.*
De regibus & episcopis Angl.	*Lib. 1. Regna pristina Angliæ, & eorum episco.*
Concordantias diuinæ historiæ,	*Lib. 1. Barbarismus corruptus sermo, species.*
Legum medullam carmine,	*Lib. 1. Disce quid humanum ius diuinumq;.*
Concordiam Decretorum,	*Lib. 1. Tractaturus Gratianus de iure Cano.*

Anglia Sacra. Vol. 1. Præf. p. 13.

Et alia, tam carmine quàm oratione soluta, ut orbi suorum studiorum uel clarum specimen ederet, quamuis ad nostras non peruenerint manus. Claruit anno prædicto à Christi natiuitate, scilicet 1336, in suo tandem cœnobio sepultus.

SIMON BVRNESTON. XLI.

SImon Burneston, secundũ alios de Borastona dictus, Cantabrigiẽsis doctor, ut fertur, & præses Dominicanorũ per Angliam prouincialis, imperio quodam poscit, in eruditorum numerum hic referri. Quod exquisita quadam diligentia præstiterunt, Bostonus Buriensis in magno scriptorum Catalogo, & Leander Albertus Bononiensis in gestis Prædicatorum. Erat Burnestonus, per eam ætatem doctus quidem: sed more suorum maiorum, in multis astutus, superbus, & arrogans: in disceptationib. scholasticis Thomam

mam Aquinatem, & in concionibus sacris Iacobum Genuensem cum Guilhelmo quodam Lugdunensi secutus. Gaudebat hic se esse ex eorum numero, qui in ouillo uestitu ueniūt, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Qui cautelis sophisticis, perditionis introducunt sectas: et Christi gerentes nomen, Iesum ipsum abnegant. Ore quidem salutant, sed argutijs & factis, ut olim Herodes cum præclaro suo familitio, subsannant, rident, contemnūt. Composuit hic Simon,

Distinctiones theologicæ,	*Lib.1. Abijcere secundū authorem de natura.*
Alphabetum dictionum prædicabilium,	*Lib.1. Abijcere debemus diuitias tempo.*
De criminibus corrigendis,	*Lib.1. Corripiet me iustus in misericor.*
De ordine iudicario,	*Lib.1.*
De postulandis suffragijs,	*Lib.1. Regnare uidetur rex, Prouer.8.*
Sermones in Epistolas,	*Lib.1. Hora est iam nos de somno surgere.*
Sermones in Euangelia,	*Lib.1.*
Sermones subtiles,	*Lib.1.*

Aliaq; plura prædicti Buriensis testimonio. Et hac ætate claruisse fertur, sub sæpedicto Anglorum rege, Edvuardo tertio. Alphabeto quidem prædicabiliū dictionum, concordantiam quorundam doctorum laboriose addidit.

GVALTERVS BVRLEY. XLII.

GVALTERUS Burley, secularis sacerdos (ut uocant) & magister Oxoniensis, maximus ac potentissimus sui temporis sophista iudicabatur. Iste (inquit Lelandus) si quis alius è numero Scotistarū, inter eruditos ponendus sit: magnum meritò locum domi possidebit, qui & foris disputandi acumine ingeniosissimus planè iudicatus est. Studuit Oxonij primùm in collegio Martonensi, publico Academiæ suffragio, quemadmodum postea Lutetię: in supremā theologorū classem utrobiq; relatus. Porrò Ioannis Dunsij, uel Scoti illius tenebrarū magistri, cum Guilhelmo Ockam Parisijs olim auditor fuit, in Angliaq; postmodū acerrimus impugnator. Nam aliam adhuc adinuenerunt obscurandæ ueritatis uiam, hi uiri Belial, priore non contenti: & illam Nominalium uiam appellabant. Realium uerò inuentum primum, tanquam inutile ac uanum, reijciebant & insectabātur ubiq;, ut inde haberentur authores noui. Ecce quò tunc uesaniæ sint progressi, imposturarum diabolicarum magistri, ut Christi ueram & sincerā uitiarent doctrinam, ad suam ipsorū gloriam, quæstum ac tyrannidem. Hæc certè commenta Sathanica ingesserūt, ethnicis sceleratiores homines: ut incautos deciperent, ac ne amplius ad hominum salutem purè tractaretur sermo Euangelicus. E' puluerulento ingenio Burlæus tandem excussit, & ex suo Aristotele protulit,

Commentarios Sententiarum,	*Lib.4. Cupientes aliquid, &c. In hoc pro.*
In Isagogen Prophyrij,	*Lib.1. Quia de dictis in Logica intendo.*
De uniuersalibus quoq;,	*Lib.1. Circa uniuersalia sunt dubitationes.*
In categorias Aristotelis,	*Lib.3. Circa libros prædicamentorum est.*
De natura syllogismorum,	*Lib.1.*
In sex principia,	*Lib.1. Iste liber intitulatur, Sex principia,*
De puritate Logicæ,	*Lib.1. Suppositis significatis terminorum.*
In problemata Aristotelis,	*Lib.1. Fœlix qui poterit causas cognoscere.*
In Perihermenias,	*Lib.2. Nomen libri Perihermenias, qui.*
In Priora Aristotelis,	*Lib.2.*
In Posteriora eiusdem,	*Lib.2. Secundum Philosophum in Morabilibus.*

De tribus agentibus,	Lib. 1. Sicut fructus est ultimum, quod.
Iterum de tribus agentibus,	Lib. 1. Intelligendum, quod in universo.
In Meteora,	Lib. 4. Vtrum aliqua speculatio sit in.
De formis,	Lib. 1.
De cœlo & mundo,	Lib. 4. In hoc libro primo sunt quædam.
Quæstiones in eosdem,	Lib. 4. utrum Philosophiam speculatiuam.
Cōmentarios Ethicorū ad Ric.	Lib. 10. Reuerendo in Chri. patri ac do.
Quæstiones Ethicorum,	Lib. 10. Prima quæstio istius libri primi.
In Elenchos & Topica,	Lib. 6.
In Politica Aristotelis,	Lib. 8. Subiectum libri Politicorum est.
Quæstiones Politicorum,	Lib. 8. Prima quæstio, quid est seruus.
De diuisione entis,	Lib. 1. Circa diuisionem entis in decem.
De sensibilibus,	Lib. 1. In homine sunt quinq; sensus.
In Logicam Scoti,	Lib. 1.
De mixione elementorum,	Lib. 1. Dubium apud multos esse solet.
De Ideis,	Lib. 1. Augustinus in libello suo de 83.
De substantia orbis,	Lib. 1. Prohemium huius libri continet.
De motu animalium,	Lib. 1. De motu autem, eo qui est ani.
In Aristotelem de natura,	Lib. 3.
De diuisione scientiarum,	Lib. 1. Sicut dicit Philosophus in primo.
De sensibus interioribus,	Lib. 1. Notandum quòd materia prima est.
De fluxu & refluxu maris,	Lib. 1. Visis effectibus, quorum causa latet.
In Aristotelem de anima,	Lib. 3. Sicut dicit Themistius in opere.
In Metaphysicam eiusdem,	Lib. 12.
De longitudine & bre. uitæ,	Lib. 2. Intentio in hoc tractatu est, deter.
De somno & uigilia,	Lib. 2.
De memoria & reminiscen.	Lib. 2.
De generatione & corrupt.	Lib. 2.
De relatione, qualit. & quant.	Lib. 1.
De quinq; sensibus,	Lib. 1.
De principijs per se,	Lib. 1.
De potentijs animæ,	Lib. 1.
Rationes terminorum,	Lib. 1.
De moribus Philosophorum,	Lib. 1.
In Aristotelis Physica,	Lib. 8.
De sensu & sensato,	Lib. 2.
Super œconomicis,	Lib. 1.
De toto & parte,	Lib. 2.
De finito & infinito,	Lib. 2.
De duobus principijs,	Lib. 1.
De modo diffiniendi,	Lib. 1.
De abstractis,	Lib. 1.
De potentijs actiua & passiua,	Lib. 1.
De uia modernorum,	Lib. 1.
In Aristotelem de moribus,	Lib. 5.
In artem Lullij cabalisticam,	Lib. 2.

Atq; adeò alia multa, quæ uel tempus obscurauit, uel incuria blattis & tineis erodenda reliquit. In fine, nihil protulit hic rixarum artifex, Dei uiuentis, ut apparet, oblitus, quàm meras nugas, atq; hominum impiorum fœdissima stercora. Quandam

dam uerò expositionem finijsse se scribit, anno Christi 1337, ætatis suæ anno 62, in quo sub Edvuardo tertio claruit.

APPENDIX.

Ex Platina: Benedictus 12, Romanus pontifex, patria Tolosanus, professione Cisterciensis (Ioannes Paleonydorus & Aegidius Faber Carmelitam probant) ingentes ex omni natione collegit diuitias. Romæ senatorium munus, ab imperatore ad se traxit, & passim contra eundem in oppidis Italiæ Imperia uicarios constituit. Polydorus Vergilius: Taxationes Ioannes 23 proposuit, per quas taxatis, hoc est, æstimatis sacerdotijs, quæ ipse contulisset, caperetur uectigal. Rem uerò omnem ad apostolicæ pœnitentiariæ, quam dicunt, curam pertinentem, Benedictus 12 omnium primus excogitauit, simul et taxationes literarum ordine constituit. Dec. Extrauag. Hic omnium episcopatuū, prælaturarum, & beneficiorum collationes sibi & successoribus primus attribuit. Ioannes Paleonydorus: Anno Domini 1335, Benedictus 12 declarauit, quòd ordines fratrum Mendicātium sine redditibus uiuentes, sint arctioris & sanctioris uitæ quàm sint Carthusienses. Bartholomæus Pisanus in libro Conformitatū: Papa Benedictus 12, solenne festum de sacris stigmatibus S. Francisci toti suo ordini colendum concessit, et Romana ecclesia fidelibus ingerit ad credendum, &c. Matthæus Vuestmonasterius: Anno Domini 1335, frater Ranulphus, ordinis Minorum, in habitu Eremitico, superstitiones & hæresim (sic Euangelij doctrinam uocant) in Anglia seminauit, qui postea incarceratus interijt. Ioannes Tritemius: Simō de Cassia, Augustinianus, prophetiæ spiritu illustratus, his diebus fuisse perhibetur: scripsitq; de doctrina Christiana, & de patientia. Ioannes de Rupe scissa, Franciscanus, prophetico spiritu prædixit ecclesiæ desolationem, et in carcerem à sui ordinis ministris coniectus fuit. Scripsit & ille Reuelationes suas, & commentarium quoddam in oraculū Cyrilli. Radulphus Camertianus, Carmelita, eodem tempore de futuris euentibus librum edidit, ad archiepiscopum Saltzburgensem, qui incipit: Sibyllæ generaliter omnes, &c.

IOANNES BARVVYCK. XLIII.

IOannes Barvuick, seu Baruicanus, quem Breulanlium, sed corruptè, plures uocant, Guilhelmi Ockami synchronus fuit: cuius & uestigijs studiose Franciscanus etiam inhærebat, eo in loco (inquit Lelandus) quo Isis fluuius famosissimus uadum patitur: hoc est, Oxonij. Collaudant eruditorum Franciscanorum index ac Thomæ Ecklestoni Chronicon, eius elucubrationes, quas plures edidit, dum esset Minoritarū in eodem gymnasio per annos aliquot prælector publicus. Et non solùm à nostris scriptoribus, cum quodam Gualtero Cattono, eiusdem quoq; instituti theologo, Baruicanus ob uariam ac recōditam suam eruditionē celebratur, sed etiam à multis alijs authoribus bonis commemoratur & laudatur, præsertim à Ioanne Pico Mirandulano comite, in libro 12 aduersus Astrologos. Hi (inquit) astrologiam, non solùm qua parte religionem lædit Christianam, sed planè totam, ut omnino uanam & falsam detestabantur. Illorumq; opinioni subscribit Henricus Cornelius Agrippa, qui dicit, Astrologiam nihil habere quàm meras poetarū nugas & fabulas, portentosaq; figmēta. Assumptis demum calamis, ingeniose hic scripsit,

Commentarios Sententiarum,	*Lib.4.*
Ordinarias quæstiones,	*Lib.1.*
Quæstiones de formis,	*Lib.1.*
Lecturas scholasticas,	*Lib.1.*
Super Astrologorum prognosticis,	*Lib.1.*

Et alia plura, quæ adhuc supersunt. Validis argumentis probat, iudiciarias illas superstitiones, non hominum, sed malorum dæmonū fuisse inuenta. Vtinam tam perspicuè suum uidisset Franciscum. Claruit anno Domini 1340, sub Edvuardo tertio.

GVILHELMVS NOTYNGHAM. XLIIII.

GVilhelmus Notyngham, canonicus olim præbendarius, ac Eboracẽsis ecclesiæ præcentor, uisis Francisci uulneribus, sed pictis tantum, iurauit in eius uerba, cuius & uestigia superstitiose est secutus. Dignus iste ex multis iudicatus fuit, qui post lectiones eruditas Oxonij publicatas, Franciscanis in Anglia præesset: cuius frater Augustinus Notyngham, etiam Franciscanus, postea sub Clemente quinto, episcopatum Laodicẽsem accepit. Guilhelmus autem exacto in prouinciali magistratu 14 annorum curriculo, Italiam repetijt. & in concilio suorum fratrum Metensi, functionẽ illam alteri, Ricardo Conyngtono tradidit. Iamq; reditum in patriam maturabat, cum ecce pestis Genuæ sæuiens, illum quoq; inter alios peteret, & non sine uitæ periculo: euasit tamen, saluis etiam libris quos publicæ utilitati consecrauerat. Eius non uulgariter percelebrant nomen, ob eruditos scripturarum cõmentarios, Stephanus Patringtonus *in opere* Sermonũ, & Thomas *Scropus in suis* Collectaneis. Si uerò in multis splendidè tunc errauerit, mirum nõ est, astutia ueteris serpentis, in eo *caliginis regno*, omnia subuertente. Volumina *compo*suit multa, in quibus nõ est impius omnino iudicandus, scilicet

Commentarios in Longobardum,	Lib. 4.
Super Euangelistarum concordia,	Lib. 12. *Da mihi intellectum, & scrutabor.*
In omnes epistolas Pauli,	Lib. 14. *Bonam inspirationem det* Dom.
Commentarios Euangeliorum,	Lib. 4.
Sermones in Euangelia,	Lib. 2. *Cum appropinquasset, &c.* In hoc.
Quæstiones in Euangelia,	Lib. 1. *Quæritur super illo dicto Christi.*
Vnum ex quatuor,	Lib. 1.
Distinctiones theologiæ,	Lib. 1. Acidia *aduersatur* hominis *salu.*
Pro lege Christianorum,	Lib. 1. Nunquid *Deus posset reuelare.*
De obedientia quoq;,	Lib. 1.
Quæstiones ordinarias,	Lib. 1.
Lecturas scripturarum,	Lib. 1.
Suarum replicationum,	Lib. 1.

Aliaq; nonnulla. Hanc inter cæteras determinationem exhibuit, An posit Deus reuelare aliquam legem uel sectam, quæ sectas omnes repugnantes expellat per certitudinis euidentiam. Obijt Leycestriæ *tertio nonas* Octobris, anno ab incarnato Dei filio 1336, sub Edvuardo iam dicto.

ROGERVS GLACTON. XLV.

ROgerus Glacton, ex Anglia mediterranea, Hungtyngtonẽsi uerò comitatu natus, Augustinianorum fratrum ætate maturiore institutum, in eadem urbe superstitiosulus induit. Doctarum artium fuisse hunc amatorem, ac sedulum inuestigatorem, ex his argumentis apparet. Fuit enim post multarum literarum studia Cantabrigiensis academiæ scholasticus doctor. Fuit Eremitanorum omnium prouincialis in Anglia præses, diuersiq; generis doctrinæ opuscula erudita congessit. Ex hoc tamen potissimùm in literis excellere per eam ætatem uisus est, quòd eius tam crebrò Robertus Sarisburiensis episcopus, in suis epistolis eruditis meminerit. Ad illum sæpenumero scripsit episcopus super magnis Ecclesiæ negotijs. Totidem & ille respondit codicillis, acutè, grauiter, & doctè, ad non modicam eius oblectationem. Vnde composuit tandem, eidemq; præsuli dedicauit,

Epistolarum suarum, Lib. 1.

Sermones

Sermones per annum,	Lib.1.
Lecturas & quæstiones,	Lib.2.

Pluraq; alia edidit, quorum titulos non uidi. Sola ab isto authore, sicut ab omnibus ferè eius temporis scriptoribus, Latinæ linguæ puritas desiderabatur. Claruit anno à nostri Redẽptoris exordio 1340, Huntyngtonię demũ sepultus.

IOANNES POLESTEDE. XLVI.

IOannes Polestede, patria Sudouolgius, in Gippesuuicensi cœnobio famoso togam accepit Carmeliticam, ut in suo uirorum illustrium catalogo Ioannes Lelandus colligit. Sed est (inquit) quod doctas artes, quas altè imbiberat, Oxoniensi academiæ acceptas referat. Sic ille. Oxonij enim theologiæ sophisticę diadema tum demum adeptus, ex prægustatis iniquis ethnicorum sordibus, nempe Aristotelis & Porphyrij, omnem ueritatis uiam, more sodalium, sophista corrumpebat: adeò tamen suæ interim perplacuit sectæ, ut anno Domini 1335, prouincialis eorum omnium in Anglia præses, *decimusquartus numero*, designatus esset. Ita ex illis Palæstinorum pastoribus fuit (nam & Carmelus in Iudæa est, *Aegyptum uersus*) *qui ad* Gerarensem *amnem cum* Isaac sunt rixati, Genes. 26. Obturauit hic certè dogmatibus prauis, purissimos Christianæ doctrinæ & *Euangelicæ gratiæ* fontes. Opuscula uero hæc magisterij sui tempore congessit,

Sententiarum commentarios,	Lib.4.
In Aristotelis Physica,	Lib.8. *Consideratio Philosophi in hoc.*
Conciones per annum,	Lib.1. *Dicite filiæ Syon, ecce rex.*
Super Augustinum indices,	Lib.1. *Amat mortem, qui præcepta Dei.*
Epistolas ad diuersos,	Lib.1. *Omnibus Christi fidelibus.*
Sermones uisitationum,	Lib.1.
Quæstiones uarias,	Lib.1.

Feruntur & alia, sed à me nondum uisa. Septimo *regiminis* sui anno, naturæ iura persoluit, anno nostri seruatoris Iesu 1341, & quarto idus Octobris, Eboraci in suo cœnobio, splendido marmore tectus, sub Eduuardo tertio.

GVILHELMVS KYNGESHAM. XLVII.

GVilhelmus Kyngesham, in Picastra Dominicanorum familia (picam enim uestitus colore referunt) post professionem ei sectæ cõsuetam, consors admissus, bonam ætatis partem in profanis paganorũ studijs transigebat. Hi namq; ex illis sunt, quos propheta Sophonias ueste peregrina *indutos dicebat.* Qui arroganter ingrediebantur super limen in die illa, & implebant domũ Domini Dei sui *iniquitate* & dolo, Soph. 1. Inter hos Kyngeshamus post Porphyrianas & Aristotelicas imbibitas artes, scripturas diuinas, per se claras atq; puras, & ab ipso Dei spiritu ꝓlatas, inuertere & corrumpere profundè didicit. Protulitq; ex concionibus ac lecturis, Cantabrigiæ & alibi factis, pro tritico tribulos, pro hordeo spinas, & pro uiuifico Dei uerbo meras hominũ nugas. Vnde suis æstimatoribus exhibuit tandẽ,

Lecturam in Ecclesiasticum,	Lib.1. *Magister & dominus Gundesaluus.*
Sermones quoq; uarios,	Lib.1.

Aliorum eius operum titulos nõ uidi, quamuis illum plura edidisse Bostonus Buriensis in suo Catalogo ferat. Ad hæc tempora ipsum pertrahere ex solis coniecturis cogor, quum nihil super ea re apud sui ordinis scriptores inueniam.

ROGERVS DE CESTRIA. XLVIII.

ROgerus de Cestria, Benedictinorum sectæ monachus, & in eadem urbe ad Vuerburgæ fanum, historiographus illustris, bonarum literarũ campos

campos, & musas, canoras quidē illas, meritò multumq; colebat. Est nanq; Cestria, urbs in cornu Vuallici sinus ad Septentrionem condita, Legionū oppidum olim nuncupata: quòd eo quoq; loci legiones tunc essent, alluiturq; Dea flumine, quod procul ab ea circiter passuum millia sex in Oceanum se emittit. Hic à suis commilitonibus monachis, præcipuè ab eius loci Episcopo patrono suo rogatus, Anglorum historiam à Brytannorum, imò ab ipsius mundi origine, usq; ad annum Domini 1314, & demum ad annum Christi 1339, Latinè, doctè, & eleganter scripsit. In qua præter authores à Ranulpho Hygdeno numeratos, Nennium Eluodugi discipulum & Gildam adducit. Ranulphumq; ipsum plus quàm 22 annis prçcessit, ab Hugone Virleyo in historiarum figuris, plerisq; in locis citatus. Composuit ergo Rogerus Chronicon, egregium certè, quod uocabat

Polycratica temporum, *Lib. 7. Intrabo in agros priscorum subsequ.*

Additiones 15 annorum, *Lib. 1. Septimo anno regis Eduuardi secundi.*

Et alia quædam. Polycraticorum uerò primus post Præfationem liber incipit: Iulius Cæsar diuinis humanisq; rebus, &c. Claruit hic Cestrius anno à Christi natiuitate 1339, quo ultimū opus finiuit, sub Edvuardo 3, & Cestriæ sepelitur.

THOMAS DE HALES. XLIX.

THomas de Hales, ex Chordigerorum seu Minoritarum, ut potius dici cupiunt, genere, potentissimus palęstrites hac tempestate prodijt, Aristotelicis ac Scoticis clypeis non mediocriter munitus. In theologia sophistica Parisijs factus doctor, apud Sorbonenses rixando pro & cōtra, ut aduersarium uerborum tendiculis ad metas præstitutas adducat, satrapa non absq; stomacho certè apparebat. Pro nō infimo authore ac teste, quòd Maria in conceptione sorduerit, & istum cum Roberto Covutono, etiam Minorita, Petrus Vincentinus Dominicanus Italus in suis Collectaneis introducit. Multa peregrinarum doctrinarū portenta cōcionibus & scriptis ingerebat, ut pro idololatrico Papæ regno, cæremonias, indulgentias, reliquias, miracula, Missarum nundinas, flammas ex antro Patricij, atque horribiles spirituum apparitiones defenderet. Quædam & ipse eructabat corruptissimi ingenij apostemata, scilicet

Disputationes scholasticas, Lib. 1.

Sermones Dominicales, Lib. 1.

De beata uirgine fabulas, Lib. 1.

Si quæ alia adhuc ediderit, apud eius ordinis scriptores manent, ego hos solos uidi suorum librorum titulos. Porrò claruisse fertur, anno à Christi Seruatoris in carnem apparitione 1340, sub illustrissimo Edvuardo tertio.

ROBERTVS ELIPHAT. L.

RObertus Eliphat, Franciscanorum fraterculorum hypocritica instituta, cum operimēto histrionico, cappa, chorda, cuculla, à posterioribus Francisci sui sequacibus, in ætate adhuc tenera, imprudens suscepit. Natura fortior ac robustior factus, Anglorum gymnasia, imò tum demū Parisium, magnum illud sophistarum tunc theatrum, in Gallijs petijt. Vbi degustatis utcunq; Aristotelicarum rerum principijs, maiora scholasticarū doctrinarū studia, in Guarrone, Middyltono, & Scoto percurrebat, donec est supremum Sorbonicæ theologiæ magisterium adeptus. Ex eo die Deum colere dæmoniorū legibus insigniter laborabat: cum Beliale cōponens Christum, & cum tenebris lucem. Periculosa hæc, ex Ethnicorū corruptelis contagia,

tagia, non possunt non infirmare ad mortem. Quas tamē ex illis hausit mortiferas offellas, deprauato stomacho prouocatus, ad multorū perniciem tandem euomuit, uidelicet

Quæstiones Sententiarum,	Lib. 4. *Quæritur utrum commensuratio.*
Conclusiones ordinarias,	Lib. 1.
Lecturas theologisticas.	Lib. 1.

Et eius farinæ alia. Illius in Sententias opus grande: quod in immensum creuerit, Parisijs abbreuiauit Philippus Keyserbele, Carmelita Flandriēsis. Claruit anno uirginei partus 1340, sub Edvuardo prædicto.

APPENDIX.

Christianus Massæus: Anno Domini 1342, Benedictus 12 Papa Auenione defunctus est: in cuius locum suffectus est Clemens sextus, qui Iubileum absens Romæ celebrari iussit, idq; ad annum quinquagesimum auri gratia perduxit. Volaterranus: Carolum Bohemiæ regis filium, in Bauari cōtumeliam, Imperatorem declarauit. Ioannes Carion: Hic sua factione, supra modum Romanū turbauit Imperium. Ioannes Nauclerus: Hic omnes episcopos & principes, cum Inperatore sentientes, excommunicauit. Achilles Pyrminius: Morauos in Bauariam armauit, Imperatoris odio. Henricus Cornelius Agrippa: Eò usq; excreuit Romanorum Pontificum arrogantia, ut Angelis cœlorum præciperent, et ex infernosublata præda rapinam facere præsumerent, & in mortuorū manes manum mitterent. Etiam in diuinā legem, interpretādo, declarando, disputando, nonnunquā tyranidē exercent, ne quid plenitudini potestatis suæ posset deesse aut derogari. Nonne Clemens Papa sextus in Bulla quæ hodie adhuc Viennæ Limonis Pictauij, in priuilegiorū scrinijs plumbata seruatur, præcipit angelis de cœlo, quòd animam peregrinantis Romam pro indulgentijs, & in uia decedentis, à purgatorio absolutam, ad gaudia perpetua introducāt? In super inquiens: Nolumus quòd pœna inferni sibi aliquatenus infligatur. Concedens insuper cruce signatis, ad eorum uota, tres aut quatuor animas, quas uellent, è purgatorio posse eripere. Quam erroneā, intolerabilemq; temeritatē, ne dicam hæresim, Parisiensis schola detestata est, atq; corripuit. Sed fortassis pœnitēs hodie, quòd nō hyperbolicū Clementis zelum, pio aliquo cōmento interpretati sint, ut res ualeret potius quàm periret: cum propter eorum affirmare uel negare nihil mutatur in re, &c.

GALFRIDVS GRANDEFELDE. LI.

GAlfridus Grandefelde, Northamptonensis cœnobij, *in mediterranea* insulæ regione Augustinianus, exhaustis Cantabrigiæ diuinis & humanis literis, theologorum albo ascriptus fuit. Vnde susceptum illud magisterium sublime in legendo & disputando, plurimū ualuisse in quodam sui ordinis Catalogo narratur. Veruntamen in assuetis concionib. multo plus sudabat pro Antichristi regno sublimando, quàm pro Christi ad ueram hominum salutē Euangelio simpliciter & sine dolo diuulgando. Capellanus tandem Romæ cuiusdam cardinalis & episcopi Tusculani factus, sub Benedicto 12 episcopus & ipse ad Angliam remittebatur. Eius quoq; laudes non uulgares, Cardinalis ille ad antistitem Vuintoniensem epistolam scribens, per illud tempus copiosere ferebat. Chartis ad posterorū memoriam commisit hic Galfridus, ocium nactus,

Sermones Dominicales,	Lib. 1.
Lecturas theologiæ,	Lib. 1.
Determinationes,	Lib. 1.
Epistolas ad diuersos,	Lib. 1.

Feruntur & alia: sed ea apud rerum & historiarum consarcinatores in ipsa familia, reperire non potui. Claruit anno à Christi, ueri nostri Mesiæ incarnatione, 1340, Edvuardo tertio regnante, ac Northamptonæ demum sepultus fertur.

HVGO VIRLEY. LII.

HVgo Virley, Nordouicensis cœnobij Carmelita, uir non obscuro loco natus, & amœnum habens ingenium, studiosissimus erat bonarū literarum, ac longè in illis doctior quàm ea dabat ætas: ut ex eius apparet scriptis. Liberalibus artibus (ut Lelandus habet) adhuc iuuenis, Oxonij operam dedit: nomenq; summi theologi, nobile eruditionis præmium, ibidem meruit et accepit. In ueterum authorū lectione, tā oratorū quàm poetarum, imò tam historicorum quàm theologorum, omnibus penè suæ ætatis doctoribus exercitatior erat. Hoc tamē nigro lapillo signandum occurrit, quòd homo alioqui eruditus & probus, doctrinā suam sophisticis elenchis improuidè conspurcauerit. In summis reuera & frequentibus delicijs habebat, Plinium, Iosephum, Iustinum, Trogum Pompeiū, Herodotum, Quintilianum, Aulum Gellium, Suetonium Tranquillum, Valerium Maximum, Methodium, Hilarium, Augustinum, Hieronymum, Isidorum, Eutropium, Paulum Diaconum, Petrum Comestorem, Ioannem Sarisburiensem, Martinum Carsulanum, Bartholomæū Glaunuyle, Rogerum de Cestria, atq; alios ea tempestate rarissimos authores. Ex quibus omnibus singulari memoria dignum opus collegit, pulcherrimis imaginibus ornatum, quod uocabat,

Figuras Historiarum, nobile opus,	Lib.1. *Literalis sacræ scripturæ sensus, est prim.*
Commentarios in Matthæum,	Lib.1. *Gesta spectabilia celeriter à memo.*
Collationes 18 in eundem,	Lib.1. *Reminiscamini, quia ego dixi.*
Determinationes 96,	Lib.1. *Ignorantia an fuerit causa pec.*
Quæstiones ordinarias,	Lib.1. *Vtrum solis Dei amicis conferatur do.*
Placita theologica,	Lib.1.
Prælectiones in Paulum,	Lib.1.
Lectiones scripturarum,	Lib.1.
Sermones per annum,	Lib.1.

Cætera, quæ huius authoris memoriam illustrarent, nondum mihi innotuerunt. Fuit Virlæus in precio, anno uirginei partus 1344, Oxonijq; in publicis theologorum scholis prælegebat, nō sine magno auditorum applausu, fœliciter apud Anglos Edvardo *tertio regnante.*

GVILHELMVS ENCOVRT. LIII.

GVilhelmus Encourt, *professione Dominicanus, à Bostono Buriensi* in magno scriptorum Catalogo, ob eruditionem, in literis tam sacris quàm *profanis non uulgarem, commendatur. Iuuenis studiorum gratia* Cantabrigiam unà cum alijs petijt, deinde Oxoniū: ubi paucis annis tan*tum in sciētijs profecit, ut ex auditore elocutor, & ex discipulo magister sta*tim haberetur. Vnde in utroque fratrum suorum collegio cathedrarius doctor, Bibliorum libros auditorio publico exposuit: sed non absq; circunductionibus Aristotelicis, ac fæcibus Thomisticis. Mixtione enim quadam ex diuinis eloquijs & *sophisticis rationibus, tanquam ex Centaurorum* biformi genere, lectiones suas atq; ad uulgum conciones conflauit. Et ut fragmenta dispersa *in unum tandem colligens, licet incomptè, & absque* omni *sermonis ornatu scripsit,*

Lecturam in Ecclesiasten,	Lib.1.
Sermones etiam plures,	Lib.1.

Hos solos suorum operum titulos, apud Bostonum Buriensem reperi: cæterorum autem, si quæ fuerint, nullam facit mentionem. Et *istis* tempori

bus

bus claruisse putatur: at annum & sepulturæ locum non apponunt.

HVGO DE DYTTONA. LIIII.

HVgo de Dyttona, (apud Leandrum Bononiensem Ductona scribitur) in Cantabrigiensi comitatu oriundus, Dominicastrorum, quos Prædicatores uocant, ordinis summista, ac tandem theologus Peripateticus, gloria non uulgari inter eos olim resplenduit. Illum ingenti esse præditum literatura, prædictus Leander, in quarto illustrium Prædicatorũ libro, his uerbis affirmat: Hugo de Ductona (inquit) Anglicus, theologiæ doctor, uir literatura ingenti præditus, qui aliquando magna cum laude, Angliæ rexerat prouinciam, &c. Totis hic nisibus laborabat, ut aperta essent, contra id quod Hester à Domino precabatur, iniquarum gentium ora, ut in superstitione laudarent idolorum fortitudinem, ac prædicarent (Prædicatores enim sunt) carnalem regem, Antichristum scilicet Papam & Abadonem, in sempiternum. Et in eum finem hæc pauca edidisse memoratur:

Scholastica certamina,	Lib.1.
Lecturas theologiæ,	Lib.1.
Conciones capitulares,	Lib.1.

Alia non commemorant eius sectæ scriptores, uel talium rerum consarcinatores. Vixit ille anno à Seruatoris incarnatione 1340, ut in quodam Epistolarum libro reperi, quod ex Albani fano erat, regnante Edvuardo tertio.

ADAMVS CARTHVSIANVS. LV.

ADamus Carthusianus, theologiæ doctor in ea religione non infimus erat, ætate tum uenerãdus: tum etiam in earum cognitione rerũ, quæ ad ociosam (dixissem contemplatiuam) uitam pertinent, usqueadeò excellens, ut eius fama longè lateq; per Brytanniam spargeretur. Hic quamuis in ueneratione multa silentium, iuxta eius ordinis ritum habuerit, in interpretandis tamen ac prædicandis solitariæ illius uitę institutis, nusquam suo defuit officio. Sed interim tot fuit superstitionibus impeditus, & fabularum ac mendaciorum nugis ex horarum lectione inuolutus, ut ueritatem ipsam ex scripturis sacris, quæ in animo uerum Dei cultum nutriret, nõ curauerit. Ex quibusdam uetustis Paganorum scriptis, pro confirmando spaciose uagantis animi inutili ocio, potissimum ex 6 sapientibus magistris (ex magistro Christo nihil) congessit,

De patientia tribulationum,	Lib.1. *Primus magister dixit: Si aliquod.*
Scalam cœli attingendi,	Lib.1. *Dum die quadam corporali manuum.*
De sumptione Eucharistiæ,	Lib.1. *Quando Dominum nostrum sub panis.*
Vitam Hugonis Lincolniensis,	Lib.1.

Et alia quædam opuscula fecit. Cœlum uerò, quod attingere laborabat, non ad ortum & Empyreum est, ad quod Christus ascendit: sed ad septentrionẽ & Labyrintheum, per Rom. Pontifices exædificatũ. Claruisse fertur anno Domini 1340, sub Edvuardo.

IOANNES LVTTERELL. LVI.

IOannes Lutterell, usitatiora *sui temporis studia omni conamine secutus*, ad philosophiam et Mathesin, acerrimorum ingeniorum exercitatrices artes, ac tandem ad theologiam, animũ applicabat. In quibus eruditionum generibus sic postea enituit, ut sciẽtias per se claras, lucidis expositionibus & lecturis clariores redderet. Illustrasse præterea dicitur, scholijs nõ de triuio petitis, quosdam bonorum authorũ libros: in quibus facilè ostendit, quantum in expedito rerum ac rationum iudicio ualeret. Sed quædam

interim egit aduersus Ockamum Minoritam: an pro Scoti doctrina, tanquam Realis contra Nominalem: an pro Papa, quod Christus & Apostoli proprium habuerint, ut contra eius illa in re aduersarium, certè nescitur. Ex canonico præbendario Sarisburiensis ecclesiæ, Oxoniēsis academiæ Cancellarius demum factus, scripsit aduersus quædā dicta & disputata eiusdem Ockami,

Determinationes quasdam,	Lib.1. *De primo articulo in libro mag.*
Ad quendam Romæ disputantem,	Lib.1. *Attentius supplicasti, ut breuiter.*
In uesperijs magistrorum,	Lib.1.
Prælectiones Oxonienses,	Lib.1.

Atq; alia plura protulit, quorum tituli nō apparent. Romæ disputantem, ad quem scripsit, Ioannem Baconthorpiū esse puto: qui eo tempore Romam uocatus, super matrimonij negotio concertabat. Claruit anno Christi 1340, sub dicto Edvuardo.

GVALTERVS CATTON. LVII.

GValterus Catton, in Nordouicensi Chordigerorum collegio, Francisci Asisiatis obseruator indefessus, magnæq; æstimationis magister, uerum commiscuit falso, lucem tenebris, Aristotele Christum. De eo enim Lelandus sic scribit: Cattonus sectæ Chordigeræ initiatus, philosophiā ac sacras literas apprimè coluit: quo nomine & famam non emortuam sibi peperit, &c. Porro Peripateticas disciplinas omnino ad pietatem necessarias esse credebat: neq; aliunde quàm ab illis, Euangelicæ doctrinæ soliditatem aut puritatem æstimabat. At noxior pestis non est, nec odiosius Deo malum, quàm scripturas diuinas subijcere paganorum placitis. Talia nihilominus carnalium Papistarum & Antichristorum fuere semper studia, ut cum iniquissimo serpente, promisso saluationis semine Christo, tanto fortius se opponerent. Ex peruerso pectore emisit tandem, ut Orphei musas à suis iactitatas,

Sententiarum commentarios,	Lib.4.
De paupertate Euangelica,	Lib.1.
Aduersus Astrologos,	Lib.1.
Resolutiones quæstionum,	Lib.1.

Et eius farinæ adhuc alia. Per Euangelicam paupertatem, suam mendicitatem intelligunt pedicosi milites, ac rasi moriones. Papæ demum pœnitentiarius Cattonus, Auenione obijt, anno Domini 1343, sub dicto Edvuardo.

THOMAS ECKLESTON. LVIII.

THomas Eckleston, Franciscanæ professionis alumnus, Oxoniensium scholarum cultor asiduus: multis (ut Lelandus habet) ad literarum penetralia cōtendebat passibus: quò tandem (inquit) & peruenit, ducibus experientia & prudentia. Tenebatur ardore planè mirifico cognoscendi originem, incrementa, & successus Franciscanę societatis, & præcipuè eius quæ in Brytannia sedes posuit. Consultis igitur sui ordinis proceribus, omnia quæ ad historiam iam conceptam pertinebant, edidicit. Hoc tandem confirmatus præsidio, operi se accinxit: ac desumpto exordio, ab aduentu Agnelli Pisani Franciscani in Brytanniā, perduxit historiam diligentia summa, curaq; solicita, usq; ad ultimos annos Guilhelmi Notyngamij, *uniuersi* cœtus Franciscanorū olim in Anglia primatis. Hæc ille. Opus est ad instar libri Conformitatum Bartholomæi Pisani, licet quantitate minus, fabulis, mendacijs ac blasphemijs plenum. Tractat enim de Francisci *tunica*, chorda,

da, uulneribus et braccis, de primis fratrum exordijs in Anglia, de abstinentijs, ieiunijs, cilicijs, uigilijs, castrationibus uel emasculationibus, ædificijs, precibus horarijs, uisionibus, portentis, prodigijs, studijs, doctrinis & lecturis. Absolutumq; opus hoc, Simoni Essebio amico & eius ordinis professori dedicauit, addito titulo,

De aduentu Minorum ad Angliam,	*Lib.1. In dulcedine Domini & Saluatoris.*
De impugnatione per Dominicanos,	*Lib.1. Anno Domini 1269, circa quadrage.*

Atq; alia congeßit, sed eiusdem omnino saporis: ita ut ex his nihil aliud profeßi uideantur, quàm scenicã quandam hypocrisim, ac merum quæstum. Claruit Thomas anno à Salutis nostræ origine 1340, sub rege Eduuardo tertio.

IOANNES FOLSHAM. LIX.

IOannes Folsham, aliàs Folsamus, Nordouicensis conuentus: qui, Lelando teste, multos illustres uiros nostræ dedit Brytanniæ, Carmelita fuit. Granta enim (sic Cantabrigiam uocat) fœcundissima liberaliũ artium parens, illum erudiuit, nec unquam alumni pœnituit. Argumento nimirum sunt, quæ dederat illi: dedit nanq; famam et theologici culminis titulum, ne nomen in obscuro deliteret, &c. Fuit ergo post cognitas Aristotelis artes, gustatis scripturarum corticibus concertatoriæ theologiæ magister non infimus: candida sciens syllogisticis cautelis in antra uertere, & homines in asellos. Et post uita sublatum Polestedum prędictum, ex synodali omnium decreto, in eius præfectura quintusdecimus succesit. Vnde & hic litigans Palæstinorum pastor, in cœlestis Abrahæ puteos uiuos, aridæ suæ doctrinæ harenam iniecit. Theologia scholastica (inquit Lutherus) planè degenerauit in philosophiam quandam, quæ nullam ueram Dei cognitionẽ habet. Opera sequentia edidit, ut saltem posteris innotesceret,

Isagogen metaphysices,	*Lib.1. Omnes homines natura scire.*
Quæstiones theologicæ,	*Lib.1. In præsenti quæstione quæram.*
Moralitates rerum,	*Lib.1. Triplex est esse rerum, quædam.*
De arte prædicandi,	*Lib.1. Sciendum quod à themate incho.*
De matrimonio,	*Lib.1. An matrimonium sit de iure.*
Flores ex Chrysostomo,	*Lib.1. Quod Psalmus quinquagesimus.*
Collationes per annum,	*Lib.1. Immensi uinculo debiti constrictus.*
Super Anselmum indices,	*Lib.1. Absentia boni nihil est aliud.*

Feruntur & eius in quosdam Salomonis libros commentarij, sed tituli desunt. Post sextum uerò præfecturæ suæ annum, Nordouici in suo cœnobio fato functus est, anno Christi 1348, & 18 die Aprilis, sub dicto Eduuardo.

APPENDIX.

Ne sua laude fraudetur quisquam, hæc subiungo: Non obstantibus illis quæ iam sunt dicta, Ioannes Folsanus in hoc summopere laudandus uidetur, quòd in seculo tam corrupto, coniugij (quod sanctũ Dei institutũ sit) defensionem susceperit: & quòd prædicationis officium inter tot superstitionum Halones penè neglectum & contemptum, suo conatu promouerit. His etiam accedit, & non incongruè, quòd ex Ioanne Chrysostomo, pijssimo ecclesiæ doctore, flores collegerit: id enim omnino Christiani pectoris redolentia non caret. Laborabat tunc Romæ Ioannes Baconthorpius, super coniugij negotio, ut antea relatum est: an id ad scribendum et hunc incitauerit, pellexerit, prouocauerit, planè nescio. Nicolaus Triuethus, Dominicanus, per eam ætatem commentarium in Valerium, de uxore non ducenda, scripsit. Id idem fecit & Ioannes Rideuall Minorita. An in matrimonij contemptum, & ecclesiastici cœlibatus prouectionem, non satis habeo. Itidem multi de incommoditatibus matrimonij tractatus tunc ediderunt: quorum facta Gerardus Dauentriensis confirmauit tandem. Fortaßis et hæc sunt, quæ hominis huius animum ad scribendum super coniugij negotio impulerunt.

Rarum certè est uidere, ex Sodomis prodeuntem, immaculati connubij ac ministerij diuini uerbi suscipere causas. Quamuis igitur ex Aristotelis et Scoti formalitatibus, quidditatibus, hæcceitatibus, & modis intrinsecis, atq; alijs Papistarum fæcibus ac chimæris, Folsanum hunc impium putauerim: ex his tamen omnino pium & sanctum sentio, ac pronunciare audeo. Porrò in his se ostendit apud suos fuisse quasi piscem, ita in palude uiuentem, ut nihil trahat de sapore palustri: & doctrinam habuisse tanquam pietatis Euangelicæ seminarium egregium. Sic quosdam semper habet pijssimus Pater, qui in omni ætate, tempore, loco, populo, aura, somno, caligine, hominum multitudinem ab ignorantijs & blasphemijs auocent. Sit ei laus in secula.

BENEDICTVS ICENVS. LX.

BEnedictus Icenus, seu Nordouolgius (sunt qui cognominent Anglū) professione Augustinianus, & episcopus olim Cardicensis, *tam ualebat disertæ linguæ* beneficio, ac uaria scientiarum supellectile, ut multos sui temporis theologos, theologus & ipse antecelleret. Nam & eius ad uulgū declamationes tam arridebant Antonio, eius temporis episcopo Nordouicensi, ut illum præ alijs omnibus in suffraganeum, uel suę potius functionis participem ac sodalem, specialiter admiserit. Ex nimia ad Aristotelem, Nouatianorum, Arrianorum, & Papistarum patriarcham, accessione, improbitatis illum solum accuso: quod sine illius ethnica literatura, Christi doctrinam mancam esse putauerit: quum scire debuisset, sapientiam diuinam non egere humanis inuentis. Reliquit enim, ut ex suis quoq; laboribus emolumenti aliquid ad posteros tandem manaret,

Alphabetum Aristotelis,	Lib.1. *Homo, Nosce tuam uitam. Nosce.*
Sermones per annum,	Lib.1.
Epistolas hortatorias,	Lib.1.

Atq; *alia quædam, quorum tituli ad præsens non occurrunt.* Claruit, sed non immunis à temporis sui contagijs, ut dictum est, anno à Redemptionis nostræ origine 1340, *sub* fortunatissimo Anglorum rege Edvardo tertio, Nordouici tandem sepultus.

GVILHELMVS SVTHAMPTON. LXI.

GVilhelmus Suthampton, ex illustri illo Vuintoniensis diœcesis oppido natus, à teneris unguiculis ad literarum cognitionē flagranti quodam studio se totum conuertebat. Est quidem Suthamptona, municipium quoddam maritimum, portum habens eodem nuncupatū nomine, sub meridie situm. Cumq; maturior iam ætas eum quasi uirum fecisset, cœpit cogitare de quieto quodam uiuēdi genere, monachatusq; Dominicanus in eadem urbe talia cogitanti perplacuit. Eius ergo collegij præpositum, uitæ suæ consiliarium deinceps elegit, eandem cum suis cœnobitis agendorum methodum professus. Vnde artes quas uocant seculares edoctus postea, theologiam ex diuinis sermonibus & Papæ decretis compactam, pro hæreticis (sic uocant pios homines) fortiter conuincendis arripuit. Magnus inde in ea facultate constitutus doctor composuit,

Super Sententias,	Lib.4. *De uti, primo quæritur, cum sit.*
Postillas in Esaiam,	Lib.1. *Esaias propheta magnus in con.*
In moralia Gregorij,	Lib.1. *Abstinentia. Solus in illicitis non.*
Sermones de sanctis	Lib.1. *Sapientiam sanctorum narrant popu.*
Sermones de tempore,	Lib.1.
Quæstiones theologiæ,	Lib.1.

Atq; *eius generis alia nonnulla.* Veritatem nudam curiosi sophistæ ac lucifugi tenebriones

nebriones nusquã elucidant suis argutationibus, sed horribilibus dubijs intricant. Istis temporibus & hic claruisse fertur.

JOANNES BVRGENSIS. LXII.

IOannes Burgẽsis, ex honesta familia natus, ac politioribus literis à teneris annis imbutus, ut lautè deinceps ex alienis sudoribus in ocio uiueret, in Benedictinorũ barathrum se immersit. Et iuxta spem, ab hac professione conceptam, fit demum abbas in Petroburgensi monasterio: quod tam ab ædificiorum splendore, quàm à turgido inhabitantium monachorum fastu, superbiæ cognomentum accepit. Chronographus erat pro sua ætate eruditus & eloquens: si non tam crebrò pedem (ut loquunt. immisisset communis illa monachorũ nutrix superstitio, quæ omnia fabulis & mendacijs implet. Res (inquit Lelandus) à prioribus in Brytannia nobiliter gestas perdiscebat. Hoc tamen interim consilio, ut quæ sparsa legerat, in ordinem reducta, posteritati non inutile munus relinqueret. Bono ordine ergo digessit multa, spectatu certè ac lectione digna: lectoribusq; contulit opus quod uocabat,

Anglorum annales, Lib.1.
Homelias quoq;, Lib.1.

Et alia quædam scripsit. In præfatis uerò annalibus, de literis ac literatis uiris nonnulla tradit: ut quod eruditũ mystarum chorum, Arthurus Brytannorũ rex in Legionum urbe posuerit, ac similia. Claruit anno Domini 1340, sub Edvuardo prædicto, in suo cœnobio sepultus demum.

ADAMVS NIDZARDE. LXIII.

ADamus Nidzarde, artium magister Oxoniensis, & poeta sua tempestate non uulgaris, ab ipsa adolescentia bonarum literarum cognitioni operam dedit strenuam. Maturior annis & rerum experientia factus, Oxonij Grammaticam atq; Dialecticen non sine magno discipulorum suorum commodo docuit, in poetarum lectione sine satietate delectatus. Doctrinam multam interim hausit, ex nocturnis diurnisq; studiorũ laboribus: perspicaci semper adiutus ingenio. Sed & doctrinæ suæ res duæ adminiculabantur, eloquentia elimata, sed elaborata, dictorumq; executio prompta & impigra. Musices dulcedine captus, si quando literis uacaret, ipse citharam sumere, ipse dulci strepitu resonantia fila quatere solebat. Carmine hic tandem scripsit,

Neutrale quoddam, Lib.1. *Aspirans precibus uestris persæpe.*
De speciebus lapidum, Lib.1. *Euax rex Arabum legitur scrip.*
Verborum significata, Lib.1. *Quoniam saxea distinguere sophist.*

Alia quoq; nonnulla, ut ferunt, exarauit, doctorum ac bonorum uirorum auribus digna: ne malignum silentium, suum obscuraret nomen. Colligo eum claruisse temporibus his, ex eius atq; aliorum scriptis, qui tamen annum non addunt.

EADMVNDVS ALBON. LXIIII.

EAdmũdus Albon, uir ad optimas artes, Lelando teste, & natus & compositus, non modò naturæ causas curiosa diligentia, uerùm etiam diuinitatis, inter superos fœliciter uersatus, peragebat. Vtq; operis tam rectè collati pars melior orbi luculenter innotesceret, Boetij sui, cultoris cœlestiũ rerum, libellum qui de Trinitate inscribitur, elegantem, cõspicuum, & sublimem illlum, eiusmodi cõmentariorum genere illustrauit, ut si non eloquẽtia, interim tamẽ rei maiestate, parem se Manilio Seuerino ostenderit. Hæc ille, Reliquum esset ostendere, qualis aut quantus hic fuerit, Monachum

quidem fuisse puto, & Cantabrigiẽsis Academię doctorem theologicum. Et composuit, ut dictum est, Commentarios

In Boetium de Trinitate, Lib.1.

Opinio itidem quorundã est, elucidationes quasdam & illum scripsisse in eundem Boetium de philosophiæ consolatione. Sed quia eius rei certitudinem non habeo, ad pręsens omitto. Claruit anno Verbi incarnati 1340, sub rege Edvuardo tertio.

ROBERTVS COVVTON. LXV.

ROBERTUS Couuton, Franciscanorum ordinis ex uoto professor à iuuentute præcipuus, & nõ uulgaris doctrinæ summistes: toto uitæ suæ tempore à suis commilitonibus habebatur. Oxonij plurimum insumpsit laboris literarij, quo insigne domum reportaret nomẽ: sed Parisij magis multo. Illic enim magisterium adeptus theologicum, in scholasticarum disceptationum certamine, ut eius factionis historici scribunt, probatissimos ferè superabat. In odiosis tamen illis sophistarum dissidijs, ac ridiculosis quandoq; contentionibus, nihilo socijs candidior, humanior, aut Christianior fuit: quin ethnicorum somnia uacillantia, solidis scripturæ ueritatibus prætulerit semper. Paganorum philosophiam, Tertullianus Apher omnium errorum fomitem uocat: & eorum philosophos (etiam Aristotelem ipsum, Papistarum semideum) hæreticorum omnium patriarchas. Non sunt tamen ueriti, hi magni Pharaonis Romani pharmacopolæ: multis ad interniciem hoc toxicum parare. Has mortiferas potiones ex tabida officina, pro salutiferis, & iste suis propinabat, scilicet

Quæstiones Sententiarum, Lib.4. *Sicut dicit beatus Ambrosius.*
Quodlibeta scholastica. Lib.1. *An inquisitor huius scientiæ sup.*
Sermones ad crucem Pauli, Lib.1. *Quæcunq; dixerit uobis, facite.*
Disceptationes magistrales, Lib.1.

Alia eius scripta nõ uidi, quamuis plura edidisse feratur. Claruit anno ab incarnato Messia 1340, sub Edvuardo tertio: fuitq; tandem archiepiscopus Armachanus. Hunc solent in testem uocare, quòd maculam in conceptione Maria contraxerit.

GVILHELMVS LISSYE. LXVI.

GVilhelmus Lissye, Minorita, & non parui apud suos momenti theologus, dum adhuc in humanis uiueret, sui memoriam monumentis quibusdam literarijs quàm longinquam facere studebat. Itaq; ueterũ quorundam sui ordinis magistrorum secutus authoritatem & exemplum, theologiam & ipse expositionibus, lecturis ac postillis, ut uocant, suo tamen atque illorum more, illustrauit. Et hoc se potissimũm fecisse fatetur, in quorũdam studiosorum fraterculorum gratiam: operaq; uidebantur, pro ea tunc tempestate, & utilia & docta. Sed quod sperauit ipse apud seros nepotes, de nominis sui fama, tantum abest ut hac nostra ætate sit cõsecutus, ut eius opuscula puluere obsita, in aliquot deliteant bibliothecis, Martonẽsi præsertim apud Oxonienses, ubi illa omnia uidi. Vnde inter alia nõnulla Lissæus composuit.

Postillas in Hieremiam, Lib.1. *Direxit opus eorum in manibus prophe.*
In Threnos eiusdem, Lib.1. *Quis dabit capiti meo aquam.*
In prophetam Baruch, Lib.1. *Post lamentationem & fletum ex.*
In Oseam, Lib.1. *Ossa duodecim prophetarum pullulant.*
In Iohelem, Lib.1. *Sanctus Iohel apud Hebræos,*

In

In Amos,	Lib.1. *Hic Amos propheta ille est.*
In Abdiam,	Lib.1. *Iacob patriarcha sanctus, hic.*
In Ionam,	Lib.1. *Sanctum Ionam, &c. huic prophetæ.*
In Micheam,	Lib.1. *Temporibus Ioachæ, &c. hic est.*
In Nahum,	Lib.1. *Nahum propheta ante aduentum.*
In Abacuch,	Lib.1. *Quatuor prophetæ, &c. primus prolog.*
In Sophoniam,	Lib.1. *Tradunt Hebræi cuiusq; prophetæ.*
In Aggæum,	Lib.1. *Hieremias propheta ob causam.*
In Zachariam,	Lib.1. *Anno secundo Darij regis, cum.*
In Malachiam,	Lib.1. *Omnis uerbi Domini, &c. hæc prophe.*

Et alios adhuc Bibliorum *libros exposuit, sed operum tituli non uenerunt in lucem.* Istis & ille temporibus claruisse fertur, sed scriptis annũ à Christo non apponunt. Eruditionis eius non infima laus est, quod à suis appelletur Doctor eximius.

IOANNES REPINGALE. LXVII.

IOannes Repingale, in Lincolniensi comitatu genus honestum ducens, Stanfordiæ apud Carmelitas, solẽni professione facta, uestem ei sectæ peculiarem induit. Diuersis in locis diuersi generis ille studia faustißimis planè auibus petijt, ac tandem Cantabrigiam, insigne multarũ artium & scientiarum emporium. Vbi consummatis ad illum gradum laboribus debitis, in Sententiarum lectura, in sacris cõcionibus, & in concertationibus propalã editis, supremum theologiæ suscepit magisteriũ. Hinc eruditionis atq; pietatis obueniũt ei celebria nomina. Eruditionis, quòd tam copiose & doctè sermones è suggesto tunc fecerit. Pietatis itidem, quòd ei functioni, quam Christus ante omnia suis mandauerat, amotis alijs, tam firmus inhæserit. Ioannes uerò Lincolniẽsis episcopus inde illum ad se uocauit, ut sibi semper in conscientiæ suæ causis consultor adesset. Ad cuius petitionem idem Repingalus Latinè concinnauit, eiq; dedicauit,

Sermones 83 Dominicales,	Lib.1. *Domino suo fidelißimo Ioanni.*
Sermones 42, de Sanctis,	Lib.1. *Miserere populi tui Domine.*
Conciones synodales,	Lib.1.
In uisitationibus episcopi,	Lib.1.

An aliud quicquam librorum in lucem emiserit, compertum certè nõ habeo. Superest ut lector intelligat, floruisse illum anno à Iesu Seruatoris natiuitate 1350, sub fortunatißimo rege Edvuardo tertio, & Stanfordiæ obijsse demum.

CHRISTOPHORVS MOLHVSENSIS. LXVIII.

CHristophorus Molhusensis, quãdiu inter Dominicanos esset, Dominicanus & ipse factus, animum non est passus iniquo torpescere ocio, sed scripturis sacris strenuam, Buriensi Bostono teste, impẽdebat operam. Consuetis enim eius ætatis artibus, studio quodam incredibili noctes atq; dies prius inuigilauit, operæq; precium ingens inde retulit. Accesit præterea pius & ardens ad Christi seruatoris doctrinam affectus, ut totum eius testamentum magno desiderio quæreret, perlegeret, ac laboriosis illustraret commentarijs. Fecitq; tum demum pro maiori parte, & non indoctè quidem, quod tam anxiè percupiebat, ut apud prædictum Bostonum pellucidè patet. Nam ut idem author habet, composuit

Postillas in Euangelia,	Lib.4.
In omnes epistolas Pauli,	Lib.14.
In epistolas Canonicas,	Lib.7.

Postillas in Apocalypsim, Lib.1.
Sermones de tempore, Lib.1.
Sermones de sanctis, Lib.1.
In Elenchos Aristot. Lib.2.

Extant & alia eius opuscula, sed eorum tituli nunc desunt. Claruisse & his temporibus fertur, ac multa ad Christianæ plebis informationem scripsisse. Sed in qua regni parte mortem obierit, penitus non lego. Hunc patria Thoringum, Philippus Volscius ponit.

RICARDVS AVNGERVYLE. LXIX.

Ricardus Aungeruyle, patria Sudouolgius, ab urbe natali ad Eadmundi fanum, Buriẽsis dictus, Edvuardi Anglorũ regis olim cancellarius, & episcopus Dunelmensis, summa authoritate præcellebat. Dederat hic, teste Ioanne Rosso Vuarvuicensi, Oxonij operam & philosophiæ & theologiæ: magnusq; post longos studiorum labores in utraq; doctrina euaserat. Literarum ac literatorum postea fautor erat ætate sua maximus: non secus atq; olim sub Augusto Cæsare Mecœnas ille Hetruscus, scientijs tam diuinis quàm humanis, ut dictum est, & ipse eruditus. Ad Franciscum Petrarcham, & alios ea tempestate doctissimos uiros, plures dedit epistolas, totidemq; recepit. Et post institutam Oxonij bibliothecam eximiã, quam publico illic studiosorum hominum commodo uir probus erexerat, de librorum amore atq; utilitate tractatum perpulchrum edidit, quem Græco uocabulo prænotauit,

Philobiblon, Lib.1. *Thesaurus desiderabilis sapientiæ.*
Epistolas familiares, Lib.1. *Ricardus miseratione diuina Du.*
Orationes ad principes, Lib.1.

Et alia scripsit. In primi operis præfatione, confitetur se ecstatico quodam librorum amore potenter arreptum. Quod opus Arkelandiæ in habitatione sua compleuit, 24 die Ianuarij, anno à communis Salutis origine 1344, ætatis suæ 58, & undecimo sui pontificatus.

IOANNES MANDVITH. LXX.

Ioannes Manduith, inter Martonẽses collegas, qui ripas Isidis seu Oxonium incolunt, & iugem bonis literis operam adhibent, alumnus ac socius eruditus longo tempore, ut Lelandus author est, mansit. Excreuit interim ille ad sublimem quandam rerum medicarum ac cœlestium cognitionem: unde & nomen & famam planè eximiam tandem sibi peperit. In confesso est, eum illustrasse tum medicinam, tum astronomiam, imò & theologiam ipsam, libellis etiam editis, qui in diuersis Angliæ bibliothecis adhuc extant, ut in ingenti scriptorũ catalogo Bostonus ipse Buriensis habet. Vnde & doctis suæ ætatis hominibus ualde familiaris effectus, ex his atq; alijs maximarum rerum notionibus egregiè quidem laudatur. Vtq; Manduithus, sicut fama, ita & scriptis se mundo notum redderet, congessit

De doctrina theologica, Lib.1. *Legimus in scripturis sacris.*
De chorda recta & umbra, Lib.1.
Tabulas Astronomicas, Lib.1.

Extant adhuc & alia eius scripta quàm plurima, tam de rebus medicis, quàm mathematicis: sed ea me nondum uidisse fateor. Claruit anno à diuini uerbi incarnatione 1342, ut in Bostono Buriensi claret, sub dicto Edvuardo.

GVALTERVS HEMMYNGFORDE. LXXI.

Gvalterus Hemmyngforde, Canonicus Gisburnensis cœnobij regularis,

ris, ordinis D. Augustini, quod cœnobium est prope Cliuiam Eboracensis patriæ prouinciolam, Thesi flumini celeberrimo adiacentem: impendio studiosus literarũ erat, ut Lelandus ipse colligit. Quo tandem factum est, ut in eruditum euaserit uirum, & non leuem apud suos gratiam sibi pepererit. In quo studio quum iam nõ infœliciter cursum longum continuasset, ecce cupido quædam eius occupauit animum, ut historiam rerum Anglicarũ posteritati dedicaret. Bonis igitur auibus ab ipso Guilhelmo Normanno exordium sumẽs, ad tempora Edvuardi eius appellationis secundi, hoc est, ab anno Christi 1066, usq; ad annum eius 1308, Anglorum res gestas summa cura, ac plena oratione perscripsit: ut & Guilhelmus Hormannus in suis collectaneis refert. uocabatq; suum hoc opus,

Historiam Anglorum,	*Lib. 1.*
Chronicon Eduuardi tertij,	*Lib. 1. Eduuardus post conquestum tertius.*
Sermones aliquot,	*Lib. 1.*

Atq; alia quædam edidit, ut produnt authores, sed ea non comparent. Claruit sub eodem Edvuardo tertio uaria componens: & obijsse fertur anno patefactæ gratiæ per Christum 1347, Gisburnæ in suo cœnobio, ubi & sepultus est.

IOANNES OLNEY. LXXII.

IOannes Olney, ex quadam insula parua eius appellationis prope Glocestriam, in Vuigorniẽsi diœcesi oriundus, Carthusiensis sectæ monachatum à iuuenili ac florida ætate percoluit. Ex illis erat Olneus iste, quàm impiè pijs ac superstitiose deuotis, qui pro sanctorum miraculis prodigiosa quæque mendacia uertunt in historiam, ac simplicioribus animis Delphici oraculi loco credenda proponunt. Hypocritarum nempe natura est, simulare uarios Dei cultus, & interim destruere puram illam in spiritu & ueritate adorationem. Atq; ita ab ipsis fallaciarum structoribus mutatur uera Dei gloria in uitulos aureos Ieroboam. Hic certè inter cæteras monasterialis ocij inutiles occupationes, ex diuersis talium superstitionum authoribus in aceruum collegit,

Miraculorum diuæ Mariæ,	*Lib. 5. Ad honorem diuæ Virginis Mar.*
Meditationes solitarias,	*Lib. 1.*

Cum alijs adhuc id genus deliramentis. Quis periculosa fuisse hæc tempora non iudicet? dum Christianæ doctrinæ loco, regnauerunt tam execrabiles imposturæ. Claruit Olnæus anno à Christi natiuitate 1350, sub dicto Edvuardo.

THOMAS STAVESHAVV. LXXIII.

THomas Staueshavu, Bristollensis Minorita, in occidentali regni parte ortus, ita à iuuentute literas illi ætati communes excoluit, ut eas solas pro animi ornamento necessarias duceret. Quæ hominem adeò non fefellit opinio, ut postea causa unica illi fuerit ad honoris gradus, etiã summos. Bristolla enim oppidum est in ora occidentali, ad Sabrinæ æstuaria positũ, alluiturq; Hauino fluuio, per quem minora nauigia ad illud commeant. Inter eruditos Franciscanos (inquit Lelandus) qui Oxoniũ incolebant, Staueshauus educatus, euasit tandem eo loci in philosophicarum & diuinarũ rerũ cognitione, sublimi quidem illa, ut & ipse eruditus tum diceretur, tum haberetur. Postremò, ut studiorum suorum fructum communem faceret, post uarios labores edidit,

Tabulam doctorum uniuersalem,	*Lib. 1. Abstinentia. Carnotensis libro 5.*
In lecturam Guil. de Vuara,	*Lib. 1. Absolutum. Vtrum suppositum illud.*

In lecturam Rob. Couuton,	Lib.1. Attributum. *An attributa disting.*
In *Delamarum, contra* Thomam,	Lib.1. *Angelus. Vtrum Angelus sit cōposit.*
De salutatione Angelica,	Lib.1.
De excellentia nominis Iesu,	Lib.1.
Conuertimini ad Deum,	Lib.1.
Sermones diuersos,	Lib.1.
Cursum moralem,	Lib.1.
In Lucam collectanea,	Lib.1.

Et alia nonnulla, stylo quidem sophistico ac barbaro. Quoniam tartareus ille puteus abysſi, qui locustas emiserat, alium cum illis fumum nō dabat, quàm qui solem & aerem obscuraret, Apoc. 9. Obijt hic Auenione, anno Domini 1346, ut in Minorum registro.

ROBERTVS DE LEYCESTRIA. LXXIIII.

RObertus de Leycestria, in eo natus oppido, in interiore parte insulæ sito, splendidam ex literis, ut Lelandus habet, gloriam sibi comparauit: quo titulo inter Franciscanos totus eluxit. Vt autem studiorum cursum fœlicius absolueret, Oxoniense gymnasium alacer petijt: ubi inter suæ sectionis symmistas, prælectorem publicum, numero 48, ad aliquot annos egit. Et quantum ad theologiæ cognitionē, penitiorem quidem illam pertinet, fama apud eos atq; alios enituit maxima. Eo tempore nihilominus præualente sophistarū iniqua rabie, per uniuersam penè Europā, bonę literæ barbarie quadā interierant. Vnde Roberto Herefordēsi episcopo, ex concionibus et scriptis familiarissimus factus, inter cętera multa eruditè cōposuit,

De computo Latinorum,	Lib.1. *Operis iniuncti nouitatem, pater.*
De computo Hebræorum,	Lib.1. *Prima earum est à creatione mun.*
De ratione temporum,	Lib.1. *Ad planiorem præscripti tractatus.*
Commentarios in Longobardum,	Lib.4.
Quodlibeta uaria,	Lib.1.
De paupertate Christi,	Lib.1.
Lecturas scripturarum,	Lib.1.

Atque alia longè plura congeßit opuscula, ut habet series Catalogi de scriptoribus Franciscanis. Obijt Lychefeldiæ, in suorum fratrum cœnobio, anno à saluationis nostræ origine 1348, sub Edvuardo tertio, & illic est sepultus.

APPENDIX.

Hoc unum prius omiseram, quod ex floribus historiarum Matthæi Vuestmonasteriensis, & ex quodam Minoritarum registro hausi, scilicet quòd Petrus Corbarius, ex Reatino agro oriundus, qui renuente ac reclamante uxore, Francisci profeßionem susceperat: & salutatus à Cæsare Ludouico Bauaro, sub Nicolai quinti nomine Rom. pontifex fuerat, nō Auenioni, ut Platina somniat, sed in Anglia, anno Domini 1331, Londini sepeliebatur. Bene esse poterit, quòd Bonifacius Pisanus comes, rem gratam Ioanni 22. Rom. Pontifici facturus, illum cæperit, atq; Auenionem perduxerit, & quòd ab eodem Pontifice in carcerem sit coniectus: sed quòd illic uitam cum morte permutauerit, uerum non est, ut ex his & alijs authoribus claret. His adijciendum est, quòd Ioannes Frossardus in chronicis habet: In Auenione (inquit) anno Domini 1346, Ioannes Rochetaylada Franciscanus prædixisse dicitur, ecclesiasticum ordinem multa paßurum propter ambitionem, auaritiam, atq; superbiam: quamobrem & ipse à pontifice Clemente 6 in uincula coniectus est. Ranulphus Higdenus in 6 libro Polychronici: Anno Domini 1354, feria tertia in hebdomada Pentecostes, combusti sunt duo Minoritæ apud curiam Auenionensem, pro opinionibus, ut Papæ Innocentio 6, & Cardinalibus uidebatur, erroneis omnino. Polydorus lib. 19. Anglicæ historiæ: Circa annū Domini 1357, duo Franciscani ordinis pseudomonachi (sic Antichristus Christi seruos perperam insimulat) post multa ma

lefacta,

lesacta, Londini igne necantur, quod de religione (Papismo) malè sentirent. Ioannes Frossardus: Petrus Castellæ rex damnatur ob quasdam opiniones erroneas aduersus clerum. Et ex alio Chronico: Anno Domini 1364. Petrum Hispaniæ regem, Henricus frater ab Vrbano quinto Papa iussus, è regno profligabat.

IOANNES AVONIVS. LXXV.

IOannes Auonius, aliàs de Northamptona, in comitatu atque oppido eiusdem cognominis, in ipso insulæ umbilico editus, & ex professione in eiusdem oppidi cœnobio Carmelita factus agnoscitur. Vir magni olim nominis ex mathematicæ artis absoluta cognitione hic fuit, & Ricardo Vualingfordo ad Albani fanum archimandritæ in experimentis practicis non dissimilis. Sed alio non est is mihi cognitus testimonio, quàm fide doctoris Roberti Recordi: qui & in ea arte peritissimus nunc floret. Quare quidem restat hoc mihi officium, ne quod ille de tali tantoq; uiro publicum esse uoluit, ego mihi soli conseruē, posteritati ingratus. Referam igitur ea quę Robertus scripsit. Ioannes de Northamptona (inquit) sacrę theologię lector, ordinis Carmelitarum, edidit Annulum philosophicum, elegantem, eius artis artifex primus, quem ecclesiasticum ritè uoces, qui perpetui Almanac (ut uocant) uicem suppleat. Scripsit præterea Auonius,

De rebus Mathematicis, Lib. 1.
Concionesq; aliquot, Lib. 1.

Feruntur & alia, sed tituli desunt. Annulū eius specioso tractatu elucidauit Ricardus Maydston, eiusdem professionis theologus: fecitq; canones in eundē. Claruit Ioannes anno Christi 1350, uaria condens sub rege Eduuardo tertio: demumq; sepelitur in suo cœnobio.

ROBERTVS VVORSOP. LXXVI.

ROBertus Vuorsop, in Eboracensi comitatu natus, inq; Augustinianorum Ticulliensis pagi cœnobio, quod non multum à Doncastrio distat, educatus fuit, & eius professionis edoctus statuta. Crescentibus uerò annis, ob utriusq;, ut uocant, literaturæ, humanæ scilicet ac diuinæ approbatam peritiam, pulchrè à suis acceptabatur. Et post papistici doctoratus insignia, ad episcopatus apicem euectus, nonnunquam prædicabat: ac serpentinum uirus, ex profanis studijs comparatum, profudit in uulgum. Pro miserè enim cruciandis hominum conscientijs nata fuit & hæc ex fumo tartareo gracilium locustarum secta, ut ex sophisticis ac friuolis eorum scriptis constat. Vnde opera hæc pauca & obscura Vuorsopus tandem edidisse fertur,

Introitum Sententiarum, Lib. 1.
Scholasticas quæstiones, Lib. 1.
Sermones uulgares, Lib. 1.

Alia si emiserit, eiusdem sunt farinæ. Nil ferè præter Chimæras reboauit hæc ætas infœlix, ut in mōnstra uerteret homines. Claruit anno à Christi incarnatione 1350, sub sæpedicto Eduuardo: Ticulliæ demum sepultus.

GVILHELMVS BRVNYARDE. LXXVII.

GVilhelmus Brunyarde, Dominicanus, parentū cura dum adhuc puer esset, liberaliter educatus, ac literis consecratus, doctas coluit artes: cū interim, ut prędictum est, insignis barbaries totum penè occuparet orbem. Id quod me dubium, ac totius eius rei detineret ignarum, nisi fidem Bostoni Buriensis in Catalogo suorum scriptorum authoritas mihi firmam faceret, qui & ipsius conditionem ac edita opuscula in eo demonstrat. De gene

re autem eius doctrinæ rationem hic dare superuacaneū esset, quando tum ex contubernalibus, tum ex librorū suorum titulis, plus satis sit notum. Sufficiat ergo ad præsens, ex præfato Bostono ante lectorum oculos ponere, quæ Brunyardus, dum uixerat, congessit, scilicet

Summam theologiæ, Lib.1.
Distinctiones uarias, Lib.1.
Determinationes quoq;, Lib.1.

Cæterorum eius operum titulos non uidi, quamuis plura adhuc edidisse dicatur. Claruit anno patefactæ gratiæ per Iesum seruatorem 1350, sub illustrissimo rege Edvuardo tertio, iuxta Bostonum. Sed ubi demum obierit, nusquam legi.

RICARDVS CICESTRIVS. LXXVIII.

Ricardus Cicestrius, uel Chichestre, sub Benedicti methodo, Vuestmonasterij ad D. Petri fanum cœnobita professus, cęterisq; adiunctus monachis, uir & ipse literatissimus, in ea uitæ forma ad uitæ finem perseuerauit. Raro ille suum tempus, à serijs rebus uacuum, in uanitates aut uoluptates traducere uolebat: sed uel scripturis sacris, uel historijs, quæ testes sunt temporum ac uitę magistrę, ut Seneca tradit, legendis, studium & laborem impendit. Vnde non infœlix chronographus, peruestigatis summa diligentia quorundam cœnobiorum bibliothecis, uisisq; multorum scriptis, historiam & ipse aggressus est cōdere. Et incipiens ab Hengisto Saxone, qui anno nati Seruatoris 449 Brytanniam cōductus intrabat, ad annum usq; 1348 eiusdem Christi, per annos ferè nongentos, eandem continuauit. Cui operi pro titulo adiecit,

Anglosaxonum Chronicon. Lib.5. *In historico namq; contextu, chronog.*

Præter hoc, nihil opusculorum eius inuenio, neq; apud Bostonū Buriensem, qui tamen illius mentionem facit. In prædicto Chronico, pręter authores à Ranulpho citatos, Nennium & Gildam adfert. Claruit anno prius numerato.

IOANNES HOVVDEN. LXXIX.

Ioannes Hovuden, seu Houedenus, theologiæ doctor, Londini oriundus, miræ simplicitatis homo fuit, Alienoræq; reginæ, matris Edvuardi primi Anglorum regis, capellanus. Iste eruditus ac pius, & per illam ætatem non infima laude uir dignus: præstitit planè quod erat, nempe theologum, diuinorumq; eloquiorum amatorem. Post profana ethnicorū studia, ac futilium rerum disquisitiones, cum citharœdo Dauide introibat in potentias Domini, ut eius solius commemoraret iusticiā, mirabiliaq; magna pronunciaret. Porrò ex utroq; Dei testamento sententias graues, tanquam flores amœnos collegit, et redactas in rhythmica metra, ut psaltes ille lyricus olim recreandi animi gratia, ad chelyn suauibus odis sanctè quidem cecinit. Eiusq; generis rhythmicarum cantionum, Bostono teste, codicillos reliquit plures, præpositis titulis scilicet,

Philomelæ canticum, Lib.1. *Philomela præuia, temporis amœni.*
Meditationem animæ Christianæ, Lib.1. *Aue uerbum, ens in principio.*
Cantica quinquaginta, Lib.1. *Summe Deus pastor potens.*
Canticum diuini amoris, Lib.1. *Princeps pie Iesu bone.*
De beneficijs Dei, ex Bernardo, Lib.1. *Iesu Christi celeri intercessione.*
Salutationes 50 Mariæ, Lib.1. *Aue stella maris, uirgo singularis.*
Quindecim gaudia Mariæ, Lib.1. *Virgo uincens balsamum odore.*

Speculum

Speculum laicorum, Lib. 1. In Christo sibi dilecto quondam consol.
Lyram dulcisonam, Lib. 1.

Et alia plura composuit. Quòd erga Mariam Christi matrẽ superstitiosulus extiterit, temporis infœlicitati tribuendum est. Obijsse fertur anno Domini 1275, Houedenæ sepultus, ubi pastorem egit. Et qui ab ambitiosis Papistis ob simplicitatem cõtemnebatur, post mortem dicebatur fulgere miraculis.

RICARDVS ROLLE DE HAMPOLE. LXXX.

RIcardus Rolle, aliàs de Hampole, uir quidem pius & doctus, unà cum religione literas asiduè colebat: unde non leuem gloriam sibi comparauit. At paulo eruditior erat, quàm facundior: prꝑstitit tamẽ quantũ potuit per temporis infœlicitatem maximã. Quo nomine certè sua laude non est fraudandus: qui maiori fide & labore, quàm facundia & elegantia, rem utilem tractat. Sed hæc aliàs. Relicto tandem, ut fertur, theologici doctoratus fastigio, Eremiticam uitam deinceps in magna simplicitate spiritus duxit. Videbat ille (ut in quodam Commentario testatur) sacerdotes impudicitias quasdam & illicita sectari lucra: ac religionem iactitantes, suarũ iniquitatum prodere fæces. Heu (inquit) heu, idolorum seruitium admittentes, Christianæ militiæ decus amiserunt. Væ presbyteris, qui tanto cum clamore decimas exigunt, scelerate uiuentes. Excommunicant eos, qui ab ecclesijs iura subtrahunt: quod ipsi omnium primi faciunt, dum Dei uerba non rectè nunciant, &c. Protulit Hampolus iste meditatoria quædam opuscula, utputa

In lectiones mortuorum, Lib. 1. Parce mihi, &c. Exprimitur autem.
Super Psalterium, Lib. 1. Magna spiritualis suauitatis.
De stimulo conscientiæ, Lib. 1. Ab æterno & ante tempora fuit.
De emendatione peccatoris, Lib. 1. Ne tardes conuerti ad Dominum.
Meditationem diuini amoris, Lib. 1.
De spiritualibus ascensionibus, Lib. 1. Beatus uir, cuius est auxilium abs te.
Eulogium nominis Iesu, Lib. 1. Oleum effusum nomen tuum domi.
Officium nominis Iesu, Lib. 1. Salutem mentis & corporis donet.
De incendio amoris, Lib. 3. Cum infœliciter florerem, & in.
Moralia in Iobum, Lib. 1.
Speculum peccatoris, Lib. 1. Quoniam charissimi dum in huius.
In quendam scripturæ textum, Lib. 1. Adolescentulæ dilexerunt te nimis.
De pœnitentia, Lib. 1. Pœnitemini, ut deleantur peccata.
In threnos Hieremiæ, Lib. 1. Factum est postquam in captiuitatem.
In Apocalypsim Ioannis, Lib. 1.
Sermones quadragesimales, Lib. 1. Puluis es, & in puluerem reuer.
Regulam bene uiuendi, Lib. 1. In initio & fine bonorum operum.
Orilogium sapientiæ, Lib. 1. Quoniam ita res habet, quod mors.
Paruum Iobum, Lib. 1. Dilecte Domine, animæ parcas.
De timore Dei, & mundi contemptu, Lib. 1.
De arte moriendi, Lib. 1. Quia mortis passagium ex hac uita.
De bello spirituali, Lib. 1. Frater aut soror, qui desideras.
Meditationem ex Augustino, Lib. 1. Augustinus sanctus doctor in decla.
De non iudicando proximo, Lib. 1. Iudica me Deus, & discerne causam.
Vehiculum uitæ, Lib. 1.
Melodiam amoris, Lib. 1. Admirabar amplius quàm enarrare.
De uirtutibus reuelatis, Lib. 1. Da pauperibus meis unum de.

De

De dulcedine contemplationis,	*Lib.1.* O' *dulce lumen* Deus, *illumina.*
Meditationem sui ex scripturis,	Lib.2.Memento *miser homo, quoniam.*
Super quarto Sententiarum,	Lib.1.
Contra amatores mundi,	Lib.1.*Quoniam mundanorum insania ex.*
In loca Cantici *canticorum,*	Lib.2.*Suspirantis animæ delicijs æter.*
In Psalmum, Domine *in uirtute,*	Lib.1.*Cum Christus, qui est ueritas, dicat.*
Commendationem *uitæ eremiticæ,*	Lib.1.Extiterunt *aliqui, & adhuc forte.*
De glorificatione sanctorum,	Lib.1.
Super Mulierem fortem,	Lib.1.Nemo *ambigit humanæ diuinæq;.*
Super Salue regina,	Lib.1. Ad *salutandam uirginem gloriosam.*
In orationem Dominicam,	Lib.1.
In symbolum Apostolorum,	Lib.1.
In Psalmum, Domine *Deus meus,*	Lib.1.
In Psalmum, Iudica me Deus,	Lib.1.
De excellentia contemplationis,	Lib.1.

Psalteriumq; in Anglicum sermonem transtulit, & alia multa fecit. Obijt anno Christi 1349 in festo Michaelis, honorifice sepultus in Hampolensi monialiũ cœnobio, quod quatuor passuum millibus distat à Doncastrio, celebri Eboracensis prouinciæ oppido, in sanctos à Papistis, suæ olim doctrinæ contemptoribus, relatus ac ueneratus.

IOANNES GVVENT. LXXXI.

IOannes Gvuent, Cambricæ regionis alumnus, celeberrimas Franciscanorũ scholas in Isidis uado seu Oxonio sitas, tanto animi ardore coluit, ut suis omnibus in penitiori reconditæ prudentiæ cognitione, se uel admirabilem ostenderit. Electus tandem consensu publico in prouincialẽ ministrum, ut uocant, Franciscanorum omnium Brytanniam incolentium, literas profanas & sacras egregiè interpretatus est: ac Longobardi locos communes explicuit, ditauit, illustrauit. Hæc sunt quę Lelandus de ipso tradit, sine omni spirituum aut doctrinarum exploratione, quum tamen multi pseudouates prodierint in mundũ. Ex quatuor angelis illis, qui quatuor uentos tenebant, ne terram afflarent, Apoc.7. per quos aliqui Mendicantium sectas intelligunt, & hic erat. Qui cæterorum more, salutaris doctrinę cursum, à malo agitatus genio, sophisticis cauillationib. impediuit, ut eius probant scripta. Exarauit enim

Commentarios Sententiarum,	*Lib.4.*
Quæstiones disputatas,	*Lib.1.*

Atq; alia ipsis similia: ut interim taceam conciones eius ac uerborũ pugnas, in quibus nihil Christi, nihil salutis, sed sola ingenij ostentatio quærebatur. Obijt Herefordiæ, anno Domini 1348, ut in quodam Minoritarum registro reperi.

RADVLPHVS RADIPTORIVS. LXXXII.

RAdulphus Radiptorius (sic eum Bartholomæus Pisanus in Conformitatib. Francisci cognominat) ex Minoritana fraterculorum familia, Oxonij doctor sophisticus fuit. Et non solùm hic Bartholomæus, sed & alij quoq; eiusdem factionis chronographi, facundum Apollinem illum ab ingenij ac linguæ promptitudine iactitabant: quum tamen ex professione ad Franciscum & Papam, nihil aliud fuerit, quàm ex putei fumo locusta. Nam id quod uiride erat, & ex Dei uerbo uiuum, uociferationibus fumarijs ac lethiferis, per totum uitæ tempus læsit, uastauit, destruxit. Nec aliud proh dolor erat, eius ætatis pestilentissimæ, inter dolose meditãtes hos monachos,

regimen. Reliquit hic scriptis, ut & posteri idem ipsum quoque doctrinæ genus saperent,

Super Sententias, Lib.4.
Quæstiones ordinarias, Lib.1.
Lecturas scholasticas, Lib.1.

Magnam quoq; Bibliorum partem exposuisse, seu potius corrupisse mendacijs ac blasphemijs perhibetur: quam huc usq; non uidimus. Vixit anno ab exorta pietate Christiana 1350, sub sæpedicto Anglorum rege, Edvuardo tertio.

IOANNES TYTLESHALE. LXXXIII.

IOannes Tytleshale, à uilla Nordouolgiæ Lichamo uicina, ut Lelandus author est, cognomen accepit, & è collegio Carmelitarum, quod Nordouici celeberrimum est, prodijt. At famæ suæ partem maximam, Isiacæ debet academiæ: ubi uernantissimos doctarum artium flores, tanquam è copiæ cornu selegit, &c. Adeò enim in re literaria, sed impostrice ac sophistica, Oxonij profecit, ut supremæ classis magister, tam in theologia quàm in iure Papistico præcipuus haberetur. Declamator sermonum (inquit in utroq; opere, post Bostium, Tritemius) omnium suo tempore celeberrimus erat, ingenio subtilis, & eloquio compositus. Inuenitur tamen in regno perditionis ac peccati, sua contra Dei uerbum statuisse figmenta, diuinę ueritatis ignarus. Quoniam ex undiq; comparatis hominum corruptelis, emisit tandem in uoluminibus magnis, opera quæ sequuntur,

In Magistrum Sententiarum, Lib.4. *Vtrum à uerbo incarnato secundum*,
Determinationes in theologia, Lib.1. *Vtrum quælibet notitia creata*.
In Apocalypsim S.Ioannis, Lib.1. *Est autem Apocalypsis, Græcus sermo*.
Prælectiones Bibliorum, Lib.1.
Sermones de tempore, Lib.1.
Sermones de sanctis, Lib.1.

Commentariosq; scripturarum reliquit Tytleshalus plures, qui in diuersis Anglorum Bibliothecis seruabantur. In precio fuit circiter annum à Christi natiuitate 1354, & Romæ supremum diem obijt, à suo ordine illuc missus, atq; in Anglorum collegio inibi sepelitur.

ROBERTVS HOLCOTH. LXXXIIII.

RObertus Holcoth, Dominicanus, Auoniæ borealis seu Northamptonæ alumnus, nunquã aut labori aut oleo pepercit, quin literas tandẽ, quarum amore totus conflagrabat, assequeretur. Polluit ille tam multa bonarum literarum notitia, ac naturali quadam in rebus agendis prudentia, ut celebre inter magistros Oxonienses obtinuerit inde nomẽ. Et licet eius doctrina non sit omni ex parte pura aut syncera, est tamen non mediocri eruditione pluribus in locis referta. Nam multæ, ac penè infinitæ lectionis homo erat, atq; ingenij solidissimi: ut habet tam Tritemius, quàm Leander Albertus Bononiensis in gestis Prædicatorũ. Errauerunt propemodum omnes, qui in illis tenebrarum seculis extiterunt: quòd in tanta orbis excæcatione, fictis allegorijs nimiũ inhærentes, nudæ atq; apertæ ueritati acquiescere noluerint. Interim nihilominus Robertus hic protulit, pro posterorum (ut ipse putabat) iuuandis exercitijs, opera quæ hic sequuntur, uidelicet

Lecturam Sententiarum, Lib.4. *Hierusalem Euangelistam dabo*.
Quodlibeta quoq;, Lib.1. *Vtrum quilibet uiator existens*.
Super articulis impugnatis, Lib.1. *Primus articulus fuit, quod*.

In sapientiam Philonis,	Lib.1. Dominus petra mea, & robur.
In prouerbia Salomonis,	Lib.1.
Commentarios in Oseam,	Lib.1. Libri duodecim prophetarum in duo.
In Iohelem,	Lib.1. Hic ponitur secunda porta scriptu.
In Amos,	Lib.1. Incipit tertia porta scripturæ.
In Abdiam,	Lib.1. In duobus prophetis præcedentibus.
In Ionam,	Lib.1. Ionas interpretatur columba dolens.
In Micheam,	Lib.1. Micheas qui interpretatur humilitas.
In Nahum,	Lib.1. Nahum interpretatur germinans eis.
In Abacuch,	Lib.1. In prima parte istius capituli.
In Sophoniam,	Lib.1. Iste Sophonias est porta Iudi.
In Aggæum,	Lib.1. Aggæus uno modo interpretatur.
In Zachariam,	Lib.1. Zacharias est porta illa, quæ di.
In Malachiam,	Lib.1. Malachias interpretatur Angelus Domini.
Super Euangelia,	Lib.4.
Moralizationes historiarum,	Lib.1. Theodosius de uita Alexandri.
De peccatis mortalibus,	Lib.1. Hæc est uia, ambulate in ea.
De præsciētia & prædestinatione,	Lib.1. Vtrum præscitus sicut & prædestinatus.
De ludo Scaccorum,	Lib.4. Multorum fratrum ordinis nostri.
De immortalitate animæ,	Lib.1.
Quæstiones Sententiarum,	Lib.4. Vtrum quilibet uiator existens.
Determinationes quæstionum,	Lib.1. Vtrum aliquis in casu necessita.
De prædicatoris officio,	Lib.1. A' sacro canone tanquam à fon.
Moralitates scripturæ,	Lib.1. Quoniam misericordia & ueritas.
De libertate credendi,	Lib.1.
Sermones per annum,	Lib.1. Ecce nunc tempus acceptabile.
Dictionarium quoddam,	Lib.1. Adulator est nutrix diaboli, lact.
Sermones festiuales,	Lib.1. Erunt signa in sole & luna.
Quadragesimale quoq;,	Lib.1. Ductus est Iesus in desertum à.
Sermones de sanctis,	Lib.1.
In Cantica Salomonis,	Lib.1.
In Ecclesiasten eiusdem,	Lib.1.
In Ecclesiasticum imperfectè,	Lib.1.
De fautoribus hæreticorum,	Lib.14.
De impunitate peccati,	Lib.1. An omne peccatum sit impunitas.
In Euangelium Matthæi,	Lib.1.
Exempla scripturæ,	Lib.1.
De motibus naturalibus,	Lib.1.
De effectibus stellarum,	Lib.1.
Vniuersalia quinq;,	Lib.1.
Lecturas scholasticas,	Lib.1.

Et alia plura, sed mihi adhuc incognita. Peste demũ est extinctus, in lectione septimi capitis in Ecclesiasticũ, anno à salutifero diuæ uirginis partu 1349, ac Northamptonæ apud Dominicanos sepultus, Edvuardo tertio regnante.

GVILHELMVS MYLVERLAY. LXXXV.

GVilhelmus Myluerlay, notisimæ famæ sophista, in scholis Oxoniensibus disputandi acumine plurimum ualuit: usqueadeò ut literatorum chorus uniuersus, eius in rebus dubijs iudicium magnifaceret. Id quod posteaquam intellexerat, animum ad scribendum appulit, ut posteritati cognitionem

tionem maxima industria partam, maiori cura cõsecraret. Hæc partim sunt quæ Lelandus noster de Miluerlæo prædicat. Cæterùm doctrinæ genus illud, quod à paganis acceptum, discipulis Oxonij administrauit, ac scriptis tandem edidit, id erat, quo illi dæmonum cultus olim tum instituerunt, tum promouerunt, nempe sophisticum. Et est à diuo Paulo dæmoniorum doctrina propterea dictum. Vnde tum demum protulit,

In uniuersalia Porphyrij, Lib. 1. *Pro superficiali notitia quinq;.*
Sophismata quoq;, Lib. 1. *De incipere, differre, & scire.*
De propositione, Lib. 1. *In materia de propositione.*
Super 6 principijs, Lib. 1. *Intentio autoris in hoc libello.*

Et alia his similia, quæ eo seculo in precio planè summo erant. O' seculum summæ ignorantię nebulis obtenebratum, ac ludibrijs plusquam diabolicis excæcatum. Claruisse fertur Miluerlæus anno Christi 1350, sub dicto Edvuardo.

IOANNES TEVKESBERY. LXXXVI.

IOannes Teukesbery, à uico eius appellationis ad Sabrinum flumen in Vuigorniensi diœcesi sito, sic dictus, & in eodem, ut apparet, natus & educatus, Oxonij peregrinas artes à sophistis sophista didicit. His sycophantijs, seu fallaciarum mendacijs instructi nebulones, quæcunq; falsa, uel re ipsa impossibilia omnino erant, facilè esse uerissima conuincere nitebantur: ut sic ueritas diuinarum scripturarum, quum uellent, oppressa & extincta iaceret. Omnia hæreticorum dogmata (inquit Hieronymus) sedem sibi & requiem, inter hæc Aristotelis & Chrysippi spineta reperiunt. Nouatiani enim, Arriani, & alij hæretici, in disputationibus confidebant semper: at orthodoxi in unico & solo Dei uerbo. Composuit artifex iste ac magister impietatis,

Sophismatum elenchos, Lib. 1.
De raritate & densitate, Lib. 1.
De alterationibus, Lib. 1. *Vniformiter continuè uariari.*
Suppositiones quoq;, Lib. 1.
Opus Chiromantiæ, Lib. 1.

Atq; eius generis alia adhuc plura. Nil magis uidentur hæ disciplinæ hominibus tradere, quàm egregiè ineptire, aut ex industria subdolis uerborum cauillationib. errare. Claruit falsiloquus anno Domini 1350, sub Edvuardo tertio.

THOMAS BRADVVARDYN. LXXXVII.

THomas Bradvuardyn, Hartfeldiæ natus in diœcesi Cicestriẽsi: ita à teneris annis diligentem operam literis Oxonij nauabat, ut iam in ipso adolescente cœperint quædam futuræ eruditionis indicia prælucere. A' iuuentute nimirum studiosus philosophus, profanarũ artium disciplinis, Stoicorum more, per subsequentem ætatem omne suum studium dedit. Ex Aristotele & Auerroe sedula inuestigatione pleraq; hausit: Iudæos, quos in lege peritiores sciebat, pro scripturarum intellectione familiariter conuenit. Vnde ad tantum doctrinæ incrementum postea perueniebat, ut in Oxoniensi academia supremę facultatis magister constitueretur: egregiusq;, Raphaelis Volaterani, ac Ioannis Pici, hominum Italorum testimonijs, theologus fuerit. Cum Ioanne Baconthorpio, Parisijs olim reuerso, magnam de præscientia ac prædestinatione concertationem habuit, eiq; tandem in omnibus consensit, ut idem Ioannes in 4. libro Sententiarum, dist. 1. quæst. 4. demonstrat. Vnde ex cancellario Londinensi tandem aulicus, atq; ab optimo rege Edvuardo tertio ad cõfessionẽ uocatus, Cantuariorũ archiepiscopus

Ioanni Offordio diem obeunti substitutus est. Aduersus hæreticos arma suscipiens (uerùm Papistas Papista non mordet) in magno spiritus feruore scripsit, præsertim contra Pelagianos, ad suos Martonenses,

De causa Dei, à uirtute causarum,	*Lib. 3. Magnorum & multorum petitionibus.*
De uelocitate motuum,	*Lib. 1. Omnem motum alteri in uelocitate.*
De proportionibus,	*Lib. 1. Omnis proportio, uel est communiter.*
De præscientia & prædestinatione,	*Lib. 1.*
Arithmeticam speculatiuam,	*Lib. 1. Quantitatum alia continua, quæ.*
De Arithmetica practica,	*Lib. 1. Asserentium Arithmeticæ artis.*
Geometrica principia,	*Lib. 1. Geometria assecutiua est Arith.*
Commentarios Sententiarum,	*Lib. 4.*
Placita theologica,	*Lib. 1.*
De sancta Trinitate,	*Lib. 1.*
De præmio saluandorum,	*Lib. 1.*
Summam theologiæ,	*Lib. 1.*
Sermones per annum,	*Lib. 1.*

Aliaq; plura composuit. Sed proh dolor, Thomas longiori uita dignus, exacto tantum uno in pontificatu anno, mortem obijt planè immaturam, anno ab incarnato Dei uerbo 1350, sub prædicto rege Edvuardo tertio. Summa eius Romæ in Vaticana pontificis bibliotheca extare perhibetur.

APPENDIX.

Paulus Aemilius: Anno Domini 1335, Initium maximi belli Anglici, quod tam atrox, cruentum, & funestum fuit, ut ex quo Gallia Romanorum arma sensit, nullum cum eo sit conferendum: sæpius intermissum, sæpiusq; renouatum. Anno Domini 1338, Eduardus Anglorum rex, imperij uicarius cōstituebatur. Ioānes Funccius: Eligitur ab electoribus Eduuardus Angliæ rex, qui gratijs actis pro honore, Gallico bello se occupatum esse dicens, Imperij titulum recusauit. Paulus Aemilius: Anno Domini 1346. Pugna ad Cresciacum, omnium famosissima luctuosissimaq;, quæ Gallis unquam acciderunt, fuit, ob interemptam nobilitatē. Christianus Massæus: In Cresciacensi prælio tota prope Francorum nobilitas perijt, uictoribus Anglis. Sequenti anno Anglus obsedit Calesium. Obsessi, fame intolerabili laborantes, tradiderunt se regi. 26 Augusti, die Dominica, ciues expulit, Anglos introduxit, qui hucusq; locum tenent, Gallorum maximo detrimento. Scala temporum: Anno Domini 1348, Papæ prouisiones in Anglia circa beneficia uel annatas, seu uectigal prædiorum sacerdotaliū, Eduardus rex prohibebat. Sequenti anno electores Germaniæ imperium iterum Eduardo obtulerunt, qui id assumere denuò renuebat ob pontificis Rom. tyrannidem. Platina: Anno Domini 1354, Carolus quartus Imperator, Romam proficiscens, absente pontifice Innocentio 6, sed consentiente, à duobus Cardinalibus ad eam rem missis, hac tamen conditione, coronatur, ut neq; Romæ neque in Italia (Papa regnorum proditor est) diutius immoraretur. Quo quidem in Germaniam abeunte, Aegidius legatus omnia ferè oppida breui recepit, ac pro Petri patrimonio occupauit.

RICARDVS VVETHERSET. LXXXVIII.

Ricardus Vuetherset, aliàs Cantabrigiensis dictus, ab illustri aliqua functione, qua in academia illa usus est (cancellarius enim fuit) studiorū fœlici prouentu, famam & fortunam splendidam comparauit. Viuens procul dubio, ecclesiæ Anglicanæ ornamento erat: quam laudem nec moriens perdidit, relictis libris egregijs, quibus mores ad uitæ honestæ exemplum illexit, animauit, confirmauit. Hæc habet in Catalogo Lelandus Antiquarius. Ante cuius tempora prorsus intercidisset hic author, nisi Bostonus Buriensis, diligētissimus bibliothecarū Angliæ peruestigator, ac scriptorū adunator, in suo Aphabetico opere honorificam eius mentionem fecisset. Hinc equidem liquet, eum edidisse inter cætera multa, Summam sacerdotalem, seu,

Speculum ecclesiasticorum,	Lib.1. *Qui bene præsunt, &c.* Nouit Apost.
De uitijs & uirtutibus,	Lib.1.
De sacramentis ecclesiæ,	Lib.1.
Homeliarum opus insigne,	Lib.1.
De computo Mathematico,	Lib.1.

Aliorum eius operum titulos non inueni. Non Peripateticorum more diffiniendo & diuidendo rem theologicam hic tractabat, sed ex conformitate ueritatum è scripturis sacris. Claruit anno salutis nostræ 1350, sub Eduuardo tertio.

GVILHELMVS BRETON. LXXXIX.

Gvilhelmus Bretõ, *Franciscani generis fraterculus*, ex Cambrica gente oriundus, famam suo tempore celebrem nactus, ob edita opuscula multis tunc nota, locũ quodammodo inter hosce nostros *scriptores* nunc ambit. *Vir erat* præter uariarũ artium exactam notitiam, in seculo tam barbaro, lingua & calamo insignis: atque in utroque scribendi genere, prosa & carmine, author apud Anglos non infimus. Nam et uiros, ut ea tulerũt tempora, doctissimos, *in insignem sui opinionem* pertraxit. Frequens enim in academijs, tam exterarum nationum quàm ipsius Angliæ, erat eius Lexicon, Bibliorum uidelicet interpres, quantũ ad obscura uulgo literatorum uocabula pertinebat. Posteritati uerò hic tandem consecrauit tam carmine quàm prosa, summam Biblicarum dictionum, quod opus appellabat

Vocabularium Bibliæ,	Lib.1. *Difficiles studeo partes quas.*
In Prologos Bibliorum,	Lib.1. *Ad euidentiam huius epistolæ.*
In Elenchos Aristotelis,	Lib.2. *De sophisticis autem Elenchis.*
Quæstiones Elenchorum,	Lib.2.
Grammaticalia quædam,	Lib.1.
In Porphyrij Isagogen,	Lib.1.
In Prædicamenta Arist.	Lib.3.
In Peribermenias,	Lib.2.
In sex principia,	Lib.1.
In diuisiones Boetij,	Lib.1.
In dicta Alexandri Neckam,	Lib.1.

Et alia quædam. In Neckamũ uerò ita uocabulorũ interpretẽ egit, ut postea Perottus in Martialẽ, sed suo more. Obijt Grymmesby, anno Domini 1356. Et hoc planè suo sale non caret, quòd Henricus Standicius, fani Asaphi episcopus, Erasmo incomparabili uiro æmulus, Bretonis huius authoritatem obiecerit.

PAPAE, VEL ANTICHRISTI ROMANI.

141. *Vrbanus quintus, patria & ipse Lemouicensis, Grimaldus Grisaunt antea nominatus, Guilhelmi Grisanti medici & Angli filius, monachus Benedictinus, Antisiodorẽsis primùm, postea Massiliẽsis ad S. Victorem abbas, absens in legatione Pontifex creabatur. Vocatus itaq; Auenionem, & Papa salutatus, magnus Papalium canonum doctor, atq; arrogantissimus mente magister, mox ad tuendam malignantis ecclesiæ libertatem in auaritijs, luxurijs, ac pompis animum seriò adiecit. Eorumq; opera in his prosequendis ille usus est, qui in eam rem toti animati essent: præcipuè Aegidium Hispanum, Cardinalem Sabinensem, cum summa potestate legatũ rursus misit. Qui tanquam alter Satan, ad nocendum paratus, Italiam perambulabat, & Vicecomites aliosq; rectores miris calamitatibus & cladib. pressit, ac sese submittere eidẽ ecclesiæ omnes terrore cœgit. Ipseq; põtifex Vrbanus, quarto sui Pontificatus anno, cum Cardinalibus unà Romã ueniens, constituit, non Euangeliũ regni Dei prædicare ad Christi gloriam, sed obsoleta reficere templa ad idololatricam pompam. Ecclesiam*

S. Pauli alieno sumptu reparauit: & Apostolorum caluarias diu quaesitas, ac tandem inuentas, capsis aureis & argenteis operuit, ad ualorem 30 millium florenorum: atq; in loco ubi nunc uisuntur, condidit. Aedes Pontificias tũ Romae tũ Viterbij, et in Monte Flascone construxit, ut ei ac caeteris Pontificibus eò proficisci liceret, uitandi aestus causa. Caroli Imperatoris uxorẽ Romae coronauit, & crucem cõtra Turcas praedicari iussit. Siciliae reginae Ioannae in Quadragesima rosam dedit, ac de eadẽ quotannis danda in dominica Laetare, constitutionem fecit. Apostolicae curiae regimen tribuit, & in festo S. Ioannis Baptistae symbolum Nicaenum cantari praecepit.

In Auenionensi palatio plura aedificauit, & in Monte Pessulano medicorum ac decretorum scholas condidit. Ad illum uoti causa, Brigitta Suetica Romam uenit, & suorum Brigittanorum ordinem ex utroq; sexu confirmari procurauit. Breui postea in Galliam reuersus, Ioannem Haucuth Anglum Aegidij Cardinalis defuncti loco, copijs suis militaribus ducem praefecit, ut tandiu ditionẽ ecclesiasticam ab hoste tueretur, quoad ipse reuerteretur. Redire nãq; ad Italiã ei in animo fuit. Verùm dum in Gallias proficisceretur, spe reducendae in urbem curiae anno Domini 1371, apud Maßiliam rebus humanis exceßit, non sine ueneni suspicione. Grauia ille bella (Sabellico teste) in Italia geßit, cum principibus etiam, ab antecessoribus suis prius contra Imperatorem constitutis, & eorum plures occidit. Vuicelius tamen nihil de eo reperit, quod uel magnopere laudari uel uituperari queat, sola Platinae lectione contentus. Huius Vrbani tempore, archiepiscopus Coloniensis uxoratus fuit, ut Petrus Praemonstratensis refert. Sub eo quoq; Vrbano surrexerunt ordines Iesuitarum & Scopetinorum, ut author est Ioannes Paleonydorus, lib. 3. cap. 11. Tripartiti fasciculi.

142. Gregorius undecimus, patria quoq; Lemouicensis, Petrus Belfortius antea dictus, S. Mariae nouae diaconus Cardinalis, & Clementis sexti nepos ex fratre (si non filius) Vrbano suffectus erat. Hunc adolescentẽ (inquit Platina) uix decimũ septimum annũ attingentem, praedictus Clemens eius patruus Cardinalem creauit. Et ne uideretur (mysterium intellige) carni ac sanguini magis quàm ecclesiae consuluisse, eundem ad exquisitißimos doctores in Italiam disciplinae gratia misit: maximè ad Baldum, qui tum Perusij Papalia decreta legebat. Vbi tantum in quouis eius doctrinae genere profecit, ut idem Baldus eius authoritate in confirmandis rebus dubijs plerunq; uteretur, &c. Qui inito tandem Papatu, legatum Gebẽnensem Cardinalem in Italiam misit, ut res ecclesiasticas consueto more curaret. Sed cum ferè omnes Italiae ciuitates ab eo deficerent, ut Volaterranus refert, monitu Catherinae Senensis sororis Dominicanae, quae postmodum adoranda fuit, & Baldi Perusini, eius olim praeceptoris, cum 21 triremibus ex Gallia redijt Romam, anno Domini 1376, Florẽtinos, qui defectionis authores erant, & omnia quae Pontificis fuerant circa se oppida, occupauerant, sacris interdixit. Quibus tandem execrationum eius fulmina spernentibus, crudelia bella intulit. Alias causas reditus eius in Italiam, alij ponunt. Brigitta mulier (inquit Massaeus) ab Hierosolymis Romam reuersa, Gregorio scripsit, Dominum uelle (muliebre somnium) ut curia Pontificia domum reducatur. Cranzius addit cuiusdam episcopi increpationem, quòd relicta ecclesia curiã sequeretur. A quo Pontifex responsum hoc accepit: Et tu (ait) Romanus Papa, caeteris exẽpla daturus, episcopatum tuum non repetis.

Sedem igitur ex Gallijs, duarum mulierũ & unius episcopi suasu, Romam iterum transtulit, septuagesimo migrationis anno. Decimas per totum Romanũ imperium solicitabat Gregorius, & moenia urbis ac priuata quaedam aedificia, ruinam minantia magna ex parte, ad pompam restituit. Sed nihil dico de Christianis moribus, ubiq; tunc ad exitiũ usq; labefactatis. Officium de inuentione S. Crucis fieri fecit, et natiuitatis beatae Mariae festo uigiliam addidit. Tandem uerò, cum omnia accuratè egisset (inquit Platina) quae ad Pontificem pertinerẽt, anno Domini 1378, intolerabili uesicae dolore uexatus, ex uita migrauit. In ipsa suae mortis hora, in Auenionensi palatio ignis accensus dicitur, qui nec extingui potuit, donec maior eius pars esset exusta: sequebaturq; in Papatu schisma omnium maximum. Tunc clerus (ut Massaeus scribit) populusq; Romanus concurrentes ad Cardinales, rogauerunt ut Italum quempiam, non Gallũ, eligerent: ne curia rursus migraret in Galliam. Cum autẽ coepissent eligere, subitò lis orta est. Erant Itali quatuor, Gallici tredecim: qui facilè praeualuissent, sed non audebant. Stabant Romani in armis, & uim faciebant. Igitur nono Aprilis, feria sexta, elegerunt

runt Vrbanum sextum, qui coronatus fuit 18 eiusdem mensis, in die Paschæ. Tantum ille. Sub hoc Pontifice, nouum genus uel sectam mirabilem quorundam dæmoniacorum tam uirorum quàm mulierum, præter omnem uerecundiam chorizantium, Petrus Præmonstratensis fuisse describit. Et anno Domini 1375, ex Aquisgrano in Hannoniam, atq; inde in Franciã uenisse demõstrat, quòd Papæ Gregorij ac suorum Cardinalium commigrationem Romam prædiuinare poterat. His uidebatur, quòd in sanguinis flumine saltarẽt: quamuis astantes nihil tale uiderint. Vulgus interpretabatur, quòd populus ille malè baptizatus esset à presbyteris tenentibus meretrices. Propterea (inquit) proposuerat uulgus insurgere in clerum, eos occidendo, & bona eorum diripiendo: nisi Deus de remedio prouidisset per coniurationes quasdam, &c. De hac chorizatione fit rhythmus,

Oritur in seculo noua quædam secta, &c.

143. Vrbanus sextus, patria Neapolitanus, Bartholomæus antea nuncupatus, archiepiscopus Barensis, extra Cardinalitij senatus ordinem & absens, urgentibus ui magna Romanis, in Pontificem eligebatur. Qui consueto more confirmatus, et, ut uocant, inthronizatus, clerum astu quodam officij admonuit, curiamq; religionis obtentu ab ociosis hominibus repurgare simulabat. Commonefecitq; Cardinales semel atq; iterum, ut à simonia cauerent (tanquã à sibi soli desponsata uxore) contenti stipendijs ac fructibus suis. Paucioribus equis eos uti præcepit: Vt simus (inquit) forma gregis ex animo facti: quasi Christiani gregis exempla ab equis, & non ab hominib. sint petenda. Quòd autem mentionem fecistis (ait) de reditu in Galliam: noueritis me Romæ semper mansurum. Tunc octo ex illis, Gallici natione, Anagniam primò abierunt: postea Fundum, eius seueritatem ueriti. Vbi conspirantes inter se, illumq; affirmantes uerum non esse Pontificem, sed à Romanis uiolenter intrusum, alium sibi delegerunt, 20 die Septembris, quem Clementem septimum nominabãt. Et factum est schisma, quo nullũ perniciosius aut diuturnius unquã fuit: & durauit fermè quadraginta annis. Erat Vrbanus (ut Stella commemorat) uir callidus, & iniuriarũ memor ac uindex. Erat (inquit Crantzius) homo sæuus, crudelis, & inexorabilis. Qui Pontificatu suscepto, non pacem, ut par erat, inter Christianos componere uoluit: sed magis Cardinalium, & Ioannæ Siciliæ reginæ iniurias ulcisci conabatur. Propter quod Florẽtinos anathemate sub Gregorio notatos, ut eos in suam reduceret sententiam, absoluit: et cum ipsis Ioannẽ Haucuth Anglum, suarum copiarum ducem, Neapolim contra eandem reginam misit.

Inde cum natura inquietus esset, atq; omnino inhumanus, apud Nuceriam urbem quosdam nouos creans Cardinales, septem ex ueteribus in carcerem coniecit, quòd contra ipsum pro Clemente septimo coniurassent. Ex quibus quinq; saccis impositos, in ipsius odium aquis submersit, uel (ut Vuicelius scribit) Neptuno sacrificauit. Quod genus mortis & Adamus Cardinalis Anglicus tunc ualde difficulter euasit. Ex nouis autem, quos numero 29 fecit, tribus exceptis, omnes Neapolitani & sui sanguinis erant. Pontifex iste Carolo Hungarico Neapolitano regi bellum indixit, quòd nepotẽ uel spurium suum Campaniæ principem creare noluisset: & per omnem sæuitiam res ecclesiæ administrauit. Atq; ut huius tyranni furor insanus aut rabies apertius uideatur, historiã ab amico Platina sic narratam accipe. Vrbanus (inquit) terrore Gallico liberatus, & Neapolim se conferens, à rege petit, ut sibi liceat creare nepotem suum (sic spurios appellare solent) Campanum principem. Quod cum impetrare nequiuisset, homo sub specie iusti & honesti, minus urbanus, ac nulli gratus, ad minas conuersus, eò iracundiæ regem compulit, ut custodijs adhibitis, per aliquot dies prodire in publicũ nequiuerit. Verùm dissimulata ad tempus iniuria, Nuceriã ad uitandos æstus, ut ipse simulabat, cum bona regis uenia profectus, cõmunitaq; firmis præsidijs urbe & nouos Cardinales creat, et septem ex ueteribus in carcerem conijcit, quòd diceret eos cum rege & Antipapa Clemente contra se coniurasse. Præterea uerò et processum, ut istorum forma loquar, contra regem inchoauit, missa de more citatione: qui breui se uenturum Nuceriam respondit, diluiturumq; obiecta crimina, nõ uerbis modò, uerumetiam armis.

Nuceriam itaq; cum satis magno exercitu ueniens, urbem obsedit. Motus autem hac indignitate Raymundus Balcianus, è gente Vrsina, princeps Tarentinus, suis copijs fretus, Vrbanum cum tota curia, ad proximum littus deductum, Genuensium triremibus ad id instructis paratisq; imposuit.

Quibus

Quibus dum Genuam Pontifex defertur, ex septem Cardinalibus Nuceriæ captis, quinq; saccis inuolutos, in mare demersit. Et sequitur: Defuncto post annum Carolo, desiderio, ut ipse fingebat, uidendi Neapolim, Ferentinum usq; peruenit, ea mente reuera, ut Ladislaum admodum puerum, & Ioannem, eius filios, hæreditate paterna deturbaret, &c. Vrbanus iste Mendicantium sectarum fraterculis concessit, quod possint sua uota in alia impietatis opera commutare, & bona iniusta incerta, loco restitutionis recipere: ut Paleonydorus habet, lib. 3. cap. 13. Romam reuersus demum, anno Domini 1390, post pontificatum decennio infœliciter gestum, non absq; ueneni suspicione, sublatus est, dolentibus ualde paucis: tam erat inurbanus. Annum Iubileum (ut Funccius habet) eo anno impostor auarus indixit: cum maximum ex illo sibi ac Romanis prouenire lucrum præsentiret. Annatas quoq; (ut uocant) seu uectigal prædiorum sacerdotalium instituit, parandi auxilij fuco aduersus infideles. Huic cōstitutioni Anglici aduersantes, cōcilio cōgregato, Papæ ius ultra Oceani limites abiudicarunt. Episcopi tamen ac prælati (prouinciarum proditores) id uectigal dare in se postea receperunt. Huius Papæ tempore, Bertholdum Nigrum, alias Schuuartz, alchymistam, & in septentrionali Germania satanicum monachum, æneum tormētum, quod Bombardam uocant, excogitasse & inuenisse, ad humani generis perniciem ferunt.

144. Clemens septimus, Gallus natione, patria Gebennensis, & ex hæreditate paterna eiusdem terræ comes, Robertus antea nominatus, ex Cardinale presbytero tituli Basilicæ duodecim Apostolorum, Fundis per Cardinales Gallos creatus est pontifex. Hi Cardinales post tertium mensem ab Vrbani prædicti ordinatione, uidentes eius tyrannidem, & quòd in Gallias redire nollet, Romam latenter exierunt, ac Fundos se transtulerunt. Prius tamen ab eo petierūt, ut sibi cum bona eius uenia Anagniam proficisci liceret, mutandi aeris gratia, æstate præsertim: sed eius reuera melancholicas passiones ac mentis insanias ueriti abiere. Erant simul Ioannes Prænestinus, Guilhelmus tituli S. Stephani in Celio monte, Bertrandus S. Ceciliæ, Robertus prædictus, Hugo S. quatuor Coronatorum, Guido S. Crucis in Hierusalem, Ioannes S. Marcelli Ambianensis dictus, Petrus S. Laurentij in Lucina, Gerardus S. Clementis, Petrus S. Eustachij, Guilhelmus S. Angeli, Petrus S. Mariæ inuiolatæ, & Petrus S. Mariæ Cosmedin. Hi (inquit Platina) thesauros ecclesiæ in morte pontificum expilauerant, & pro arbitrio animi sui omnia prius agebant. Qui mox ut Fundos confugissent, in Vrbanum ut in pseudopontificem, inuecti sunt, dicentes ipsum ui creatum, ui etiam pontificatus accepisse coronam: cum electio illa et coronatio in loco minimè tuto esset habita. In qua tamen liberæ deberent esse hominum uoluntates, & libera suffragia: quum contrà, ipsi à populo Romano coacti essent Italum potius quàm Gallum eligere.

Has autem ob causas sede uacante, ut ipsi dicebant, & Ioanna Siciliæ regina ipsis fauente, prædictum Gebennensem Cardinalem Robertum, qui antè legatus in Italiam fuerat, Pontificem delegerunt, eiq; Clementis septimi indita appellatio fuit: Hinc magna ac diuturna in ecclesijs Christianorum orta est discordia: cum pars principum Neapolitano, pars Gebennensi faueret. Germania, Italia, & Anglia Vrbano adhærebant: Hispania, Catalonia, & Gallia Clementi: erantq; per orbem multi, qui neutrū susceperunt, & hi dicebantur Neutrales. Clemens uerò Auenionē profectus, à gratulantibus Gallis & Hispanis adorabatur: & durauit plus annis quindecim, multa suis statuta proponens. eiq; præter Gallum parebant reges Aragoniæ, Castellæ, & Nauarræ. Interim est concilium Gallicanum ob pontificū discordias Lutetiæ celebratū: quod Clemētis partes sequebatur, ut Ioannes Tilius refert. Legēq; tulit, Gaguino teste, de gratijs expectatiuis & annatis. Eius tēpore quoq;, circa annū scilicet Domini 1387, exortum est schisma inter uniuersitatem Parisiēsem et fraterculos Dominicanos, super D. uirginis Mariæ conceptione. Obijt Clemens anno Domini 1392, Auenioni (ut fertur) sepultus. Bullas terrificas hi duo pontifices ad diuersas mundi partes miserunt, & libellos diffamatorios sparserunt: quibus se mutuò mordebāt, blasphemabant, excōmunicabant: & Antichristos, schismaticos, hæreticos, tyrannos, fures, proditores, iniquos, zizaniæ satores, ac filios Belial, sese inuicem uocabāt. Ioannes de Ligniaco utriusq; iuris doctor, pro Vrbano tractatum edidit: & Abbas S. Vedasti Francorum regis consiliarius, pro Clemente alterum.

146. Bonifacius nonus, patria Neapolitanus, Petrus Tomacellus antea dictus, iuuenis uix trigesimum

simum attingens annum, sed fortis ac robustus, eorum qui Romae permanebant Cardinalium consensu fiebat pontifex. Inter eos Neapolitanos numero 26, quos de suo sanguine Vrbanus creauerat Nuceriae Cardinales, hic praecipuus erat. Qui, ut Crantzius in Metropoli refert, consecratus & coronatus, statim confirmauit ea quae erant ab eodem Vrbano decreta: de Iubileo in trigesimum tertium annum, de festo uisitationis Mariae, & de indulgentijs ad uenerationem (idololatriam) corporis Christi. Dominum Adamum Cardinalem Anglicum, Hebraicae linguae peritum, Auenione reuertentem, in gratiam recepit, ac restituit. Arcem S. Angeli, magna ex parte desolatam, purgari, renouari, ac firmari iussit. Comitem Fundorum, qui initiò schisma stabiliuit, penitus exterminauit. Ipse Romanis, non ut episcopus, sed ut rigidus Imperator (Nero, uel Caligula) dominabatur: multosq; sibi ex illis de perfidia suspectos, occidi per iusticiarios fecit. Capitolium, Palatium Vaticanum, atq; Hadriani molem fortius muniuit: nec fuit ante eum Pontifex, qui talem in Romanos potestatem exerceret. Haec Crantzius. Scietiarū praeterea minus peritus, et augendae pompae Pontificiae cupidus, legem tulit, qua orbis dominiū obtinuit, scilicet: Non licere cuiquā sacerdotij, ad quod promoueretur, beneficiū adipisci, priusquā primos anni prouētus Apostolico fisco aut pōtificiae camerae persolueret.

Banderesios, nobilem Romanorum magistratum, sustulit: atq; ut externū senatorem Malatestam Pisauriensem accersirent, Romanos ipsos crudeli statuto compulit. Vrbem ad suū usum fortalitijs ac propugnaculis muniuit: sed cum Vicecomitibus bellum gerens, Bononiam amisit. Ladislaū adolescentem, Caroli Neapolitani regis filium, apud Caietam, in regnum paternum per Cardinalem Florentinum coronari fecit: ac Brigittam Sueuiae dominam in sanctas retulit. Studiū generale fieri Ferrariae concessit: & scholam Cracouiae instaurari permisit. Iubilei nouisq; annatarum lucris apprimè deditus, donaria cognatis & affinibus (de scortis non loquuntur) contra fas iusq; profuse tribuit. Crimina per simoniam multa commisit: & certis indulgentijs assentiens, magnae infamiae notā incurrit. Ex Assisio post fugam reuersus, anno Domini 1400, Iubileum Romae celebrauit: & indulgentias uenales omnibus proponens, claues Papales ad contemptum usq; perduxit. Post uarias animi perturbationes, laterum dolore seu calculo afflictus, anno Domini 1404 uitam cum morte tandem mutauit. Alborum sectam superstitiosam, exusto quodam sacerdote, qui ex Alpibus in Italiam cum utriusq; sexus descenderat multitudine, multo superstitiosior hic Pontifex eradicauit. Timebat ille fraudē, ut historici quidam referunt: ueritus, sacerdotem illum Papatum appetere. Sunt tamen (ait Platina) qui dicant, nil fraudis in homine deprehensum fuisse: sed id fictum à Pontifice, abolendo rumori, quo hominem per inuidiam captum & necatum affirmabant.

IOANNES DE SANCTA FIDE. XC.

IOannes de Sancta fide, patria Nordouolgius, et in Brūhamiensi Carmelitarum collegio coenobiarcha, praeclaris animi corporisq; dotibus, si sincerus adfuisset diuinae ueritatis amor, resplenduit. Accedit & Lelandi de eo testimoniū. Longo tempore (inquit) Oxonij studebat: ac tantam sibi per literas famam peperit, quantam Academici facilè quidem adprobabant: ut rectè apparuit, quo tempore illum theologi insignibus exornauerūt. Dein de collecta ex studijs messe planè copiosa, cōtulit se ad Brunhamienses, sui loci atque ordinis fratres, inter quos reliquo uitae suę tempore gubernator mansit, &c. In sacrarum scripturarū lectione, ac uulgandis ad plebem concionibus, facundus pro suo seculo erat, ut testantur ab illo editi tam commentarij quàm sermones. Nec garrulantium sophistarum clamores aut dogmata multi faciebat, dum esset Oxonij theologicę palestrę magister: tametsi Rom. Antichristi decretis ac decretalibus plus aequo tribuerit, illorum etiam peritus utcunq;. Vt sic Palaestinus pastor & ille purissimos Abrahae puteos cum caeteris suae factionis contaminaret. Sed nunc libros eius indicabimus. Scripsit enim

Glossemata in Ioannem,	Lib. 1. Cum iam de prologo mentionem facere.
Encomium eiusdem Ioannis,	Lib. 1. Charissimi doctores & sacrarum lit.

Prædictorum Elenchos,	*Lib.1. Abimelech prælatus malus est.*
In canonicam Ioannis,	*Lib.1. Sicut dicit apostolus Paulus.*
Annotationes in eandem,	*Lib.1. Accusare peccatorem solet sua.*
Collationes scripturarum,	*Lib.1. Sufficit tibi gratia mea, dice.*
In Euangelium Matthæi,	*Lib.1. Liber generationis, &c. In hoc.*
Directorium eiusdem operis,	*Lib.1. Adorare Christum magi uenientes.*
Tabulam iuris,	*Lib.1. Alma mater ecclesia iure suo.*
Concordantias Thomæ,	*Lib.1. Abstinentia, in secunda secundæ.*
Loca contrarietatum,	*Lib.1. Venerabilis doctor Beda in.*
In Aristot. de Cœlo & mundo,	*Lib.2. Philosophus in procemio ostendit.*
Sermones 63. de tempore,	*Lib.1. Veritas de terra orta est, &c.*
Sermones de sanctis,	*Lib.1.*
Lecturas scripturarum,	*Lib.1.*
Quæstiones disputatas,	*Lib.1.*

Aliaq; plura, quorum serior censura, penes operum lectores manebit. Brunhamiæ demum post fata quieuit, uir non omni ex parte negligendus, anno salutis Christianæ 1359, & die 18 Septembris, Edvuardo tertio regnante.

IOANNES GOODVVYCK. XCI.

IOannes Goodvuyck, in Nordouolgiorum comitatu oriundus, primis adolescentiæ suæ annis, cœnobiticæ uitæ præcepta in Lynnensi Augustinianorum fratrum collegio, singularitate quadam obseruauit. Iactis uerò eius instituti fundamentis, Cantabrigiam primò, Oxonium postea, discendi ardore flagrans petijt. ubi infra pauculos annos, tantum in scientijs illi seculo charis profecit, ut protinus esset magnorum theologiæ magistrorum adscriptus numero. Vnde post concertationes aliquot, atq; prælectiones illic publicas, per patriam usquequaq; celebratus, ac prouincialis demũ sui ordinis præses effectus coram rege atq; alijs regni proceribus, non sine magna sui nominis fama, solennes edidit conciones. De hoc erudito uiro & ipsius scriptis plura tradit Radulphus Marham, excellẽs eius ordinis historiographus, in Manipulo chronicorum. Nam scripsit Goodvuicus,

Lecturas in Genesim,	*Lib.1.*
Commentarios in Danielem,	*Lib.1.*
De hebdomadibus Danielis,	*Lib.1.*
In quædam D. Pauli dicta,	*Lib.1.*
Quæstiones disputatas,	*Lib.1.*
Sermones per annum,	*Lib.1.*

Et in Bibliorum libros, Commentarios plures ac non triuiales. Rara certè auis erat inter oscitãtes et inertiæ deditos eius generis fraterculos. Claruit anno ab aduentu Christi in carnem 1360, & in suo tandem cœnobio sepultus fertur.

GVILHELMVS ROTHVVEL. XCII.

GVilhelmus Rothvuell, uir illustris, professione Dominicanus, & actione theologus, unà cum pietate Londini bonas excoluit artes, quo nomine multis sua tempestate affatim innotuit. Non dissimilẽ nanq; à sui seculi doctoribus, at meliorib. quidẽ, methodũ in studijs ille secutus, parem tum famã tum laudem publico magistrorũ suffragio adeptus est: et meritò. propterea, quòd in eo tenebrarum seculo, ac tartareæ caliginis regno, scilicet Papistico, locis exquisitè delectis, diuinarum scripturarum maiestatem pro uirili sua promouerit, auxerit, illustrauerit. Signum est igitur, semper fuisse quosdam, qui filiorum Dei spiritum habuerint, etiam in medio

cæcitatis Sodomorũ, licet interim in nõnullis errauerint. Nunc uerò quid Rothvuellus ediderit, accipe paucis. Composuit quippè Commentarios

In Paulum ad Romanos,	*Lib.1. Ad euidentiam doctrinæ Apostolicæ.*
Ad Corinthios,	*Lib.2. Epistola hæc diuiditur in partes.*
Ad Galatas,	*Lib.1. Incipit argumentum in epistolam.*
Ad Ephesios,	*Lib.1. De ista epistola dicit Haymo.*
Ad Philippenses,	*Lib.1. Philippenses sunt Macedones.*
Ad Colossenses,	*Lib.1. Hæc ad Colossenses epistola habet.*
Ad Thessalonicenses,	*Lib.2. Argumentum in epistolam ad Thessal.*
Super Sententias,	*Lib.4. Quæritur, quid sit sacramentum.*
Postillam in Iudicum,	*Lib.1.*
In Regum historiam,	*Lib.4.*
In Psalterium Dauidis,	*Lib.1.*
In Ecclesiasticum,	*Lib.1.*
Conciones plures,	*Lib.1.*
De principijs naturæ,	*Lib.1.*
De potentijs sensitiuis,	*Lib.1.*
De intellectu,	*Lib.1.*
Quæstiones scholasticas,	*Lib.1.*

Aliaq; multa congessit, ut in quodam registro bibliothecæ Prædicatorum Londinensium reperi. Sunt qui dicant, illum scripsisse commẽtarios super maiorem Bibliorum partem. Claruisse illum his temporibus, quidam scriptores certò putant.

GALFRIDVS VVATERTON. XCIII.

GAlfridus Vuaterton, aliàs Bedericius seu Buriensis dictus, fani Eadmundi, monasterij apud Sudouolcas celeberrimi, sub Benedicti instituto alumnus celeberrimus fuit. Nam ocij contemptor iniqui, animum sacrarum lectione rerum assiduè exercebat: & literaturæ tum humanæ tum diuinæ peritus, doctoris nomen atq; gradum obtinuit. Per uarios uerborũ tropos & mysticas locutiones, solebat ille scripturas exponere sacras, ut impura sceleratorum hominum facta, puræ in Christum fidei loco, nos iustificare crederentur. Et hanc interpretandi hypocriticam artem, sensum spiritualem Papistæ appellant. Ita se nebulones supra Deum exaltãt: illudq; uerbum, quod ipse ad salutem proposuit, illi inuertunt, atque ad suas libidines trahunt. Et sapientia carnis inflati, aliter Christum sciri uolunt, quàm ex suo ipsius uerbo. Composuit Vuatertonus, inter cæteras ingenij nouitates,

Homelias Dominicales,	*Lib.2. Hora est iam nos de somno.*
De salutatione Angelica,	*Lib.1. In mense autem sexto, missus.*
Mariale quoddam,	*Lib.1.*
Moralitates Psalterij,	*Lib.1.*
Collationes monasteriales,	*Lib.1.*

Extant & alia eius scripta, in monachorum bibliothecis, sed titulos ignoro. Claruisse fertur hic Peripateticus theologus, anno à Christo redemptore nato 1350, Edvuardo tertio regnante, & in suo cœnobio demum sepelitur.

RICARDVS FIZRAVF. XCIIII.

RIcardus Fizrauf, seu filius Radulphi, quem alij Anglũ, alij Hybernum fuisse contendunt, Oxonij liberalibus artibus sub Ioanne Baconthorpio iuuenis operam dedit: qui ut erat diligentia inexhausta, tantum profecit, quantũ illa facilè admirabantur tempora. Nam præter quàm quòd exactus dialecticus ac philosophus esset, in theologia etiam & in utroque iure

sub eodē Ioāne tam fœliciter uersatus fuerat, ut tota academia ad eius prælectiones, tanquam apes ad aluearia, cōuolarent. Cœpit circiter illa tempora fraterculorum Mendicantium numerus, unà cum insigni quadam arrogantia in immensum crescere: cum quibus pessimè illi conueniebat, quòd in publicis lectionibus in eiusmodi nouas factiones & sectas, non usque adeò necessarias, salsiusculè luderet. Quam tamen, quia rectè corrigere non poterant, iniuriam ad tempus, uulpium instar, tacitè deuorabant. Ille interim nomine eruditionis & aliarum uirtutum, uel apud ipsum Edvuardum tertium, qui tum Anglis dominabatur, in magno precio fuit. A' quo etiam non longo pòst tempore, Lychefeldensis archidiaconus primùm, postea Oxoniensis gymnasij summus cancellarius, ac tandem archiepiscopus Armachanus in Hybernia designabatur. Id ægrè tulerunt Mendicantes: qui occasionem lædendi sedulò quærebant: atque adeò, si fieri posset, è medio tollendi hominē. Timebant enim fratres, ne fame, si eius authoritas locum haberet, perirēt. Demū quo casu nescio, ita hoc ulcus recruduit, ut Armachanus nō modò apertè sugillauerit Mendicantes in cōcionibus suis: uerùm, quod maius erat, editis libris sectas illas tantum non explodendas adfirmauerit: & illi uicissim Armachanum apud Clementem sextum Rom. pontificem, & Innocentiū eius successorem, hæreseos accusauerint. A' quo postea Auenionē uocatus est, ubi causam suam dixit. Scripsit autem Ricardus,

De paupertate Seruatoris,	*Lib.7. Sanctißimo in Christo patri Innocentio.*
Contra fratres Mendicantes,	*Lib.16. Quia cum septem libellos de pauperie.*
In extrauagantem Ioannis 23,	*Lib.1. Ideo petitur declaratio constitutionis.*
Determinationes ad eundem,	*Lib.1. Sed quia ista constitutio non exten.*
Contra suum archidiaconum,	*Lib.1.*
Propositiones ad Papam,	*Lib.1. Vnusquisque in quo uocatus est frater.*
Contra fratrum appellationem,	*Lib.1. Nemo uos seducat inanibus uerbis.*
Sermones ad crucem Pauli,	*Lib.1. Dirigite uiam Domini, Ioannis primo.*
Sermones coram pontifice,	*Lib.1. Nolite iudicare secundum faciem, sed.*
De statu uniuersalis ecclesiæ,	*Lib.1.*
Lecturam Sententiarum,	*Lib.4. Fluminis impetus lætificat ciuitatem.*
Quæstiones earundem,	*Lib.1. Circa primam distinctionem quæritur.*
Contra ualidos mendicantes,	*Lib.1. Christus fuit pauper: quia Adæ filius.*
Quæstiones Armenorum,	*Lib.29. Reuerendis in Christo patribus, Mersi.*
Lecturam theologiæ,	*Lib.1.*
Sermones ad clerum,	*Lib.1. Dominus ad iudicium ueniet, Esa 3.*
Sermones de tempore,	*Lib.1. Venit Ioannes Baptista, prædicans in.*
Sermones de sanctis,	*Lib.1. Contemnit timorem, nec cadit gladio.*
Mariæ laudes Auenioni,	*Lib.1. Beata Maria fuit illustrata uirtutibus.*
Illustrationes Euangeliorum,	*Lib.4.*
De paßione Dominica,	*Lib.1.*
De peccato ignorantiæ,	*Lib.1.*
De iure spirituali,	*Lib.1.*
De uafritijs Iudæorum,	*Lib.1.*
Propositionum suarum,	*Lib.1.*
Epistolas ad diuersos,	*Lib.1.*
Dialogos quoque plures,	*Lib.1.*

Atque alia multa. **Obijt senex admodum Auenioni, 20 die Nouembris, anno à Christi incarnatione 1360, ubi & sepultus fuit. Posteaque in diuorū numerū**

relatus

relatus est, ut scribit Ioannes Rossus Vuarvuicensis, in libro de Academijs Brytannicis. Tandemq; eius ossa in Hyberniam sunt delata: & apud Dondah, ubi natum dicunt, sepulchro traduntur.

APPENDIX.

Guilhelmus Botoner: Anno Domini 1356, Auenione in curia Papæ ingens erat controuersia, inter Dominum Ricardum Armachanum, Hyberniæ primatem, & quatuor ordinum Mendicantium fratres. Ioannes Vuicleuus in Trialogo: Ab Anglorum episcopis conductus Armachanus, nouem in Auenione conclusiones, coram Innocentio 6, & suorum Cardinalium cœtu, contra fratrum mendicitatem, audacter publicauit, uerboq; & scriptis ad mortẽ usq; defendit. Idem habet Thomas Vualdenus, in Zizaniorum fasciculo. Non enim erant illis diebus amici, Herodes & Pilatus, Prælati ac fratres, ob illorum fratrum petulantias et proterua supercilia. Porrò grauis inter ipsos tunc generabatur simultas, quos antehac impia pax cõtra Dei ueritatem colligauerat. Volaterranus: Cardinalis Armachani (inquit) Auenioni in consistorio, uehemens aduersus fratres non nocuit insectatio, anno Domini 1357, dictitantis, turpe esse Christianis sponte mendicos esse. Guihelmus Botoner: Armachanus primum fratres Mendicantes reprehendit, quòd professas moniales sine superiorum licentijs, & uxores quorundam, ignorantibus earum maritis, in confessione audiuerint.

Baconthorpij discipulus in multis scientijs ille quondam erat, & in opinione de Christi dominio, regno, & sacerdotio, atq; in alijs multis illũ sequebatur, ut habet Vualdenus in primo tomo Doctrinalis ecclesiæ. Eius ordinem igitur cæteris omnib. prætulit, dum Auenioni in annunciatione Mariæ coram Innocentio pontifice prædicaret. Nota hoc loco, quòd in Anglia Robertus Lincolniensis Rom. Pontificem tyrannidis arguit primũ, postea Seuallus Eboracensis, deinde Ioannes Baconthorpius, nunc uerò Ricardus Armachanus, ac tum demũ Ioannes Vuicleuus cum suis sequacibus. Hinc Bibliander: Armachanus (inquit) immortali gloria dignus uir, in academia Oxoniensi, Christianæ fidei, doctrinæ, & ecclesiæ se uindicem et assertorem exhibuit, &c. G. Botoner: Fratres statim post Armachani mortem, iterũ lites habuerunt cum Benedictinis monachis, anno Domini 1360, causasq; suas contra hos & uniuersitatem Oxoniensem, ad Rom. Pontificis curiam detulerunt. Sed defuit eis alter Ricardus. Prius etiam cum Oxoniensibus discordias habuerunt fratres, primùm anno Domini 1230, postea anno Domini 1253. Contra nostrum Armachanũ per illam ætatem scripserunt, Rogerus Coneuuey Franciscanus, Ioannes Hildesheim Carmelita, Galfridus Hardeby Augustinianus, & alij multi Mendicantium fraterculi.

RICARDVS KILYNGTON. XCV.

Ricardus Kilyngton, ex Oxoniensium theologorum numero, doctor, & Londini ad Pauli fanum decanus, quia contra fraterculorum mendicitatem, prædicti Ricardi partes tuebatur, ambit illi nunc esse socius uel coniunctissimus. Hic etenim dum in eo gymnasio artes honestas coleret, quosdam Aristotelis & aliorum libros auditorio publico è cathedra uerbo suus exposuit, longaq; diligentia & ueterũ authorum lectione ad scopum tandem exquisitæ eruditionis peruenit. Erat illi, crebrescẽte eius fama, cum dicto Armachano familiaritas magna, quamdiu cum prædictis fraterculis rem habuit. Et non tantum ex eius parte Kilyngtonus stetit, sed & rostris atque unguibus, ut dicere solent, imò toto suo conamine, eius ubiq; defendebat causam, plerunq; etiam suo malo. Postremò, ut studiorum fructus faceret communes, in lucem emisit commentarios in Aristotelem,

De generatione & corruptione,	Lib. 2.
Pro Armachano contra fratres,	Lib. 1. *Quod dominus archiepiscopus Arma.*
Contra Rogerum Coneuuey,	Lib. 1. *Licet ex responsionibus mei Armacha.*
Quæstiones theologiæ,	Lib. 1. *Vtrum Deus sit super omnia diligen.*
Contra mendicitatem ociosam,	Lib. 1.
Sermones quoq; uarios,	Lib. 1.

Aliaq; nonnulla, quorum tituli non comparent. Claruit anno uirginei partus 1360, & demum in ecclesia Paulina Londini sepultus fuit. In huius atq; Armachani gratiam, Petrus Pateshul contra Mendicantes rhythmos edidit.

GVILHELMVS GRISAVNT. XCVI.

GVilhelmus Grisaunt, cognomine & natione Anglicus, arte uerò ac professione medicus, Oxonij ætate iuniore inter sophistas libentius quàm inter solidæ eruditionis philosophos, in Martonēsi collegio uersatus dicit. Inde scriptores nostri, circa uoces potius quàm circa res ipsas, tametsi suæ facultati magis necessarias, diu auscultasse illum perhibent. Hinc etiam est, quòd Conradus Gesnerus, uir exactissimi iudicij, ac seculi nostri clarissimus scriptor, quædam ipsum ad magiā uetitā potius quàm ad ueram eruditionem spectantia, edidisse affirmet. Veruntamen prudentior Grisantus tandem factus, relicta Anglia Galliam circuiuit, ac diuersorū hominum studia in Monte Pessulano & alibi probauit. Ad Masiliam Galliæ Narbonensis urbem florentissimam, ut illic uitæ residuum consumeret, tum demum perueniens, Chrysippū & Galenum, imò Hippocratē ipsum imitatus, omnem medendi artem in cognitione causarum, signorum notitia, rerū qualitatibus, corporū diuersis habitudinibus & gradibus, expertissimus nouit. Nunc autem quid, Bostono Buriensi authore, scripserit, indicabo: scilicet

Speculum astrologiæ,	Lib. 1. *Quoniam astrologiæ speculo pri.*
De *quadratura circuli,*	Lib. 1. *Aristoteles in eo qui de categor.*
De *motu capitis,*	Lib. 1. *Motum accessionis & recessionis.*
De *magnitudine solis,*	Lib. 1. *Dico quod sol apparet mag.*
De *qualitatibus astrorum,*	Lib. 1. *Cum humana corpora sint omnia.*
De *significationibus eorundem,*	Lib. 1.
De *urina non uisa,*	Lib. 1. *De corpore quidem humano Satur.*
De *iudicio patientis,*	Lib. 1.
De *causa ignorantiæ,*	Lib. 1.

Et alia plura. Senex claruisse fertur anno à Christi incarnatione 1350, filiumq; habuisse Guilhelmū Grisantum iuniorem. Qui & Masiliæ Canonicorum regularium abbas tunc erat, postea Romanus pontifex, sub Vrbani quinti nomine.

IOANNES PASCHALL. XCVII.

IOannes Paschall, patria Sudouolgius (ut Lelandi uerbis utar) inter Carmelitas Gippesuicēsis collegij obseruationib. ac studijs ipsi gregi tunc communibus, operam dabat. Inde ad scholas Grantanas seu Cantabrigianas, fausto sidere translatus fuit. Longo uerò post tempore, cum ex academiæ suffragio, theologici nominis titulos accepisset, Gippesuicum rediit, magnumq; eruditionis suæ specimen palàm ibi exhibuit. Iam fama uiri ad aures Guilhelmi tunc Nordouicēsis episcopi peruenerat. Is uerò doctum & probum desiderans, quem sibi à suffragijs haberet, maturè curauit ut Paschalis ipse, annuēte Rom. pōtifice Benedicto 12, episcopus designaretur. Guilhelmus obtinuit quod uoluit, & Paschalis in episcopū Scutariensem, accepta sine re ulla dignitate, consecratus est. Parabat tamen illi qualiscunque dignitas aditum ad maiorē. Nam Edvuardus eius nominis à conquestu tertius, usque adeò eius applaudebat concionibus, ut illum Landauēsi episcopatu donauerit. Senserat & antè, conciones suas quas frequentissimas habuerat, populo perplacuisse. Quare multas ex illis uehemētis eloquentiæ plenissimas selegit, selectasq; latinitate donauit. Hæc Lelandus.

Hoc in eo tamen reperio malum non ferendum, quòd uita & doctrina Antichristo seruierit. In scripta quidem ille retulit,

Homelias 67 de tempore,	Lib.1.
Homelias 80 de sanctis,	Lib.1.
De Christi paßione,	Lib.1.
Conciones per annum,	Lib.1.
Lectiones scripturarum,	Lib.1.
Disputationes quoq;,	Lib.1.

Cætera eius opuscula ignota penitus manent. Ex uita tandem migrauit, anno benignissimi nostri Seruatoris 1361, in cathedrali Landauensis urbis templo, 17 sui Pontificatus anno sepultus, sub illustrissimo rege Edvuardo tertio.

ADAMVS VVODEHAM. XCVIII.

ADamus Vvodehã, inter Minoritas Francisco Seraphico solenni professione dicatus, in studijs tam diuinis quàm profanis, tam prospere suo tempore processit, ut Oxonij supremũ theologicæ magnificentiæ gradum acquisiuerit tandem. Guilhelmum Ockamum Nominalium archiparentem, magnificè contra Reales Scotistas, ut singulare nouumq; serpentinæ calliditatis sibi compararet nomen, illic disputantem audiuit. Et ut habet Ioannes Maior in Scotorum gestis, lib.4.cap.21. Neq; inferioris erat ingenij aut doctrinæ, quàm Ockam ipse: sed multo moderatioris loquelæ. Ex publicatis declamationibus ac lecturis in theologia sophistica, magnã semper cum opinione uulgi famã habebat, inter magistros nostros. Et hos tum demum emisit fratralium suorum dogmatum insipidos fructus,

Sententias Oxoniensis concilij,	Lib.1. *Sententiæ septem ponuntur, quæstione.*
De foro pœnitentiario fratrum,	Lib.1. *Absolutio criminis, siue peccati.*
Commentarium super Cantica,	Lib.1.
Postillam in Ecclesiasticum,	Lib.1.
Contra Ricardum Vuethersete,	Lib.1.
Super textum Sententiarum,	Lib.4.
Determinationes undecim,	Lib.1. *Vtrum officium propheticum sit sal.*

Et alia quædam mihi ignota. In uarijs Anglici regni ciuitatibus iste docuit, frequentesq; auditores habebat, ac multos reliquit iniquæ farinæ discipulos. Obijt anno à redemptionis nostræ initio 1358, Babvuellæ prope Buriam sepultus.

SIMON HENTON. XCIX.

SImon Henton (alij scribũt Herneton) ita à teneris annis inter suos Dominicanos educatus fuit, ut solas ferè literas, animi ingenui ornamentum esse duxerit. Quę opinio tam altas in eius pectore radices egit, ut nulla dies, quantum per alias occupationes licuit, præteriret, quin in ea aliquid ageret ad earum splendorem. Nam præter alia multa, scripturas sacras in scholis exponebat, in templis docebat, & in maioribus ecclesijs è suggestu prædicabat, licet non integrè: cum absq; rationibus sophisticis, seculum illud nequam nihil penitus daret. Tantopere demũ creuit eius fama, ut Dominicanorum primores, in unum conuolantes locum, ipsum in prouincialem sui ordinis præsidẽ deligerent. Nunc uerò ad libros ab illo editos se nostra conuertit oratio. Cõposuit enim plures, quorũ hos noui extare: scilicet

De decem præceptis,	Lib.1. *Non habebis deos alienos coram me.*
De articulis fidei,	Lib.1. *Primus articulus, quantum ad diuinita.*

Commentarios

Commentarios in Iobum, Lib. 1. Vsq; in tempus sustinebit patiens.

Aliasq; scripturarum expositiones ac disceptationes. In quibus ex Thomæ Aquinatis doctrina sophistica pleraq; disputauit, definiuit, ac distinxit, Papæ scelestissimum defendens regnum. Et istis temporibus claruisse fertur.

GVILHELMVS DE PAGVLA. C.

GVilhelmus de Pagula, alius ab illo eiusdem cognominis, qui sub Eduuardo primo Midensis episcopus fuit, ingentem sibi planè à literis gloriam, inter sui temporis alumnos comparauit. Hic ab ipsis adolescentiæ annis, perlustratis Anglicorum gymnasiorum penetralibus illis, magnum haud contemnendæ doctrinæ posteris exemplum reliquit. Orbi præterea innotuit, per Bostonum Buriensem, in magno doctorum Catalogo, qualis nimirum ipse esset. Nempe quòd fuerit uicarius de Vuingfelde, prope Forestam de Vuindesora. illa quidē sunt eius uerba: Vtriusq; iuris ac theologiæ peritus ille, dissolutos clericorum ac sacerdotum mores, & uoce & scriptis peracriter castigabat, sed non absq; singulari modestia. Vtq; idem Bostonus habet, inter cætera scripsit, ex iure canonico & diuino,

Summam summarum, Lib. 5. Ad honorem trinitatis omnipotentis.
Oculum sacerdotis dextrum, Lib. 1. Cum ecclesiæ quibus præficiuntur per.
Oculum sacerdotis sinistrum, Lib. 1. Ignorãtia scientem non excusat,
Speculum religosorum, Lib. 1. Accipite disciplinam meam, & non.
Speculum prælatorum, Lib. 1.
Ad Eduuardum tertium. Lib. 1.

Præter hæc, nihil opusculorum eius uidi. Claruit anno à diuini uerbi incarnatione 1350, uaria componēs ac scribens, sub potentissimo Anglorum rege Edvuardo eius nominis tertio, atq; in sua ecclesia sepultus dicitur.

APPENDIX.

Paulus Aemilius: Anno Domini 1350, Ioannes Gallorum rex, excelso, generoso, & heroico fuit animo, atq; ab omni simulatione alienus: qui & incepit ordinem stellæ, sicut Eduuardus Anglorum rex sua æmulatione Garteriū. Polydorus: Garterius ordo militaris in Anglia per Eduuardum institutus fuit. cui tantus deinde accessit honor, ut maximos quosq; reges non pœnituerit in id uenire collegium. Christianus Massæus: Anno Domini 1353, flamma quædã, post solis occasum diuisa, terribile ostentabat incendium. Deinde locustarum immensitas, multis in locis erosis frugibus, etiam uirgulta depasta est. Quam quidam monachorum Mendicantium sectas significare dicunt: qui omne quod per Dei uerbum uiride fuit, sophisticis rationibus in nihilum redegerunt. Albertus Crantz, & Gaspar Bruschius: Daniel Carmelita, Germanus, episcopus Verdensis, cõtra ecclesiæ suæ clerum, libellum scripsit. Et in excommunicatione moriens, Aldenburgi sepelitur, anno Domini 1356. Ex bibliotheca Londinensi: Anno Domini 1360, Iuuenis quidam Anglus scripsit contra Mendicitatem fratrum, librum aculeatum, acerrimè impugnans eandem, non solum scripturis et rationibus, sed etiam in fine per prophetias Hildegardis, Ioachimi abbatis, ac Cyrilli presbyteri. Quem aliqui putant fuisse Ioannem Vuicleuum. Liber incipit: Quia omnia communiter omnibus data. Ioannes Fauentius in uita Petri Thomæ: Anno Domini 1360, Petrus Thomæ Aquitanus, Carmelita, qui fuit archiepiscopus Cretensis, & Innocentij 6. Rom. Pontificis legatus à latere, Theologiam Sorbonicam ex Parisijs desumptam, omnium primus Bononiæ plantauit, & ad eiusdem pontificis ditionem illam urbem perduxit. Paulus Phrygio: Bononia in ecclesiæ potestatem uenit, Aulegiano Vicecomite concedente.

Appendix alia.

Ioannes Fauentius cap. 10. mentionem reliquit cuiusdam, qui uxoris Candiæ ducis cognatus fuerat. Is per prædictum Petrum tunc patriarcham Constantinopolitanum, condemnabatur hæreseos, flammisq; exponebatur, abiurantibus suis complicibus. Idem Petrus etiam in Candia, ossa alterius iam tumulata, ob hæresim (ut uocant) exhumari præcepit, ac comburi. Bernardus Lutzenburgus:

gus: Anno Domini 1360, Bartholomæus Ianouesius, de insula Minorica oriundus, tempore Vrbani quinti scripsit de erroribus Antichristi, et de obstinatijs discipulorum eiusdem. Ex Tritemio & Bostio: Ioannes Balistarius, Cathalanus, Carmelitarũ generalis, circa hæc tempora scripsit de nouissimis temporibus ad Papam, & de bello forti militantis ecclesiæ, atq; Antichristi ipsam impugnantis. Sed timeo materiam nõ respondere operis argumento, quòd Gregorio 11 Pontifici opus dedicatum tunc fuerit. Scio tamẽ nostris temporib. hoc opus à papistis damnari, & authorẽ inter hæreticos poni: ut in Catalogis Arcimboldi Mediolanẽsis archiepiscopi, et Ioannis à Casa archiepiscopi Beneuẽtani et Apostolicæ cameræ decani sub Iulio 3 patet: q Casa etiã poema scripsit Italicis rhythmis (scelestissimus nebulo) de Sodomiæ laudibus. Ex Anglorũ chronicis: Anno Domini 1366, Eduuardus rex prohibuit in Anglia, Petri denarios deinceps per pontificum Rom. quæstores colligi. Ioannes Funccius: Circa hæc tempora, Carolus Imperator Moguntiæ comitia habuit, quibus omnes ferè electores interfuerunt. Istuc pontifex miserat legatum, pro subsidio cameræ. Quem cum Imperator præsentibus principibus audiuisset, respondit: Domine legate, Papa misit uos ad Germaniam, in qua magnam pecuniam corraditis, sed in clero nihil reformatis. Et uiso Cunone de Falkenstein, canonico Moguntinensi, cum capitio precioso, aureis ac sericis ligaturis consuto, Gerlacum archiepiscopum Moguntinum sic affatur: Domine archiepiscope, uobis præcipimus sub ea fidelitate, qua nobis astringimini, ut clerum uestrum reformetis, tollatisq; abusum in uestibus, calceis, capillis, & toto uitæ habitu. Quod si non fecerint, mandetis fructus beneficiorum suorum occupari, & fisco nostro præsentandos: quos nos in honestiores usus conuertemus. Colloquio isto peracto, legatus Papæ non diu Moguntiæ hæsit, sed quasi fugitans, conscensa naui, Coloniam soluit.

CENTVRIAE QVINTAE, SCRIPTORVM BRYTANNIAE
Finis, authore Ioanne Baleo.

IOANNIS BALEI SVDOVOLGII ANGLI, DE SCRIPTORIBVS BRYtanniæ,

CENTVRIA SEXTA.

IOANNES VVICLEVVS. I.



IOANNES Vuicleuus, uir magno & excellēti planè ingenio prædítus, Oxonij in collegio Martonensi, omnes eruditas artes tanta cum fœlicitate perdidicit, quāta sui temporis nemo facilè alius. Nam in philosophia illa scholastica, acuminis ostentatrice, principem locum obtinebat. Tum præterea in theologiæ recessus penitiores, & sacrosanctos quidē illos, tam altè descenderat, ut à theologorum uulgò pro Deo tantum non habitus sit. quo tandem calculo, summis honoribus & insignibus, quæ in eruditos academia conferre solet, donatus est. Ille uerò ut se uidit eiusmodi auctum titulis, suamq; tanti in scholis esse authoritatem, ut omnia quę doceret tanquam è tripode dicta crederentur, primùm fraterculorum mendicitatem cute tenus stringere cœpit, nec multo pòst altis plagis uulnerare. Vt tamen bona pars scholasticorū in hominem adfecta erat, ad hæc præludia conniuebat. Deinde in publicis prælectionibus atq; aliàs priuatim, uellicabat Romani pontificis astum, auaritiā, ambitionem, ac tyrannidem: sic putans futurū, ut Christiana ecclesia cognitis erroribus resipisceret. Hæc Lelandus. Et præter uitam quam uerè Apostolicam Vuicleuus duxit, ingenio, facundia, atq; eruditione multiplici, omnes in Anglia commilitones longo interuallo superabat. Vnde ipsum æternus pater, anno post Seruatorem natum 1360, per suum spiritum suscitauit, ut in medijs errorum tenebris, ac locustarum Tartarearum seu hypocritarū obscurationibus, pro sua ueritate staret, magnanimus Christi pugil: fieretq; aduersus eius infensissimos hostes, Antichristos, insuperabilis ecclesiæ columna. Erat profectò suorū temporum Helias ualidissimus, ut distorta omnia restitueret. Vnus & primus post Satanæ solutionem extitit, qui in caliginoso illo seculo ueritatis attulit lucem, & coram tota diaboli synagoga ausus fuerit apertè confiteri Christum, reuelareq; fœdissimas meretricis magnæ turpitudines. Illuxit enim, Simonis sacerdotis exemplo, ut stella matutina in medio nebulæ, & diebus multis permansit testis in ecclesia fidelis. Quasi sol splendens, in templo Dei refulsit, & quasi thus ardēs in igne. Erat ei fides integerrima, & ingenium ueritatis semper amantissimum. Dedit illi Dominus cor ad præcepta, ut Israel doceret testamentū æternum. Ascendit ab ortu solis, & abraso bestiæ charactere, uiuo Dei uerbo fideles signabat in frontibus uiuis. Velut alter Dauid, cum leonibus lusit, Romanistis præparatis ad escam. Validissimis argumentis eorum tetigit ac detexit superstitiones, uires infirmauit ubiq;, ac hostilia castra deiecit. Contra illum steterunt ursi, prędonica gens monachorum, cum tota cōgregatione Choræ: sed spiritu oris Domini consumpti sunt. Percussi erant cæcitate in foribus iusti, saluumq; fecit egenum à gladio oris eorum, ac dissipauit eos. Perlongum hic foret narrare, quot ab his Antichristi ac diaboli ministris, sustinuerit interim pijssimus uir improperia, despectiones, & exilia. Viuente Anglorum rege Edvuardo tertio, securus perstitit inter ferocissimos Sodo

mæ

mæ tyrannos. Sed ipſo mox defuncto (ut Annales tradunt) ſub Ricardo ſecundo exilium ad aliquot annos eſt paſſus. Impauidus tamen Chriſtum ſemper docuit, Euangelij decorem reuocare conatus. Edidit ad utilitatem reipublicæ Chriſtianæ, partim Latinè, partim in lingua uulgari, opuſcula quæ ſequuntur, quorum maiorem partem ex aduerſariorum ſcriptis collegi: uidelicet,

Trialogorum ſuorum,	Lib.4. *Cum locutio ad perſonam, multis.*
De religione perfectorum,	Lib.3. *Si epiſcopus in confirmatione.*
De eccleſia & membris,	Lib.2. *Suppoſitis dictis de fide cathol.*
De diabolo & membris,	Lib.2. *Prout omnipotens Deus in trinit.*
De fide & perfidia,	Lib.2.
De Chriſto & Antichriſto,	Lib.2. *Egreſſus Ieſus de templo, Matth.*
De Antichriſto & membris,	Lib.2. *Quemadmodum Dominus Ieſus ordin.*
Iterum de Antichriſto,	Lib.1. *Nota quòd Antichriſtus 4. corni.*
Sermones in Epiſtolas,	Lib.4. *Circa epiſtolæ ſententiam, dicendum.*
Sermones in Euangelia,	Lib.3.
In Euangelia feſtiualia	Lib.1. *Hoc Euangelium hiſtoricè narrat.*
In Euangelia ferialia,	Lib.1. *Principium Euangelij Ieſu Chriſti.*
In Euangelia Dominicalia,	Lib.1. *Homo quidam erat diues, & ind.*
In commune ſanctorum,	Lib.1. *Ego ſum uitis uera, uos palmit.*
De ſermone Domini in monte,	Lib.3.
De dominis & ſeruis,	Lib.2. *Serui primùm iuſtè ac libenter.*
Speculum militantis eccleſiæ,	Lib.2. *Cum identitas mater ſit faſtidij.*
Confeſsionem de Euchariſtia,	Lib.1. *Sæpe confeſſus ſum, & adhuc.*
Determinationes Euchariſt.	Lib.1. *Hoſtia conſecrata in altari.*
Grammaticæ tropos,	Lib.1.
Summulas Logicales,	Lib.3. *Iuuenum rogatibus, quibus afficior.*
De ſpeciebus hypotheticis,	Lib.1. *Sequitur de ſpeciebus hypothet.*
De excluſiuis & exceptiuis,	Lib.1. *Secundariè ſuperius eſt promiſſum.*
De copulatiuis & relatiuis,	Lib.1. *Sequitur de copulatiuis pertract.*
Abſtractiones logicales,	Lib.1.
De diſiunctiuis,	Lib.1. *Tertiò ſequitur de diſiunctiuis.*
De raritate & denſitate,	Lib.1. *Videtur ex tertio ſequi, quòd nihil.*
De uelocitate motus localis,	Lib.1. *Iam ultimò reſtat uidere, quid.*
De propoſitionibus temporalibus,	Lib.1. *Sequitur iam ultimò, de propo.*
Logicam de aggregatis,	Lib.1.
De cauſalibus,	Lib.1. *Pertractandum uenit de cauſalibus.*
De comparatiuis,	Lib.1. *Conſequens eſt ad dicta ſuperad.*
De conditionalibus,	Lib.1. *Primò ſupponitur, omnem hypotheticam.*
De motu locali,	Lib.1. *Sequitur de localibus pertract.*
De uniuerſo reali,	Lib.1.
De materia & forma,	Lib.1. *Cum materia & forma ſint uni.*
Tractatum de anima,	Lib.1. *Reſtat ulterius pertractare de.*
Elucidarium Bibliorum,	Lib.1. *Vigintiquinq; libri ueteris teſta.*
Translationem Clementis,	Lib.12. *Sanctus Auguſtinus dicit in.*
De formis idealibus,	Lib.1.
De eſſe ideali quorumlibet,	Lib.1. *Tractando de ideis, primò oportet,*
Logicam de ſingulis,	Lib.1. *In purgando errores circa uniuer.*
Commentarios in Pſalterium,	Lib.1. *Magnam abundantiam conſolationis di.*

Super Cantica sacra, Lib.1. Confitebor tibi Domine, quoniam.
De esse in suo prolixo, Lib.1.
De dilectione, Lib.1. In quolibet homine peccatore.
De studio lectionis, Lib.1. Malum est in eis perseuerare ea.
Octo beatitudines, Lib.1. Iesus Christus, qui est Dominus.
De Trinitate, Lib.1. Superest inuestigare de distinc.
De esse intelligibili creaturæ, Lib.1.
De ueritate scripturæ, Lib.1. Restat parumper discutere errores.
De cessatione legalium, Lib.1. Redeundo autem ad propositum de.
Ad quendam discipulum, Lib.1. Pauper discipulus Iesu Christi.
De statu innocentiæ, Lib.1. Vt supradicta magis appareant.
De fonte errorum, Lib.1.
Ad Parliamentum regis, Lib.1. Protestor publicè, ut sæpe aliàs.
Conclusionum suarum, Lib.1. Totum genus humanum, citra Chri.
Sermones hyemales, Lib.1. Initium sacri Iesu Christi Euange.
Sermones æstiuales, Lib.1. Vespere autem sabbati quæ luces.
Distinctiones rerum theolog. Lib.1.
De dotatione ecclesiæ, Lib.1. Vtrum clerus debuerit dotationem.
De stipendijs ministrorum, Lib.1. Considerate qui stipendia sacerdotibus.
De compositione hominis, Lib.1. Tria mouent me ad tractandum.
De abominatione desolationis, Lib.1. Cum uideritis abominationem desol.
Theologiæ placita, Lib.1.
De diabolo millenario, Lib.1. Cum consummati fuerint mille anni.
De lege diuina, Lib.1. Vt de legibus loquar Christianorum.
De ciuili dominio, Lib.1. Aperta eruditio legis diuinæ.
De ecclesiæ dominio, Lib.1. Christi ecclesia est eius sponsa.
Summam intellectualium, Lib.1.
De dominio diuino, Lib.1. Quoniam pleriq; pseudoglossatores.
Ad quæsita regis & concilij, Lib.1. Dubium est utrum regnum Angliæ sit.
Responsiones ad obiecta, Lib.1. In principio protestor publicè, sicut.
Cæremoniarum chronicon, Lib.1. Alexander Papa ordinauit primum.
De incarnatione uerbi, Lib.1.
De Papa Romano, Lib.1. Pro eo quòd hæc insolita dissensio.
De nequitijs eiusdem, Lib.1. Sicut noster Dominus Iesus Christus.
Dialogum de fratribus, Lib.1. Fertur, quendam fratrem inflatum,
In prophetiam Hildegardis, Lib.1. Beata uirgo Hildegardis, cuius hæc.
De origine sectarum, Lib.1.
De earundem perfidia, Lib.1. Vt scripturas destruant, solicitè lab.
In regulam Minoritarum, Lib.1. Regula & uita, &c. hic Minoritæ.
Super testamento Francisci, Lib.1. Sed dicunt hic Minores, quod lib.
De fratrum nequitijs, Lib.1. Primo fratres dicunt, quod relig.
De 4. sectis nouellis, Lib.1.
Contra mendicitatem ualidam, Lib.1. Illustrißimo duci Glocestriæ Ioann.
Speculum de Antichristo, Lib.1. Dicunt primò Euangelij prædicatores.
In 23. caput Matthæi, Lib.1. Iesus locutus est ad turbas & ad.
De conuersatione ecclesiasticorum, Lib.1. Prælati relicto prædicationis officio.
Super impositis articulis, Lib.1.
De episcoporum erroribus, Lib.1. Octo sunt quibus decipiuntur simpli.
De 33. erroribus curatorum, Lib.1. Pro eo quod curatorum officium sit.

De perfectione Euangelica, Lib.1.Primo fratres dicunt suam religion em.
De ueritate scripturæ, Lib.1.Diabolus quærit multis modis.
Supplementum Trialogi, Lib.1.
Excusationes ad Vrbanum, Lib.1.Gaudeo planè detegere cuiq; fidem.
De gradibus cleri, Lib.1. Videtur autem sanctis doctoribus.
De clericorum ordinatione, Lib.1.Quia sacerdotium ordinatur à Deo.
De officio pastorali, Lib.1.Cum duplex debeat esse officium.
De humanitate Christi, Lib.1.
Super pœnitentijs iniungendis, Lib.1.Pro eo quod curatorum officium sit.
De hypocritarum imposturis, Lib.1.Attendite à fermento Pharisæorum, quod,
De blasphemia, contra fratres, Lib.1.Referunt, quòd tria sint quæ regnum.
De simonia sacerdotum, Lib.1.Heu, magni sacerdotes in tenebris.
Ordinaria Laicorum, Lib.1.
Super oratione Dominica, Lib.1.Docet nos Dominus Iesus Christus.
De uirtute orandi, Lib.1.Vt sabbatizatio nostra Deo sit ac.
De precationibus sacris, Lib.1.Orare nos docens Dominus Iesus,
In 17.caput Ioannis, Lib.1.Subleuatis oculis in cœlum Iesus.
De trino amoris uinculo, Lib.1.
De Christianorum uillicatione, Lib.1.Redde rationem uillicationis tuæ.
De diuite apud Marcum, Lib.1.Cum egressus esset in uiam saluator.
De remißione fraterna, Lib.1.Si autem peccauerit in te frater.
De pharisæo ac publicano, Lib.1.Dixit Iesus ad quosdam, qui in se.
Constitutiones ecclesiæ, Lib.1.
De surdo & muto apud Marcum, Lib.1.Iterum exiens de finibus Tyri Domi.
Defensionem sui, contra impios, Lib.1.Euangelij prædicationem lites susci.
De censuris ecclesiæ, Lib.1. Quantum ad excommunicationem atti.
De obedientia prælatorum, Lib.1.Prælati, sacerdotes & alios accusant.
Contra consilium terræmotus, Lib.1.
De tribus sagittis, Lib.1.Quisquis mente tenere cupit, quid.
Speculum peccatoris, Lib.1.Quoniam in uia sumus uitæ labentis.
De charitate fraterna, Lib.1.Primùm cum quolibet homine, qui
De Purgatorio piorum, Lib.1.Dona eis Domine requiem sempiter.
Lectiones in Danielem, Lib.1.
In Apocalypsin Ioannis, Lib.1.Sanctus apostolus Paulus dicit.
De clericis possessionarijs, Lib.1.Clerici possessionem habentes destruunt.
De prælatis & eorum officio, Lib.1.Quòd prælati desinant Euangelium præ.
Commentarios uulgares, Lib.1.Stabat Ioannes, & ex discipulis.
Scholia scripturarum, Lib.1.
De ecclesia Catholica, Lib.1.Sunt sacerdotes qui certis rationibus.
De mandatis diuinis, Lib.1.Præmissa sententia de Domino.
De contrarietate duorum dominorum, Lib.1.Sicut est unus, uerus et summus.
Hostiolum Vuicleui, Lib.1.Obsecro uos fratres per Dominum.
De solutione Satanæ, Lib.1.
De ministrorum coniugio, Lib.1.Fuit in diebus Herodis sacerdos.
De religiosis priuatis, Lib.1.Omnes Christiani in spiritus feruore.
De peruerso Antichristi dogmate, Lib.1.Cum puri concionatores doceant Dei.
Conciones de morte, Lib.1.Beati qui in Domino moriuntur.
Concordantias doctorum, Lib.1.
De peccatis fugiendis, Lib.1.Dum fides nos doceat malum quodlibet.

De uita sacerdotum, Lib.1. Hoc de fratribus periculum ultimo.
De fide Eucharistiæ, Lib.1. Credo, ut Christus & Apostoli do.
De ablatis restituendis, Lib.1. Quæritur primò, utrum omnium rerum.
De statuendis pastorib. per plebē, Lib.1.
De excommunicatis soluendis, Lib.1. Quoniam sub pœna excommunicationis.
Speculum secularium dominorum, Lib.1. Cum ueritas fidei eo plus rutilet.
De seruitute ciuili, Lib.1. Cum secundum philosophos sit relatiuorum.
Speculum cleri per dialogum, Lib.1. Sed adhuc arguitur, Si clerus sic.
De spiritu quolibet, Lib.1.
Confessionem derelicti pauperis, Lib.1. Iste tractatus à paupere indigente.
Ioannem à rure, contra fratres, Lib.1. Ego Ioannes à rure, Deum uerum pre.
De ordine sacerdotali, Lib.1. Quia presbyterorum ordo instituitur.
De non saginandis sacerdotibus, Lib.1. Cauete, qui sacerdotes in ocio sust.
Omnis plantatio, Lib.1.
De seductione simplicium, Lib.1. Septem sunt, quibus decipiuntur simplices.
Impedimenta Euangelizantium, Lib.1. Primum cum boni homines doceant.
Ad regem & parliamentum, Lib.1. Placeat serenissimo regi Ricardo.
Pro amplexando Euangelio, Lib.1. Orant Christiani reuerenter ac deuotè.
Si quis sitit, Lib.1.
Pro egentibus presbyteris, Lib.1. Sunt causæ quæ urgeant pauperiores.
Dæmonū astus in subuertenda relig. Lib.1. Vt omnipotens Deus homines disponit.
Cogendos sacerdotes ad honestatē, Lib.1. Apertam eruditionem in Dei lege.
De falsatoribus legis diuinæ, Lib.1. Postquam interpretes subdoli, legem.
Christus alius non expectandus, Lib.1.
De Pontificum Rom. schismate, Lib.1. Ob inauditas lites inter hos duos.
De ultima ætate ecclesiæ, Lib.1. Sacerdotes prohdolor uersantes in uitijs.
De Sathanæ astu contra fidem, Lib.1. Media multa diabolus quærit.
Ad ducē Glocestriæ cōtra fraterculū, Lib.1. Illustris ac generose Domine.
De confessione Latinorum, Lib.1.
De ocio in mendicitate, Lib.1. A' manuum labore excusantur Fra.
In symbolum fidei, Lib.1. Certum est fidem esse omnium uirtutum.
Compendium 10. præceptorum, Lib.1. Cuiuscunq; conditionis fuerint hom.
Super salutatione Angelica, Lib.1. Solent homines Christiparam sal.
De Christianorum baptismo, Lib.1.
De operibus corporalibus, Lib.1. Si certus esset homo, quod in.
De spiritualibus operibus, Lib.1. Quia parœcianos spiritualibus.
De clauibus regni Dei, Lib.1.
De clauium potestate, Lib.1.
Ad simplices sacerdotes, Epist.1. Videtur meritorium bonos colere.
Ad archiepiscopum Cantuariæ, Epist.1. Venerabilis in Christo pater.
Ad quinq; quæstiones, Epist.1. Quidam fidelis in Domino quærit.
De insolubilibus, Lib.1.
Quæstiones Logicales, Lib.3.
De uniuersalibus, Lib.1.
De blasphemia, Lib.1.
De Apostasia, Lib.1.
De homine misero, Lib.1.
De immortalitate animæ, Lib.1.
Contra cruciatam Papæ, Lib.1.

De fide Euangelij, Lib.1.
De legibus & ueneno, Lib.1.
De paupertate Christi, Lib.1.
Collectiones contra Dominicanos, Lib.1.
Quæstiones 26. Lib.1.
De physica naturali, Lib.1.
De intentione Physica, Lib.1.
De una communis generis essentia, Lib.1.
De essentia accidentium, Lib.1.
De necessitate futurorum, Lib.1.
De materia cœlestium, Lib.1.
De temporis quidditate, Lib.1.
De temporis ampliatione, Lib.1.
Metaphysicam uulgarem, Lib.1.
Metaphysicam nouellam, Lib.12.
De centro infiniti, Lib.1.
Glossas scripturarum, Lib.1.
Glossam nouellam, Lib.1.
Glossas uulgares, Lib.1.
Glossas manuales, Lib.1.
Responsiones argumentorum, Lib.1.
Ad rationes Kynyngham, Lib.1.
Contra Bynhamum monachum, Lib.1.
Ad 14 argumenta Strodæ, Lib.1.
Contra monachum de S. Albano, Lib.1.
Contra Petrum Stokes, Carm. Lib.1.
Contra monachum Dunelmensem, Lib.1.
Replicationes & positiones, Lib.1.
De bullis Papalibus, Lib.1.
De defectione à Christo, Lib.1.
De quintuplici Euangelio, Lib.1.
De quaternario doctorum, Lib.1.
De quidditate hostiæ consecratæ, Lib.1.
De ordine Christiano, Lib.1.
De ritibus sacramentorum, Lib.1.
Positiones uarias, Lib.1.
De ueritate & mendacio, Lib.1.
De præuaricatione præceptorum, Lib.1.
Dialogorum suorum, Lib.1.
De uera innocentia, Lib.1.
De unico salutis agno, Lib.1.
De 7. donis spiritus sancti, Lib.1.
De fide sacramentorum, Lib.1.
De sacerdotio Christi, Lib.1.
De sacerdotio Leuitico, Lib.1.
Determinationes quasdam, Lib.1.
De præscito ad beatitudinem, Lib.1.
De unitate Christi, Lib.1.

Schedas, chartulas, atq; alia non pauca. Nam Aeneæ Syluij testimonio, erant plus quàm

quàm ducenta Vuicleui uolumina, pulcherrimè conscripta, per Subincum Leporem archiepiscopum in Praga Bohemorum concremata. Transtulit in Anglicum sermonem Biblia tota, adhibitis præfationibus atque argumentis cuique libro suis. Vertit & libros duo decim Clementis Lanthoniẽsis ecclesiæ presbyteri, De concordia Euangelistarũ, cum multis ueterum doctorum tractatibus. Fieri autem non potest, quin hoc pectus Spiritus sanctus inhabitarit, unde tot eruditi libri prodierint. Reuersus ab exilio tandem uir uerè pius ac sanctus, obijt anno Christi 1387, & ultimo die Decembris, atq; in ecclesia sua de Luttervuorth, Leycestriensis prouinciæ emporiolo, sepultus fuit. Et anno à Christi natiuitate 1428, qui fuit ab eius morte quadragesimus primus, Martini quinti Rom. pontificis, ac Senensis concilij tyrannide, per Anglorum prælatos, Babyloniorum rabinos, exhumatum est eius cadauer, & solennitate quadam exustum: non secus atque ossa olim D. Ioannis Baptistæ sacra, per apostatam Iulianum.

APPENDIX.

Ita Vuicleuum habetis, in huius sextæ Centuriæ exordio, contemptum ac neglectum mundo, sed celebrem & clarum in regno Christi. Hunc doctorem Euangelicum nõ dubitabitis sanctorum ascribere Catalogo: etiamsi mille Antichristi illum execrentur & damnent. Resurgunt nobis (inquit Lutherus) ista sanctorum corpora, resurgente Iesu Seruatoris Euangelio: nihilq; aduersus ea promouebunt episcopuli, cum suis Herodibus & Pilatis desperatissimi. Continuis temporibus ab aduentu Anglorum in Britanniam, Spiritus sanctus nunquam excitare destitit uiros pios in eorum ecclesijs, ad traducendos quotidie inualescentes seculi errores. In qua farragine censentur in historiarum monumentis, Bedas, Alcuinus, Serlo, Ioannes Carnotensis, Giraldus, Nigellus, Neckamus, Lincolniensis, Seuallus, Baconthorpius, Ockamus, Hampolus, & Armachanus, cum quibusdam eius scholæ alijs. Quorum pia dogmata, Vuicleuus hic noster, insignis theologus, nec minus in omni philosophiæ genere exquisitè uersatus, non solum confirmauit, sed et in immensum auxit. Et Vualdenus, eius acerrimus hostis, in epistola ad Martinum quintum, Rom. pontificem, ait, se supra modum obstupuisse ad assertiones eius prægrandes, & ad authoritatum loca taxata, cum uehementijs rationum. Sic enim Vualdenus. Caxtonus etiam in Chronicis habet: Anno (inquit) Domini 1371, rex Anglorum Eduuardus tertius, in suo Parliamento aduersabatur clero. Hæreticorum uoces (Vuicleuistas intelligit) libenter audiuit, cum quibusdam è suo concilio, & sinistras opiniones erga clerum sequebatur. Propterea fortunam aduersam deinceps sensit. Et mox: Anno Domini 1372, ad Romanum pontificem scripsit idem rex, ne amplius usurpet in suo regno super reseruationibus ac distributionibus beneficiorum, sed ut sui deinceps episcopi gaudeant libertate pristina, & cõfirmentur à suis metropolitanis, ut olim temporibus peractis, &c. Tantum ille.

ROGERVS SVVINSETE. II.

ROgerus Svuinsete, aliàs, sed corruptè, Suicetus dictus, Oxonij inter Martonenses sophistas tam eximiè clarus uidebatur, quàm illius seculi uel ratio uel fœlicitas quicquam reddere potuerat. Tam asini & tam cæci illis diebus erant in uijs Domini, ut putarent nigrum esse album, & tenebras lucem. Apud Ioannẽ Maiorem, libro primo, cap. 5, de gestis Scotorũ, calculator acutissimus dicitur, & ab illo laudem suscipit. Sed hoc in eo uice uersa uehementer increpat Ioannes Ludouicus Viues, in libro quarto de Corruptis artibus. Suicetus Anglus (inquit) maximum dedit incrementũ calculationibus, quæ sunt cauillationes stultarum subtilitatum: quas idcirco Ioannes Picus, quisquilias Suiceticas solitus erat aptissimo nomine nuncupare. Idem inuenitur apud Ioannem Franciscũ & alios authores probos, qui & tam futiles nugas etiam detestabant. Inter cætera Rogerus protulit,

Commentarios Sententiarum, Lib. 4. Vtrum aliquis in casu ex præcepto.

In

In ethica Aristotelis,	*Lib.10. In primo capitulo libri primi Eth.*
De cœlo & mundo,	*Lib.2. In primo de cœlo Philosophus con.*
De intensione & remißione,	*Lib.2. Penes quid habet intensio & re.*
De insolubilibus,	*Lib.1. Circa finem seu terminum ultimum.*
De diuisionibus,	*Lib.1. Quatuor sunt diuisiones proposi.*
Descriptiones motuum,	*Lib.1. Motore primo primitus inuocato.*
Sophismata Logicalia,	Lib.1.
Mathematicas commentationes,	Lib.1.
Calculationes Astronomicas,	Lib.1.
Ephemerides,	Lib.1.
Super arte Cabalistica,	Lib.1.

Hi enim soli sunt librorum eius tituli, quos reperi in diuersis bibliothecis. Claruit Cisterciensis sectæ monachus, in patria Lincolniensi & cœnobio sui cognominis, anno à Christiani nominis origine 1350, sub Edvuardo tertio.

LAVRENTIVS CVNDE. III.

LAurentius Cunde, magnus Angliæ admiraldus sub rege Edvuardo tertio, uir clari generis, à me inter illustres scriptores illustrãdus nũc occurrit. Non ergo permittam, ut desit ei locus: sed breuiter attingam, quid ille in re literaria prę stiterit. Adolescens bonę indolis, nõ modò eloquentię, uerùm etiam naturalium rerum cognitioni adhibuit operam: postea maturus annis, adeò studiorum ardori pristino remisit nihil, ut illum etiam inter aulæ strepitus & belli insanos tumultus insigniter auxerit. Moralium uirtutũ mysteria & causas omnes diligẽtia tam undecunque exquisita scrutatus est, ut cum aliquibus ueteris seculi philosophis, seu sapientiæ amatoribus, non indignè conferri posit. Ad Edvuardum prædictum in Anglico sermone magnum edidit opus,

Super duobus argumentis,	*Lib.2.*

Ex quibus primum erat, An præstaret Cæsarem esse, uel agricolam. alterum, an melior esset misericordia sine iusticia, uel iusticia sine misericordia. Claruit anno ab exorta pietate Christiana 1350, sub sæpe dicto Edvuardo.

IOANNES KINYNGHAM. IIII.

IOannes Kinyngham, ex Sudouolgiorum comitatu, & Gippesvuicensi Carmelitagio prodiens, inter magistros Oxonienses ob raram eruditionem præcipuũ locum habebat, atque primam inter suos uicesimus primus, in Anglia & Hybernia præfecturam. Ioanni Lancastrię et Aquitaniæ duci, regis Edvuardi filio, tam erat ob uitæ temperantiã amatus, ut & sibi & coniugi esset ad mortem suam usque à secretis cõfesionum. Fuit philosophus grauis (inquit Lelandus) ac sanctus theologus, qui & inter primos Vuicleui sustinuit impetũ, cum adhuc in metaphysicis tentaret aduersarios, disputans de ideis, de ampliatione temporis, de esse intelligibili creaturæ, alijsque id genus non ita magni momenti subtilitatibus. Vnde Vualdenus in Zizaniorum fasciculo: Cum Ioanne Vuicleuo (inquit) hic primus in scholastica certamina uenit: modestè tamen egit, admiratus in eo doctrinæ excellentiam: nec limites egrediebatur. Cum eo uicisim super scripturis & ueteris ecclesiæ doctoribus conferebat Vuicleuus, eius in dicendo animaduertens candorem: atque ut rectius tandem saperet, instantius Dominum precabatur. Composuit Kinyngamus,

Lecturam Sententiarum,	*Lib.4. Mirabilis facta est scientia tua.*

In Threnos Hieremiæ,	*Lib.1.Refert Seneca in declamatio.*
In Ezechielem,	*Lib.1.Iste liber, sicut & alij scriptu.*
In canonicam Iacobi,	*Lib.2.Circa hanc epistolam, sicut circa.*
Scripturæ sacræ præconia,	*Lib.1.In medio annorum notum facies.*
De natura Angelica,	*Lib.1.Secundum quod superius tactum.*
Commentarios Metaphysices,	*Lib.12.*
Contra propositiones Vuicleui,	*Lib.1.Vt ait Cassiodorus in libro de ra.*
Super ideis eiusdem,	*Lib.1.Reuerendus magister Ioannes Vuic.*
Pro primo suo ingressu,	*Lib.1.In isto actu, duo intendimus.*
De temporis ampliatione,	*Lib.1.In materia sæpe tacta, de temp.*
De esse intelligibili,	*Lib.1.Habito frequenter multiplici.*
Ad quædam loca allegata,	*Lib.1.Iam restat dicere ad authorita.*
De natiuitate Christi,	*Lib.1.Veritas de terra orta est, &c.*
De passione eiusdem,	*Lib.1.In pace morieris, Hieremiæ 34.*
De Spiritu sancto,	*Lib.1.Spiritus sanctus dabat eloqui.*
Sermones de tempore,	*Lib.1.Dabo tibi coronam uitæ, Apoc.2.*
Sermones de sanctis,	*Lib.1.Hoc est corpus meum, Matth.26.*
Quæstiones uarias,	*Lib.1.*

Et in scripturas, Commentarios plures. Sexto tandem sui regiminis anno, senex in Eboracensi fratrũ suorum cœnobio, ex hac luce migrauit, anno post natum Seruatorem 1399, & quarto idus Maij, regis Ricardi secundi tempore, atq; illic est sepultus.

GVILHELMVS BYNHAM. V.

GVilhelmus Bynham, Noruolgianæ patriæ monachus, incidit in ea tempora, in quæ & Vuicleuus, cum quo etiam unà Oxonij studebat, pari usus, ut tum multis uidebatur, fœlicitate. At erat Vuicleuus (Lelandi uerba sunt) ingenio ardenti, uario, & nouarum rerum cupido. Bynhami uerò ingenium quietum, constans (in Papismo) & antiquorũ rituum obseruantissimum. Quare cum Vuicleuus inciperet scholasticorum theologorum authoritatem conuellere, iniquo animo tulit. Ad tempus tamen conniuebat, futurũ sperans ut resipisceret. Sed iam cum uideret hominem eò audaciæ processisse, ut nulla palinodiæ spes esset: ex primis fuit, qui uel edito libro, eius factioni mediũ se opposuit. Tum uerò apparuit, quid Vuicleuus posset in literis præstare. Nam ita in aduersarium fulminabat & intonabat, emisso uicissim libello, ut Monachus uix respondendo esset. Non quòd partes omnino inferiores sibi desumpsisset (præceps iudicium) sed quia eruditione inferiori, acumine disputandi impari, denique orationis impetu inæquali. Quanquam ego hic neutrius causam tutabor, quando habeam quod utrique meritò obijciam. Hæc Lelandus: qui in his neque calidus neque frigidus erat. Scripsit uerò Bynhamus,

Contra Vuicleui propositiones, *Lib.1.*

Sequitur epilogus. Erat enim alter plus æquo superstitiosus, alter doctior quàm melior. Hæc habuit Lelandus de Bynhamo Vuicleuomastige dicere. Claruit monachus anno à Christi seruatoris natiuitate 1370, sub Edvuardo tertio.

GALFRIDVS HARDEBY. VI.

GAlfridus Hardeby, ex Leycestriensi cœnobio Augustinianus fraterculus, quæ ad philosophiam & sacras literas pertinet, Oxonij didicit, magnamque ibidem ex magno labore famam sibi comparauit. Eo etenim loci, in

ci, in sublimi illa diuinæ theologiæ cognitione peruenerat, ut utriusque instrumenti libros publicè interpretaretur. Ob quam rem in supremam eruditorum classem ab Oxoniẽsibus receptus est. Auxit hic honos eius famã, quemadmodum & magistratus prouincialis, quo publico Augustinianorum consensu donatus fuit. Multum etiam ad famæ cumulum addidit Eduuardus rex, eius appellationis tertius, cui non modò ab auriculari confessione, uerùm etiam à consilijs fuit. Nihil tamen usqueadeò hominem in altum extulit, quàm libri, quos sacrosanctæ posteritatis memoriæ dedicauit. In eo certè Opere quod de perfectione Euangelicæ paupertatis inscripsit, paupertatem ita medijs amplexus est ulnis, ut impugnantes fraterculorum mendicitatẽ, stricto audacter rationis gladio insecutus sit. Hæc sunt ex Lelando desumpta. Vnde illud opus Hardebius scripsit,

Contra Armachanum,	Lib. 1.
Quodlibeta Oxoniensia,	Lib. 1. *Memorabilia philosophorum studia.*
Ordinarias quæstiones,	Lib. 1. *Vtrum ad uniendam utramq; in Chri.*
Determinationes,	Lib. 1. *Propter uniuersalem scientiarum tradi.*
Ordinis sui res gestas,	Lib. 1.
De uita Euangelica,	Lib. 1.
Lecturas in uetus Testamentum,	Lib. plur.
Lecturas in nouum Testamentum,	Lib. plur.
Postillas scripturarum,	Lib. 1.
Sermones de tempore,	Lib. 1.
Sermones de sanctis,	Lib. 1.

Et alia plura edidit. Eius prodigiosa scripta aduersus pium Armachanum, in sola fraterculorum impudenti mendicitate perfectionem Christianam ponunt. Capgrauo teste, claruit anno ab incarnato Dei uerbo 1360, sub Eduuardo tertio, Londini demum apud Augustinianos sepultus.

ROGERVS CONVVAY. VII.

Rogerus Conuuay, ex Conouio antiquissima urbe littorali, prope niuiferas alpes, unde originem traxit, cognomen est sortitus. Hic dum adhuc adolescens esset, assumpto pallio Franciscano, incœpit solicita exercitatione uiam ad doctas artes aperire. Iamq; eò deuenerat, ut quas ipse nõ longo antè tempore uias dubius prætentauerat, alijs tanquã dux & signifer, sumpta in manus lucida face, Oxonij ostenderet. Vnde & postea in publico Chordigerorum conuentu, in præsidem prouincialem, magistratum apud illos multo maximum, electus est. Dum Ricardus Armachanus, circiter hæc tempora edidisset famosum uolumen contra fratres Mendicantes, ad hunc ut ad anchoram sacram itum est. Ille uerò, ut pestem imminentem, id est famem, procul à suorũ ceruicibus pelleret, ad armarium se statim contulit, ingentem telorum uim proferens, quibus communem hostem opprimeret. Fuit atrox & cruentissima pugna, ut ex editis utrinq; libris apparet. Hæc attulit Lelandus. Composuit hic magnus antagonista, pro tuendo ca[?]seariorum fraterculorum quæstu,

Contra propositiones Armachani,	Lib. 1. *Confessio & pulchritudo in conspectu.*
Super Extrauagantis intellectione,	Lib. 1. *Veruntamen quia iustè dominus reueren.*
Determinationes scholasticas,	Lib. 1.
Quæstiones theologicæ,	Lib. 1.
Lecturas & sermones,	Lib. 2.

Atq; alia, quæ nos latent. Tantum tunc poterat hæc impudens ac ualida frater-

culorum exilium mendicitas sub Abadone, ut terrori esset pontificibus & magnis mundi monarchis. Obijt hic anno à Christi incarnatione 1360, Londini in suorum fratrum cœnobio sepultus.

RICARDVS BILLYNGHAM. VIII.

Ricardus Billyngham (alij Gillyngamum appellant) Oxonij in Martonensi collegio, solitæ superstitionis alumnus ac sophista, uitã, ut par est credere, studijs ac doctrinæ similẽ, duxit. Arbor (inquit Christus) à fructu cognoscitur, & os ex cordis abundantia loqui non cessat. Adeò creuit in fallacijs atque inanium uerborum formulis inuolucrisque hic blatero, ut statim apud illos artium professione donaretur, ac insignis magister haberetur. At præter nugas nihil protulit, ut ex scriptis eius claret. Misero nimirum labore ac damnabili studio occupatus, homines errare docebat, & ueritatis uiam, ex sua natura, rectam, puram, apertam, simplicẽ, atque iustam, præ Charybdibus ac Scyllis, deserere. Posteris ille reliquit,

Consequentias,	Lib.1. *Quia in sophismatibus probando.*
Obligationes,	Lib.1. *Positio est præfatio alicuius.*
Abstractiones,	Lib.1. *Omnis homo est omnis homo.*
Conclusiones,	Lib.1. *Tu credis aliquam propositionem.*
Fallacias,	Lib.1. *De his apparent simul &c.*
Terminos naturales,	Lib.1. *Ignis purus est summè calidus.*
Proportiones,	Lib.1. *Proportio quædam est communiter dicta.*
Speculum puerile,	Lib.1. *Terminus est, in quem resoluitur.*
Abbreuiata G. Kylmynton,	Lib.1. *Sortes est albior quàm Plato.*
Tabulam Logicæ,	Lib.1.
Tabulam Philosophiæ	Lib.1.

Aliasq; profanationes ac sordida stercora protulit ineptissimus homo: quæ subdolæ quædam cauillationes sunt, peruertentes usum loquendi. Claruit temporibus his, in quibus magnarum ignorantiarum tenebræ mundum occupabant.

GVILHELMVS DOROCHIVS. IX.

GVilhelmus Dorochius, ab alijs de Drocheda dictus, scholas Oxonienses percelebrans, tandem meruit, ut à Lelando nostro didici, utriusque iuris dici consultissimus. Parentum ille fauore & impensis, ab ipsa pueritia bonis artibus operam dedit. Quem uerò ex tam alacri & expedita in literis diligentia sit fructum consecutus, libri quos magno labore in utroque iure & in mathesi edidit, luce clarius edocent, & in multis Anglorum bibliothecis adhuc sunt. Sed unum ac peculiare præ cæteris omnibus monumentum illius tum famam tum gloriam eximiam reddidit. Exquisita enim cura Opus quoddam scripsit, artem aduocandi, respondendi, opponẽdi, intelligendi, discernendi, & distinguendi uerum à falso, continens: quod opus uocabat

Summam auream,	Lib.1. *Cum omne artificium per suum ex.*
Tractatum de occultis,	Lib.1.

Et alia plura composuisse dicitur, quorum nihilominus in hunc usq; diem titulos non uidi. Bene sciunt eiusmodi legisperiti, per expositiones ambiguas, legum iura ad suas adaptare fictiones. Claruisse circa hæc tempora & iste putatur.

IOANNES KILLYNGVVORTH. X.

IOannes Killyngvuorth, philosophus, astronomus, ac medicus insignis, politis artibus diligentiam Oxonij magnam, Lelando etiam teste, adhibuit. Illud uerò commune (inquit) habuit cum alijs multis, in omni erudi-

tione ibidē educatis, genuinū uidelicet Matheseos studiū, in quo suo seculo palmā facilè adeptus est: laudandus itidem magnopere, si hac nostra aurea uiueret ætate. Libri in astrologia plures, argutè, ingeniose, & significanter ab eo compacti adhuc extant. Habet hæc scientia nescio quid latentis uirtutis, quòd mentem ad sublimium rerum cognitionem anhelantem rapiat, & in æthera ferat. Neq; unquam certè adduci possum, ut credam, Ioannem Picum Mirandulanum, uirum doctissimum, eo animo fuisse, ut astrologiam radicitùs tollendam censeret: quin potius illos explodendos esse, qui tantæ scientiæ dignitate abuterentur. Cuius generis sunt specularij, necromātici, & id genus alij. Tantum Lelandus. Killyngvuorthus aūt edidit

De iudicijs Astronomiæ,	Lib. 1. *Primò considerandum est tempus.*
Tabulas Astronomicas,	Lib. 1. *Multum conferre dinoscitur, non solum.*
De crepusculis,	Lib. 1. *Radices motuum locumq; intro.*
De ascensionibus nubium,	Lib. 1. *Ostendere quid sit crepusculum.*
Arithmeticum opus,	Lib. 1. *Obliuioni raró traduntur.*
Algorismum quoq;,	Lib. 1.

Et alia multò plura. Huius industriā imitati sunt Ceruinus, aliàs Harteus, Curio, Ioannes Stacius, fama celeberrimus, deniq; & Blacheus, Martonenses omnes, matheseos admiratores omnes. His temporibus claruit.

GVILHELMVS COVENTRE. XI.

GVilhelmus Couētre, in eadem urbe celebri natus, & Carmelitani nominis monachus, uir pius iuxtà ac studiosus fuit, & fusiori reuera narratione dignus, si temp. ad id daretur. Ex crurib. uitiatis, seu claudicationis malo, quod, Lelando teste, læsa coxendice accepit, Claudus cōuersus à uulgo Carmelitarum dictus est. Porrò studiosum fuisse literarū, quas iuuenis leuiter admodum gustauerat, æquus facilè iudicabit lector, ubi cognouerit illum post acceptam professionem omnes diligentiæ partes in euoluendis ueterum authorum monumentis protinus compleuisse. Et ex frequenti scripturarū lectione, quibus assiduè uacabat, Catonis instar, aureas non raro sententias protulit, ut sunt: Per iram homicidij, fraternitas primùm deperijt: Iniqua consuetudine inoleuit error. Ab initio Deus quosdā, qui eum familiarius colerent, ab alijs segregauit: de quibus Virgo beata, quasi linea deducta pullulauit, quæ mundi Saluatorem edidit. Prodescit Hierosolymā petere, aut alia inuisere loca sacra: sed multo præstaret, eo precio pauperes alere domi. Ac similes. Erat q; omni bona eruditione non infœliciter refertus, scripturis potissimum sacris, nisi quòd illis interdum perperam intellectis, monachorum sectas immodicè nonnunquam extulerit. Edidit utroq; stylo opuscula quæ sequuntur,

De laude religionis,	Lib. 2. *Cum tua cœlitus inspirata, policita.*
Scutum Carmelitarum,	Lib. 3. *Admoniti affatibus fratrum suaui.*
De regula & confirmatione,	Lib. 1. *Cuiuslibet religionis titulus &c.*
Præconia Mariæ uirginis,	Lib. 1. *Arca fœderis Maria Christi me.*
Annales breuiores,	Lib. 1. *Anno 18. regni Iosaphat regis.*
Compendium historiarum,	Lib. 1. *Legitur enim, quod ab ordinis,*
Elucidarium fidei,	Lib. 1. *Sæpius à condiscipulis rogatus.*
Aduersus peccata,	Lib. 1. *Pœnitentiam age, Apocalypsis 2.*
Carmina diuersa,	Lib. 1. *Isidorus annos, à principio tibi.*
De aduentu suorum ad Angliam,	Lib. 1.

Et alia nonnulla. Opusculis suum præponere nomen nunquam est assuetus.

Solùm in primo libro de laude religionis, per literas capitales se prodit, Ranulphi Cestriensis exemplum secutus. Claruit anno Salutis humanæ 1360, sub Edvuardo tertio Anglorum rege, Couentriæ demum sepultus.

RANVLPHVS HYGDEN. XII.

RAnulphus Hygden, in occidentali Anglorũ patria oriundus, ad Vuerburgæ fanum in Cestriensis urbis cœnobio, perpetuis se Benedictinorum monachorum sanctionibus cõsecrauit. Literis apud eos diuinis & humanis tam clarus euasit, ut inter suæ ætatis præcipuos earum cultores connumeraretur. In historiographorum lectione, multa diligentia, opera & cura usus est. Collegerat enim in suam bibliothecam non modò authorum, qui de rebus externis scripserunt, ingentem numerum: uerùm etiam illorũ qui res nostras, id est Brytannicas, posteritati commendauerunt. Prouocatusq; tandem eorum exemplo, qui terrarum suarum heroes mundo depinxerant, occasionem est & ipse nactus, Brytannicæ insulæ, à mundi exordio ad sua usq; tempora, historiam texere, seruata ab Abraham marginali annorum supputatione. Compendio quodam in unum redegit historiæ uolumen, ea quæ antè sparsim & sine lucido ordine, apud multos authores in obscuris delitebant bibliothecis: unicuiq; suorum authorum honorem integrum seruans. Et ingenuè fatetur, quòd non aliter in hoc fecerit labore, quàm fidelis illa Ruth Moabitis, quæ messorum sequẽs uestigia, spicas collegerit. Tamq; egregiè suam in eo nauabat operã, ut à peritis scriptoribus, Polydoro potissimè, egregius historicus diceretur. Congessit tandem nobile opus, iuxta numerum dierum ac mundi ætatum, quod uocabat

Polychronicon,	*Lib.7. Post præclaros artium scriptores.*
Pædagogicon Grammatices,	*Lib.1. Cum humanum genus ratione orig.*
Distinctiones theologiæ,	*Lib.1. Abijcere secundum philosophos no.*
Speculum curatorum,	*Lib.1. Apparuit gratia Dei saluatoris.*
Expositionem super Iob,	*Lib.1.*
In Cantica canticorum,	*Lib.1.*
Sermones per annum,	*Lib.1.*
Determinationes sub compendio,	*Lib.1.*
Abbreuiationes chronicorum,	*Lib.1.*
Ex Guilhelmo Stephanide,	*Lib.1.*
Mappam mundi,	*Lib.1.*
In literam Calendarij,	*Lib.1.*

Aliaq; plura fecit. Varij generis (inquit G. Hormannus) uariarumq; gentiũ historiam Ranulphus contexuit, orsus à mundi origine, ad Ricardum ferè secundum. Senex tandem obijt annos habens in monachatu 64, circa Gregorij festum, anno ab incarnato Mesia 1363, Cestriæ in cœnobio sepultus.

IOANNES ESTVVODE. XIII.

IOannes Estvuode, qui & alio cognomine Ashenton uocatur, insignis philosophus Oxonij in Martonẽsi collegio fuit, tum præterea in Mathesi tam exactè eruditus, ut nemo homo facilè illis temporib. suprà. Deinde & rem herbariam, medicinę cultor, ut Lelandus habet, accuratius inspexit. Postremò oculos & mentem ad sublimia illa erexit astra, cœlumq;. Primas tamen studiorũ partes Astronomiæ dedit. Non eius generis cuius sunt Specularij, Necromantici, et Chiromantici, qui uanissimis uanitatibus maria et montes dant simul & auferunt. E' quorum numero nõ fuit noster Ioannes: qui tam religiose intra terminos suos semper se continuit, ut nec latum quidem

dem culmum unquam præscriptos Astronomiæ limites sit prætergressus. Id quod liquidò apparet ex eius libris, quadā dexteritate conscriptis. Quantum uerò in his profecerit artibus, malo ut eruditus lector ex eius opusculis, quam nostro edificat testimonio. Volumen quoddam edidit, cedro planè dignum, quod Summam Anglicanam uocabat, seu Iudiciale,

De mundi accidentibus,	Lib.2. *Intentio mea in hoc libro est.*
Elucidarium planetarum,	Lib.1. *Sicut dicit Aristoteles* 2. *Ethic.*
Regimen contra pestilentiam,	Lib.1. *Ad honorem, laudem, & gloriam.*
De prognosticis aeris,	Lib.1. *Temperierum autem quædam sibi.*
De signis coniunctionum,	Lib.1. *Sicut dicit Ptolemæus in suo.*
De coniunctione Martis & Saturni,	Lib.1.
De coniunctione Saturni & Iouis,	Lib.1.
De permutatione triplicitatis,	Lib.1.

Et alia nonnulla composuisse fertur. Huius authoris sæpe meminit Ioannes Picus Mirandulanus. Summam Anglicanā absoluit, anno ab exorta pietate Christiana 1348, ut ex catalogo uirorum illustrium Martonensis societatis claret. In precio fuit anno Domini 1360, sub Eduuardo.

THOMAS RADCLYF. XIIII.

THomas Radclyf, in Leycestriensi comitatu oriundus, atq; ex Augustinianorum fraterculorum æde eiusdem urbis cœnobita, doctor & episcopus non infimi nominis extitit. Leycestria oppidum est, quod in interiore parte insulæ Leyrus olim Brytannorum rex condidit. Ingenium iste habebat fœcundū & amplum, atq; ad res magnas accommodatū: ut in quodā eius ordinis registro reperi. Sed cum è suggesto de Christianis moribus dissereret, impedimento magnopere illi fuere sordidorum sophistarum nebulæ, quibus etiam abundabat, quo minus Socraticos aperiret campos, aut ueram ex scripturis sacris sapientiæ uiam ostenderet. Composuit tamen, ne apud suos omnino uacuus & inanis haberetur,

Lecturas scholasticas,	Lib.1.
Pro introitu Sententiarum,	Lib.1.
Conciones ad uulgum,	Lib.1.

An alia adhuc ediderit, apud rerum eiusdem ordinis consarcinatores, nō inuenio. Claruit, pro sua tempestate sermonum declamator, in Anglia non parum æstimatus, anno à Christi seruatoris per carnē origine 1360, sub Eduuardo tertio.

BARTHOLOMAEVS GLAVNVYLE. XV.

BArtholomæus Glaunuyle, ex nobilissimo (ut Lelandus colligit) genere Comitum Sudouolgiorum eiusdem appellationis, originem duxit. Adolescens, ex nescio qua superstitione, professionem excolebat Franciscanam. Maturior annis factus, Oxonium, Lutetiam, atq; adeò, si uera sit coniectura, Romam ipsam celebrauit. Primas studiorum partes, prudens philosophię impendebat, iuxtà ac theologię: illi, ut naturalium rerum causas subtilius excuteret; huic, ut mentem tanquam diuino quodā illustraret radio. Aristoteles, Plato, & Plinius, illi fuerunt familiarium loco: quorū fultus authoritate, naturali, non sophistica, uir per eam ætatem pius ac bonus laborabat, ut posteri facilius ad literam intelligerent Scripturarum & Chronicorum ænigmata, quæ sub rerum naturalium figuris ac proprietatibus erant uelatæ. In fine collegit ex authoribus probatis, quorum post præfationem centum ferè recenset nomina, ingens uolumen, quod prætitulauit,

De proprietatibus rerum, Lib.18. *Cum proprietates rerum sequantur.*
De rerum accidentibus, Lib.1. *De scriptis proprietatibus rerum.*
Chronicon de sanctis, Lib.1.
De mundo ac cœlestibus, Lib.1.
Postillas scripturarum, Lib.1.
Sermones uarios, Lib.1.

Pluraq; adhuc alia congesßisse narratur. Prædictam uerò editionem de rerum proprietatibus, se ideo potißimum coaceruasse præfatur, ut liquidus perciperentur difficiles diuinorum eloquiorum allegoriæ. Claruit anno à Christi seruatoris ortu 1360, regnante Edvuardo tertio.

APPENDIX.

Occurrit hic diuinæ bonitatis indicium certè mirabile, & misericordiæ exemplũ non reticendũ, ne nos desperemus, aut ullũ siue Papistã siue Turcã temerè dãnemus. Petrus Thomas, de quo prius, magnus in regno Antichristi athleta fuit, nempe Constantinopolitanus patriarcha, & Christianorũ hominũ seuerus persecutor. Sed ecce, cuius uult miseretur Deus, & quem uult indurat, Rom.9. Vide quid dicant eius uitæ scriptores. Ioãnes Fauentius, Guardianus Paffensis in insula Cypri: Anno Domini 1366, Petrus Thomæ patriarcha, Famaugustæ in domo Carmelitarũ moriẽs, hæc dicebat: Pijßime iu dex Iesu, peccaui in cœlum & coram te. nec sum dignus uocari tuus filius, quòd Maiestatem tuam offenderim in hac uita miserrima. Et postea: Sentio me nimium peccatorem, quòd meũ multipliciter offenderim creatorem. Sed habeo iudicem ualde pium, qui meis sceleribus indulgens, pœnas inferni misericorditer relaxabit, suæ paßionis uirtute ac meritis. Confidenter recedo, nec timeo mortis pœnas. Philippus de Maceriјs, Cypri cancellarius, in uita eiusdem: Petrus patriarcha Constantinopolitanus, morti propinquans dicebat: Medicis corporalibus non indigeo. habeo enim medicum meum spiritualem, Iesum Christum, qui me iam sanauit. Ipsum appeto, & cum ipso bene sto. Et in ipso mortis puncto iterum dicebat: Ego de illo uitæ fructu accipio, qui regit ac sustinet uniuersa. In quo confido. ipsum uolo. nec aliud iam uolo. Sicq; obijt. Ioannes Hildesheim, in libro suo qui intitulatur, In turpia pingentem, narrat, quòd Taylarandus, Petragoricensis cardinalis, dum in mensa semel esset quæstio de apostatis, Cardinalium ordinẽ laudabat, quòd in eo nõ essent apostatæ. Cum mox hic Petrus Thomas tunc respondebat: Quales illi sint (inquit) qui alios ordines deserunt, nescio. Sed certo certius scio, illos qui à uestro ordine deficiũt, uiros planè sanctißimos esse. Ex quibus enim sunt, D. Hieronymus, Petrus Damianus, ac Petrus de Morone?

ROGERVS COMPVTISTA. XVI.

ROgerus Computista, monachus ad Eadmundi fanum, quod Buriæ in Sudouolgia magnificentißimè situm erat, uitam planè cõtinentem adolescens duxit, bonis literis ac pietati unicè studens. Vnde non defuit tandem instituto tam undecunq; honesto, suum præmium. Nam eo nomine præses, ut ferunt, secundarius eius cœnobij monachis publico suffragio designatus est. Auxerant in immensum eius loci gloriam, opera quæ ille non paruo labore congesit. Vir quidem magnæ simplicitatis fuit, & apud suos doctrinę calculo celebris. Noluit ipse inter alia multa, Bibliorum res sacras posteritati esse obscuras: sed arrepto calamo, diligentia ac fide qua potuit, licet non tam eleganter, ad Reginaldũ Vualsingham eiusdem cœnobij monachum exarauit, super uocabulis eorundem Bibliorum

Expositiones quasdam, Lib.1. *Cum animaduerterem Reginalde Fra.*
Postillationes Euangeliorum, Lib.1.
De excommunicatione maiori, Lib.1.
Constitutiones Cantuarienses, Lib.1.

Scripsit & alia multa. Sed in Magdalenẽsi collegio apud Oxonium, ubi istos habebam, cæteros reperire non poteram, neq; adhuc alibi. Claruisse uerò illum

lum his temporibus puto, sub Edvuardo eius appellationis tertio.

IOANNES VVYLTON. XVII.

IOannes Vuyltō, alius ab illo Augustinianorum doctore eiusdem appellationis: quia Vuestmonasteriensis cœnobij monachus hic fuit, Benedicti methodum Euangelij loco professus. Istum, præter eius ætatis sortem, in Latina lingua elegantem iuxtà ac facundum sui esse ferebāt, in philosophia etiam magna cum fœlicitate uersatum. Tum præterea tam exactum theologum fuisse paratragœdiāt, ob opus illud quod sub Horologij titulo edidit, ut cum ueteribus ipsis conferri penè posit. In suis uerò cōtemplationibus, quas protulit plures, diuerso rhythmorū genere usus est. Sed nunc ad indicem librorum, quos in utroq; scribendi genere emisisse dicitur. Ex D. Bernardi operibus sustulit meditationem rhythmicam,

De beneficijs Dei,	*Lib. 1. Iesu Christi celeri meditatione.*
Stimulum compaßionis,	*Lib. 1. Iam nunc matri uirgini, anima.*
Horologium sapientiæ, prosa,	*Lib. 7. Sentite de Domino in bonitat.*
Homelias quoq;,	*Lib. 1.*

Et alia plura produxit. Putabat iste, quòd diuina oracula, sicut & ipsa naturæ opera, nostris adinuentionibus atq; adiumentis opus haberent in allegorijs ac tropis. Claruisse & hac ætate ille quoq; fertur.

SIMON VVICHYNGHAM. XVIII.

SImon Vuichyngham, inter Nordouicēsis cœnobij Carmelitas, pro suo tempore decus, ut ab ipso Lelando didici, doctrinā simul cum religione coniunxit. Parisijs (inquit) & alibi, pro adipiscendis literis laborabat: unde & doctoris insignia asportauit. Totus enim disputationum acumini insistebat: id quod facilè apparet ex eius operibus, &c. Tantum ille. Theologia Sorbonica usus est Vuichyngamus, quæ nouo quodam litigandi genere, & ab antiquorum patrum usu longè alieno, per quæstiūculas & argutos syllogismos formata, nihil præter Chimæras peperit. Ex qua protulit ille absq; omni sermonis elegantia, ad nihilum certè utiles,

Quæstiones ordinarias,	Lib. 1.
Quodlibeta uaria,	Lib. 1.
Lecturas in Scripturam,	*Lib. 1.*
Sermones quoq;,	*Lib. 1.*

Feruntur & alia, sed tituli desunt. Signum est (inquit Theologus quidam) adesse Antichristum, quòd fidei articuli in quæstiones, opiniones, ac dubia trahantur. Claruit Simon anno à Christi incarnatione 1360, sub Edvuardo.

IOANNES DEIRVS. XIX.

IOannes Deirus, seu (ut Frumentarius illum uocat) Deiros, septentrionalium Angliæ partiū magister insignis, scholas Oxoniēses, studio quodam ardentisimo discendi percitus, iuuenis petijt. Eadem opera uir iste & religionem & literas excoluit, quæ postea ei ornamento eximio fuerunt. Nam quū Oxonij adhuc studeret, atque esset tam diuinarum quàm secularium (ut uocant) literarum peritus, decreuit ingenij periculum clarum aliquod publicè exhibere. Vnde arrepto Bibliorum codice sacro, dulcisimū duxit, primos in illo cōsumere labores. Atq; tandem theologus factus, illustrationes quasdam super historias sacras scitè concinnauit, ut ex Lelandi Catalogo liquet. Scripsit ergo Deirus,

Peram spiritualium,	*Lib. 4. Cum in prouincia Deirorum ad tempus,*
Super historijs scripturæ,	*Lib. 1.*

Aliosq; tractatus uarios fecit, ut habet Ioannes Frumentarius in libro suo de Viris illustribus: sed eorum non adfert titulos, neq; sub quo claruerit rege. Manebit hic igitur, quousq; suum proprium inuenerit locum.

SIMON ISLEPVS. XX.

SImon Islepus, naturæ ac fortunæ dotibus clarus, magnaq; post literas humaniores utriusq; iuris & theologiæ peritia præditus, ad maxima regni negotia pertractãda à rege aduocabatur. Cũ insignis uir ex summa integritate ac rerum prudentia haberetur, fuit demum creatus post Ioannem & Thomam, qui eodem anno obierunt, archiepiscopus Cantuariẽsis à Clemente 6. Rom. pontifice, antistitum ordine quinquagesimus tertius, ut Polydorus habet. Eo tempore agere cœpit rex Edvuardus, ne pontifices Romani deinceps in designandis episcopis in suo regno potestatem haberẽt: sed admissos à principe, tantum eos confirmarẽt. Simon uerò, ut de Anglica pube bene mereretur, Oxonij collegium condidit, Cantuariẽse à sua functione uocatum: quod celeberrimum fuit, tam scholasticorum cœtu quàm doctrinæ cultu frequenti. Congesſit Simon, offensus regi, quòd Vuicleuũ audiret, opusculum, quod uocabat

Speculum regis Eduuardi, Lib. 1. *O' domine mi rex, utinam saperes.*
Sermones per quadragesimam, Lib. 1. *Ecce nunc tempus acceptabile.*
Sermones de sanctis, Lib. 1. *Nox expectet lucem, & non uide.*
Sermones de tempore, Lib. 1.
Constitutiones decretales, Lib. 1.
Epistolas ad diuersos, Lib. 1.

Aliorum eius operum nihil uidi. A' seculo tandẽ migrauit, anno à Christi Seruatoris ortu 1365, post 16 sui regiminis annos, sub Edvuardo rege prædicto. Eius tempore quidam Londini concremabantur, ob læsam, ut dicũt, religionem: sed articuli eorum non inueniuntur.

GEORGIVS CHADLEY. XXI.

GEorgius Chadley, honesto quidem loco natus, honestissimã uitæ rationem inibat, quo tempore Isidis uadum, seu Oxonium, bonarum literarum academiam, & uirtutis parentem fama excellentem, petijt. Adfulsit uenienti sidus, quod illi rerum cùm humanarum tum diuinarum lumẽ conspicuum, quo ueluti radijs quibusdam eius animum illustrabat. Vnde ille æthera præpeti cõscendens penna, magna mysteria D. Ioannis dilecti Dei Apostoli, & cœlestes reuelationes edoctus, aperuit, ac edito libro factum immortale constituit. Hæc sunt quæ de Chadleo Lelandus attulit. Hoc solum nunc restat, ut librorum eius titulos indicemus. Posteritati enim legendos reliquit Commentarios eruditos,

In Apocalypsim S. Ioannis, Lib. 1.
Annotationes aliquot, Lib. 1.

Et alia quædam. In præfato certè Commentario, hominũ iudicijs hic nimiũ inhærebat, & authoritate eorum plus æquo ducebatur: id applicans ambitiosæ Romanorũ synagogæ, quod afflictæ Dei ecclesiæ tribuisset. His temporibus claruisse fertur.

IOANNES DE TYNMOVTH. XXII.

IOannes de Tynmouth, sacerdos ac uicarius ecclesiæ eiusdem oppidi, ad Tynnæ fluminis ostium in patria Dunelmensi, in omni literarum genere per illam ætatem instructissimus habebatur. Multis uir ille nominibus perpetuam gloriam, tum hoc præcipuè facto meritus est, quòd Guidonem

illum

illum Dionysianum abbatem, Gallum, qui de uitis sanctorum magna uolumina congessit, imitatus: grande uolumen & ipse de uitis & miraculis sanctorum Angliæ, Vualliæ, Scotiæ, & Hyberniæ fecit. Quod opus Sanctilogium uocabat, atque in duas partes diuisit: quarũ unam, maiorem seruorum Dei librum censuit nominandum: alteram uerò, minorem. Multos etiam diuorum illorum, Martyrilogio sanctorum succincta breuitate adiunxit. Plerique proculdubio, quoties huius libros in manus sumunt, admirari coguntur hominis diligentiam atque iudicium: diligentiã, quòd passim ostendat se ingentem bonorum authorum numerũ legisse: iudicium quoque, quòd multa ab alijs temerè scripta, ad incudẽ reuocet, reuocataque luci & ueritati restituat. Sed nunc quid scripserit, ex Bostoni Buriensis Catalogo indicabimus. Collegit ex diuersis historijs & euentibus orbis terrarum, à creatione mundi, usque ad tempora regis Edvuardi tertij,

Auream historiam,	*Lib.3.*
Sanctilogium edidit,	Lib.1.
Opus seruorum Dei,	Lib.1.
Martyrilogij appendices,	Lib.1.
Expositiones in Genesim,	Lib.1.
In Exodum,	Lib.1.
In Leuiticum,	Lib.1.
In Numeros,	Lib.1.
In Deuteronomium,	Lib.1.
Super Iosue,	Lib.1.
Super Iudicum,	Lib.1.
Super Regum,	Lib.4.
Super Apocalypsim,	Lib.1.
Lectionarium ecclesiæ,	Lib.1.

Aliaque multa ad ecclesiarum eius temporis usum atque utilitatem scripsit. Eius expositiones tam allegoricę ac morales erant, quàm etiam literales & tropologicę, ex ueterum Ecclesiæ doctorum scriptis collectæ. Claruit anno à diuini uerbi incarnatione 1366, sub Edvuardo rege.

PETRVS BABYON. XXIII.

PEtrus Babyon, homo soluta oratione & carmine impẽdiò exercitatus, tantum in literis profecit, quantum illa sanè admirabantur secula. Iuuenis libentissimè carmina edidit, ad quæ pangenda natum dixisses: ita tamẽ, ut notam & maculam sui temporis subinde prodat. Ingenium planè illi acutissimum, neque fœlix inuentio defuit: usque adeò, ut nõ rarò ad iustam gratiam & carminis maiestatem assurgeret. Et quod penè præterieram, accessit ad hæc, quòd inclytum nomen inter ipsos theologos gesserit, multarum concionum atque commentariorum non infœlix scriptor. Postremò ut suorum studiorum fructum posteris faceret communem, composuit, ut in suo catalogo Bostonus Buriensis prodit,

Expositionem in Matthæum,	*Lib.1.Dominus ac redemptor noster.*
Sermones 70.	*Lib.1.Dicite pusillanimes, conforta.*
Comœdiam carmine,	*Lib.1.Me dolor infestat foris intus.*
De officio Missæ,	*Lib.1.*
Homelias aliquot,	*Lib.1.*
Carmina uaria,	*Lib.1.*

Præter hæc, nihil opusculorum eius hucusque uidi. Quòd uerò Missæ Papisticæ

pisticæ idololatrias suis promouerit scriptis, communi eius temporis cæcitati atque infœlicitati imputandũ est. A' Bostono creditur his annis claruisse.

GVALTERVS VVIBVRNE. XXIIII.

GValterus Vuiburne (quem aliqui Vuimburnum uocant, addita M litera) rectius mihi (inquit Lelãdus) à libris, quàm à tempore quo floruit, cognitus est. Apparet equidem probè eum, ut illa barbara tempora ferebant, in literis fuisse uersatum: et præterea carminum authorem magnum enituisse. Vnde & encomium Christiparæ uirgini, carmine hexametro cecinit, illi seculo planè non contemnendo. Quod & iterum postea rhythmicis uersiculis præstitit, &c. Tantum Lelandus habet. Volenti de Vuiburno fusius loqui, materia iusta penè deserit, nisi solùm in his, quòd professione fuerit Franciscanus, & quòd prosa olim eruditum opus ad suos fratres scripserit, scilicet

Proprietates terræ,	Lib. 1. *Pulsante fratrum instantia qui me dor.*
De Maria & eius filio,	Lib. 1. *Mariæ carmina quondam hexametra.*
Encomium Christiparæ,	Lib. 1.
Carmina diuersi generis,	Lib. 1.

Aliaq; plura edidisse fertur: sed ego in Nordouicensi monachorum bibliotheca, præter hæc nulla uidi. Videtur his uixisse temporibus, in quibus uera Christi theologia, Antichristorum spurcitijs ac tenebris adulterata fuit.

NICOLAVS DE LYNNA. XXV.

NIcolaus de Lynna, in ea Nordouolgiorum urbe natus, & in eius suburbio ad lacum Tegæum inter Carmelitas sodales conuersatus, astrologorum sui temporis in Anglia celeberrimus ac maximus credebatur. Accedunt Lelandi ipsius uerba: Tantum in studijs his (inquit) quibus animũ appulit, proficiebat, quantum nemo unquam alius sui ordinis, quòd sciam, in Brytannia nostra. Studiorum autem præcipuas partes in Mathesi collocauit, quæ quatuor disciplinarum orbem complectitur: uidelicet, Arithmeticam, Geometriam, Musicam, & Astrologiam. Possem hic (inquit) pluribus uerbis Nicolai eruditionem lectori commendare: sed me laudatore non eget, qui Galfridum Chaucerum tam amplum laudatorem habet. A' quo in opere de Astrolabio citatur, unà cum Ioanne Sombo, etiam Carmelita, mathematicarũ rerum scriptore. Tantum ille. Hi duo Astrologi calendarios rerum mathematicarum ediderunt: et eos clericos reuerendos prædictus Chaucerus appellat. Ex suo sensu deprompsit Nicolaus, Alphonsum secutus,

Canones tabularum,	Lib. 1. *Volentibus prognosticare futuros.*
De natura zodiaci,	Lib. 1. *Ad honorem Dei, & habendam.*
De planetarum domibus,	Lib. 1. *Inuenit quidam ex sapientibus.*
De Sphæra iudiciali,	Lib. 1.
Astrologorum dogmata,	Lib. 1.
De figuris & signis,	Lib. 1.
De mundi reuolutione,	Lib. 1.
De usu Astrolabij,	Lib. 1.
Pro ægrotantibus,	Lib. 1.
De eclipsi solis,	Lib. 1.
De astrorum iudicijs,	Lib. 1.
De uarijs genituris,	Lib. 1.
Pro suis Carmelitis,	Lib. 1.

Et alia nonnulla. Quæ omnia non semel uidi in nobili illa eorundem fratrum bibliotheca Nordouici. Claruit unà cum prædicto socio Ioanne, anno à salutifero Virginis partu 1370, regnante Edvuardo tertio, ac Lynnæ tandem obijsse fertur.

APPENDIX.

Ioannes Foxus in Cõmentario martyrum ecclesiæ: In hac tanta rerũ perturbatione, ac confusissimis ignorantiæ tenebris, cum nulla propemodum scintilla relicta uideretur purioris doctrinæ, exortus est diuinis auspicijs Ioannes Vuicleuus: in quo primùm uoluit Dominus mundum expergefacere, plus nimio humanarum traditionum somnijs insepultum, &c. Ex Vualdeni scriptis: Inceptis Vuicleui fauebant Oxonienses theologi ac magistri, Robertus Rigge cancellarius, Ioannes Huntmã & Gualterus Dashe procuratores: Laurentius Redman, Thomas Brituuel, Dauid Gotrey, Nicolaus Herforde, Philippus Repington, Ioãnes Aston, Ioannes Asheuuarby, Ioannes Puruy, Ricardus Vuith, Guilhelmus Iamys, Guilhelmus Haulã legisperitus, ac alij plures. fautores habebat quoque, præter Eduuardũ regẽ et filiũ, Ioannẽ Lancastriæ ducẽ, aulica dignitate pollẽtes aliquot. Inter quos, ex equestri ordine, hi referũtur: Ludouicus Clyfforde, Guilhelmus Neuyle, Ioannes Clenbouu, Ricardus Sturry, Thomas Latymer, Ioannes Mountagu, qui in sua ditione deleuit imagines, et nonnulli alij. Ciues etiam Londinenses ac plebani, interturbatis nonnunquã prælatorum concilijs, Lambethæ & alibi, ipsisq; præ timore confusis, uerba pro eodem Vuicleuo facere non dubitarunt. Accedebat & his comes Salisburiensis: in quo satis atrociter notatum est, quòd in morte confeßionem ac sacramentum altaris papistici indignius respuere uidebatur. Deinde Ioannes de Northampton, prætor Londinensis: quem ferunt instinctu Vuicleui, in fornicarios & adulteros eius ciuitatis, summo dedecore ac exquisitißimis probris onustos, tam acriter animaduertisse, ut non his modò qui peccarunt pudorem, sed & cæteris peccandi metum ferè uniuersis incuterret. præclarum certè exemplum prætoriæ seueritatis.

Appendix alia.

Ex cœtu uerò ecclesiastico Vuicleuus complures grauißimosq; est aduersarios perpessus: at nullos uirulentiores, quàm Dominicanos et Carmelitas. Quorum Dominicani primi erãt qui Londini, & Carmelitæ Oxonij, in suis concionibus, super articulo Eucharistiæ, infamabant, atq; hæreseos deferebãt. Hic penè omiseram quod in quodam scripto reperi: Circa annũ à Christi natiuitate 1379, contigit Vuicleuum ferè ad mortem ægrotare. Quod cum esset Mendicantium fratrum ordinibus ex fama publica notum, oratores statim ad illum mittendos subornabãt, quatuor scilicet doctores solennes, quos Regentes uocabãt: quisq; ordo suum. Et quo solennior esset legatio, adiunxerunt eis quatuor urbis senatores, quos regionum Aldermanos appellant. Cumq; ad illum in lecto decumbentem uenissent, precabantur illi primò salutem, ac à morbo illo reualitudinem. Postea recitatis incommodis multis & magnis, quæ ex eius concionibus ac scriptis, ipsis obuenerant: hortabantur, ut ea omnia tandem in mortis articulo pœnitens defleret, ac reuocaret, ipsis præsentibus. Ille statim resumptis uiribus familiares aduocabat, iubens se per puluillos paulum erigi. Quod cum esset factum, alta uoce dicebat: Non moriar, sed uiuam, & narrabo peßima facta fratrum. Et ita ab illo decesserunt confusi: ipse autem deinceps conualebat. Hic minimè quoq; prætereundum uidetur, diuinæ commotionis ostentum. Anno Domini 1382, congregatis Londini in domo Prædicatorum, cum Cantuariensi archiepiscopo, pontificibus, doctoribus ac prælatis, in ipso Dunstani festo, pro damnanda Vuicleui doctrina cum libris omnibus: eadem hora qua rem aggreßuri essent secunda, insolitus ac terribilis terræmotus uniuersam peruasit Angliam: unde omnes, excepto archiepiscopo, mirum in modũ deterriti, ab incepto negotio desistendum censuerunt. At ipse, audacior quàm prudentior, omnia in diuersum interpretabatur, & delapsos eorum animos in malicia confirmabat.

THOMAS LYLE. XXVI.

THomas Lyle, Dominicanorum fraterculorum institutum aßumens, dum adhuc esset iuuenis, tales in ea cucullata militia sequebatur duces ac præceptores, quales tum ætas illa, tum secta tam exitialis exhibebat. Accrescentibus annis, in utraq; disciplina, humana & diuina, ut illi uocant, tan

tum profecit, ut in gymnasio Cantabrigiensi ad doctoratus gradum, & in sede Eligensi ad episcopatus apicem sit prouectus. In declamandis pro sui cleri commodo sermonibus, & in disputandis pro Papæ regno quæstionibus, peculiare quoddam ex Aristotelico ac Thomistico spiritu ille donum habebat. Vnde nec ulli principi, nec ipsi regi Edvuardo, eorum agens causas, in suo feruore pepercit: ad patrem Antichristũ ob id in exilium missus. Et hæc pauca scripsisse dicitur,

Conciones per annum,	*Lib.1.*
Scholasticas quæstiones,	*Lib.1.*

Alia illum opuscula edidisse non reperio. Thomas Vualsyngham, in continuationibus Ranulphi, refert illum regno fuisse pulsum, quod cum rege circa res Papisticas litigasset: ac Romę obijsse, anno Christi 1360, sub eodem Edvuardo.

IOANNES RODINGTON. XXVII.

IOannes Rodington, in Lincolniensi comitatu natus, & in Stanfordiensi Minoritarũ cœnobio, Francisci instituta professus, raris & eximijs inter suos assectatores excelluit donis. Ioannes Maior libro primo, cap. 5, de gestis Scotorum, his uerbis istum commemorat: Licet Oxonium (inquit) philosophum hunc nouerit, ac theologum emiserit, Lutetia nihilominus Gallorum urbs maxima, multo abundantius ipsum nutriuit in eisdem scientijs. Sed ad quid ualent humana inuenta, quum Dei uerbo nihil addendum sit? aut ad quid Aristotelicæ artes quærantur, quum, iuxta Paulum, deuitandæ sint profanarum uocum nouitates? Ea autem in rebus diuinis nihil administrant quàm cæcitates ac tenebras. Fuit tandem Rodingtonus, ex his atque alijs hominum portentis, suæ sodalitatis in Anglia prouincialis minister, & ex pristinis laboribus hæc scripta reliquit,

Lecturam Sententiarum,	*Lib.4. Da mihi intellectum, ut sciam testi.*
In textum Sententiarum,	*Lib.1. Circa hanc distinctionem quærendum.*
Quæstiones disputatas,	*Lib.1. Vtrum sacramenta nouæ legis sint.*
Quæstiones ordinarias,	*Lib.1. Circa Dei potentiam, principium.*
Quæstiones extra ordinarias,	*Lib.1. Vtrum uisio diuinæ essentiæ, clare.*
Quodlibeta maiora,	*Lib.1. Vt habetur tricesima septima quæst.*
Quodlibeta minora,	*Lib.1. Secundum beatum Augustinum de ciuit.*
Replicationes scholasticas,	*Lib.1.*
Determinationes theologiæ,	*Lib.1.*

Aliasq; his similes paganorum fæces. Inter eos theologos & istum enumerat Petrus Vincentinus, qui Christiparam tenet in peccato originali cōceptam. Obijt Bedfordiæ, anno ab incarnato Dei filio 1348, sub optimo rege Edvuardo tertio.

ADAMVS CISTERCIENSIS. XXVIII.

ADamus, Cisterciensis ordinis monachus, & abbas regij loci prope Oxonium, theologiæ scholasticus doctor, alio non erat mihi cognitus primò, quàm ex prædicto epistolarum libro ad fanum Albani. Tantæ uir lectionis fuit, tantæque diligentiæ in eruendis uariarum doctrinarũ mysterijs, ut exactissimam earum cognitionem habuisse per ea tempora diceretur. Ob quandam familiaritatem, ut apparet, quam cum Scotis peregrinus olim habuit, ad Gualterum priorem ac fratres in ecclesia D. Andreæ in ipsa Scotia, dialogum inter rationem & animam, seu Soliloquium pro animæ institutione edidit. Et dum uariè per orbem tumultuaretur, & magna

esset

esset in Anglia rerum uicissitudo, timeretq; Vuicleui doctrinam, pro monastici ordinis conseruatione conscripsit

Ad Simonem Cantuariensem, Lib.1. *Venerabilissimo in Christo patri.*
Dialogum ad Scotos, Lib.1. *Dominis suis & amicis in Christ.*
Defensorium exemptorum, Lib.1.
Epistolas ad diuersos, Lib.1.

Aliaq; id genus nonnulla composuit, quorum tituli in lucem non uenerunt. Claruit anno à Seruatore nato 1368, sub Edvuardo rege. Cantuariēsis ille, ad quem scripsit, Simon de Langham erat, qui eodem anno archiepiscopatu se abdicauit, ab Vrbano quinto Cardinalis factus.

ROGERVS VVHELPEDALE. XXIX.

ROgerus Vuhelpedale, Oxonij magister, philosophiæ alumnus, ut Lelandi uerbis utar, mathematicas excoluit artes, quæ hominem altiora petentem, sublimem euehunt. Quare, ne operi (inquit) atque adeò instituto tam undecunq; honesto, desit testimonium luculentū, certiorem lectorem facio, hunc aliquando plures edidisse libellos elegantes. Hæc ille. Studuit Vuhelpedalus in Baliolensi scholasticorum collegio, quod Ioannes Baliolus Scotorum rex, Oxonij olim condidit, ac possessionibus honestis locupletauit, ut inde maiorem sibi ab Anglis eo tempore fauorem cōciliaret. Vt uerò ad libros quos edidit, se nostra conuertat oratio: composuit quàm plures, quorum hos extranoui, scilicet

Summularum Logicalium, Lib.1.
De uniuersalibus, Lib.1.
De aggregatis, Lib.1.
De quanto & continuo, Lib.1.
De compositione continui, Lib.1.
De rogando Deo, Lib.1.

Præter hæc nihil opusculorum eius uidi in prædicto collegio: neq; ubi post longos studiorum labores uitæ suæ residuum consumpserit, legi. Claruisse quidem his temporibus fertur, sub optimo rege Edvuardo tertio.

SIMON DE FEVERSHAM. XXX.

SImon de Feuersham, in Cantiorum comitatu Birtonensis ecclesiæ rector, & in diuini uerbi ministerio pastor, suo seculo uir non cōtemnendæ eruditionis fuit. Incubuit doctis studijs Oxonij, philosophiæ uidelicet ac theologiæ. Vnde tandem supremo theologorum choro, tanquam lucidum accessit ornamentum. Concinnauit & in uolumina redegit quæstionum numeros in plura Aristotelis opera. Hæc de nostro Simone Lelādus tradit. At explorando spiritum ex suis scriptis, statim reperiemus in hoc ecclesiæ ornamēto, lucis loco tenebras horribiles: & pro cœlesti pabulo, nempe Dei uerbo ad Christianæ plebis pastū, ethnicas sordes. Sed talia fuerunt in ea cæcitate eruditorum uirorum iudicia. Composuit hic noster Simon,

Super Priora Aristotelis, Lib.2. *Tria sunt genera causarum in entibus.*
Super Posteriora eiusdem, Lib.2. *Quæritur primò de demonstratione.*
Quæstiones de anima, Lib.1. *Quæritur de intellectu nostro, ut.*
De sensu & sensato, Lib.1. *Quoniam autem de anima sicut.*
Quæstiones super Ethica, Lib.10. *Prima conclusio huius libri, qui.*
Quæstiones in Meteora, Lib.4.
In Aristotelem de Animalibus, Lib.1.

Aliorum eius operum titulos non inuenio. Antichristus enim est, qui

Christia-

Christianorũ doctrinam, de necessitate salutis credẽdam, in quæstiones ac dubia trahit, & paganorũ placitis implicat. Hac ætate & hic uixisse credit.

MATTHAEVS VVESTMONASTERIVS. XXXI.

MAtthæus Vuestmonasterius, eiusdẽ cœnobij monachus, qui à collectis Chronicorũ floribus, etiã Florilegi cognomẽ est sortit⁹: scriptor ætate sua non inelegans, egregiã in ea functione nauabat operam. Vir ipse erat suo seculo in omni genere bonarum literarum planè eruditus, & in his quę ad historiam pertinent, potissimum in recta annorum supputatione eximius. Consultis enim plerisq; authoribus, qui res Anglicas descripserũt, alios regum tempora obticere uidit, alios præterire rerum insigniter gestarum ætates, & omnes ferè calculationibus inuicem discrepare. Quod in eo scribendi genere magnam adfert incommoditatem. Ad aptissimam igitur temporum & annorum lineam à Christi natiuitate usque ad annum eius 1307, & ab eo usque ad annum 1377, eximio labore annales perduxit, cuiusq; regis ac metropolitani archiepiscopi principium & finem, introitum atq; exitum demonstrans. Et huic tam præclaro ac frugifero operi suo idoneum titulum applicauit, uidelicet

Historiarum flores,	Lib.3. *Temporum summam, lineamq; descendentem.*
Additiones 70. annorum,	Lib.1. *Sequuntur tempora duorum regum Ed.*
Chronicon Vuestmonasteriense,	Lib.1.
Chronicon sani Eadmundi,	Lib.1.

Et alia nõnulla congessit. Primi operis liber primus, durat à condito mundo usque ad Christum: secundus à Christo usq; ad irruptionem Normannorum: tertius, à Normannis ad initia regis Edvuardi secundi. Additiones continent duorũ regum tempora. Quo tempore ergo claruerit, ex præcedentibus satis notum est.

IOANNES ELINVS. XXXII.

IOannes Elinus, alias Helinius, patria Nordouolgianus, & professione Carmelita: eo in cœnobio quod Lynnæ, in eius oppidi maritimi suburbio sodales habebat, doctis hominibus per literas, fœliciores quidem illas, innotuit. Claram ille usqueadeò sibi inter suos famam exquisita eruditione ac suauitate morũ peperit, ut tandem sui nominis & ordinis collegio Londini præficeretur. Præcipuas uir iste studiorum partes, Cantabrigiensis olim magister, theologiæ consecrauit: non sophisticæ aut fucatæ, sed ueræ ac diuinę illi, à Ioanne Apostolo descriptę, ut sciret tunc pręsentis & postea futuri temporis in ecclesia statum. Et quum illud cœlestis theologiæ compendium, Angelorum ministerio reuelatum, & ecclesijs à dicto Ioanne exhibitum, terq; quaterq; legisset, ornatissimum opus illi addidit, aureis imaginibus artificiose decoratum, quod uocabat,

Commentarium in Apocalypsim,	Lib.1. *Secundum Isidorum 18. Etymol.*
Ad uulgum conciones,	Lib.1. *Redde quod debes. Matth. 18.*
Quodlibetales quæstiones,	Lib.1. *Vtrum castitatem uouens grauius.*
Lecturas scripturarum,	Lib.1.

Pluraq; alia congessit. In prædicto commentario historiæ etiam sunt per icones descriptę, & quædam earũ patefacta mysteria. Londini Helinius obijt, anno assumptæ per Christum humanitatis 1379, sub rege Ricardo secundo.

THOMAS DE STVREIA. XXXIII.

THomas de Stureia, Augustinianæ sodalitatis, ut fertur, alũnus, ac theologicæ professionis magister eruditus, nunc inter scriptores nostros locum

cum sibi designari poscit illustrem. Qua parte, etsi aliàs à Nicolao Brigamo in suis Collectaneis exquisitè laudetur, nō me pigebit tamen, meum in presentia calculum apponere. Inter sui ordinis olim contubernales, insignis literarum amator, omnes ad eas hauriendas hortabatur, animabat, trahebat, attestans in eis latêre inæstimabilem rerum omnium thesaurum: & esse potius animalia bruta quàm homines, qui illis ex industria carerent. Et cum multis eo profecisset labore, atq; emolumenti nonnihil attulisset, ut postremò suorum studiorū fructus cōmunes eis faceret, nitidè & doctè cōposuit

De Sacramentis, Lib.1. *Inter opera nostræ salutis, quas.*
Moralitates in Apocalypsim, Lib.1. *Vidi Angelum Dei per medium cœli.*
Excerptiones Philosophorum, Lib.1.
De utroq; seculo Prognosticon, Lib.1.
Declamationes quasdam, Lib.1.

An aliud quicquam ediderit, compertum certè non habeo. Hæc enim sunt, quæ in huius scriptoris gratiam ex authoribus deprōpsi, ut essent cum doctis communia. Et his temporibus circiter annum Christi 1370 claruisse illum puto.

SERTORIVS GVALENSIS. XXXIIII.

SErtorius Gualensis, quem Fortanerium uasallū, authore Tritemio, nonnulli scriptores appellant, natus fuit in Cambria, siue (ut uulgò loquuntur) in Vuallia: uir, ut ex eius uita liquidò apparebit, maximis fortunis destinatus. Nam quamuis Francisci sanctiones, tenues quidē illas, iuuenis profiteretur, electus tamen Massiliæ anno Domini 1356, in generalem ordinis ministrum, numero decimumnonum, Innocentij 6. Rom. pontificis beneficio, fit primùm Rauennatēsis archiepiscopus, postea Gradensis patriarcha. ac tandem in purpuratorū patrū numerū Cardinalis adscitus est, ut ita in eo ac sui similibus locustis macilentis uerificetur illud Apoc. 9: Similes equis erant ad prælium paratis, & super capita earum tanquam coronæ similes auro, & facies earum tanquam facies hominum. At iam superest, ut lector intelligat, Sertorium scripsisse Commentarios

In Augustinum de Ciuitate Dei, Lib.22.
Quodlibeta disputata, Lib.1.
Lecturas theologicas, Lib.1.
Sermones ad utrumq; statum, Lib.1.

Fertur etiam in plures Bibliorum libros expositiones quasdam fecisse: sed illæ à Franciscanorum scriptoribus sunt petendæ. Obijsse istū authores affirmant, præsertim Antoninus, annò à communis salutis initio per Christum 1362, atq; in Italia sepultum.

SIMON DE TVNSTEDE. XXXV.

SImon de Tunstede, Franciscanus, in Nordouolcarum comitatu oriundus, Nordouicum urbem, Icenorum olim dominam, celebrauit, amauit, coluit, inq; ea teneros, literarum studiosissimus, exegit annos. Tantæ uir famæ suo fuit seculo, si Lelādo credimus, ut unus uisus uel dignissimus sit, qui uniuerso Chordigerorum Anglicorum cœtui præesset. Philosophiā ipsam, quæ reliquis (pro muniendo Papismo) adminiculatur artibus, multa, industria, cura, labore etiam perdidicit. Qua parte Aristotelis admiratus Meteora, quæ rerum sublimium speculationes tradunt, expeditis Commentarijs opus hoc illustrare curabat. Tantum ille. Omnium artium fuisse scientissimum, quidam eius ordinis Catalogus hunc indicat: sed de scripturis sacris non unicum dicit uerbum. Edidit Tunstedus, Musicæ peritissimus,

Quatuor principalia, Lib.1.
In Aristotelis Meteora, Lib.4.

Cætera, quæ cōposuisse narratur, non uidi. Sufficit enim quòd hæc, Francisco Seraphico dicatus, ad Antichristi, nō Christi reliquerit gloriam. Obijt anno salutis nostræ 1369, in Sudouolgia Bruzardi, inter Clarissas sorores dulcissimas sepultus.

THOMAS STVBBES. XXXVI.

THomas Stubbes, patria Eboracensis, ac professione Dominicanus, à Leandro Bononiensi in quarto libro de uitis Prædicatorum, luculēter celebratus est, & Stobæus appellatus. In gymnasijs Angliæ magister insignis, ex Aquinate et Aristotele problemata more maiorū disputanda proposuit: quæ non lucem infirmis hominum conscientijs, sed ignorantiarum tenebras offuderunt. Putabat proprio sensu deceptus, diuina ipsa oracula, ut ea quæ manu tractamus, humanis egere adiumentis, & non à sola Dei uolūtate atq; spritu dirigi. Hinc suas Christi uerbo ineptias addidit, ac somnia nocturna scripturis admiscuit. At licet hæc ita sint de hoc authore dicta, non tamen damno quæcunq; scripserit, cum plerunq; cōtigerit in sterquilinio aurum inueniri. Multa certè documenta Christiana in eius opusculis reperiuntur. Vnde ille composuit ad consolationem cōtemplatiuorum, & augmentum deuotionis,

Meditationes quasdam, Lib.1. *Iustitia & iudicium præparatio.*
In reuelationes Brigidæ, Lib.1. *Beata & uenerabilis domina.*
De misericordia Dei, Lib.1. *Misericordia secundum etymologiam.*
De Eboracensibus archiepiscopis, Lib.1. *Super statu Eboracensis ecclesiæ.*
De constitutis ecclesiæ, Lib.1.
Contra impugnantes eadem, Lib.1.
De stipendijs ministrorum, Lib.1.
Perfectionem uitæ solitariæ, Lib.1.
De arte moriendi, Lib.1.

Atque alia adhuc plura, ex quibus laudem meretur. Chronicon uerò de successionibus archiepiscoporum Eboracensium, à Paulini eorum primi initio, usque ad annum à Christi incarnatione 1373 perduxit: in quo claruit sub Edvuardo tertio.

ROBERTVS LANGELANDE. XXXVII.

RObertus Langelande, sacerdos, ut apparet, natus in comitatu Salopię, in uilla uulgò dicta Mortymers Clibery, in terra lutea, octauo à Maluernis montibus milliario fuit. Num tamen eo in loco, incondito & agresti, in bonis literis ad maturam ætatem usque informatus fuerit, certò adfirmare non possum. ut neq; an Oxonij aut Cantabrigię illis insudauerit: quū apud eorum locorum magistros, studia præcipuè uigerent. Illud ueruntamen liquidò constat, eum fuisse ex primis Ioannis Vuicleui discipulis unū, atque in spiritus feruore, contra apertas Papistarum blasphemias aduersus Deum & eius Christum, sub amoenis coloribus & typis edidisse in sermone Anglico pium opus, ac bonorū uirorum lectione dignū, quod uocabat

Visionem Petri Aratoris, Lib.1. *In æstiuo tempore cum sol caleret.*

Nihil aliud ab ipso editum noui. In hoc opere erudito, præter similitudines uarias & iucundas, propheticè plura prędixit, quę nostris diebus impleri uidimus. Compleuit suum opus anno Domini 1369, dum Ioannes Cicestrius Londini prætor esset.

APPEN-

APPENDIX.

Ex Vuicleui libro de Hypocrisi: Tanta erat hac ætate morum coruptio, & peccandi licentia, ut sacerdotes ac monachi, præter uiolatas uirorum coniuges & moniales, uirgines quasdam occiderent, concubitum eis denegantes. Et sequitur: Fœminis persuadebant eorum plures, multo leuius esse peccatum, cum illis coire, quàm cum laicis: præter eorum Sodomiã, quæ omnem mensuram excessit: interim sese iactitantes, eas absoluere posse, & pro earum peccatis responsuros esse semper: in maximis sceleribus eas nutriebant. Spoliatis etiam hæredibus ueris, suos nothos & spurios mirum in modum ditabant. Mulierum complexiones & secreta ex libris disquirebant: docentes, cum illis concũbere in absentijs maritorum, maximè esse contra uarias ægritudines salubre. Adhuc sequitur: Mendicantium ordinum fratres, ex auditis cũfessionibus, dum uiri nobiles essent in bellis occupati, negotiatores in negotijs, mercatores in mercibus, ac rustici in agris, illorum uxoribus abutebantur: neq; à iuuenibus in cœnobijs abstinebant. Sub cappis, cucullis, & uestibus suis iuuenculas traducebant, aliquando etiam capitibus earum rasis. Ex aliorum uxoribus sorores & hi faciebant, ut inde filios educerent, & ex suo genere fraterculos post se relinquerent. Prælati eorum nonnas & uiduas occupabant. Carnem sic omnes uotis oblitis nutriebant in desiderijs. Tantum ille. His diebus Gerardus Ridder ex superiore Germania, duos libros edidit, de fratrum Mendicantium nequitijs ac sceleribus obscœnis. quod opus uocabat, Lachrymam ecclesiæ. Ex quodam opere pœnitẽtiario: Audiens quædam monialis, quòd desponsata esset illi, cui angeli seruiunt, fleuit, dicens sorori: Illi (inquit) despõsata sum, quem nec unquam uidi, nec cognoui. Et multum dubito, an cum uiderit, dignabitur me.

LVDOVICVS KAERLION. XXXVIII.

LVdouicus Kaerlion, Brytannus genere, ab urbe natali, ubi & ortus & educatus fuit, cognomen assumens, dum adhuc esset iuuenis, Anglorũ scholas studiosissimè excoluit. Caerlion nobilis olim ciuitas erat, à Bellino rege condita, amœnissimo ædificiorum ac loci situ celebris, cuius & hodie uestigia adhuc extant. Ea postmodum Legionum urbs dicebatur: quia Romanæ legiones ibidem frequenter hybernabant, & in ea totius Cambriæ atq; finitimarum urbium metropolitana sedes mansit. Hac urbe relicta, Ludouicus Oxonium primò, postea Cantabrigiam & Londinum studendi gratia petijt, Astrologicæ ac Mathematicæ artis insolita cupiditate tactus. Qui tandem tum medicus tum theologus factus, in utraq; functione insigniter se gessit, ut ex scriptis liquet. Composuit enim,

Lecturam Sententiarum,	Lib. 4.
Lecturam theologiæ,	Lib. 1. *Vtrum sit possibile intellectui nostro,*
De eclipsi solis & lunæ,	Lib. 1. *Modus operandi pro eclipsi lunæ.*
Tabulas eclipsium,	Lib. 1. *Altitudo lunæ in arcu, longitudo.*
Canones eclipsium,	Lib. 1. *Eclipsim solis, quantitatem & diu.*
De tabulis umbrarum,	Lib. 1. *Circa compositionem tabularum.*
Fragmenta astronomica,	Lib. 1.

Reliquorum eius operum nihil uidi. Vnum tamen adhuc habeo, memoria non indignum, ex quodam ignoti nominis authore: nempe designatum hunc fuisse Herefordensem episcopum. Obijt anno uerbi incarnati 1369, Eduuardo tertio regnante.

IOANNES GRAVNTSON. XXXIX.

IOannes Grauntson, à Lelando Grandisonus appellatus, ab ipso pubertatis æuo in bonis educatus literis, magnũ sui seculi, siue religionem, siue quis eruditionem spectet, decus fuisse dicitur. Eluxit honos ille adeò fœlix ei, ut longè maiorem pepererit postea. Fuit aulę cultor non infimus, & regi Eduuardo à sacellis,, quandoq; etiam in arduis rebus à consilijs. Orator habebatur animosior quàm facundior: licet multis in locis nec lucido rerum

ordine, nec ipsa destitutus sit facundia. Visis ergo tandem in hoc homine pulcherrimis donis, Excestriensem episcopum rex illum fecit. Vt nunc ad eius perueniam scripta, quod operis nostri argumentum deposcit, posteris suis reliquit,

De uitis sanctorum, Lib. 1.
Conciones quoq;, Lib. 1.

Bene esse potest, quòd alia adhuc scripserit, sed tituli non habentur. In bona senectute seculum hoc deseruit, anno gratiæ per Christum patefactæ, 1369, sub Edvuardo illustrissimo, ut habet Thomas Vualsyngham, in auctario Polychronici.

NICOLAVS DVRHAM. XL.

NIcolaus Durham, Nouicastrēsis cœnobij Carmelita, sed Dunelmi natus, inter Oxonienses, Lelando teste, philosophus, idemq; primi nominis theologus floruit. Erat Nouumcastrū, oppidum illud insigne: in quo uirgineæ matri in omni superstitione ac spurcitia se seruiturum uotis promiserat, Monachopolis olim dictum. Tradunt Tritemius & Bostius, quòd hic fuerit in philosophia Aristotelica subtiliter doctus (ut fortius deciperet) & uehemens disputator scholasticalium quęstionum, ut insignem morionem ageret. In uniuersitate Oxoniensi (inquiunt) legendo & disputādo (ueritati contraria) magnas ab omnibus (Papistis solum) commeruit laudes, &c. Nam Ioannis Vuicleui doctrinæ Christianæ, qua Spiritus sanctus mundū de peccato tunc arguebat, futilibus syllogismis in magna superbia occurrebat, sed nō absq; nigro lapillo. Vnde posteritatis memoriæ commendauit,

Commentarios Sententiarum, Lib. 4.
Contra Vuicleui articulos, Lib. 1.
Determinationes quæstionum, Lib. 1.
Originalia doctorum, Lib. 1.

Longiora quoq; quorundam sententiariorum scripta in compendia digessit, ut essent lectu leuiora. Claruit Antichristi miles & non modicus pugil, anno à nostræ redemptionis initijs 1370, sub rege Edvuardo tertio.

GVILHELMVS FLETE. XLI.

GVilhelmus Flete, quem externi scriptores ab Anglia cognominant, ordinis Eremitarum D. Augustini, iuxta professionis suæ uocabulū, solitudinis amans, magnum ex eo obtinuit sanctitatis nomē. Cum audiuisset ex Italia nouam ibi in quibusdam sui ordinis cœnobijs fieri reformationem, sui seculi atq; fratrum in Anglia corruptissimos mores pertæsus, illuc statim accessit: ubi in magna uitæ innocentia, posteriorem uitæ partem occupauit: ut uterque author, & Ambrosius Coriolanus, & Iacobus Bergomensis, in eorum fratrum uitis commemorat. Quo tempore, anno scilicet Christi 1379, futurarrum calamitatum, & aduenientiū malorum, multorum & magnorū, nisi citò resipiscerent, suos Anglos per literas admonuit. Fuit certè eruditus ac pius: scripsitq; ad sui ordinis in Anglia professores, epistolas tres, Christiana eruditione plenas,

Ad prouincialem eorum, *Epi. 1. Obsecro in Domino Iesu, quatenus.*
Ad doctores prouinciæ, *Epi. 1. Cum timore Dei ac reuerentia.*
Ad fratres in communi, *Epist. 1. Ait enim Apostololus: Spectaculum.*
Prædictiones ad Anglos, Lib. 1.
Epistolas ad diuersos, Lib. 1.

Quòd adhuc alia præter hæc ediderit, non lego. Claruit anno à Christi natiuitate

natiuitate 1380, Ricardo secundo in Anglia regnante. Obijtq; tum demum inter sui ordinis reformatos in Italia, inter eorum sanctos, Sabellico teste, relatus.

IOANNES STAFFORDE. XLII.

IOannes Stafforde, Franciscanus, in comitatu atque oppido eiusdem cognominis (quæ ad Vualliam, occidentalemq; solem spectant) ortus, literarum studijs inter Minoritas ab adolescentia se totum cõsecrauit. Qualis autem hic fuerit, tum præterea qua eruditione insignitus, malo ut studiosus lector à Lelando quàm à me discat. Consummato (inquit) seueriorum studiorum cursu, putabat non inglorium esse, historiarum cognitionem penitiorem illam excutere. Perplacuit igitur ei, Anglorũ res gestas agnoscere: hac tamen cõditione, ut et ille illustribus edoctus exemplis, historiam quoque aliquando conscriberet. Id quod tandem lucido præstitit ordine. Congessit enim Latinè,

Anglicam historiam, Lib. 1.

Vt ex Ioanne Rosso, Vuaruicensi historiographo, in suis Antiquitatibus abundè liquet. Nec aliud quicquã ab eo editum uidi inhunc usq; diem, neq; quo anno aut sub quo rege uixerit. Hunc igitur ei dedimus locum.

THOMAS RYNGSTEDE. XLIII.

THomas Ryngstede, Dominicanus, clarus sui seculi theologus, ab opulenta rerum humanarum ac diuinarum, ut tunc erant, peritia famigeratus, cucullatis sodalibus cõsuetudine longa superstitiose se coniunxit. Ingenio quippe uersuto & linguæ perpolitæ facundia, magnatũ animos in confabulationibus non solùm recreabat, sed etiam in sui pertrahebat amorem. Doctè equidem disserebat, quicquid in colloquijs dicendum obuenit: sed semper ad Antichristi potius quàm Christi pauperis gloriam. Galliã & Italiam suo tempore studiorum gratia petijt: pœnitentarij magistratu primò interim à Rom. pontifice donatus. Paulo postea patriam suam repetẽs, ob conciones quasdam coram rege Edvuardo factas, Bangorensis episcopus constituebatur. Legalia cum Euangelio, carnalis pædagogus, seruanda docuit, ne Christi pasionis particeps esset grex Christianus. Et sequentia uolumina Latinis literarum characteribus dedit,

Lecturam Sententiarum, Lib. 4.
Glossas in Psalterium, Lib. 1.
In Parabolas Salomonis, Lib. 1. *In abditis Parabolarum conuersab.*
Distinctiones theologicæ, Lib. 1. *Ab Aeona Posidonius Rhodius.*
Placita theologica, Lib. 1.
Sectiones in Scripturam, Lib. 1.
Ad clerum Oxoniensem, Lib. 1.
Prædicationes solennes, Lib. 1.

Plures etiam utriusq; testamenti libros commentasse dicitur, qui sparsim habentur in bibliothecis Brytannicis, qui tamen à me non sunt uisi. Claruit anno à Christi natali 1370, in sua ecclesia tandẽ sepultus. Eiq; in episcopatu successit Ioannes, sub rege Edvuardo tertio.

RADVLPHVS STRODVS. XLIIII.

RAdulphus Strodus, Martonensis collegij apud Oxonienses alumnus, dialecticorum grauissimus author ab Italorum & Gallorum sophistis appellatur. Iuuenis flagrantissimo desiderio eloquentiã quærebat, musasq; & lepôres colebat: unde laureolam poeticam meruit tandem. Ab Italia re-

uersus postea, superbas contra Vuicleuum, pro regno Papistico, cristas attollere cœpit, elenchis sophisticis magnopere fidẽs. Octodecim argumentis impostricibus, atq; alijs positionibus iniquis, Dei ueritatem euellere nitebatur. Sed à gloria maiestatis eius oppressus, in foueam cecidit quam parauerat: ita quod deinceps nec cleri dotationem fictam, nec superbum Papæ dominiũ, Sodomiticũ cœlibatum, diabolicas Missas, Horas superfluas, inanes cæremoniolas, aut simile quidquam fulcire unquam poterat, argutijs suis friuolis. Euomuit tamen ad posteritatis perniciem,

Consequentiarum formulas,	Lib.1. *Consequentia est illatio consequentis,*
Sophismatum strophas,	Lib.1. *Redargutum dicimus respondentem.*
Sũmulas Logicales,	Lib.1.
Positiones contra Vuicleuum,	Lib.1.
Phantasma Radulphi,	Lib.1.
Itinerarium terræ sanctæ,	Lib.1.

Et alia quædam edidit. Anglicum poetam Chaucerus hunc uocat, in fine sui Troili. Claruit Strodus anno salutis Christianæ 1370, sub prædicto Edvuardo: & Paganicæ temeritatis flagitium esse dicebat, cauteriatus hypocrita, sacerdotes coniuges ducere Christianas.

GVILHELMVS DE SANCTA FIDE. XLV.

GVilhelmus de Sancta fide, ut Lelandus habet, Carmelita fuit: qui relicto Nordouicano sui ordinis collegio, Cantabrigienses scholas tam diu coluit, donec theologici muneris honorem illic accepisset. Adeò in reli teraria, sed impostrice ac sophistica, profecit, ut communis apud eos litigator haberetur, ac Scoticarum subtilitatum interpres ualde eximius. Fuitq; declamator sermonum bacchanalium, benedictionalium dixissem: seu earũ concionum, quæ fieri solebant in confirmationibus magistrorum, non ultimo certè ponendus loco. Et multa in illis inuenitur è suo cerebro protulisse figmenta ac somnia, diuinæ ueritati cõtraria. Scripsit hic libros aliquot (inquit Lelandus) sophistico acumine non destitutos: utpote,

Initiationes theologorum,	Lib.1. *Benedicam tibi antequam moriar.*
Determinationes,	Lib.1. *An aliqua sit remittendi causa.*
De conceptione Mariæ,	Lib.1. *Vtrum beata uirgo sit in origi.*
Quodlibeta quoq;,	Lib.1. *An habens sanctam fidem & usum.*
Sermones per annum,	Lib.1.

Aliaq; nonnulla composuit. In Quodlibetorum suorum primordio nugabundus alludit ad suę natiuitatis locum, Fidei scilicet uirginis fanum. Obijt anno reparationis humanæ 1372, Nordouici in suo cœnobio sepultus.

IOANNES MANDEVYLE. XLVI.

IOannes Mandeuyle, uir equestris ordinis, ex Fano Albani oriundus, ita à teneris, ut aiunt, unguiculis literarum studijs adsueuerat, ut in illis bonam fœlicitatis suæ partẽ poneret. Nam generis sui stemmata illustria, nulli usui futura ducebat, nisi illa clariora doctis artibus redderet. Quare cum animum Euãgelica lectione ritè instituisset, transtulit sua studia ad rem medicam, artem in primis liberali ingenio dignam. Sed inter alia ingens quædam cupido uidendi Aphricam & Asiam, uastiores orbis partes, eius animum inuaserat. Comparato igitur amplo uiatico, peregrè profectus est, anno à Christo nato 1332. & domũ tanquã alter Vlysses, post 34 annos rediẽs, à paucissimis quidem cognitus fuit. Interim Scythiam, Armeniã maiorem & minorem, Aegyptum, utramq; Libyam, Arabiã, Syriam, Mediam, Mesopotamiam,

ſopotamiam, Perſiam, Chaldæam, Græciam, Illyrium, Tartariam, & alia ſpacioſi orbis regna, laborioſo itinere uiſitauit. Denique linguarũ cognitione præditus, ne tot ac tantarum rerum uarietates & miracula, quæ oculatus teſtis uiderat, memoriæq́; mandauerat, obliuione premerentur, in tribus linguis, Anglica, Gallica & Latina, graphicè ſcripſit,

Itinerarium 33. annorum Lib.1. *Cum terra Hieroſolymitana.*
De mirabilibus mundi, Lib.1. *Quoniam ita res habet ut.*
Deſcriptiones regionum, Lib.1.

Et in re medica quædam. Reuerſus in Angliam, ac uiſis ſui ſeculi malis, uir pius dicebat: Noſtris temporibus iam uerius quàm olim dici poteſt, Virtus ceſſat, Eccleſia calcatur, clerus errat, dæmon regnat, ſimonia dominatur, &c. Leodij tandem obijt anno Domini 1372, die 17 Nouembris, apud Guilhelmitas ſepultus.

THINREDVS DOVERIVS. XLVII.

THinredus Douerius, Benedictinorum ſanctiones monaſticas ab ipſis adoleſcentiæ annis, in Douerenſi Cantiorum cœnobio profeſſus, magnum ſuæ doctrinæ poſteris exemplum reliquit. Douerus Anglici littoris oppidum eſt, duodecim ex una parte milliaribus à Cantuaria diſtans, & ex altera à Caleto per mare triginta, quò naues accedere ſolent. Thinredus, ut apparet, ſui cœnobij præcentor erat: quæ monachorum functio non niſi doctioribus uſu obuenit. Ad eorum officium ſpectabat ſemper, omnis generis cantum curare, ſequentias & hymnos edere, atq; mortuorum ſanctorum hiſtorias ad chori lectiones & clamores aptare. Concinnauit igitur ille, muſicorum ſui temporis Phœnix,

Pentachordorum & tetrachordorum, Lib.1. *Quoniam muſicorum in eccleſia.*
De legitimis ordinibus Muſicæ, Lib.1.

Feruntur & alia ab ipſo edita opuſcula, ſed tituli non occurrunt. Boſtonus Burienſis, in illuſtrium ſcriptorũ Catalogo hæc in lucem ſola protulit, putans ipſum his claruiſſe temporibus. Obijt in ſuo tandem cœnobio ſepultus.

HENRICVS KNYGHTON. XLVIII.

HEnricus Knyghton, ſolo Ioannis Roſsi Vuaruuicani ſcriptoris teſtimonio mihi cognitus eſt, inquit Lelandus. Quare, quod ab illo didici, nõ me pigebit hic referre. Totum ſe dedicauit Knyghtonus lectioni eorum authorum qui de rebus Anglicis ſcripſerunt, hoc conſilio, quòd præſtantius eſſe duxerit, hiſtoriam ſuæ gentis, qualicunq; editam ſtylo, pernoſcere, quàm alterius cuiuſuis remotæ nationis originem, ac fortia facta, uel ab ipſis Liuijs ſcripta. Sed poſteaquàm in incœpto pulchrè proceſsiſſet opere, uenit illi in mentem, ut recentiorum temporum res geſtas in ordinem redigeret. Itaq; multa ſelegit ex libris quos in conſiliũ uocauit: multa etiam priuatim ex illis, quorum domi militiæq́; res coluerat, experientia longa didicit, ac poſteritati tanquam per manus tradidit. Et ita ediſſe comperitur,

De geſtis Anglorum, Lib.1.

Non poſſum apertè affirmare, à quo tempore hiſtoriæ ſuæ initium ſumpſit. Mea tamen coniectura eſt, à Guilhelmo magno fuiſſe exortum, & uſq; ad imperium Ricardi ſecundi perduxiſſe hiſtoriam, ſub quo claruit. Ex Lelando hæc omnia.

IOANNES STOKES. XLIX.

IOannes Stokes, patria Sudouolgius, ex Sudberienſi clauſtro Dominicanus, in Cantabrigienſi gymnaſio, poſt ſtudia illis functionibus conſueta,

magnus Papisticæ ecclesiæ doctor elucebat. Ex æstuante ambitione is multa sibi arrogans, insaniebat circa quæstiones friuolas, & pugnas uerborum, ex quibus oriuntur contentiones & inuidiæ, ut habet ad Timotheum Paulus. Contra Carmelitas è magistrali cathedra cõtemptuose latrabat, eorum antiquitatem, titulum & confirmationem diris morsibus uellicans. Offendebatur potissimum, quòd se esse iactitarent Deiparę fratres: quo titulo & ipsi tunc gloriabantur, habẽtes in cœnobio Virginis simulachrum, quod, Satana potenter operante, mendacia signa faciebat ad lucrum. Vnde arrepto calamo tandem, quod prius uoci, tunc scriptis etiam cõmisit, scilicet Determinationes

Contra Carmelitas,	Lib.1. *Non potest ostendi iure aliquo.*
Ad rationes Hornebij,	Lib.1.

Cætera eius opuscula non uidi. Literatus iste uir erat (inquit Lelandus) sed quia parum candidè de Carmelitis sentiebat, Ioannes Cornutus, aliàs Hornebius, edito libello illum perstrinxit. Claruit anno Domini 1374, sub Edvuardo.

IOANNES HORNEBY. L.

IOannes Horneby, aliàs Hornebius, ad Botulphi fanum in Lincolniensi comitatu Carmelita, inter Cantabrigiensis academiæ magistros ac supremæ facultatis rabbinos non infimum quoq; locum habebat. Fuit illi magna (ut Lelandus loquitur) cum Ioanne Stokeso Dominicastro, cuius mentionem fecimus, cõtrouersia. Vulnerauerat hic Stokesus aculeato calamo sectam Carmeliticam, ita ut in albis eorum pallijs rubras notulas reliquisset. Non tulit tam insignem contumeliam Cornutus Hornebius: quin & exerto statim calamo aduersarium confodit, temerario stulto stultior ipse repertus. Victoriæ tamen triumphum in nugis assecutus, ad perpetuam tutelam & præsidium erga eiusmodi futuros aduersarios, duplex ab eius gymnasij præside Ioanne Dunvuico ac alijs magistris acquisiuit diploma: unum in rei gestæ memoriam, alterum in confirmationem ac stabilimentũ (res certè ridiculosa) prędictorum articulorum, antiquitatis, Papalis confirmationis, ac tituli. Sic ille symmistas suos à calumniatore tandem liberos fecit, edito magno opere sophisticis argutijs pleno, cui titulum adhibuit

Defensorium sui ordinis,	Lib.2. *Sanè dici potest & satis catholicè.*
Pro adepto triumpho,	Lib.1. *Datus est ei decor Carmeli, Esa.*
Pro introitu ad Sententias,	Lib.1.
Determinationes uarias,	Lib.1.
Ordinarias quæstiones,	Lib.1.
Sermones ad populum,	Lib.1.

Atq; eius farinæ alia nonnulla. Tales erant his temporibus, in rebus ineptissimis, magnorum theologorum digladiationes. In quibus nihil Christi erat, sed sola ingenij ostentatio ad quęstũ. Claruit Hornebius, anno ab incarnato Messia 1374, die 23. Februarij, quo finem habebat hæc lis.

APPENDIX.

Ex Ioannis Paleonydori lib.3.cap.13. *Hinc Carmelitæ post quatuor annos, ab Vrbano 6. Rom. Pontifice pecunijs obtinuerunt, ut quicunq; eos nominarent aut dicerent esse Mariæ fratres, pro qualibet uice haberent trium annorum indulgentias, ac totidem quadragenas: quum tamen nullibi legeretur, illos fuisse beatæ Virgini uel consanguinitate uel affinitate iunctos. In cõtemptum igitur huius indulti, quidam statim asseruerunt eos esse Aegyptiacæ meretricis Mariæ fratres, et hæretici sunt adiudicati. Idem Vrbanus primo Pontificatus anno, & 6. Calendas Octobris, eisdem concessit, quòd possent*

possent commutare uota (perpendite quæso) iniustaq; bona & incerta restitutionis loco recipere. Sic pater filios nutriebat ad furta.ut huius dicti participes essent, Psal. 49. Videbas furem, currebas cum eo, & cũ adulteris portionem tuam ponebas. Maledictus ille Antichristus, qui mendacia, fornicationes, & furta, cum omnibus carnis fructibus, in filijs suis cum summa benedictione & indulgentijs confirmat. Et ut peccata populi comedant ac bibant, sanctorum Petri et Pauli authoritate admittit. Ex Platina. Idem sanctissimus pater quinq; Cardinales saccis inuolutos aquis submersit, in odiũ Clementis: & iterum 29 Cardinales uno die creauit. Ex Volaterano et alijs. Prædecessor huius Vrbani, Gregorius 11, à mulieribus ecstaticis, Brigitta Sueuica atq; Caterina Senensi, persuasus, quæ super eo uisiones habuerant, anno Domini 1376, ab Auenione & Gallijs, Romam post 70 annos redijt. Vuicleuus, in Apocalypsim: Sub Vrbano sexto omnia Antichristi mysteria sunt reuelata. Et alibi: Cruciatæ Papalis procuratores & indulgentiarij, fratres scilicet Mendicantes, pseudoapostoli & mendaces probantur.

Appendix alia.

Gerardus Ridder in Lachryma ecclesiæ: Hoc tempore Minorita quidam in Germania prædicabat, Ioannem euangelistam Mariæ naturalem filium potius fuisse, quàm Iesum. quum hæc uerba in cruce, ex illius (scilicet Christi) ore processerint, qui mentiri nunquã potuit: Mulier ecce, filius tuus. Et ad Ioannem, Ecce mater tua. Munsterus: His diebus Bertholdus Schuuartz, monachus & chimistus, in Germania septentrionali, Sathanicum & perniciosissimum instrumentum bellicum, bombardã, excogitauit. Ecce quid poterat monachus ociosus, in cœnobio degens, et à dæmone edoctus? hoc tormẽti genus, quo innumera hominum millia occiduntur, Venetis in Italia primùm detulit, dum bella contra Genuenses gererent. Et ut de pijs aliquid dicatur: Ioannes Taulerus, Coloniensis, Dominicanus, diuinarum literarum scientissimus, Argentinensis concionator, docebat ecclesiam indigere graui quadam reformatione. Hic scripsit tractatum de uirtutibus. His etiam diebus, anno scilicet Domini 1375, obijt Ioannes Boccatius, qui plura in Romanã bestiam scripsit. Ex Tritemio: Ioannes Hildesheimensis, Vuestphalus, scripsit de monstris in ecclesia, de fonte uitæ, de Antichristo, & contra Iudæos. Ioannes Rusbrock, de ornatu spiritualium nuptiarum. Philippus Ferrarius, episcopus Pacensis, in regno Siciliæ olim prædicans, multos ab iniquitate conuertit. Sed quid Cardinalis fecerit, planè nescio. Henricus de Hassia, scripsit de Antichristo & schismate, de contemptu mundi, & contra fratrem Telesphorum, etc. Telesphorus de Cusentia, presbyter et eremita prope Thebas fuit, qui et scripsit de futuris tribulationibus, de statu ecclesiæ, et de præsentis tunc schismatis causa, cum explanatione in Apocalypsim S. Ioannis.

HENRICVS BEDERICVS. LI.

Henricus Bedericus, uel alio cognomine de Bury dictus, tanquã esset in eo Sudouolgij comitatus oppido natus, in Clarensi Augustinianorum fraterculorum cœnobio, ad claustralis uitæ methodum perpetuò obseruandum se uotis astrinxit. Huic ab ineunte ætate animus semper ad literas erat, ut habent eius sectæ scriptores: pro quibus obtinendis, præter Anglorum gymnasia celeberrima, exteras & ipse uisitauit terras. Parisijs enim Sorbonici statim doctoratus insignia, & in Anglia tum demum totius ordinis sui regimen, prouincialis præses suscepit. Ingenio acutissimus fuit, & ad declamandas è suggesto conciones, licet more Papistico, paratissimus. Reliquit ille ad nominis sui memoriam insigniorem,

Lecturam Sententiarum,	Lib. 4.
Quæstiones theologiæ,	Lib. 1.
Sermones de B. uirgine,	Lib. 1.
Sermones per annum,	Lib. 1.

Et alia id genus plura, quamuis nobis ignota. Istum Petrus Vicentinus, eorum ascribit Catalogo, qui Christiparam iudicant in originali peccato fuisse conceptam. Claruit anno à Christi natiuitate 1380, sub Ricardo secundo.

SIMON ALCOCK LII.

SImon Alcock, theologię magister, fœliciter in rebus philosophicis exercitatus (Lelandi uerba sunt) sublimiora magno aggressus est animo, uidelicet rerum diuinarum cōtemplationem. Qua parte, nec frustra elaborauit: parta tandem eximia industria, sacrosancta utriusq; Instrumenti cognitione. Fuerat longo antè tempore, atq; adeò tunc erat in maximo Longobardus (inter Papistas) sanè precio, sed hoc præcipuè munere, quòd rerum theologicarum sententias, ex ueteribus patrum scriptis collectas, in uolumen concinnè redegisset. Senserat Alcockus (inquit) difficultatē cum maiestate quadam operi coniunctam, quam ut posteritati aliquanto leuiorem facere t, commentariorum uice scripsit

Expositiones in easdem, Lib. 4.
De modo diuidendi thema, Lib. 1. *Circunstantiæ primò sunt consider.*
Conciones quoq; uarias, Lib. 1.

An his plura ediderit opuscula, cōpertum nō habeo. Hæc fecit (inquit Lelandus) ut obscuris lucem,, controuersię certitudinem, ac eadem opera, dubijs etiam fidem inferret. Et his temporibus claruisse putatur.

VTREDVS BOLTON. LIII.

VTredus Bolton, ex Transabrina gente (ut Lelandus habet) oriundus, togam Benedictinā, in Dunelmēsi monasterio, principe totius Cuthbertinæ ditionis loco, accepit. Cum qua etiam postea, per omnes cœnobiticæ professionis numeros, tam bene creuit, ut à socijs suis unicè diligeretur. Erat præterea in illo ingenij alacritas, promptitudo, fœlicitas, quæ illū, quicquid aut diceret aut faceret, mirificè commendauit. Accessit ad hæc animus literarum appetentissimus. His & similibus uirtutum scintillis, Abbatis sui erga se beneuolentiam prouocauit, à quo non leue munus consecutus est: nempe ut inter accolas Isidis uadi, seu Oxonij, bonis disciplinis liberius operam daret. Et ne quis ignoret, incidit in tempora, quæ docti uiri calamos abundè potuerunt exercere. Nam eo quo floruit tempore, Vuicleuus Papatum, monachismum, fratrismum, missationes, & alias Antichristi abominationes, fortissimis rationibus & scriptis, Christi uerbo firmatis, inuasit. Huic athleta magnanimus Vtredus, in multis se opposuit: licet in quibusdā ipsi acquieuerit, ac plenè consenserit. Ita ut à Dominicanis, saltem à Guilhelmo Iordano, sit hæreseos accusatus, & ex ecclesia ferè proscriptus. Composuit ergo, à tali sycophanta exasperatus,

Contra querelas fratrum, Lib. 1. *Pericula in falsis fratribus Paulus.*
Contra eorum mendicitatem, Lib. 1. *Vtrum paupertas mendicitatis sit à.*
De præcepto & dispensatione, Lib. 1. *Abbas supra regulam non est, cui.*
De perfectione religionis, Lib. 1.
De regia Christi dignitate, Lib. 1. *Videns esse planum, Dominum nostrum.*
Substantialia monachorum, Lib. 1. *Nouitio inquirenti, quare hæc duo.*
Pro monachis ueris, Lib. 1. *Abbas, prior, seu quiscunq; præsi.*
De uarietate professionum, Lib. 1.
Meditationes deuotas, Lib. 1. *Notandum, quòd meditationes sunt.*
De diligendis inimicis, Lib. 1. *Ad dilectionem inimicorum inuita.*
De regali ac sacerdotali officio, Lib. 1. *Sicut ex duobus, spiritu & corpore.*
De dotatione ecclesiæ, Lib. 1.
Contra impugnantes eandem, Lib. 1.
De sacramento altaris, Lib. 1.

De diuina prædestinatione,	Lib.1.
Contra blasphemos in Christum,	Lib.1.
De regia Christi dignitate,	Lib.1.
De esu & abstinentia carnium,	Lib.1.
De perfectione uiuendi,	Lib.1.
De non auferendis ecclesiæ bonis,	Lib.1.

Et alia plura concinnauit. Missus hic fuit inter alios, postremis annis Eduuardi tertij regis Angliæ, orator ad Gregorium 11 pontificem Rom. ut ei collationem sacerdotiorum Anglicanorum interdiceret. Claruit anno patefactæ gratiæ per Christum 1380, sub Ricardo secundo Anglorum rege.

GVILHELMVS IORDAN. LIIII.

GVilhelmus Iordan, Dominicastrorũ sectæ fraterculus, atq; in septentrione, ut apparet, oriundus, etsi non uirtute aliqua famosus, saltem rixis & garrulitatib. notus irrumpit in mediũ. Audaci fronte polluit inter magistros Oxonienses, multa ostẽtatione iactabũdus: & uelut alter Ismael, omnibus infestus erat, ab omnibusq; infestatus. Vuicleuum in scholis adoriebatur: at præter risum nihil inde reportabat domum. Quid fecerit Vtredo, Adamus Cisterciensis in epistola ad Simonem Cantuariẽsem archiepiscopum ostendit. Aduersarium (inquit) molestissimũ Vtredus habebat Guilhelmum Iordan, Prædicatorum ordinis doctorem, calumniatorẽ, qui eum ab Ecclesiæ unitate proscindere nitebatur. Sed minime claudicabat Vtredus, quem scientiæ claritas illustrabat, morum exornabat probitas, atq; ab annis iuuenilibus uenustabat conuersationis honestas. Hæc ille. Scripsit Iordanus

Contra positiones Vuicleui,	Lib.1.
Pro mendicitate, contra Vtredum,	Lib.1.
Quæstiones de conceptione,	Lib.1.

Cæterorum eius opusculorum nihil uidi. In materia cõceptionis Mariæ, Ioannes Marchileus Minoritarum minister, qui cum eo litigauerat, respondit, edito tandem libro. Claruit anno ab incarnatione Domini 1370, sub Ricardo secundo.

IOANNES HYLTON. LV.

IOannes Hylton, inter Minoritas uulnerato Francisco dicatos, ex communi professione locum habens, magnum eruditionis à suo labore literario sibi comparauit nomen. Vnde & Oxonij pileatus heros, & uenerabilis doctor effectus, pro tuendis terminariorum sui ordinis quæsturis, seu casealiorum fraterculorum mendicitate uulpina, aduersus prædictum Vtredum etiam permulta moliebatur. Non enim poterat Seraphicum hoc cucullatorum ac rasorum histrionum genus ferre, ut quisquam gentiũ contra apertissimas eorum insanias uel semel mutiret. Quod in ipsis eorum crepundijs pij aliquot uiri suboluerunt: quales erant Guilhelmus de S. Amore, Gerardus Sagarellus, Nicolaus Gallus, Guido Bonatus, & alij. Edidit hic insignis antagonista, contra dictum Vtredum, Dunelmensem monachum, sub titulis Determinationum solennium,

De paupertate fratrum,	Lib.1. *Articulus pertractandus sit iste.*
De statu Minorum,	Lib.1.
Ordinarias quæstiones,	Lib.1.

Feruntur & alia plura, sed tituli desunt, paruumq; obest. Per fratrum suorum paupertatem, impudentem atq; ociosam mendicitatem intelligit. Obijt anno salutis

humanæ 1376, Nordouici in suo claustro sepultus, Edvuardo tertio adhuc regnante.

IOANNES CLIPSTON. LVI.

IOannes Clipston, Notingamiẽsis cœnobij Carmelita, bonas literas tanto animi studio prosecutus est, ut maiori nemo facilè in tam cæca ætate potuerit. Notingamia oppidum est in mediterranea parte, natura & opere munitum, arcem habens insignem, in edito loco sitam. Præcipuas iste studiorum partes, ut pium decuit hominem, theologiæ non Sorbonicę, sed diuinæ illi consecrauit. In Cantabrigiensi academia sacrarũ meritò literarum professor, tam splẽdidè se gessit, tamq; ornatè orabat, uir inter tot schismata minimè litigiosus, ut ab omnibus commeruerit laudem. Hoc ab editis libris elici poterit, etsi nullus alius testis accedat. In ipsis nimirũ elucet facundia rara, & Latinæ linguæ eloquentia, eius ætatis hominibus parum consueta, imò penè incognita. Composuit enim Clipstonus,

Exempla scripturæ sacræ, Lib. 1. *Primus pontifex Aaron, charisma.*
Postillas in Ioannem, Lib. 1. *Iste liber est de æterna Christi.*
Expositorium Bibliorum, Lib. 1. *Partibus expositis textus noua.*
Quæstiones Sententiarum, Lib. 4. *De doctrina nostra theologica.*
Disceptiones scholasticas, Lib. 1. *Vtrum theologia sit scientia, &c.*
Sermones hyemales Lib. 1. *Ab Athenis ciuitate Græcorum.*
Sermones æstiuales, Lib. 1. *Non immeritò fratres hodierno die.*
Sermones per aduentum, Lib. 1. *Quoniam per hoc tempus spiritual.*
De sanctis per annum, Lib. 1. *Qui uerè & non falso confitetur.*
De communi sanctorum, Lib. 1. *Omni deuotione & solicitudine.*

Atq; in scripturas sacras, commentarios & lecturas fecit plures. Claruit anno à Seruatoris nostri natiuitate 1378, uaria componens, sub Ricardo secundo rege, dum uarij essent in Anglia tumultus: tandemq; in suo obijt cœnobio.

EDVVARDVS TERTIVS, REX. LVII.

EDvuardus Tertius, Anglorũ rex, Edvuardi secundi F. ex Isabella Philippi Pulchri Frãcorum regis filia, post annos pueriles, ad grauiora studia & mores, pectus confirmabat regium. Huic principi (inquit Polydorus) absq; cæteris naturæ dotibus, cumprimis formæ dignitas suffragabatur, ingenium prouidum, perspicax, ac mite. Nihil porrò non sapienter, non consideratè agebat. Homo permodestus & frugi: illos summè diligebat, honoribusq; ornabat, qui probitate, modestia, ac uitæ innocentia alios antecederent. Nam Ioannem Vuicleuum, eminentissimum eius ætatis theologum, atq; organum Dei aduersus impios, nõ est passus à malignis Antichristi ministris uiolenter opprimi. Sed illum sapiẽter audiebat, protegebat, fouebat. Eoq; in uiuis, Kyriandro teste, inter feroces & indomitos Samariæ tauros, tutus semper euasit. Authore autẽ Ioanne Vuicleuo, amisit tunc in Anglia Rom. pontifex, ut dictum est, creandorum episcoporum ius, & potestatem imperandi sacrorum prouentuum decimas ac Petri denarios. Decretumq; fuit, ut iudices ac procuratores causarum, non Normannicè deinceps, ut hactenus, sed Anglicè loquerentur, ad plebis suæ commodum, ne amplius haberẽt interprete opus. Sed hæc tam ægrè Polydorus tulit, ut pertinacem & infamem hæreticum, Vuicleuum uocaret: præcipuè quòd regi ante omnes, summum in cunctos ordinis præfectos, imperium & ius tribuerit. Militaris disciplinæ apprimè sciens erat, ut res ab eo gestæ testimonio sunt. Ioannem Gallorum & Dauidem Scotorũ reges unà captiuos habebat. Caletum atq;

Beruuicum in manu forti cæpit ac tenuit, à Ludouico Bauaro Rom. imperij Vicarius constitutus. Exarauit Eduuardus,

Leges populares,	Lib. 1.
Ad Simonem Cantuariensem,	Epi. 1. *Sedens in throno gloriæ, qui.*
Ad Papam & Cardinales,	Epi. 1. *Amabilium in Domino patrum.*
Ad Cardinales schismaticos,	Epi. 1. *Eduuardus Angliæ rex, et Dominus Hyber.*
Contra Nicolaum Hethum,	Epi. 1. *Ne fallax & sinistra relatio.*
De Scotorum subiectione,	Epi. 1. *Sanctißimo in Christo patri Do.*
Ad Benedictum 12,	Epi. 1. *Reuerenter ac deuotè recepimus.*
Ad Londinens. episcopū cōtra Catuar.	Epi. 1. *Auditis itaq; literis archiepiscopi.*
Ad Ludouicum Cæsarem,	Epi. 1. *Serenißimo principi Domino.*
Ad Clementem 6,	Epi. 1. *Sanctißimo in Christo patri.*
Commißionem nunciorum,	Epi. 1. *Vniuersis præsentes literas in.*
Contra Philippum Francorum regem,	Epi. 1. *Rex omnibus ad quos præsentes.*
Ad eundem Philippum,	Epi. 1. *Philippe de Valesio, literas.*
Immunitates magnæ chartæ,	Lib. 1.
Priuilegia Vuestmonasteriensia,	Lib. 1.
Ad prælatos & episcopos,	Epi. plures.

Et alia quædam. Liberalitatis & clementiæ exempla passim nō uulgaria edidit, ita ut unus omnium fermè regum inuentus sit, qui nullis uel leuibus deditus fuerit uitijs. Vixit annos 65, regnauit 51, ac tandem obijt anno salutis Christianæ 1377, apud Vuestmonasterium sepulturæ datus.

HENRICVS DANIEL. LVIII.

HEnricus Daniel, habitu ac professione Dominicanus, homo in secularibus scientijs doctus erat, præsertim in Philosophia naturali, ac speculatione Medica. Hic omnes uires ac potestates elementorum, radicum, herbarum, florum, fructuum, seminum, atq; omnium eorum quæ parens natura producit, se scire iactitabat. Et Hippocratem secutus, medendi artem ad causarum cognitionem, signorum notitiam, rerum qualitates, & corporum diuersas habitudines, gradusq; reuocare studuit: sciens hæc esse non infimā philosophiæ naturalis partem. Tandemq; scripsit ad Gualterū Ketene, suæ artis doctorem ac socium, opus medicinale, multis sudoribus collectum, quod uocabat,

Manipulum florum,	Lib. 1. *Amantißime socie, pluries &.*
De iudicijs urinarum,	Lib. 1.

At præter hæc nihil opusculorum eius uidi. Solebant pontificum constitutiones à medicādi arte clericos arcere. Floruit nihilominus hic noster Daniel, ea scientia clarus, anno à Christi natiuitate 1379, sub Ricardo secundo.

RADVLPHVS MARHAM. LIX.

RAdulphus Marham, Augustinianæ professionis magister, ea in literis diligentia est usus, ut suo Lynnensi in Nordouolgiæ comitatu cœnobio & ordini honorem dedisse potius quàm accepisse uideatur. Porrò in Cantabrigiensi liberalium artium gymnasio, doctorum scholasticorum ascriptus numero, taliter in sua functione se gesit, ut inde famam non mediocrem adeptus sit. Aliud habeo ad præsens nihil dicere, quàm quòd in omni doctrinarū genere per eos dies uersatus, præcipuè in historijs, ex multis earum authoribus collegit magnum & excellens opus à mundi initio usque ad sua tempora, in duobus uoluminibus. In cuius primi libri capitalibus uerborum literis, suum prodit nomen, quod est, ipsis literis inui-

cem copulatis, frater Radulphus Marham. Ipsiq; suo operi titulum præfixit, & uocauit

Manipulum chronicorum, Lib.7. *Fratribus religionis animo tenentibus.*
Indices amplos in eadem chron. Lib.2. *Aaron quando nascitur, & quare fecit.*
Conciones plures, Lib.1.

Et alia nonnulla. In prædicto equidem chronicorum Manipulo, uidere licet omnium rerum origines atq; incremẽta, regnorumq; initia ac mutationes, gentium mores & successus uarios. Claruisse fertur, anno Domini 1380, sub Ricardo secundo.

IOANNES MARCHELEY. LX.

IOannes Marcheley, ueluti signifer inter Chordigeros omnes (inquit Lelandus) alacerrimi iuxtà ac promptissimi erga uirtutẽ animi partes compleuit. Iamq; in prouincia sua, prima fungebatur authoritate, cum ecce ingens orta esset controuersia de conceptione D. uirginis Mariæ. Et Dominicani in hac lite, graui suspicione nõ carebant. Guilhelmus Iordanus, eius sectæ cultor, & erroris tum fautor, tum adiutor quoq;, iniquam modis omnibus solicitè promouebat causam. Non tulit Marchilæus, hostis in solentiam nimiam illam, effrenemq; & petulantem, quin ipsum tam disceptationibus quàm scriptis sit aggressus. Vnde aduersarium illum (inquit) confusum tandem & infamem in sua temeritate reddidit. In quem & neruosum opus uictor in lucem emisit,

Super Mariæ conceptione, Lib.1.
Quæstiones quoq;, Lib.1.

Atq; alia quædam edidit. Continua deinceps fuit hæc digladiatio inter Dominicastros & Minoritas, qui languẽtes erant circa quæstiones inutiles ac pugnas uerborum. Obijt Marchilæus anno Christi 1376, Eboraci sepultus sub Ricardo.

THOMAS BROME. LXI.

THomas Brome, uel Bromius, Londinẽsis urbis Carmelita, per omnes literarum gradus, ut Lelandus colligit, Oxonij conscendebat, donec ad lauream theologici nominis perueniret. Tum quoq; ut honorem meritò accepisse uideretur, publicè ibidem theologiam profitebatur, idq; cum auditorum, ut illa credidit ætas, non paruo fructu. Postea orbe studiorum suorum non infœliciter circinato, Londinum repetijt, ubi Carmelitarũ collegio præfuit: sed tam modestè, sapienter, et rectè, ut tandem pręses prouincialis sui ordinis, numero decimus nonus, anno Domini 1362 fuerit factus. Tantum ille. Et ut se Bromius Papistici cœlibatus cultorem atque curatorem insignem ostenderet, in omnibus suarum uisitationum ędibus, S. Ioanni Euangelistę, & D. Edvuardo regi, quos ea in re patriarchas usurpabat, ui treas imagines posuit: posterisq; demũ ille reliquit opuscula quæ sequunt,

Lecturam theologiæ, Lib.1. *Prior dedit illi, ad Romanos 11.*
Encomium scripturæ sacræ, Lib.1. *Doctorum fuerat consuetudo semper.*
In Paulum ad Romanos, Lib.1. *Cum secundum leges commodius censeatur.*
In præfationem Hieronymi, Lib.1. *Romani sunt in partibus Italiæ.*
Sermones de tempore, Lib.1. *Parit tristitiam, Ioan. 16. Circa.*
Quæstiones uarias, Lib.1.

Cæterarum eius lucubrationum nihil accepimus, cum tamẽ plures concinnauerit. Londini tandem post 17 sui regiminis annum in pace quieuit, anno

anno ab apparente in carne Dei filio 1380, in suo cœnobio sepultus, sub rege Ricardo.

IOANNES BRIDLYNGTON. LXII.

IOannes Bridlyngton, in Eboracensi patria natus, & Canonicorum regularium in ipso Bridlyngtonensi cœnobio præses, exercitationem literarum in primis familiarem iuxtà ac charam habuit. Cœlesti theologiæ cultor assiduus adhæsit, ita ut nihilominus tamē, & studia minus seuera opportunè aggrederetur. Inter quæ cōdendorum uersuum artem, illi seculo plausibilem & receptam habens, diuersi generis carmina ac rhythmos, recreandi animi sui gratia fabricare solebat. Nam inter quotidianos huius uitæ labores, incommoda sæpenumero & multa & magna pertulisse narratur. Ferunt etiam de eo, quòd ex frequenti & assidua diuinarum rerum contemplatione mirabiles habuerit uisiones. Sed hæc in medium ad præsens relinquo, cum suspecta semper habeam talia monachorum spectra. Scripsit uerò, ut doctrinæ aliquid posteris suis daret, poemate barbaro,

Carmina uaticinalia, Lib. 3. *Febribus infectus, requies fuerat.*
Vaticinales uersus, Lib. 1. *Taurus cornutus, ex primo germine.*
Homelias quoq; plures, Lib. 1.

An alia extent illius scripta, planè ignoro. Prophetiæ materia, regum mores tangit, populiq; petulantias, temeritates, luxurias, cupiditates, incōstantias, monetam, pestilentiam, famem, ac bella. Obijt anno Christi 1379, sexto idus Octobris, ætatis suæ 60, sanctorum catalogo tandem ascriptus.

GVILHELMVS THORNE. LXIII.

GVilhelmus Thorne, ad fanum Augustini monachus Benedictinus, in Cantiorum metropoli, ita suæ religioni operam dedit, ut in doctis tamen studijs multum temporis, idq; fœliciter, collocauerit. Qua una uirtute (sic habet Lelandus) quanquam & ille quidem multis alijs suspiciēdus sit, à me tantum in præsentia laudabitur. Cognoscite igitur (inquit) candidi lectores, eum tanta usum fuisse diligentia, in illustrandis sui cœnobij rebus, quo uix clarius aut antiquius ullum habet Brytannia nostra monumētum, ut res gestas abbatum eiusdem cœnobij, ab ouo ad annum Domini 1375, historia donauerit Sed hic non prætereundū censeo, quod in tam longo opere, authoritate Thomæ Spotti monachi eiusdem cœnobij, qui de eadē materia scripsit, usus sit. Non tamen eius uestigia usqueadeò curiosus presit, quin alia compendia subinde quærens, multa inuenerit, quæ Spottum, hominem non segnem, subterfugerant: multaq; egregia, quæ illo mortuo interuenerant, sacrosanctæ posteritati dedicauerit. Hæc ille. Composuit ergo Thornus,

Abbatum Cantuariensium res gestas, Lib. 1.
Regum Cantianorum facta, Lib. 1.

Apud historicos nostros, quòd plura quàm hæc ediderit, planè non inuenio. Claruit anno ab exorta pietate Christiana 1380, sub Anglorum rege Ricardo secundo. Et hæc sunt, quæ Lelandus de Thorno cognoscere nos uoluit.

APPENDIX.

Ioannes Funccius: Anno Domini 1378. post Gregorij undecimi mortem, exortū est ingens schisma. Nam Italici Cardinales Italum fecerunt Papam, Vrbanum 6 Neapolitanum: et Gallici Gallum, Clementem 7 elegerunt. Fueruntq; ex hoc tempore semper duo Papæ, unus Romæ, alter Auenioni (quæ Roma altera à multis dicebatur) donec in concilio Constantiæ hoc dissidium est sublatum.

Christianus Massæus: Et factum est schisma, quo nullum perniciosius, nullũ diuturnius unquã fuit. Durauit fermè 40 annis. Inueniebãtur etiam per orbem multi, qui neutrum susceperunt, seq; Neutrales appellabant, &c. Thomas Vualsingham, in continuatione Polychronici: Anno Domini 1384. Frater Ioannes Latymer Carmelita, theologiæ baccalaureus Oxoniensis, ad regem Ricardum ueniens, Ioannem Lancastriæ ducem proditionis uehementer accusabat. Qui statim per amicos ducis captus, & carceri mancipatus, per brachia suspendebatur. Et appenso ad eius genitalia plumbo non parui ponderis, atq; apposito ad utrumq; eius pedem igne, iussus erat sua dicta reuocare, seu palinodiã canere. Qui tamen id se unquam facturum pertinaciter negabat. Dicebãtq; illum ad id fuisse ab episcopis subornatum, quod Ducem nouissent Vuicleui cœptis fauisse. Ac demum in sua dementia persistens, in carcere decollatus fuit, nesciente rege. Robertus Gaguinus, lib. 9. Hugo Aubriotus, episcopus Parisiensis, his temporibus clerum odio prosequens, & dignitatem Eucharistiæ contemnens, (transubstantiationem negabat) hæreticus censetur. Christianus Massæus: Anno Domini 1387. erat Parisijs theologus, superbus & arrogans, (Dominicanus fortassis) qui multa aduersus Christiparæ uirginis puritatem (ex conceptione) garrulitate strepebat. Cui pontifex unà cum tota schola theologorum, silentium imposuit. Errorem quoq; solenni pompa damnauit.

ADAMVS MVREMVTHENSIS. LXIIII.

ADamus Muremuthensis, canonicus Paulinæ ecclesiæ, quæ Londini celeberrima est, res gestas apud Anglos suo tempore factas, multa diligentia memoriæ commẽdabat. Et, si quid erat (inquit Lelandus) de quo dubitabat, id à fidelissimis quibusq; uiris, ut clarius ac perfectius proponeret, didicit. Deinde ut erat candidissimo pectore, quod longo rerum usu in cumulum congesserat, publicum facere uoluit. Vidit in ecclesijs cathedralibus deesse Chronica: subinde etiã uidit pauca fuisse annotata ab anno Domini 1302, usq; ad annum 1380. Duplicem igitur historiam super illis annis edidit, cum accesione rerum in Rom. curia & in Gallijs cõtingentium. Sed ut ingenuè fatear, munus suum multo maiori fide quàm elegantia ornauit: quod planè uitium temporis potius quàm hominis fuit. Accipe nunc quæ noster congessit Adamus, uidelicet

Chronicon 40 annorum,	*Lib. 1. Quoniam ut scribitur per antiquos.*
Chronicon 60 annorum,	*Lib. 1.*

Plura, quàm hęc, non nouimus esse ab illo conscripta opuscula. Vnde primum eius incipiẽs ab anno Christi 1302, desinit in eius anno 1343: & alterum inchoans in anno Domini 1320, in anno 1380 finit: in quo ipse claruit sub Ricardo secundo.

SIMON BREDON. LXV.

SImon Bredon, aliàs Biridanus, patria Vuinchecombensis, astrologiæ Magister ac Doctor in medicinis, suo seculo inter literatos nomen laudesq; ex illustribus factis emeruit. In Oxoniensi academia, Martonẽsis collegij alumnus uel clarissimus, dum adhuc esset iuuenis, omnes liberales artes ex optimis authoribus, tanquam è uiuis exhausit fontibus. In primis tamen excoluit mathesin, & medendi cognitionẽ, utilissimam quidem illam: in quibus sic profecit, ut inde incrementum ad solidam gloriam magnum certè sibi comparauerit. Sed nunc restat, ut quid scripserit, ex uarijs authoribus in medium adferamus. Composuit quidem homo eruditus, ac cæteris in usum reliquit,

In Demonstrationes Almagesti,	*Lib. 2. Ascensiones æqualium portionum zod.*
In quædam capita Ptolemæi,	*Lib. 1. Nunc superest ostendere quid sit.*
Tabulas chordarum,	*Lib. 1. Arcus. sinus rectus, sinus uersus.*
Calculationes chordarum,	*Lib. 1. Ad alleuiationem laboris calculantium.*

De pro-

De proportionibus,	Lib.1.
Logicam quandam,	Lib.1. *Sicut dux sui exercitus, sic.*
In computum ecclesiasticum,	Lib.1. *Licet modò in fine temporum.*
Arithmeticam theoricam,	Lib.1. *Quantitatum alia continua, alia.*
De rebus astronomicis,	Lib.1.
Aequationes planetarum,	Lib.1.
De latitudine earundem,	Lib.1.
Trifolium de re Medica,	Lib.1.
Super introductorio Alcabitij,	Lib.1.
Astronomiam calculatoriam,	Lib.1.
Astronomiam iudiciariam,	Lib.1.
Super aliquot demonstrationibus,	Lib.1.

Atq; alia plura fecisse dicitur, quæ tamen è medio sunt sublata. Eius expositio in Computum ecclesiasticum Roberti Lincolniensis, opus accuratè elaboratũ, Oxonij adhuc comparet. Claruit anno Domini 1380, sub Ricardo secundo.

IOANNES TOMPSON. LXVI.

IOannes Tompson, in Nordouolgiæ comitatu, Tompsono oppidulo oriundus, inter Carmelitas Blakneyenses, seu Nigerianos, ut ego accepi (inquit Lelandus) educatus fuit, donec per ætatem licuit prodire, & ad altiora literarum studia contendere. Vt autem citò prodiret, facilè quidem faciebant tum eius erecta indoles, tum expedita ad Musas alacritas. Itaq; Oxoniensibus cõmendatus est, ne uirtutes quæ tam claræ elucebant, ex ocio nebulas contraherent. Tum ille, ut ad scopum, quò properabat, compendio perueniret, totos dies, menses, annos strenuè laborauit, tandemq; inter philosophos & primæ notæ theologos locũ obtinuit. Hæc ille. Dum hunc contemplor, planè obstupesco, quòd Vuicleui ac suorum sequacium tempore, sectarius & insignis declamator existens, nullos in suis concionibus, eruditis admodũ, sicut nec in alijs eius opusculis, hæreticos taxauerit, præter solos sacerdotes simoniacos. Abrahæ coniugium, Ioannis Baptistæ uirginitati parificabat, atq; alia illi ætati insolita docuit. Dedicauit quidem suo seculo Tompsonus, imò & nostro, hæc non spernenda literarũ monumenta, scilicet

Lecturam Sententiarum,	Lib.4.
Moralitates Scripturæ.	Lib.1. *Pulsatus fratrum instantijs, cogor.*
In Ecclesiasticum,	Lib.1. *Prout recitat beatus Augustinus.*
Lectionum locos communes,	Lib.1. *Abyssus quid sit, & cui compar.*
Postillationes in Ioannem,	Lib.1. *De uerbo specialiter est notandum.*
Directorium earundem,	Lib.1. *Abijcere temporalia quid sit.*
Moralium suorum indices,	Lib.1. *Abominatur Deus sex, scilicet.*
Sermones de tempore,	Lib.1. *Exurget regere gentes, Roma.*
Sermones de sanctis,	Lib.1. *Ego mater pulchræ dilectionis.*
Quadragesimale quoq;,	Lib.1. *Parce Domine populo tuo, &c.*
Conciones ad clerum,	Lib.1. *Benedicite sacerdotes Domini.*
Ex Rideuallo in Fulgentium,	Lib.1. *Abrahæ par erat coniugium.*
Ex Triuetho de transformatis,	Lib.1. *Abbas à monacho ueneno.*
De mirabilibus mundi,	Lib.1. *Lana terræ Abrahæ, quæ non.*
Abbreuiationes doctorum,	Lib. plures.

Et alia nonnulla, quæ nos latent. Hæc eius opera uidi in Nordouicensi bibliotheca pulcherrima sui ordinis. Claruit Tompsonus anno post Seruatorem na-

tum 1380, sub prædicto rege Ricardo uaria componens ac scribens.

THOMAS VVINTERTON. LXVII.

THomas Vuinterton, in Lyncolniensi patria natus, atque inter Stanfordiensis collegij Augustinianos in literis enutritus, ex illo theologorum numero, qui Isiacis seu Oxoniensibus in scholis, quæstiones subtilius agitabant, non minimus fuisse dicitur. Ille enim philosophus ac theologus non uulgaris, doctrinę suæ eminentia obtinuit non solùm supremi ordinis in eo gymnasio magisterium, sed et per uniuersam Angliam, prouincialem totius suæ familiæ præfecturam. Ioanni Vuicleuo synchronus seu contemporaneus fuit, & ab adolescentia in omni studiorum genere familiaris. At cum uidisset ritus Papisticos, illius dogmatibus nouis pessum ire, & panis transubstantiationem Missę auferri, imò damnari: censuit, seposita ueteri amicitia, fortissimis rationibus statim ei esse occurrendũ. Arrepto igitur calamo, contra Vuicleuum scripsit,

Super eucharistiæ assertione,	Lib. 1.
Contra confessionem Vuicleui,	Lib. 1. *Sicut testante Apostolo, ad Roma.*
Disputationes theologiæ,	Lib. 1.
Sermones per annum,	Lib. 1.

Aliaq; edidit. In opere contra Vuicleui confessionem, decem habet conclusiones, decem persuasiones, & decem cõtradictiones, omnino sophisticas. Sed cecidit in foribus iusti, & Dominus excæcauit illum. Claruit anno Christi 1382, sub Ricardo.

GVILHELMVS PACKINGTON. LXVIII.

GVilhelmus Packington, scriba & à thesauris Edvuardo Nigello principi incomparabili, ac primogenito Edvuardi tertij, Vuindesorani dicti, ob insignem in historijs laborẽ, inter illustres suę patriæ scriptores meritò collocandus accedit. Tantus erat illi discendi appetitus, ac tanta rerum sciendarum sitis, ut gustatis artium rudimentis primis, sociorum plures ætate maiores, breui temporis curriculo doctrina superauerit. Vidensque demũ rerum gestarum cognitionem multis posse prodesse, & adferre utilitatem non modicam, ad id prudenter animum applicauit. Et oculatissimus omniũ eius rerum gestarum testis, aggressus est magno facta maxima animo Domini sui percelebrare, & publica orbi ostẽdere. Agebat uitam id temporis bellicosus princeps inter Vascones, & studium Guilhelmo de scribenda historia uehementer indies accreuit. Vnde correpto alacriter calamo, splendori principis consulens, in lingua Gallica sibi familiarissima conscripsit,

Historiam eius insignem,	Lib. 1.
Acta quinq; regum,	Lib. 1.

Et hoc tanquam luculẽtum auctarium fecit, ut præfigeret illustria quæque à nono imperij Ioannis regis anno, usque ad sui temporis progressum. Quibus operibus & diligentiã expressit incredibilem, & fidem historiographo dignissimam. Hæc Lelandus. Claruit anno Domini 1380, sub Ricardo.

GALFRIDVS HYNGHAM. LXIX.

GAlfridus Hyngham, legisperitus, pensata eius in utroque iure eminenti eruditione, uenit non à nostro illustrium scriptorum Catalogo omnino reijciendus. Polluit ille tam multiplici bonarum literarum notitia, ac naturali quadam in agendis prudentia, ut celebre per totam Angliam, etiam inter peritiores suæ artis magistros, obtinuerit nomen. Et licet eius doctrina seu iuris scientia, quę scire se iactitat inter uerum & falsum, æquum & iniquum

quum discernere, non sit omni ex parte iusta, est nihilominus arte ac nō mediocri ingenio referta. Errauerūt autem penè omnes, qui tenebrosis his seculis extiterunt, ex diuinæ ueritatis ignoratione. Interim tamen scriptis protulit,

Summam legis ciuilis, Lib.1. *Notandum quòd quinq; sunt essentia.*
Super actione uendentis, Lib.1. *Lex quidem tribuit, sed nota per.*
De hæreditario iure, Lib.1.

Aliaq; plura congessit. Atq; non dubito, quin & iste, suorum more sodalium, satis nouerit, per ambiguas expositiones, bene ordinatas leges ad sua figmenta adaptare. Claruisse uerò his temporibus fertur.

IOANNES BOTLESHAM. LXX.

IOannes Botlesham, Cantabrigiensis comitatus alumnus, Dominicanorum fratrum professus institutum, ab oppidulo in quo natus fuit, quinq; milliarijs à Cantabrigia disito, cognomentū accepit. Flagrātissimo ille doctæ cognitionis incalescēs ardore, cum adhuc adolesceret, scholas eius seculi celebratissimas excoluit, & maximè Cantabrigiā, suæ natiuitatis loco propinquam. Susceptoq; inibi processu temporis, magisterio theologico, fuit apud omnes, politæ linguæ nomine, in precio planè maximo: præcipuè apud regem Ricardū, eius nominis secundū, qui illum episcopatu primùm Landauensi, postea Roffensi donauit. Fuit quidem concionator per eam ætatem insignis, & scripsit,

Sermones ante regem factos, Lib.1.
Disputationes scholasticas, Lib.1.

Sunt & alia ab eius sectæ scriptoribus numerata, quæ tamen ipse non uidi. Claruit anno à ueri Mesiæ aduentu in carnem 1388, sub prædicto Ricardo Anglorū rege, ut refert Thomas Vualsingham, in continuatione Polychronici.

GVILHELMVS BADBY. LXXI.

GVilhelmus Badby, uir suo seculo non contemnendę eruditionis: Carmelitas, quorum sectę theologus erat, celebres laudatores habuit, inprimis Robertum Iuorium in prouinciæ registro. Ingeniosus iuuenis tam impense uirtuti ac doctis artibus studebat, ut sui collegij socios omnes longè superauerit. Inde Oxonium petēs, sacræ scripturæ cognitioni summam impendit operam. Ex quo labore, supremo theologorum choro in eadem academia, tanquam lucidum ornamentum accesit. Hinc illum, ex declamationibus sacris, Ioannes dux Lancastriæ in patrem, & clerus Vuigorniensis in pastorem, adoptabant. Iste ad episcopatum, ille ad confesionem, ut uocant, seu conscientiæ secreta discutienda. Vnde exarauit Guilhelmus,

De pœnitentia, Lib.1. *Omnis ætas hominis ab adolescentia.*
Constitutiones quasdam, Lib.1. *Secundum hortationem psalmistæ.*
Conciones celebres, Lib.1.

Præter hæc, nihil opusculorum eius extare noui. Claruit anno à Christi natiuitate 1380, sub Anglorum rege Ricardo secundo. Et postquam esset in episcopum Vuigorniensem electus, non diu superfuit, sed inter suos obijt.

GVILHELMVS FOLVYLE. LXXII.

GVilhelmus Foluyle, ex eo monachorum genere fuit, qui sub Francisco Asisinate histrionicè militāt, ac Minores dici gloriantur: cum sint post Dominicanos, Mendicantium fraterculorum arrogātissimi. Ille post prima rudimenta literarum, relicto solo natali, patria scilicet Lincolniensi, Cantabrigiense gymnasium adijt. Vbi ingeniosus sophista, theologorum

tandem ascriptus numero, circa res futiles & obscoenas, cum ipsis è cathedra dimicauit. Ediderant statutum Cantabrigiani (non dicenda fortassis nouerant) ne Mendicātium ordinum fratres, pueros ante 18 ætatis annum, deinceps apud illos ad eorum sectas admitterent. Quo statuto offensus inter alios Foluilus, aculeata spicula in eos emisit. Nouerat enim ex libro Conformitatum sui Francisci, Agnellum Pisanum, primum sui ordinis in Anglia prouincialem ministrum, Gregorij 9 Pontificis Rom. priuilegio, pueros suscepisse ad ordinem. Qui etiam Agnellus eodem tempore 10 libras sterlingorum ad curiam miserat, pro emendis Decretalibus, ut in eis studerent fratres, &c. Scripsit propterea Foluilus, contra Cantabrigiensium magistrorum statutum,

Pro pueris induendis, Lib. 1. *Hæc est sententia fratrum Minorum Ang.*

Amplius nihil ab illo editum uidi. Simile quiddam postea fecit Stephanus Patringtonus, Carmelita, ad Thomam Arundelum archiepiscopum Cantuariensem, contra porrectum Parliamento statutum, ne iuuenes reciperentur in sectas ante 21 ætatis annum. Obijt Foluilus anno Domini 1384, Stanfordiæ sepultus.

IOANNES BOROVGH. LXXIII.

IOannes Borough, seu de Burgo dictus, rector ecclesiæ de Collingham, in Notingamiensi comitatu, uir celebris uitæ atque eruditionis, assidua diuinæ scripturæ animum in primis pascebat lectione. Senserat ex eo labore fructum quidem magnum: quo ne solus perfrueretur, latè fœlicia sparsit semina, frequenti ad populum habita concione. Cantabrigiam postea uocatus, unde prius supremi gradus magisterium sumpserat, communi suffragio Academiæ cancellarius fiebat. Quantus autē hic fuerit in philosophia ac theologia scholastica, quantaque cura (ut ea ferebant secula) stylum assiduè expoliuerit, ipsa per se res multo clarius indicat, quàm ut nostræ orationis authoramento egeat ullo. Quare ad librorum nomina me uertam. Composuit namque de sacramentis ac sacramentalibus, opus quoddam, cui pro titulo addidit,

Pupillam oculi, Lib. 10. *Humanæ conditio naturæ, iam sen.*
Homelias quoq;, Lib. 1.

Extant & alia eius opuscula, sed mihi nondum cognita. Floruit anno à diuini Verbi incarnatione 1386, Ricardo secundo regnante. Et demum ad suam reuersus ecclesiam, dicitur in senectute bona illic obijsse mortem.

GVILHELMVS SLADE. LXXIIII.

GVilhelmus Slade, Bernardinæ seu Cisterciensis sectæ imitator strenuus, uitam solitariam duxit inter monachos Bucfastensis cœnobij, quod in Deuonia positum est, & Derento flumine alluitur. Excoluit (sic habet Lelandus) expeditum, acre, ac uiuidum eius ingenium, spinosos sophistarum agros, qui ægrè suis cultoribus iustum fructum promittunt. Recepit nihilominus ab illa cultura messem, & à messe prouentus cumulum. At ne solicitus labor suam frugem desideraret, pro fructu honorem messuit, quo tempore à suis in abbatem, non alio certè quam literarum calculo, electus est. Solus erat, qui cœnobium illud tam ex ædificijs quàm ex libris editis illustrauit. Scripsit enim,

Super uniuersalia, Lib. 1.
Quæstiones de anima, Lib. 1.
Quæstiones Ethicorum, Lib. 10. *Memoratio et reminiscibilis.*

B

In Physica Aristotelis,	Lib. 8.
Super Sententias,	Lib. 4.
Moralium flosculos,	Lib. 1.

Quòd alia præter hæc ediderit, certe non inuenio. Oxonij in Magdalenensi collegio, habentur eius quæstiones in Ethica Aristotelis, stylo barbaro exaratæ. Claruit anno à nostræ salutis origine 1380, sub Ricardo secundo.

IOANNES THORESBIVS. LXXV.

IOannes Thoresbius, claræ famæ theologus olim fuit, & utriusque iuris peritissimus: sed à nostris scriptoribus adeò non celebratus, ut rarò eius nominis meminerint. Solus Ioannes Baconthorpius, illi, dum esset summus Angliæ cancellarius, suos in Aristotelis Ethica cōmentarios dedicauit. Oxonij enim iuuenis studuit, & magnam meritò gratiam apud Eduuardum regem, eius nominis tertium, eruditionis titulo inuenit. Hic uerò dum esset archiepiscopus Eboracensis, & D. Sabinæ, sub Vrbano quinto Rom. pontifice, presbyter Cardinalis, cum ordinibus Mendicantium litem habuit. Nam aliqui eorum in sua ditione, eo tunc absente, prædicauerant, mortuaria non esse sacerdotibus aut æditius tribuenda. Et ad id inuitati ac concitati fuerunt à quibusdam primoribus, qui talia soluere iure debebant. Vnde aduersus fraterculos illos procaces, scripsit

Processum quendam,	Lib. 1. *Pridem sanctissimus in Christo pater.*
Pro docendis laicis,	*Lib. 1. Attendite popule meus legem meam.*
Ad ecclesiarum pastores,	Lib. 1.

Et alia quædam edidit. Alterum opusculum, de uulgi institutione, Dominicam orationem, articulos fidei, ac decalogum, more catechismi in Anglico sermone docet. Obijsse fertur Eboraci, anno nati Servatoris 1374. archiepiscopatus sui 26, sub Eduvardo tertio.

APPENDIX.

Ioannes Funccius: *Anno Christi 1390, Vrbanus sextus Rom. Pontifex annū Iubileum indixit, cum maximum ex eo Romanis esse lucrum præsentiret. Annatas quoque, ut uocant, hoc est uectigal prædiorum sacerdotalium instituit, parandi auxilij colore aduersus infideles. Huic institutioni Anglici aduersantes, cōcilio cōgregato, Papæ ius ultra Oceani limites abiudicarūt, Præsules tamē postea (filij naturales) id uectigal dare, in se receperunt. Parum ante Ioannes Vuicleuus in Anglia Papatū falsitatis conuicit. Cui Dominus satanicam Antichristi tyrannidem, anno Domini 1382 reuelauit, factaque sunt tonitrua miranda. Vualdenus in Fasciculo Zizaniorū: Anno Domini 1382, Ioānes Balius sacerdos, ob Euangelij prædicationem, per Simonē Cantuariensem archiepiscopum et Guilhelmum Londinensem episcopum, Londini incarceratus, à cōmuni plebe liberabatur à uinculis, interfecto archiepiscopo cum duobus alijs sacerdotum principibus. Deinceps per Angliam peragratus, & uaticinia edens, per Robertum Treuilianum Couentriæ captus, adiudicatur crudeli suspendio ac membrorum partitioni ad fanum Albani. Moxque idem Treuilianus, summus iusticiarius, eadem pertulit Tiburno, cōmuni suppliciorum loco, suspensus, iusta Dei retaliatione. Ioannes Lelandus: Audita Simonis Cantuariensis archiepiscopi morte, Ioannes Vuicleuus Oxonium reliquit, & quendam Guilhelmum Suuinderby à se edoctum, concionatorem Leycestriæ ordinauit. Qui aliquandiu à plebe defensus, ibidem prædicauit, inuito episcopo Ioanne Lincolniensi. Sed postea concionator hæreseos incusatus per Thomam Blackston Dominicanum, Ioannem Hyckeley Augustinianū, & Rogerum Frisby Franciscanum, iudicio stetit, ac palinodiam compulsus cecinit. Veruntamen aliquanto robustior in affirmatione diuinæ ueritatis demum, anno Domini 1401, factus, incendij supplicijs succubuit, & in Sumitfeldensi circo multis spectantibus exustus est.*

GVILHELMVS COCKISFORDE. LXXVI.

GVilhelmus Cockisforde, ex Nordouolgię comitatu Carmelita Lynnensis, Cantabrigiæ studuit: ac theologici nominis dignitatem, post studiorum suorum labores, in eadem academia suscepit, ut Lelandus ipse indicat. A' Ioanne Tritemio, in utroq; suo Catalogo, & de scriptoribus ecclesiæ, & de huius sectæ uiris illustribus, etiam dicitur, quod fuerit in scripturis diuinis uir eruditissimus, ac secularis philosophiæ cultor egregius. Sed quod consortium (inquit Paulus) iusticię est cum improbitate? Quæ Christi cum Beliale concordia? Sapientia diuina humanis inuentis nō eget. Absit ergo ut nos putemus, sine literatura ethnica, mancā esse ueritatis doctrinam. Absq; omni Platone aut Aristotele, ad summum theologię fastigium uiam patêre, per unicum Dei filium IESVM certissimè scimus. Sed nunc ad Cockisfordium redeamus. Composuit ille,

Lecturam theologiæ,	Lib. 4.
In canticum Moysi,	Lib. 1. *Cantemus* Domino, *gloriose enim.*
Sermones de tempore,	Lib. 1. *Tota pulchra es amica mea.*
Sermones de sanctis,	Lib. 1.
Postillas scripturarum,	Lib. 1.

Non alia quàm ista commemorant, suę sectę scriptores, Grossius, Faber, & Hasartus. Claruit Cantabrigiæ, ex publicis lecturis famigeratus, anno salutis nostræ 1380, sub Ricardo secundo. Et Lynnæ tandem inter suos est sepultus.

THOMAS ASHEBVRNE. LXXVII.

THomas Asheburne, in Staffordiensi comitatu, qui ad Vualliam, occidentemq; solē, teste Polydoro, spectat, ex oppido ac cœnobio eiusdē nominis Augustinianus eruditus prodijt. Post longa diuersarum literarum studia, Oxonij theologorum ascriptus ille numero, quàmplura aduersus electum Dei organum, Ioannem Vuicleuum, tentabat. Infœliciter tamen, & ad nō modicam sui nominis infamiam, à uerbi diuini maiestate oppressus. Postea nihilominus, dum semel esset Londini, & Petrum Pateshull sui ordinis theologum, pro Vuicleuo concionantē, quidam fratres uellent uiolenti manu in monasterium pertrahere, essetq; tunc ingens commotio ciuium: singulari modestia æstuantem eorū compescuit furorem, ac humilibus effecit lachrymis, ne cœnobium protinus combureretur. Hæc in suo chronico fusè narrat Thomas Vualsingamus. Scripsit suo tempore Asheburnus,

Contra trialogum Vuicleui,	Lib. 1.
De identitate in sacramento,	Lib. 1.
Extractiones ab Augustino,	Lib. 1. *Magnus Dominus & laudabilis.*
Quæstiones ordinarias,	Lib. 1.
Replicationum suarum,	Lib. 1.
Lecturas & sermones,	Lib. 2.

Aliorum eius operum nulla fit apud eius sectæ scriptores mentio. Claruit in quadam Pharisæorū nostrorum synodo, in qua damnatus est pijssimus Vuicleuus per 10 episcopos, 44 theologos, ac 20 iuristas, anno Domini 1382, ut Vualdenus habet.

IOANNES ASTONVS. LXXVIII.

IOannes Astonus, artiū professione Oxonij donatus, spretis maledictis Antichristi dogmatibus, puram Euangelij doctrinā, primus in Christo Vuicleui constans discipulus, non simulatè apprehendit. Homo iste elegāter doctus

ter doctus ac pius, ob liberam ueritatis assertionem, in synodo præfata anno Domi 1382, Antichristi synagogæ seu clero papistico præsentatus erat: ac super 24 articulis, quos piè docuerat, hæreseos accusatus. Et quoniam affirmare nolebat substantiæ transmutationem in pane eucharistico, uel esse sine subiecto accidens, ad perpetuos carceres 19 die Iulij, ad Albani fanum eum damnabant. Non enim curabat ille, senatui raso & uncto respondere simpliciter & categoricè, secundum traditiones Romanas: sed iuxta regulas Scripturarum, quas non nouerat Papistica sanctitas. Edidisse fertur Astonus,

Contra usurpationes cleri, Lib. 1.
De recto usu sacramenti, Lib. 1.
Rationem suæ fidei, Lib. 1. *Ego Ioannes Aston presbyter.*
Contra mendicitatem ociosam Lib. 1.
Ad uulgum conciones, Lib. 1.

Hos solos reperi, suorum operum titulos. Quotidianis lachrymis in carcere defleuit uir sanctus damnabilem Christianæ plebis per Antichristos illos excæcationem, ad mortem usque: & illic demum in ueritatis confessione extinctus creditur.

CASTERTONVS MONACHVS. LXXIX.

CAstertonus, monachus Nordouicensis, à loco natali apud Icenos famosissimo (sic habet Lelandus) hoc nomen accepit, id quod non solum eius sectæ cœnobitis, sed & monachis ferè omnibus uel familiare fuit. Iurauit Ventæ Icenorũ, seu Nordouici, in Benedictinas sanctiones: quo in loco (inquit) templum Trinitati sacrum, celeberrimum est. Theologiæ noctes atque dies incubuit, cœnobiumque suum alioqui clarum, bonarũ artium cognitione clarius reddidit. Nam & hoc suo labore inclyto, hunc fructum peperit, conducibilem atque utilem multis, ut illustres commentarios in aliquot diuinarum scripturarum libros, illustris author scriberet. Et has ille ingenij sui fœturas posteris demum reliquit, scilicet

Super Apocalypsim Ioannis, Lib. 1. *Posuit castra in medio.*
In aliquot epistolas Pauli. Lib. plures.

Atque alia edidit multa, quæ in bibliotheca eius cœnobij olim religiose seruabantur. Claruisse autem his temporibus fertur à suis symmistis, Ricardo secundo regnante, atque in eo cœnobio mortalium consuetudini ualedixisse tandem.

NICOLAVS RADCLYF. LXXX.

NIcolaus Radclyf, fani Albanensis, cœnobij celeberrimi monachus, noctes atque dies libris incumbebat, reputans *secum omne tempus funditus* perire, quod *studio non impartiretur* aliquo. *Ex qua longè honestissima industrij animi opinione, hinc uoluptas, illinc secuta est utilitas*. Bona sunt hæc Lelandi uerba, *sed absque spirituum* discretione. Nam cum uidisset Radclifus, eius loci tunc archidiaconus, non *perfidum, ut ipse habet, sed* purum ac perfectum Vuicleui de *Eucharistiæ* sacramento dogma prodijsse in lucem, *non putabat* satis esse, si sibijpsi malè saperet, *nisi & alios etiam omnes* perfidis ænigmatib. demetaret. *Quo conatu maligno*, dialogos quosdam *adulteratæ ueritatis testes*, edidit. In quibus *Nicolaum & Petrum*, interlocutores fecit: quos in *diuersis opusculis* Vuicleuus canes, nigrum atque album uocat: quòd Nicolaus iste niger esset monachus, & alter Petrus lacteus esset Carmelita. Cui operi speciosum addidit titulum, uidelicet

Viaticum animæ salubre, Lib. 2. *Cum tortuosus & callidus ille serp.*

Super

Super imaginum cultu,	*Lib. 1. Vtrum sit licitum Christiano, imag.*
Quæstiones quoq; uarias,	*Lib. 1.*

Et eius farinæ alia nonnulla. Claruit eius loci archidiaconus, sub episcopo Londinensi, anno Salutis humanæ 1390, regnante in Anglia Ricardo secundo, frequenti declamatione Vuicleuum damnans, & in cœnobio demũ obijt.

PETRVS STOKES. LXXXI.

PEtrus Stokes, ex Hartfordiæ comitatu, Huchinensis Carmelita, tanto apud Oxoniẽses (Lelando teste) eruditionis & ingenij nomine in honore fuit, ut proximum à supremo Academiæ præside magistratũ gesserit. Factus ergo à summo regni metropolite commissarius, seu Papistarum antesignanus, ac triarius pseudosacerdotum miles, tanquam uulpes dolosa, uineam Domini exercituũ, à Ioanne Vuicleuo & eius discipulis tunc denuò rigatam, demoliri tentabat. Et instar Sauli ferocientis, authoritate armatus regia, simulq; Guilhelmi Curtenæi Cantuariensis archiepiscopi diplomate fulcitus, anno Domini 1382, fallaciarum artifex, Oxonium uenit argumentaturus, & hæreseos eos damnaturus. Non mediocriter enim eius sunt experti tyrannidem, Philippus Repingtonus, Nicolaus Herfordius, Ioannes Astonus, Laurentius Redmannus, & alij pij theologi, plerunq; tamen non sine uitæ ipsius summo periculo. Composuit inter cætera Petrus, ad prædictum archiepiscopum,

Contra Vuicleui articulos,	*Lib. 1. Pater in Christo reuerendissime.*
Ordinarias quæstiones,	*Lib. 1. Vtrum uoluntas recta ratione,*
Præconia scripturæ sacræ,	*Lib. 1. Adiuua me, & saluus ero, &c.*
Lecturam Sententiarum,	*Lib. 4.*
Conclusiones 54,	*Lib. 1. Nunquid præter diuinum adiutorium.*
Collationes uarias,	*Lib. 1. Pax uobis, Ioannis 21. Chariss.*
Lecturas scholasticas,	*Lib. 1. Liber quem præ manibus habemus.*
Replicationes lectionum,	*Lib. 1.*
Commentarios Bibliorum,	*Lib. 1.*
Contra Philippum Repingtonum,	*Lib. 1.*
Contra Nicolaum Herfordium,	*Lib. 1.*
De superioritate cleri,	*Lib. 1.*
Defensorium Occani,	*Lib. 1.*

In summa, multa alia scripsit, quæ seculo sophistico ualde placuerunt. Tandem exuto magistratu, Huchinum reuersus est, ubi diem clausit extremum 28 die Iulij, anno Christi 1399, regnante Ricardo secundo. Hic ille fuit, quem canẽ album Vuicleuus uocabat.

IOANNES VVELLYS. LXXXII.

IOannes Vuellys, Ramesiensis cœnobij, quod à diuitijs cognomen accepit, monachus, nunc inter scriptores nostros locum sibi designari poscit non infimum. Exhaustis ille primùm ex communi religionis hoste Aristotele, profanorum dogmatum poculis, theologistici doctoratus fastigiũ Oxonij è magistrorũ manibus suscepit. Inde ut cedrus Libani altè superbiẽs, contempto humili Dei uerbo, sublimiter gloriabatur in uerbis mendacij, pijssimos ueritatis assertores ferocibus odijs insectando. Nam & hic quoque tanquam canis rabidus, friuolis argutijs uehementer in Vuicleuum latrabat, & quosdam ex suis sectatoribus iniquo dente lethaliter mordebat. Plura ipse protulit aculeata scripta, è quibus reperi,

De socij sui ingratudine,	*Lib. 1. Salutem quam meretur, aut.*

Epistolas

Epistolas ad diuersos,	Lib.1.
Pro religione priuata,	Lib.1.
Super cleri pærogatiua,	Lib.1.
Super Eucharistiæ negotio,	Lib.1.
Contra Nicolaum Herfordium,	Lib.1.

Pluraq; alia cum prædictis Nicolao & Petro in eos inaniter blaterabat, credens in solo monachatu Papistico esse Christianæ uitæ perfectionem. Claruit ex primis Vuicleui damnatoribus unus, anno incarnati Mesiæ 1382, regnante Ricardo.

SIMON SOTHRAY. LXXXIII.

SImon Sothray, in pingui Benedictinorum cucullionum collegio ad Albani fanum, monachus bene pastus, post subtilia paganorū studia, theologici nominis rabbinatum, Oxonij inter magistros acquisiuit. Ore rabido sæuiebat & hic canis atrox, pro tuenda sui Antichristi superbia aduersus Christum pauperem, in Ioannem Vuicleuum Euangelicæ doctrinæ restauratorem fidelissimum, perfortiter latrans. Arguebat nimirum ille ex magistro ac præceptore primo Aristotele, magnæ meretricis etiā inebriatus poculo, immaculatam filij Dei legem ad hominum salutem non sufficere, sine superadditis Romani Pharaonis decretis atq; decretalibus. Et ex eius tandem dissipatis, ac sine aqua salutari uacuis cisternis, produxit,

Super ecclesiæ authoritate,	Lib.1.
De sacramento altaris,	Lib.1.
Contra Vuicleuistas,	Lib.1.

Et alia quædam eius farinæ. Istum sequebantur & alij, tam eius quàm aliarum sectarum monachi, talem uim habentes, qualem habent terræ scorpiones, Apoc.9. Claruit Simon, anno ab apparente in carne Dei filio 1382, sub Ricardo secundo.

GVILHELMVS HEYTVSBERY. LXXXIIII.

GVilhelmus Heytusbery, artium candidatus, teste in Scotorum gestis Ioanne Maiore Hadyntonensi, libro primo, cap.5. dialecticus exercitatissimus ab Oxonio primùm prodijt. Contentiosus iste palpabilium tenebrarum artifex, syllogisando per demonstrationes sophisticas, omnes alias scientias obscuriores atq; cognitu difficiliores multo reddidit. Tartarei putei fumum his ille obscuritatibus nutriuit, ex quo nunc prodierunt locustæ, prioribus formidabiliores : magistri uidelicet nostri, ex omni monachorum ac pseudosacerdotum genere, artistæ, theologistæ, iuristæ. Et hi, sole iustitię Christo Domino, per exhalationes suas sophisticas obscurato, ueritati se fortiter opposuerunt, ut inde per mortiferæ carnis sapientiam, æternæ perditionis uiam multis aperirent. Exarauit hic tenebrio,

Sophismata subtilissima,	Lib. 1. *Omnis homo est omnis homo.*
Regulas consequentiarum,	Lib.1. *Consequentia est antecedens & conse.*
De sensu composito,	Lib.1. *Arguendo à sensu composito ad.*
Dialecticam quandam,	Lib.1. *Scire multis modis accipitur.*
Conclusiones sophisticas,	Lib.1. *Tu es asinus, probatio istius.*
De prædicamentis,	Lib.3. *Tria sunt antepraedicamenta uel.*
Regulas Grammaticales,	Lib.1.

Et consimiles perfidi ingenij fæces. De eius Dialectica mentionem facit Ioānes Ludouicus Viues in opere suo de Corruptis artibus. Claruisse præterea fertur anno à Seruatoris nostri natiuitate 1380, sub Ricardo secundo.

IOANNES ASHVVARBY. LXXXV.

IOannes Ashvuarby, Oxonij ab adolescẽtia, tum doctis artibus tum pietati, insolito quodã animi ardore noctes atq; dies inuigilauit. Hinc theologiæ magister disertus & doctus, atque in ecclesia eiusdem academiæ, ad Mariæ uirginis fanum uicarius, Ioanni Vuicleuo, pijssimo doctori, ac diuinæ ueritatis præconi, in plerisq; contra Antichristos impense fauebat. Vnde tam in lecturis quàm in concionibus etiam publicis, disputator acutissimus, quæstuarios fraterculos illius gratia peracriter pungebat, mendicitatem eorum ociosam rem esse probans, & coram Deo damnabilẽ. Iudicium (inquit) sibi manducant & bibunt, qui tam impudenter ueros Christi pauperes suo iure spoliant. Ex quo facto ipsum diffamãtes, fidei subuersorem, ueritatis inimicum, atq; Antichristi pręambulonem deinceps uocabant. Edidit suo tempore Ashvuarbius, uir inclytus & modestus,

Determinationes scholasticas,	Lib. 1.	
Ordinarias quæstiones,	Lib. 1.	
Quodlibeta theologica,	Lib. 1.	
De triplici necessitate,	Lib. 1.	
Contra fraterculorum mendicitatem,	Lib. 1.	*Christus enumerans in Euangelio.*
Contra Ricardum Maydeston,	Lib. 1.	
Sermones ad clerum,	Lib. 1.	
Sermones ad populum,	Lib. 1.	
Lecturas Scripturarum,	Lib. 1.	

Et alia quædam. Plerunq; etiam declamabat uir pius in eos prælatos, qui functionem Euangelij negabant esse liberam his qui donum habent. Claruit anno salutiferi partus 1380, Ricardum Maydeston magnum in his aduersarium habens.

RICARDVS MAYDESTON. LXXXVI.

RIcardus Maydeston, in Roffensi Cantiorum diœcesi atq; oppido sui cognominis oriundus, Oxonij primùm Martonensis collegij socius fuit, & Aylesfordiẽsis cœnobij Carmelita postmodum factus, in ea professione perseuerauit. Multarum sciẽtiarum à iuuentute studiosus ac peritus, poeta per eos dies habebatur insignis, rhetor quoq;, philosophus, mathematicus, ac theologus: sed turpiter hæc omnia sophistarum sordibus deformabat. In Oxoniensi gymnasio constitutus tandem doctor, cum Ioanne Ashvuarby etiam doctore ac pio theologo, circa fratrum mendicitatem & cleri pompam arrogantem, quam ecclesiæ catholicæ superioritatem uocabant, longo tempore dimicauit. Ex concionibus præterea, Londini & alibi factis, gratiam apud principes uiros magnam sibi comparabat. Vnde Ioanni Lancastriæ duci à familiari colloquio & à confessionibus tum demum concordiam inter regem Ricardum & ciues Londinenses, anno Domini 1393 firmatam, hexametris pentametrisq; uersibus descripsit, elegantioribus certè quàm solebat ea ætas dare. Et ut ad libros ueniã, reliquit Maydestonus, ad posteritatis usum,

Commentarios Sententiarum,	Lib. 4. *Dux uirginitatis tu es, hiere.*
De sacerdotali functione,	Lib. 1. *An quilibet constitutus in ordine.*
Contra Ioannem Ashuuarby,	Lib. 1. *Vtrum Christus in Euangelio, enume.*
Protectorium pauperis,	Lib. 1. *Constituit eum super excelsam ter.*
Quæstiones ordinarias,	Lib. 1.
Concordiam regis & ciuium,	Lib. 1. *Tullius in laudem tantam sustollit.*

In

In canticum Moysi,	Lib.1. Vir mitißimus, prophetaq; praeci.
Contra Vuicleuistas,	Lib.1. Fluat ut ros eloquium meum, contra.
Sermones de tempore,	Lib.1. Refulsit sol in clypeos aureos.
Sermones de sanctis,	Lib.1.
Compendium D. Augustini,	Lib.1. Flores ex beato Augustino de ci.
Ad clerum 16 conciones,	Lib.1. Pulcherrimam foeminarum elegi.
Sermones Oxonienses,	Lib.1. Fili recordare, quia recepisti bona.
Canones in anulum Philosophicum,	Quamuis coeli terraeq; conditor.
Determinationes,	Lib.1.
Precationes metricas,	Lib.1. Kyrie eleyson, miserere, pater pie.
In Cantica canticorum,	Lib.1. Exhauriri nequit diuina miseratio.
In septem Psalmos, Anglicè,	Lib.1. Ad honorem Dei, qui nos redemit.
Lecturas scholasticas,	Lib.1.

Aliaq; nonnulla composuit, quorum per eam aetatem lectio placuit multis. Ex hac uita migrauit demum, calendis Iunij, anno à diuini Verbi incarnatione 1396. Aylesfordiae, in sui monasterij claustro sepultus, sub rege Ricardo secundo.

IOANNES VVALDEBY. LXXXVII.

IOannes Vualdeby, siue Vualdebius, Eboraci in urbe nō infimo loco natus, & Augustinianae cultor sectae, rem literariam domi forisq; summa coluit industria: ita futurum putans, ut non modò sibi, uerumetiam patriç suae aliquando utilis esset. Quae opinio (inquit Lelandus) adeò illum non fefellit, ut magno usui nostrae insulae fuerit. Non igitur alienū erit à praesenti negotio (inquit) si ostendam, quibus modis patriae profuerit. Maturioribus annis, ad literas educatus, Oxonij strenuè scientijs diuinis & humanis incūbebat. Nec sine fructu. Nam literati uiri titulos omnes meritò oblatos, solennitate quadam ibidem est adeptus, sui ordinis etiam prouincialis prçses postea designatus. Erat profectò uir admodum pius & doctus, ut ex opusculis claret, singulari linguae facundia, ingenijq; promptitudine praeditus, & propterea multis per ea tempora gratus. Multa enim edidit tam Latino quàm patrio sermone, ad utriusq; et cleri & populi commodum. Vuicleuisectatoribus molestias primū intulit: sed probatis postea spiritibus, cum illis mitius egit. Ad Thomam fani Albani abbatē Vualdebius scripsit moralem expositionem,

In symbolum Apostolorum,	Lib.1. Cum in loco sacro de Tinmouth.
In orationem Dominicam,	Lib.1. Septies in die laudem dixi tibi.
In salutationem Angelicam,	Lib.1. Vas electionis Paulus doctor gent.
Contra septem peccata,	Lib.1.
Sermones duodecim,	Lib.1. Credo Domine, adiuua incredulitat.
De sacramento Eucharistiae,	Lib.1. Ratione solennitatis iam instantis.
Lecturam theologiae,	Lib.1.
Itinerarium salutis,	Lib.1.
Determinationes Oxonienses,	Lib.1.
Conciones ad utrumq; statum,	Lib.2.

Atq; alia plura congessit. Magno regis concilio Stanfordiae contra Vuicleuistas cum alijs theologis interfuit, anno Christi 1392. Vbi non omnia probabat. Quantum uerò ad eius mortem, mea coniectura est, obijsse illum, ac sepultum esse Eboraci in Augustinianorum fratrum coenobio.

ROBERTVS VVALDEBY. LXXXVIII.

RObertus Vualdeby, praedicti Ioannis, ut apparet, frater, uir scientiae ti-

tulo clarus, idemq; professione Augustinianus: ex Anglia cum Eduuardo Nigello, principe fortunatissimo, in partes transmarinas euolauit. Tolosę, Galliae Narbonensis urbe nobilissima, postmodum ille studuit, philosophiæ tum naturali tum ethicæ, immo ipsi theologiæ, & in eis supra sortem communem profecerat. Eoq; excellentiæ demum deuenit, ut literatorum primas haberetur, linguarum peritia atq; eloquentia præstans. Hinc theologiæ professor Tolosanus fuit: & tam insignis prædicator, ut amplissimæ regum beneficio fortunæ illi obuenerint. uidelicet episcopatus Adurensis in Vasconia primùm, postea Dubliniensis archiepiscopatus in Hybernia, anno Domini 1387, tunc Cicestrensis episcopatus anno Domini 1395, ac tandē Eboracensis archiepiscopatus in Anglia anno Domini 1396. Iste Robertus inter cætera composuit,

Lecturam Sententiarum,	Lib. 4.
Quæstiones ordinarias,	Lib. 1.
Quodlibeta uaria,	Lib. 1.
Contra Vuicleuistas,	Lib. 1.
Sermones per annum,	Lib. 1.

Et alia plura. Illius mentionem facit Thomas Vualdenus, in Zizaniorum fasciculo. Mortem obijt, anno incarnati Mesiæ 1399, & archiepiscopatus sui anno 4. Eboraci in ecclesia sua cathedrali sepultus. Cui succesit Ricardus Scropus, ut Polydorus habet.

APPENDIX.

Henricus Pantaleo: Anno Domini 1390, Bonifacius nonus primi anni redditus omnium beneficiorum ecclesiasticorū (qui annatæ dicuntur) sibi suisq; successoribus decreto suo aßignat, & sic se orbis Dominum constituit. huic tamen decreto soli Angli restiterunt, iniquum id esse affirmantes. Polydorus: Anno Domini 1391, multarum rerum agendarum causa, concilium habitum est ad Vuestmonasterium. Eo in cōcilio regi pariter atq; principibus uisum est è republica Anglicana fore, si Rom. Pontificis authoritas Oceano terminaretur. Quapropter sancitum est, ut nulli mortaliū deinceps liceret, pro quauis causa agere apud eundem Pontificem Rom. ut quispiam in Anglia eius authoritate, impius, religionisq; hostis publicè declararetur, hoc est, excommunicaretur, quemadmodū uulgo dicitur: néue exequi tale mandatum, si quod ab illo haberet. Pœna uerò his constituta est, qui legem uiolassent, ut amißis omnibus bonis, uitam perpetuò in carcere ageret. Platina: Sub Bonifacio 9, multa crimina per simoniacam prauitatē committebantur, petentibus contra ius fasq; omnia tum fratribus, tum cognatis: quorum magna multitudo quæstus gratia Romam uenerat. Indulgentiæ uerò, & quidem plenariæ, ita paßim uendebantur, ut iam uilesceret clauium & literarum apostolicarum authoritas. Reuocare hæc omnia Bonifacius conatus, cognatorum precibus eò identidem redire cogebatur. unde melius actum cum ecclesia censerem, si Pontifices reiectis affinibus et cognatis, uel saltem in mediocri fortuna collocatis, Pontificiæ dignitati potius quàm carni & sanguini consuleret. Christianus Maßæus: Anno Domini 1399, Chrysoloras Byzantius, Græcas in Italiā scholas intulit, quæ annis quingentis iam illic cessauerant.

GVILHELMVS BERTON. LXXXIX.

GVilhelmus Berton, theologię Papisticę doctor, & Oxoniensis academiæ cancellarius, primus omnium fuit, qui Romuli in parricidio uicarium Papam superbisimum, super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, extollens, Ioannem Vuicleuum, pijsimum theologum, publicè damnauit, & apostaticis bullis hæreticum declarauit. Et iudex uesanus hac summi Dei iniuria non cōtentus, paulo mox constituit super eius doctrina, pura, & Christi uerbis firmata, censores duodecim, uiros nimirum improbos, & de Euangelij modicitate malè sentientes: ex Mendicantium ordinibus sex,

sex, & ex aliarum factionum theologastris ac legisperitis totidem. Qui omnem in illum exercentes tyrannidē, fanatico spiritu agitati, uocibus & scriptis Dei ueritatem in eo damnabant. Bertonus uerò, quo calumniandi ansam cæteris præberet, exarauit

Determinationes contra Vuicleuum,	Lib.1.
Super eius condemnatione,	Lib.1. *Guilhelmus Berton Cancellarius.*
Contra illius articulos,	Lib.1.

Cætera eius opuscula nō prodidit Vualdenus: qui tamē eius ætatis dicta, facta, & scripta, cæteris diligentius annotauit in Zizaniorum suorum fasciculo. Claruit anno post Seruatorem natū 1381, quo prædicta omnia fiebant.

PHILIPPVS REPINGTON. XC.

PHilippus Repington, à literis suo seculo commendatissimus, Lelandi censura, in numero scriptorum meritò quidem ponendus est. Iste regularium Canonicorum D. Augustini ad Leycestriense cœnobium abbas, & Oxoniēsis academiæ theologus, Ioanni Vuicleuo, magistro integerrimo, discipulus olim hærebat. Audacter deinceps in cleri Papistici corruptissimos mores atq; impura dogmata declamabat, tam in sermonibus quàm etiam in lecturis publicis, in eosq; uehementer inuehebatur. Aduersus Romanum Pharaonem, hominum traditiones, fraterculorum mendicabula, sacerdotum prouentus superfluos, decimas, missas, peregrinationes, auricularem confessionem, et huiusmodi plura Oxonij disputabat: suffragantibus ei unà cum cancellario eius temporis Roberto Riggo, Academię procuratoribus. Et interim scripsit,

Defensorium Vuicleui,	Lib.1.
Pro doctrina morali eiusdem,	Lib.1.
Homelias per annum,	Lib.1. *Euangelicæ tubæ comminatio.*
In Euangelia Deminicalia,	Lib.1. *Dominici aduentus tempus quater.*
De seculari dominio,	Lib.1.
Quæstiones disputatas,	Lib.1.

Atq; alia quædam edidit. Antichristorum postea blāditijs & minis defatigatus, Londini ad Pauli crucem super 24 articulis palinodiam cecinit, anno post Seruatorem natum 1382. Lincolniæq; postea episcopus factus, Christi gregem persequebatur.

THOMAS LOMBE. XCI.

THomas Lombe, Lynnensis cœnobij Carmelita, cuius fama nec exteris quidē, Bostio, Tritemio, & Hasarto, obscura est scriptoribus, in hoc albo numerandus uenit. Id ipsa uirtus hominis (inquit Lelandus) id multiplex eruditio, id deniq; poscunt Isiaci (Oxonienses intelligit) qui omnibus illum suffragijs in doctorum theologorum gregem aliquando receperunt. Sed nolo quisquam à me iam expectet (inquit) ut accurata oratione eius uel uitam uel laudes ab ouo repetā. Meum certè munus pulchrè exequar, si lector per me cognouerit, quibus libris orbi innotuerit. Sed interim sciat prudens ille lector, sophisticas altercationes ad nihil esse utiles, quàm ad subuersionē audientium. Et sequitur in Lelando: In numerum igitur, quos uidi, colligam. Vidi autem, inquit,

Super Sententias,	Lib.4.
Quæstiones ordinarias,	Lib.1.
Determinationes theologiæ,	Lib.1. *Vtrum secundum doctrinam à Spiritusan.*
Contra Lolhardos, Vuicleuistas,	Lib.1.

De incarnatione uerbi, Lib.1.
Sermones per annum, Lib.1.

Dicitur & lecturas in Scripturam edidisse plures, quas tamen ipse non ui di. Pro Antichristi synagoga papisticus satelles, in Vuicleui discipulos scor pionis uim intulit. Apud Oxonienses in precio fuit, circa annum Domini 1390, & Lynnæ tandem obijt.

NICOLAVS HERFORDE. XCII.

NIcolaus Herforde, sacerdos secularis, ut uocãt, Vuicleui discipulus, ac theologiæ magister Oxoniensis, pro illius doctrina solida defenden da, aduersus monachos & clerum Papisticum in theologorum scholis pu blicè determinabat. Firmis rationibus illic etiam probabat, in altaris sacra mento, peractis sacris, manere solum panem. Et nõ esse in eodem pane, uir tute uerborum sacramentalium, odibile monstrum illud, ac Chimericum i dolum, scilicet accidens sine subiecto, ut somniant adhuc Papistæ. Magnas quoq; authoritates adduxit, affirmantes Rom. pontificem et episcopos om nes, mundi magistratibus debere subijci, monachos ex manuum suarum la boribus uiuere: populum solis Dei legibus, in his quæ religionis sunt, non Papæ decretis obtemperare: & quòd nulla esset in pijssimi Vuicleui doctri na peruersitas. Hinc illi infestiores Carmelitæ atq; aliorum monachorum ordines redditi, nõ paucas impegerũt hæreses, ex ipsius sermonibus excer ptas, ac in certam formam per notarios redactas, opera cuiusdam Petri Sto kesi Carmelitæ. Edidit Herfordius,

Determinationes scholasticas, Lib.1.
Vuicleuicæ doctrinæ censuram, Lib.1.
De apostasia fratrum à Christo, Lib.1.
Aduersus Petrum Stokes, Lib.1.
Sermones quadragesimales, Lib.1.
Et conciones per annum, Lib.1.

Compulsus tandem fanaticorum spirituum uiolentijs, Londini palino diam cum prædicto Philippo super 9 articulis ignauiter cecinit, anno Chri sti 1382, uarijs tamen postea cum Ioanne Puruęo, per Thomam Arundelum Cantuariensem antichristum, incarcerationum pœnis affligebatur.

IOANNES HALIFAX. XCIII.

IOannes Halifax, uel Sacroboscus, Lelando teste, à loco natali dictus, cu ius appellationis & emporium est apud Brigantes lanificio celeberrimũ: unde & hunc (inquit) coniectura ductus, ortum facilè crediderim. Studuit adolescens (sic progreditur Lelandus) quantum ego colligere possum, in academia ad Isidis uadum, siue Oxonium. Maturiorem illum annis, accepit Lutetia Parisiorum, & usqueadeò non modò dilexit ac mirificè amauit, ue rumetiam coluit quoq;. Et quemadmodum uiuentem honoribus prosecu ta est, ita & funeri sua iusta impendebat. Operam autẽ inprimis dabat phi losophiæ Aristotelicæ, Mathesin quoque coluit tam expedito cognitionis successu, ut exemplum penè inimitabile posteris se exhibuerit. Contende runt quidem multi, & strenuè, scopum ab eo propositum cõtingere. At nul lus adhuc inuentus est, qui laudem cum eo parem rectè sibi uindicet. Liber ille, quem de Sphæra edidit, minutus quidem est. Quid tum? Ab uniuerso quæritur, legitur, teriturq; Mathematicorum grege. Scripsit igitur,

De Sphæra mundi, Lib.1. Tractatum de Sphæra, quatuor.
De Algorismo, Lib.1. Omnia quæ à primæua rerum orig.

De

De annicratione,	*Lib.1. Computus est scientiam considerans.*
Breuiarium iuris,	*Lib.1. Verborum superficie penitus.*

Et alia quædam. Claruisse fertur, anno à Christi natali 1256. Obijt Lutetiæ, & elatus est publico Parisiorum luctu, sepultus in fano Maturini, insculpto saxo sepulchrali astrolabio, signo Mathematico. Lelandi sunt hæc omnia. Et de eius tempore sunt hi uersus:

M. Christi bis C. quarto deno quater anno,
De Sacro Bosco discreuit tempora ramus,
Gratia cui nomen dederat diuina Ioannes.

GVALTERVS BRITTE. XCIIII.

GVaIterus Britte, alias Brithus, Martonensium chorum doctissimum, prope ripas Isidis, seu Oxonij, Lelando etiam teste, coluit: unde & ipse meritò eorum est ascriptus numero. Accreuit illius in immensum fama, parta illustri ab eruditione, tersaq; existimatione. Mathesin arcta sibi deuinxerat copula: quo cõnubio lætus, nõ modò numeros & rerũ symmetriã, uerumetiã ipsos astrorũ motus, sedulitate planè mirifica perscrutatus est. Ioanni Vuicleuo apud Oxoniũ docenti, ob Apostolicũ spiritum, discipulus ille adhæsit. Vnde uidens post eius obitum, quibus machinamentis ac technis obruere ueritatẽ hypocritæ niterentur, arrepto calamo, uanissimis eorum conatibus pro uirili uir inclytus obstitit. Ostendebatq; solidis argumentis, ac scripturarum authoritate firmissima, quòd rerum terrenarum possessionibus immersi, non poterant æterno *Dei Euangelio, ut suis cupiditatibus* aduerso, uim non inferre. Composuit igitur

De auferendis clero possessionibus,	Lib.1.
Theoremeta planetarum,	Lib.1. *Omnia quæ à prima rerum origine.*
Tractatum Algorismalem,	*Lib.1. Sequitur ad radicum extractionem.*
De rebus Mathematicis,	Lib.1.

Aliaq; plura exquisitè fecit. In primo opere docet, fatuam illam ecclesiæ per excæcatos principes dotationem, matrem simoniacæ pestis, atq; omnium uitiorum altricem esse. Claruit anno gratiæ per Christum 1390, sub Ricardo secundo.

HENRICVS HARKELEY. XCV.

HEnricus Harkeley, ita iuuentutem suam Oxonij, oggannientium sophistarum lectione exercuit, ut uix aliud doctrinæ genus, magister, cancellarius, ac tandem senex theologus, sapuisse unquam crederetur. Fuit equidem ex uanissima illa philosophorum secta (si tamẽ dicendi sunt philosophi) qui elenchis freti, subtilius sua implicare argumenta nouerãt. Supersunt nihilominus eius scripta quamplurima: quæ sophistico illi papistarum seculo, dum scripturæ essent in obliuione profunda sepultæ, magnopere placuerũt. Et dum semel fuisset sub infausto sidere, magnus eius academiæ cancellarius, in scholis frequẽtissimè circa res friuolas & inanes disputabat, præcipuè circa transubstantiationem panis in Missa papistica, ut miraculose per eam fieret nouus deus Maozim, sub accidente sine subiecto. Congessit Harkelæus

Super magistrum Sententiarum,	Lib.4. *Secundum Dionysium in libro.*
De transubstantione,	Lib.1. *Vtrum de necessitate salutis.*
Quæstiones theologicæ	Lib.1.
Determinationes,	Lib.1.
Quodlibeta quoq;,	Lib.1.

Præter

Præter hæc, nihil opusculorum eius extare noui. Claruisse his temporibus fertur, atque scripsisse aliqua, circa annum à Christi seruatoris natiuitate 1396, sub Ricardo secundo. Et illius mentionem Vualdenus facit in lib. de Sacramentis.

ROBERTVS IVORIVS. XCVI.

ROBertus Iuorius, Londini, ex Normannorum mercatorum stemmate fertur oriundus. Est enim in Normannia oppidũ eius cognominis antiquissimum, unde auus illius, dum adhuc esset sub Anglorum ditione, originem habuisse creditur. Iuorius autem inter Carmelitas Londinẽses à puero conuersatus, eruditionis suę specimen amplissimum dabat. Nam inter eius urbis alumnos non infimus (ut Lelandus habet) tam bene in doctis artibus adolescentiæ suæ annos collocauit, ut postea cum uir maturæ ætatis esset, uel inter literatorũ proceres nomen decusque meruerit. In illum tamen pręcipuè scopum omnes studiorum labores intendebat, ut rerum theologicarum cognitionem paulo subtiliorem (cur non clariorem?) consequeretur. Qui certè labor, suum tandem fructum habuit. Tantũ ille. Denique post studia transmarina, *Cantabrigiensis* doctor, & uniuersalis suæ sectę præses, anno Domini 1379, numero uicesimus ordinatus, peracta *semper* functionis cura, *quod reliquum temporis erat*, id totum in explicandis scripturarũ libris insumebat. Londini etiam sui cœnobij *bibliothecam mirum* in modum auxit, magno planè *ueterum* exemplariorum numero, partim precio, partim precibus passim comparato. Quibus & hos à se editos *libros* addidit, scilicet

Commentarios in Ecclesiasticum,	Lib. 1. *Sicut dicit beatus Augustinus.*
Expositiones in Apocalypsim,	Lib. 1. *In ecclesiastica historia Ioannem.*
Registrum prouinciæ,	Lib. 1. *Ad perpetuam rei memoriam.*
Conciones ad clerum,	Lib. 1. *Ecce homo, Ioannis 19. Reueren.*
Sermones ad populum,	Lib. 1.
Lecturas scripturarum,	Lib. 1.

Feruntur & alia plura, sed hæc tantum nos uidimus. Londini demum consummatis 13 præpositurae suæ annis, quinta die Nouembris oppetijt morte, anno incarnati redemptoris nostri 1392. & ibi sepultus est, ut ex tumuli inscriptione apparet.

BANKINVS LONDINENSIS. XCVII.

BAnkinus Londinẽsis, in eadem urbe magnifica (quam Cornelius Tacitus, *uetustissimus* scriptor, negotiatorum copia atque commeatu maximè celebrem dicit) & natus & nutritus fuit. Londinum nanque maritima ciuitas est, omnium nobilissima, in meridionali insulæ parte posita, caput gentis, regia sedes, opumque diues. In Augustinianorũ æde, illic etiam tunc celebri, Bankinus initiatus, tandiu literis operam dabat, donec haberetur Oxonij supremæ classis magister. Abhinc prodijt famigeratus apud uulgum sermonum popularium declamator, ac scholasticarum rixarum fabricator acutus. Vehemens itidem Vuicleuistarum insectator ille erat, in prædicto pontificum & pharisæorum concilio, ad prælium aduersus illos paratus. Sed terræmotus, iustissima summi Dei uindicta, subitò exortus, diruptis passim domorum ædificijs, immanes eorum impetus fregit, ac uires infirmauit. Veruntamen Bankinus postea scripsit,

Contra positiones Vuicleui,	Lib. 1.
Determinationes uarias,	Lib. 1.

Sermones

Sermones ad populum, Lib.1.

Sunt et alia ab eius sectæ scriptoribus numerata, quæ tamen ipse non uidi. De illo mentionem facit Thomas Vualdenus, in Zizaniorum fasciculo: & claruisse dicit anno salutis humanæ 1382, sub Ricardo rege.

GVILHELMVS GILLYNGHAM. XCVIII.

GVilhelmus Gillynham, à loco natali sic appellatus, et ad fanum Seruatoris Cantuariæ monachus factus, bonarum artium studia à iuuentute ipsa semper amauit. In historiarum disquisitione magnam esse utilitatem intelligens, & quòd eius carere luce nulla uitæ pars commodè posit, ad eius exercitij genus se statim conuertit. Vnde ex frequēti authorum lectione, delectum rerum habens, ad suam se tandem conuertit patriam urbem, & sectam, ut earum monumēta illustria, fidelis alumnus literis commendaret. Quod & in fine non segniter fecit. Interea placuerunt ei Hieronymi, Gennadij, & Isidori labores, scribendi de uiris illustribus. Quorum & ille permotus exemplo, quotquot in sua secta scriptores aliquando floruerūt, in numerum collegit, ac sacrosanctæ posteritatis memoriæ commendauit. Congessit igitur

Scriptorum sui ordinis, Lib.1.
De rebus Cantuariorum, Lib.1.

Et alia quædam. Ita arrisit eiusdem cœnobij monachis Guilhelmi diligentia, ut opus ab eo scriptum in tabulis rursus pingerent, & ecclesiæ columnę adfigerent. Claruisse uerò fertur anno gratiæ 1390, sub Ricardo secundo.

IOANNES CHYLMARKE XCIX.

IOannes Chylmarke, Martonēsis collegij ad Isidis uadum socius, idemq́ mathematicus insigniter doctus, Gualteri Britti insignis philosophi synchronus fuit, ut Lelandus ipse demōstrat. Talem illi naturalium rerum tum educatio tum diligentia notitiam peperit, ut philosophus & astronomus per eam ætatem magnus haberetur. Quæstiones nō paucas, neq; de triuio petitas, sed potius ex mathematum penetralibus in numeros redegit suos: & redactas tanto pertractauit acumine, ut dedisse illis lumen potius, quàm aliunde petijsse uideretur. Martonensis doctorum uirorum Catalogus, huius Chilmarchi & literas & uirtutem eximiè collaudat. Scripsit planè egregium opus,

De actione elementorum, Lib.1.
De motu, Lib.1. *Ad materiam motus insinuandam.*
De alteratione, Lib.1. *Pro materia alterationis.*
De augmentatione, Lib.1. *Nota quòd ad augmentationem.*
De accidentijs planetarum, Lib.1.

Atq; alia nonnulla, quę & nostra non sine applausu legit ætas, Lelando teste: authoremq́ tam elegantiū operum, iustis candidè præconijs extollit. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 1390, Ricardo secundo regnante.

IOANNES SHARPE. C.

IOannes Sharpe, ut ueteres testantur bibliothecæ (sic habet Lelandus) inter philosophos & theologos sui seculi (qui uirulentißimi Papistæ fuerunt) illustris habitus est. Sed & controuersia (inquit) quæ illi magna fuit cum Vuicleuianis, aliquid ad splendorem (pudorem & infamiam) nominis attulit. Nam Lernas teterrimas quidem illas (sic uocat pios doctores) noua uirulentarum dissertationum, de eucharistiæ sacramento (panis idolo) capita altè exerentes, gladio Euangelico (figmentis sophisticis) acerrimè

me insectatus est. Cætera quæ fecit, in obscuro sunt. Hæc ille. Talia (pie lector) sunt Papistarum commenta, qui iudicant bonum malum, & lucem tenebras. Ex libris autem quibus se posteritati inutiliter commendauit, tanquam ex fructibus, scriptorem hunc cognosces. Quorum nos sequentes uidimus, scilicet *Determinationes de sacramento altaris,*

Contra Vuicleuistas,	*Lib.1. Multorum tam laicorum q̃ clericorum.*
De orationibus sanctorum,	*Lib.1. Reuerendi magistri & Domini cũ secundũ.*
De suffragijs uiatorum,	*Lib.1. Pertractata de orationibus sanctorum.*
De uniuersalibus,	*Lib.1.*
Quæstiones eorundem,	*Lib.1.*
De anima quæstiones,	*Lib.1. Vtrum anima intellectiua sit quoddam.*
De incarnatione uerbi,	*Lib.1. Prælibato tractatu de anima.*
Quodlibeta diuersa,	*Lib.1. Vtrum in diuinis essentialia sint.*
In Quodlibeta Scoti,	*Lib.1.*
Ordinarias lectiones,	*Lib.1.*
Quæstiones Physicorum,	*Lib.8. Vtrum tantum tria sint intrinseca.*
Abstractum à Burley super Ethica,	*Lib.10. Omnis ars & omnis doctrina scien.*
De pluralitate beneficiorum,	*Lib.1.*
De potestate sacerdotij,	*Lib.1.*
De adoratione imaginum,	*Lib.1.*
De peregrinatione,	*Lib.1.*

Et eius generis alias adhuc emisit Papisticas fæces, barbarissimus sophista. Talibus doctrinis sol factus est niger tanquã saccus cilicinus, Apoc.6. Vixit Sharpus anno à Christi aduentu in carnem 1390, sub Ricardo secundo Anglorũ rege.

APPENDIX.

Ex Polydoro et alijs: Anno Domini 1386, Ioannes filius nothus Ferdinandi Lusitaniæ regis, qui ab initio factus monachus, in ordinem Cisterciensiũ uenerat, ubi accepit de morte patris, exutus monastico indumento, uocantibus eum Lusitanis principibus, regnum paternum obtinuit. Quo anno Ioannes Lancastrij dux Anglus, à suo confessore Gualtero Dysso, Carmelitani ordinis monacho persuasus, Constantiæ uxoris nomine, Castellæ & Legionis regnũ, iure hæreditario petijt & obtinuit. Ad id enim dictum Gualterum subornauerat Vrbanus 6 Rom. Pontifex, ut per potentissimum ducem, Hispanos, ex præsenti tunc schismate sibi rebelles, inde obedientes haberet. Sic principes Christianos dementant Papistæ, & suis inseruire cupiditatibus cogunt. Quibus rebus in Catherinæ filiæ coniugio peractis, anno Domini 1388, Lancastrius mox cum Lusitano, notho ac monacho, affinitatem iunxit, locata ei Philippa filia. Quam ille tamen non prius sibi copulauit, quàm Vrbanus Rom. Pontifex (Dyssi ministerio, qui eius authoritatẽ habebat) eũ lege soluisset qua innodatus fuerat, scilicet quòd nothus ac monachus fuisset antequam regnũ obtinuisset. Et sic deniq; Ioannes dux Lancastrius, rebus in Hispania compositis, domum cum Constantia uxore atq; exercitu reuenit incolumis, post menses decem & tres, quàm eò altera uice concesserat. Hoc arundineo fundamẽto innitentes his diebus Papistici palpones in Anglia, Vuhitus, Harpesfeldus, Vuestonus, & alij post Gardinerum, propositis genealogijs stultissimis, adulatorijsq; uersibus nõ sine multorũ risu editis, regni sceptrũ et coronã Hispanis atrocissimis dare conãtur. O' patriæ proditores maligni, perfidi, periuri, et pæderastæ iniquissimi. Docet Paulus, deuitãdas esse genealogias, tanquã inutiles, stultas, ac uanas. De Dysso autẽ postea suo loco dicetur, qui ex locusta tenui, equus erat ad præliũ paratus, nempe legatus apostaticus.

Appendix alia.

Alij etiam his temporibus erant Christianarum prouinciarum proditores, ex ea atq; alijs Mendicantium fraterculorum sectis. Ex Lelandi catalogo: Robertum de S. fide, Carmelitã Nordouicensem, talẽ fuisse uirũ cõstat, ut ab Vrbano eius appellationis sexto, Pontifice Rom. in Hispaniã et Angliã, nuncius magnæ authoritatis missus sit, anno Domini 1386. Et sequitur: Benedictus de S. fide, etiã

Carmelita, Romæ præclaris uiris innotuit, præsertim cuidã Henrico Neapolitano Cardinali & episcopo Sabinensi, cuius opera legationis munere in rebus ad ecclesiam Romanam spectantibus functus est. Prætereo bella & obsidiones, quas Henricus Spenserius, Nordouicensis episcopus, dicti Vrbani causa, in Flandros tunc fecerat. Ex Thoma Vualsingamo in auctario Polychronici: Ioannes Rushok, Dominicanus, episcopus Cicestriensis, & Ricardi Anglorum regis confessor, ex insigni quadam proditione fugam iniit. hanc eius proditionem ex regis confessione, & alia eius improba facta, plenius narrat Petrus Pateshull, in commentario Hildegardis, seu uita fratrum Mendicantium. Ex eodem Vualsingamo: Anno Domini 1394, Ioannes Bloxham, socius & custos Martonensis collegij, ac doctor Oxoniẽsis, per duos socios dicti collegij, de crimine pessimo accusabatur in publico parliamento Vuestmonasterij. Ex Vualdeni fasciculo: Vnde magnates quidam dicebãt, quòd lex cõtinentiæ adiuncta sacerdotio, in totam ecclesiam Sodomiam induxit. Delicata cibaria (inquiunt) uirorum ecclesiasticorum, quærũt naturalem purgationem, uel peiorem. Votum continentiæ moniales cogit ad horribilia peccata: ut sunt interfectiones abortiuorum, destructio naturæ per medicinas, mutuæ libidines, & alia non dicenda. Quibus addiderunt hos uersus:

Plangunt Anglorum gentes crimen Sodomorum.
Paulus fert, horum sunt idola causa malorum.
Surgunt ingrati Gyezitæ Simone nati,
Nomine prælati, hoc defensare parati.
Qui reges estis, populis quicunq; præestis,
Qualiter his gestis gladios prohibere potestis?

CENTVRIAE SEXTAE SCRIPTORVM BRYTANNIAE
Finis, authore Ioanne Baleo.

IOANNIS BALEI SUDOVOLGII ANGLI, DE SCRIPTORIBUS BRYtanniæ,

CENTURIA SEPTIMA.

RICARDUS LAUYNHAM. I.



RICARDUS Lauynham, è Sudouolgia oriundus, ut Lelandus habet, cum adhuc adolescens esset, obtulit se comitem Gippouicensis cœnobij Carmelitis. Causa uerò prima fuit (inquit) ut pietati operam daret: altera, ut doctis studijs liberè uacaret. Laudabilis profectò utraque in quauis ætate, tum præcipuè in iuuenili. A' pietate igitur auspicatus, tam illustris euasit, ut omnes quotquot habuit conuictores, in sui admirationem facilè quidem pertraxerit. Nec interea loci studium erga literas propensissimum defuit, usqueadeò ut tandem præsidem suum exorauerit hoc unum, liceret nempe sibi, Oxonium bonarum artium fontem petere. Non hic opus erit longa ambage, ut lector intelligat, quantum in philosophia & penitiori sacrarũ literarũ cognitione profecerit. Tantum ille. Oxonij gradatim ad theologici magisterij euectus fastigium Lauynhamus, omnes Peripateticorum philosophorum ac scholasticorum ænigmatistarum nodos de facili dissoluebat. Disserẽdo enim acutus erat, & in dicendo facundus. Sed hoc his diebus malè audit, & meritò quidem: quòd ingenium tam fœlix ac bene natum, adeò fœdis & friuolis corruperit sophistarum elenchis. Vnde non solum ab Euangelica ueritate, his nebulis excæcatus, auditum auertebat: imò fidelissimos eius præcones, Vuicleui sectatores, potissimè Ioannem Puruæum, iuuenem Christianè institutum, acerrimis argutiarum telis insequebatur. Multa Lauynhamus composuit ac nobis reliquit ingenij monumenta, uidelicet

Sententiarum quæstiones,	Lib. 4. *Quæritur, utrum finis per se.*
In Ethica Aristotelis,	Lib. 10. *Sicut in dictis Pythagoræ legitur.*
Encomium uirtutis,	Lib. 1. *Virtutem laudamus, Ethicorum.*
Dictionarium Scripturæ,	Lib. 1. *Caßiodorus super Psalmo.*
Contra hæreticos,	Lib. 1.
In reuelationes Brigittæ,	Lib. 7. *Stupor & mirabilia audita sunt.*
Commentarios in Esaiam,	Lib. 1. *Ad singulare præconium prophetæ.*
In Paulum ad Titum,	Lib. 1. *Influentia spiritualis, homini.*
Clypeum paupertatis,	Lib. 1. *Pauperes fiducialiter requiescent.*
De fundatione sui ordinis,	Lib. 1.
Historiam trium Magorum,	Lib. 1. *Dicitur primo capite, quòd sicut.*
Abbreuiationes Bedæ,	Lib. 1. *Britannia, cui quondam Albion.*
Annotationes in Tobiam,	Lib. 1. *Notatur primo capitulo, quomodo.*
Sermones de tempore,	Lib. 1. *Solutum est uinculum linguæ, Marci.*
Sermones de sanctis,	Lib. 1.
Argumenta in epistolas Hieronymi,	Lib. 1. *In hac epistola respondet Hieronymus.*
Compendium Gualteri Reclusi,	Lib. 1. *In primo capite libri, quem præ.*
Excerptiones doctorum,	Lib. 10. *Tullius in libro de Natura deorum.*
Contra Ioannem Puruey,	Lib. 1. *De sacramento Eucharistiæ dicen.*
Quæstiones ordinarias,	Lib. 1.

De

De inuentionibus rerum,	Lib.1. Quoniam de rerum inuentione.
De futurorum euentu,	Lib.1. In materia de euentu futurorum.
Summulas Logicales,	Lib.1. Iuxta processum Aristotelis, in.
Sophismatum canones,	Lib.12. Conuersio est transpositio ter.
De speciebus argumentorum,	Lib.1.
De suppositionibus,	Lib.1. Suppositio est statio termini.
De insolubilibus,	Lib.1. Sicut nexus amoris quandoq;.
Syncagmata rerum,	Lib.1. Est sciendum, quòd quædam consu.
De fallacijs,	Lib.1. Fallacia est deceptio, siue ut.
De proportionibus,	Lib.1.
Causas naturales,	Lib.1. Deus & natura nihil frustra oper.
Terminos naturales,	Lib.1. Quæritur, utrum diffinitio naturæ.
De potentijs actiuis & passiuis,	Lib.1. Cum potentia cuiuscunq; rei sit circa.
De primo instanti,	Lib.1. Ad cognoscendum quando est uel.
De natura instantium,	Lib.1.
Vocabularium theologiæ,	Lib.1. Cum difficultas uerbalis, multum.
De decem prædicamentis,	Lib.1. Tractaturus de decem prædicamentis.
De cœlo & mundo,	Lib.2. Summa cognitionis naturæ, hæc.
Compendium de anima,	Lib.1. Anima est actus corporis orga.
De potentijs animæ,	Lib.1.
Speculum naturale,	Lib.8. Ne tædiosum sit studentibus, plu.
Quæstiones Physicorum,	Lib.8. Vtrum materia de se, aliquem.
De scientia & sensu,	Lib.1. Circa considerationem, quare sensus.
De distantia planetarum,	Lib.1. Nota quòd secundum Astronomos.
Compendium Meteororum,	Lib.4.
De identitate & diuisione,	Lib.1. Distinctiones sunt septem enumer.
De regulis consequentiarum,	Lib.1. Omnis propositio affirmatiua.
De arte obligatoria,	Lib.1. Obligatio est oratio, mediante qua.
De conuersione propositionum,	Lib.1. Circa conuersiones aliquarum pro.
Quæstiones uespereales,	Lib.1.
De scire & nescire,	Lib.1. Scire multis modis dicitur.
Probationes propositionum,	Lib.1. Consequentia, est antecedens & conse.
Lecturas Scripturarum,	Lib.1. Derelinquetur filia Sion sicut.
De proprietatibus elementorum,	Lib.1. Præmissus est sermo à nobis.
De exceptiuis & exclusiuis,	Lib.1.
De ampliatiuis,	Lib.1.
Orationes ad clerum,	Lib.1.
Ex Augustino de Ci. Dei,	Lib.1.
Dicta Senecæ & Tullij,	Lib.1.
De finito & infinito,	Lib.1.
Lectiones Oxonienses,	Lib.1.

Et alia sine certo numero, quæ ferè in omnibus fratrum mendicantium bibliothecis habebantur. Bristollij tandem obijsse fertur, ætate uirili, ubi Carmelitis præfuerat. Plerique tamen, quorum unus est Polydorus libro 20. illum scribunt cum Simone Cantuariensi archiepiscopo, ac Ioannitarum magistro Roberto Halesio, à seditiosis decollatum, anno à Christi seruatoris ortu 1381, dum esset Ricardo Anglorum regi à confessionibus.

PETRVS PATESHVLL. II.

PEtrus Pateshull, professione Augustinianus, ac theologiæ doctor, pri-

ma studiorum suorum tempora, inter Oxonienses satis fœliciter collocauit. At postquam Vuicleuus, de realibus uniuersalibus librum edidisset, aliò uertebat manum, diligenter euolueus & alios ab ipso editos libellos. Nec cōtentus erat eos tantū legere ac relegere: sed & laudare etiam, quantum temporis opportunitas patiebat. Eoq; tandem creuit hominis erga Vuicleuū affectio, ut piissimo illo Dei seruo mox uita sublato, palàm incepérit eadem prædicare dogmata, Rom. pontificis authoritatem & ritus idololatricos cōuellere: ambitiones, auaritias, ac tyrannides damnare. Contigit autem ut huius tragœdiæ procemium caneret, circiter annum undecimum Imperij Ricardi secundi Anglorum regis, scilicet anno Domini 1387, quo Vuicleuus obijt. Quod Augustinianis pessimè cecidit, dum eos atque Iacobinos famosissimis libellis stringeret ac lancinaret. Hoc interim constat, Gualterum Dyssum Carmelitā Anglum, magnæ authoritatis legatum Vrbani 6 pontificis Rom. eodem anno Petrum diplomatis beneficio liberasse à iugo Augustinianæ sectæ: & eiusdem Pontificis per pecuniam fecisse capellanū honoris. A' quo tempore audacior factus, ita Londini concionatus est in fano Christophori, atq; adeò alibi, ut eius auditores comminarentur collegio Augustinianorū faces, ut prius in Asheburno. Scripsit Petrus super Hidegardis prophetia, acerbissimum opus contra fratres Mendicantes, quod uocabat

Vitam fratrum Mendicantium,	Lib. 1. *Saluator noster Christus Iesus, qui uult.*
Defensorium Armachani,	Lib. 1. *Sedens super flumina, fleui Babylonis.*
Nouam cantilenam,	Lib. 1. *Vox in Rama resonat, libens lachrimari.*
Lamentationes fratrum,	Lib. 1. *O' quis dabit capiti pelagus aquarum.*
Risus natalicios,	Lib. 1. *De nihilo nihil est, & nihil semper erit.*
De flagitijs Augustinensium,	Lib. 1.
De nequitijs Dominicanorum,	Lib. 1.
Mandata legis Euangelicæ,	Lib. 1.
De desolatione Ecclesiæ,	Lib. 1.
Lecturam theologiæ,	Lib. 4.
Determinationes aliquot,	Lib. 1.
Postillationes Scripturæ,	Lib. 1.
Sermones in Papismo,	Lib. 1.
Sermones contra Papismum,	Lib. 1.

Atq; alia plura edidit. Quæ omnia principū ac pontificū edictis seuerissimis, Vulcano consumptori tradita fuerunt, paucis inde seruatis. Claruit anno à Redēptoris nostri natiuitate 1390, sub prædicto rege Ricardo. Postea persecutionis tempore in Bohemiam auolasse eum ferunt.

GVILHELMVS VVODEFORDE. III.

GVilhelmus Vuodeforde, accepta toga Franciscana, ita strenuè operam dabat, Lelando teste, rebus tum philosophicis, tum etiam theologicis, ut tandem inter literatorum proceres recenseretur. Ioannis Vuicleui doctrina iam latè, ipso mortuo, serpserat, altasq; in multorum pectoribus radices egerat. Quare pernecessarium uisum est Thomę Arundelo Cantiorum archiepiscopo, ecclesiasticos rabbinos Londini in consilium uocare. Vbi cum multa in utranq; dissertassent partē, Vuicleui factio comminibus suffragijs carbone notata est. Et ne illud authoritate magis quàm ratione factum diceretur, decretum est, ut famosus Vuicleui Trialogus, uel solidis argumentis, & edito in hoc libro, publicè conuinceretur. Cui prouinciæ, cum

ab alijs multis, tum præcipuè à Cantiano, Vuodefordus pugil inuictus designatus erat. Hæc Lelādus. Cum Iuda ergo traditore à Papistico clero cōductus, pro Antichristi regno aduersus Dei ueritatem arma suscepit. Indoctè doctus, et supra modum arrogans nebulo, cum Scoti sui formalitatibus & quidditatibus Aristotelicis, Vuicleuum defunctū est aggressus in re Sacramenti, atque alijs Ecclesię ritibus, Romana superstitione corruptis. Sed infœliciter nimis, & non sine aperta inscitiæ nota, cum mortuo pugnauit: quum præter sophismata, hominum cōstitutiones, & mera mendacia, protulerit nihil. Congesit ad prædictum Arundelum,

Contra Vuicleui Trialogum,	Lib. 1. *Venerabili in Christo patri ac Domino.*
Contra eundem, de religione,	Lib. 1. *Vtrum motiua ponentis religionem.*
Contra 18 articulos eius,	Lib. 1. *Reuerendissime pater, mandatis uest.*
De ciuili dominio quoq;,	Lib. 3. *In hoc actu, & in hac determinat.*
Pro possessionibus cleri,	Lib. 1.
De sacerdotio noui Testamenti,	Lib. 1. *Vtrum sacerdotium noui Testamenti.*
De dignitate sacerdotij,	Lib. 1. *Dubitatur, quando Apostoli fuerunt.*
Pro introitu Bibliorum,	Lib. 1. *Scripsit omnia hæc in uolumine.*
In philosophiam naturalem,	Lib. 8. *Quæritur, uenerande dux, circa.*
Determinationes Oxonienses,	Lib. 1.
Mendicitatis defensorium,	Lib. 1. *Postquam dominus Armachanus mul.*
Aduersus errores eiusdem,	Lib. 1. *Quo ad errores contentos in prædic.*
In quædam Ezechielis loca,	Lib. 1. *Porta hæc clausa erit, & nemo.*
Super Ecclesiasten,	Lib. 1. *Verba Ecclesiastis, &c. Diuiditur.*
Quæstionum 72, de Eucharistia,	Lib. 1.
Sermones diuersos,	Lib. 1. *Quærebant eum, Lucæ 2. & in Euan.*
Postillam in Matthæum,	Lib. 1. *Sume tibi librum grandem, & scribe.*
Super Lucam,	Lib. 1. *Propter triplicem rationem in glossa.*
In Paulum ad Romanos,	Lib. 1. *Fons ortorum, puteus aquarum.*
De conformitate nostra ad Christum,	Lib. 1.
Pro damnando Vuicleuo,	Lib. 1.
Contra Vuicleui dialogos,	Lib. 1.
Contra Vuicleuistas,	Lib. 1.
Aduersus Gualterum Britte,	Lib. 1.
Contra hæreses Ricardi tempore,	Lib. 1.

Et alia nonulla edidit. Opus de decimis & oblationibus contra Britum, Ioanni Treneuaunt Herefordensi episcopo dedicauit. Obijt Colcestriæ sepultus, anno Salutis humanæ 1397, regnāte Ricardo secundo. Hic ille fuit, quē Thomas Vualdenus in libro de Sacramentis, cap. 50, suum magistrū uocat.

IOANNES BROMYERDE. IIII.

IOannes Bromyerde, inter Dominicanos uir eximiæ famæ fuit: & ut Lelandus testatur, Isidis uadum, seu Oxonium, urbem eruditorū nutricem excoluit. Legum ille consultissimus erat, & in theologia plurimùm uersatus. Tantum ille. In Cantabrigiensi gymnasio postea supremę classis magister effectus, solenni iuramento promisit Antichristianæ synagogæ defensionem. Quod impigrè cum quibusdam præstitit socijs, anno Domini 1382, in Londinensi Papisticorū rabbinorum synodo. Quam tamen diuina Dei manus, ingenti quodam atq; horribili terræmotu, ad sui nominis gloriam, seruorumq; suorum pro tempore liberationem mirabiliter dissipauit. Ibi enim omnia pijssimi Vuicleui suorumq; discipulorū dogmata impostores damnabant,

damnabant quę uidebant esse pro Euangelio renouando contra Papismũ. Vnde posteritatis memoriæ Bromyardus tandem commendauit,

Summam prædicantium,	Lib.1. *Prædicantium uita, secundum beatum.*
Summam iuris moralis,	Lib.1. *Quod in sequenti opusculo, iura.*
Distinctiones theologiæ,	Lib.1.
Tabulam utriusq; iuris,	Lib.1. *Ab infantia & teneris annis.*
Dictionarium theologicum,	Lib.1. *Quod in tractatu sequenti cano.*
Contra Vuicleuistas,	Lib.1.
Sermones de tempore,	Lib.1.
Sermones de sanctis,	Lib.1.
Lecturas Scripturarum,	Lib.1.

Aliaq; plura composuit. Qui cætera de Bromyardo scire desiderat, Vualdenum in Zizaniorũ fasciculo, ac Tritemium de Ecclesiæ scriptoribus legat. Claruit autem uaria aduersus Dei ueritatem fulminans, anno Domini 1390, sub Ricardo prædicto.

MARSILIVS DE INGELNE. V.

MArsilius de Ingelne, Anglus, sola Tritemij authoritate mihi cognitus (inquit Lelandus) philosophus magnus, nec minor theologus fuit. Quo utroq; nomine Parisijs non mediocriter charus erat, utpote qui illorum academiam florentem, suis studijs florentiorem reddiderit. Vnde fama ita eius uirtutes per uarias latè regiones sparsit, ut breui multis in precio esset, &c. Heydelbergense gymnasiũ plantabat ille primus. Quod dux Bauariæ ac Rheni palatinus comes Robertus instituens, magnificè postea dotauit, & priuilegijs Vrbanus sextus Romanus pontifex Parisijs æquauit. Canonicus ipse olim erat, Vuimphelingio teste, & diui Andreæ apud Agrippinam Coloniam thesaurarius. Adulterinæ Papistarum uniuersitates illis diebus ueritatem ipsam, atq; nusquam mensuranda æterni Dei consilia, sub sui Aristotelis censura, idololatricè ponebãt, Christum, quantũ in ipsis erat, subijcientes diaboli uicario Antichristo. Edidit Marsilius sophisticæ lectionis opuscula, quæ habentur Heydelbergæ, uidelicet

Quæstiones Sententiarum,	Lib.4.
De re dialectica,	Lib.1.
Commentarios Physicorum,	Lib.8.
De generatione & corrupt.	Lib.4.
Commentarios in Aristotelem,	Lib.plur.
De religione clericorum,	Lib.1.

Et alia nobis incognita opuscula. Naturæ necessitati satisfecit tandẽ, anno à Christo incarnato 1394, & 14 calendas Septembris, Heydelbergę ad Petri fanum sepultus: ad quam è Lutetia uenerat, constituendi gymnasij gratia.

RICARDVS NORTHALL. VI.

RIcardus Northall, cuiusdam, ut fertur, prætoris Lodinensis eiusdem cognominis filius, in Midelsexię comitatu oriundus fuit: & à teneris annis, cura parentum, moribus ac literis probè imbutus. Qui postea inter Carmelitas Londinẽses, Alberti Hierosolymitani methodũ professus, ita à iuuentute disciplinas excoluit liberales, ut eas solas pro animi ornamento necessarias duceret. Quæ hominem adeò non fefellit opinio, ut exinde causa unica illi fuerit ad honoris gradus etiam summos. Vnde Ricardo secundo Anglorum regi ex assueta concione familiaris, Roberto Vualdeby

ad

ad episcopatum Cicestriensem translato, archiepiscopus Dubliniensis, Bonifacij *noni Rom. pontificis etiam consensu iste successit. Postremò ut studiorum* suorum fructum communem alijs faceret, composuit

Sermones per annum, Lib. 1.
Ad ecclesiarum parochos, Lib. 1.

Poterit esse, quòd alia adhuc scripserit: sed nihil apparet. Mortē obijt decimusseptimus eius sedis archiepiscopus, anno à Christi natiuitate 1397, dictæ functionis anno secundo, Dubliniæ in sua ecclesia sepultus.

THOMAS EDVVARDSTON. VII.

THomas Edvuarston, Eremitanæ professionis, quæ sub diui Augustini titulo militat, fraterculus, Clarensisq́ couentus, ut uocant, in Sudouolgiç comitatu cœnobiarcha, literis & ingenio per ea tempora prçstabat plurimum. Vnde post triuiales scientias, theologiæ scholasticç Oxonij nactus lauream, ex multifarijs, & eisdem speciosis in cōcionandi functione donis, & ex Leonelli Clarentiæ ducis fauore, cui à confessionum secretis erat, cuiusdam archiepiscopatus curā accepit. Idq́ fiebat, postquam idem dux est ab Italia cum uxore Iolantide, Ioannis Galeatij Mediolanensis ducis sorore, in Angliam reuersus. Titulus tamē archiepiscopalis sedis nō est in theologorum eius ordinis, ubi historiam uidi, catalogo inscriptus. Inter sui temporis scriptores hæc pauca protulit,

Determinationes theologicæ, Lib. 1.
Sermones solennes, Lib. 1.
Lecturas scholasticas, Lib. 1.

Feruntur & alia plura, sed ea non uidimus. Obijsse fertur Edvuardstonus, anno à salutifero diuæ uirginis partu 1396, & 20 die Maij, atq́ in Clarensi cœnobio solenniter sepultus, Ricardo secundo regnante.

IOANNES SOMER. VIII.

IOannes Somer, aliàs Somerius, ordine Franciscanus, ex eo collegio fuit, quod apud Gualteri pontem (uulgo Bridgevuater) emporium Somersetensium frequēs, prope Flueli fluminis ripas situm est. In scholis Oxoniensibus, ut Lelandus habet, per multos dies scientijs inuigilauit: & gloriā ab eruditione tunc partam, etiam nunc mortuus conseruat. Studuit philosophiæ, & Matheseos recondita mysteria omnia, ac fœlicitate quadam insolita, significanter aperuit. Extant eius opuscula plura, in diuersis Angliæ bibliothecis. Scripsit enim ad regem, Ricardum secundum: ex Hippolyto, Isidoro, Eusebio, Theophilo, Prospero, Victorino, Cyrillo, Roberto Lincolniensi, Dionysio exiguo, Beda, Helprico, Ioanne de Sacro bosco, Rogero Bacono, & alijs authoribus,

Calendarij castigationes, Lib. 1. *Corruptio calendarij horribilis est.*
Tertium Calendarij, Lib. 1. *In hoc opusculo, Tertij calendarij.*
Astrorum canones, Lib. 1.
De facultate metrica, Lib. 1.
De quantitate anni, Lib. 1.

Et alia id genus plura. Tertium Calendarij edidit præcepto sui prouincialis ministri, Thomæ Hynberi, & ad postulationem principis Vualliæ & Cornubiæ, Ioannç matris regis. Claruit anno Christi 1390, sub Ricardo secundo.

ROGERVS DYMMOCK. IX.

ROgerus Dymmock, secta Dominicanus, uir exacti iudicij (inquit Lelandus) non modò in rebus quç philosophos spectant, uerumetiam in

ipsis theologiæ mysterijs, quæ ad fidem pertinent, multos annos Oxonij, non sine gloria exegit. Fuit ipse inter magistros illic maximè celebris, & publico academiæ suffragio pugil inuictissimus designatus est: qui Vuicleui sectatores, in Deos (Papam & episcopos) instar gigantum tela exercentes, debellaret. Erant aduersarij (inquit) omni armorum genere instructissimi: tum præterea ad dandos ictus tam expediti, & ad uitandos tam cauti, ut cuiuis uiro quantumuis forti, & in prælijs non leuiter exercitato, iustum timorem incuterent. Tantum abfuit tamen, ut pugnam detrectaret. Sic Lelandus. Nam Dymmocus scripsit ad Ricardum regem,

Contra 12 hæreses, Lib. 12. *Gloriosissimo & metuendissimo.*
Ordinarias quæstiones, Lib. 1.

Atq; alia nonnulla edidit. In priori uerò opere, contra Vuicleuistas absentes, & Antichristorum tyrannide Oxonio fugatos, pugnæ suæ modum & rationes omnes, spe mercedis, regi declarauit, anno Domini 1390, ambitiosus hypocrita.

RICARDVS VVITHVS. X.

Ricardus Vuithus, sacerdos doctissimus, Vuicleui etiam Euangelici doctoris obsequentissimus discipulus, & concionator insignis, plura in Heliæ spiritu aduersus Antichristi blasphemias eleganter protulit. Et ex Salomonis prouerbijs, hoc tanquam generali fundamento utebatur, quòd impiorum uictimæ abominabiles essent Deo. Indeq; eliciebat, nullum simoniacum, scortatorē, aut idololatram, in uera Christi ecclesia sacerdotem fore: nec esse timendas uiro Christiano Romani pontificis excommunicationes. Hunc igitur ascripsit hæreticorum suorum catalago Bernardus Lutzemburgus, Dominicanus Coloniensis, insignis bestia atque indoctissimus asinus. Composuit enim Vuithus, homo insigniter eruditus, politè ac nitidè,

Contra uenerationes imaginum, Lib. 1.
Responsa ad 14 articulos, Lib. 1. *In primis imponitur mihi.*
Conciones quoq; uulgares, Lib. 1.

Aliorū eius operū nulla est apud scriptores mentio. Iudici tandem præsentatus, nihil retractare uolebat, quòd sacras scripturas approbare nouisset. Claruisse à Vualdeno narrat, anno Salutis humanę 1390, sub Ricardo.

IOANNES SVVAFHAM. XI.

Ioannes Svuafhā, aliàs Suaffamus, Lynnensis cœnobij Carmelita, academiæ Cantabrigianæ theologus, & episcopus Bangorensis, eo tempore claruit, quo Vuicleui sectatores bellum papistis indicebāt. Quare suum esse officium putabat, illos à cucullato, raso & uncto magni Antichristi grege quàm longissimè arcere. Sola cura restabat (ita Lelandus colligit) ut commoda id quàm primum fieret ratione. Sed in illa (inquit) non diu hæsit cura. Nam sophisticis munitus armis, in medios hostes giganteus miles irruit: hos oris gladio confodere, & illos calamo proterere, in animo statuens. Extant adhuc eius libri (inquit) inuictæ uirtutis (fanatici spiritus) testes amplissimi. Vnde tam serios hominis labores, suus honor non multo pòst sequebatur. (suos Antichristus sic præmiari solet) Bangoro etenim famosæ Venedotarum urbi, episcopus designatus fuit, à Gregorio 11 Rom. pontifice. Ediderat autem,

Contra Vuicleuistas, Lib. 1.
Concionum suarum, Lib. 1.

Præter

Præter hæc nihil opusculorũ eius extare nouimus. Interfuit magno prælatorum concilio apud Stanfordiam, cum rex Ricardus, Bonifacij 9 præcepto, Vuicleuistas damnaret, anno ab incarnato Dei filio 1392, ut in Fasciculo Vualdenus habet.

GVILHELMVS EGVMONDE. XII.

GVilhelmus Egumonde, Christianæ fœlicitatis non minimam partem in Papisticis sectis esse credens, magni Augustini amore, parentibus relictis, in æde Stanfordiensi, Eremitanorum fratrum se dedidit institutis. Literarum postea, tam diuinarum quàm profanarum studiosus, tandiu frequentabat Anglorum gymnasia, donec esset supremæ classis, theologicique ordinis pileatus professor ac doctor. Splendidiorem adhuc titulum quærens, ut eo magnificentior & dignior uulgo haberetur, fit Romani pontificis pecuniaria gratia Pissinensis episcopus, ac Lincolniensi præsuli Henrico Belfortio à suffragijs. De quo sic habet Lelandus: Guilhelmum Stanfordium (inquit) tum fama tum doctrina celebrem, Augustiniani suum deprædicant. Congessit uerò, quo posteris esset notus,

Replicationes scholasticas, Lib. 1.
Sermones ad plebem, Lib. 1.

Fuerunt & alia ab eius sectæ scriptoribus numerata, quæ tamen ipse non uidi. In quibus omnibus, præter hominum commenta, nihil ferè protulit. Claruisse fertur anno à Christi seruatoris ortu 1390, regnante Ricardo secundo.

IOANNES TISSYNGTON. XIII.

IOannes Tissyngton, homo (ut Lelandus habet) magnæ inter Franciscanos authoritatis, idem fecit Oxonij, quod Binhamus, Kinynghamus, ac postea Radelivus. At quanto Oxonium, fructuosa urbs bonarum artium exercitatione cæteris præstat urbibus, præcipuè Verolamio, tanto clarior mihi quidem uidetur esse Tissyngtoni eruditio: ut qui magno animo ausus sit suam de Sacramento altaris assertionẽ, præsente numerosa eruditorum corona, pronunciare. Hæc ille. Ex Aristotelico spiritu, ad magni Antichristi commodum, scripturas omnes egregiè interpretabatur. Vnus ipse erat ex 12 primis Vuicleuicæ doctrinæ censorib. iniquis, qui anno Domini 1381, in Rabinorum cõuocatione Oxonij, sub Bertono cancellario, pium hominem, ac ueritatis instauratorem, hæreseos damnabãt. Fatetur tamẽ in opere suo contra Vuicleuum, magistros olim Parisienses, anno scilicet Christi 1140, esse pro significare in Dominicæ cœnæ uerbis accepisse. Crumenæ nihilominus ex Missarũ lucro prospiciẽs, præter quotidianas molestias, quas Dei seruis inferebat mordens locusta, euomuit tandem, sub contrariæ confessionis titulo,

Contra confessionem Vuicleui, Lib. 1. *Semel confessus est filius Dei.*
Scutum pro Eucharistiæ defensione, Lib. 1.
Pro auriculari confessione, Lib. 1.
De sacramentis, Lib. 1.
Certamina scholastica, Lib. 1.

Et eius farinæ alia. Confitetur in primo Opere, maiorem esse theologorũ cæcitatem, citra Mendicantium fratrum originem, quàm prius unquam: idque fieri diuina ultione. Ad mentẽ tamen inde non redijt hypocrita. Obijt Angliæ minister, anno Christi 1395, Londini sepultus.

GVILHELMVS RIMSTON. XIIII.

GVilhelmus Rimston, uel Rimyngton, monachus de Salley, Cister-

ciensis ordinis, non adolescens modò, uerùm etiam uir annis maturus, literis operam dedit. Vnde post inferiorum artium studia, inter Academicos theologos aliquantulum uersatus, ab incœptis non destitit, donec eius nominis lauream facilè sibi comparasset. Et constat senatum Oxoniensem, communibus illum calculis, utpote magnum Eucharistiæ assertorem, prima statim academiæ donauisse classe. Quod certè ab illis nō alia factum crediderim ratione, quàm ut Vuicleuistis, acumine sophistico, quo erat instructus, frenum subtilius imponeret. Correpto igitur calamo, hos est celeriter aggressus, sed non absque summo dedecore. Porrò dialogum scripsit inter catholicum & hæreticum,

Contra Vuicleuistas, *Lib.1. Quadraginta quinq; conclusionibus meis.*
Conclusiones catholicas, *Lib.1.*
Ad quendam Anachoretam, *Lib.1.*

Nonnullaq; alia carmine ac prosa edidit. In dialogo suo, Iuda proditore sceleratior sophista, diabolicas Papistarum imposturas catholicam ueritatem uocat, & purissimas Euangelij doctrinas prauitatem hæreticam. Claruit anno Domini 1390, sub Ricardo.

APPENDIX.

Anno Domini 1389. Magistri Parisienses, tempore magni in ecclesia schismatis, uidentes fratrū Mendicantium crescere nequitias, librum aculeatum Guilhelmi de S. Amore, de periculis nouissimorum temporum, anno Christi 1256 editum, & ab Alexandro 4. Rom. pontifice, anno Domini 1260, damnatum, in eorum uituperium reuocabant. Vnde Mathias Parisiensis in præfatione eiusdem libri: Hi nempe doctores (inquit) in Christo fideles & gloriosi existentes, ut lumen sanctæ ecclesiæ super candelabrum constituti, quorum multitudo tunc erat sanitas orbis terrarum, nequißimum Antichristum & membra eius, ac meretricem ipsius ex parte cognoscentes, & ex parte in futurum prophetantes, præcauendo sanctæ Ecclesiæ & eius gubernatoribus, apertè et nudè reuelauerunt, &c. Ex commentario Ioannis Puruey Angli, in Apocalypsim, qui uocatur, Ante centum annos: Constat quòd anno Domini 1382, factus sit terræmotus supra modum prodigiosus, dum Vuicleui doctrina damnaretur à Papistis. Qua simul tremuit tota terra. Nunquam uisa est solis eclipsis notabilior à paßione Christi, quàm illa quæ contigit eodem anno. Generale mandatum tunc erat, pro scripturis in Anglico sermone comburendis, procurantibus mendicātium fratrum ordinibus. Hypocritæ in ecclesia præualent, Papam defendentes: & hi sunt fratres quatuor sectarum, cruciatæ Papalis procuratores speciales. Exercitus ipsius cruciatæ Papalis, cum Henrico Spenserio Nordouicensi episcopo missus in Flandriā, uulnus sæuum sensit. Quia de eo nullus euasit, quin aut est ibi interfectus, aut uulneratus, aut dysenteriæ morbo percussus: aut tandem à rege Francorum, cum uerecūdia nostræ gentis inaudita, fugatus. Et sequitur: Septem anni elapsi sunt, quòd primò generaliter Papa Romanus, uulgatus sit Antichristus magnus, à præconibus Euāgelicis, scilicet ab anno Domini 1382. Et sic iam sumus in illis 45 diebus Danielis, qui dantur electis. Nunquam hæc & consimilia scripsissem cōtra Antichristum & suos, nisi me incarcerassent ne in eos agerem, &c.

ADAMVS ESTON. XV.

ADamus Eston, Benedictinæ professionis Ventæ Icenorum seu Norduici monachus, & Oxoniensis academiæ doctor, ex singularibus Dei donis, in nostro catalogo locum petit illustrem. Licet hic tenui sit natus parentela, uir tamen facundiæ ac solidæ eruditionis fuit: tum præterea tam exactus philosophus, ut ad omne disciplinarum genus amplißimus uideretur. Erat ille præter alias linguas, Hebraicè, Græcè & Latinè peritus, quod ea ætate pro miraculo haberi poterat. Hanc illi linguarum ac scientiarum uirtutem, non educatio aut natura ipsa, sed insignis quidam labor & diligentia attulerunt. Vnde Romam uocatus à Gregorio 11, fit eius ecclesiæ

presbyter

presbyter Cardinalis, tituli S. Ceciliæ. Circa annũ uerò à Christi natiuitate 1380, sub Vrbano 6, qui Gregorio succesit, qui & quinq; Cardinales saccis impositos aquis submersit, incõmoda sustinuit multa. Et ut Theodoricus à Niem, in primo libro de Schismate, cap. 57. testatur, Genuæ cum alijs, pontifex captiuum illum reliquit. Postea tamen ad petitionem Ricardi Anglorum regis ac monachorum, qui pro eo scripserant, è carcere dimissus, sed nõ liberatus, priuatam atq; pauperẽ duxit uitam, usq; ad Bonifacium 9, qui in statum pristinum ipsum tandem reposuit. Plura Adamus scriptis commendauit, scilicet

De communicatione idiomatum,	Lib. 1. *Reor primùm cum doctoribus sanctis.*
De sua calamitate.	Lib. 1. *Dulcißime Domine, expectans ex.*
De potestate ecclesiæ,	Lib. 1.
De electione pontificis,	Lib. 1.
Defensorium ecclesiæ,	Lib. 1.
Perfectionem uitæ spiritualis,	Lib. 1.
Modum conferendi beneficia,	Lib. 1.
Formam procedendi contra hæreticos,	Lib. 1.
Opus uitæ, contra hæreticos,	Lib. 1.
Dialogum regis & episcopi,	Lib. 1.
De diuersitate translationum,	Lib. 1.
De ueritate catholica, Græcè,	Lib. 1.
Meteora Aristotelis, ex Græco,	Lib. 4.

Hebraica eius:

Alphabetum Iudæorum Hebraicè,	Lib. 1.
Textum Hebraicum Bibliorum,	Lib. 1.
Postillam Hebraicam,	Lib. 1.
Psalterium Hebraicum,	Lib. 1.
Expositionem Leuitici,	Lib. 1.
Hebraica Saraceni,	Lib. 1.
Hebraica Iarchi Salomonis,	Lib. 1.

Et alia plura habuisse ac scripsisse dicitur. Claruit anno à Christi seruatoris aduentu in carnem 1390, in Anglia regnãte Ricardo eius nominis secundo. Et fertur totum uetus testamentum ab Hebræo in Latinum illis diebus transtulisse.

GVILHELMVS BEVVFV. XVI.

GVilhelmus Bevufu, Northamptonensis cœnobij Carmelita, Isiacorũ gymnasium (sic habet Lelandus) seculis notum celebrauit, ac tandẽ in eodem theologiæ magister est effectus. Nec illud (inquit) sua caret nota, quòd à sui ordinis proceribus sui cœnobij sit designatus præses. Quemadmodum neq; hoc quod sequitur, nempe quòd quædam opuscula scripserit, & quædam in Latinam linguam transtulerit. Tantum ille. Veruntamen ex illis mendaciorum magistris erat, qui friuolis sophismatibus atq; hominum impiorum figmentis, æternum Christi testamentum conculcabant, ut ex ficta falsaq; carnis iustificatione fœdißimum idolum erigerent. A' suis etenim ille dicitur edidisse opuscula illa quæ sequuntur, uidelicet

Lecturam Sententiarum,	Lib. 1. *Datus est ei decor Carmeli & Saron.*
Collationes uarias,	Lib. 1. *In Petra exaltauit me, Psal. 26.*
Miraculorum Mariæ,	Lib. 1. *Ad honorem Dei & gloriosißimæ uirg.*
Speculum Eadmundi transtulit,	Lib. 1. *Videte ad quid uocati estis, dicit.*

Hoc ultimum opus Eadmundi Abyndoni, Cantuariensis archiepiscopi,

è Gallica lingua in Latinum sermonem traduxit, quod uocatur Speculum contemplandæ Deitatis. Claruit anno ab incarnato Mesia 1390, & in suo obijt cœnobio.

ROGERVS TVVIFORDE XVII.

ROgerus Tuuiforde, aliàs Good Lucke, ob D. Augustini doctoris Ecclesiæ famigeratum nomen, Augustinianorum fraterculorũ sectariæ factioni ascribi se fecit. Iuuenis naturali pollebat industria: qua per Anglorum Academias, scientias tam sacras quàm profanas solicite quærebat. Inde tandem theologicum magisterium adeptus, multarum cōcionum non infœlix factor ac propalator per diœcesim Nordouicẽsem fuit. Nec desunt apud sui ordinis symmistas, qui dicant, eum longo in Scripturis studio fuisse exercitatum, & multa ueterum lectione eruditum. Sed omissis illis, nunc tandem quid in lucem emiserit, indicandũ potius occurrit. Exarauit enim ætate sua Tuuifordus, piè ac religiose,

Itinerarium mentis in Deum, Lib.1. *Cum omnis scientia gerere debeat.*
Sermones eruditos, Lib.1. *Veniet desideratus cunctis gent.*

An extent adhuc alia ab ipso scripta opuscula, planè ignoro. Claruisse uerò his temporibus fertur, in quibus diabolo procurante, regnabant in clero horribilia schismata, & in Christianorum regnis intestinæ seditiones.

IOANNES TREVISA. XVIII.

IOannes Treuisa, genere ac patria Cornubiensis, officio sacerdos & uicarius de Barkeley, uir multa eruditione atque eloquentia clarus, ex primis unus erat, qui patrium sermonem polire, atq; ab eo barbariem auferre tentabat. Quo nomine, quibusdam regni primoribus uiris, præcipuè eximio domino suo Thomæ de Barkeley, charus & acceptus fuit. Inter alia autem studiorum genera, quæ hominum animos recreare solent, rerum antiquitates & historiæ illi maximè complacebant. Videbat ab illis optima uitæ exempla atq; consilia peti posse. Quæ dum ex illis studiose colligeret, & in nouam formaret historiam, in monachos rigidum ac mordacem interdum se ostendit, eorum fastum, luxum atque hypocrisim taxans. Legimus Christum (inquit uno loco) Apostolos & presbyteros instituisse; at monachos aut Mendicantes fratres fecisse, nusquam inuenimus, cum similibus sententijs multis. In Anglicum idioma, ad petitionem prædicti sui domini de Barkeley, transtulit totum Bibliorum opus, seu

Vtrumq; Dei testamentum, Lib.2. *Ego Ioannes Treuisa, sacerdos.*
Bartholomæum de proprietatibus rerum, Lib.19. *Post præclaram ac solidam doctrinam.*
Ranulphi Polychronicon, Lib.7. *Salutem & honorem digno atq; hono.*
De sua translatione dialogum, Lib.1. *A tempore quo ingens turris Bab.*
Continuationes Polychronici, Lib.1. *Dum præfatum Polychronici opus f.*
Gesta regis Arthuri, Lib.1.
Brytanniæ descriptionem, Lib.1.
Hyberniæ descriptionem, Lib.1.
De memorabilibus temporum, Lib.1.

Et alia plura fecit ac transtulit. Continuationes Polychronici 55 annos continet, & durant ab anno à Christi incarnatione 1342, usq; ad annum eiusdem 1397, in quo ipsemet Treuisa claruit, sub Ricardo secundo, Anglorum rege.

HVGO LEGAT. XIX.

HVgo Legat, in Hartfordiensi comitatu oriundus, & ad Albani fanum sectę Benedictinorum monachus factus: bonorum authorum lectioni addictus,

ni addictus, teneros annos in scholis fœliciter exegit. Nec tantum contentus intra cœnobij septa se continere, ad Oxonienses multarum artium studiosos atque explicatores egregios, abbatis sui licētia euolauit, thesauros demum inde reportans prudentiæ tum humanæ tum diuinæ. Inter ocia literaria, incidit illi in manū Ioannis Hanvuilli, sui ordinis & cœnobij monachi, Architrenius, carmine editus. In quo opere, uidens poeticas eius inuentiones, antiquorum historijs, rebusque adductis, ac scientijs pulchrè conuenire, multaque in eo hominū uitia pio luctu perstringi & taxari, illud suis scholijs explanare statim decreuit. In cuius explanatione, mox post principium ait: Tantarum deliciarum thesaurum producere cupientes, ut fructus inde posteris accrescat, tempus nobis idoneum Autumnum delegimus, ut nostræ uniuersitatis filij, studiorum diuersorum laboribus fatigati, in eius agro spaciantes, recreationis flores inde colligāt, &c. Composuit igitur ad Guilhelmum Hayvuort, abbatem sui cœnobij, commentarios

Super Architrenium prædictum,	Lib. 9. *Humilimus paternæ plantationis.*
In Boethium de consolatione,	Lib. 5. *Suprema Dei sapientia cœlest.*
Epistolas ad diuersos,	Lib. 1.

Aliaque eius generis plura edidit. In prædicto commentario, authorem ab eruditione, pietate, ac laboribus commendat: & quòd mundi huius miserias defleuerit pijs gemitibus. Claruit anno Salutis humanæ 1400, Henrico quarto in Anglia regnante.

ROBERTVS ALYNGTON. XX.

Robertus Alyngton, magister sophisticus, doctior (inquit Lelandus) quàm facūdior (dixisset, stultior quàm prudētior, quum in ipsa luce ueritatis lucem non uiderit. & sequitur:) incidit in ea tempora, quæ semisopitas Oxoniensium mentes acriter ad studia incitabāt. Nam Vuicleui factio (inquit) editis in lucem bene multis famosis libris, ita inualuerat, ut cogerentur tanquam uicti, supplices dare manus, nisi prius habuissent, quibus uenienti occurrerent malo. Acsi perniciosum malum esset Dei ueritas: & arma quibus abarceretur, sophisticæ cauillationes forēt. Scripsit in hos hostes (inquit) dū esset Oxoniēsis gymnasij cancellarius, de ueneratione sanctorum atque imaginum (ingenuè se prodidit) *sed an habuerit ab aduersarijs uictoriam, certè non satis scio.* Neque illud unquam sciebas Lelande: Non est sapientia, non est prudentia, non est consiliū aduersus Dominum, Prouer. 21. Edidit Alingtonus,

Sophistica principia,	Lib. 1. *Terminorum aliqui sunt simplices.*
Suppositiones Logicales,	Lib. 1. *Suppositio simplex diuiditur in.*
In prædicamenta Aristotelis,	Lib. 3. *Quoniam Logica ad omnium scientiar.*
De adoratione imaginum,	Lib. 1. *Pro materia de adoratione imag.*
De ueneratione sanctorum,	Lib. 1.
Quæstiones de imaginibus,	Lib. 1. *Vtrum imagines & picturæ sint.*
De mendicitate spontanea,	Lib. 1. *Vtrum ex ratione uel scriptura sit.*
De Christi humanitate,	Lib. 1. *Vtrum Christus sit humanitas assum.*
Super constitutis Ioannis 22.	Lib. 1. *Aduersus cōstitutiones Ioannis, quædam.*
De Eucharistia,	Lib. 1.
Lecturam quandam,	Lib. 1. *Notandum secundum Lincolniensem, dic.*
De eleemosyna,	Lib. 1. *Vtrum eleemosyna corporalis sit.*
Super 6 principijs,	Lib. 1.
In diuisiones Boethij,	Lib. 1.

In

In Priora Aristotelis, Lib.2.
In Posteriora eiusdem, Lib.2.
Ordinarias quæstiones, Lib.1.

Et alias Antichristianorum dogmatum fæces. Quæ ex hominibus, Tartarei putei locustas facere solēt, & Christianos professores in incarnatos diabolos uertere. Claruit Alingtonus anno à Messiæ natiuitate 1400, sub Henrico quarto.

IOANNES BOTRELL. XXI.

IOannes Botrell, utrum à parētibus, an à natiuitatis loco appellationem hanc traxerit, nescio: studio dialecticus facundus atq; eruditus fuit, professione uerò Carmelitanus. Non ut psalterium cum cantico in cithara, dialectica ars cum Carmeliticæ professionis regula in Christo seruatore concordat, sed ut cum Papismo in summa eius blasphemia paganismus. Dialectica quidem in Papistis, non nisi contentionis ac tenebrarū artificium est. Vnde per ipsam reliquæ scientiæ omnes, imò & superna Dei ueritas illa, obscuriores ac cognitu difficiliores nobis reddūtur. Miserum profectò & irrationabile hominum genus, si absq; ea disciplina in rebus suæ fidei ratiocinari, atq; tandē credere nesciat. Composuit Botrellus latinè atq; eruditè,

Summulas logicales, Lib.1. *De uniuersalibus, an subsistant.*
De utilitate Logices, Lib.1. *Artis logicæ authorem ac primum.*

An aliud quicquam ediderit, compertum certè non habeo. Putabat hic Peripateticus præceptor, nihil stare aut sciri posse, quod non probetur per demonstrationes syllogisticas. Claruit anno uerbi incarnati 1400, sub rege Henrico quarto.

NICOLAVS GORHAM. XXII.

NIcolaus Gorham, in uilla eiusdem cognominis, sub ditione abbatis D. Albani, & in Hartfordiensi patria natus, in Martonensi collegio Oxonij primùm studuit, atq; eo loco philosophiæ laureā etiam promeruit. Percitus inde (ut Lelandus habet) Dominicanorum religione, socium se eis in eadem academia adiunxit. Paucis abhinc annis Lutetiam Parisiorum, non rediturus, petijt. Vbi tot egregia ingenij acerrimi monumenta, post lecturam, scriptis commendauit, quot ætas nostra facilè in eo admiratur: usqueadeò, ut extent eius Commentarij super bonam partem utriusq; instrumenti. Gallum fuisse, aliquot scriptores cōtendunt, præcipuè Leander Bononiēsis in quarto illustrium Prædicatorum libro. Qui error hinc natus est, quòd ipse olim in precio sanè incredibili Parisijs fuerit, & Francorum regis confessor. Porrò erat, Tritemio teste, in scripturis sanctis locupletissimus, & in alijs scientijs multipliciter eruditus. *Sicut igitur ex doctrina illum non* iudico malū, quòd diuina tractauerit: ita nō omnia eius dicta probo, quòd *in eo extiterit tenebrarum seculo. Licere enim illis diebus putabāt, quiduis* ex quouis inferre: atq; in sensus uarios, simplicissimos Scripturæ textus detorquere. *Explorandi quidem spiritus sunt, num ex Deo an ex Mammona* sint. Hæc certè uolumina congessit, non omnino abijcienda,

In Pentateuchum Mosi, Lib.5.
Super Iosue, Lib.1.
Super Iudicum & Ruth, Lib.2.
Super Regum, Lib.4.
Super Paralipomenon, Lib.2.
Super Esdram, Lib.3.
Super Tobiam & Iudith, Lib.2.

Super

Super Hester & Iob,	Lib.2.
In Prouerbia Salomonis,	Lib.1.
In Ecclesiasten,	Lib.1.
In Sapientiam,	Lib.1.
In Ecclesiasticum,	Lib.1. Sapientia ædificauit sibi domum.
In Psalterium Dauidicum,	Lib.1. Laudationem Domini loquetur os.
In Cantica canticorum,	Lib.1. Benedictionem dabit legislator.
In Esaiam,	Lib.1.
In Hieremiam,	Lib.1.
In Baruch,	Lib.1.
In Threnos Hieremiæ,	Lib.1.
In Prophetas minores,	Lib.12.
In Machabæos,	Lib.2.
In Euangelium Matthæi,	Lib.1.
In Euangelium Marci,	Lib.1.
In Euangelium Lucæ,	Lib.1. Disciplina medici exaltabit caput.
In epistolas Pauli,	Lib.14. Dedi te in lucem gentium, ut sis.
In Apocalypsim Ioannis,	Lib.1. Liber iste diuiditur in tres partes.
In Euangelium Ioannis,	Lib.1. Ecce seruus meus, quem elegi.
In Epistolas canonicas,	Lib.7. Missæ sunt epistolæ ab Apostolis.
In prologos Bibliorum,	Lib.1.
Sermones dominicales,	Lib.1. Hora est, iam nos de somno surgere.
Sermones festiuales,	Lib.1. In baculo meo transiui Iordanem.
Distinctiones theologiæ,	Lib.1. Abeuntium per hunc mundum, alij.
Distinctiones thematum,	Lib.1.
Tabulam decretorum,	Lib.1.
Commentarios sententiarum,	Lib.4.
Lecturas scholasticas,	Lib.1.
Quæstiones uarias,	Lib.1.

Aliaq; nonnulla scripsisse dicitur. Et hæc de Gorhamo, ueluti per compendium dicta, pro præsenti sufficiant. Claruit anno à communis salutis origine 1400, sub rege Henrico eius nominis quarto, ac Parisijs tandem obijsse fertur.

PAPAE, VEL ANTICHRISTI ROMANI.

146. Benedictus decimustertius, patria Catalanus, Petrus de Luna prius uocatus, ab his qui adhuc Auenione manserant in ipso schismate Cardinalibus electus, Clementi septimo in eo Papatu successit. Hic antequam esset in Papam electus, disputauit contra authoritatem Papæ & suorum spiritualium: dixitq; non esse timendam. Atq; ob illam tam ueram sententiam, nihilominus est tanquam hæreticus, ab eius temporis Antichristo damnatus. Voluit equidem ipse, suam suorumq; filiorũ etiam iniustam sententiam timeri, ut eius iura testantur. Nec satis ei uidebatur, quod Paulus dicebat: Nempe se tantum ad ædificationem potestatem habere, ad destructionem uero non posse quicquam. In eo perdurauit officio (inquit Crantzius) usq; ad tempus concilij Constantiensis, inq; eo authorizando uariauit: finaliter obdurescebat, destitutus in eodem. Et in pertinacia sua permansit idolum cum idolis Cardinalibus: qui etiam post ipsum tentarunt schisma continuare, sed prohibiti sunt. Hæc ille. Inter cætera quæ fecit hic pontifex, Francorum regi Carolo sexto decimas ecclesiasticas (Gaguino teste) dedit: partim ut rex illum defenderet, partim ut ingentis eius lucri particeps & ipse fieret. Cum iste Benedictus, in patria sua Catalonia, & in castro Peniscülæ munitissimo se contineret, seq; uerum Christi uicarium diabolicus impostor assereret, authoritate eiusdem concilij generalis multipliciter improbatus fuit. In Perpiniano tamen synodum congregauit, ac multos Cardinales fecit. Moriens tandem Penisculæ, anno Domini 1424, his suis Cardinalibus iussit, ut alium statim sui loco eli-

gerent: & Aegidium Munyos, Barchinonensem canonicum mox constituerunt, Clementem octauum appellantes. Qui protinus Alphonsi regis hortatu, & Cardinales creauit, & egit quæ à pontificibus fieri consueuerunt. Verùm, cum Papa Martinus quintus, in gratiam cum Alphonso redijsset, Aegidius eo iubente, omnia pontificatus iura deposuit, Maioricensis episcopus declaratus: & Cardinales ab eo creati, sponte se Cardinalatu abdicarunt.

Cogor hoc loco diligentißimi scriptoris, Matthiæ Flacij Illyrici testimoniũ afferre, de Theodorico à Nyem, qui præsentis schismatis chronicon tribus edidit libris: quum ipsum opus nunc desit. Theodoricus Nyem (inquit) aliquot Paparum intimus scriba, uir bonus & doctus, descripsit bona fide historiam schismatis inter Papas, quod ante Constantiense conciliũ per annos 39 durauit. Deus bone, quas in ea historia technas, quas fraudes & diabolicas uafricies, quæ scelera & facinora Paparum & spiritualium recenset? quibus illi Deum, religionem & ecclesiam Christi ludibrio horribiliter habent, uexant, & suæ tyrannidi subijciunt. Equidem fateor, quòd etsi multa eorum scelera prius legeram, audiueram, & etiam uideram: atq; ideo non uulgarem de Antichristi eiusq; filiorum malicia opinionem conceperam: tamen lecto eo libro, animaduerti eos decuplo peiores esse quàm unquam antea suspicatus sum. Verè iam assentior, Papas (ut etiam ipsorum Canonistæ disputant) esse neq; homines neq; deos. Sunt enim incarnati diaboli, ipsum etiam Satanam malicia & peruersitate longè uincentes. Disserit quoq; idem author, Papam nõ habere aliquod ius politicum supra Cæsarem: sed contrà, Cæsares debere sceleratos Papas castigare. Quin etiam dicit eos esse indignos, ut Cæsares uocentur, qui ad tam fœda scelera ac tyrannidẽ Paparũ conniuent. Extat eius authoris scriptum in tres libros diuisum. Sed spirituales & deuoti Antichristi, ubi potuerunt, talia scripta aboleuerunt.

147. Innocentius septimus, patria Sulmonensis, Cosmarus de Perusio antea nuncupatus, tituli S. Crucis presbyter Cardinalis, tumultuante Italia tota, post Bonifaciũ nonum Romæ pontifex creabatur. Dum adhuc Cardinalis hic esset, teste Platina, carpere negligentiam ac timiditatem priorum pontificum consueuerat, dicens: eorum socordia factum esse, ne Rom. ecclesiæ schisma, totiusq; eorũ reipublicæ pernicies hactenus tolleretur. Verùm, ipse pontificatum adeptus, secutusq; in quibusdam Vrbani et Bonifacij uestigia, quos priuatus carpebat: non modò quod tantopere uituperabat, effecit: uerumetiam iniquo animo ferebat, si quis apud se ea de re uerbum ullum fecisset. Præterea adeò tumultuose omnia gubernabat, ut cum semel Romani restitui in libertatem, reddiq; sibi Capitolium, pontem Miluium, & arcem Hadriani peterent, instarentq; item ut schisma perniciosum ab ecclesia tolleret, bella extingueret, ac seditiones sopiret, rege Gallorũ operam pollicente, & Petro Luna concordiam non abnuente: Romanos ipsos Pontifex ad Ludouicum nepotem in S. Spiritus hospitali commorantem, tanquam ad certum carnificem miserit. Qui statim undecim ex ipsis ciuibus, qui labenti suæ reipublicæ in negligentia Pontificis consulturi uenerant, statim necabat, & è fenestris deijciebat: dicens, non alio modo seditiones & schismata tolli posse.

Qua sæuitia permotus populus Romanus, accito Ladislao Apuliæ rege, arma suscepit, supplicium de Ludouico sumpturus. Sed pontifex declinaturus populi furorem, Viterbium cum Ludouico nepote, cum populi proditore insignis proditor, citato gressu proficiscebatur. Tum uerò populus, cum sæuire in authorem tanti facinoris nõ posset, in aulicos iram conuertit, quorum bona magna ex parte sunt inde direpta. Seruari tamẽ quidam dicebantur in ædibus Cardinalium: qui adiuuantibus seruis, ægrè tamẽ, ad se confugientes tutati fuerant. Capto deinde Capitolio, occupatoq; ponte Miluio, arcem Hadriani oppugnare frustra conati sunt: adiuuantibus Romanos Ioanne Columna Troiæ comite, & alijs egregijs copiarum ducibus, atq; Ladislai regis auspicijs. Rebus postea compositis, Romam rediens Papa, plures Cardinales delegit: quorum de numero fuere Angelus Corrarius Venetus, Petrus Philargus Cretensis, & Otho Columna nobilis Romanus. Confirmato hoc modo pontificatu suo, Ludouicum nepotem agri Piceni marchionem creauit, eundemq; Firmanũ principẽ exinde constituit. Mediam partem ecclesiasticorum prouentuum (ut Gaguinus habet) per Galliam & Angliam petens, repulsam passus est. Quibus ita gestis, non diu superuixit, sed anno Domini 1407. Romæ diem extremum obijt, in D. Petri templo sepultus.

148. Gregorius duodecimus, patria Venetus, Angelus Corrarius antea nominatus, patriarcha Constan-

Constantinopolitanus, et tituli S.Marci presbyter Cardinalis, Romæ in demortui Innocentij locum surrogatus fuit. Sed hac lege Gregorius Romæ creabatur, ut si ex re foret ecclesiæ, pontificatu se abdicaret, ob Benedictum 13, Petrum Luna uocatum, qui Auenione Clementi septimo successerat. Qui suscepto mox pontificatu, quod antè promiserat, scripto confirmauit, adhibitis etiam notarijs & testibus: modò Benedictus quoq; id idem præstaret, ac fastū deponeret. Sed cum Benedictus nollet, & ex Auenione in Hispanias fugeret, nec Gregorius ipse cedere uoluit. Cohortantes tamen sese in principio per legatos, & abdicationem mutuam offerentes, Sauonam, in qua urbe conuenirent, ad concordiam elegerunt. At in conueniendo per nuncios & literas, seq; inuicem illudentes, maxima Christianorum incusatione, maiorem diuisionem concitarunt. Ingens ergo concilium Pisis celebrabatur anno Domini 1410, in quo collusores & fœdifragi, ab utroq; Cardinalium conuentu sunt habiti: & utrumq; uno consensu pontificatu priuarunt. Erant enim in eo concilio 124 theologi, & penè 300 iurisconsulti, qui ambos à Papatu remouerunt, Alexandrumq; Cretensem eorum loco statim elegerunt. Approbatum erat hoc factum omnibus nationibus, præterquam citerioribus Hispanis, Scotis, & Armeniaco comiti, qui omnes Lunæ adhærebant. Gregorius autem & Benedictus, contempto concilio Pisano, sese Pontifices, ut antè, gesserunt: subueriti tamen ne caperentur, alter Ariminū cum Leonardo Aretino secretario, alter in Cataloniam cum suis, diffugerunt.

Atq; ita tres soles (nam Papa se solem esse iactitat) in Papatu relucebant, quorum nullus in uero Papatus cœlo collocatus fuit: sed omnes infrà in nubibus pallidi apparebant, ut quibus mox euanescendum esset. Gregorius autem post dictum concilium Arimini à Carolo Malatesta eius urbis principe perbenignè exceptus erat. Qui dum Lucæ moram faceret, ex Cardinalium consensu, qui nondum ab eo discesserant, Gabrielem Condelmerium ex sorore nepotem (si non filium) creauit Cardinalem. Nicolaum de Luca, Carmelitam, doctorem theologum, dum in concione unionem ad Christianæ reipublicæ commodum suaderet, è pulpito uiolenter traxit, & in uincula ad cæterorum terrorem coniecit. Montoliuetensium monachorum ac Hieronymitarum sectas, cum congregatione Venetorum S.Georgij de Alga approbauit. Ex Constantiensi synodo generali demum ad eum miserunt patres, ut illuc ueniret, aut saltem destinaret nuncium. Et Carolum Malatestam oratorem misit. Qui uidens eos ita uelle, ut Papatu priuaretur, ascendit pontificiam cathedram illic præparatā, promptissimeq; cessit, quarto die Iulij anno Domini 1415. pro qua libera abdicatione, conuentus omnis illum agri Piceni legatum creauit. Quod ut resciuit, post paucos dies Recanati, præ tristitia & animi dolore defecit: ubi & honorifica pompa conditus fuit. Restabat Petrus Luna, de quo Ioannes Gerson theologus Parisiensis, toties repetiuit in ipsa synodo præsens: Non erit pax ecclesijs, donec auferatur Luna. Sed ille nullius authoritate, nullius minis aut precibus, ut resignaret, adduci potuit. De his plura refert Thomas Vualdenus in quodam sermone, coram Anglorum rege Henrico quinto.

149. Alexander quintus, patria Cretensis, ac professione Franciscanus, Petrus Philargus uel de Candia prius dictus, episcopus primùm Nouariensis, deinde Mediolanensis archiepiscopus, postea Cardinalis presbyter tituli basilicæ 12 Apostolorū, Gregorio prædicto in Papatu successit. In concilio Pisano (ut dictum est) abrogatis præsulibus Benedicto & Gregorio, omnium qui tum aderāt Cardinalium consensu, pontifex maximus constituebatur. Quem quidē gradū (inquit Platina) aut dignitatē adeptus, meritò Alexandri nomen consecutus est: cum et exuberanti profusione & animi magnitudine (mendicus olim fraterculus) cum quouis principe conferri posset. Hinc sibi cōparauit in Abadonis regno, locusta quondā ualde tenuis, quasi hominis uultū, dentesq; quales sunt leonū, Apoc. 9. Vnde per iocum interdum dicere solebat, se diuitē episcopū fuisse, pauperē Cardinalē, ac (excepto Papatu fortassis) mendicū pontificem. Tanti reuera animi Alexander hic magnus fuit. Vladislaū Neapolis et Apuliæ tum regē potentissimū, qui malè partas ecclesiæ ditiones dextrè magis occupauerat, in cōcilio Pisano, approbātibus qui tunc aderāt sacrificulis, regni paterni iure tyrannicè deiecit: idq; Ludouico Andegauiæ duci iniquè adiudicauit. Soluto cōcilio Pisano, pōtifex iste Bononiā proficiscebatur: cui ciuitati tum præerat Balthasar Cossa, S.Eustachij Cardinalis (Sodomita cinædusq; malignus) quē Alexāder in legatione cōfirmauit, quòd eius astutia atq; præsidijs conciliū illud habitū fuisset: quodq; uir esset, qui percōmodè rem ecclesiasticā occupare conantibus, obijci quouis tempore posset.

In eo homine (inquit Platina) plus ferociæ, plusq; audaciæ & secularitatis (ut ita dicam) erat, quàm eius professio requirebat. Militaris propè habebatur eius uita, militares mores (in milite raso) adeò, ut multa etiam (in sancto cœlibatu) quæ loqui fas non est, sibi licere arbitraretur. Tantum ille. Inter acta Papalia, Alexander iste de sui Francisci stigmatib. bullas fecit, ut inter Christianæ fidei articulos haberentur: ac solenne eorum festum, ut uenerarentur à fidelibus, ordinauit. Cum grauiter hic Papa, ex Marsilij Parmensis medici, magno precio à Balthasare conducti, uenenato pharmaco ægrotare cœpisset (ut Baptista Panætius in 56 sermone declarat) nossetq; instare mortem: Cardinales ad se uenientes, ad concordiam mutuam (pacem inter impios, ut Christus conculcetur) & ad tuendam ecclesiæ dignitatem, Papalem scilicet sedem ac pompam, adhortabatur. Et iam fini proximus, anno Domini 1411, octauo pontificatus sui mense, ait: Per eam mortem, quam adesse iam uideo (periurus) testor, omnia quæ in Pisano concilio gesta sunt (quædam impijssima probantur) bene et legitimè fuisse facta. Cum hæc dixisset, lachrymantibus his qui aderant sacrificis ac fraterculis, illud Seruatoris dictum ægrè proferens, superbus hypocrita, ait: Pacem meam do uobis (non est pax impijs) pacem relinquo uobis. Præsumptio diabolica erat in hoc peccatore misero, quum Christi pacem mundus dare non possit. Sed talis est Antichristi superbia, qui se extollit super omne quod dicitur Deus. Et statim arrogans bestia, qui nec maximorum scelerum ueniam petebat, emisit spiritum: ac Bononiæ in Franciscanorum templo cum ingenti pompa sepultus fuit. Fame ac peste hoc anno laboratū est, post huius pontificis benedictionē: tanquā sit à Domino in maledictionē commutata.

IOANNES GOVVER. XXIII.

IOannes Govuer, seu Gouerus, uir equestris ordinis, ex Stitenhamo uilla Eboracensis prouinciæ, ut Lelandus colligit, ab illustri stemmate originem duxit. Ita ille in doctis studijs florētes adolescentiæ suæ annos exegit, ut inter nobiles Anglos, literatos quidem illos, suæ ætatis facilè antesignanus fuerit. Voluit forum & patrias leges lucri causa, præter cætera tamē humaniores literas: multumq; in poesi sudauit. Hoc eius testant carmina, quæ multa latinè scripsit, studiosius quàm felicius, Publium Ouidium imitatus. Nec mirū illud uideri debet, præsertim in semibarbaro seculo: cum uix hac nostra tam florenti ætate inueniatur, qui redundantē illam Nasonis in carmine fœlicitatē bellè exprimat. Conniueamus igitur ad hanc Goueri qualemcunq; infœlicitatem, & ostendamus illum omnium fuisse primū patriæ linguæ expolitorem. Nam ante eius ætatem, Anglica lingua inculta & ferè tota rudis iacebat. Nec erat qui opus aliquod uernaculo idiomate, elegāte lectore dignum, scriberet. Itaq; operæprecium esse duxit, diligentē adhibere culturam, ut sic extirpatis tandem rudibus herbis, pro carduo & paliuro mollis uiola & purpureus surgeret narcissus. Sed quid multis moror? Patrio multa scripsit sermone, nō solùm rhythmis, uerùm etiam soluta oratione, quæ uel hoc nostro florentissimo tempore à doctis studiose leguntur. Scripsit & plura Latinè ac Gallicè, quæ sequuntur, utpote

Speculum meditantis, Gallicè,	Lib. 10.
Confessionem amantis, Anglicè,	Lib. 8. *Eorum qui ante nos scripserunt.*
Vocem clamantis, Latinè,	Lib. 7. *Scripturæ ueteris capiunt exempla.*
De compunctione cordis, Lat.	Lib. 1.
Chronicon Ricardi secundi,	Lib. 3. *Opus humanum est inquirere.*
Chronicon tripertitum,	Lib. 3. Tolle *caput mundi*. C. *ter & sex.*
Ad Henricum *quartum*,	Lib. 1. *O recolende bone pie rex* Henrice.
Ad eundem de *laude pacis*,	Lib. 1. Nobilis *ac digne rex* Henrice.
De eodem rege Henrico,	Lib. 1. Rex *cœli Deus & dominus.*
De peste uitiorum,	Lib. 1. Non *excusatur, qui uerum non fateatur.*
Scrutinium lucis,	Lib. 1. *Hen quia per crebras humus est.*

De com-

De coniugij dignitate,	Lib.1. Qualiter creator omnium rerum Deus.
De regimine principum,	Lib.1. O' Deus immense, sub quo dominatur.
Epigrammata quædam,	Lib.1. Alta petens aquila uolat aliq;.
De amoris uarietate,	Lib.1. Est amor in glosa, pax bellica.
Carmina diuersa,	Lib.1.

Et alia plura. Vixit Gouerus ad iustam usq; senectutem, fuitq; cæcus, anno à Christi natiuitate 1402, & tandem est Londini sepultus in templo Mariæ de Oueres, in ipsa Tamesis ripa. Habet ibidem statuam duplici nota insignem, nempe aurea torque, & hederacea corona rosis intersercta: illud militis, hoc poetæ ornamentum.

GALFRIDVS CHAVCER. XXIIII.

Galfridus Chaucer, nobili loco natus, & summæ spei iuuenis, Oxonienses scholas tam diligenter quàm qui maximè celebrauit: id quod ut faceret, academiæ uicinitas quodammodo inuitauit. Nam quibusdam argumentis adducebatur Lelandus, ut crederet Oxoniensem uel Barochensem prouinciam, illius fuisse natale solum. Hinc acutus dialecticus, hinc dulcis rhetor, hinc lepidus poeta, hinc grauis philosophus, ac sanctus deniq; theologus euasit. Mathematicus insuper ingeniosus erat, à Ioanne Sombo & Nicolao Lynna, Carmelitis Lynnesibus, uirisq; in Mathesi eruditis, instructus: quos ipse in libro suo de Sphæra celebrat, & clericos reuerendos uocat. Constat utique, illum circa postremos annos Ricardi secundi in Gallijs floruisse, magnamq; illic ex assidua in literis exercitatione gloriā sibi comparasse. Tum præterea eadem opera, omnes ueneres, lepôres, delicias, sales, ac postremò gratias linguæ Gallicæ tam altè imbibisse, quàm cuiquam uix credibile. Laus ista Galfridum in Angliā reuersum sequebatur, tanquā comes eius uirtutis indiuidua. Eiusmodi igitur lætis successibus, forū Londinense & collegia leguleiorum, qui ibidem patria iura interpretantur, frequentauit, familiaremq; amicum inter eos Ioannem Gouerū mox habuit. Horum duorū unicus erat studiorum scopus, ut linguam Anglicam numeris omnibus quàm ornatissimā redderent. Nec antea finem fecerant, quàm linguam illam ad eam eloquentiam, ad eam deniq; breuitatē perduxerant, ut inter expolitas gentium linguas posset rectè quidem connumerari. Huius Chauceri lucubrationum inscriptiones non grauabor hic latinitate donare: ut sic saltem leonē, ut in prouerbio est, homines ex ipsis æstiment unguibus. Adponam ergo syllabon. composuit enim,

Fabulas Cantianas 24.	Lib.1. Olim erat, ut ueteres historæ innuunt.
Præfationes earundem,	Lib.1. Dum imbribus suauibus Aprilis.
Aratoris narrationem,	Lib.1. Agricola tulit aratrum, dum essent.
De arte amandi, Romane,	Lib.1. Pleriq; fatentur in somnijs meras.
Amores Troili & Chrysidis,	Lib.5. Vt demonstrarem Troili duplicem.
Testamentum Chrysidis,	Lib.1. Diuturnis horis donec dolo.
Lamentationem Chrysidis,	Lib.1. O' gemitus, offella mœrore im.
Amores Heroidum,	Lib.1.
De consolatione philosophiæ,	Lib.5. Carmina quæ quondam studio.
Somnium Chauceri,	Lib.1. Admiror hercle plurimum, quali.
Chorum auium,	Lib.1. Vita tam breuis est, artis tam.
Vrbanitatis florem,	Lib.1. In Februario, cum cornuta esset.
De pietate mortua,	Lib.1. Oh quod pietatem tandiu quæsi.
Heroidum Chorum,	Lib.1. In Septembri, dum folia uirgulta.

De astrolabio, ad filium,	Lib.1. Fili mi Ludouice, certis signis.
Querelam equitis nigri,	Lib.1. In Maio, dum Flora regina terram.
Encomium mulierum,	Lib.1. Quibus animus est, mulieres.
De fama, & eius domicilio,	Lib.3. Vertat nobis Deus somnia in.
Testamentum amoris,	Lib.3. Multi sunt qui patulis auribus.
Threnos Magdalenæ,	Lib.1. Mœstitiæ lethiferæ uoraginibus.
De remedio amoris,	Lib.1. Viso multiplici incommodo, quod.
Querelam Martis & Veneris,	Lib.1. Congratulemini amatores, pullu.
Epistolam Cupidinis,	Lib.1. Cupido, ad cuius nutum gener.
Cantiones quoq;,	Lib.1. Mille historias adhuc recensere.
De Melibœo & prudentia,	Lib.1. Iuuenis quidam Melibœus, pontem.
De peccatis ac remedijs,	Lib.1. Hieremiæ 6. State super uias.
Laudes bonarum mulierum,	Lib.1. Mille uicibus ab hominibus atq;.
Cleopatræ uitam,	Lib.1. Post mortem Ptolemæi regis magni.
Vitam Thisbæ Babylonicæ	Lib.1. Babyloniæ quandoq; contigit.
Vitam Didonis Carthaginensis,	Lib.1. Gloriosum sit Vergili Mantuane.
De Hypsiphile & Medea,	Lib.1. Dissimulantium amatorum radix.
Lucretiæ Romanæ uitam,	Lib.1. Narrare nunc oportet auxilium.
De Ariadna Cretensi,	Lib.1. Discerne, infernalis Cretæ rex.
De Philomela Atheniensi,	Lib.1. Formarum fabricator, qui formasti.
De Phyllide Thracensi,	Lib.1. Tam argumento quàm authoritate.
De Hypermnestra Aegyptia,	Lib.1. In Græcia aliquando duo fratres.
Carmen Chauceri,	Lib.1. Probæ educationis amantissima.
Super impia domina,	Lib.1. Me dormientem aureus sopor.
De Annelida & Arcyto,	Lib.1. Immitis belligerantium Deus.
De cuculo & philomela,	Lib.1. Amorum Deus, quàm potens.
Octo quæstiones & responsa,	Lib.1. In Græcia quandoq; tam nobili.
Chronicon conquestus Anglici,	Lib.1. Ea ætate, ut ueteres annales.
De curia Veneris,	Lib.1. In Maio cum uirescerent, &.
Epigrammata quoq;,	Lib.1. Fugite multitudinem, ueri.
Narrationes diuersorum,	Lib.1. In comitatu Lyncolniensi fuit.
De Ceyce & Halcyona,	Lib.1.
In obitum Blanchiæ ducissæ,	Lib.1.
De Vulcani ueru,	Lib.1.
De leone & eius dignitate,	Lib.1.
Vitam D. Ceciliæ,	Lib.1.
Hymnos amatorios,	Lib.1.
Amores Palæmonis & Arcyti,	Lib.1.
De Thisbæ amore,	Lib.1.
De castello dominarum,	Lib.1.
Comœdias & Tragœdias,	Lib.1.
Facetias & iocos,	Lib.1.
Dantem Italum transtulit,	Lib.1.
Petrarchæ quædam,	Lib.1.
Origenis tractatum,	Lib.1.

Aliaq; plura fecit, in quibus monachorum ocia, missantium tam magnam multitudinem, horas non intellectas, reliquias, peregrinationes, ac cæremonias parum probauit. Inter hæc Chaucerus ad canos deuenit, sensitq; ipsam senectutē morbum esse. Qua ingrauescente, dum Londini causas suas curaret, mortuus est, & Vuestmonasterij in australi

strali Basilicæ parte sepultus. Vixit anno Domini 1402, ut in charta Cupidinis refert. In quodam libro suorum Epigrammaton his uersibus Lelandus illum celebrat:

Prædicat Algerum meritò Florentia Dantem,
Italia & numeros tota Petrarche tuos.
Anglia Chaucerum ueneratur nostra poetam,
Cui ueneres debet patria lingua suas.

APPENDIX.

Ex Lelandi Catalogo: Illis temporibus inter Forenses, clarissimus erat Ioannes Gouerus, historicus ac poeta moralis, cuius uitam præscripsimus, homo uenerandæ ætatis, et qui mirũ in modum Anglicæ linguæ politiei studebat. Hic perspecta indole & examinata Galfridi probitate, illum in familiarem sibi acciuit, illum ulnis amplexus est, illum etiam in honestis delicijs habuit, illum deniq; tanquam numen aliquod propemodum uenerabatur. Et ut ego (inquit) taceam, ipsemet Gouerus in libro qui titulo Amantis inscribitur, abundè satis declarat, quanti suum Chaucerum fecerit: quem accuratissimè prius laudatum, eximium poetam uocat, & sui operis quasi Aristarchum facit. Ecce tibi lector, pulcherrimum uirtutis certamen. Nam ut Gouerus, homo parum sibi tribuens, lucubrationes quas consummauerat, Galfridi iudicio modestè submisit: sic rursus Chaucerus, Amores Troili, Goueri & Strodi calculis subiecit, &c. Et quoniam poesim præter cætera semper dilexit, amauit, coluit: uisum est ei uel commodissimum, per illam ad ipsa eloquentiæ culmina uiam patefacere. Tale etenim quiddam est poesis, ut tropos, elegantias, ornamenta, copiam, & quicquid uenerum & leporum est, non modò admittat: uerùm quod multo maius est, suo quodam iure poscat. Adde huc, quòd Italos & Gallos, qui plurima suis linguis tersè ac nitidè scripserunt, in partẽ operis euocauerit. Dantes & Petrarcha Italicam linguam, Alanus Gallicam, Ioannes Mena Hispanicam, atq; alij alias, infinitis modis tunc expolierãt: hi Chaucero calcar addiderunt. Bonis igitur auibus incœpto operi incubuit: nunc libellos Gallica lingua scriptos, in patrium sermonem transferens: nunc Latinos uersus Anglicis, sed doctè, exprimens: nunc multa è suo capite nata, & Latinorum fœlitatem æquantia, uicturis chartis commendans, lectoriq; neruis omnibus prodesse contendens. Accessit etiam ad eius gloriam, quòd sororem habuerit, quæ Guilhelmo Polo Sudouolgiorum duci nupsit, ac magno in splendore Aquelmi uitam egit, &c.

IOANNES LYLLESHVLL. XXV.

IOannes Lylleshull, cœnobij eiusdem cognominis, in occidentali regni parte monachorum præses, per amœnos diuinæ scripturę campos expatiatus, & apum industriam admirabilem imitatus, mel merum ex delicatissimis eorum floribus collegit. Senserat enim ille (ut Lelandus habet) primas ministrorum ecclesiæ partes esse, ut Christianæ uitæ exemplo, & pura uerbi Euangelici insinuatione, corruptos plebis mores extirparẽt. Desumpto igitur calamo, ad id eos solicitè faciendum persuasit: ediditq; opus in quinq; diuisum partes: quo illi probè instructi, pari diligentia reliquos consolarentur & erigerent. Eiq; suo operi Lylleshullus, ob iustam breuitatem, uocabulum hoc addidit, scilicet

Enchiridion, *Lib. 5.*

Quòd aliud quicquam ediderit, compertum certè nõ habeo. Sunt enim cætera de hoc authore omnia mihi incognita penitus, præsertim quo tempore claruerit, aut sub quo rege. Hic ergo illi immorandum erit, donec proprium inuenerit locum.

GVALTERVS DYSSE. XXVI.

GValterus Dysse, à Dysso Nordouolgiæ oppido, ubi natus fuit, ita appellatus: adolescens adhuc, tam rudis ac literarum nescius erat, ut inter Carmelitas Nordouicenses uilissimo, farcimine scilicet, ab uno ad alterum

rum diuenderetur. Ad se tandem pudore reuersus, assiduo labore scientijs tam profecit, ut Cantabrigiensis academiæ doctor, atque acutissimus scholasticarum quæstionũ disceptator haberetur. Neque apparebat ea tempestate inter papicolas ullus, qui ex Draconis astutia in studijs humanis, tenebrosum impietatis regnũ, sub pestilentissimo duorũ Paparum schismate, aut subtilius defenderit, aut cautius fulcierit. Lelandus enim iudicat, studuisse illum Romæ, necnon Lutetiæ, principesque uiros unà cum gentibus ubique in concionibus adhortatum esse, ne nouis rebus (uide imposturam) ex Euangelica doctrina tunc denuò suscitata, studerent. Omnia (inquit) tam diligẽter, tam strenuè, tamque prudẽter fecit, ut põtificis Rom. res paulo quietiores reddiderit. Ioanni Lancastriæ & Aquitaniæ duci, ac cõsorti Constantiæ, mulieri Hispanicæ, à confessionum secretis erat: illique persuasit, ut Castellæ ac Legionis regna uxoris iure peteret, uel saltem religionis causa (papismum intellexit) Hispanos unà cum Clemente quodam pseudopontifice, in Papam Vrbanum sextũ rebelles, armis opprimeret. Quod statim dux fecit, crucis ab eodem Papa donatus uexillo, anno Domini 1387. In qua quidem expeditione fit Dyssus sub dicto Vrbano, et eius successore Bonifacio nono, à latere legatus summus: ut contra schismaticos illos, tanquã in ipsos Turcas, crucem erigeret ac prædicaret in regnis Angliæ, Granatæ, Castellæ, Legionis, Aragoniæ, Portugalliæ, Cathaloniæ, Nauarræ, & in partibus Vasconiæ, cæterisque terris. In quibus authoritatẽ habebat, quinquaginta doctores & totidẽ protonotarios cõstituendi, profanata ubique templa reconciliandi, ac spurios quacunque uenere natos ad sacra legitimandi, uotaque relaxandi. Composuit hic peripateticus Hercules, inter occupationes inutiles,

Lecturam theologiæ,	Lib. 4. *Circa prologum quæro primò, utrum.*
Sermones de tempore,	Lib. 1. *Hora est iam nos de somno surgere.*
Sermones de sanctis,	Lib. 1. *Vidit Stephanus gloriam Dei, Act.*
Ex Augustino & Anselmo,	Lib. 1. *Accedere ad Deum contingit.*
Quæstiones theologiæ,	Lib. 1.
In quosdam psalmos,	Lib. 1.
Contra Lolhardos,	Lib. 1.
De schismate ecclesiæ,	Lib. 1.
Determinationes uarias,	Lib. 1.
Ad ecclesiarum præsides,	Lib. 1.
Epistolas ad Vrbanum & Bo.	Lib. 1.

Cætera quæ congessit, mihi non sunt nota. Istum & consimiles mirificè tangit id, quod in Apocalypsi Ioãnes habet: Nempe locustas, similes equis esse, ad prælium paratis. Nordouici demum uita excessit, 21 die Ianuarij, anno à Christo redemptore nato 1404, in sui cœnobij choro sepultus, regnante Henrico quarto, prædicti Ioannis filio.

APPENDIX.

Ex omni Papicolarum turba, non fuit eo tempore hoc nostro Gualtero, in Antichristi negotijs quisquam actuosior: neq; ex ullo locustarum genere (monachorum ordine) scorpio nocentior. De illo namq; Thomas Vualsyngham, ad Albani fanum monachus olim ac præcentor, in Continuatione Polychronici, hoc inter cætera multa testimonium habet: Potestas (inquit) à Rom. pontifice conceditur inaudita, Gualtero de Dysse, Carmelitæ, ut ad Ioannis Lancastriæ ducis profectionem in Hispaniam cõduceret, &c. Præter ea quæ idem Gualterus in suo libro de Ecclesiæ schismate, super eo negotio copiose exprimit. Accedit & Ioannis Frossardi, ex suo Chronico concors sententia. Crux fuit in Anglia prædicata primũ, & infinita collecta pecunia, missis indulgẽtijs cõtra Hispanos. Quibus Ioan-

bus Ioannes Purney, in suo cõmentario super Apocalypsim, Ante centum annos intitulato, his uerbis astipulatur: Inualuit tunc Antichristi furor (inquit) prae caeteris temporibus, per tres annos & dimidium, sub Vrbano sexto, in quo omnia eiusdem Antichristi mysteria sunt impleta. Per hunc Gualterum, ut praedictum est, Ioannes, Ferdinandi Lusitaniae regis spurius ac monachus, legitimus factus est, ut post patrem regno potiretur. Per hunc, à monachatu liber, & incontinentiae solenni uoto solutus, Philippam Ioannis Lancastriae ducis filiam in uxorem duxit. Istis atq; similibus fundamentis innitentes nostri temporis Papistae, opulentissimum Angliae regnum, atrocibus Hispanis, uentris sui gratia, hoc anno Domini 1556, tradere moliuntur, adulatorie editis in eum finem genealogijs & carminibus stultissimis. Ioannis Vubiti, Vuintoniensis Epicuri, dixissem Episcopi, carmẽ sic incipit:

Nubat ut Angla Anglo, regina Maria Philippo,
 Inq; suum fontem regia stirps redeat, &c.

Nouum certè creationis genus à Papicolis usurpatum, ut Hispanos in Anglos ad libitum sic uertant. Sed quid non possunt illi, qui per transubstantiationẽ, ut uocãt, ex leuiculis panibus, nouos quotidie faciunt deos Maozim? Talia norunt impostores edere miracula, in conspectu prioris Bestiae, ut terram inhabitantes dolis seducant, Apoc. 13. Sequitur Nicolai Harpesfeldi, Cantuariensis archidiaboli, dicerem diaconi, Epigramma, de eadem re:

Flumina ab Oceano primùm decurrere uasto,
 Inq; illum rursus cuncta redire ferunt.
Oceaniq; instar Lancastrius irrigat, atq;
 Europam uaria nobilitate beat.
Non uisamq; diu matrem pia flumina uisunt,
 Iamq; hostes cunctos mergere posse uides.
  Adulationibus hi patriam produnt.

THOMAS MALDON. XXVII.

THomas Maldon, in Ostrosaxiae comitatu natus, cognomen à Maldono oppido non incelebri sumpsit: in quo maturae aetatis adolescẽs, Carmeliticam professionem toto deuouebat pectore. Ita tamen, ut eadem opera, Lelando etiam teste, nullum sibi praetereundum diem putauerit, in quo non aliquam saltem lineam in tabulis literarijs duceret. Amabat ille libros argutè & doctè scriptos: sed in omni suo studio, superstitiosis ritibus peregrinas permiscere artes nõ erubuit. A' quibus nihilominus, excaecato ei seculo illustris factus, in Cantabrigiensi gymnasio theologiae magisterium in arrogantissimo gradu adeptus est, speculatiuae scientiȩ perspicuum habens nomen. Vnde tam in praelectionibus quàm disputationibus publicis, ingenij sui uafriciem ex sophisticis elenchis affluenter ostendit, persuasoriȩ prudentiae peritus. Praeposterè etenim religiosus, egregiè percolabat culicem, ut inde camelum deglutiret. Insuper stylo scholastico ac barbaro, multa demum exarauit, praesertim haec quae sequuntur opuscula,

Lecturam Sententiarum,	Lib. 4. Ad sacrae scripturae praeconia.
Quaestiones ordinarias,	Lib. 1. In praesenti lectura cooperante.
Determinationes theologiae,	Lib. 1. Ostendam tibi omne bonum, Exo.
Quodlibeta quoq;,	Lib. 1. Vtrum Deum esse sit à creatu.
Actus uespereales,	Lib. 1. Vtrum uerbum diuinum temporaliter.
Bibliorum introitum,	Lib. 1. Sicut existentiae plurimorum in ip.
Lecturam in Genesim,	Lib. 1. Secundum id quod dicit uenerab.
In Psalmos 48 lectiones,	Lib. 1. Beati immaculati in uia, qui.
In epistolam Iacobi,	Lib. 1. Exemplum accipite fratres exitus.
Sermones 36 de tempore,	Lib. 1. Ecce ego ad te uenio, dicit.
Sermones 34, de B. Virgine,	Lib. 1. Ecce homo erat in Hierusalem.

Collationes solennes, *Lib.1. Benedicat tibi Dominus ex Syon.*

Apud suos adhuc est, si aliud quicquam ediderit. ego certè hæc sola in illorum bibliothecis reperi. Ex uita hac migrauit anno salutis Christianæ 1404, in Maldonensi, cui præfuerat, cœnobio sepultus, sub Henrico quarto Anglorum rege.

IOANNES EDAEVS. XXVIII.

IOannes Edæus, *genere Vuallus, ac patria* Herefordensis, Franciscanę sectæ chordiger, & quidem illustris (inquit Lelandus) fama, eruditione, ac religione, florentis ætatis annos in scholis exegit Isiacis. Quo tēpore, teste eruditorum Franciscanorum Catalogo, scripsit in logicos ac philosophicos magni Aristotelis Stagiritæ libros, non sine grandi cura commētarios, &c. Et prӕterquam quòd esset Edæus, uir multa uitæ honestate præditus, ea diligentia ac studio in literis per omnem ætatem usus est, ut à sui ordinis symmystis unicè diligeretur. Ac non immeritò quidem, quum doctrinæ talis sit uirtus, quæ possessorem suis coloribus adornet. Sed sint hæc satis de hoc scriptore dicta. Composuit enim inter alia suorum laborū monumēta,

Commentarios in Longobardum,	Lib.4.
In Logicam Aristotelis,	Lib.1.
In Physica eiusdem,	Lib.8.
Lexicon originalium,	Lib.1.
Fasciculum uirtutum ac uitiorum,	Lib.1.
Lecturam in Apocalypsim,	Lib.1.
Conciones uarias,	Lib.1.

Et alia quædam, mihi adhuc non nota. Tandem uerò Franciscanorum collegij, quod Herefordiæ conditum fuit, gubernationi adscriptus, uitam in eo finiuit, anno à Christi seruatoris natiuitate 1406, & in illo sepultus est, Henrico quarto regnante.

NICOLAVS FAKINHAM. XXIX.

NIcolaus Fakinham, patria Nordouolgius, Chordigerorum ordinis etiam professor, atq; Oxoniēsis doctor, & philosophus & theologus in primis eruditus fuit, usq; adeò, ut eo nomine protomagister Franciscanorum totius Angliæ designatus sit. Ille uerò (ut Lelandus colligit) dignitate simul & authoritate huiusmodi adauctus, omnes animi cogitationes illuc intendebat, ut uirtutis exemplar suis atque alijs exhiberet, ac quieti catholicæ ecclesiæ iam dissolutę, salutifero pharmaco aliquo opē ferret. Contendentibus igitur ui summa ambitiosis aliquot super pontificatus Romani primatu, edidit ipse luculenta quædam, nec minus utilia pro ea ætate opuscula: & grassanti suo tempore schismati, si pensitata fuissent, remedia planè præsentissima. Quorum titulos apponere, non incongruum duxi. Sunt enim hi:

De schismatibus Ecclesiæ,	Lib.1. *Cum ex lege naturæ pariter &c.*
Super unione eiusdem,	Lib.1. *Cum secundum Apostolum 1.Cor.12.*
De suffragijs uiatorum,	Lib.1. *Secundum seriem scripturæ, omnis plat.*
De fraternitate Christiana,	Lib.1. *Ciues multos decipitis uestro.*
De ualore Missæ,	Lib.1. *Pertractata quæstione de oratio.*
De orationibus,	Lib.1.

Ad iussum præterea Ricardi secundi Anglorum regis alia plura congessit. Sed penultimū opus de Missæ idolo, fermentum illud est, quod totam massam corrumpit. Tandē Colcestriæ Nicolaus obijt, anno Christi 1407, sub Henrico quarto.

LAVREN-

LAVRENTIVS HOLBECKE. XXX.

LAurentius Holbecke, Lelando teste, à Giruijs paludes incolẽtibus genus deduxit, quod per se humile, bonarum non pœnitenda literarum accessione illustrauit. Erat enim monachus Ramesiensis, uitæ continentia laudatissimus, tum præterea inter cætera Hebrææ studiosissimus linguæ. Quibus autem persuasus rationibus huc animũ deflexerit, breuiter & opportune interim significabo. Inciderat Laurentius in exemplaria quædam Hebraica, synagogæ ueteris maiestatem eximiam illam referentia: comparata quidem, et ab interitu olim insigni Gregorij Humtyngtonensis, monachi etiam Ramesiani industria conseruata: cuius uitam superius scripsimus. Cum hoc scriptore fuit pia quædam Laurentio inuidia, ut quod ille uidelicet in Hebrea lingua fœliciter inchoasset, hic fœlicius absolueret. Habuitq́ sancta æmulatio plenissimos successus, & author operis palmæ precium tulit magnificum. Eleganter enim concinnauit

Dictionarium Hebraicum, Lib. 1.

Opus hoc erat tum elimatum, tum doctum. Quod annis abhinc paucis Roberti Vuakefeldi Polypi diligẽtia nimia, ab eodẽ monasterio sublatum fuit. Holbeckus uerò floruit anno à nati Messiæ origine 1410, sub Henrici quarti imperio.

IOANNES COLTON. XXXI.

IOannes Colton, uir probè admodũ (ut Lelandus habet) in literis exercitatus, incidit in illa tempora, quæ diutino schismate uniuersam Ecclesiã tam miseris adfligebant modis, ut Papistis incertissimum esset, quem post suum Antichristum, uel diabolum ipsum, in terris ducem sequerentur. Ambitio enim & sacra fames auri, nouos subinde Pontifices Romæ excitauit, qui se ueros Christi uicarios fallaciter assererent: ita ut aliquando duo uel tres simul, de primatu contenderent. inter quos ille pro præcipuo semper habitus est, cuius factioni maior principum numerus subscripsit. Senserat hanc ingentem schismatis calamitatẽ Coltonus, & putabat sui esse officij, (nã ab Anglo paulo antè archiepiscopus Armachanus designatus fuerat) ut morbo adhuc, ut ipse putabat, curabili, manum admoueret. Quare calamum continuò arripuit, scripsitq́ luculentum opus,

De causa schismatis, Lib. 1.
De remedio eiusdem, Lib. 1.

In qua parte boni episcopi munus executus est: quanquam post editos libros, discordia adhuc durauerit. Huius diligẽtia plures excitauit Anglos, ut de eadem re scriberẽt. Vixit anno Domini 1410, regnante in Anglia Henrico quarto.

IOANNES MARREY. XXXII.

IOannes Marrey, à uilla natali in Eboracensi comitatu, Doncastro uicina, nomen accepit: à Tritemio autem Ioannes Marronis dictus, Carmeliticę religioni ac literis Dunij, alias Doncastri, operam dedit. Ad splendorem tamen eius nominis (ut Lelandus author est) multa quidem contulit academia Oxoniensis, utpote quæ illum nõ modò scientias humaniores, uerumetiam philosophiam unà cum theologia perdocuit. Sed inter cætera & illud Marræi famam non parum nunc lædit, quod in eodem Oxonio sophisticus magister, in ipsa palæstra literaria, contra pijssimos optimi Vuicleui sectatores, tunc multa blaterasset. Nam & illum fuisse in seculari philosophia subtiliter doctum, & in scholasticis quæstionibus disputatorem acu-

tum, prædictus Tritemius etiam affirmat. Quæ omnia ad Lydium lapidem, nempe Dei uerbum, nunc collata, parum fœliciter id ipsum tunc fecisse testantur. Protulit nihilominus ætate illa, ex uafro uersatiliq; ingenio,

Lecturam Sententiarum,	*Lib.4.*
Tabulam originalium,	*Lib.1. Abscondere. Nota qualiter abscond.*
Compendium originalium,	*Lib.1. Supereminente uirginis Deiparæ.*
In Valerium Martialem,	*Lib.1. Aethereas lasciuæ cupidinis.*
Contra Vuicleuistas quoq;,	*Lib.1.*
Sermones & quæstiones,	*Lib.2.*

Sparsim in bibliothecis habentur & alia eius scripta, quæ nondum uidi. Doncastri diem clausit extremũ, 18 die Martij, anno à Christi incarnatione 1407, & sepultus est ibidem inter sui ordinis symmystas, Henrico quarto regnante.

RICARDVS CHEFER. XXXIII.

Ricardus Chefer, in Nordouolgiæ comitatu natus, adolescens magnæ spei, exempla monasticæ uitæ suspiciebat, coluit, uenerabatur. Quare Nordouicum petijt, ciuitatem certè nobilem: ubi cœnobiticis Augustinianorum fraterculorum ritibus initiatus, ita omnes studiosi uiri partes impleuit, ut nec curiosus quidẽ aliquid in illo rectè potuisset desiderare. Sed sint hæc satis de eius adolescentia dicta. Quæ uerò de illius uirili ætate sequuntur, non usqueadeò mihi nota sunt, cum hactenus non legerim, quę loca relicto Nordouico, studendi gratia adiuerit. Coniectura tamen est, studuisse illum Cantabrigiæ: & in concionatorem clarissimum euasisse eum, ex scriptis constat. Ex quibus, posterorum memoriæ commendauit, hæc quæ sequuntur: uidelicet,

Sermones elegantes,	*Lib.1. Buccinate in Neomenia, tuba.*
De natiuitate Christi,	*Lib.1. Paruulus natus est nobis, & fil.*
De quatuor nouissimis,	*Lib.1. Fili memorare nouissima tua.*
Collationes plures,	*Lib.1.*

Præter ea quæ in priuatis quorundam fratrum bibliothecis, non comparebant. Circa hæc tempora & ipse claruisse fertur, durante adhuc perniciosissimo in Ecclesia schismate, sub Henrico eius nominis quarto Anglorum rege.

IOANNES LATHBERY. XXXIIII.

Ioannes Lathbery, Rheadingensis cœnobij Franciscanus, Oxonienses scholas studiosissimè adhuc iuuenis excoluit: & bonorum authorum lectioni addictus, florentes annos fœliciter exegit. Vnde tandem fuit, ut Lelandus in Catalogo illum describit, uir eruditionis per eam ætatem planè non contemnendę. Nam ita penetrauerat (inquit) & aditus & recessus rerum naturalium, ut philosophi titulum sibi comparauerit insignem. Tum præterea sacræ theologiæ mysteria tam altè imbiberat, ut & hinc famam egregiè claram meritò sibi pepererit. Plura proculdubio suo seculo congessit: at palmam tulit in diuinarum scripturarum commentarijs, quos theologorum tunc schola, nocturna uersabat manu, uersabat & diurna. Has uerò ingenij sui fœturas posteris reliquit,

Commentarios in Hieremiam,	*Lib.1.*
In Lamentationes eiusdem,	*Lib.1. Iuxta mores modernorum, necnon.*
Super acta Apostolorum,	*Lib.1. Superædificati estis supra funda.*
Alphabetum morale,	*Lib.1. Abstinendum est à delicijs carnalibus.*
Explanationem Psalmorum,	*Lib.1.*

Lectiones Scripturarum, Lib.1.
Distinctiones theologiæ, Lib.1.
Conciones uarias, Lib.1.

Et alia non pauca. Prædictum opus Lamentationū Hieremię, in quo præ cæteris laborauit, anno à diuini uerbi incarnatione 1406, compleuit. At nunc, quæ rerum uicissitudo est, gloria tanti operis pene obscura, inter blattas & tineas delitescit.

NICOLAVS PONTIVS. XXXV.

Nicolaus Pontius, Oxonij in Martonensi musæo à prima eius origine prodigiosis artibus consecrato, iuxta loci naturam, literis profanis ac impietati impensius operam adhibebat. Præcipua uerò studiorum eius omnium cura, in theologia sola, sed scholastica illa, per impostores sophisticata, ac miserè deformata, reposita quidem fuit. Societas Vuicleuiana, inualescente ueritatis doctrina, æterni Dei cognitione Isiacas scholas mirum in modum illustrauerat, & animos multorum ad res diuinas procliues illexerat. Non tulit hanc iniuriam (ut ipse rem capiebat) tam apertam, in Antichristi ministros factam: sed inita cum Ricardo Flemingo, uiro quodam nobili, contentione, in publico urbis gymnasio, sic causam egit communem, *ut expectatam ab hoste uictoriam non reportaret. Prodijt tamen opus excussæ concertationis testis,*

Contra Vuicleuistas, Lib.1.
Determinationes quoq;, Lib.1.

Nec uis hostilis, quamuis Lelandus *in gratiam Papistarum contrarium dicat,* præualente Dei ueritate, sensim diminutionem patiebatur. In precio fuit Pontius, anno post Seruatorem natum 1410, *regnāte in Brytannia Henrico quarto.*

RICARDVS SCROPE. XXXVI.

Ricardus Scrope, *uir generis nobilitate* clarus, ac Guilhelmi regij quæstoris frater, à teneris annis asiduam literis ita nauabat operam, *ut artium magister & utriusq; iuris in* Cantabrigia doctor efficeretur. Nec tantum contentus intra patriæ septa se continere, ad Gallos & Italos euolauit, ut maiores doctrinæ *thesauros inde reportaret. Profectus igitur* Auenionem & Romam, fiebat in ipsa Pontificis curia aduocatus nō infimus, postea Couentriensis & *Lichefeldensis episcopus in* Anglia, ac tandem Eboracensis archiepiscopus. Qui tum demum cum Roberto quodam Plymtono equite audaci, atq; alijs coniuratoribus, populum Eboracensem & Dunelmensem, adiunctis etiam Scotis, ad defectionē solicitabat, ac suæ proditionis meritam accepit mortis pœnam. *Scripserat ille,* ob librorum penuriam, ad suos diœcesanos,

Super epistolas quotidianas, Lib.1. *Fenestram facies in archa, hæc.*
Inuectiuamq; in regem Henricum, Lib.1. *Coram Domino Deo nostro Iesu.*

Et alia quædam. Istum ob perduellionis crimen, prope muros Eboracensis urbis rex decollari præcepit, 8 die mensis Iunij, anno ab incarnato Dei filio 1405. quem fingebant mox Papistæ clarere miraculis, ac regem percussisse lepra: egregiè mentientes.

IOANNES VVROTHAM. XXXVII.

Ioannes Vurotham, in Londinensi collegio Carmeliticæ sectæ sanctionibus ac bonis artib. tam diu se dedicauit, donec magnos ætatis suæ theologos, in scientijs summo labore quæsitis æquaret. Tot annos (inquit Lelandus)

landus) Isiaci in Aristotele collocauit, quot illi ad naturalium rerum cognitionē fuerūt necessarij. Reliquū temporis, quod ibidem exegit, sacræ theologiæ interpretibus adhibuit: longo & ipse tempore, publicis in scholastica speculatione lecturis illic præfuit. Multo fragrantius tamen concionandi functionem interim obibat, naturali facundia pollens: quod luce clarius testantur eius scripta, stylo licet barbaro exarata. Tametsi non pateretur, solida Dei uerba sine sui Aristotelis censura à Christiana plebe sciri, quod erat eius temporis commune Rabbinorum malum. Postremò cum è studiorum labore ambitiosum sibi nomen, locumque inter theologos peperisset, gubernator designatus fuit Carmelitis, Icium portum, uel ut uulgò loquar, Caletum incolentibus. Non hic mihi (sic habet Lelandus) quamuis properanti, omittenda sunt erudita eius monumenta, quæ nobis ita inscripta reliquit,

Lecturam Sententiarum,	Lib.4. *Viam sapientiæ monstrabo tibi.*
In Cantica canticorum,	Lib.1. *Quoniam rationi consonum esse di.*
Sermones hyemales,	Lib.1. *Apparuit benignitas & huma.*
Sermones æstiuales,	Lib.1. *Scientes quia Dominus est, Ioan.*
Quadragesimales 21.	Lib.1. *Parasti lumen ad reuelationem.*
De beata uirgine 12.	Lib.1. *Nomen uirginis Maria, Lucæ 1.*

Atque in Scripturas commentarios, & alia adhuc plura. Diem extremum obijt 10 calendas Martij, anno à Christi in carnē aduentu 1407, in portu Icio sepultus, sub Henrico Bullenbroko, Ioannis Lancastriæ ducis filio, rege.

THOMAS COLBY. XXXVIII.

THomas Colby (sic Lelandus ipse colligit) prodijsse fertur è collegio illo magnifico, quod Nordouici Carmelitis sacrum est. At num Grante (inquit) an Isidis in uado, quæ præcipua nunc sunt Anglorum gymnasia, disciplinarum circulum absoluerit, mihi certè non constat. Illud uerò in confesso est, donatū illum aliquando prima theologici tituli dignitate: tum præterea tantæ facundiæ nomine in concionibus Christianam religionem spectantib. fuisse, ut uulgo ac nobilitati, quod uoluit, sæpe persuaserit. Quę res effecit, ut Ricardus secundus Anglorum rex, illum Lisinorensis & Vuaterfordensis ecclesiarū episcopum, anno Domini 1399 designaret. Erat hic honor à candido principe collatus, magnus: maiorem tamen Colbius cæpit, & post hæc capiet ex doctis operibus, quæ uicturis chartis commendauit. Hæc Lelandus. Inter omnes Antichristi propugnatores, in nullo, quod poterit ex scriptis colligi, Vuicleuū aut alios diuini uerbi ministros, hic suo tempore læsit, quamuis prodierit ex malitioso illo litigiorum regno. Veruntamen edidit,

Præceptorium diuinæ legis,	Lib.1. *Reuerendi mei, Mandata diuina.*
Collectanea sacrorum dogmatum,	Lib.1. *Augustinus quinto de Ciuitate.*
In orationem Dominicam,	Lib.1. *Septies in die laudem dixi tibi.*
In Psalmum, Miserere,	Lib.1. *Charissimi, legitur 2 lib. Regum.*
Conciones sacras,	Lib.1. *In domo tua oportet me ma.*
De ecclesiæ puritate,	Lib.1. *Dux fuisti in misericordia, po.*
Lectiones Scripturæ,	Lib.1.
In Genesim Annotationes,	Lib.1.

Tabulas edidit quoque

In Dialogum Gregorij,	Tab.1.
In Pastorale eiusdem,	Tab.1.

In Homelias eius quoq;, Tab. 1.
In Augustinum de Trinitate, Tab. 1.
In eundem, de uerbis Apostoli, Tab. 1.
In quæstiones 83 eiusdem, Tab. 1.
In Polychronicon Carnotensis, Tab. 1.

Opusq; illud eximium fratris Guilhelmi Sengham de fide ac legibus, Indice decorauit, multaq; alia fecit. Et hæc omnia compleuit, anno nati Seruatoris nostri 1406, sub Henrico quarto. Sed de eius obitu ac sepultura nihil certi pronunciare possum.

APPENDIX.

Ex Chronicorum libris Polydori ac Lilij: Anno Domini 1401, Rogerus Claringtonus, eques auratus, & octo Franciscani ordinis monachi, cum alijs tribus, proditionis insimulati, suspendio necantur, quod uersiculos ac rhythmos maledictis plenos, in Henrici noui regis probrū diuulgassent. Ex Theodorico à Niem, in historia de schismate ecclesiæ: His temporibus Scoti quidam, pseudoprophetæ, Italiam in saccis circuiuerūt: quorum unus se esse Heliam iactitabat. Speculum aureū, anno Domini 1404, à pio quodam uiro editum, Rom. curiæ grauissimos errores detegit, & in statum damnationis laborare ex uerissimis fundamentis declarat. Romana curia (inquit in Præfatione) à planta pedis usq; ad uerticem capitis, patenter excæcata est erroribus, ipsáq; errorum suorū ueneno inebriat omnes mundi partes, &c. His temporib. editæ sunt epistolæ, Pragensis, Oxoniensis, & Parisiensis scholarum, super schismate tollendo: quæ duriter inuehuntur in Cardinalium ac Curtisanorum uitia et tyrannides super Christi ecclesiā. Asseruntq;, Cæsarem habere ius patronatus super Papam & ecclesiam Romanam. Per principes (inquiunt) sacerdotum Ecclesia prophanatur, sacerdotium temeratur, omnis ordo confunditur, & quicquid est religionis corrumpitur. Quod legis, quod uitæ, quod morum, quod fidei, quod disciplinæ, perditur & confunditur, in tantum, quód etsi benedictus Dei filius multa & dura passus sit per uiros synagogicos, adhuc multo duriora patitur per nostros sacerdotum principes, &c. Ex libro cōciliorum: Iacobus de Theramo, archidiaconus Auersanus, librum scripsit de consolatione peccatorū: cuius prædictio his temporibus adimpletur: nempe, quód assurgeret unus, qui Christi Euangelium persequeretur. Quod Ioannes Hussus in quodam sermone, impletum dicit in Alexandro quinto Rom. pontifice, qui scripturas sacras in uulgarem sermonem translatas damnabat.

Appendix alia.

His temporibus etiā uixit Henricus de Hassia, Germanus, qui scripsit de Antichristo & schismate. Ille in lectura super Genesim, prolixius insectatur sanctorum legendas, ut uocant: & affirmat multa ibi pueriliter & inepte, multa etiam fabulose & falsò esse scripta. Composuit & libellum, publicè dudum editum (ut Illyricus habet) contra insulsas & noxias monachorum rixas, ut de conceptione D. Virginis, & similibus obscuris, ociosis, ac inutilibus, & interim publicæ quieti perniciosis cōtrouersijs. Cuius sententiæ sic subscribit nostra ætate Baptista Mantuanus, in 12 Fastorum libro:

Pullulat hac radice grauis discordia rixæ.
Sunt etenim, qui conceptus contagia in istos
Lapsa uelint, magnamq; putent traxisse parentem
Fomitis antiqui uitium, cui fecit Origo
Nomina. Sunt alij, quibus hæc absurda uidentur.
Sicq; duæ ueniunt ista in certamina sectæ,
Nonnunquam magno implentes subsellia risu.
Aequanimes autem uolumus si uera fateri,
Vanus uterq; labor, pietas temeraria, præceps
Relligio, leuitas uelata scientiæ amictu.
Nec natura potest illuc extendere uisum,
Nec Deus hoc docuit, nec re dependet ab ista

Nostra salus. Quae nos igitur dementia torquet,
Vt studeamus in his consumere litibus annos?

Et sequitur:

Quid seu munda fuit semper, seu sorduit olim?
Haec ea, Mortales, non sunt quae numina poscunt
Obsequia à nobis. Studio dominatur in isto
Ambitio, & tumidis pugnans iactantia uerbis.
At si sancta fides operas exposceret istas,
Esset opus pugnare pium, sudare sub armis,
Exilium mortemq; pati. Sed salua sepultis
His nugis est ipsa fides discrimine ab omni.

Adhuc sequitur:

Sicq; suos iuxta affectus insomnia fingunt.
O' miseri, non'ne haec deliramenta uidetis?
Cur igitur tam ridiculis popularia corda
Obscurare opus est gerris? & scindere pacem
Inter mortales, qua nil descendit ab astris
Vtilius nobis? belloq; inuoluitis orbem. & caet.

In prolixa quadam epistola ad episcopum Vuormaciensem, praedictus Henricus, admodum grauiter de multis grauissimis uitijs, accusat spirituales omnium ordinum, atq; adeò etiam ipsum sanctissimum, Papam scilicet.

Appendix alia.

Ex Antonini ac Leandri chronicis: Collutius Pierius, Florentinorum reipublicae cãcellarius, poeta excellens, in libro suo de fato ac fortuna, Romanae fidei contraria quaedam his diebus scripsit. Sed aduersus illum surrexit Ioannes Dominici, etiã Florentinus, Cardinalis Ragusinus ac Dominicanus: & opusculum quoddam edidit, quod Luculam noctis appellauit. Ex Theodorico à Niem in tertio libro de Schismate ecclesiae. Circa annũ Domini 1408, Nicolaus de Luca, Italus, Carmelitani ordinis doctor, in uincula ob ueritatis enarrationẽ coniectus erat, per Gregoriũ 12. & perpetuo à praedicationis officio interdictus, cum alijs incõmodis. Ex Antonini tertio Chronicorum libro: Eodem anno Domini 1408. Manfredus Vercellensis, ordinis Praedicatorum theologus, praesentem sentiebat adesse Antichristum. At contra eundem Manfredum statim praedicabat Bernardinus Senensis, Franciscani ordinis monachus. Matthias cognomẽto Parisiensis, sed patria Bohemus (de quo prius) parum antea scripsit de Antichristo, librum ualde prolixũ, in quo Papae ac sui cleri turpitudines insectatur. Locustas in Apocalypsi descriptas, dicit esse hypocritas in Ecclesia regnãtes. Iacobus Misnensis etiam composuit, de aduentu ipsius Antichristi, librum: in quo mentionem facit cuiusdam docti uiri nomine Militzij Bohemi, quem famosum ac uenerabilem praedicatorẽ appellat: qui anno Christi 1366, docuit Antichristum adesse: et nullam in Papa, Cardinalibus, episcopis, praelatis, sacerdotibus, atq; alijs religiosis ueritatem inueniri, ac propterea à Ioanne archiepiscopo Pragensi fuisse incarceratum. Ex Thomae Vualdeni Fasciculo Zizaniorũ: Anno Domini 1410. Oxonij erãt combusti libri Ioannis Vuiclevi, praesente Cancellario, abbate Salopiae, cum coetu Rabbinorum.

GVILHELMVS BVTLER. XXXIX.

GVilhelmus Butler, Franciscani ordinis professor, inter doctos sui temporis uiros enituit (sic Lelandus habet) eo in loco, quo Isidis uadum bonis est consecratum artibus. Fama tandem honesta (inquit) illum uel instructissimum eò perduxit, ut uniuerso Minoritarum in Anglia gregi, sub ministri nomine, magister praeesset. Nolo ego (ait) in praesentia hominem accuratè laudare, contentus Catalogi Franciscanorum qualecunque iudicium subijcere: Guilhelmus Butlerus minister, flos uniuersitatis temporibus suis, &c. Haec ille. Sed à fructu disce, Christiane lector, quàm insignis sit nebulo,

nebulo, quem hoc loco Lelãdus tantopere laudat. Quod & ipsemet postea fatetur. Legi scripsisse eũ (inquit) anno Domini 1401, Determinationis nomine libellum, contra translationem Scripturæ sacræ in linguam uulgarem: postquam esset in Anglia (ut testis est Puruæus) procurantibus fraterculis generale mandatum ut comburerentur. Scripsit hoc monstrum diabolicum,

Lecturam Sententiarum,	Lib. 4.
Contra translationem Anglicam,	Lib. 1. *Vtrum sacræ scripturæ canon, pro.*
De indulgentijs Papalibus,	Lib. 1. *Articulus pro finali cessatione.*
Quæstiones aliquot,	Lib. 1.

Et alias emisit Antichristi fæces. Alexander quintus Rom. pontifex, qui et Franciscanus erat, huius factum nefarium confirmauit, damnando Scripturas in sermonem uulgarem translatas. Claruit Butlerus Rheadinge, anno Christi 1410, ubi tandem sepultus fuit.

THOMAS OCCLEVE. XL.

Thomas Occleue, uel Ocklefe, uir tam bonis disciplinis quàm generis prosapia clarus, exquisita quadam Anglici sermonis eloquentia, post Chaucerum, cuius fuerat discipulus, patriam ornauit linguam. Præter alia literatorum hominũ studia, poesim ipse amore summo coluit, in quo exercitij genere lepidus ac facundus & ille tandem euasit. Vnde post magistrũ, patriæ linguæ illustrator apud Anglos habebatur nõ infimus. Ioannis Vuicleui, & ipsius Berengarij, in religione doctrinam sequebatur: prout Thomas Vualsingham in suis narrat Chronicis. Ocklefe Anglus (inquit) Berengarij opinionẽ astruebat, in altari scilicet manere panem & uinum post consecrationem à sacerdote factam, &c. Poemate uario, atq; etiam prosa, in materna lingua perbellè & comptè Tractatus hos fecit:

Planctum proprium,	Lib. 1. *Anima mea in angustijs est.*
Dialogum ad amicum,	Lib. 1. *Finiens luctum, hoc modo respi.*
De quadam imperatrice,	Lib. 1. *In gestis Romanorum scribitur.*
De arte moriendi,	Lib. 1. *Quoniam omnes natura desiderant.*
De cœlesti Hierusalem,	Lib. 1. *Tres alias libri partes nunc.*
De quodam Ionatha,	Lib. 1.
De regimine principis,	Lib. 1.

Atq; eius generis alia adhuc multa. Manebat occultus Christi discipulus, pij Nicodemi exemplo, pluribus annis, ob metum Papistarum. Claruisse uerò fertur Occleuus, anno à ueri Messiæ incarnatione 1410, sub Henrico quarto.

IOANNES ROCHEFORTH. XLI.

Ioannes Rocheforth, à nobili *genere originem trahens,* & eques auratus, *teneros in scholis,* bonorum authorum lectioni addictus, annos fœliciter exegit. Platonis atq; aliorum magnorum philosophorum informatus exemplo, *intra patriæ suæ* limites se semper cõtinere noluit: *sed in Galliam* & Italiam euolans, prudentiæ cùm *humanæ tum diuinæ* thesauros ingentes, domum inde reportauit. In historiarum lectione post studia seueriora, se consuetudine quadam recreare solebat, earum *præcipuè quæ* festiua breuitate cõscriptæ erant, *ut ex breui* labore apprehenderet multa. Ea ratione, & ut lectu faciliora forent, fusiora quorundam authorum Chronica studiose deflorauit, simul ad compendia reduxit, potissimum Matthæi Vuestmonasteriensis,

Historiarum flores,	*Lib. 1. De opere principali sex dierum.*

Iosephi antiquitates,	*Lib. 1. Multos autem magnitudo rerum.*
Ranulphi Polychronicon,	*Lib. 1.*

Aliaq; nonnulla. In Anglicum sermonem plura etiam ille utiliter uertit, quæ multis tunc erant usui. Oxonij in animarum collegio, & Londini in bibliotheca regis, quædam eius opuscula uidi. Claruit anno Domini 1406, Henrico quarto regnante.

GVILHELMVS THORPE. XLII.

GVilhelmus Thorpe, ex Septentrionali Anglorum patria sacrificus, & liberaliũ artium Oxonij candidatus, uir eleganter doctus, plus quàm 30 annis cõstantissimus doctoris Vuicleui perseuerauit discipulus. Erat hic homo externo habitu simplex, sed Apostolicæ doctrinæ assertor, atque Euangelij predicator integerrimus. Neque aliter ille uixit, quàm piè simul ac religiose apud uulgum docuit. Vnde in uincula tandem, ob cõciones, quas fecerat, Christianas, à Cantuariensi archiepiscopo Thoma Arundelo, anno Domini 1397 Londini coniectus fuit. Sed eo mox per Ricardum regem cum alijs suæ factionis patria pulso, à Londinensi episcopo Roberto Braybroko, amicorũ precibus à carcere statim liberabatur. Fabricabat Guilhelmus uulgari sermone, præter editas ab eo conciones eruditas,

Ad impositos articulos,	*Lib. 1. Dominus Deus qui omnia nouit.*
Testamentum uitæ ultimum,	*Lib. 1. Matthæus Apostolus Christi, &c.*
Glossulas in Psalterium,	*Lib. 1.*

Et alia. Post examinationes quasdam priuatas, anno à redempti orbis initio 1407, & in Augusto mense, in Saltvuodẽsi castro, uel inedia, uel alijs per tortores supplicijs, consentiente Archiepiscopo, mulctatus est.

STEPHANVS PATRINGTON. XLIII.

STephanus Patrington, ex Eboracensi comitatu sectæ Carmeliticæ professor, multa cum pompa lauream theologici nominis apud Oxonienses, unà cum sui ordinis per Angliam præfectura numero uicesimus tertius accepit. Quam administrationem 15 annis superstitiose satis tenuit, plus quàm mille & quingẽtos sub se per eam ætatem fraterculos habens, Antichristo militantes. Interim Londinum, urbem multo celeberrimã, petijt, facturus in sacris coram plebe cõcionibus, utile aliquod tum literarum tum ingenij sui specimen. Facilè credi non potest (Lelandus inquit) quanta hominum turba, ad præsentiam noui prædicatoris conuolauerit. Vnde usqueadeò in immensum eius excreuit fama, ut paulo pòst uel à principibus uiris ad regiam Henrici quinti uocatus sit, ne ipsa nobilitas tam clarum interpretem desideraret. Princeps autem audita eius eloquentia, statim hominem deamare incœpit, & consultore simul atque monitore illo in auriculari confessione usus est. Porrò & ne uirtus suo careret munere, Stephanum Meneuię Demetarum, seu ad S. Dauidem anno Domini 1414 episcopũ designauit, dum adhuc esset Oxonij contra schismaticos (sic Euangelicos Papicolę uocant) à regia cõmissione. Accessit & alius honos. Nam in Cicestriensis ecclesiæ pontificem electus fuit: qua tamen dignitate gauisus non est, priore fastigio cõtentus. Sed, lector forsitan elenchum eius librorum opportunè hic expectat. Cognoscat ergo, Stephanum hos in magnis uoluminibus reliquisse suis posteris libros, uidelicet

Commentarios Sententiarum,	*Lib. 4. Patres in Christo reuerendi, atq;.*
Repertorium argumentorum,	*Lib. 1. Quod uiator non poßit per ali.*
De sacerdotali functione,	*Lib. 1. Opus fac Euangelistæ, 2. Timo.*

In Pau-

In Paulum ad Titum,	*Lib.1. Hanc epistolam scripsit Apostolus.*
Contra Vuicleuistas,	*Lib.1.*
Super Eglogas Theodoli,	*Lib.1. Aethiopum terras, &c. Aestas fer.*
In Aesopi fabulas,	*Lib.1. Quae alteri commodauit, repetere.*
Contra Nicolaum Herforde,	*Lib.1. Illustrissimo principi ac Domino.*
Sermones 72 de tempore,	*Lib.1. Hosanna in excelsis, Marci 11.*
Sermones de sanctis,	*Lib.1.*
Quaestiones ordinarias,	*Lib.1. Vtrum omnis clericus, existens.*
Collectanea quaedam,	*Lib.1. Quis est iste, qui uenit de Edom?*
Epistolas ad diuersos,	*Lib.1. Frater Stephanus Patrington.*
Contra statutum quoddam,	*Lib.1. Reuerendissimo in Christo patri.*
Determinationes quoque,	*Lib.1.*

Sunt & alia eius scripta, in diuersis Anglorum bibliothecis. Obijt extremũ diem Londini, decimo calendas Octobris, anno à Christo seruatore nato 1417 sepultusque est ibidem non sine celebritate inter Carmelitas suos, Henrico quinto regnante.

ROBERTVS MASCALL. XLIIII.

Robertus Mascall, pro suis uirtutibus certè dignissimus est (Lelandi uerbis utor) qui locum in nostro Catalogo honorificũ obtineat. Carmelitanae enim religioni Ludlovuiae, in Cambriae partibus, adolescens incubuit. Annis uerò paulo maturioribus, totum ad literas animum cõuertens, Oxonium se contulit: ibique Aristotele pręceptore aliquandiu usus, ad sacrosancta theologiae studia, tanquam ad perennem diuinae scientiae fontem, properabat. Peruenit tandem quò uoluit, nempe ad genuinam, synceram, acrectam (ut putabat) Euangelicae doctrinae cognitionem. Deinde omnes uitae suae actus ita temperauit, ut acceptis Christi praeceptis (quantum permittebat humana fragilitas) bellè respondere uideretur. Erat Henrico quarto Anglorum regi, cùm propter eius eruditionem non uulgarem, tum etiam uitam insigniter castam, commendatissimus. Vtque ego in hac parte taceam, satis loquitur beneuolentia principis: qui illum suae auriculari confessioni adesse uoluit, qui illum in magnis negotijs ad externos reges oratorem misit, qui denique illum Herefordiae episcopum designauit. Tantum Lelandus. Nunc restat, ut testatum faciam, Mascallum scripsisse,

De suis legationibus,	*Lib.1.*
Ad Herefordenses & Salopienses,	*Lib.1. Venerabilibus & discretis uiris.*
Sermones coram rege,	*Lib.1.*
Sermones uulgares,	*Lib.1.*

Et alia quaedã. Iste à rege & clero, anno Domini 1415, in summa legatiõe missus fuit ad Constantiense concilium, cum Sarisburiensi ac Bathoniensi episcopis. Fatoque tandem functus est Ludlovuiae, 21 die decembris, anno Christi 1417, & magna ibidem celebritate inter suos Carmelitas tumulatus.

REGINALDVS LANGHAM. XLV.

Reginaldus Langham, Nordouicensis collegij Minorita, à suae sectae scriptoribus eo potissimum nomine celebratur, quòd sedulus Sententiariorum theologorũ indagator fuerit. Qui postquam Cantabrigiae in ea speculatione magisterium suscepisset, sophisticis elenchis munitus, omniũ inuasit castra, omniaque literaria robora euertere nitebatur, audax & imperterritus miles. Hoc in Eadmundo quodam Buriensi monacho, hoc in Andrea Bynhamo Dominicastro, hoc in Ioanne Heydono Carmelita, & in a-

lijs Aristotelicæ cohortis primipilis apparebat: quorũ ille in quibusdã concertationibus palæstricos impetus fregit, ac difficilium argumẽtorum dissoluit nodos. Et ut id non solùm toti tunc scholasticorum gregi, sed & omni posteritati manifestum & notum fieret, arrepto statim calamo scripsit,

Conclusiones Sententiarum, Lib.4. *Omnis perfecta cognitio ortum.*
Contra Eadmundum monachum, Lib.1. *Arguitur principaliter contra tit.*
Contra Andream Bynham, Lib.1. *Reuerendus pater de sacro ordine.*
Contra Ioannem Heydon, Lib.1. *Aduersus argumentum primum &c.*
Lecturas 30. Bibliorum, Lib.1. *Hæc sunt nomina filiorum Israel.*
Determinationes quoq;, Lib.1. *Vtrum Christus à patre missus*,
Quæstiones disputatas, Lib.1.

Ac plurima his similia ociosissimi capitis monstra, quibus insigniter illusit mundo. Sed hæc erant eorum temporum sanctissima studia. Claruit Reginaldus anno Salutis humanæ 1410, sub Henrico quarto Anglorum rege.

ACTONVS DOMINICANVS. XLVI.

Actonus Dominicanus (sic eius uitam Lelandus describit) in re theologica iam longum uersatus, eò tum demum peruenit, ut inter sacræ Scripturæ interpretes, non infimum teneret locum. Laborabat ecclesia Romana schismate omniũ perniciosissimo, quo & orbis Christianus multum diuq; perturbatus est. Huic pesti ingrauescenti Actonus præsenti remedio occurrere uolens, rationibus iustis, exemplis persuadentibus, deniq; argumentis solidissimis in libellum collectis ac editis, manũ medicam adhibuit, quo tempore Ricardus Burdegalus, Nigri principis filius, imperiũ Angliæ tenuit. Tantum ille. Composuit igitur inter occupationes literarias Actonus, opus maturum, & orbi legendum emisit,

Pro pace Ecclesiæ, Lib.1.
Conciones & lecturas, Lib.1.

Feruntur & alia quædam, sed à me nondum uisa. In quibus omnibus, more suorum maiorum, Antichristi promouet regnum. Claruit anno à partu Virgineo 1410, uaria condens ac scribens, Henrico quarto regnante.

THOMAS PALMER. XLVII.

Thomas Palmer, Dominicastrorum ordinis alumnus, & eiusdem sectæ Londinensiũ ædium præses, inter sui seculi sophisticos doctores, sua nõ caruit existimatione ac laude. Erat ei cum Londinensi episcopo, Ricardo Clyffordo, familiaritas magna, dum præstantissimus heros, Ioannes Oldecastellus, corã iniquissimis Caiphis & Pilatis, pro Christi religione contra Papismũ responsa daret: cui & ille futiles quasdam rationes obiecit. Ipse Palmerus etiam, ut pij monitoris aliquando officio fungi uisus esset, Actoni prædicti & aliorum exemplo, pro tollendo schismate, & resarcienda Ecclesiæ concordia, tractatum edidit. In quo deplorabat incõsutilem Christi tunicam (ita Papisticen nominabat) tam miserè esse dilaceratã ac ruptam. Puluerem interea uulpina abstersit cauda, dum molliter quædã sordidissimi cleri leuicula uitia tetigit. Postremò q̃d scripserit, indicabimus: nempe,

Super facienda unione, Lib.1.
De ueneratione sanctorum, Lib.1. *Tractatum de sanctorum ueneratio.*
De adorandis imaginibus, Lib.1. *Nunquid Domini nostri crucifixi.*
De originali peccato, Lib.1. *Ego cum sim puluis & cinis.*
De peregrinatione, Lib.1. *In materia peregrinationum.*
De indulgentijs quoq;, Lib.1.

Mul-

Multaq; alia monstra his similia, pro confirmandis Antichristi idolomanijs. Pro dogmatibus his debebat tunc mundus tot monachorum sectas, & tot indoctos nebulones nutrire. Claruit Palmerus anno Domini 1410, sub dicto Henrico.

BOSTONVS BVRIENSIS. XLVIII.

BOstonus Buriensis, in magno illo Sudouolgiorũ comitatus cœnobio, ad Eadmundi fanum monachus, omnes ingenij neruos & industriam ad id intẽdebat, ut rem literariam promoueret. Magnis enim laboribus hic Angliam circuiuit uniuersam, & mira sedulitate ac diligẽtia omnes omniũ regni monasteriorum bibliothecas inuisit. Librorum collegit titulos, & authorum eorum nomina: quæ omnia alphabetico disposuit ordine, & quasi unam omnium Bibliothecam fecit. Ipsorum etiam ætates ac uitas, cum operum initijs curiose adiunxit, & in quibus essent ea opera inuenienda cœnobijs, calendarij uice per numeros demonstrauit. Addidit eidem quoq; labori, ex Burcardo Vuormaciensi, Hugone de S. Victore, Casiodoro, Isidoro, Gratiano, Vincentio, & alijs scriptoribus multa, de libris & authoribus tam authenticis quàm apocryphis. & id opus uocabat

Catalogum scriptorum Ecclesiæ,	Lib. 1. *Omnis diuina Scriptura in duobus.*
Speculum cœnobitarum,	*Lib. 3. Primus institutor monachorum.*
De rebus sui cœnobij,	Lib. 1.

Atq; alia nonulla edidit. In primo opere, solenniorum Angliæ bibliothecarum libros & authores prodit: in secundo, prima ostendit monachorum initia ac progressus. Et claruit anno nati Seruatoris 1410, Henrico quarto regnante.

THOMAS PEVERELL. XLIX.

THomas Peuerell, in Sudouolgiæ comitatu ex honesta familia natus, Carmelitici instituti sectator, ut Lelandus habet, Isiacas scholas celebrauit, unde & theologi sacrum adeptus est nomẽ. Virtutem hominis (inquit) secutæ sunt & alię dignitates, nempe episcopatus tres ex ordine. Suo quidem ille seculo in magna existimatione fuit, tum fortunæ tum literarum gratia, & est à quibusdam historiographis candidè celebratus: à Thoma Vualsingamo præcipuè, in auctario Polychronici. Dum enim Ricardus secundus Anglorum rex, altera uice, anno scilicet Domini 1398, Hyberniam cum exercitu petijsset, Ossoriensi episcopatu præsentem hunc donauit: atq; anno sequenti, consentiente etiam Bonifacio 9. Rom. pontifice, ad pontificatũ Landauensem in Cambria ipsum inde transtulit. Et anno Christi 1470. Henricus quartus, annuente Gregorio 12, ad Vuigorniensem episcopatum ipsum uocabat, in quo ad mortem usque perseuerauit. Iste inter cætera congessit

Quæstiones theologiæ,	Lib. 1. *Vtrum beatus Ioannes Baptista.*
Sermones solennes,	*Lib. 1.*
Ordinationes sui cleri,	*Lib. 1.*

Feruntur et alia, sed ea mihi sunt ignota. Demum obijt mortem, post uarios motus & post magna rerum discrimina, anno ab incarnato Messia 1418, prima die Martij, & suarum administrationum anno 20: Vuigorniæ in sua ecclesia sepultus, Henrico quinto in Anglia triumphante.

IOANNES PVRVEY. L.

IOannes Puruey, Oxonij donatus artium professione, uir erat conspicui nominis atq; authoritatis: qui sub præceptore Vuicleuo, uiuentiũ laudatissimo, iuuenis adhuc, Christianæ religionis studijs utiliter se exercuit. Taliterq; sanctissimus uixit, ut ea quæ ex Euangelio piè didicerat ac docuerat,

pijssimis uitæ exemplis quoque proponeret imitanda. Cum uerò esset theologus facundus, & legis prudentia clarus, multos credentes, sed in examine deficientes, uerbis ac scriptis à luporũ faucibus eripuit. Hinc est quòd Vualdenus, Lollardorum librarium & Vuicleui glossatorem, illum tam sæpe uocarit. Romam ipse in Dei spiritu, diaboli prostibulum esse dicebat: & ecclesiam eius magnam affirmauit esse, ex fœda superstitionum colluuie, meretricem illam in Apocalypsi descriptam: quæ sedens super aquas multas, incredibili tyrannide & hypocrisi, Christiana regna omnia seduxit, Apoc. 17. Inde per Thomam Arundelum, Cantuariensem archiantichristum, captus & incarceratus, anno Domini 1396, horribilibus tormẽtis coactus fuit 7 Articulos pios ad Pauli crucem Londini reuocare. Scripserat tamen prius ad ueritatis propagationem,

Orationem soli Deo esse dirigendam,	Lib. 1.
Concordiam scripturarum & canonum,	Lib. 1.
De obliquo cleri statu,	Lib. 1.
Super libera uerbi functione,	Lib. 1.
Commentarium in Apocalypsim,	Lib. 1. *Apocalypsis, quasi diceret, Non deb.*
Ad parliamentum Angliæ,	Lib. 1. *Prima conclusio hæc est, quod.*
Reuocationem 7. articulorum,	Lib. 1. *In Dei nomine, Amen. Ego Ioannes.*
Symbolum suæ fidei,	Lib. 1.
Pro doctrina Vuicleui,	Lib. 1.
Ad regem & concilium,	Lib. 1.
De profanatione cœnæ Dominicæ,	Lib. 1.
Iniustas esse cleri possessiones,	Lib. 1.
De synagoga Antichristi,	Lib. 1.
De uero sacramentorum usu,	Lib. 1.
De uerbi diuini efficacia,	Lib. 1.
De potestate clauium,	Lib. 1.
De ministrorum coniugio,	Lib. 1.
De uotis & mendicitate,	Lib. 1.
De cleri punitione,	Lib. 1.

Et id genus plura reliquit. Rursus fuit Puruæus, ob ueritatis assertionem, carceri mancipatus, per Henricum Chychelæum Arundeli successorem, anno Christi 1421, ut in utroque opere Vualdenus habet. Sed quem sit sortitus exitum, certè non legi. In carcere extinctum, facilè crediderim.

APPENDIX.

Prædictus in Apocalypsin commentarius, ex magistri Vuicleui lectionibus publicis per Ioannem Puruæum collectus, & nunc per Martinũ Lutherum Ante centum annos intitulatus, anno Domini 1528, sine authoris nomine, Vuitembergæ fuit excusus. In quo opere, idem Ioannes apertissimis uerbis ecclesiam Romanam, Babylonicam meretricẽ & Papam Antichristum probat: eo quòd neglecto Dei uerbo, suas traditiũculas ac nugas doceat, Euangeliũ piosque doctores opprimat. Item, quia quæstus gratia indulgentias excogitauerit: potentiam & splendorem regium sub falso donationis Constantini nomine, ad se traxerit. Enumerat & alia plura flagitia, erroresque Papæ & prælatorum: præcipuè uerò, quòd ex mandatis Dei consilia faciant. Reprehendit uehementer Papam, quòd se iactet uicariũ Christi. Item quòd neget, Euangelium ad salutem, sine suis decretis et decretalibus, sufficere. Hortatur etiam omnes, ut fugiant ex illa Babylone. Addit quoque, complures fuisse ante se, qui illam spiritualem Babylonem oppugnauerint: & suo tempore multos ueritatis præcones in carceribus detentos, custoditosque arctissimè. Fuit & ipse author in carcere, ac cathenis insuper chalybeis, cum ea commentaria scripsit: ut ex decimo & undecimo eius scripti capite apparet. Ait quoque, à spiri-

à spiritualibus libros contra Papam scriptos, abscondi & aboleri: neq; admitti quenquam ad suggestum, qui Papæ non sit addictus: omnesq; rectè sentiētes, ad carceres trahi. Sed tamen nihilominus scribi denuò, etiam uehementiora scripta contra Papam, quàm fuerint priora, quæ Papistæ oppresserant. Scripsit autem Puruæus hunc librum, anno Domini 1390, ut ex decimotertio capite, & principio uigesimi apparet. Inquit enim: Mille ac trecenti anni elapsi sunt à passione Christi, & 57. Christus passus est 33 ætatis suæ anno: qui additi numeri, faciunt 1390, quæ est præsens data, &c. Etiam de terræmotu, qui fiebat anno Domini 1382, dum damnaretur Vuicleui doctrina.

Appendix alia.

Ex Platina: Dum Innocentius septimus, Rom. pontifex, adhuc Cardinalis esset, carpere negligentiam priorum Pontificum consueuerat, quòd eorum socordia factum sit, ne schisma Ecclesiæ sublatum esset. Verùm ipse pontificatum adeptus, eorum uestigia, quos priuatus carpebat, non tantum est secutus: sed & iniquo animo ferebat, si quis apud se ullum de ea re uerbum fecisset. Præterea uerò adeò tumultuose omnia gubernabat, ut cum semel Romani in libertatem restitui peterēt, instarentq; item ut schisma prædictum tolleret, seditiones extingueret, atque Ecclesiam reformaret, Romanos ipsos tyrannus ad Ludouicum nepotem, quem agri Piceni marchionem creauerat, tanquam ad certum carnificem misit. Is enim undecim ex eorum ciuibus, ad hoc missos, ut labanti reipublicæ consulerent, statim necauit, è fenestrisq; deijci fecit, dicens, non alio modo schismata posse tolli. Et hæc fiebant anno Christi 1406. Ex Catalogo testium ueritatis doctißimi uiri Matthiæ Flaccij Illyrici: Theodoricus Niem, aliquot Paparum scriba, & tandem Episcopus Vuerdensis, descripsit bona fide historiam schismatis inter Papas, quod ante Constantiense concilium 39 annis durauit. Deus bone, quas in ea historia technas, quas fraudes & diabolicas uafricies, quæ scelera & facinora Paparum ac spiritualium nebulonum recenset? quibus illi Deum, religionem, & ecclesiam Christi horribiliter ludibrio tunc habebant, uexabant, ac suæ tyrannidi subijciebāt. Dicitq; prædictus Theodoricus: Cæsares debere tam sceleratos Papas castigare. Item, indignos esse ut uocentur Cæsares, qui ad tam fœda scelera, tyrannidemq; Paparum conniuent. Ioannes Petrus Ferrariensis, iuris prudens, illis etiam temporibus dicebat: Heu miseri Imperatores, & principes seculares, qui talia sustinetis, ac uos seruos Ecclesiæ facitis. Mundum per eos infinitis modis usurpari uidetis, nec de remedio cogitatis: quia prudētiæ et sapientiæ nō intenditis, ut Cæsari per illos ea reddātur, quæ Cæsaris sunt, &c.

Appendix alia.

Circa annum Christi 1410, Theodoricus Vrias, Augustinianus, in tertio libro de Consolatione Ecclesiæ, grauiter insectatur prælatorum scelera, libidines, simoniam, ambitionem, neglectionem diuini uerbi & salutis animarum. Pronunciatq;, Papam præcursorem esse Antichristi. Theodoricus Croatiæ episcopus & Minorita, eodem tempore prædixit fore, ut Romana sedes, quæ simonia & libidinibus esset cōtaminatissima, corruat: nec quenquā, ut antea, tyrannide sua premat. Et quod tandē uera pietas in Ecclesia floreret. Ex Vualdeni fasciculo: Anno Domini 1410, Londini faber quidam, quoniam dicebat id non esse realiter Christi corpus, quod sacramentaliter tractatur in ecclesia, dolio inclusus exurebatur. Similiter & sartor quidam eodem anno, pro eodem articulo. Ex Baptistæ Panetij Ferrariensis sermone 56: Anno Domini 1410, Balthasar Cossa, Ioannes 24 postea dictus, Alexandrū quintum Rom. pontificē ueneno sustulit per Marsilium de Parma medicum, ut ei in Papatu succederet. Propterea depositus à Constantiensi concilio fuit. Ex Vualdeni fasciculo: Anno Domini 1413, Scriptura sacra in uernaculo sermone, edicto publico hæresis primùm habebatur in Anglia. Eodem anno Rogerus Actonus eques auratus, Ioannes Brouune armiger, & Ioannes Beuerle sacrificulus, cum alijs 36, Londini in Aegidij campo suspensi & exusti sunt. A' Papistis uerò impositum illis fuit, quòd conspirassent in regem et clerum. Anno Domini 1414, Ioannes Claydon pellicarius, et Ricardus Turmyn pistor, Vuicleuianæ disciplinæ assectatores, à Pontificijs capti & oppreßi, Londini combustione perimebantur, Henrico quinto expeditionem in Gallias faciente.

Ex Thomæ Vualsingami & Georgij Lilij Chronicis: Eodem anno, Brigidani ac Celestini, monachorum sectæ, in Angliam uenerunt, & Richemondiæ sedes posuerunt.

GVIL-

GVILHELMVS HOLME. LI.

GVilhelmus Holme, Chordigerorum sectæ imitator non ultimus, primùm uirtuti (Lelandi sunt uerba) rerum omnium facilè principi, studebat. Accesit ad hanc prompta quædam fœlicis ingenij alacritas: unde & enata occasio, ut per latos bonarum artium campos exspaciaretur. Quod annis non paucis cum fecisset, domum secum attulit salubria multa, quibus non modò suæ animæ morbis, uerumetiam proximorum mederetur. Nec sic contentus, quæ eius erat pietas, unà tulit diuitem rerum medicarum copiam, ut & corpora intemperie languentia percuraret. Et ne tantus fructus tam solicitè quæsitus, ac tandem utiliter inuentus, breui cum illo moreretur, scripsit, maxima usus diligentia, egregium uolumen,

De simplicibus medicamentis, Lib. 1.

Præter hoc unum, nihil opusculorum eius extare noui. Apud regni primores magnam habebat gratiam, ex diuersis curationibus, quas fortunata manu multis attulit. Claruit anno à Christo nato 1416, sub Henrico quinto.

NICOLAVS BAYARDE. LII.

NIcolaus Bayarde, ex Dominicanorum fratrum sodalitio summista ac theologus, Oxonij (ut ex scriptis apparet) supremum post literarios labores obtinuit gradum. Erat Aristotelicarum rerum per eam ætatem peritus: papaliumq; decretorum ac scripturarum, pro formãdis allegoricis adinuentionibus, & quidditatibus ociosis, non ignarus. Sic de Deo ac rebus diuinis, suarum cogitationũ idola fabricauit: sic Christum uarijs sophismatum laruis uestiuit, ac tanquam cereum idolum, in quamcunq; uoluit partem, absurdis suppositionibus uertit. Neq; exiguos ille insumpsit labores, ut hæc tandem fierent, ex prædictis omnibus, profanis ac sacris, pharmacũ ad fidei perturbationem cõficiens, ingenio callidisimus. Composuit opus grande, ex uarijs & inter se diuersis sententijs, cui apposuit titulum:

Distinctiones theologiæ, Lib. 1. *Absconditur malum à diabolo. sub.*
Sermones de tempore, Lib. 1. *Præparate corda uestra Domino.*
Sermones quadragesimales, Lib. 1. *Abijciamus opera tenebrarum.*
Sermones de sanctis, Lib. 1.
Placita theologica, Lib. 1.
Lectiones uarias, Lib. 1.

Aliaq; plura scripsit, quæ olim in diuersis Anglorum bibliothecis, quærentibus se offerebant. Illumq; inter authores præcipuos enumerat Bostonus Buriensis. Claruit anno incarnationis Dominicæ 1410, sub Henrico quarto.

THOMAS RVDBVRNE. LIII.

THomas Rudburne, Oxoniensis academiæ theologus, archidiaconus Sudberiensis, ac tandem post Stephanum Patringtonum, Meneuẽsis seu ad S. Dauidem episcopus fuit. Hic non modò fortunę, uerumetiam animi dotibus tam erat ornatus, ut magnam ex illis sibi conciliauerit beneuolentiam ac gratiam. Porrò adoleuit in eo cum probitate morum, multarum rerum ingens cognitio. Solertis ingenij pollebat lumine, atq; inuentionis acrimonia eminebat plurimum: ut ex Epistolis claret, quas plures ad Vualdenũ scripsit Inde post uariam literarũ supellectilẽ, ad historiã, quæ omniũ mundi rerũ est magistra, se accinxit: ut fructus ex illa ad cõmunem reipublicæ utilitatẽ demũ produceret. Quod & copiose satis suo tempore fecit. Ad ornamẽtum enim suę nationis, et ad recreandos mortaliũ animos, scripsit,

Chronicon perpulchrum, Lib. 1.

Epistolas

Epistolas ad diuersos, *Lib. 1.*

Nihil aliud edidisse ipsum, à scriptoribus unquam intellexi. Claruit anno gratiæ per Christum reuelatæ 1412, priusquam esset episcopus, super quibusdam Vuicleui scriptis impius iudex, post collectos articulos, Henrico quarto adhuc regnante.

PAPAE, VEL ANTICHRISTI ROMANI.

150. *Ioannes uicesimusquartus, patria Neapolitanus, Balthasar Cossa antea uocatus, tituli S. Eustachij cardinalis, Papistici iuris peritus, ac militaris disciplinæ quàm religionis studiosior, Alexandro prædicto eius arte sublato, Papatũ sceleribus comparauit. Illum autem ferunt Papisticæ tyrannidis approbatores aliquot, Pontificium munus uiolenter potius usurpasse, quàm liberis assumpsisse suffragijs. Cum enim Bononiæ (inquit Stella) potius ut dominus quàm legatus esset, magnoq; exercitu imperaret, & patres pro nouo Pontifice deligendo ibidem conuenissent, multa eis interminatus est, nisi Pontificem sibi gratum elegissent. Et ea causa multi producti fuerunt, quorum neminem approbare uoluit. Quum uerò obsecraretur, ut quem uellet, significare dignaretur: Date mihi (inquit) Petri chlamydem, & ego dabo Pontifici futuro. Quod cum factum esset, ille pallium suis humeris imponens: Papa (ait) sum ego. Quæ res, quamuis patribus displicuisset, fortè tamen sententiam abscondi consultius fuit. Hominem uidelicet terribilem atq; armatum territare non uidebatur utile. Hac igitur arte Pontificatum (ut aiunt) obtinuit. Qui in Papam coronatus, statim in Germaniam misit, ut Sigismundum Hungariæ regem in Cæsarem solito more cõstituerent. Et uoti compos effectus, Romæ synodum celebrauit, ut imperiali diademate ipsum illic ornaret.*

In cuius prima sessione, post Missam de Spiritu sancto, cum ipse Ioannes in sublimiore cathedra præsideret, mox aderat bubo, quæ supra templi trabem, horrifica sua uoce, iniectis in Papam oculis, ipsum monstrifico more salutauit. Astantes autem uehementer admirari cœperunt: et quidam eorum submissa uoce dicebant: En Spiritus sanctus adest, quem tam ardenter inuocabant, ut illis expectatum ferat auxilium. Cæteri se mutuò spectantes, & Papam, uix risum continere poterant. Ioannes ipse rubore suffusus, sudare, angustiari, atq; intra semetipsum æstuare cœpit. Tandemq; nõ inueniens qua posset alia ratione suæ tam magnæ confusioni consulere, soluto consilio, surgens abscessit. Secuta est deinde altera sessio, in qua similia rursum, sed maiori cum uerecundia passus est: nec poterat bubo aut clamorib. abigi, aut fustibus terreri: ita ut in ea synodo nihil prorsus actum sit. Tales ex hoc portento spirituales columbas, Ecclesiam illam longo tempore rexisse, crediderunt tunc multi. In quadam epistola Nicolai Clemãgis, archidiaconi Baiocensis, hæc inuenitur historia. Cæterùm, propter Italorum discordias, quarum suscitator ille extitit, Sigismundo atq; suis tutus non erat accessus ad urbem. Citatus ergo (teste Massæo) ab omnibus fermè nationibus, ut aliũ designaret locum, quo conuenire liceret, delegit Constantiã, Moguntinæ prouinciæ ciuitatẽ, diemq; præfixit Calendarum Nouembriũ anni 1414. Suaserũt interim quidã illi, nõ accedere, ne nõ Pontifex fortassis reuerteretur. Accessit tamẽ cũ argutissimis aduocatis et causidicis, qui facilè possent diluere, si quid obijci cõtigisset. Sed in medio itinere ex rheda præceps cecidit: quod infausto omine, futurũ eius casum indicabat.

Cum uerò Constantiam Ioannes hic Pontifex peruenisset, eius atq; Imperatoris, et aliorum Christianorũ principũ consensu, conciliũ incœpit generale, anno Domini 1414. In uigilia natalis Christi illuc accessit Imperator Sigismundus: & in eius noctis prima missa, Euangelium ut diaconus cantauit, Exijt edictum à Cæsare Augusto, &c. Cumq; sedissent in concilio, præsente Sigismundo, cunctisq; data libertate loquẽdi, plus quàm quadraginta crimina, et quidẽ grauissima, Papæ Ioanni obiecta sunt ac probata: & quod Alexandrum prædecessorem, conducto Marsilio Parmensi medico, per uenenum sustulisset. Coactus est igitur dictante Concilio, Papatu se abdicare: propterea quod esset hæreticus, simoniacus, mendax, hypocrita, homicida, ueneficus, aleator, adulter, sodomita, & quid non? Quamobrẽ mutato statim habitu, fugere clanculũ cœpit 21. die Martij sequentis, ad Scaphusam Austriæ urbẽ, & inde Friburgũ. Sed curante ipso concilio 29. Maij, ac pontificatus sui anno quinto, omni officio priuatus fuit, quæsitus, inuentus, comprehensus, & in carcerẽ missus, in quodã Germaniæ fortissimo castro, Heidelbergæ (uel ut alij uolunt, Manheimi, Palatini electoris oppido) ubi triennio

Z z

mansit

mansit inclusus, nullis ei aßistentibus nisi solis Germanis, Latinæ atq; Italicæ linguæ ad suũ non modicũ malũ ignaris. Christianus Massæus: Interim synodi præsides decretũ ediderunt, quo declarabatur, generale conciliũ legitimè congregatũ esse supra Papã, & habere potestatẽ à Christo, qui caput est Ecclesiæ: quamuis ad illũ usq; diem, papisticæ monarchiæ uindices ausi fuissent contendere, Papam esse legitimum Christi uicarium & Ecclesiæ monarcham.

In eo concilio, cumplurima & maxima negotia pro gloria Christi, & pro publica utilitate poterant agi, si putris caro ecclesiasticorum potuisset Euangelij salem ferre: nihil tamen magis est effectum, quàm quòd doctrina Christi, quæ tum per multos à S. Spiritu illuminatos uiros in lucem reuocabatur, per idem concilium sit condemnata, atq; sub modium abscondita. Ioannis Vuicleui doctrina Christiana, est illic proscripta ac damnata. Ioannes Hussus & Hieronymus Pragensis, saluo conducto dato, ad idem conciliũ citabantur: ubi tamen non longè pòst exauthorati, igne tyrannico cremabantur, tanquã hæresiarchæ perniciosißimi. Quoniam inter cætera dixerant (ut ipse Platina scribit) ecclesiasticos ad imitationẽ Christi & Apostolorum (magna hæresis) pauperes esse debere: cum tamen ex tanta rerum in illis copia & luxu populi omnes scandalizarentur. Et nil mirum, si cum hi omnia scelera impunè facere uelint, concilium liberum conuocare, atq; illi interesse nolint. Si enim Pontificum huius nostræ miserrimæ tempestatis facta, sicut in libero cõcilio facere oportet, ad examen reuocarentur, omnes diuinis humanisq; legibus, non modò carceribus ac compedibus, sed laqueo, capite, aquis, igne & eculeo plectendi essent. Quapropter satis mirari non possum eorum opinionem, qui liberum concilium aliquando à Pontifice conuocandum sperant, in quo ecclesiæ Christi consulatur, & optimè prospiciatur.

Hæc, dum esset in ipsa Antichristi sede, fecit prædictus Papa Ioannes, inter alia gesta Papalia, ut in diuersis authoribus uidi. Contra Ladislaum regem terrifica bella excitauit: & ut de regno pelleretur, conuentũ habuit Romæ. Mandauit item supplicationes cum capite S. Ioannis Baptistæ ibidem fieri, cum id Florentinis uendere subdolè statuisset. Ordinem de Camisea, seu Frisonariorum sectam in agro Lucensi confirmauit: et congregationẽ reformationis nouæ in monasterio S. Iustinæ, per Ludouicũ Barbam apud Patauium inceptam, admisit. Dum'que Martinus quintus, qui illi successit, apud Florentiam existeret, è carceribus liberatus, præter spem omnem, admirantibus cunctis qui aderant, ad ipsum illuc uenit: & eius osculatus pedes, ut suum Papã agnouit, ut Petri successorẽ recognouit, atq; ut Deum quendam terrenum salutauit. Martinus ea eius humilitate permotus, post aliquot dies ipsum in Cardinalium assumpsit numerum, Tusculanumq; episcopum creauit. Verum, post aliquot menses, animi dolore, ut credi poßit, in eadem urbe Florẽtia, mœstam uitam properè clausit, anno Domini 1419. ubi à Cosmo Medico, sui semper amantißimo, honorificentißimè in D. Ioannis Baptistæ templo, magna adhibita funeris pompa, sepultus est.

Epitaphium eiusdem Ioannis.

Balthasar in primis uocitabar, & inde Ioannes:
Depositus rursum, Balthasar ipse uocor.
Diues eram nuper, quo nullus maior in urbe:
En mihi diuitias abstulit hora breuis.
Dum cathedram Petri lustro, paucisq; diebus
Possedi, plures procubuere mihi.
Pestis auaritiæ me cæcum reddidit: aurum
Plus iusto sitiens, munere sacra dedi.
Hei mihi quam duxi, sponsæ Christi sine ruga,
Scandala magna nimis, sordida uita dedit.
Propter quæ scelera, celso synodus sacra Petri
Me uelut indignum depulit è solio.
Pontifices igitur moniti sint temporis huius,
Exemplo nostro, ne sacra dent precio.

151. Martinus quintus, patria Romanus, Otho Columna prius nuncupatus, D. Georgij diaconus

nus Cardinalis, cōcilij Constantiensis authoritate, abrogatis tribus Papis, Benedicto, Gregorio, et Ioanne, Pontifex creabatur. Is enim à teneris annis parentum cura moribus & literis imbutus, ubi adoleuisset, iuri Pontificio Perusij operam dedit. Vnde ad urbem rediens, & pro uulpe agnū induēs, Vrbani sexti referendarius factus est: quod munus simulata mansuetudine ita gessit, ut Cardinalis ab Innocentio septimo ordinatus sit. In omni enim controuersia, aut in utramq; partem altercatione, propter diuersarum factionum studia, relicta ueritate, medium quoddam, ut omnibus parēret, adulator tenuit. Hanc ob rem & Imperatori & Cardinalibus omnibus gratus, in prædicto Concilo Papa cōstituebatur. In cuius electione effusus gaudio Sigismundus Cæsar, omnibus gratias egit, quòd talem elegissent Pontificem: & eius osculatus est pedes, in eo draconem adoratus, Apoc. 13. Quem Pontifex tanquam fratrē amplexus (ut regem potius agnoscere debuisset) gratias ei uicissim retulit, quòd ipsius labore pax tandē Ecclesiæ reddita esset. Et quia in D. Martini festo electus fuit, Martinus dici uoluit. Subinde tamen astu se subduxit, & (ut scribit Volaterranus) inuito ipso Imperatore, in Italiam citatim redijt. Per Mediolanum, Mantuam, Ferrariam, Rauennam, et alias urbes, Florentiam demū uenit: sed pericula metuēs, Bononiā euitauit. Florentiæ duob. annis, in omni carnis uoluptate, pompa & ocio cōsidens, maius altare S. Mariæ Nouellæ apud Dominicanos dedicauit. et nihil aliud memoria dignū, quod legimus, interim fecit: certè Euāgeliū Christi uel semel nō prædicauit.

Et, quod penè omiseram, dum adhuc esset Constantiæ, & super clericorū moribus, nimia licentia labefactatis, mentio per Cæsarē atq; alios principes fieret, Martino placuit in aliud tempus remedium transferre. Dicebat enim rem ipsam maturitate & consilio indigere (uitæ reformationē lethaliter odiunt semper) quia ex Hieronymi sentētia (inquit) unaquæq; prouincia suos habet mores, et suos sensus, qui tolli sine rerum perturbatione (callidus impostor) subitò non possunt. De cōcilijs ergo celebrandis (nam ea tunc ualde timebant, quòd essent supra Papam) talem sententiā promulgauit, ac decretum edidit, ne rursus conciliū ante quinquenniū conuocaretur, & inde ad decenniū usq; protraheretur, ac deinceps à decennio in decennium generalis synodus ageretur. Martinus postea, peractis in itinere (ut dictum est) duobus annis, Romā tandem diu expectatus peruenit: et urbem in externis ædificijs ac cæremonijs Papalibus reformauit. Patrimonium Ecclesiæ durissimis prælijs repetebat: et ut peregrinis nummos afferentibus iter esset tutum, uiarū latrones fugauit. Ludouicum Alouisij filium in Neapolitano regno cōfirmauit: atq; Alphonsum Arragonū eo priuauit. Schismata quædam aduersus regnum Papisticum sustulit: ac Bononiam rebellantem, in caulam reuocauit. Germanos aduersus Bohemos ad arma ob hæresim (ut uocant) concitauit: & Vualdenum Carmelitam Anglum ad scribendum contra Hussitas & Vuicleuistas inuitauit.

Cardinales plures creauit, & decreta Pontificum in ipso schismate facta damnauit. Prosperum Columnam nepotē (uel spuriū) habuit: & in suo Cardinalatu ad D. Georgium sibi succedere paterno animo fecit. Formulam contractuū uenditionis et emptionis promulgauit, thesauros congregauit, et alia plura præter Euangelij regulam egit. Florentiam urbem honore metropolitano exornauit: eiq; Volaterranam, Pistoriensem, & Fesulanā ecclesias subiecit. Vrbem Romanam ingressus, & dirutam ac uastatā inueniens, non modò templa, domos, uicos, & plateas, sed et eius mœnia reparauit. Porticum S. Petri collabentē in primis restituit: & pauimentū Lateranensis ecclesiæ opere uermiculato perfecit, testudinemq; ligneam superinduxit. Aedes præterea ad duodecim Apostolos uetustate diruptas, refecit: idipsum & Cardinales omnes in suis certatim fecere titulis. Papiæ ac Senis synodos ociose celebrauit: & futurum concilium, finito decennio, Basileæ tenendum, decreto suo firmauit. Apoplexia tum demum anno Domini 1431 Romæ cōmuni decubuit fato, in Lateranensi templo ante Apostolorum capita æneo sepulchro tectus. Huius tempore Marcellus Minorita, cum hospitalario quodam S. Ioannis, plenarias indulgentias, confictis Papalibus literis (ut Crantzius refert) Saxonibus pollicebatur, pecuniam largientibus.

152. Eugenius quartus, patria Venetus, habitu Cœlestinus, Gabriel Condelmerius antea nominatus, & ex Angelo patre prognatus, tituli S. Clementis cardinalis presbyter, Pontificatū (ut Platina refert) apud Mineruam hac ratione adeptus est. Creato enim Pontifice olim Gregorio 12, è gente Corraria, patria Veneto, Antonius Corrarius eius nepos (sic solent Manzeres appellare) Cœle

stinorum canonicus, congregationis S. Georgij in Alga, Romam iturus, Gabrielē hunc, qui eiusdem professionis erat, secum duxit. Quo delectatus Gregorius (erant fortaßis eo genitore fratres: nam et Venetus fuit, ac pro cōfirmando mysterio, Angelus ante Papatum dictus) eum primò thesaurarium fecit, deinceps episcopū Senensem creauit, Antonio Bononiensib. in præsulē dato. Postea rebus suis diffidens, & Roma Lucam profectus, Cardinaliū aucturus numerū, utrunq; nepotem Antonium et Gabrielem in Cardinales retulit. Gabrielis enim opera, magnis in rebus primùm Gregorius, postea Martinus usus est, in legationib. maximè. Vnde ad Papatum, ipsis tandem mortuis, ille perueniens, diuina humanaq; omnia perturbauit. Instantibus delatoribus, qui dicerēt Martinū prædecessorē congregandi auri cupidum, maximos reliquisse thesauros, eò uesaniæ hominem pepulere quidam, ut eius uicecancellarium, cum familiaribus ac nepotibus comprehendi atq; spoliari iusserit. Inde Romani ad libertatem respicientes, sublato clamore ad arma concurrebant: pulsisq; omnibus Eugenij magistratibus, & capto Francisco Condelmerio, eius nepote (uel notho) atq; camerario, nouos ipsi magistratus creabāt. Septem fuere è ciuibus Romanis, quos ipsi Gubernatores appellabāt, penes quos uitæ ac necis hominum summa potestas erat.

At uerò Eugenius, in tanta rerum perturbatione, incertus quid potißimùm faceret, de fuga cogitare cœpit. Mutato itaq; habitu, sumptoq; monastico cucullo, unà cum Arsenio quodam monacho, cymbā piscatoriā ingressus, custodibus deceptis, à Tyberi Hostiā uehebatur: quum Romani quidā cognita eius fuga, lapidibus eum sagittisq; incessērent. Abijt hinc Pisas delatus pontifex, ac deinde Florentiam, triremibus ad id paratis. Vbi aliquot annos cōmoratus, 16 Cardinales fecit: inter quos Græcos duos, Beßarionem Nicenum & Isidorum Rutenum, ac Guilhelmum Estouteuillam Rothomagensem numerauit. Postea Bononiam se contulit, ibiq; ædes, quas nunc inhabitant legati, sumptuosè extruxit. Cum negasset ad Basiliense uenire concilium anno Domini 1432, quòd diceretur cōcilium præesse Papæ: et citatus, deberet super obiectis sibi criminib. respondere: Papatu deponebatur, subrogato Amadæo Sabaudiæ duce & eremita. In eo concilio damnati sunt concubinarij, annatæ, & ambulantes in templis dum fiunt sacra, Seß. 20. Communio sub utraq; specie comprobata, Seß. 30. Pontificis & Cardinalium nepotes & cognati (manzeres) à Cardinalatibus exclusi, Seß. 32. Festa conceptionis & uisitationis Mariæ ordinata, Seß. 36. cum alijs. Eugenius uerò, ut illud, Basiliense scilicet concilium dißiparet, alterum Ferrariæ, postea Florentiæ conuocauit. Pontificiæ enim authoritati satis erat molestum atq; aduersum, cum Papam, cuius pedes osculari debebat, subiectū esse concilijs decerneret. Fuerunt Florentiæ, Græcorum, Aethiopum, Asianorum, Armenorum, Indorum, Rhutenorum, & aliorum orientalium legati: qui cum Romana religione illic in multis consenserunt, quoniam omnes tunc erant sumptibus Rom. pontificis (teste Stella) enutriti. Sed domum reuersi nuncij, Rhutenorum præsertim, à suis non sunt auditi, in his quæ Papæ & Cardinalibus concesserant: ut habent annales Poloniæ.

Libet hic referre miserabilem Vladislai Hungariæ regis cladem. Eugenius hunc regem iuuenem compulit, ut Amurathi Turcarum regi fidem, quam ei inito secum fœdere dederat, non seruaret. Cui tanquam patri sanctißimo, dum Vladislaus, duos & uiginti annos natus, incautè obedire studet, debitas pœnas uiolati fœderis Amurathi persoluit. Nam dum Amurathes bellum, innumeris copijs secum adductis, committit, magnaq; suorum clade accepta, tandem & ipse, ab Eugenio deceptus, ferro occubuit. Ferunt hunc Eugenium, mirum in modum amasse bella: & multa indignatione permotum, Ludouicum Delphinum, Caroli septimi Francorum regis filium, cum magno comitatu in Basilienses concitasse, unde mala infinita sequebantur. Et ubi Romam postea uenit, urbi multa cōtulit. Maximè circa Vaticanum, ærarij officinam & aream palatij instaurauit: ac uias publicas multis in locis strauit. Picturam basilicæ Lateranēsis à Martino inchoatam in pariete absoluit: porticumq;, qua ad Sancta sanctorum itur, extruxit. Monasterium, quod iuxta Lateranum est, refecit: ac pulsis inde canonicis secularibus, Frisonarios regulares ex Lucensis agri loco accitos, introduxit. Basilicam S. Petri reparauit: atq; eius sacristiam multa supellectili donauit. Scholas quasdam instituit: ac gymnasia sophisticis doctoribus fouit. Monachos omnes mirum in modum dilexit: & mendicantes fraterculos priuilegijs & gratijs auxit.

Thomam

Thomam Rhedonensem nihilominus, qui reformandæ sectæ Carmeliticæ gratia in Italiam uenerat, per Rothomagensem Cardinalem, Guilhelmum Estouteuillam, terribili corporis incẽdio post uarios cruciatus sustulit. Dixerat enim Thomas, abominationes Romæ fieri (magnum piaculum certè) atq; ecclesiam egere magna reformatione. Dixerat etiam, Papæ excommunicationem, dum Christi res agitur, non esse metuendam. Sed in eius facti resartionem, regulæ mitigationem in carnium esu, eius sectæ fraterculis cõcessit: Ioannẽ Facium, eorũ magistrum generalẽ, episcopum Regiensem fecit: & Cyrillum doctorem illum, qui uisiones habuerat, in sanctos referri permisit. Præterea, ante Papatum, S. Agnetis templum Anconæ, atq; eius urbis portum magna impensa restituit: & in ipso Papatu, Sigismundũ Cæsarẽ Imperiali diademate Romæ coronauit: annatasq; beneficiorũ omnium post Bonifaciũ nonum, auarus & ipse, confirmauit. Romæ tandem obijt anno à Christi natiuitate 1446, ad S. Petrum sepultus. In quo quidẽ anno Nicolaum Tolentinũ, Augustinianũ, in sanctos retulit, ut & illi quoq; suum haberẽt idolũ. Mitram S. Syluestri, Romam Auenione delatam, ipsemet è Vaticano ad Lateranũ detulit, magna cum ueneratione ac letania: & de quibusdã sacrificulis supplicium sumpsit, qui preciosos lapides è capitibus Petri & Pauli furtim surripuerant. Huius tempore Ludouicus Cardinalis Aquilegiensis (ut testatur Volaterranus) primus sui ordinis erat, qui de bonis ecclesiæ canes & equos pauperũ loco alere cœpit. De scortis non loquitur, cum id sit purpuratis patribus cõmune. Fautores prædicti Eugenij illum uehementer laudant: alij ecõtrà uituperant eius uitam, enormia ipsi tribuentes uitia.

153. Fœlix quintus, patria Allobrox uel Sabaudus, Amadæus eremita ante Papatum uocatus: Sabaudiæ dux primus (nam antea comites erant) uxoratus, & duos habens filios, Eugenio deposito, uiginti sex electorum suffragio, ad Pontificatum prouehebatur. Electus tamen, & in sede Papali Basiliensis synodi authoritate confirmatus, Eugenij prædicti factione impeditus, Romanã sellam, quam Petri cathedram uocant, ascendere nunquam potuit. Nouem annis exortum inde schisma durauit, et multæ seditiones in regionib. Christianorũ erant: alijs Fœlici, alijs Eugenio obtemperantibus, multisq; neutrales appellari gaudentibus. In eo quoq; schismate pleriq; dicebant, Papam debere subiectum esse concilio generali: alij contrà. unde emersit grandis tunc altercatio & quæstio, num Papa esset ecclesiæ caput? quæ nec in hunc usq; diem finitur. Vir prouectæ ætatis ac senex ante pontificatum, filiorum suorum filios, regum filiabus in matrimonio coniunctos uidit: ac relictis seculi curis, cum sex equestris ordinis hominibus secedens, in solitudine Deo seruire instituit.

Cum uerò se audiuisset, generalis concilij authoritate Pontificem creatum, rasus ac tonsus, multaq; stipatus nobilitate, illuc uenit. Et consecratus tum demum, omnia peregit, quæ ad Papatus spectabant officium: ordinabat, confirmabat, dedicabat, consecrabat, sacrificabat, excommunicabat, Cardinales & Episcopos creabat, benedictiones atque indulgentias dabat, seq; pro Pontifice nouem annis gerebat. Adeò munificus in pauperes fuit, ut ab oratorib. semel rogatus, si quos haberet canes uenaticos, ut eos ostenderet, responderit: se altera die eos ostensurum. Cum uerò adessent die sequenti, ingentem mendicorum & egenorum multitudinem ostendit, unà discumbentium. Atq; hi sunt (inquit) canes mei, quos alo quotidie: quibus spero me cœlestem gloriam uenaturum. Huic tandem placuit anno Domini 1447, in fauorem unionis, Nicolao quinto, deposito Papæ nomine, tandem cedere. Quem ille propterea totius Germaniæ ac Franciæ legatum (in titulis enim gloriantur) & Sabinensem cardinalem constituit: nec diu postea superuixit. Monasterium Ripalense mirificè instaurauit: & ibi (ut fertur) anno Domini 1449 sepultus, in pace requieuit.

154. Nicolaus quintus, patria Genuensis, in oppido Sarzanensi ex humili genere natus, patre Bartholomæo chirurgo, & Thomas Sarzanus antea dictus, uno et eodem anno episcopatus Bononiẽsis, Cardinalatus, ac Romani papatus munus est adeptus. Missus olim cum Ioãne Caruagialla cardinale Hispano, ab Eugenio in Germaniã, neutralitatis tollendæ gratia (instabat enim Iubileus: mysterium intellige) Aeneam Syluium, cognomine Picolhomineũ, apud Imperatorem Fridericum tertium, fautorẽ inuenit. Germani etenim tunc temporis neutrales ideo dicebãtur, quòd sub schismate, neq; Fœlicis neq; Eugenij dictis obtemperarent. Apud hos, ut Eugenio se submitterent, multis adhortationib. agens, & ut sublato schismate, Pontificia maiestas restauraretur, seriò laborans, omnia ex

uoto reportauit. Redeuntes itaq; cum tam læto responso legati, succlamãtibus omnibus, Cardinales decernebãtur. Eisq; Eugenius ad portam Flaminiam roseos galeros obuiam misit, ut urbem insigniores ingrederentur, atq; in senatus ordinem recepit. Hinc ad Pontificatum Eugenio defuncto susceptus, Stephanũ Porcariũ, equitẽ Romanũ, pro urbis libertate tumultuantẽ, unà cum cæteris coniuratis, ad muros ex Hadriani mole seu arce S. Angeli Papali charitate suspendit. Iubileum (diu expectatum) anno Domini 1450, pro nummis celebrauit. In quo dum semel cum crucifixo quodam idolo è Vaticano ad urbem redirent, facta obuiam mula quædam Petri Bardi, Cardinalis S. Marci, cum neque uenientes neq; redeuntes ob insequentem multitudinem cedere possent, cadente uno atq; altero super mulam illam iam à multitudine oppressam, ad ducenta hominũ corpora in Hadriani ponte obtrita & suffocata esse constat. Multa etiã à lateribus pontis in flumẽ cadentes, in undis periere. Sepulta in S. Celso ad centũ & triginta sex fuerũt: reliqua uerò ad campũ sanctũ delata sunt. Talia iusto Dei iudicio præmia meruerunt, qui relicto eius uerbo, tam execrabiliũ Antichristorũ idola sequebantur.

Sed quid fecit hic pastor iniquus, uel uoracissimus lupus, qui potius carnes quàm animas quæsiuit? Vices eorum (inquit Platina) qui mortui fuerant, dolens, casulas quasdam angustiorem uiam ad pontem facientes, omnino sustulit (Papalis prouisio) totumq; ferè annum illum (pro implendis crumenis idololatra) in celebrationibus consumpsit: stationes ipsemet (Satanæ minister) quotidie inuisens, cum Cardinalium cœtu. Cauit etiam quàm diligentissimè, non ut grex Dei, Euangelij pabulo pasceretur, sed ne crescente tanta multitudine (ad suum quæstum) commeatus, & omnia ad uictum necessaria, in urbe non deessent. Curauit quoq; (pontificale officium) execrationibus ac satellitibus, ne grassatores in peregrinos, ad urbem accedentes (& nummos afferentes) sæuirent. Et hunc integerrimum Papam Vuicelius uocat, hostem auaritiæ, ac theologicis deditum studijs: religiosissimumq; hominem, quod in Letanijs, quas crebras idololatra peregit, pedes iuerit. Atq; hoc sub Euangelij luce, sed ob uentrem, facit insignis hypocrita. Sub hoc Papa, inquit, capta & amissa nobis est Constantinopolis, totius orbis nostri luctu. Magna laus certè: sed causam cæca bestia nõ addit. Nicolaus præterea, Fridericum tertium Cæsarem, unà cum coniuge Leonora, Imperiali diademate cinxit: ac bibliothecam Vaticanam (sed pro suo regno aduersus Christum) magnificè instituit. Literarum studia tunc ferè deleta, ut ferunt authores, summo conatu iterum excitauit: doctis hominibus, qui eas proponeret, præmijs inuitatis. Et in hoc facto nunc quoq; laudandus esset, si ad Christi gloriam id fecisset. Sed hoc dedecorat optimos eius conatus, quod nimio bibendi studio teneretur, perquisitis undiq; uinorum generibus.

De eius uerò ædificijs refert Platina: Portas urbis ac turres, inquit, Capitolium, & arcem S. Angeli muris firmissimis munire cœpit, cum intelligeret illuc uenturum Imperatorem Fridericum. erat enim natura formidolosus. Et sequitur: Aedificauit præterea magnificè & splendidè, tum in urbe, tum in Vaticano. In urbe ædes Pontificias apud S. Mariam ad præsepe. Restituit & templum S. Stephani in Cœlio monte. A fundamentis erexit S. Theodori templum, inter Palatinum & Capitolinum montem. Pantheon quoque in medio urbis positum, templum uetustissimum, plumbeo tecto operuit. In Vaticano autem pontificias ædes ad sumptuosam formam redegit. Muros eiusdem Vaticani prealtos & latos inchoauit, iactis maioribus fundamentis. Pontem quoque Miluium restaurauit, & ædes egregias ad balnea Viterbiana construxit. Iuuit & multos pecunia, qui in urbe ædificabant. Eius item mandato, uici urbis ferè omnes strati sunt. Extant adhuc uasa aurea & argentea. Extant cruces gemmis ornatæ. Extant & sacerdotales uestes auro & margaritis insignitæ. Extant peripetasmata & aulæa auro & argento intertexta. Extat & mitra pontificia (uide superbiam huius Abadonis) quæ omnia hominis magnificentiam nobis ostendunt. Hæc Platina. Accipe & alia miracula, quæ Nicolaus artificiose edidit. Ex prædecessore Fœlice Cardinalem ac legatum fecit. Oportebat enim illum Papatui tunc cedere, propter instantem iubileum, qui tantum lucri secum afferret. At quia comiter id egit (cogente tamen Imperatore) ipsius acta religiose probauit: & Cardinales ab eo prius ordinatos, admisit. Monachos mirificè amauit, ac beneficijs iuuit. Carmelitis, solicitante Soretho, sorores uirgines dedit, easq; bullis confirmauit. Bernardinum Senensem, Franciscanum, sanctorum ascripsit numero. Rosam in Dominica Lætare, Hassiæ Lantgrauio transmisit:

& alia

& alia multa ualde pontificaliter egit. Febri ac podagra demum uexatus, anno Domini 1455, ex hac uita decessit.

155. Calixtus tertius, natione Hispanus, patria Valentinus, Alphonsus Borgia antea nuncupatus, patre Ioanne ac matre Francisca natus: Nicolao prædicto, Cardinalium suffragijs, decrepitus successit. Fuit ille (ut eius uitæ scriptores referunt) iuris pontificij scientia doctissimus: sed Euangelij filij Dei, ut ex factis apparet, planè ignarus. Fuit, inquiunt, Alphonsi Aragonum regis primus secretarius, Valentinensis episcopus à Martino quinto factus, & ab Eugenio quarto Quatuor coronatorum Cardinalis. Hic pontificatu suscepto, ut antè deuouerat, bellum in Turcas statim indixit, quũ pacem potius ex Apostolico officio cum omnibus hominibus habere debuisset: Rom. 12. Docendæ etenim gentes sunt, Matth. 28. non armis impetendæ, præsertim à Christianis pastoribus. Sed, ut est à Seruatore dictum, Ioan. 10. Fur non uenit, nisi ut furetur, ut mactet, ut perdat. Et Antichristus homicida semper est, Dan. 8. Atq; pro mox implendo conatu tam feroci, cõcionatores sibi ipsi in rapacitate & auaritia non insimiles, cum bullis & indulgentijs statim misit: fraterculos scilicet mendicantes potestatem habentes ut scorpiones terræ, Apoc. 9. ut Christianas gentes in eandem expeditionem animarent. Ex horum numero præcipui notantur: Ioannes Capistranus & Robertus de Licio, Minoritanæ familiæ professores, ac magnæ admirationis hypocritæ. Qui cognita Pontificis cautela, quum non esset alia spes lucri colligendi, extra Iubileum, omnes suas artes operati sunt per fictas preces, letanias, præcepta, ieiunia, mentita merita, persuasas confessiones, reliquias, imagines, cruces, cantus, sonos, campanarum sonitus, triticeumq; Christum, ut omnes eius crumenas, peras, ac sacculos implerent.

Nec cessabat ipse pontifex Calixtus (quem bonum pastorem Vuicelius appellat) Christianorum principes omnes, literis ac nuncijs, ad eam rem tanquam necessariam & sanctam, per suos legatos adhortari. Cuius rei gratia etiam, missantibus sacrificulis mandauit, ut orationes contra Paganos in missis quotidianis decantarent. Voluit quoque, ut in meridie sonum campanis darent, sicut & serò, ad salutationem uirginis Mariæ: ut ea oratione (inquit Stella, Papistarum theologus) eos adiuuarent, qui contra Turcas continuè dimicabant. Ea etiam de causa, ait, transfigurationis Domini nostri Iesu Christi festum & officium ordinauit: iussitq; illud cum indulgentijs ipsis celebrari, sicut in solennitate corporis Christi. Misitq; ad Armenos & Persas, ut eadem cum eo aduersus Turcas faciant: & quosdam rusticos, qui has eius dementias riserant, laqueis interemit. Vincentium Valentinensem Dominicanum, Albertum Drepanensem Carmelitam, & Eadmundum Cantuariensem Anglum, in sanctos confessores Papisticos retulit. Sanciuit etiam, ne quis à Papa ad concilium appellaret: plura adhuc facturus, si longior illi uita fuisset. Nimium nepotibus ac spurijs permisit, Rodericumq; Borgiam uicecancellarium sub sua paternitate constituit. Veniarum, inquit Valerius, nitidæ formæ literas effudit: è quibus, tunc quinque ducatis redemptis, nunc minimo redimendis, centum millenos quindecimq; mille ducatos, successori reliquit. Moriens demum longo confectus senio, anno Domini 1458, in Petri basilica seu templo rotundo sepeliebatur.

Ioannes Capistranus insignis hypocrita, & Robertus de Licio luxuriosissimus nebulo, in diuersas regiones ab hoc Pontifice ad prædicandam obedientiã Romanam missi, ut fucatis doctrinis angelicam faciem adderent, ludos & alia ciuilia exercitia, ut sunt conuiuia, saltationes, &c. prohibuerunt. Tantum deniq; sibi hac hypocrisi nomen acquisiuerunt, ut à plerisq; pro sanctis Dei confessoribus adorarentur: cum tamen nihil sanæ doctrinæ de Christo, deq; eius meritis, de reconciliatione cum patre per Christum, ac de regeneratione in Christo per spiritum sanctum, & de obedientia erga Deum tenerent. Sed tales doctores (ut Funccius exprimit) meretur mundus, suo fastidio ueritatis: quod & nostris nobilibus & delicatulis ciuibus breui eueniet, cum Dei ueritatem ferre, præ nimia saturitate non possint.

ALANVS DE LYNNA. LIIII.

Alanus de Lynna, in eodẽ insigni Nordouolgiorũ oppido oriundus, & inibi apud Carmelitas alumnus eximius, ac tandem cœnobiarcha, cæteris

cæteris suis commilitonibus spacio longo præfuit. In Cantabrigiensi gymnasio (sic Lelandus habet) operã cùm philosophię tum theologię strenuã impẽdebat. Vbi insignia doctoris adeptus, magistrale eius generis officiũ, multorũ cõgratulatione, per ea tempora legendo & prædicando peregit. Vnum hoc insigne malũ, cum cæteris suarum factionũ habebat commune. Quęcunq; historicè scripta erant in utroq; Dei Testamento, per allegorias & morales (ut uocant) expositiones, ad animæ negociũ ac humanæ iusticiæ opera traxit. Et ut post Bibliorũ lectionem, tam ueterũ quàm recentiorum Ecclesiæ patrũ scripta sibi familiariora, ac lectu faciliora redderet, Indices in eos ferè omnes, Herculeo certè labore fecit. Præcipuè in Iosephum, Origenem, Hilarium, Eusebium, Hieronymũ, Ambrosium, Augustinum, Basilium, Chrysostomum, Cyrillum, Cassianum, Damascenũ, Gregorium, Rabanum, Remigium, Cassiodorum, Bedam, Alcuinum, Haymonem, Hugonem, Anselmum, Ricardum, Bernardum, Gerardũ Laodicensem, Belethum, Blesensem, Aquinatem, Aegidiũ, Scotum, Neckamũ, Gorhamum, Baconthorpiũ, Berthorium, Philippum Ribotum, atq; alios. Ad uerbi ministeriũ, ut ipse putabat, prospiciẽs primùm, inaffectato sermone cõposuit

De uario Scripturæ sensu,	*Lib.1. Quia secundum Apostolum 2. ad Tim.*
Moralia Bibliorum,	*Lib.1. Perfidia, abhominabilem facit ho.*
Sermones notabiles,	*Lib.1. Venit ira Dei in filios diffident.*
Elucidarium Scripturæ,	*Lib.1. In principio creauit Deus cœlum.*
Prælectiones theologicæ,	*Lib.1.*
Elucidationes Aristotelis,	*Lib.1.*

Hos etiam doctorum indices, seu tabulas, ut uocant, fecit, pro omni materia apud eos inuenienda.

In Antiquitates Iosephi,	*Tab.1. Ad laudem omnipotentis Dei.*
In Hieronymum super Iosue,	*Tab.1. Aduentus Christi est duplex.*
In quæstiones Augustini,	*Tab.1. Achab de sua deceptione.*
In Homelias Basilij,	*Tab.1. Adorant magi Christum, & quo.*
In Moralia Gregorij,	*Tab.1. Abhominabilem facit hominem.*
In eundem super Ezechielem,	*Tab.1. Abscondere desiderium cœleste.*
In Homelias eiusdem,	*Tab.1. Abstinentia. Homelia octaua.*
In Bernardum, super Missus est,	*Tab.1. Angelus Gabriel de maiori.*
In tria opuscula eiusdem,	*Tab.1. Anima, quomodo iugulatur.*
In eundem, super Cantica,	*Tab.1. Ad laudem Dei, patris cœlestis.*
In Homelias Alcuini,	*Tab.1. Amicus Dei fit homo, quinq; mo.*
In Petrum de Aurora,	*Tab.1. Actus molles diligit diabolus.*
In Gerardum Laodicensem,	*Tab.1. Abbas Helias constituitur, Capit.*
In officiarium Ioannis Beleth,	*Tab.1. Abstinentia à carnibus recepta.*
In reuelationes Brigittæ,	*Tab.1. Ad laudem Dei, & Mariæ matris.*
In Hugonem de S. Victore,	*Tab.1.*
In Petrum Blesensem,	*Tab.1. Angelorum uox qualis, Capit.*
In Ricardum, super Threnos,	*Tab.1. Abijcere. Quod abiecerunt Imp.*
In eundem, de somno Nabuchod.	*Tab.1. Actio. Mota de ipsa. Cap.10.*
In eundem, super Psalmos,	*Tab.1. Amor est duplex, Cap. octauo.*
In eundem, de 12 Patriarchis,	*Tab.1. Amor sapientiæ qualis est, Capit.*
In sermones Gilberti,	*Tab.1. Acquiescere Deo debemus, in quantum.*
In distinctiones Parisiensis,	*Tab.1. De Abstinentia primo & post.*
In sermones eiusdem,	*Tab.1. Abstinendum est à multis. Serm.*

In Cantica Neckam,	Tab.1. Ad laudem genitricis Dei, de cuius.
In prophetias Brigittæ,	Tab.1. Afflictio est utilis, & quare.
In miracula Mariæ,	Tab.1. Adiutorium Mariæ. Nota in.
In Aquinatem de perfectione,	Tab.1. Amor. Nota de eo, Cap.13.
In Sententias eiusdem,	Tab.1. Ad omnipotentis laudem, hæc.
In Aegidium, de reg. princi.	Tab.1. Ad laudem Christi Iesu, & sanct.
In Sententias Scoti,	Tab.1. Abstractio ab eodem abstracto.
In sententias Baconthorpij,	Tab.1.
In compendium theologiæ,	Tab.1. Accusant Christum diuersa genera.
In Sermones Losani,	Tab.1. Abijcere peccata debemus. Serm.
In Chron. Rogeri Houeden,	Tab.1. Abbas de Burgo sancti Petri.
In Carmel. gesta, Riboti,	Tab.1. Abijt Helias contra orientem, lib.
In Reductorium bibliorum,	Tab.1. Abominari non debemus duo ge.
In Mariale maius,	Tab.1. Assumptio Mariæ patet sub fine.
In Mariale minus,	Tab.1. Abstinentia Mariæ, Cap. primo.
In Stimulum amoris,	Tab.1. Ad amorem Dei, quomodo debet.
In threnos Lathbery,	Tab.1. Abijcere peccata, qualiter conue.
In Gorham, super Matthæum,	Tab.1. Abijt Iesus de Hierusalem ad.
In eundem, super Lucam,	Tab.1. Abnegare se, quomodo quis.
In quadragesimale uoraginis,	Tab.1. Abscondit se Christus à Iudæis.
In Costasy, super Apocalyps.	Tab.1. Abscondent se multi, Cap.6.
In Sermones antiquorum,	Tab.1. Ambulare coram Deo. Ser.26.
In Sermones proprios,	Tab.1. Abscondere uult Deus mundo.
In dialogum Augustini,	Tab.1.
In Conflictum uitiorum,	Tab.1.
In historiam Lombardicam,	Tab.1.
In proprietates Bartholomæi,	Tab.1.

Has ferè omnes in una Nordouicensi Carmelitarum bibliotheca reperi. In alijs adhuc multo plures erant, quas nō uidi. Claruit anno incarnati Messiæ 1420, sub Henrico quinto Anglorum rege, Lynnæ tandem inter sui ordinis homines, post magnos labores sepultus.

THOMAS OTTERBVRNE. LV.

Thomas Otterburne, professione Fanciscanus, uir suo seculo nō infimi nominis, licet nunc ex nomine paucissimis cognitus, aperto Lelandi testimonio, philosophiæ ac theologiæ specialiter insudauit: In quibus (inquit) cum pedem fœlicius promouisset ille, putabat & suas esse partes, historiæ cognoscendæ studere, quæ uitam facile rectam informet, & à flagitijs alieno deterreat exemplo. Præstitit hoc integrè, inter alia seuerioris notæ negotia, atque ea quidem diligentia insigni, ut & ipse eiusdem argumenti opus, in seriem eleganter redactum, conscriberet, atque unà in lucem demum produceret. Tantum ille. Posteris ergò ad usum ille reliquit,

Historiam rerum Anglicarum, Lib.1.

Præter alia opuscula ab eo edita, quorū titulos ipse non noui. Prologus Scalę chronicorum, de Otterburni historia mentionem facit. Sed quo anno claruerit, aut sub quo rege, nec ipse, nec Lelandus meminit.

IOANNES SEGVARDE. LVI.

Ioannes Seguarde, insignis sui temporis rhetor ac poeta, uir multę lectionis atque iudicij, in uarijs scientijs eò tandem processit, ut non modò suis, quos pædotribes docuit, ornamento esset, uerumetiam toti Britannicæ re-

gioni: præsertim, cum præter literas, quas, ut dixi, planè non uulgares habebat, tanta esset inculpabilis uitæ honestate, ut non sit ueritus scribere tam de Christianæ professionis apud monachos & sacerdotes profanatione, quàm etiam de uario poeticæ artis abusu. In Nordouolgiæ comitatu (ut apparet) & in ipsa Nordouicensi ciuitate, non sine magno auditorum fructu, bonas artes ingenuæ profitebatur. Postremò ut suos labores cęteris communicaret, carmine ac prosa edidit, ad Ricardũ Courteney, Nordouicensem episcopum,

Metristenchiridion, Lib. 1. *Conspicui meriti uir, honesti fortu.*
Cathemetron, Lib. 1. *Præsumptuosos & errantes in metris.*
Decretum Apollinis, Lib. 1.
De miseria hominis, Lib. 1.
Carmina diuersi generis, Lib. 1.
Epistolas ad diuersos, Lib. 1.

An extẽt alia eius adhuc scripta, planè ignoro. Quę superius sunt notata, Oxonij apud Martonẽses uidi, ac Londini in bibliotheca regis Edvuardi. Claruit Segvuardus anno à Christi aduentu in carnẽ 1414, sub Henrico V.

NICOLAVS RISTON. LVII.

NIcolaus Riston, uir honesto genere oriundus, post scientias tam diuinas quàm humanas, ingenti labore acquisitas, tum literarũ tum quietis (ut Lelãdus habet) amator planè maximus remãsit. Et misertus (inquit) calamitatũ, quæ ecclesiam sua institutione prima, sibi undiq; rectè coherentem, sed malorum regimine postea labefactatam, in partes disciderant: modis agebat omnibus, ut ea rursus pro uirili sartissimam tectissimam'que efficeret. Quo nomine, diuini armatus uerbi munimine, ac optimis bonorum uirorum exemplis confirmatus, opus quoddam exhibuit ecclesiæ primoribus legendum, illustre proculdubio animi erga Christianam concordiam adfecti specimen. Hæc ille. Quod opus inscribitur,

De tollendo schismate, Lib. 1.

Præterea, alia quædã edidisse Ristonus fertur: sed eorum tituli, quod sciam, non uenerunt in lucẽ. Claruit anno à Seruatoris nostri natiuitate 1410, sub Henrico quarto: in quo plebs petijt à clericis auferri temporalia, sed audita non est.

IOANNES VVALTER. LVIII.

IOannes Vualter, alumnus collegij, authore Lelando, quod Guilhelmus Perottus, alias Vuickam, celeberimum Vuintoniæ posuit, solidam sibi ab asidua in studijs industria laudem comparauit. Quã & auxit maximè, quo tempore Vuintonia relicta, Oxonium petijt, museumq; Vuentanæ societatis magnificentissimum, ab eodem Perotto cõstitutum, celebrauit. hic generosus ardentis animi erga bonas artes impetus, eò hominẽ planè diligentissimum prouexit, ut naturalium rerum penetralia ipsa ingrederetur, auidisq; collustraret oculis. Inter hæc, & Matheseos cura maxima eius detinuit animũ, ac detetum uel ad astra perduxit. Lętissimus ille uerò, noua iam exauctus cognitione, canones in tabulas magno labore, at successu maiori Cedidit. ongesśitq; opus argutum iuxtà ac rotundum,

Tabulas æquationis domorum, Lib. 1.
Tabulas ascensionum uniuersalium, Lib. 1.

Atq; eius generis alia nõnulla. Hinc postquã degustatis probatissimarũ artiũ fontibus, sitim multo nectare restinxerat, ueteres sodales Vuintonienses repetijt. inter quos & cõsenuit. Hucusq; Lelãdus. His tẽporib. illũ claruisse puto.

ROBER-

ROBERTVS ROSE. LIX.

RObertus Rose, è famoso illo Carmelitarũ cœnobio, quod est Nordouici, Lelando etiã teste, prodijt: atque inter bonarũ artiũ professores, qui illo seculo in Isidis uado floruerũt, nõ minimus fuit. Nulla etenim philosophiæ penetralia erant, ad quæ ille partim labore, partim ingenij fœlicitate, aditum non fecerit. Rursus, nulli in theologia recessus tam abditi, quin accepta boni spiritus face, curiose indagauerit. Interea Nordouicus, alumnum suum Doctoris laurea tunc donatum, tam longo tempore absentem esse indoluit: nec dolori modum imposuit ullum, quàm reuocatum & præsentem lętis oculis uidisset. Ille uerò parẽti redditus, & sui collegij præses effectus (hucusque Lelandus) interpretatiuæque theologiæ studio magis addictus, ferè omnẽ illi impendit operã. Nec quenquã ex purioribus diuini uerbi ministris, pijssimi Vuicleui discipulis, inter tot litigiosos Babylonicæ impietatis sophistas, læsit, ut ex eius operibus pulcherrimè scriptis cõstat. Cõposuit ille ad futurã sui nominis memoriam, in magnis uoluminibus,

Commentarios in Genesim,	Lib. 1. *Ad imaginem quippe Dei factus.*
In Exodum quoque,	Lib. 1. *In Genesi namque, qui est primus.*
In Leuiticum,	Lib. 1. *Nunc spiritualem intellectum exigi.*
In Ecclesiasticum,	Lib. 1. *Beatus Augustinus in suo libro de.*
In Paulum ad Titum,	Lb. 1. *Erudi filium tuum, ne desperes.*
De animalium naturis,	Lib. 1. *Equa imprægnata, si odorauerit.*
Sermones per annum,	Lib. 1.
Lecturas theologiæ,	Lib. 1.

Aliosque scripturarum commentarios, luculentæ eruditionis suæ testes. Vnde inter libros & studia consenuit, ac demum moriens, 16 die Decembris, anno ab incarnato Dei filio 1420, inter sui ordinis primates tumulatus est: ubi & post quatuor annos, Ioãnes Leycestre, archiepiscopus Smyrnẽsis eiusdẽ sectę obijt.

THOMAS NEVVEMARKET. LX.

THomas Nevuemarket, seu de nouo foro, in Cantabrigiensi comitatu, ac celebri sui cognominis oppido, decem milliarijs à Cantabrigia natus, exactis à pueritia aliquot annis, in eodem gymnasio sua tempora melioribus studijs dedicauit. Humanioribus ille iuxtà ac diuinis literis tantopere adhærebat, ut nullam ferè horam rectè collocatam putaret, nisi in bonorum authorum lectione. Procesit in his laboribus tam expeditè, ut post artium professionem, rhetor ac poeta per eam ætatem insignis haberetur, et theologiæ candidatus, atque tandem episcopus Carliolensis euaderet. Denique, ut de eius eruditione & ampla fortuna nihil amplius agam, sed ad scripta alacri cursu pergam, pro studiosorum sui temporis commodo, prosa & carmine protulit,

Tractatum de Rhetorica,	Lib. 1. *Ad rhetoricam dictandi facultatem.*
Super arte dictandi,	Lib. 1. *Dilectißime frater in Christo N.*
Epistolas ad diuersos,	Lib. 1. *Vocate cœtum, sanctificate eccle.*
Carmina quoque diuersa,	Lib. 1. *Iam freta, fretus eo, transcurri.*
Conciones aliquot,	Lib. 1.

Atque alia plura cõgeßit. In tractatu uerò de Rhetorica, uniuersam artẽ illã per decem capita suo more describit, illi seculo tamen nequaquã contemnendo. Claruisse fertur anno à Christi aduẽtu in carnẽ 1410, sub Henrico quarto.

IOANNES LVCKE. LXI.

IOannes Lucke, Oxoniensis academię scholasticus doctor, & maioris ec

 clesiæ

clesiæ præpositus, uir in literis longo tempore uersatus, famæ excellẽtis precium inter eruditos commeruit. Ex Vuicleuisticæ doctrinæ censoribus ultimis, & hæreticæ (ut uocant) prauitatis magistris, iste sub Thoma Arundelo Cantuariensi archiantichristo, unus habebatur, anno Domini 1412. Qui & sequenti anno in Londinensibus Pharisæorum comitijs aduersus Dei filium Iesum, suæ uillicationis iniquæ rationem reddidit, collectis iterum ex dicti Vuicleui sanctissimi uiri opusculis 266 Articulis scandalosis, & mollibus magistrorum nostrorũ auribus offensiuis. Fuit illi magna olim cũ Thoma Vualdeno familiaritas. Quẽ & idem Vualdenus, iugi scripturarũ studio, atq; acutissimis disputationũ certaminibus exercitatũ, in quadã epistola narrat, ac strenua demũ diligentia hæc cõtexuisse opuscula, scilicet

De ambiguis scripturarum locis,	*Lib.1.*
Dissertationes ueritatum,	*Lib.1.*
Ad Thomam Vualdenum dialogos,	*Lib.1.*
Quæstionum argumenta,	*Lib.1.*

Et alia nonnulla edidit. Disceptatorijs epistolis interdum egit præfatus Vualdenus, cum hoc doctore, sed officiose quidem & amanter, Dominũ suũ ac magistrũ illum appellans. Claruit anno salutis humanæ 1420, sub Henrico quinto Anglorum rege.

RICARDVS CAISTRE. LXII.

Ricardus Caistre, ex Nordouolgiæ comitatu, & prope Nordouicum ipsum oriundus, homo per suã ætatẽ eruditus ac pius, ad Stephaniq; fanum in ea urbe uicarius, cognomine Bonus, uitam apostolicam & innocentem in magna spiritus sui simplicitate duxit. Miranda narrantur de homine isto, sed multa sunt omni ueritate uacua. fuit tamen insigni sanctitate ac prophetico spiritu clarus: Vuicleuisticæ doctrinæ (potius Christianæ) impense, sed tacitò fauebat, propter metum Papistarum, eorũ in alijs expertus tyrannidem. Clericorũ impudicos mores & exempla fœdissima, modesta correptione in concionibus deflebat, cũ aliàs nõ posset curare. Multaq; alia pietatis antigrapha præstitit pius homo, atq; inter cætera in patrio sermone scripsit Summam summarum

De decem præceptis,	*Lib.1.*
De octo beatitudinibus,	*Hom.1.*
Inter magistrum & seruum,	*Hom.1.*
Inter filium & patrem,	*Hom.1.*
Inter uirum & uxorem,	*Hom.1.*
De charitate fraterna,	*Hom.1.*
Ex diuo Bernardo,	*Hom. plures.*

Præter alias Homelias ac meditationes, quas edidit multas. Obijt demum Nordouici, 4. calendas Aprilis, anno salutiferi partus 1420, ad Stephani fanum, in ipso templi adyto sepultus, non sine sanctitatis opinione, sub Henrico quinto.

IOANNES OLDECASTELL. LXIII.

Ioannes Oldecastell, præstantissimus heros, auratus eques & dominus de Cobham, post multas in sui principis causa uictorias, ac rerum gestarum triumphos non vulgares, Christo tandẽ exemplo rarissimo militauit. Postquã enim iuuenis adhuc Ioannẽ Vuicleuũ, omniũ quos mũdus tũc habebat uirũ sanctissimũ, semel atq; iterũ prædicantẽ audiuisset, familiariter cũ alijs nobilib. se illi adiũxit, & pijssimis eius institutis discipulũ se tradidit. Aperteq; statim profitebatũ, queadmodũ ex authore Vualdeno cõstat, peccatum

catum se nunquam ex animo odisse, priusquam eius doctrina fuisset imbutus: aulamque regiam Christo inseruire deinceps docuit. Vir certè nobilissimus hic erat, ingeniosus & eloquens. Qui sæpius publico regis parliamento proceribus persuasit, quod Anglici regni maximo commodo esset, si Rom. pontificis authoritas Oceano terminaretur, & nihil iuris in Anglos deinceps haberet. Multa etiam dicebat contra monachorum ac Papisticorum sacrificulorum, Sodomismum, luxum, fastum, auaritiam, hypocrisim, tyrānidem, & idololatricas obseruationes. Vnde demum irruentes in eum tauri pingues Basan, hæreseos ipsum in eorum synodis damnabant, anno Domini 1413, mense Octobri. ac ut reum læsę maiestatis regię, in arcem Londinensem coniecerunt. Conflauerat ille sermone Anglico, aduersus eorum imposturas,

Ad parliamentum Angliæ,	*Lib. 1. Prima conclusio, quòd Anglorum.*
Agricolæ querimonias,	*Lib. 1. Christus Iesus, qui erat de uirg.*
Symbolum suæ fidei,	*Lib. 1. Sit pijs omnibus notum, quòd.*

Hæc sola sunt quæ uidi, ac legi. Ex arce uerò Londinensi per noctem elapsus, in Cambriam aufugit. Sed post triennium denuò captus, ac Londinum perductus, anno Christi 1417, ac 14 die Decembris, in Aegidij campo ferreis cathenis suspensus, in igne uitam, Antichristo sęuiente, finiuit.

APPENDIX.

Ex Ioannis Capgraui 2. libro de nobilibus Henricis: *Ioannes Oldecastell tempore parliamenti in primo anno regis Henrici quinti, in uicis ac plateis plurima scripta contra clerum facta, spargi fecit per Henricum Grendour. Opiniones tenuit, quòd sancti homines mortui non debeant uenerari: quòd confessio soli Deo, & non homini, fieri debeat: & quòd in Eucharistia post consecrationem solus remaneat panis materialis. Possessiones spirituales damnauit, sacerdotes & ecclesias ut abominationes magnas hostiliter odiuit: nuptias clericis honestas persuasit, luxuriosos uerò aspernabatur, & ut perniciosas bestias fugiendos esse dicebat.* Et sequitur: *In captione sua apud Vuallos, multa suis captoribus inferebat mala: quia ualde fortis erat. Sed una mulier tibiam eius scabello percussit, & mox cecidit. Qui London adductus, suspensus est, & incendio conflagratus. Quod a plebe uulgari antea prædictum fuerat, ioco affirmauit tunc esse uerissimum, cum uinctus duceretur ad mortem: nempe quòd esset alter Helias, ad orbis conuersionem missus. Ac prophetiā illam eo instanti impletam esse dicebat, dum in curru sedens, ad ignem duceretur. Dux autem Ioannes Bedfordiensis, & qui præsentes erant, hortabātur eum, ut peccatorum suorum confessionem faceret: offerentes ei sacerdotem, quem eligeret. Ille autem respondit: Quòd si Petrus & Paulus adessent præsentes, nollet tamē eis confiteri, cum illis multo maiorem adesse sentiret. Et sic constantissimè mortem ipsam sustinuit.* Eandem historiam Ioannes Foxus recitat in Commentarijs rerum ecclesiæ, hæc addens uerba: *Quemadmodum Helias, mortalem uitam relicturus, curru igneo in immortalem subuectus est: ita hanc illius decedendi figuram, & huius secuta est haud multum dissimilis moriendi necessitas. Quippe in furcam quasi in currum sublatus primùm, tum circumductis ignibus undiq; inflammatus, quæso quid aliud, quàm Heliæ cuiusdam in cœlum subuolantis speciem præbuit, sanctissimus Christi martyr, igneo curru subuectus in cœlum?*

APPENDIX ALIA.

Ex Dictionario theologico Thomæ Gascoigne: *Anno Domini 1415, Thomas Arundell, Cantuariensis archiepiscopus, sic in lingua percussus erat, ut nec deglutire nec loqui per aliquot dies ante mortem suam potuerit, diuitis epulonis exemplo, & sic tandem obijt. Atque id multi tunc fieri putabant, quia uerbum Domini alligasset, ne suo tempore prædicaretur, &c.* Ex Alphonsi libro de Hæresibus: *Matthæus Grabon Dominicanus, in Constantiensi concilio generali, anno Domini 1415, hæresi renunciauit, teste Ioanne Gersono. Nicolaus Clemangis, archidiaconus Baiocensis, uir pius & doctus, his temporibus scripsit libros de Corrupto ecclesiæ statu,*

de uitijs ministrorum eiusdem, & contra Simoniacos: declarans, quibus rationibus decreuerit ecclesiæ pietas. Præcipuè insectatur luxum, fastum, & auaritiam Papæ, ac suorum Cardinalium, simulque eorum tyrannidem super ecclesias depingit. Monachos probat esse lupos rapaces in ouium uestimentis, & in angelos lucis transformatos diabolos. Monacharum cœnobia nihil aliud esse dicit, quàm execranda prostibula Veneris: & theologiam scholasticam inutilem & noxiam esse languens, ut Paulus habet, circa pugnas uerborum, &c. Petrus de Aliaco, *episcopus Cameracensis, et Rom. ecclesiæ Cardinalis, his quoque diebus scripsit de reformatione Ecclesiæ, & de laudibus scripturæ, libros: in quibus curiam Romanam corrigendam censuit, ac tam uarias artes corradendæ pecuniæ præcidendas. Deinde pompam ecclesiasticam, superflua festa, ieiuniorum abusum, prolixos boatus, mortuorum canonisationes, imagines & sectas esse tollendas. Testatur etiam, Cardinales (Cardinalis & ipse) neque à Christo, neque ab Apostolis institutos, inutiles & onerosos esse Ecclesiæ, & propterea totum eum ordinem tollendum esse. Dicit & ueteres theologos Ecclesiam ædificasse, at præsentes seductores nunc eandem deuastare: atque in eum statum iam nunc deductam, ut non sit digna regi nisi à reprobis, &c.*

BERTRAMVS FIZALEN. LXIIII.

Bertramus Fizalen, seu filius Alani dictus, in agro Lincolniensi illustri stemmate oriundus, Lincolnio urbe celeberrima, in Carmelitięe professionis ritus iurauit, ut Lelãdus ex eius sectę cõmentarijs colligit. Cumq; per annos (inquit) maturos licuit, Isidis uadũ studendi gratia profectus est, tanta certè animi ad scientiarum mysteria contendentis alacritate, ut breui non leue ex literis nomen sibi pepererit. Habuit autem cùm eruditionis suæ, tum reliquarum uirtutum Mecœnatem, si rectè memini, Guilhelmum Quaplodum Carmelitam, episcopum Darensem, uel Kildariensem, in Hybernia, cuius familiaritate assiduè utebatur. Tantum ille. Ex fæcibus Aristotelicis, Oxonij sophisticus magister effectus hæc pauca cudebat opuscula, eruditorum uirorum indigna lectione, uidelicet

Super quarto Sententiarum,	*Lib. 1.*	
Quæstiones theologiæ,	*Lib. 1.*	*Vtrum quolibet sacræ scripturæ.*
Ad plebem conciones,	*Lib. 1.*	

Feruntur & alia, sed hæc sola uidi in ueteri bibliotheca, suis olim sumptibus erecta. Floruit regnante Henrico quinto, ac supremum uitæ diem Lincolnij clausit, anno ab incarnato Dei filio 1424, die 17 Maij. ubi & sepulchro locatus est.

GVILHELMVS VVELLYS. LXV.

Gvilhelmus Vuellys, aliàs Fontanus, Lelando etiam teste, inter Augustinianos, homines sui ordinis, Linnensi in cœnobio clarus olim erat. hanc illi claritatem (inquit) in primis peperit uirtus literaria, quam usqueadeò coluit, ut cæteris magnum equidem inexhaustæ diligentiæ exemplum ostenderit. Quod si & facundia, ut & diligentia, ad fastigia neruis contẽdentibus, tunc ualuisset, iam planè apud nos magno in honore esset. At hoc per seculum suum, quantum ad puritatem linguarum rudiusculum, prestare non potuit, calamo tamen ea præstitit uniuersalis suæ sectæ per Angliam præses, quæ ego (inquit) ingrato silentio præterire nolo. Exarauit enim (cur non utar uocabulis eo tempore uulgo receptis?)

Distinctiones in Psalterium,	*Lib. 1.*	*Per abyssum scriptura designat.*
Actus cursorios,	*Lib. 1.*	
Disputationes theologicas,	*Lib. 1.*	
Postillationes Euangeliorum,	*Lib. 1.*	
Declamationes uulgares,	*Lib. 1*	

Vt nihil loquar de alijs rebus, quas ille chartis ingeniorum seruatricibus commendauit. Vixit non incelebris Lynnæ, ubi etiam nono calendas Aprilis, anno à nostri redemptoris origine 1421, *mortuus est, & sepulchro conditus.*

RICARDVS SNETISHAM. LXVI.

Ricardus Snetisham, Isiacas adolescens (sic de ipso Lelandus scribit) scholas petijt. Vbi post primos studiorum suorum cursus, inter eiusdē academiæ magistros, multa discendo partim & docendo, ad eam tandem peruenit fœlicitatem, quæ ei laudem uel immortalem peperit. Vnde tandem primo inter Isiacos ipsos, literarū ac prudētię titulo, functus est munere Cancellarius uidelicet factus, circiter annū Domini 1412. In acumine uerò disputandi, nemini suo tempore cōcessit: & præterea, ut ea ferebat ætas, facundię uidebatur torrens inexhaustus. Scripturę sacræ mysteria in scholis publica, asiduè multa cum eruditione interpretatus est. Hæc ille. Hinc coaluerunt ex eius manu, opuscula quæ sequuntur: scilicet

Lectura Theologiæ,	*Lib. 1. Fluuius egrediebatur de loco uol.*
Ad quædam dubia,	*Lib. 1. Dubia subscripta moueri possunt.*
Abbreuiationes Coultoni,	*Lib. 4. Vtrum habitus theologiæ sit.*
Cōtra quosdā articulos Vuicleui,	*Lib. 1.*

Et alia his similia edidit, sed eorum tituli non occurrunt. Ex 12. iniquis illis Vuicleuicæ doctrinæ censoribus, hic unus olim fuit, à Cantuariensi Caipha constitutus. Claruit anno Christi 1420, sub Henrico quinto.

GVILHELMVS BATECVMBE. LXVII.

Gvilhelmus Batecumbe, aliàs Badeconus, ut Lelandus habet, Oxonij quidem strenuam iuuenis adhuc philosophiæ naturali adhibebat operam: sed præcipuè in Mathesi suorum studiorum primas ille partes posuit. Qui quantum ipse accurata diligentia contulerit, malo (inquit) ut curiosus lector ex libris ab eo fœliciter concinnatis, quàm ex mea ediscat oratione. Veruntamen nō in ea solū, sed & in alijs quoꝗ literatis artibus prosperiter uersatus, famę precium excellentis inter sui temporis eruditos commeruit. Fuit ei, ut ego coniecturam facio, magna cū regni primatibus familiaritas. hinc accidit, ut ad calamum se conuerteret, ac tandem scriberet,

De Sphæra concaua,	Lib. 1.
De fabrica & usu eiusdem,	Lib. 1. *Per patris ingeniti gratiam:*
De operatione Astrolabij,	Lib. 1.
De Sphæra solida,	Lib. 1.
De conclusione sophiæ,	Lib. 1.

Præter hæc nihil opusculorum eius extare noui. *In museo doctoris* Roberti Recorde, *medici peritißimi,* eius librū de Sphæræ concauæ fabrica & usu uidi. Sed quo floruerit anno, aut sub quo rege, certè non inueni.

IOANNES LANGDENE. LXVIII.

Ioannes Langdene, monachus ecclesiæ Christi, quę est Cantuarię, ac doctor Oxoniēsis, in Cantię comitatu ortus: ita fœliciter in omni literarū genere adhuc adolescēs se exercuit, pſertim in rerū insigniter gestarū historijs, ut inde nō infima laus illi accreuerit. Thomas Rudburnus, iunior ille, Vuintoniensis olim ecclesię monachus, eius autoritate prę cęteris utitᷣ, in cōcinnatione suorū chronicorū. Fuit hic Lāgdenus ex duodecim malis iudicibus illis unus, qui sub prædicti Arundeli archiantichristi tyrānide, Christi doctrinam in Vicleuo damnauit. Atꝗ ob id episcopus Roffensis est postea factus: ut ex

ut ex Vualdeni Zizaniorũ fasciculo cõstat. Collegit ille ex diuersis historijs,

Anglorum chronicon, Lib.1.

Sermones aliquot scripsit. Lib.1.

Nihil aliud illum edidisse intellexi unquam. Qui plura de hoc scriptore adhuc desiderat scire, prædictorum Vualdeni & Rudburni scripta quærat. Claruit anno fœlicitatis nostræ 1420. & illũ Londini tandem sepultũ puto.

IOANNES BESTON. LXIX.

IOannes Beston, Lynnensis cœnobij Carmelita, atque eiusdem illic sodalitatis præses, rerum naturalium peritissimus, & idem diuinarum literarum non malus æstimator erat. Meam satis (Lelandus inquit) in hac parte sententiam non modò Cantabrigia, fœliciorum ingeniorum altrix, uerumetiam ipsa Parisiorũ Lutetia confirmare uidetur. Vtrinque etenim in theologorum collegium, receptum est eius nomen. Tantum ille. Et quum alijs multis esset ad dicendum aptior uisus, ad generale Papistarum concilium, à Martino quinto Ro. pontifice Senis in Italia congregatum, anno Domini 1424, solennis nuncius mittebatur, ut in suis epistolis Vualdenus habet. Sermocinator erat in sua lingua copiosus & eloquens ualde, atque in certaminibus scholasticis disceptator acutissimus. Edidit que ad sui nominis celebritatem non modicam, libros quos illa ætas doctos iudicauit: uidelicet,

Compendium theologiæ moralis, Lib.1. *Cum finis nostri laboris in uita præ.*

Ordinarias quæstiones, Lib.1. *Reuerendi magistri, iuxta consue.*

Super uniuersalibus Holcoth, Lib.1. *Singulare dupliciter accipitur.*

Sermones in Euangelia, Lib.1. *Erunt signa in sole & luna.*

Sermones in Epistolas, Lib.1

Lecturas Scripturarum, Lib.1.

Rudimenta Logices, Lib.1.

Cętera eius scripta nõ uidi. Fatetur Alanus de Lynna, in Opere suo de uario scripturę sensu, quòd iste in suis concionibus, quadruplici sensu scripturas exponere consueuerit. Lynnæ tandem obijt, anno Christi 1428. in suo cœnobio, sub Henrico sexto sepultus.

GVILHELMVS TAYLOVR. LXX.

GVilhelmus Taylour, aliàs Sartor, integerrimæ uitæ sacrificulus, & artium Oxonij professor, Ioanni Vuicleuo ob Euangeliũ fauens, illius doctrinæ firmissimus adhæsit. Et postquam ex eius concionibus sacris degustasset aquam illam, quæ in uitam æternam nutrit: Papistis tam inimicus esse cœpit, ut eorum idololatrias, magno spiritus impetu impugnaret. Non enim poterat pia mens in Christo renouata, tantas in Deum blasphemias ferre, quantas in Papistarum synagogis flebilibus oculis in dies uidebat. Validissimis ergo Scripturæ testimonijs, idololatras ipsos est aggressus, uir in diuinis eloquijs deinceps studiosus: probans, nostras orationes soli Deo, & nõ mortuis esse dirigendas: atque simulachrorum uenerationes, maximas esse abominationes ipsi Deo. Vnde inter cætera contexuit

De non inuocandis sanctis, Lib.1.

Conciones uulgares, Lib.1.

Demum post recantatos articulos nouem, in ueritatis uiam Dei zelo reuersus, Lõdini in foro ferrario ignibus dedit pœnas, cõstantissimus Christi martyr, anno à nato Dei filio 1422, & secũdo die Martij, sub Henrico quinto.

RICARDVS GRASDALE. LXXI.

RIcardus Grasdale, Oxonienses scholas adolescens petijt: ubi multa partim di-

tim docendo, ad eam tandem peruenit fœlicitatem, quæ ei laudem uel immortalem peperit. Hic, quantum colligere possum ex aliorum scriptis, medijs suorum studiorum annis, philosophiæ Aristotelicę operam dedit, à quibus rectè se contulit ad theologiam scholasticam. Thomas Vualdenus, in suo Zizaniorum fasciculo scribit, Grasdalum fuisse unum ex illis 12 iudicibus iniquis, qui sub Arundeli tyrannide, Vuicleui pijssimi doctrinam excusserint. Poterit quidem esse: & ipsum ea in re non laudo, quamuis inde aucta sit illi apud Papistas existimatio, & adauctæ etiam opes. Sed quòd ex bonorum authorum lectione, & multiplici rerum cognitione, per conscriptas historias, certè necessarias & optimas, rempublicam Christianam pro uirili iuuerit: perpetua memoria dignum æstimare non cesso. Composuit enim, tam metro quàm prosa eruditus,

De ætatibus mundi,	Lib. 1. *In principio creauit Deus cœlum.*
De regnis & ciuitatibus,	Lib. 1. *Ante ortum Christi per 2320. ann.*
De dilatatione fidei,	Lib. 1. *Licet per apostolos, & alios di.*
De prælijs famosis,	Lib. 1. *Circa annum Do. 330. passus est Al.*
Carmina quoq; diuersa,	Lib. 1.

Et alia nonnulla, mihi tamen ignota penitus. Plena uerò oratione, historias suas usque ad annum Christi 1390 perduxit. Ad iustam usque senectutem uixisse fertur, & claruisse anno à Seruatoris nostri incarnatione 1420, sub Henrico quinto.

GVILHELMVS LYNVVODE. LXXII.

GVilhelmus Lynvuode, floridiora studiorum suorum tempora in lectione iuris Cæsarij, & Pontificij collocauit, doctusq; non uulgariter in utroque euasit. Hinc famam, hinc opes, hinc honorem, Officialis ac Doctor, in foro Cantiano sibi comparauit. Sed ut fortuna ampla arridere cœpit, relictis clientibus, à foro illo utili quidem, at laborioso, ad aulam se contulit. Vnde ab Henrico quinto Anglorum rege inuictissimo, cui à secretis sigillis erat, non modò ad Hispanum, uerumetiam ad Lusitanum, principes potentissimos, de causis maximi momenti, orator missus fuerat. Hinc inter cætera, quia archiepiscoporum Cantianorum decreta cognitissima habuit, mirificè cupiebat patrias leges illustrare. Accinxit se igitur operi (ut putabat) longè honestissimo, & Constitutiones siue decreta prouincialia quatuordecim archiepiscoporum recentiorum, uidelicet à Stephano Langtono ad Henricum Chicheleyum, quæ sine lucido ordine sparsa circumferebantur, in unum uolumen, superfluis resecatis, redegit, commentarios'que eisdem addidit. Ex frigidissimis hominum placitis, noua sic onera hominum humeris imposuit, quæ non per Dei uerbum, sed per Papæ Antichristi canones comprobari fecit. Congessit ergo

Constitutiones prouinciæ,	Lib. 1.
Commentarios in easdem,	Lib. 6. *Reuerendissimo in Christo patri Hen.*
In quosdam Psalmos,	Lib. 1. *Cum frequenter animaduerterem.*
Summam causarum,	Lib. 1.

Præterea an aliud scripserit, mihi planè incertum. In prædictis operibus, adulteria, fornicationes, & stupra, pro rebus spiritualibus habet, ab omni magistratuum iure exempta. Claruit anno Christi 1422, prædicti regis legatus. Ferturq; quòd tandem Meneuensis episcopus fuerit, & Londini inter canonicos ad Stephani fanum sepultus.

IOANNES LELANDVS SENIOR. LXXIII.

IOannes Lelandus, senior, inter Laniculas, ut ego accepi, ortus est. Qui tam auspicatò in bonis literis, adhuc iuuenis, se exercuit, præcipuè in grammatica, ut uir factus, tam uersu quàm prosa, in seculo tam barbaro, insignis haberetur. Isiacorum academiam celebrrimam coluit, ubi non sine admiratione, ut illa ferebant tempora, ludum grammaticum aperuit, nobiles pueros ac plebeios non paruo tempore docuit. Propensus Isiacorum erga hominem amor eò succesśit, ut hoc encomiastico carmine frequenter illum collaudarent:

Vt rosa flos florum, sic Leland Grammaticorum.

Vidi ego aliquando quosdam eius libellos, certè non contemnendos. Posteritatis memoriæ commendauit,

Declinationes Latinas & Græcas, Lib. 1. *Quæritur, quot terminationes.*
Tractatum de generibus, Lib. 1. *Nota, quòd omnia nomina.*

Et alia quædam. Docuit apud Isiacos, eregionè collegij Vitiferi, non procul à fano Fredisvuidæ: ubi supremum diem obiens, sepultus est anno Domini 1428, penultima *Aprilis, cum epitaphio Latino, marmori insculpto.*

IOANNES HAYNTON. LXXIIII.

IOannes Haynton, honesto genere natus, & Lincolniensis collegij Carmelita, literas non paruo tempore *in celeberrima Isiacorum* academia (Lelando teste) coluit, artesq; liberales edidicit. Enimuero (inquit) culturam illam, est copiosa mesśis sequuta. *Nam in Aristotelica* & Christiana philosophia (nulla Christo cum Beliale concordia) tantum profecerat, quantum illius seculi promittebat *fœlicitas: dixisset, infœlicitas.* Quid autem promiserit, quanquam doctus lector per se satis intelligat, modestè (præposterè potius) pronunciare uolo. *Talis certè eius ætatis fœlicitas* erat, *ut homines eruditiores* (meros asinos) quàm eloquentiores, meliores (hypocritas certè) quàm elegantiores, reddiderit. Hoc meum est iudicium (*sed inuersum*) *quod qualecunq; sit,* citra ullius offensam dictum esto. Meæ profectò partis erit, Hayntonum in albo doctorũ *uirorum* ponere, *quem Isidis uadi cultores,* ex libris editis dignisśimum theologi insignibus iudicauerunt. Tantum ille. *Præcedentibus* & *hoc addere* dignum putaui, quod magis his omnibus ad eius facit laudem. In lecturis enim publicis hoc sæpiusculè repetebat: Hebræum nempe *idioma in se esse* omni ex parte plenum, liberum, purum, & perfectum, nec præceptiunculis Latinis obnoxium fore. Et hæc dicebat, cum in gymnasijs Christianorum nec umbra quidem illius sacræ linguæ esset relicta. Scripsit uerò,

Annotationes in Matthæum, Lib. 1. *Augustinus lib. 12. Confesśionum.*
Annotationes in Lucam, Lib. 1. *In prologo postillationum Nicolai.*
Annotationes in Ioannem, Lib. 1. *Quia in diuinis eloquijs Dominus.*
In Paulum ad Corinthios, Lib. 2. *Gratia Dei sum, id quod sum.*
In Paulum ad Hebræos, Lib. 1. *Dominus assumpsit me, psalmo.*
In canonicam Ioannis, Lib. 1. *Ioannes Apostolus & Euangelista.*
Annotationes in eandem, Lib. 1. *Quis author sit, quæ materia.*
In Apocalypsim 46 lectiones, Lib. 1. *Beatus qui legit uerba prophetiæ.*
Sermones de tempore, Lib. 1. *Surrexit homo. Iudicum 19.*
Sermones de sanctis, Lib. 1. *Principes populorum congregati.*

Quæstiones

Quæstiones theologicæ,	Lib.1. *Vtrum habitus theologiæ sit for.*
In uesperijs Gualteri Hunte,	Lib.1. *Desuper erit benedictio tua.*
Summam de uirtutibus,	Lib.1. *Circa cardines cœli perambulant.*
Collectanea quædam,	Lib.1. *Hebraica namq; locutio sicut &c.*

Erant & alia eius opuscula in diuersis Anglorum bibliothecis, quæ nunquam uidi. Claruit Lyncolniæ, suorum fratrum preses, anno ab incarnato Mesia 1428, uaria componens, sub Henrico sexto Anglorum & Francorum rege: ac demum mortuus, sepelitur ibidem.

ROBERTVS COLMAN. LXXV.

RObertus Colman, Franciscanorum instituti professor, & Nordouicensis alumnus cœnobij, Isiacorũ seu Oxoniensium aliquando delicium dulce, Lelandi testimonio, fuit. Inter quos (inquit) eloquẽtia, eruditione, ingenio, deniq; iudicio uel rarisimo eluxit. Tantarum dotum fœcunditatem Academici, quotquot Isidis adcolebant ripas, non modò diligebant, *sed* & adamabant quoq;, atq; affectu quodã gratisimo suspiciebant. Hinc *factum est, ut Cancellarij uices* plerunq; ei contribuerint. Vnde auctus hac noua dignitate, nouum literis *splendorem & ipse attulit.* Sic Lelandus. Sed illud interim prætereundum non est, quòd impresis ei quinq; uulneribus Francisci sui instar, senem quendam nobilem, nomine Cloptonum, equitem auratum, ac maiorem Angliæ iusticiarium, diuitem, ita dementauerit, ut contemptis omnibus, in Franciscanorum habitu uilisima apud eos officia peregerit. Edidit Colmannus ille,

Sermones & lecturas,	*Lib.2.*
Agrestia quædam carmina,	Lib.1.

Num alia extent eius scripta, planè ignoro. Nordouici claruit, anno à diuini uerbi incarnatione 1428, ut Vualdenus in Zizaniorum fasciculo testis est: quũ illic Guilhelmus Vuhyte pro Christi fide damnatus esset ad ignes.

APPENDIX.

Ex Christiano Massæo: *Ioannes 24 in Papam coronatus anno* Domini 1411. *misit statim ad Electores Imperij, ut Sigismundum* Hungariæ regem ad Imperium *sublimarent. Voti compos, Romæ synodum celebrare cœpit.* Ex epistola quadam Nicolai Clemangis: *Cumq; ante primã Concilij congressionem, pro inuocatione Spiritus sancti, solito fuisset more missa celebrata, ubi concilium assedit, & Ioannes in parata sibi cathedra sublimior præsideret: ecce feralis bubo, è latebris suis erumpens, cum horrifica sua uoce continuò aduolat, & super trabem templi mediam, oculis in Papam directo intuitu coniectis astitit. Cœperũt uniuersi mirari, quòd nocturna auis et lucifuga, diurna luce in turbæ medium aduenisset: malumq; omen ex prodigio, non immeritò auspicabantur. En (inquiebant suppressa uoce alter ad alterum) in specie bubonis spiritus adest. Cumq; cæteri & se mutuò & Papam spectantes, uix risum tenerent: Ioannes ipse rubore suffusus, sudare, angustiari, atque intra semetipsum æstuare cœpit. Tandemq; non inueniens, qua alia posset ratione suæ tantæ confusioni consulere, soluto concilio surgens abscesit. Secuta est deinde altera sesio, in qua rursum more simili, sed maiori pontificis uerecundia, factum est. Nec poterat bubo aut clamoribus abigi, aut fustibus terreri, ita ut illic nihil prorsus actum sit. Talesq; spirituales columbas, Papis & eorum concilijs iam diu adfuisse, eosq; rexisse, licet nõ conspectas, crediderunt tunc multi.* Ex prædicto Massæo: *Citatus ergo pontifex, ab omnibus fermè nationibus, ut alium locum designaret, quo liceret conuenire, delegit* Constantiam: *diemq; præfixit Calendarum Nouembrium anni* 1414. *Suaserunt quidam pontifici, non accedere, ne non pontifex reuerteretur. Accesit tamen cum argutisimis aduocatis, qui facile possent diluere, si quid obijci contigisset. Sed in uia præceps ex uehiculo cecidit, quod infausto omine, futurum eius designabat casum.*

APPENDIX ALIA.

Ex Theodori Bibliandri relatione, ad omnium ordinum principes: Ioannem 24 Papam concilium Constantiense coegit abdicare pontificatum, propterea quòd esset hæreticus, simoniacus, homicida, ac Sodomita. Et tamē papisticæ monarchiæ uindices cōtendere audent (ô scelus infandum) illum fuisse legitimum Christi uicarium, & caput ecclesiæ, usq; ad illum diem quo decreto synodi deiectus est. Ex Platina: Superueniente Sigismūdo Cæsare, factaq; omnibus dicendi quod liberet potestate, multa crimina, & quidem grauissima, pontifici Ioanni obiecta sunt. Quorum causa, mutato habitu, Constantia clanculū Scaphusam Austriæ urbem, & inde Friburgum confugit. Sed curante concilio Ioannes capitur, & in carcerem conijcitur, pontificatus sui anno quinto: ubi triennio mansit inclusus. Ad quadraginta enim capitula, & eo amplius, contra hominem probata sunt crimina: quorum aliqua cum in eo minimè immutari possent, adeò erant inueterata, cōtra fidem iudicata sunt, &c. Ex Christiano Massæo: Interim præsides synodi ediderunt decretum, quo declaratur, generale concilium legitimè congregatum, esse supra Papam: & habere hanc potestatem à Christo, qui est uerum Ecclesiæ caput, &c. Inde anno Domini 1415, in concilio Constantiensi, Ioannes pontificatu priuabatur, Gregorius se sponte abdicauit, & Benedictus damnabatur. Erant enim tres simul eo tempore pōtifices. De quorum ultimo, qui etiam uocabatur Petrus de Luna, Ioannes Gerson in concilio præsens repetebat: Non erit pax ecclesiæ, donec auferatur Luna. Hinc Bestiæ caput lethiferum uulnus excepit, Apo. 13. Hinc detectio abominationum in pariete per foramen fiebat: Eze. 8. Hinc meretricis magnæ discooperta est nuditas, denudata turpitudo, reuelata ignominia, & opprobrium uisum, demumq; ultionem capiet, Esa. 47, iuxta illud uaticinium,

Roma diu titubans longis erroribus acta, Corruet, & mundi desinet esse caput.

ALIA APPENDIX.

Ex Platina: In concilio Constantiensi damnata est Ioannis Vuicleui hæresis (sic Euangelij doctrinam Papistæ uocant) & duo ex sectatoribus eius combusti sunt, Ioannes Huss & Hieronymus eius discipulus, tanquā hæresiarchæ, quòd inter cæteros errores dicerent, ecclesiasticos ad imitationem Christi, pauperes esse debere: cum ex tanta rerum copia & luxu, omniū nationum populi scandalizarentur. Magnus certè error, & in cendio publico dignus. Vterq; igitur in cōcilio Constantiensi, contra publicam datā eis fidem fermè indicta causa, condemnati sunt. Ioannes anno Domini 1415, Hieronymus uerò sequenti exustus est. Constanti uterq; martyrio (ut etiam ipsi eorum hostes, Aretinus ac Poggius fatentur) suam doctrinam cōfirmauit. Pugnabat his diebus non instrenuè Ioannes Rokanzanus Bohemus, contra crassiores Papistas, præsertim cōtra Capistranum Minoritam, pro communione sub utraq; specie, & pro tollendis ab ecclesijs imaginibus. Et aduersus illum denuò scripserunt idem Capistranus & Ioannes de Ragusio Dominicanus. Post mortē uerò Ioannis Huss multi eius dogmatis causa, uarijs in locis sunt exusti: uidelicet, Henricus Grunfelder sacerdos Ratisponæ, anno Domini 1420: & in eadem urbe Henricus Radtgeber, etiam sacerdos, anno Domini 1423. Ioānes Draendorf nobilis ac sacerdos Misnensis, Vuormaciæ anno Domini 1424. Petrus Torauu Spiræ, anno Domini 1426. Ricardus Houenden lanarum consarcinator, Londini in Anglia anno Domini 1430. Thomas Bagle, sacerdos etiam, Londini anno Domini 1431. Paulus Crauu natione Bohemus in Scotia, apud fanum Andreæ anno Domini 1432. Matthæus Hager Berlini in Germania, anno Domini 1458, & alij alibi. Petrus uerò Drisnensis & Iacobus Misnensis, quia cum pontifice non sentiebant, patria pulsi, Pragam se contulerunt, ac de communione sub utraq; specie articulum docuerunt.

GVILHELMVS VVHYTE. LXXVI.

GVilhelmus Vuhyte, aliàs Albus, ex Cantia presbyter eruditus, & in doctrina Euangelica Ioannis Vuicleui sectator, uir integer ac facūdus, abiectis tonsura atq; oleo, uirginē pudicā nomine Ioannā uxorē duxit. Nō tamē inde à cōsueto cessabat officio, diuini scilicet functione uerbi: sed indies magis & magis ad Christiana fidei incremēta legit, scripsit, ac fidelissimè docuit. Auribus hominū id inculcabat præcipuè, non esse peccatorū remissio-

misſionẽ niſi à ſolo Deo propter Chriſtũ. Cęlibatũ papiſticũ, merũ diaboli inuentũ eſſe dicebat, Antichriſti captiuitatẽ, & à libertate Chriſtiana defectionẽ ad Sodomiſmũ. Imagines diuorũ è Chriſtanorũ tẽplis tollẽdas pſuaſit, & eorũ dies manuũ labore celebrãdos, nec mortuorũ oſſa putrida debere amplius uenerari, ac ſimilia. Eccleſia Romana (inquit) eſt ficus illa fatua, cui ob fidei ſterilitatẽ maledixit ille Dominus. Caputiati, uncti, & raſi, Luciferi infernalis ſunt milites. His clauſa erit ianua, quũ ſponſus, extinctis eorũ lampadibus aduenerit. Et hæc tandem illi reliquit doctrinæ monumẽta,

De ueris ſacramentis, Lib. 1.
De baptiſmo & confirmatione, Lib. 1.
De confeßione ac remißione, Lib. 1.
De æqualitate poteſtatũ, Lib. 1.
De Antichriſti ſacerdotio, Lib. 1.
De libera lege nubendi, Lib. 1.
De uirginitate & coniugio, Lib. 1.
Ad parliamentum regium, Lib. 1.
Contra Mendicantes, Lib. 1.
De ciborum delectu, Lib. 1.
De cæremoniarum abuſu, Lib. 1.
De obſeruatione feſtiuitatum, Lib. 1.
De decimis ſubtrahendis, Lib. 1.
De reliquijs & tumbis, Lib. 1.
De poſſeßionibus auferendis, Lib. 1.
De cultu ſacrilego, Lib. 1.
Sermones ad uulgum, Lib. 1.

Et alia quædam. Nordouici demũ captus, pro 30 articulis, ſibi impoſitis à Papiſtarum grege, per Guilhelmum eiuſdem urbis epiſcopum & Mendicantiũ doctores exuſtus fuit, anno Chriſti 1428, in ſeptẽbri, ſub rege puero Henrico ſexto. Cuius & uxor Ioanna, eadem retinens ac ſpargens dogmata, digna tali marito coniunx, eodem anno multa per eundem epiſcopum perpeſſa dicitur, ut Vualdenus habet.

APPENDIX.

Is Vualdenus, qui in eius examinatione tunc præſens aderat, et utrunq; tam uerbis quàm ſcriptis cũ alijs damnauerat, ante annos aliquot, ſcilicet anno Domini 1421, Carmelitarum in Anglia ſectæ, cuius ille magiſter erat, Papa concedente ſorores dedit, ſub anachoretarũ titulo, Nordouici dominam Emmam, Milonis Stapiltoni equitis aurati filiam: Northamptoni Aleciam Vuakleyne illuſtris etiam generis fœminam, Gippeſuuici Margaritam Hautuen, et Lynnæ Ioannam Catfelde, Agnetem Granſeter Cantabrigiæ, atq; alias alibi Deiparæ uelauit. ut nihil dicam de Clara Columba, Iueta, & 76 alijs Minoritarum ac totidẽ Dominicanorũ ſororculis. De quib. rhythmorũ eius ætatis ſcriptor dicebat: Puto uerò quòd prodeſſet, Si in mũdo nullus eſſet Monachus uel monialis, Siue ſecta Beghinalis, &c. unde de monachis Adilon:

Non malè ſunt monachis grata indita nomina patrum,
Cum numerent natos hic & ubiq; ſuos.

Et quod ſuo loco prætererieram, Ioannes 23. Rom. pontifex, Auentino teſte, Beghinas quaſdam ad coniugium compulit, picturas deteſtabatur, &c. Ex chronico Amãdi Zierixceenſis Minoritæ: Ioannes à Bauaria, Alberti ducis Bauariæ filius, epiſcopus Leodienſis, poſt multas tragœdias, ſcribitur epiſcopatui renunciaſſe, ſub tempore concilij Conſtantienſis, & uxorem duxiſſe duciſſam Lutzẽburgenſem uiduã. Quibus temporibus, Florentij Traiectenſis epiſcopi ſuffraganeus degradatur, et decollatur: quia multos ordinauerat, cum non eſſet epiſcopus. Bernardus Lutzenburgus impoſtor

postor & hypocrita Bedricum Morauum sacerdotem damnat, quòd cōtempto iure pontificio, uxorem ex diuina ordinatione duxisset. Illis tēporibus lepidū ferebatur Sigismundi imperatoris dictū, cū sermo esset de reformatione cleri. Ipsi enim iudicabāt, incipiendū esse à Minoritis. Non (inquit) sed à Maioritis: indicare uolens, Papam, Cardinales & Episcopos, primùm reformari oportere, ut curatio à fonte mali incipiat, postea demum inferiores reformentur. Sed pontifex Martinus quintus uafro commento pium Cæsarem elusit, ne talis reformatio tunc fieret. Platinam uide.

ALEXANDER FABRICIVS. LXXVII.

ALexander Fabricius, seu Carpentarius, cuiusdam fabri lignarij filius, uir multa eruditione clarus, atq; ocij contemptor iniqui, animum suū assidua sacrarum scripturarum lectione pascebat. Vnde post labores insignis theologus, ad Euangelij messem properans, Anglicanum populum multis in locis diuinis Dei præceptis Christianè ac piè instituit. Interim ecclesiæ prælatos, episcopos & pastores, in sua uocatione negligentes, manifestos esse Christi proditores, multis Scripturarum ac doctorū testimonijs probabat. Insuper, *iniquos operarios*, seductores, fures, mendaces, raptores, oppressores, uoluptatum amatores, carnales hypocritas, tyrānos maledictos, atq; execrabiles Antichristos, *in opere suo* illos appellat. Cognoscūtur (inquit parte 6. cap. 30) hypocritæ, ex oppresione bonorum. fideles enim ac humiles Christi seruos persequuntur, incarcerant, & comburendo etiam quandoq; interimunt, &c. Volumē elegans, aptum ac pium, à docta legendum posteritate, in lucem protulit, quod uocabat

Destructorium uitiorum, Lib. 8. *Omne peccatum, ut dicit beatus.*
Homelias eruditas, Lib. 1.

Aliaq; plura edidit. In quibus nō hominū mortuorū consuetudines ac placita nos sequi debere dicit, sed Dei immortalis ac uiuētis ueritatē. Claruit anno Seruatoris nostri 1429, in quo prædictū opus cōpleuit, sub Henrico sexto.

APPENDIX.

Præclara quædam huius Alexandri dicta, ex destructorio uitiorum: Prælati (inquit) constitutiones contra legem diuinam & canonicam constituunt, ut extorqueant bona subditorum iniustè. Tales nedum sunt raptores, sed etiam proditores. Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid homines ante nos faciendum putauerint, sed quid ante omnes Christus prius fecit. Si Christus sciuisset, quòd per leges Iustinianas facilius uitā æternam posset homo acquirere, quàm per legē Dei: illā nos ore proprio docuisset, & dimisisset legem Dei in aliud tempus, quam tamen cum magna diligentia docuit, & in qua continetur omnis scientia ad salutem requisita. Proditor est ueritatis, qui palàm pro ueritate mendacium loquitur. Et qui non liberè ueritatem pronunciat, proditor est ueritatis. Sacerdotes, nisi populo manifestauerint omnem ueritatem, dabunt rationem in die iudicij. Pastores ecclesiæ, qui ueritatem Euangelicam pronunciare contemnunt, subditosq; pernicioso exemplo occidunt, proditores sunt, & Antichristi manifestißimi. Pastores & prælati ecclesiæ, multum fatigantur his diebus, pro dignitatibus obtinendis. unus in coquina regis, alius in curia episcopi, alius in seruitio sui domini, sed nullus in curia legis diuinæ. Superbi sacerdotes & prælati, contra doctrinam & exemplum Iesu Christi, quasi reges gentium dominantur. Imagines mortuæ, pro sanitate uel auxilio implorari non debent. Traditionibus superfluis & constitutionibus iniquis, suos opprimunt iniqui prælati. Sacerdotes moderni faciunt quæcunque caro & sanguis eis reuelat, igitur à Deo sunt maledicti. Hypocritæ bonos opprimunt, humiles Christi seruos persequuntur, incarcerant, & comburunt, quòd eorum uoluptates reprehendunt. Tales occiderunt Christum, Apostolos, & martyres, reputantes eos hæreticos, quòd eorum peccata taxarent, &c.

RICARDVS KENDALE. LXXVIII.

RIcardus Kendale, nominis fama celebris, ac peritus sui temporis grāmaticus, ad faciliorem teneræ pubis educationem, ea in arte assiduis laboribus

laboribus pleraque illustrauit. Suprà quàm cuiquam credibile est, studuit hic scriptor earum rerum cognitioni: quocirca ingentem grammaticorum numerum collegit, præcipuè eorum qui eius artis regulas accuratè tractabant. Et cum parum sibi uisum esset literas scire, nisi & certo gradu formæq; iungerentur ad sermonis intelligentiam, ausus est ingeniosus homo, loquendi regulas ex eorum dictis ponere: ut quicquid secundum illas diceretur, bene dictum esset. unde tandem in arenam descendens, & ingenij periculum faciens, edidit

De legibus constructionum,	Lib. 1. *Nota quòd duæ sunt partes const.*
Aequiuocorum exempla,	Lib. 1. *Aura, id est fauor, ut apud.*
De componendis epistolis,	Lib. 1. *Ad agrum accedens incultum.*
De dictamine prosaico,	Lib. 1. *Omne dictamen tria requirit.*
De dictamine metrico,	Lib. 1. *Tria requiruntur ad uersus cuden.*
Versus ac rhythmos,	Lib. 1.

Hæc atq; alia eius opuscula, in Sactosidensi monachorum apud Nordouolgios cœnobio, olim latebant: nunc autem post eius euersionē, dispersa sunt, ac penè consumpta. Claruisse illum his temporibus, quorundam coniectura est.

IOANNES BATE. LXXIX.

IOannes Bate, seu Batus, Carmelitis fraterculis Eboracum inclytam urbem incolentibus aliquando præfuit: ut autem præesset (ut Lelandus scribit) hęc in causa fuerunt. Natus (inquit) inter Transabrinos, & Eboraci educatus, totum ad eruditas artes animum adiecit: nec defuerunt qui sua sponte currentem incitarent. Quorum etiam opera tandem est curatū, ut uel inter Isiacos (Oxonienses scilicet) bonis authoribus legendis liberè operam daret. Non ille certè suorum opinioni de se conceptæ malè respondebat. Nam exacto in studijs iusto temporis spacio, euasit non modò in clarum Philosophum, uerumetiam theologum: quo utroque nomine titulos erudito uiro dignos, non sine totius academiæ suffragio, accepit. Hic ego aliò festinans, penè præterieram, quod uel maximè in Bati laudem dictum esse oportuit. Erat enim Græcarum literarum studiosus, in quibus pedē utcunq; promouerat. Tum præterea, ne non meritò pręfata accepisse insignia uideretur, uoluit doctrinā suā uel editis libellis testatissimā facere. Tantum Lelandus. Verùm hoc habebat ille cū cęteris ætatis suæ theologis cōmune malū, quòd pro fulciendis Antichristi blasphemijs, diuina charismata dogmatibus prauis conspurcauerit. Multa certè reliquit rerū diuersarum syntagmata, sed paganorum stercoribus deformata, saltem

De constructione partium,	Lib. 1.
Super uniuersalia,	Lib. 1. *Pro notitia uniuersalium in libro.*
Super prædicamenta,	Lib. 3. *Circa libros prædicamentorum Aristot.*
In sex principia,	Lib. 1. *Iste liber intitulatur Sex princ.*
De anima quæstiones,	Lib. 1. *Quæritur, utrum intellectus agens.*
Pro introitu sententiarum,	Lib. 1. *Prænobilis arbiter aulæ cœlestis.*
Actus ordinarios,	Lib. 1. *Helias proficiscens in Damascum.*
Encomium theologiæ,	Lib. 1. *Mirabilis facta est scientia tua.*
Replicationes argumentorum,	Lib. 1. *Vitis cœli florida, in regali.*
Compendium Logices,	Lib. 1. *Quia de dictis in logica, in.*
Sermones per annum,	Lib. 1. *Non uituperetur ministerium.*
Ad clerum Oxoniensem,	Lib. 1. *Cooperatores simus ueritatis.*

Colla-

Collationes synodales, Lib. 1.
De assumptione Mariæ, Lib. 1.
Determinationes quoq;, Lib. 1.

Sola hæc sunt eius opuscula, quæ in bibliothecis uidi. Quid multis moror? Eboraci suos fratres gubernauit: ac demum uiolento grauatus morbo, ibidem occubuit, septimo calendas Februarij, anno à Christi incarnatione 1429, Henrico sexto adhuc puero in Anglia regnante.

PETRVS BASSET. LXXX.

PEtrus Basset, clari generis armiger, & Henrico quinto Anglorum regi à cubiculis, eorum omnium testis oculatissimus fuit, quæ idem rex magnificus tã apud Anglos quàm etiã in Gallijs olim fecit. Nam aderat illi ad latus semper hic Petrus, seu domi seu foris quicquã ageret, siue uel in pace uel in bello fuisset occupatus, & omnibus in locis notabat eius tũ dicta tum facta precipua. Descripsit illius ab ipsis incunabulis uitam, uarias in Franciã expeditiones, gloriosas de Gallis uictorias ac triumphos: cum Carolo sexto Francorum rege pacificationem, & affinitatem post bella, atque tandem eius regni administrationem plenissimam, Henrico filio regi ipsius diademate Parisijs tum demũ insignito. Et hęc omnia in eius regis laudem plenissimè congessit, edito in Anglico sermone libro, cui titulum fecit

Acta regis Henrici quinti, Lib. 1.

Præter hoc, nihil opusculorũ eius extare noui. Et ubi scriptorũ aliqui, prædictũ regẽ ex uenenata potione, alij ex fiacrij malo aut igne Antonij interijsse fingũt, iste ex pleuresi obijsse illũ affirmat. Claruit Petrus anno Domini 1430, Henrico sexto regnante.

IOANNES POLE. LXXXI.

IOannes Pole, illustris generis sacrificulus, artium ac legum peritus, inter suæ factionis symmystas, doctrinæ beneficio nõ infimũ tenebat locum. Coaluerat à teneris annis gratissima illi consuetudo cum uiris eruditis: apud quos occupatis primùm natiuæ patriæ gymnasijs, animo constituit partes adire remotiores. Itaque sulcato mari postea, peragratisq; diuersis regionibus, ad Italiam demùm peruenit. Vbi aliquandiu moratus, Ricardi cuiusdam Anglorum reguli sarcophagum in quodam pago reperit. Ex cuius filiæ Vualburgæ, mulieris olim Anglicæ amore, uel saltem ad eam, ut loquuntur, deuotione, quicquid monumentorum ueterũ illic inuenire poterat, arrepto statim calamo mẽbranis tradidit. Et in suo tãdem ad patriam reditu, Coloniensis ecclesiæ canonicus effectus, ex his atque alijs historijs ac fabulis collegit

Vitam Vualburgæ uirginis, Lib. 1.
De miraculis eiusdem, Lib. 1.

Et alia nonnulla scripsit. In quibus hanc uirginem Vualburgam, fatetur & ipse, magnũ illud Antuerpiæ templum Deiparæ sacrũ, extruxisse primùm. Claruisse Polus fertur, anno post Seruatorem natum 1430, Coloniæq; demum sepelitur.

THOMAS ISMAELITA. LXXXII.

THomas Ismaelita, Brigidani ordinis monachus fuit, eius cœnobij quod uiris & fœminis commune, in dextra Thamesis ripa, prope Richemundiã situ erat, uocabaturq; Syon. Indidit illustrissimus princeps Hẽricus quintus, præclara hæc nomina Bethleem & Syon, duobus monasterijs à se miro operis apparatu ædificatis, anno Domini 1414, ut per hæc terrę sanctæ memoria in suo regno perpetuaretur. In hoc monasterio prædictus Thomas

Thomas, sub D. Basilij regula, tanquã perfectiori (Euangelium nihil erat) religiosæ uitæ methodo, militauit. Illic etiamnum, ut prodigioso uitę generi responderet studiũ seu ingeniũ lõgè prodigiosius, ex hypocritico pectore, omni Dei spiritu uacuò, portentifera quędã protulit mõstra. Nã scripsit

Speculum humilitatis, Lib. 1. *Dominus noster Iesus Christus di.*
Collectiones miraculorum, Lib. 1.

Aliaq; his similia. In quib. sic habet: Frater peccator (seipsũ intelligit) & seruus iustorũ, atq; omniũ in Christo credẽtium, collegit de dispersis per loca scriptis, miracula quæ Deus occultari noluit. Anno Domini 1430 claruisse fert.

GVALTERVS HYLTON. LXXXIII.

GValterus Hylton, professione Carthusianus erat, & eius (ut puto) monasterij cœnobita, quod 7 passuum millibus à Lõdino, prædictus rex Henricus quintus, in lęua Thamesis ripa, & e regione Syonis posuit, ac Bethleem appellauit. In eo cœnobio Gualterus, non Christum & Apostolos in labore Euangelico est imitatus, sed Brunonem quendam Coloniensem, hominem in torpore & ocio, secundũ Benedicti regulam. Brigidani, utriq; sexui & templũ & cœnobiũ habẽt cõmune, licet sub asserũ ac murorũ separatione quadã. At Carthusiani, mulieribus ad eorũ templa aditũ nõ admittunt, ne ad libidinem inde rapiãtur. Bella prouisio (inquit Polydorus) si animi affectiones possint claustris cõpesci, & caro solitudine atq; ocio domari: quod planè Hieronymus ipse negat. Cõposuit uerò Gualterus, ad magistrum Ioannem Torpe,

De consolatione in tentationibus, Lib. 1. *Ineffabilis misericordia nostri redem.*
De tolerandis imaginibus, Lib. 1. *Inter cætera quæ mihi scripsisti.*
De utilitate religionis, Lib. 1. *Quia uerò ex tenore cuiusdam lit.*
Scalam spiritualem, Lib. 1. *Dilecta soror in Christo Iesu, rogo.*
Contra tentationes carnis, Lib. 1. *Quoniam sicut ait Apostolus, Sine.*
De communi uita, ad laicum, Lib. 1. *Dilecte frater in Christo Domino.*
Baculum contemplationis, Lib. 2. *Rogo te, ut contenta sis, deuota.*
De idolo cordis, Lib. 1. *Inter cætera, dilecte in Christo.*
De ascensionibus spiritualibus. Lib. 1. *Beatus uir cuius est auxilium.*
De ecclesiastica musica, Lib. 1. *Qui sequitur me, non ambulat.*

Atq; alia eiusdem generis plura. In humilitate ac religione Angelorum multos ille seduxit, statuarum cultum in dęmoniorum doctrinis fouens, cum ille nihilominus sensu carnis esset inflatus. Claruisse fertur his tẽporibus sub Henrico sexto Anglorum rege.

THOMAS VVALDEN. LXXXIIII.

THomas Vualden, à Vualdensi oppido natali, sed Netter à progenitorum cognomine dictus, Ioannem ac Mathildem parẽtes habens, Carmelitani ordinis uestẽ Lõdini, & magisterij theologici pileũ Oxonij scientissimus suscepit. Ad conciliũ Pisanũ, super tollendo Ecclesiæ schismate, & unione in eadem faciẽda, statim ab Anglorũ rege Henrico quarto, solennis hic nuncius mittebatur anno Domini 1410, ubi coram Cæsare Sigismundo, Alexandro quinto Rom. pontifice, & magno Cardinaliũ ac primatum numero, suę legationis causas orabat, prędicabat, disputabat, omniaq; aduersariorũ ex parte Gregorij & Benedicti argumẽta soluebat. Reuersus postea, & prouincialis suæ sectæ præses effectus, numero uicesimus tertius, pro regno Papistico contra Vuicleuistas, ad quotidiana bella se seriò his uerbis accinxit: Perge Domine Papa (in libro de Sacramentis, cap. 17. inquit)

quit) perge quo cupis: & ego tecum, ubicunque uolueris, nec deseram. In authoritate Dominorum meorum incedam, & in armis eorum pugnabo, &c. Vnde statim in suggestu publico, regem ipsum Henricum tunc quintum socordiæ admonuit in puniendis hæreticis. sic scorpij more locusta lædere cœpit. Quo facinore ab eodem rege acceptus est in concilij partem, siue de republica seu de religione quæstio esset. Solusque ab excæcata nobilitate & clero pugil electus est, qui Papisticorum dogmatũ fulminibus, Vuicleuistarum atque Pragẽsiũ turmas premeret ac protereret. Inde fiebat prędicti regis cõfessor, inde ad Constantiense conciliũ generale anno Domini 1415 cõtra Hussitas magnę authoritatis orator: indeque ad Vladislaum Poloniæ regem & ad Michaelem Prussiæ generalem magistrum, anno Domini 1419, ut pacem inter eos cõponeret, ambassiator regius mittebatur, expertus in ipso itinere maris periculum. Et hæc per illum fiebant, ne horum principum bellis, Papæ ac prelatorum exercitus, aduersus Bohemos Hussitarum fautores collectus, impediretur. In qua etiam legatione Vitoldum Lituaniæ ducem, maximum orbis tyrannum, ad fidem Papisticam cum tota gente conuertit: atque in eius patriæ regem coronari, per Papam & Cæsarem fecit, ut & illis esset auxilio in subactione Bohemorum: quod statim fiebat. Plantauitque omnium primus in eo regno Carmeliticam sectã, ut illico papisticis suis cõcionibus hæc omnia firmarent. Oblatos honores multos & magnos admittere noluit, ut eo colore fortasis fortius ipse deciperet. unde ex ipsis quatuor malis angelis, qui in quatuor mundi angulis ueritatis Euangelicæ cursum impediunt, Apoc. 7. hic esse tunc poterat unus. Scripsit enim robustissimus Antichristi Achilles, contra Vuicleuistas, ut uocant, pios homines, in Christum, non in Papam credentes, in uoluminibus magnis,

Doctrinale antiquitatum ecclesiæ,	Lib. 4. *Martino beatissimo Papæ quinto.*
De ecclesiæ sacramentis,	Lib. 1. *Doctrinis uarijs & peregrinis.*
De sacramentalibus,	Lib. 1. *Doctrinam saluatoris nostri Dei.*
De ueritate Euangelica,	Lib. 1.
Lecturam Sententiarum,	Lib. 4. *In manibus suis abscondit lucem.*
Quæstiones ordinarias,	Lib. 1. *Proposita quæstio rem difficilem.*
Determinationes,	Lib. 1. *Sicut intemerata mater eccle.*
De corpore Christi,	Lib. 1.
De religione perfectorum,	Lib. 1. *Sæpe expugnauerunt me à iu.*
In Paulum ad Romanos,	Lib. 1. *Accepimus gratiam. Ad Roma.*
In primam Petri canonicam,	Lib. 1. *Ascendit Petrus in superiora.*
Super acta Apostolorum,	Lib. 1.
Sermones coram rege,	Lib. 1. *In terra pax hominibus bonæ.*
Sermones ad clerum Oxon.	Lib. 1. *Cum gratias egisset, distribuit.*
Fasciculum zizaniorum Vuiclevi,	Lib. 1. *Inimicus homo hoc fecit, Matth.*
De diuinatione ad principes,	Lib. 1.
Responsa in concilio Pisano,	Lib. 1. *Tempus & responsionem cor sapi.*
Ad clerum, in eodem concilio,	Lib. 1. *Dedi te in lucem gentium, ut sis.*
Coram Sigismundo Cæsare,	Lib. 1. *Domine, si in tempore hoc rest.*
De præscientia & prædestinatione,	Lib. 1.
De fide per dialogos,	Lib. 7. *In omnibus curiosus semper ex.*
Defensorium pacis,	Lib. 2. *Omni quippe regno desider.*
Epistolas 164. ad diuersos,	Lib. 2. *Venerabili in Christo patri.*
De paupertate Christi,	Lib. 1.

In Meta-

In Metaphysicam Aristotelis,	Lib.12. Reuerendi patres, sicut cætera.
In Ethica eiusdem,	Lib.10. *Aristotelis Ethica narranda.*
In Physica quoq;,	Lib.8. Cum omnis scientia causas.
De decem prædicamentis,	Lib.3.
De cœlo & mundo,	Lib.4. Natura, &c. Hic liber de.
De generatione & corrup.	Lib.2. *Liber incipit de generati.*
In Meteora Aristotelis,	Lib.4. De primis, &c. Liber iste.
Sophismaton,	Lib.1.
Commentarios de Anima,	Lib.3. Bonorum honorabilium, &c. Circa.
De *Anima quæstiones,*	Lib.1. *Circa literam* Philosophi, *quæritur.*
Introductiones naturalium,	Lib.1. Natura est duplex, naturans &.
De re Grammatica,	Lib.1.
Quæstiones naturalium,	Lib.1. Vtrum diffinito naturæ sit uera.
De prædicabilibus,	Lib.1. *In materia uniuersalium, ante.*
Summulas Logicales,	Lib.1. Nomen est uox significatiua.
Ad Constantiense concilium,	Lib.1.
Propositiones ad principes,	Lib.1. *Illustrissime princeps, cæteris.*
Grauamina fratrum contra Oxoni.	Lib.1. Supplicant reuerendissimo in Chri.
In Remediarium conuersorum,	Lib.1. De *abstinentia quæ contra uentris.*
De indulgentijs,	Lib.1.
Sermones in funere regis,	Lib.1. *Rex in æternum uiue,* Nehemiæ.
Collationes solennes,	Lib.1. Benedictionem iubileam domine.
Lecturam in Genesim,	Lib.1.
Super Exodum,	Lib.1.
Super Leuiticum,	Lib.1.
In sapientiam Philonis,	Lib.1.
Lecturas ordinarias,	Lib.1.

Et alia nonnulla. Anglorum rex Henricus quintus, ad Vicenarum saltum prope Lutætiam, mortem expectans, in huius Vualdeni sinum uitales spiritus efflauisse dicitur, ut eius, cui uiuens maximè fidebat. Pro cuius filij Henrici sexti solenni coronatione Parisijs facienda, in Gallias cum alijs missus, decimosexto officij sui anno, Rothomagum peruenit. ubi inter suos Carmelitas, morbo acutissimo correptus, è uita migrauit, secundo die Nouembris, anno nati Seruatoris 1430. & illic est honorificè tumulatus. Quem inter Papisticos sanctos relatum ferunt, Volaterranus, Tritemius, Gerbrandus, & Iulianus Hasart.

APPENDIX.

Ex Lelandi Catalogo: *Denique tot nobilium authorum uolumina, maiusculis literis Romanis scripta, Carmelitis nostræ urbis ex testamento reliquit, quot illa ætas duobus ad minimũ aureorum millibus æstimauit. unde quamuis iam insigniter diminutus sit librorum numerus, nulla tamẽ est Londini bibliotheca (tota nunc perijt) quæ uel multitudine, uel antiquitate exemplariorum, cum Carmelitana conferri poßit, &c.* His temporibus, anno scilicet Domini 1426, claruit Ioannes Barath, patria Hannoniensis, Valencenarum cœnobij Carmelita, & doctor Parisiensis: qui scripsit de reuelatione diuinorum, de utilitate Scripuræ, de temporis sui malis, & postillam in Apocalysim Ioannis, cum alijs. Multa pius homo, eius ætatis clero, prælatis ac monachis obijciebat: & quòd statim essent, ob peßima eorum facta, in opprobrium, subsannationem ac derisum gentibus dandi, ex Scripturis prædixit. Quoniam Deus (inquit) spernit eos, qui hominibus placent. Ioannes Gerson, Parisiensis cancellarius, eodem tempore multos errores & abusus in Papatu taxabat, tolliq;

optauit. Scripsit de defectibus ecclesiasticorum, in quo libro corruptam eorum uitam & neglecta officia accusat, pœnasq; prædicit. Scripsit etiam de probatione spirituum, de confessione mollicici, de pollutione nocturna & diurna, quæ cælibes tangunt. Qui tandem pro ueritate pauper & exule Lugduni mortuus est, omni priuatus dignitate. Ex Volaterrano: Laurẽtius Valla cõtra religionem (Papisticam) latrauit: scriptis quoq; probare conatus est, nullum ius siue munus imperij Pontifici concessum, &c. Qui senator Romanus, & uir eruditissimus, prolixo opere fictam Constantini donationem, Papæ primatum, ambitionem, superbiam, cælibatum sophisticum, mendacia, & alia magna scelera coarguit. Fuit sanè uir ille Pontificiæ impietatis ac tyrannidis, aliorumq; criminum ac errimus hostis. Et propterea in exilium ab eo missus fuit, sed à rege Neapolitano honorificè exceptus. Henricus Token, canonicus Magdeburgensis, acerrimus etiam superstitionum hostis, ex octodecim locis eodem tempore idololatrias extirpauit, ualidorum mendicitatem scripto damnauit, & generale concilium esse supra Papam probauit.

RICARDVS VLLERSTON. LXXXV.

Ricardus Vllerston, patria Lancastriensis, nondum tam apertè (sic namque Lelandus habet) mihi est cognitus, quàm optarem. Nihilominus (inquit) operæprecium erit, hominem posteritati tanquam in transcursu commendare. In confesso enim est, illum cùm in philosophia, tum etiam in theologia apprimè eruditum fuisse, & in Isidis uado seu Oxonio doctis artibus inuigilasse. Nam eius uolumẽ *de articulis fidei, uel de ecclesiæ* symbolo, quod edidit anno Domini 1409, manifestè probat, quàm fœliciter olim uersatus sit in sacrosancta quidem illa ueterum theologorum lectione. Et ne hoc opus planè doctum, neglectum ac puluere obsitum authore mortuo deliteret, Ioannes Stanberius, episcopus Herefordensis, uir cùm alijs nominibus, tum hoc præcipuè clarus, non modò in lucem reuocauit, uerumetiam anno Domini 1463 commentarijs illustrauit. Adeò non potest uirtus & doctrina longùm in obscuro carcere claudi. Tantum ille. Composuit ergo Vllerstonus inter tot circa religionem dissidia,

De symbolo Ecclesiæ	*Lib. 1.*
Defensorium dotationis eiusdem,	*Lib. 1. Viam ueritatis eligens ab initio.*
Commentarios in Psalterium,	*Lib. 1. Laudandum est ualde, cum hi qui.*
Super cantica Ecclesiæ,	*Lib. 1. Finita utcunq; expositione Psal.*
Pro Ecclesiæ reformatione,	*Lib. 1. Reuerendo in Christo patri ac.*
De officio militari ad regem,	*Lib. 1. Serenissimo ac illustrissimo prin.*
Lectiones ordinarias,	*Lib. 1.*

Aliorum eius operum non uidi titulos, quamuis & multa edidisse dicatur. Defensorio dotationis ecclesię, uidetur uel Vuicleuo uel Laurẽtio Vallæ, aut potius utriq; aduersari. Claruit anno ab incarnato Dei filio 1430, sub Henrico sexto.

PETRVS CLARKE. LXXXVI.

Petrus Clarke, in Oxoniensi gymnasio liberalium artium magister ac sacrificus, Ioannis Vuicleui Apostolici doctoris sectator admodum fidelis & feruidus erat, & contra clerum Papisticum in concione plura detonabat. Qui circa annum à Christi natiuitate 1420, cum Thoma Vualdeno in publicis theologorum scholis Oxonij disputabat, super inuocatione mortuorum sanctorum, imaginum cultu ac ueneratione, reliquijs, sacrificijs, decimis, uotis, peregrinationibus, mendicitate, adulterato Dei uerbo per monachos indoctos, & id genus alijs. Molliter tamẽ ac dissimulanter cum illo in multis egit, ne acrius Camerinam moueret. Paulo mox nihilominus, ex ea dispu-

ea disputatione, à Pharisæorum tyrannide sibi metuens, in Bohemiam ad uitæ suæ tutelam aufugit. Vbi in spiritus feruore scripsit,

Ad Antichristi synagogam, Lib.1.
Contra Mendicantes fraterculos, Lib.1.

Et alia quædam, quamuis hucusq; à me non uisa. Captus demũ à Cęsarianis ut autores sunt Caxtonus in auctario Polychronici, cap.19. & Fabianus in suo chronico, anno Christi 1433, uitæ finem accepit: sed quo mortis genere, non lego.

ROBERTVS HOVNDESLOVV. LXXXVII.

Robertus Houndeslovu, in pago eiusdem cognominis à Londino nõ procul oriundus, & illic in cœnobio à puero nutritus, ordinis quem uocant sanctæ Trinitatis de redemptione captiuorum, minister in Anglia, Scotia & Hybernia, prouincialis fuit. Iste ab ipsa ineũte ętate literis melioribus addictus, ad altiora studia semper anhelabat, donec accrescentibus annis in uirum euaserit eruditum. Excusserat quidem insigni diligentia philosophorum ac rhetorum forulos, diuitemq; inde supellectilem domi forisq; corraserat. Quam ne inutiliter aut obscurè sibi uni ingratus retineret, rem Epistolariam faciliorem ea redidit, ac declamandi artem cęteris cõmonstrauit. Porrò in gratiam posteritatis edidit,

Epistolas ad diuersos, Lib.1.
Sermones synodales, Lib.1.

Plura adhuc alia ab eo conscripta esse crediderim: at hæc sola ad oculos peruenerunt. Claruisse fertur hoc tempore, quo rex *Henricus sextus, in primario* templo *Lutetiæ*, ab Henrico Cardinali Vuintoniẽsi, Francorum rex *coronatur.*

THOMAS VVALSINGHAM. LXXXVIII.

Thomas Vualsingham, patria Nordouolgius, sed ad Albani fanum Benedictinorũ ordinis monachus, ac pręcentor eiusdem cœnobij, homo in historijs colligendis, Lelando teste, studiosus atq; diligens erat. An precio (inquit) ad id conductus fuerit, an suo marte hoc egerit, nescio. Duas historias, unam breuem, alteram quidem longiorẽ posteritati tradidit. Primam inchoauit ab anno Christi 1273, & in anno illius 1423 finiuit, quæ continet cẽtum ac quinquaginta annos. Alteram ab irruptione Normannorum, usq; ad ad principium regni Henrici sexti Anglorum regis, cui opus illud dedicauit, & habet plusquam 356 annos. Hæc sunt ex fasci rerum Britannicarũ Guilhelmi Hormanni, & ex Lelandi catalogo desumpta. Lubet nunc horum atq; aliorum eius operum inscriptiones in medium adferre. Congessit enim ex aliorum historijs,

De gestis Anglorum, Lib.1.
Historiam breuiorem, Lib.1. *Anno gratiæ 1273, qui est annus.*
Auctarium Polychronici, Lib.1. *Hoc anno, quinto die Iunij apud.*
Acta regis Henrici sexti, Lib.1.

Hæc sola sunt, quæ ex eius scriptis adhuc manent. Auctarium incipit ab anno Domini 1342, & finit in anno Domini 1417. habetq; rarissimas historias, & à nullo alio scriptas. Claruit anno à diuini uerbi incarnatione 1440, sub Henrico sexto.

IOANNES TYLNEY. LXXXIX.

Ioannes Tylney, Carmeliticam togam accepit Gareni, ut Lelandus scribit, uulgo Iernemuthæ: ubi & cœnobiarchatum non sine magna sui celebritate nominis gessit. Est autem Garienum littoralis Nordouolgiæ

ciuitas, in ipsis Gareni fluminis ostijs, à quo uocabulum sumpsit, commodè sita. Locũ uerò studiorũ suorũ nobiscũ communem (sic Lelandus habet) Grantã Giruiorũ, seu Cantabrigiã habuit: ubi non leuia fœlicioris ingenij signa inter bonarũ artiũ professores, partim docendo, partim disputando, partim etiã scribẽdo, ostendebat. Exquisitis enim lectionibus, et nouo quodã cõcionandi per scripturas genere usus esse perhibet, illæsa manẽte semper (quod magnum est dicere) inter tot humanarum doctrinarum sordes, Dei ueritate, mundo misericorditer per Christum oblata. Nam in commentario super Apocalypsim, Gratiam ille uocat, gratuitam in Christo peccatorum remissionem: & Pacem, apud Deum patrem in eius morte reconciliationẽ: sicq; in ipso toto procedit opere. Magisq; piè in multis sensit, quàm sectariorum ante suos dies ullus. Quippe exarauit

Postillas in Apocalypsim,	*Lib.1. Septem ecclesijs in Asia specialiter.*
Compendium Sententiarum,	*Lib.1. Vtrum secundum naturam diuinam.*
Sermones 44.	*Lib.1.*
Lecturas scholasticas,	*Lib.1.*

Extabant & alia eius scripta, cordatæ eloquentiæ indicia, à quibus doctrinæ genus & pectus Christianum in homine isto æstimare licebit. In precio fuit, ne tempora ipsa ignores, anno à Christi seruatoris origine 1430, Henrico sexto in Anglia regnante.

APPENDIX.

Gregorio Morgensterno teste (ut Illyricus habet in Catalogo) monachorum hypocritica superbia, suis uestibus, uotis, & religionibus, multa hac ætate tribuebat, cum tamen essent omni scelerũ genere contaminatissimi. Iactitabant se cæteris esse ex suis patronis sanctiores. Benedictini suum Benedictum magnificabant, dicentes eum patrem fuisse monachorum in Occidente, & eius sectatores optimam elegisse cum Maria partem. Dominicani gloriabantur de suo Dominico, eúmque Christo in omnibus similem faciebant. Franciscani item mira de suo Francisco prædicabant, ut quòd in Luciferi locum ad cœlos sit assumptus, & quòd suis precibus purgatorium omni anno spoliaret. Eremitæ, Augustinum magnum ecclesiæ doctorem, et Carmelitæ Heliam Thesbitem sanctissimum Dei prophetam, suis habitibus uestiebant, eosq; suarum sectarum principes blaterabant. Et alij alios. Cum tamen iuxta Hieronymum, in mundo uniuerso non sit malo monacho peior bestia. Pro Augustinianis, à lepido quodam eius ætatis poeta, in persona D. Augustini editum fuit hoc distichon:

Mendici fratris indnti uestibus atris,
Augustinus ego nomen habere nego.

De Carmelitis uerò hanc legi in quodam Thomæ Scropi libro historiam. Notingamij apud Anglos, in Carmelitarum claustro, solennis imago D. Ioannis Baptistæ spectantibus exhibita fuit, in eorum habitu sculpta ac depicta. Occasionem cæpere factores ex hoc Christi dicto, Matth. 11. Ioannes ipse est Helias. Et ex his Angeli uerbis, Lucæ.1. Præcedet illum in spiritu & uirtute Heliæ: sed ineptè ac superstitiose. Vnde casu superueniens Elingamus quidam monachus Lentonensis cœnobij, quod oppido uicinum erat, atq; ea temeritate offensus, carmina quæ sequuntur edidit, & statuæ pedibus affixit, quasi sanctum ipsum alloquens:

Christi Baptista, uestis te non decet ista.
Qui te uestiuit fratrem, maledictus abiuit.
Nunquam Messias frater fuerat, nec Helias,
Non stat plebs læta, dum sit pro fratre propheta.
Si fratrem Ionam fingis, Giezi tibi ponam:
Ac Iebusæum, ne iungas his Helisæum. &c.

Barbaricè

Barbarice quidem, barbaris his uersibus mox respondebat eius loci Carmelita in persona ipsius (D. Ioannis:

Elngham mentiris, metris fatuis quoq; miris.
Atq; ea quæ nescis, sic astruis ut ea quæ scis.
Nam Deus est testis, decet hæc me candida uestis:
Plusquàm te pulla uestis, siue nigra cuculla.
Sum Carmelita meritò, sed tu Giezita.
Ac frater fictus Benedicti, non benedictus &c.

In spiritu liuoris ac superbiæ, hypocritæ per illos dies sese mordebant inuicem. Neque pax impijs ipsis certa aut firma unquam erat, nisi cum conuenirent aduersus Dominũ & eius ueritatem. Hic multa essent de Dominicanis ac Franciscanis dicenda, nisi aliò pertraherer.

RICARDVS FLEMMYNGE. XC.

Ricardus Flemmynge, uir illustris quidem genere, sed literis atq; amore in patriã multo illustrior, in nostro Catalogo non infimũ petit locum. Oxonij primùm in scholis publicis, cum Nicolao quodam Pontio ueritatis aduersario, in quadam Euangelij causa, quam Vuicleuisticam tunc nominabãt, pias hic habuit lites. At quò tandem ex ea disputatione deducta res sit, nescio: sed ex 12 censoribus illis malis, aduersus Vuicleui pijssima scripta fiebat unus. Postea doctor & episcopus Lincolniẽsis per regem factus, collegium Lincolniense dictum, nõ paruo sumptu instituit. Tandem uerò ad conciliũ generale anno Domini 1424 Senis in Hetruria celebratum missus, coram Martino quinto Rom. pontifice in eadem synodo protestationem fecit, contra Hispanos, Scotos, & Gallos,

Super Angliæ etymologia, Lib. 1. *Hispani contemptibiliter nos ab Ang.*
Orationes in eodem concilio, Lib. 1.

Feruntur & alia, quæ mihi tamen nota non sunt. Claruit anno ab exorta salute Christianorum 1430, Henrico prædicto regnante. Quo in anno Ioanna Damprema, aduersus Anglos armata puella, ab Anglis capitur, & magiæ damnata Rothomagi exuritur.

IOANNES LOVVE. XCI.

Ioannes Lovue, in Vuigorniẽsi comitatu natus, & Augustinianę professionis in Vuichiensi collegio fraterculus, à teneris annis, Lelandi testimonio, bonarum artium uel studiosissimus fuit. Maturioribus uerò annis publicas academias percelebrauit, unde & nomen dignitatemq; facilè adeptus est: usq; adeò, ut in doctorum relatus numerum, hominibus sui ordinis, quorum numerosa societas erat, Londini & in tota Anglia meritò præficeretur, & famam suam, alioqui satis notam, notiorem redderet. Augustiniani quippe illum magnificè prædicant, opuscula scripsisse quædam purgatis auribus digna. Illud interim mihi constat, fuisse eum longè diligentissimum ueterum exemplariorum exquisitorem. Bibliotheca enim, quam magnificam Londini in suo instituit collegio, fidem in hac parte meam uehementer comprobat. Anglorum rex Henricus sextus, huius cùm literas tum uirtutes tam magni fecit, ut eum primo fani Asaphi, inter Eluium & Clutam, celebres fluuios, siti episcopum designaret, deinde & pontificatum Roffensem superadderet. Congessit ille

Sermones coram rege, Lib. 1.
Conciones per annum, Lib. 1.
Lecturas ordinarias, Lib. 1.
Temporum historias, Lib. 1.
Disputationes theologicas, Lib. 1.

Non-

Nonullaq; alia scripsisse fertur: sed ego ab illo amplius editum legi nihil. Legi tamen, claruisse eum anno à Christi seruatoris incarnatione 1436, & Londinensem sui ordinis bibliothecam præclaris librorum monumentis ornasse. Roffęq; demum in sua ecclesia sepultus creditur.

THOMAS RINGSTEDE, IVNIOR. XCII.

THomas Ringstede, iunior, & alius à prædictio Ringstedo Dominicano atque episcopo, decretorum doctor & uicarius, ut uocant, de Myldenhale in Sudouolgiæ comitatu, post studiorum labores inibi remansit. Nunquam satis admirari possum, hominem in seculo tam barbaro, atq; in Papalium decretorum cœno ac sordibus ab adolescentia nutritum & educatum, diuinæ prædicationis officio tam feruenter incumbere potuisse. Impedimenta ex omni parte erant, scilicet episcoporū tyrannis, monachorum morsus, hypocritarum inuidia, plebis ingratitudo, hæresis nota, & his similia multa. Sed talis est semper immensa Dei misericordia ac benignitas, ut in medijs malorum omnium uoraginibus, atque in omni societate & secta tales præcones excitet, qui ad Agni nuptias fideliter inuitent. Composuit noster Thomas, ut etiam post mortem prædicet,

Sermones de tempore, Lib.1. *Factus est sermo Domini ad me.*
De festis sanctorum, Lib.1. *Dies Dominica ab hora, diei sab.*
De communi sanctorum, Lib.1. *In ista rubrica duo notantur.*
In commemorationibus, Lib.1. *Beatæ Mariæ commemoratio præ.*

Edidit & glossas Epistolarum ac Euangeliorum per totius anni circulum. Quòd autem Zizania cum tritico, cum puro Dei uerbo humanas inuentiones interdum seminauerit, temporis infelicitati tribuendum est. Claruit anno Domini 1440, sub Henrico sexto.

IOANNES FELTON. XCIII.

IOannes Felton, qui Homeliarij uel concionatoris à uulgo cognomen accepit. Magdalenensis collegij socius, ac theologicæ professionis doctor, Magdalenęq; extra urbis muros uicarius, rerum tam diuinarum quàm naturalium, Lelando narrante, studiosissimus semper erat. Scopus (inquit) ad quem & oculos & animum intentus dirigebat, non alius erat, quàm ut Isiacam plebem frequenti concione, à uitiorum sordibus ad uirtutis munditiem rectè perduceret. Hoc etiam ad cumulum candidus, idemq; pius adiecit, uidelicet Homelias, quibus ad *pietatem perpetuò colendam,* Isiacos, *eruditos quidem,* Isiacus & ipse, modis omnibus incitaret. Postremò collectione facta, easdē posteritati rectè consulens, in uolumē *redegit,* quod & publicū fecit. Hæc Lelandus. Vt igitur ad librorum eius titulos me conuertam, edidit Feltonus per totum annum,

Sermones Dominicales 56. Lib.1. *Penuria studentium in materia mordi.*
Alphabetum theologicum, Lib.1. *Accidia aduersatur hominum saluti.*
Lecturas scripturarum, Lib.1.

Et alia quædam. Alphabeticum opus, ex lingua, luce, oculo, corde, coloribus, uenenis, & alijs Roberti Lyncolniensis opusculis collegit. Claruit uir planè pius ac sanctus, anno salutiferi partus 1446, sub Henrico prædicto.

NICOLAVS BOTLESHAM. XCIIII.

NIcolaus Botleshā, ex Carmelitarum sodalitio uir non contemnendi nominis, in Elygensi diœcesi, sed Cantabrigiæ comitatu *ortus* Grantæ Giruiorum (inquit Lelandus) seu in ipso Cantabrigiensi gymnasio, philosophiæ ac theologiæ operam dedit. Tantum laborem etiam *fœlicitas* est

secuta.

secuta. Proinde & ipse uirtutis incremēto studens, Lutetiā Parisiorū bonis florentem literis, petijt. Ac tandem, Sobonicus factus, intellecto eius inter disputandum acumine, theologi titulo insignitus est. Postremò Cantabrigiam denuò rediens, famam extendit suam, editis uariarum rerum opusculis. Hæc enim sunt quæ Lelandus de Botleshamo tradit. Sed & nūc quid ille scripserit, accipito. Composuit nempe,

Commentarios Sententiarum,	Lib. 4. *Circa primam patrem prologi.*
Quæstiones theologiæ,	Lib. 1. *Circa dubitationem primam.*
Tabulare studentium,	Lib. 1. *Ad utilitatem studentium hæc.*
In cantica Rideuallis,	Lib. 1. *De commendatione Aaron, aliqua.*
Conciones & Lecturas,	Lib. 1.

Præter hæc nihil opusculorum eius in bibliothecis hucusq; uidi. Cantabrigiæ tandem uitæ finem accepit, anno ab aduentu Seruatoris in carnem 1435. & in suorum fratrum cœnobio, ubi præposituram multis annis gessit, sepultus est.

THOMAS RVDBVRNE, IVNIOR. LXXXXV.

THomas Rudburne, alter à priore Rudburno Meneuēsi episcopo, atq; illo iunior, monachus Vuintoniensis, in nouo cœnobio quod Hidam uocabant, monasterialibus institutis uacabat: in quibus cum pedem satis promouisset, alia restabat cura, nempe ut eruditis animum exornaret artibus. Et unum erat, quod inter studia non leuiter curauit, uidelicet ut seriem & tempora rerum gestarum memoriæ commendaret. Nam historiam multum ad ciuilem pertinere uitam, non malè iudicabat. Calamum igitur exeruit, aliorum imitaturus in scribēda historia industriam. Et quoniam res gestas Angliæ, magis quàm exterarum gentium, diligentem desiderare uidebat scriptorem, eas tanquam optimè sibi cognitas, in primis ab iniuria obliuionis uindicandas esse censuit. Quid multis opus est uerbis? Historiā nostræ gentis fœliciter inchoauit, & consummauit, ex scriptis Gildæ & Bedę, atq; ex libris Rudburni senioris, Ioannis Langdeni, Galfridi Monumetensis, Gualteri Oxoniensis, Henrici Huntingtonensis, Matthæi Parisij, & aliorum, de regibus, episcopis, & baronibus, à Bryto Iulio usq; ad 18 annum Hērici tertij: quam uocabat

Breuiarium Chronicorum,	Lib. 1. *Multi nobiles, ac pietatis studio.*
Chronicon maius,	Lib. 1.
De rebus Hidensis cœnobij,	Lib. 1.

Et alia quædam edidit. Ioannes Rossus, Vuaruuicensis, magnus historiarum & antiquitatis amator, non modo Rudburni huius testimonia citat: uerū etiam scribit se illius aliquando præsentia fuisse usum. Claruit anno incarnati Messiæ 1480, sub Eduuardo quarto Anglorum rege.

IOANNES HOLBROKE. LXXXXVI.

IOannes Holbroke, alias Holebrocus, in Surrię comitatu, ut fertur, oriundus, philosophus quidem eruditus, mathematicæ artis instituta, Lelando teste, summa prosecutus est cura. uir erat ingenio magno præditus, & qui ex his artibus atq; alijs exercitationibus literarijs, post certas probationes, non leuem sibi apud Anglici regni primores ac magnates existimationem peperit. Sed num Stantoni, insignis etiam mathematici synchronus fuerit, non temerè pronunciare se uelle, idē fatetur Lelandus. hoc interim tamen certissimum esse dicit, scripsisse illum inter occupationes suas nō inutiles, idq; accuratissime, mediorum motuum & æquationis dierum,

Nouas tabulas,	Lib.1. *Quoniam cœlestium motuum &c.*
Canones Astronomicos,	*Lib.1. Gloriosus atq; sublimis rerum.*
Super Alphonsi tabulas,	Lib.1.

Et alia plura, mihi nihilominus ignota penitus. In ultimo suo opere, Alphōsi prædicti tabulas, ad annos Christi, atque ad menses, dies, & horas artificiose reduxit. His autem temporibus fertur claruisse.

PETRVS PAYNE. LXXXXVII.

PEtrus Payne, Oxonij donatus artium professione, Ioannis Vuicleui ac discipulorum eius, in syncera doctrina ueritatis constantissimus sectator & discipulus fuit. Quippe qui ob persecutiones graues, quæ tūc in Anglia per Antichristos fiebant, sibi non parum metuens, celeriter in Bohemiam profugit. Vbi inter Hussitas non paruo tempore antesignanus (nam plurimum disputandi acumine ualebat) ingentem telorū uim ex ueterum authorum armarijs desumpserat, quibus Papistas nō rarò, & per elenchos, propria ipsorum arma, feriebat. Vnde apud ipsos Pragēses, pro puro Euangelij assertore & interprete acceptus fuit: ut in descriptione Europæ Aeneas Syluius habet, & in 49 cap. historiæ Bohemorum. Ad Basiliense nempe cōcilium, anno Domini 1436, inter primos eorum legatos & illum designabant: ubi de rebus fidei per quinquaginta dies cum illis disputatum est. Scripsit uerò Petrus ad illud concilium,

De temporali dominio cleri,	Lib.1. *Hæc sunt uerba, quæ hesterno die.*
De prædestinatione & arbitrio,	Lib.1.
Contra cæremoniarum abusiones,	Lib.1.
Pro utraq; Sacramenti specie,	Lib.1.
Concilium esse supra Papam,	Lib.1.

Nonnullaq; alia. Vuicleuum & Hussum à doctrina laudabat, nec est ueritus in publica synodo Euangelicos doctores uocare. Pragam postea cum suis demum redijt, anno à Christi nauitate 1438. Contra istum Petrū scripsit Ioannes de Turre cremata, Dominicanus, Cardinalis Hispanicus, librū de efficacia lustralis aquæ.

NICOLAVS VPTON. LXXXXVIII.

NIcolaus Vpton, iuris consultus, Cæsarum ac pontificum Romanorū decreta, exquisita quadam legebat, excutiebat, ac ediscebat industria: sic eius in Catalogo facta Lelandus describit. Tandemque constitutus (inquit) Sarisburianæ ac Vuellanæ ecclesiæ Canonicus, statim ad scribēdum aliquid animum incunctanter appulit. Erat tunc temporis in precio Hunfridus dux Claudianus, aliàs Glocestrius, literatorum decus planè maximum: cui & Vptonus eruditionis nomine gratus fuit. Cliens igitur Nicolaus factus, & iustam gratulandi patrono tam magnifico quærens occasionem, uarios de uera nobilitate, ac de fortium uirorum illustribus factis, quosdā concinnauit libros, scilicet

Leges fœciales,	Lib.1. *Summum opificem, qui est Alpha &c.*
De officio militari,	Lib.1.
Delineationes armorum,	Lib.1.
De colorum insignijs,	Lib.1.

Et alia quædam, nobilium uirorum lectione non indigna. In eo enim libro, qui ultimus est, de insignibus Anglicorum heroum plenissimè tractat. Claruit anno à diuini uerbi incarnatione 1440, sub rege Henrico sexto.

GVILHELMVS BECKLEY. LXXXXIX.

GVilhelmus Beckley, Sandvuici Cantiorũ oppidi Carmelita, & eius cœnobij præses, suo seculo theologus habebatur insignis. Sandvuicus autem, uel Sabulouicus, portus est marinus, quò naues accedere solent, ad Caletum uel Boloniam, Gallici littoris oppida, 30 millium passuum iter in Gallias habens per mare. In famigerabili illo literatorum hominũ gymnasio Cantabrigiensi, Becklæus adhuc iuuenis, & sciendi desiderio tactus, humanis artibus ac theologiæ multis annis studebat: ubi publico tandem magistrorum suffragio, post magnos studiorum labores, Lelando teste, in societatem scholasticorum theologorum meritò est accitus. Tum ille ingenij sui periculum uehemẽtissimè facere cupiens, Battologico ac sophistico more edidit,

Quodlibeta quædam,	*Lib.1. Vtrum aliqua sit hierarchia.*
De fraterculorum decimis,	*Lib.1. Quòd fratres beatæ Mariæ de.*
Quæstiones ordinarias,	*Lib.1.*
Conciones quoq; uarias,	*Lib.1.*

Aliorum eius opusculorum si quæ sint, tituli non uenerunt in lucẽ. Postremis uitæ annis, præfatum Sandvuicum incoluit, & illic in sui ordinis collegio moriens, anno à salutis nostræ initio 1438, sepulturam accepit, sub Hẽrico sexto.

IOANNES TORPE. C.

IOannes Torpe, ex Nordouicensi Carmelitarũ cœnobio sophista subtilissimus, post longa uariarum artiũ ac peregrinarum doctrinarum studia, supremo rabbinatu, Cantabrigiæ à magistris donatus erat, ut esset aduersus Dominum & eius ueritatem inexpugnabilis miles. Dialecticis chimeris & hæcceitatibus, à suo Aristotele, magni laboris precio comparatis, quibusdã simplicibus uiris, ac pijs Christi famulis Vuicleui sectatoribus, atrocia intulit bella. Patebat hoc in Guilhelmo Vuhyto, & in alijs diuini uerbi ministris, in quorum damnationes ac mortes, infœlix aduersarius consentiebat. A' quibus actionibus, in splendidi triumphi memoriam, doctoris ingeniosi cognomentum accepit: debebatq; id post mortem, in eius marmoreo tumulo, ęneis literis Epitaphij loco notari. Plura composuit fanaticus impostor, quorum hæc pauca Arnoldus Bostius in suo ponit Scriptorum catalogo, scilicet

Consequentiarum regulas,	*Lib.1.*
Sophismatum labyrinthos,	*Lib.1.*
Lecturam in Apocalypsim,	*Lib.1.*

Aliaq; edidit. Ex quinq; cælibibus, seu castis eunuchis, unus hic erat, quos Vualdenus, qui ministrorum coniugia in Vuhyto damnauerat, tutores & commonitores Emmæ inclusæ sorori dedit. Nordouici obijt anno Christi 1440, undecimo Augusti, sub Henrico sexto.

APPENDIX.

Ex Chronico Ioãnis Carionis: *Ab anno Domini 1431, usq; ad annũ 1447, ubiq; docti et indocti pariter disputãt, sit'ne pontifex Cõcilio, aut conciliũ pontifici subiectũ? Quos Papa anathemate notauit.* Ex Illyrici Catalogo: *Iulianus Cæsarinus S. Angeli Cardinalis, qui anno Domini 1434, Basiliensi Concilio præfuit, in quadam epistola ad Eugenium quartum, probat, generale concilium esse supra Papam. Queriturq; de corruptissima cleri uita: ac Papam monet, debere illum non arces & opes, sed Domini gregem custodire.* Ex Funccij Commentarijs: *Huius tamen Iuliani Cardinalis instinctu, Vladislaus Vngariæ rex, miserabilẽ accepit cladem. Inito enim pacis fœdere cum Amurathe*

Turcarum rege, dicebat Iulianus, id non debere fieri sine consensu Papae. Qui Cardinalem audiens, uiolata fide, in eum exercitum ducit, & statim debitas persoluit rupti foederis poenas. Iunctis enim copijs, cum maximo Christianorum detrimento, uterq; & rex & Cardinalis, ferro perimitur. Ex Christiano Massaeo: Basiliense Concilium citauit Eugenium Papam, ut responderet super criminibus sibi obiectis. Contempsit minas Basiliensium, contendens authoritatem Pontificiam generali concilio praestare: & synodum conuocauit Ferrariam. Vbi statim pestis ita desaeuit, ut cedere cogerentur, et ire Florentiã. Ex Volaterrano: Sub hoc Pontifice, Francisca, Romana matrona, claruit prodigijs & sanctitate. Nam uoluptatem inuiti coitus, ardente supra uuluam larido reprimebat. Quam Iulius secundus, in sanctorum Catalogũ retulit. Ex Illyrici Catalogo: Anno Domini 1435, Martinus Meier, Moguntinensis archiepiscopi cancellarius, & alij multi in Germania, primatũ Papae damnarũt. Conqueritur satis lugubriter uir ille bonus, beneficia nõ plus merentibus, sed plus offerentibus dari: milleq; artes excogitari, quibus Christiani à Papa exhauriantur. Germaniã olim florentem ac rerum dominam, ita à Papa tunc expilatam, decaluatam, & in seruitutem redactam dicit, ut paupercula sub tributo fleat, ac lugeat. Quare affirmat, tunc principes Imperij cogitasse de excutiendo penitus Papae iugo.

Appendix alia.

Ex Marco Sabellico, En. 10. lib. 5. Minoritae in duas factiones his diebus abierunt, ita ut pars una Obseruationis, altera à conuentu iam inde dici coeperit. Eandem consuetudinem sunt in Italia secutae & aliorum Mendicantium sectae. De Carmelitarum uerò obseruantium et non obseruãtium contro uersijs, Baptista Mantuanus decimam Aeglogam fecit:

Maxima pastores agitat discordia, Bembe,
Qui Solymos colles, Galilaeaq; rura colebant.

Ex Illyrici Catalogo: Thomas Rhedonius, Carmelita, Gallus, in ducatu Britanniae natus, celebris, Antonino teste, concionator, floruit circa annum Christi 1430. Is inter concionandum per Galliam & Italiam, solitus erat dicere ac docere, Romae magnas abominationes fieri: ecclesiam magna reformatione indigere: & quod praelati deposito fastu ac luxu, deberent modestius instar Christi & Apostolorum uiuere, iniustasq; Papae execrationes non esse timendas. Ob hasce grauissimas haereses, & in Papatum blasphemias, curauit eum Antichristus Eugenius quartus, Romae anno Domini 1436 exuri. De sacerdotum quoque coniugio piè sensit hic Thomas, dum scripsit, in salutem esse multarum animarum, si continere non ualentes, nuptijs uti Graecorum more permitterentur. Cum essent tunc immundi, & illicito coitu macularentur: ubi cum uxore propria castitas esset, &c. Antonini testimonium de hoc Thoma, par. 3. tit. 22. cap. 10. Quidam (inquit) Carmelitarum ordinis, magnus praedicator, natione Gallicus, quum pluribus annis per Franciã praedicasset cum maximo populorum concursu, magnas faciens commotiones in bonum, etsi non secundum scientiam (Papismum intelligit) ad urbem ueniens cum oratoribus Venetorum, qui affectuose eum Pontifici recommissum faciebãt: captus ad instantiam Cardinalis Rothomagensis (Guilhelmi de Estouteuilla) tunc uicecancellarij, & procuratoris ordinis ipsius Carmelitarum fratris (Natalis Veneti) pro haeresibus praedicatis examinatus (sic diuini uerbi ministros dupliciter honorant) & ut relapsus conuictus ac degradatus solenniter, ad ignem adiudicatus, consumptus est.

Appendix alia.

Ex Baptistae Mantuani libro, de Vita beata, cap. ultimo: Thomas quidam Gallus, qui pristinum fidei feruorem adhuc in pectore fouebat, cum paucis in Italiã se contulit. Sic enim Deo uisum est, ut ea regio, quae caeteris omni munere praestat, hoc etiam uirorum habeat ornamentum. uerum nõ solum Italiae, sed etiam uiro sancto Deus ipse consuluit. Illi enim dedit, cuius uitam possit imitari: isti uerò, purpurei diadema martyrij. Nam dum bene beateq; uiueret, à quibusdam inuidis, apud summũ Pontificem captus accersitur. Et post carcerem, post tormenta, post cruciatus, tandem quum nihil damnabile reperissent, grauius inuestigarunt: quod iure nõ potuerunt, iniuria perficere fortiter accinguntur, & comburendum scelerato rogo cõmiserunt. Ah, quò prorumpis efferate liuor? Sed tamen illũ

non occi

non occidisti: nequit enim anima extingui. Sed illius terrenum corpus uiolando, fecisti, ut citius uita donaretur æterna. Huius flammas, non Scæuolæ rogo, sed Laurentij posse comparari, non dubito. Dicant quicquid uelint: obstrepant, clamitent, & insaniant: ille summo uiuit Olympo. Sed multa de hoc uiro, silentio præterivi, &c.

Carmina quædam in eius laudem, in Nicolai Harlemensis collectionibus reperta.

Claustra Thomas Gallus, primus qui lapsa reformat,
 Carmeli gregis, heu cadit immeritò.
Compulit hunc feruor, Domini conspargere semen,
 Exitium uitijs uita modesta dabat.
Dogmata præconis, miracula concomitantur,
 Illum quæ doceant pectus habere pium.
Quantum sic populum Zabuli de dentibus egit,
 Et uita & uerbo, credere nemo potest.
Lippis lux oculis nocuit: non sustinuere
 Viuere tam sanctum fœda Romana cohors.
Sistitur hæreseos, fictus quòd sitq; sacerdos,
 Eugenio Papæ, & friuola quæq; patent.
Instituit sacris antistes hunc Rhedonensis,
 Testis apud Gallos publica fama uolat.
Sordida Roma Thomam Papa sordente petebat,
 Flamma sorbendum, quamq; tyrannus alit.
Vrget ad hoc primas Guilhelmus Rothomagensis,
 Cardinei cœtus. Sic perit innocuus.
Perstitit igne Thomas, constanti pectore firmus,
 Quod Christi exemplo uiuere clerus habet.
Eugenius memorans tandem, quòd insidiosa
 Morte uiri, fuerit credulus ipse malis:
Ingemuit crebrò, uir quòd tam sanctus obisset,
 Hoc quoq; præ cunctis conqueritur abiens.
Non nocuit flamma ista Thomæ, sed martyrium dat,
 Immortalis ei parta corona manet.

Accedit hoc distichon:

Post tormenta pius (sibi dant quæ carcer & ignis)
 Martyr ad æthereas conuolat ille domos.

CENTVRIAE SEPTIMAE SCRIPTORVM BRYtanniæ Finis, authore Ioanne Baleo.

IOANNIS BALEI SUDOVOLGII ANGLI, DE SCRIPTORIBUS BRYtanniæ,

CENTURIA OCTAUA.

IOANNES CAPGRAVE. I.



IOANNES Capgraue, in Cantiorum comitatu natus, & Augustinianorum omniū doctissimus, quamprimùm esset indagatricis rationis capax, pro uitæ suæ methodo, eorum fratrum institutū assumpsit. Is uerò uel ab ipsa pueritia libris perinde ac concha suis scopulis adhęrens, ita sensim literis profecit, ut post adeptum Oxonij doctoratum, prouincialis suę familię gubernator efficeretur. Philosophus enim ac theologus illa ætate pręcipuus erat, ingenio etiam atque eloquio summo clarus. Scripturas diuinas unicè amabat, sophistarum somnijs parum aut nihil tribuens, quum sciret ex illis non alia generari, quàm rabiosas lites, & inutilium rerum quęstiones. Aduersus prælatorum petulantias atque impias tyrānides detonare solitus fuit, dicēs: Quòd immodicè suas dilatauerint fimbrias, laudem aucupantes apud imperitā multitudinē. Item quòd nō pastores, sed mercenarij, lupis exposuerint oues, lac & lanam quærentes, non animas. Hos patriæ prædones appellauit, ac malos operarios: ut quibus ueritas fuerit oneri, ius cōtemptui, crudelitas delectationi. Illum ergo præ alijs multis elegit pijssimus eius tēporis princeps, Hunfridus Glocestriæ dux, illustrissimi Henrici quinti Anglorum regis frater, ut sibi interdum esset à conscientiæ colloquijs. Ita, ut quoties de animæ cura sapientissimus Dynastes cogitaret (frequentissimè autem cogitabat) toties literatissimi Capgraui prudentissimo consilio uteretur. Porrò nullus fuit ex Augustinianis scriptoribus, quos nostra produxit Britannia, cum illo unquam per omnia conferendus. Sunt hæc planè illustria eius doctrinæ testimonia, inter alia multa quæ in pulcherrimis uoluminibus ipse orbi scripta reliquit. Primitùs in gratiam sui Mecœnatis Hunfridi edidit

Commentarios in Genesim,	*Lib.1. Arduum namq; & supra uires est.*
Super Exodum,	*Lib.1. Quia historiam quam hic prosequi.*
Super Leuiticum,	*Lib.1. Occultissimorum mysteriorum sunt.*
Super Numeros,	*Lib.1. Ex Nicolao de Lyra super libro.*
Super Deuteronomium,	*Lib.1. In hoc ultimo libro Moysi, qui.*
In Historiam Iosuæ,	*Lib.1.*
In Iudices & Ruth,	*Lib.2.*
In uolumina Regum,	*Lib.4. Quòd in Regnorum libris iam.*
In Psalterium,	*Lib.1. Beatus uir qui non abijt in consilio.*
In Ecclesiasten,	*Lib.1.*
In Esaiam prophetam,	*Lib.1.*
In Danielem quoq;,	*Lib.1.*
In 12. Prophetas,	*Lib.12.*
Super quatuor Euangelia,	*Lib.4.*
Super Epistolas Pauli,	*Lib.14. Domino suo honorabili Hunfrid.*
In acta Apostolorum,	*Lib.1. Reminiscor sancte antistes, quanto.*
In Apocalypsim Ioannis	*Lib.1. Venerabili Domino suo in Christo.*
Manipulum doctrinæ Christianæ,	*Lib.1. Inter cætera ocij mei secreta.*

In Epistolas Canonicas,	Lib.7.
De fidei symbolis,	Lib.3. *Quoniam psalmographus ait, se.*
De nobilibus Henricis,	Lib.3. Henrico *Dei gratia regi Angliæ &c.*
De sequacibus Augustini,	Lib.1. *Testatur Græcorum ille eloquentis.*
Catalogum sanctorum Angliæ,	Lib.1. *Sancti patres qui priscis fuere.*
Super Sententias,	Lib.4.
Determinationes theologiæ,	Lib.1.
Ordinarias disputationes,	Lib.1.
Ad positiones erroneas,	Lib.1.
Orationes ad clerum,	Lib.1.
Sermones per annum,	Lib.1.
De illustribus uiris August.	Lib.1.
Vitam Hunfridi ducis,	Lib.1.
Lecturas scholasticas,	Lib.1.
Epistolas ad diuersos,	Lib.1.

Atq; alia plura scripsit. Maiorem Bibliorum partem commentarijs magnis illustrasse à suis dicitur. Quòd uerò superstitiones interdum fouerit, sui temporis infœlicitati tribuendum est. Lynnæ tandem Nordouolgiæ oppido uita decesit, 12 die Augusti, anno salutis humanæ 1464. & ibidem inter Augustinianos sepultus fuit, sub Edvuardo quarto.

HVNFREDVS DVX GLOCESTRIVS. II.

HVnfredus, cognomento Bonus, regum Anglicorum Henrici quarti filius, quinti frater, ac sexti patruus: Penbrochiæ comes, Glocestriæ dux, cubicularius & administrator tum demum Angliæ supremus fuit. Ado lescens optimæ indolis, Oxonij in Balliolensi collegio diligentissimam nõ modò eloquentiæ, uerumetiam naturalium rerum cognitioni adhibuit operam. Vir autem postea maturus annis, adeò pristino studiorum ardori remisit nihil, ut illum etiam inter aulæ strepitus, & belli *insanos tumultus*, insigniter auxerit. Excoluit uniuersum chorum candidus eruditorum sui temporis: quos uel Britannia, uel Gallia, uel Italia produxit. Nec quenquam literatum unquam ad se uenientem, non egregiè donatum, Mecœnas *unicus*, dimisit. Vnde comparatis ex Italia & Gallia ueterum librorum thesauris, Bibliothecã infiniti splendoris Oxonij inchoauit, collocatis codicibus 129, sed selectissimis. Impẽse fauebat Italis, Leonardo Aretino & Petro Candido, acerrimum in eis cum summa eloquentia iudicium meritò magnifaciens: quorum unus Aristotelis Ethica, alter Politias Platonis, è Græcis ad eundem transtulit. Dum uerò ad reipublicæ utilitatem, uir seuerus ac ciuilium iurium peritus, noxios acriter plectendos, piosq; fouendos curaret, adeò sibi conflauit scelestissimorum hominum, maximè prælatorum, odia, ut in occultam eius conspirauerint necẽ. Composuit inter cætera, pius atq; eruditus princeps, in Astrologia,

Tabulas directionum,	Lib.1. *Effectus planetarum & operatio.*
Ad abbatem D. Albani,	Lib.1. *Meditantibus nobis nuper quàm fugax.*
De sua donatione,	Epist.1. *Cum Dominus rex per literas suas.*
Ad uiros eruditos,	Epist. plu.

Nonnullaq; alia fecit. A' Guilhelmo Polo Sudouolgiorum duce, atq; à suis complicibus, à Gallorum rege Carolo, & à prælatis Angliæ precio magno conductis, in Buriensi parliamento tãdem nocte comprehensus, puluinis suffocatur, anno incarnati Verbi 1447, & die 24 Februarij: atque in fano

Albani

Albani sepelitur. Boni (inquit Polydorus) ex hoc sibi timentes, sua sponte ex aula se remouerunt.

IOANNES VVHETHAMPSTEDE. III.

IOannes Vuhethampstede, aliàs Frumētarius, in Albani fano monachus, uir ad uariarum artium potius cognitionem, & antiquitatem è tenebris eruendam, quàm ad eloquentiam compositus, in precio fuit, regnante Henrico quinto Gallorum domitore. Solebat illuc non rarò diuertere, animi recreandi gratia, Hunfredus Glocestriæ dux, nobilitatis omnis atq; eruditionis Phœnix planè unicus. Porrò Frumentariū, eius tunc loci abbatem, ac solidæ eruditionis amatorem, amicum familiarem habuit: cuius tum industria tum liberalitate, in bibliothecis suis, non modò ornandis, sed augendis quoq;, usus est. Contendens idcirco deinceps abbas modis omnibus satisfacere boni principis expectationi de se cōceptæ, uetera undiq; exemplaria conquirere cœpit, atq; in numerum referre, deniq; Mecœnati dono dare. Addidit & ad cumulum, librum de uiris illustribus, à se elaborata quadam scriptum diligentia, quē illi dedicauit. Hæc enim ex Lelandi Catalogo sunt desumpta. Posteritatis memoriæ Vuhethampstedus commendauit,

De granis typicis,	Lib.5. *Abstinentia apud ueteres olim in tanta.*
Contra infidum fratrem,	Lib.1. *Post primæ præuaricationis pi.*
Declamationes quasdam,	Lib.1. *O uos omnes qui transitis per uiam.*
De hæreticis & eorum fautoribus,	Lib.1.
Historiam D. Amphibali,	Lib.1. *Si uelis Amphibali certamina.*
Epistolas ad diuersos,	Lib.1. *Inuariabili impermutabiliq; suo.*
Opus quoddam metricum,	Lib.1. *In cirræ ciatho pueris potand.*
Palearium poetarum,	Lib.1.
Pabularium eorundem,	Lib.1.
Manipularium doctorum,	Lib.1.
Declamationes metricas,	Lib.1.
Epistolarium quoddam,	Lib.1.
De illustribus uiris,	Lib.1.
De situ terræ sanctæ,	Lib.1.
Ordinationes suæ abbatiæ,	Lib.1.
Contra episcopum Norduicensem,	Lib.1.
Defensorium exemptorum,	Lib.1.
De gestis proprijs,	Lib.1.
Opus necessariorum,	Lib.1.
De omnium hominum officijs,	Lib.1.
Ad ducem Glocestriæ,	Lib.1.
Vitam D. Albani transtulit.	Lib.1.

Tabulauit que Ioannem Sarisburiensem, Petrum Blesensem, Valerium Maximum, Augustinum de Anchona, & Defensorium ecclesiæ. In Papiensi et Senensi concilijs orauit sub Martino quinto Rom. pontifice: & claruit anno à diuæ uirginis partu 1440, politæ eruditionis amator. persequebatur que demum à suis monachis.

ROGERVS ONLEY. IIII.

ROgerus Onley, in Occidentali, ut fertur, Anglici regni patria oriundus, & liberalium artium Oxonij candidatus, ex crebra Vuicleuicorū librorum

librorum lectione, in medijs Papistarum tenebris Christianè sapiebat. Vnde ob uitæ & doctrinæ integritatem, illum à concionibus atque à sacellis habebat Aleonora Cobhama, fidelissima coniunx Hunfredi Glocestriæ ducis & Angliæ gubernatoris. Ex quo facto, atque odio implacabili, quod in eius maritum habebant, incantationum & experimentorum Geomanticorum in regem & ecclesiam, pijssimam mulierem damnabant Antichristi, ut in suis Chronicis authores sunt Hardingus, Haulus, ac Fabianus. Clāculum postea, ut prædictum est, in Buriensi parliamento, anno Domini 1447, & ipsum nobilissimum ducem interemerunt. Cuius flagitij uindictam adhuc in posteris sentit Polorū splendidissima alioqui familia. Scripsit Rogerus,

Contra uulgi superstitiones,	Lib. 1.
De sua innocentia,	Lib. 1.

Num alia cōgesserit, nescio. Dum quædam aduersus papismum cum sua domina moliretur, perduellionis accusatus, Lōdini cum quibusdam socijs innocens strangulatur, anno ab incarnato Mesia 1442. corpusque eius quadrifariam diuiditur: pijssima ducissa in Monam insulam relegata.

NICOLAVS CANTILOVVE. V.

Nicolaus Cantilovue, aliàs Cantilepus, ex Cambria ortus, à Demetarū comitibus genus cōmune habuit cum Thoma Cantilepo, canonizato quidem illo Herefordensis ecclesiæ pontifice. A' cuius sanctitate (inquit Lelandus) adeò non degenerauit, ut accepta Bristollij in ipsa iuuentute ueste Carmelitica, non leue surgentis uirtutis specimen ostenderit. Insuper doctis artibus, & præcipuè theologiæ sacræ, tanquam uirtutem uirtuti accumulans, diligentissimam operam adhibuit. Studebat etiam mirum in modum, ornando suæ sectæ nomini. Tantum ille. Cantabrigiæ uerò in quodā Chronicorum uolumine reperi sic scriptum: Christophorus Cantilovue, filius Milonis, filij Grumbaldi comitis Demetiæ, genuit Ludouicum: qui Ioannem, qui Guilhelmum, qui Nicolaum Carmeli ordinis doctorem theologum, &c. Quoniam in eodem solenni gymnasio, post longa literarum studia, Nicolaus erat magnorū magistrorū ascriptus numero. Composuit ille,

In primum Sententiarum,	Lib. 1. *Omnia in sapientia fecisti Domine.*
Encomium sui ordinis,	Lib. 1. *Fratres Carmelitæ honesta conuer.*
Chronicorum epitomen,	Lib. 1. *Anno ante Christi incarnationem.*
Historiarum appendices,	Lib. 1. *Papa Innocentius tertius confir.*
Quadragesimales conciones,	Lib. 1. *Ecce nunc tempus acceptabile.*
Historiolam Cantabrigiæ,	Lib. 1. *Anno à mundi creatione 4321.*

Et alia plura. Cantilepus enim sui ordinis præpositurā diuersis locis ac temporibus gesit, Cantabrigiæ, Bristolli, Glocestriæ, Hunfrido duci notissimus: ac tandem Northamptonæ, ubi 27 die Septembris obijt, anno Christi 1441. Polydorus lib. 5. Cantabrigiæ describens originem, incertum authorem hunc uo cat.

HENRICVS VVICHINGHAM. VI.

Henricus Vuichingham, Nordouicensis Carmelita, uir fuit, ut ea tempora dabant, in theologia, tam interpretatiua per mysteriorum locutiones, quàm scholastica per apparentias demonstrationum, doctissimus. Oxonij (ut Lelandus habet) adolescens studebat: ubi tandem post longas in diuersis scientijs exercitationes, theologici doctoris nomine atque officio donatus est. Inter ueteres Ecclesiæ patres ac magistros, quos ipse frequenter legebat, D. Hieronymum Stridonēsem in delicijs habuit maximis.

Illum autē nocturna uersabat manu, uersabatq́ diurna. Vnde celebris euasit, non modò subtilium quęstionum disputator, sed & è suggestu quoq́ sermonum declamator. Summaq́ cum laude plures, nunc ad clerum, nunc ad populum conciones faciebat, licet non absq́ quibusdam imposturis & fabulis. Nonnulla tum demum ingenij sui monumenta literis commendauit, ut posteris essent usui: uidelicet hæc,

In Esaiam, lectiones 18.	*Lib. 1. Quoniam, ut ait Hieronymus super.*
In Apocalypsim, lect. 30.	*Lib. 1. Apertum est templum Dei in cœlo.*
Sermones hyemales,	*Lib. 1. Domine, salua nos, perimus.*
Sermones æstiuales,	*Lib. 1. Estote factores uerbi, & non au.*
Sermones de sanctis,	*Lib. 1. Gloria Libani data est ei, decor.*
De quadruplici aduentu Christi,	*Lib. 1. Saluatorem expectamus Dominum.*
De conceptione Mariæ,	*Lib. 1. An beata uirgo fuerit in origin.*

Cætera uerò illius scripta me latēt. Vidi tamen ex eius cōcionibus, plusquā 118, tam in synodis & capitulis, ut uocāt, q̄ etiā alibi prædicatis. Decessit tandem Nordouici 2. idus Martij, anno Domini 1447, sub Henrico sexto.

IOANNES LYDGATE. VII.

IOannes Lydgate, in Sudouolgiæ comitatu natus, & ad Eadmundi fanū Buriensis cœnobij monachus, omniū sui temporis in Anglia poetarum, absit inuidia dicto, facilè primus floruit. Tantæ enim eloquentiæ & eruditionis homo iste fuit, ut nunquā satis admirari possim, unde illi in ætate tam rudi, tanta accreuerit facundia. Didici tamen, post perlustratas Anglorum academias, Galliam & Italiam, discendarum linguarū gratia, petijsse illum. Vnde propositi tandem compos effectus, ex Padua & Lutetia in patriam reuersus, discipulos habuit multos, nobilium uirorum filios: quibus, lectionibus ac scriptis, plurimū profecit. Et quamuis esset artium omnium scientissimus, humaniores tamen literas, in quibus ab adolescentia sudauerat, ac poesim, aurium atq́ animorum oblectatricem, plus cæteris coluit, amauit, docuit. Subinde in uarijs metrorum generibus eum seruare ordinē sibijpsi constituit, quem apud Italos Dantes, apud Gallos Alanus, et apud Anglos Chaucerus, eleganter seruabant. Porrò Anglicæ linguæ politiei, mirum in modum ipse semper studebat: fuitq́ post dictum Chaucerum, Anglici sermonis illustrator planè maximus. Tam carmine quàm soluta oratione, multa Lidgatus ex Hetrusca & Gallica linguis, in nostrum idioma, facetè, amœnè, ac lepidè trāstulit: multaq́ ex proprio ingenio aptissimè formauit. Hæc certè primùm ex uarijs authoribus congessit:

Vitam S. Eadmundi regis,	*Lib. 2. Illustrem historiam memoriæ com.*
Vitam regis Ethelstani,	*Lib. 1. Pro solidiore suscepti operis firm.*
Vitam Fremundi regis,	*Lib. 1. Gloriosus martyr qui ex insigni.*
Vitam S. Mariæ, ad Henricum 5.	*Lib. 1. Mœrore ac uario cor tactum discri.*
Vitam D. Albani martyris,	*Lib. 1.*
De saltu Machabæi,	*Lib. 1. Gentes lapide aut ferro duriores.*
De cœlorum gaudijs,	*Lib. 1. Multi sunt qui cœlorum gaudia cup.*
Parliamentum uolucrum,	*Lib. 1. Hoc Parliamentum est auicularum.*
De cantico amoris,	*Lib. 1. Iesu seruator, quis tuam dulcedinem.*
Præcepta moralia,	*Lib. 1.*
De Alexandro & Aristotele,	*Lib. 1. Saluet altissimus & conseruet regem.*
De philosophorum secretis,	*Lib. 1. Cunctipotens Dominus, sua bonitate.*
Calendarium rhythmicum,	*Lib. 1. Iesu Domine, pro tua circumcisione.*

De rustico & auicula, Lib.1. Problemata ueterum similitudinum.
Prouerbia Lidgati, Lib.1.
Proprietates nationum, Lib.1. Anglus interrogatus, respondere.
De rege Arthuro, Lib.1.
De eius mensa rotunda, Lib.1.
Acta Guidonis Vuaruuicensis, Lib.1.
De Guidone & Colbrando, Lib.1.
De arte militari, Lib.1.
De officio regis, Lib.1.
Testamentum Lidgati, Lib.1.
De fabro dominam reformante, Lib.1.
De equo, oue, & ansere, Lib.1.
De homine diætando, Lib.1.
De duobus amantibus, Lib.1.
De fortuna, Lib.1.
Contra iudicium temerarium, Lib.1.
Inter rationem & tristiciam, Lib.1.
De audienda missa, Lib.1.
Præceptiones Gallicæ linguæ, Lib.1.
Aeglogas, seu Bucolica, Lib.1.
Poemata & Odas, Lib.1.
Satyras & alia poemata, Lib.1.

Ista ex Ioanne Boccatio & alijs authoribus transtulit.

De casibus uirorum illustrium, Lib.9. Qui quandoq; suam fecit diligentiam.
De nominibus Deorum, Lib.1. Dum per cancrum sol cursum serua.
De bello Thebano, Lib.3. Quoniam uestra clementia, Domini.
De genealogia Deorum, Lib.15.
De captione Troiæ, Lib.6.
Boethium de consolatione, Lib.5.
Dantis opuscula, Lib.1.
Petrarchæ quædam, Lib.1.

Tragœdias quoq; ac Comœdias, aliaq; non iniucunda edidit. De uersibus latinis, & alijs quæ prosa scripsit, nihil hic refero. Claruit sexagenarius, anno ab incarnato Dei uerbo 1440, sub rege Henrico sexto. Et Buriæ tandē moriens, inter suos sepultus fuit, hoc addito epitaphio:

Mortuus sæclo, superis superstes,
Hic iacet Lydgate tumulatus urna,
Qui fuit quondam celebris Brytannæ
Fama poesis.

NICOLAUS HOSTRESHAM. VIII.

Nicolaus Hostresham, suo seculo medicus insignis habitus, optimorū in ea speculatione magistrorum, post liberaliū artium studia, optimis inhęrebat uestigijs. Tanti doctoris literaturam, ac naturalium rerum cognitionem, abundè testantur tractatus & libri, ab illo quondam summa certè diligentia conscripti: quorum non pauci posterorum negligentia nunc desiderantur: quamuis & quędam eorum adhuc extent. Medicę artis gloria, celebris ille multis per Angliam factus, cœpit apud regni magnates ac proceres, magnus & ipse esse. Calamo demum adhibuit hic manum, ne in pro-

fligandis uarijs morborum generibus, sanandisq; ægrotis, probata experimenta ac remedia, in obscuro & altissima obliuione perduraret. Et scripsit,

Viaticorum necessariorum,	Lib. 7. *Quoniam in rhetoricis, ut ait Tullius.*
Antidotariorum,	Lib. 1. *Ego Nicolaus, rogatus à quibusdam.*
Contra dolorem renum,	Lib. 1. *Lapis quandoq; generatur in renibus.*
De febribus,	Lib. 1. *Post executionem particularium in.*
Practicas Medicinæ,	Lib. 1. *Practica diuiditur in duo, in scientiam.*
Modum conficiendi & dispensandi,	Lib. 1.

Atque alia nonnulla eruditorum uirorum testimonio edidit, ad eosq; destinauit, qui in medicinæ practicis studere cupiebant: quorum interea ego titulos non uidi. Claruisse etiã illum his temporibus, ex quibusdam coniecturis credere cogimur.

IOANNES BLAKENEY. IX.

IOannes Blakeney, ordinis, ut uocant, sanctæ Trinitatis de redemptione captiuorum, loci illius sectæ in Anglia primarij, de Ingham dicti, qui est in Nordouolgiorum comitatu: cœnobita sobrietatis ac doctrinæ nomine quintus fuit. Blakeneya enim, ubi natus erat, Nordouolgiæ etiam oppidulum est, in ipso maris littore situm, & à Vualsingamo quinq; passuum millibus distans. A' primis uerò adolescentiæ suæ annis in literis probè educatus, in uirum euasit, his atq; alijs fortunis ac functionibus longè maioribus dignum. Latinæ eloquentiæ in corruptissimo seculo, & cum tanta esset sophistarum barbaries, obnixè ille studuit, & illam ultra eius ætatis capturam obtinuit. Tandemq;, ut quales essent primi sui tyrocinij labores ostẽderet, ac cæteris impertiretur, pro instruendis tyrunculis composuit

Necessiloquium Grammatices,	Lib. 1. *Nominum quinq; sunt diuisiones.*
Modum rhetoricandi,	Lib. 1. *Ars inueniendi ornata uerba.*
Iocale aureum,	Lib. 1. *Deum nedum iuuenes colent, uerùm.*
De fabricandis epistolis,	Lib. 1. *Salutationes ad summum pontificem.*
De mundi ætatibus,	Lib. 1. *Aetas dicitur quasi æuitas per.*
In epigrammata Langley,	Lib. 1. *In tractatu domini Thomæ Lang.*
In Boethium de consolatione,	Lib. 5.

Præter hæc nihil opusculorum eius uidi, quamuis multo plura ediderit. In ueterum oratorum ac poetarum lectione exercitatissimus fuisse dicitur. Et claruit anno à Christi aduentu in carnem 1447, sub rege Henrico sexto.

THOMAS BECKINGTON. X.

THomas Beckington, tam accuratè à Ioãne Candelario in orationibus de Bathoniæ ac Vuelliæ urbium laudibus celebratus est, ut nulla mea (sic scribit Lelandus) in hac parte indigeat diligentia. Quare ne uidear, inquit, solem lucerna accendere, tantum in præsentia, quæ uirtutem eius literariam spectant, tractabo. Ab adolescentia ad maturos annos, Oxonienses scholas fœliciter celebrauit. Aulicus deinde factus, ac balneorũ urbi, seu Bathoniæ episcopus designatus, sic rem literariam fouit, iuuit, auxit quoq;, ut diceretur sui temporis Mecœnas. Sentit, sentietq; nouũ Oxonij collegiũ, eius singularem erga literas amorem. Idem quoque nunc sentit Bathonia. Quo tempore floruit, agebatur de iure hæreditario Angli penes Gallum. Beckingtonus ergo Angli causam ratissimam esse uolens, repudiata non sine iudicio lege Salica, apertè, lucidè, ac manifestè scripsit,

Super iure regis ad Franciam,	Lib. 1.
In epistolas Petri Blesensis,	Lib. 1. *Aaronem infra quære, ubi episcop.*
Sermones aliquot,	Lib. 1.

Quòd

Quòd alia adhuc opuſcula ediderit, certè nõ lego. In ſecundo eius opere ſimul ſunt collectę Bibliorum hiſtoriæ, à dicto Petro decenter moralizatæ, ac Scripturarum loca quædam interpretata. Claruit anno Domini 1450, ſub Henrico ſexto.

IOANNES BARNYNGHAM. XI.

IOannes Barnyngham, Gippeſuuici, clara Sudouolgiæ ciuitate, ut Lelandus habet, Carmeliticæ uitæ ritus monaſticos, ſimilib. induuijs adiunctos, multis annis coluit. Sed Oxonium interim ac Pariſiorum Sorbona, eruditione non uulgari & inſigni fama illum decorabãt (nam utrobiqꝫ theologicum magiſtratum ſuſcepit) quæ ne uiolenta temporum iniuria aliquãdo deperirent, modis omnibus curauit. Vnus tamen præ cæteris & expeditior uiſus eſt, & commodior: nempe ſi impigro calamo aliquid memoria dignum, chartaceis tabulis commẽdaret. Equidem fuit in arte diſceptatoria callidiſsimus, & in torquendis ac retorquendis aduerſariorum telis promptiſsimus, ut Boſtius ac Tritemius in ſuis tradunt Catalogis. Adeò illi ſuppetebat, inquiunt, feſtiuum eius ingenium, ut ad quodcunqꝫ deflexum, ei abundè inſeruiuerit. Huius ego Cantabrigiæ uidi in quatuor magnis uoluminibus, pulcherrimè ſcriptis,

Commentarios Sententiarum,	Lib. 4. *Quis enim nouit ſenſum Domini?*
Quæſtiones ordinarias,	Lib. 1. *Vtrum lex uetus fuerit patribus.*
Quodlibeta theologica,	Lib. 1. *Amore languens ſponſus Ieſus.*
De horribilitate peccati,	Lib. 1. *Notandum, quòd peccatum ratione.*
Sacras conciones,	Lib. 1.
Lecturas Scripturarum,	Lib. 1.

Aliaqꝫ edidit multa, quæ in alijs etiam bibliothecis habebantur. In ſuo Gippeſuuicenſi cœnobio, ubi præpoſituram per plures annos geſſerat, tandem ſenex obijt 22 die Ianuarij, anno à ſalutifero Virginis partu 1448, ſub Henrico ſexto.

DAVID BOYSVS. XII.

DAuid Boys, aliàs Boyſus uel Boethius, genere Brytannus, & ex Cambria natus, Carmelitanæ ſectæ profeſſor ad Gloceſtriam, quod oppidum Sabrina fluuius præterfluit, Oxonij in re theologica ſudauit & alſit: neque id quidem uel ſine gloria uel fructu. Gloriam hinc, Lelandus inquit, æſtimare licet, quòd huiuſmodi ab Oxonienſibus titulos acceperit, quales primæ notæ Theologis deferri ſolent. Porrò fructum uel ex hoc facilimum eſt iudicare, quòd non modò ſuum ipſius animum, uerùm etiam aliorum multorum mentes, cognitione rerum uel ad miraculum uaria, pulcherrimè informauerit. Præter Oxonium & Cantabrigiam, alia quædam uiſitabat Chriſtianarum terrarum gymnaſia, non paruæ eruditionis ſuę incremento. Erat planè uir pius ac doctus, urbanitateqꝫ Romani ſermonis, ſuprà quàm ea miniſtrabat ætas, abundans. Habitacula ſolitaria in cœnobijs quærebat, ut eſſet à uulgi ſtrepitu ſemotior, multum abhorrens à cæcitate ac tyrannide, quas in ſui temporis clero regnare uidebat. Alienoræ duciſſæ, atqꝫ, ut apparet, optimo eius marito Hunfredo familiaris fuit: & propterea ſuis ſymmyſtis inuiſus. Scripta reliquit in magnis uoluminibus, quæ eius hucuſque eruditionem teſtantur, uidelicet

De uarijs ritibus gentium,	Lib. 1. *Homo ex dono conditionis primæ.*
De duplici immortalitate,	Lib. 1.
Contra Agarenorum inſanias,	Lib. 1.
De uera innocentia,	Lib. 1.

De doctrina spiritus, Lib. 1.

Conciones Christianas, Lib. 1.

Et alia quædam huc illuc dispersa. Iuuenis prædicti Barnynghami maiora scripta collegit, dum Oxonij Sentētias in publicis scholis legeret, et Cantabrigiensi bibliothecæ dono dedit. Præfuit Carmelitis Glocestriam incolentibus, circiter annū à Christo nato 1450: et ibidē, ut ego didici, obijt ac sepultus est.

APPENDIX.

Ex dictionario theologico Thomæ Gascoigne: Circa annum Domini 1440, populus Angliæ ob profusissimas indulgentiarum Papalium copias, dicebat: Roma ad nostras fores nunc uenit. Ecclesia Romana meretrix magna est: quia iam cuique se exposuit pecuniam offerenti. Et cum omnia, inquit, essent Papalibus condonationibus plena, indulgētias tandem dabant Papæ negotiatores, pro cœna, pro cōcubitu, pro haustu uini uel ceruisiæ, pro pilæ lusu, et interdū pro actu uenereo. Ex Platina, in Nicolao quinto: Germani illis dieb. neutrales sunt ideo dicti, quòd neq; Felicis neq; Eugenij dictis obtemperarent. Quas ob res Ecclesia multas & maximas calamitates incurrebat, cum imminutione maiestatis Pontificiæ. Difficile quidem erat remouere Germanos ab opinione sua. Difficile item uidebatur persuadere Eugenij oratoribus, ut postulatis Germanorum obtemperarent, &c. Ex Iacobo Bergomensi: Totus ferè mundus in Eugenio quarto adorauit bestiam, per synodos Ferrariæ ac Florentiæ. Vide eundem Iacobum in Eugenio. Ex Volaterrano: Ludouicus cardinalis Aquilegiensis, primus sui ordinis, canes & equos (scorta quoq;, sed non primus) alere est ausus ex bonis Ecclesiæ. At contrà, Ludouicus Arelatensis cardinalis, ueritatem locutus, nō minas principum, sed neq; ipsius Papæ, in generali concilio timuit. Ex alijs authoribus: Ioannes Segobius Hispanus, pijssimus theologus, pro pauperibus audiendis in eodem concilio dimicat, & pro utraq; sacramenti specie laicis ministranda. Thomas de Corsellis, in prolixa quadam oratione probat, Ecclesiā ac generale concilium esse supra Papam. Ioannes Ernestius (ut Tritemius habet) Heidelbergensis gymnasij rector, scripsit de authoritate generalis cōcilij, circa annum Domini 1440. Et Henricus Vuerlius, Minoritarum minister prouinciæ Coloniensis, econtrario scripsit de ecclesiastica potestate, eodem tempore. Atq; hos multi sequebantur.

Appendix alia.

Gregorius Heimburgius, Norimbergensis, utriusq; iuris doctor, his temporibus scripsit contra primatum politicum Papæ, & appellationem pro Cæsare Sigismundo contra eundem. In quibus clerum Papisticum, Babylonicam meretricem ac Satanæ synagogam uocat: iubetq; cum ipsa Apocalypsi, ut ab ea Christiani exeant. Vnde tandem à Pio Secundo excommunicatus, in Bohemiam abijt. Iacobus de Paradiso, Carthusiensis, scripsit de septem statibus Ecclesiæ, ex Apocalypsi: in quo ostendit Ecclesiam Papa superiorem esse. In libro quoq; de erroribus modernorum, idololatrias, peregrinationes, ac ficta miracula detestatur: dicitq; ob eas impietates, religionem Christianam à Iudæis ac Turcis meritò derisam esse. Ex Tritemio: Matthæus Palmarius, patria Florentinus, chronographus insignis, librum de Angelis scripsit. Quem pertinaciter defendens, tanquam hæreticus condemnatus, apud Cornam ciuitatem exustus fuit, anno Domini 1448. Nicolaus de Cusa, Brixiensis episcopus, & Rom. ecclesiæ cardinalis, acres contentiones cum monachis habebat: Papæ errores plures reprehendit, ac uanitatē donationis Constantini refutabat. Ex altera parte, Ioannes Capistranus, Aprucius Minorita, scripsit pro Papa contra Hussitas. Similiter et Henricus Gorrickem, Teutonicus, Coloniensis doctor, eodem tempore idem fecit. Qui Capistranus (ut Funccius habet) à Papa Nicolao quinto in Germaniam & alias regiones, ad prædicandam Romanam obedientiam missus, ut suæ doctrinæ authoritatem aliquam faceret, ludos et alia eiusmodi ciuilia exercitia, ut sunt conuiuia, saltationes, &c. prohibuit. Tantam deniq; sibi hac hypocrisi dignitatē acquisiuit, ut à plerisque pro sancto Dei homine adoraretur: cum tamen nihil sanæ doctrinæ de Christo, aut de obedientia nostra erga Deum ministraret. Sed tales doctores meretur mundus, suo fastidio ueritatis. Achilles Pyrminius: Mahumetes magnus, Turcarum nonus Imperator, atrocissimus: hic Constantinopolim, Eubœam & Theodosiam cæpit, ac Hydruntē in Italia expugnauit, iuxta Angeli martyris uaticiniū. Mantuanus in 5. Fast.

—Quod nos hac tempestate dolentes
Vidimus impletum, quando per Iapidis agros,
Atq; per Hydruntis colles ea turba profusa est.
Atq; utinam ueniat tua quem dixere futurum
Rex nouus ex Francis oracula, qui fuget istam
Progeniem, peste hac totum qui liberet orbem,
Nec sinat ærumnis homines tabescere tantis.

IOANNES BROME. XIII.

IOannes Brome, uel Bromius, homo sectæ Augustinianæ, ac primæ theologorum classis, ut in Lelando reperitur, dies atq; noctes in diuersis bonarum literarum studijs occupabat. Et ut suo atq; aliorum similia disquirentium, appetitui famelico ea in re satius & abundantius inseruiret, bibliothecam insignem in amœniore sui cœnobij loco cōdidit, rarissimis illam offarciens libris. Cœnobium illud Gorleduni, aliàs Gorlestoni Sudouolgiæ pago est, e regione ostiorum Garieni fluminis, uulgò Iernemuthæ, positum. Casu enim semel illuc in Lelandi gratiam diuertens, quosdam uidi libros et tractatus, quos uel ibi uel alibi extare in toto regno uix credidissem: quorū lectio his etiam nostris temporibus ualde necessaria est. Illicq; inueni, scripsisse Bromium,

Quorundam chronicorum indices, Lib.1. *Accommodare, ne Iudæi quidem.*
Sermones aliquot, Lib.1.

Directoriaq; seu tabulas, ut uocant, aliorū scriptis per totam ferè bibliothecam illam, doctè & laboriose addidit. Gorlestonæ tum demū obijt mortem, homo eruditus & pius, anno salutis humanæ 1449, inter suos sepultus, Henrico sexto regnante.

MICHAEL TREGORIVS. XIIII.

MIchael Tregorius, aliàs Trigury, ex Cornubia oriundus, tantum in diuersarum artium studio ac diligentia à iuuentute profecit, ut Lelando teste, suo tandem seculo clarissimus haberetur. Cum Henricus quintus (inquit) Gallorum domitor, Anglicæ ditionis imperio eos subiugasset: & Cadomum, Normanniæ ciuitatem frequentasset postea, ab eruditis admonitus, præcipuè à Vualdeno, gymnasium, fœlicibus ingenijs utile ac necessarium, illic ponere solicitè curauit. Erat Cadomum urbs tum antiqua tum celebris, & præterea aliquot Angliæ regum sepulchris nobilitata. Eo tempore didicit, quendam esse Tregorium Oxonij, uirum omni disciplinarum genere instructissimum, ac grauitate eximium. Illum ergo per literas accersitum, munificè, ut regem decuit, donauit, academięq; præfecit. Atq; hæc fuit origo Cadomensis scholæ, adiunctis ei ex omni Mendicantium sectarum turba sophistis aliquot, circa annum Domini 1418, quam Pontifices Romani suis priuilegijs celebriorem statim reddiderunt. Tregorius autem, iniunctum sibi à principe munus, cùm publicè legēdo, tum multa scribendo, longo tempore administrauit. Edidisse uerò fertur,

Lecturam Sententiarum, Lib.4.
De origine illius studij, Lib.1.
Ordinarias quæstiones, Lib.1.

Et eius farinæ alia, quæ Gallis potius quàm nobis sunt nota. Inde per Henricum sextum anno Domini 1449, factus est defuncto Ricardo Talbodo, archiepiscopus Dubliniensis in Hybernia. Vbi obijt anno à Christi natiuitate 1471, in ea ecclesia sepultus.

IOANNES AMVNDISHAM. XV.

IOannes Amundisham, ad fanum Albani monachus, & Oxonij in collegio quod Glocestriense uocatur, studentium monachorũ præses, cognitione rerum tum naturalium tum diuinarum præter communẽ enituit sortem. Musis quoq; ornatioribus impendiò fauebat. Ex quibus, dum per elegantias illi seculo familiares, inclyta quædam eius temporis gesta celebrasset, famam sibi clarissimam peperit. Vtq; erat erga uiuentem Ioannem Frumentarium, de quo mentionẽ fecimus, ardenti adfectus amore: ita & mortuum usque adeò magnificit, ut accurata diligẽtia eius uitam perscriberet, & obtrectatoribus imponeret frenũ. Quoniam & uiuus & mortuus à suis monachis persequebatur: & fortassis in odiũ prædicti ducis Hunfridi. Pinxit ergo ille contra eius aduersarios, dum esset in Glocestriensi collegio,

Acta eiusdem abbatis,	*Lib.1. Ne lux regiminis abbatis sexti.*
Clypeum pro eodem Ioanne,	*Lib.1. Vt discant pastores singuli præ.*
Diuersi generis carmina,	*Lib.1. Sæpe suburbanis Lethes cum cer.*
Epistolas ad diuersos,	*Lib.1.*

Hæc sola sunt ex omnibus eius opusculis, quorum titulos uidi in Ramesiensi monasterio. Qui si incidisset in doctũ seculum, magnus in utroq; scribendi genere euasisset. Claruit anno à uerbi incarnatione 1450, sub Henrico sexto.

OSVVALDVS CARTHVSIANVS. XVI.

OSvualdus Anglicus (aliud illi cognomen non tribuunt authores) Carthusianorum instituti monachus, inter suos famam ab eruditione, quam Parisijs & alibi mirificè excoluit, nõ tenuem sibi cõparauit. Vnde & enata ei cura, dilatãdi ac ditandi sui ordinis per uarias terras ac regiones, monasteriorum limites & prouentus, per Angliam, Scotiã, & Hyberniam ampliauit. Qui dum ante professionem Parisijs operam literis daret, cum præstantissimo sui temporis theologo, Ioanne Gersone, tam familiarẽ contraxit amicitiam, ut absentes postea creberrimis epistolis inuicẽ salutarent, et ex eius opusculis hic plura è Gallico sermone in Latinum mutaret. Istum fucatis laudibus Hector Boetius celebrat, in 17 libro Scotorũ historiæ. Ab eius ingenio fluxisse ferunt hæc pauca, sed interim superstitiosa opuscula, uidelicet,

De remedijs tentationum,	*Lib.1.*
Meditationes solitarias,	*Lib.1.*
Epistolas ad Gersonem,	*Lib.1.*

Quum in Parthi suburbio Iacobus primus Scotorum rex, Carthusianis cœnobium extruxisset, Osvualdum ei præfecit, ut monachis esset in uitę exemplum. Claruit anno ab incarnato Messia 1450, Henrico sexto in Anglia regnante.

IOANNES KENYNGALE. XVII.

IOannes Kenyngale, Carmelita Nordouicanus, qui Oxoniense gymnasium suo tempore celebrauit, locũ in nostris tabulis (Lelandi uerba sunt) Vualdeno proximũ ambit. Nam liquet illum multis modis ac rebus Vualdeno uel coniunctissimum fuisse. At ego, inquit, ne singula prolixè sequar, unum tantùm arctæ inter eos consuetudinis exemplũ memoratu dignum in præsentia adducam. Scripserat Vualdenus, opus eruditum, at impium, & catholicis (Papistæ eo uocabulo gloriantur) necessarium, cui titulus erat, Doctrinale Ecclesiæ: idq; Martino quinto Rom. pontifici dedicauerat.

Sed hoc usus consilio, ut munus illud egregium ab aliquo insigni uiro uel Romam usq; deferendum curaret. Visus est autem huic negotio Kenyngalus maximè utilis, ut qui non modò è supremo illo theologici ordinis collegio esset, uerùm etiam inter expertos rerum expertissimus. Quare prouinciam hanc Kenyngalo nō malè delegauit. Ille uerò munus sibi iniunctum tanta cum grauitate ac modestia executus est, ut Apostolicæ sedis nuncius in causis ecclesiæ statim designatus sit. In qua etiam functione multa præclarè & ingeniosè egit. Hæc Lelandus. Verùm uterque horum sic bestiam Antichristum adorauit: ille scriptis, hic pedum osculis. Deinde domum rediens, inquit, meritas à Vualdeno gratias tulit: ac postremò præsidis prouincialis uicesimiquarti honore insignitus, Nordouicum denuò petijt, ubi reliquos uitæ annos exegit. Quo tempore Vualdeni sedulitatem imitatus, anno Domini 1450, in ipso iubileo, longè pulcherrimam bibliothecam, eandemq; optimis authoribus refertissimam, posuit. Scripsit ille,

Conciones 12 Paschales,	*Lib.1. Vt refulsit sol in clypeos aureos.*
In Aristotelem de Animalibus,	*Lib.1.*
De suo itinere ac legatione,	*Lib.1.*

Et alia minuscula. Illud nec caret sua laude, nempe quòd præter legationem & prouincialatum, fuerit Eboracensi duci Ricardo ab auriculari cōfessione. Demum uiuēdi finem fecit 28 die mensis Aprilis, anno Salutis humanæ 1451, Nordouici sepultus in claustro suo.

PETRVS DE SANCTA FIDE. XVIII.

PEtrus de Sancta fide, Nordouicēsis etiam cœnobij inter Carmelitas alumnus, non eruditione postremus erat, uerùm plures sui temporis & nationis theologistas in sciētijs speculatiuis superasse dicitur. Cantabrigiæ primùm, postea in Parisiorum Sorbona, magistralibus insignijs in spectatione publica cum quibusdam socijs donatus, eruditionis non leue nomen ex disputationibus & lecturis promeruit, ut etiam Lelandus habet. Celebrauit Petrus, inquit, Grantanam simul & Lutetianam academiam, sacraq; docti theologi munera utrinq; tulit. Porrò nec in docendo nec disputando cessator fuit, &c. Nam post Henrici quinti insignē à Gallis uictoriam, Anglorum monachi mendicātes, qui cum Gregorio aduenerant Cadomum, præcipuè Carmelitæ, Parisios frequentabant. Quorum nouem post actus Sorbonicos, Cantabrigienses quinq;, et Oxonienses quatuor, infra paucos dies doctores sunt effecti. Quorū hic Petrus, domū tādē reuersus, cōgessit

In primam Petri canonicam,	*Lib.1. Cum solicitudo pastoralis secundum Gre.*
In secundam Petri, lect. 38.	*Lib.1. Quia pastor gregis debet desolatis.*
Breuiarium Sententiarum,	*Lib.1. Reuerendi mei, articulus resumptio.*
Præconia Petri Lombardi,	*Lib.1. Assumpsit Iesus Petrum in montem.*
Alphabetum theologiæ,	*Lib.1. Ab alio dicitur aliquid esse dupli.*
Determinationes uarias,	*Lib.1. Vtrum Dei uerbum, ut clamat Euan.*
Placita theologica,	*Lib.1. Sponsabo te mihi in fide, summo.*
Pro sua inceptione,	*Lib.1. Petrus in superiora domus ascen.*
Conciones ad clerum,	*Lib.1. Relictis omnibus sequuti sunt.*
Sermones capitulares,	*Lib.1. Ioannes uenit in testimonium.*

Argutè admodum hæc atq; alia scripsit. Sed hoc nunc in eo, carbone notatur, quòd olim in Guilhelmi Vuhiti mortem cum alijs consenserit. Nordouici tandem obijt 8 die Nouembris, anno à Christi aduentu in carnem 1452, ibiq; sepelitur.

REGINALDVS PECOCK. XIX.

Reginaldus Pecock, Latinè Pauo, relicta Cambria solo natali, ad Oxonium se cōtulit: ubi regalis collegij, quod Orial uocāt, alūnus designatus, nō modò eloquētię, uerumetiā prudētię cùm humanę tum diuinę, operam dedit. Cum uerò studiorum orbem absoluisset, & theologi insignia accepisset, ob excellentem eruditionem ac facundiam, Asaphensis primò, Cicestrensis postea episcopus factus est: Hunfredi ducis, ut fertur, beneficentia, qui ipsum, dum esset regni administrator, amauerat. Videns hic indies magnas in clero contra diuinas ordinationes succrescere blasphemias, maximè circa Eucharistiam, non solum eos fouebat, qui illas & dictis & scriptis tetigerant (quales fuerunt Rogerus Onlæus, Dauid Boisus ipsius conterraneus, Philippus Norys Hybernus quidam, & alij) sed & ipse quoq; Euangelico aratro manum admouit. Multa enim per 20 & amplius annos ore ac scriptis protulit contra Antichristorum uanitates iniquas, & insanias plusquam diabolicas. Ab episcoporum igitur synodo Lambethum citatus, ut coram archiepiscopo Cantuariensi Thoma Bourcherio, doctrinæ suę rationem redderet, non scripturis sanctis, non argumentis idoneis, non acumine rationum, sed authoritate, ui, arte, fraude, metu, terrore, & tyrānide dirutus, ac damnatus ad carceres et ignes: palinodiā tandē ad Pauli fanū, anno Domini 1457, & quarta die Decembris, canere cogebatur, conflagratis etiā eius libris. Scripserat namq; pijssimus præsul, ut Gascoignus refert,

Defensorem,	Lib. 1.
Sequacem,	Lib. 1.
De signis,	Lib. 1.
Christianam religionem,	Lib. 1.
Prouocatorem,	Lib. 1.
Repressorem,	Lib. 2.
De fide,	Lib. 2. *Filij mei perditi, quoniam inualuit.*
Præconem,	Lib. 1.
Declaratorium,	Lib. 1.
Donatum,	Lib. 1.
Rectam censuram,	Lib. 1.
Symbolum,	Lib. 1.
Ad Minoritam Godharde,	Lib. 1.
Diuinum officium,	Lib. 1.
Enchiridion,	Lib. 1.

Et ab alijs, hos etiam edidisse dicitur:

De prouidentia Dei,	Lib. 1.
De libertate Euangelij,	Lib. 1.
De secularium potestate,	Lib. 1.
Contra dotationem Constantini,	Lib. 1.
De æqualitate ministrorum,	Lib. 1.
De legibus & doctrinis hominum,	Lib. 1.
De communione sub utraq; specie,	Lib. 1.
Contra mendicitatem impiam,	Lib. 1.
De sua palinodia,	Lib. 1.

Atq; alia nonnulla. Lelandus tradit, quod combustis eius, quos scripserat, libris, mœrens & inglorius, ac dignitate episcopali priuatus, tenui ad postremos uitæ annos sorte contentus fuerit. Alij ferunt, illum ad mortem usq; captiuum

ptiuum

ptiuum detineri: ac dubitant, num occulta Antichristorum tyrannide, martyrium sit illic assecutus.

APPENDIX.

Ex tam praeclaro facinore ad Rom. ecclesiae stabilimentum, praedictus archiepiscopus Thomas, galero Cardinalicio per Calixtum tertium, sub sancti Ciriaci titulo donatus fuit. Quod mox cernens Ioannes Myluertonus Carmelitarum prouincialis, qui nō raro cum dicto Reginaldo in arenam descenderat: sequenti anno Christi, scilicet 1458, ad eius successorem Pium secundum (similia forte sperabat) damnationis illius processum ac formam scripsit. Sed de eo, atq; eius aduersa fortuna, postmodum dicetur. Vt autem ad Reginaldum nostra denuo conuertatur oratio. In tertia parte dictionarij theologici, Thomas Gascoignus illi impositos esse magnarum haeresum articulos narrat. Ad Pauli crucem (inquit) Londini, Reginaldus Pecock in publica cōcione dicebat, Quòd Christiani praesulis officium prae omnibus alijs sit, Dei uerbum praedicare. Quòd humana ratio non sit praeferenda utriusq; Testamēti scripturis. Quòd modernus sacramentorū usus, peior sit usu legis naturae. Quòd episcopi suas admissiones ementes ab episcopo Romano, peccant. Quòd nullus teneatur credere & obedire Rom. ecclesiae determinationi. Et quòd episcoporum diuitiae, sint ex ipsa haereditate, bona pauperum. Item, quòd Apostoli non fecerint symbolum cōmune. Nec olim fuisse in eo symbolo, quòd Christus ad inferna descenderit. Item, quòd nō alius sensus Scripturae sacrae tribuendus sit, quàm ille primus & genuinus. Veterum doctorū authoritati parum aut nihil aliquoties tribuebat. Fratrumq; mendicitatem tanquam ociosam damnabat. Haec ille. His Ioannes Foxus addit, quòd ipse docuerit, necessarium non esse ad salutem, ponere Christi corpus materialiter in sacramento. Etiam quòd Ecclesia uniuersalis possit errare in ijs quae sunt fidei. Et Lelandus: Non contentus (inquit) in Scripturae interpretatione ratam sequi orthodoxorum sententiam, de Eucharistia parum rectè sentiebat, &c. Propter istos ac similes articulos, à Cantuariensi, Roffensi, Lincolniensi & Vuintoniensi episcopis, atq; à 24 theologis haereseos est damnatus. Sed de hac impia Antichristorum tyrannide non facit mentionem Polydorus, quaestor pontificius.

IOANNES BVRY. XX.

IOannes Bury, ab Eadmūdi fano natiuitatis suae loco & Sudouolgiorum oppido sic dictus, Augustinianus in Clarensi coenobio fraterculus, eius sectae superstitioni, profanarum artium studium adiunxit. In quo stadij cursu (sic rem illam Lelandus narrat) ita se maturauit, & ita properauit ad metam, ut brauium non leue hinc sibi comparauerit: nempe scholasticum Cantabrigiae magisterium, cum prouinciali sui ordinis praepositura. His nimirū gaudens titulis gloriosus hypocrita, diuinae ueritati Antichristi mendacia praetulit, & in suis membris Christum uehementer insectabatur. Sic prodeuntes ex fumo Tartareo locustae, iuxta uires illis datas, terrestrium scorpiorum more, per eos dies inclementer laedebant. Nam ad Thomam Bourchierum, Cantuariēsem archiepiscopum & Cardinalem, parasitus iste peracriter scripsit,

Contra Reginaldum Pecock, Lib. 2. *Saepe uobis, ouiliq; uestro noua.*
In Lucam commentarios, Lib. 1. *Quia omni legitimè certanti in.*
Lecturas scripturarum, Lib. 1.
Quaestiones & sermones, Lib. 2.

Caeterorum opusculorum quae edidisse dicitur, titulos nō uidi. In primo suo opere, Reginaldi praedicti libros duos, quos sub Reprehensoris uocabulo uulgauerat, rostris & unguibus impugnabat. Claruit anno à uerbi incarnatione 1460, sub Henrico tertio.

ROBERTVS FLEMMYNGE. XXI.

ROBertus Flemmynge, iuuenis in Isidis uado, ut Lelandus habet, seu in Oxonio studuit, eo in loco, quo eius consanguineus ac patronus, Ri-

cardus Flemmyngus Lincolniensis episcopus, paulo antè collegium, Lincolniense dictum, instituerat. Hæc eius ad amœniores literas expedita alacritas eò tandem processit, ut luculento eruditionis titulo celebris esset, & ecclesiæ Lincolnianæ decanus institueretur. Deinde Italiam petiјt, auiditate cognoscendi puritatem utriusque linguæ: ac Baptistæ Guarini Veronensis prælectionibus Ferrariæ tandem interfuit. Et quoniam poetices studiũ mirificè coluit, Tiburti tanquã in secessu, heroico carmine tractatus quosdam edidit. Quos Sixto quarto Rom. Pontifici, pingue fortassis expectans sacerdotium, in reditu ad patriam dedicauit, sub nomine

Lucubrationum Tiburtinarum,	*Lib. 2.*
Dictionarium Græcolatinum,	*Lib. 1.*
Diuersi generis carmina,	*Lib. 1.*
Epistolas ad diuersos,	*Lib. 1.*

Atq; alia plura congessit. Platinam bibliothecarium Romanum & alios uiros literatissimos Romæ coluit, ac uersu laudauit. *Claruit anno à Seruatoris natiuitate 1470, regnante* Eduuardo quarto: ac Lincolniæ tum demum obiјt, in sacello prope Ricardum sepultus.

THOMAS GASCOIGNE. XXII.

THomas Gascoigne, Hunsfletæ inter Brigantes seu *Eboracenses*, nobili loco natus, Ricardum *genitorem, Beatricem matrem*, & Ioannem seniorem habens fratrem, amore quodam flagrabat uehementissimo, uidendi ac cognoscendi *Musas Isiacas, bonarum artium cultrices*. Nec mora, easdẽ inuisit, tandemque ex longa consuetudine familiares habuit. Alia ætas, alia poscebat studia. A musis, *uenustis quidem illis*, ad *seueram philosophiã* & *sacrosanctam theologiam*, se contulit: ac laudem in utraque, unà cum laurea sibi peperit. Inter diuinę scripturæ *antiquiores interpretes, Hieronymũ Stridonensem, uirum ad miraculum cùm eloquentem tum doctum*, mirificè coluit. Vtque affectus sui magnitudinem apertissimam faceret, postquam esset doctor, & *Oxoniј Cancellarius, diligentia, industria*, & cura multa, edito libello posteritati consecrauit,

Hieronymi illius uitam,	*Lib. 1. Anno Dominicæ incarnationis 333.*
Dictionarium theologicum,	*Lib. 3. Fames in prima magna mortalitate.*
Septem flumina Babyloniæ,	*Lib. 1. Super flumina Babylonis sedens.*
Veritates ex scripturis,	*Lib. 1.*
Ordinarias lectiones,	*Lib. 1.*
Sermones Euangeliorum,	*Lib. 1.*

Et alia nonnulla scripsit. In suo dictionario, pro uariarum rerum ac uerborum exemplis, historias sui temporis elegãter adducit plures. Collegit preterea, exemplariorum Latinorum ingẽtem *thesaurum*, ac bibliothecis dono dedit. Claruit anno Domini 1460, quinquaginta septem annos ætatis habens.

GVILHELMVS STAPYLHART. XXIII.

GVilhelmus Stapylhart, alias Stapilartus, in Cantia oriundus, sed Londinensis Carmelita, inter Oxoniensis academiæ ornamenta, *non sine magna eruditionis suæ laude*, à Lelando numeratur. Talis etenim erat (inquit) qualem nec nostra ætas, quantumcunque aurea sit, inter doctos collocare dedignaretur. Nisi fortè elegantulus aliquis paruum esse existimet, philosophię & *theologię penetralia, uastissima quidem illa, perlustrasse*. Et nisi sciolus aliquis humile quidpiam esse ducat, principem locum interpretandi *sacras literas Oxoniј habuisse. Possem hic (inquit) à multis uirtutibus*

Stapilartũ laudare: sed quoniã solam rem literariam agimus, uolo illum in præsentia tantum à literis editis lectori commendare. Scripsit multa cum diligentia, nec impari fœlicitate,

Lectiones in Esaiam,	*Lib.1. Visio Esaiæ, &c. Magistri reuerendi.*
In canticum Moysi,	*Lib.1. Audite cœli, &c. Reuerendi Domini.*
In aliquot psalmos,	*Lib.1. Bonitatem & disciplinam & scientiam.*
Sermones ad clerum Oxon.	*Lib.1. Præhonorandi magistri & fratres.*
De materia paupertatis,	*Lib.1.*
Ordinarias quæstiones,	*Lib.1.*

Aliaq; plura. Deniq; si quæras (inquit Lelandus) quo tempore in precio fuerit? Quod ego didici, docere nõ grauabor: nempe illum theologiã Oxonij publicè professum fuisse, anno à Christo nato 1456, sub Henrico sexto.

ROBERTVS FINYNGHAM. XXIIII.

Robertus Finyngham, Nordouolgiorum comitatus alumnus, Nordouici iurauit in uerba Francisci funigeri, *funiger & ipse factus, cum non bene saperet. Nullum hic prorsus diligentiæ locum reliquit, ut non aliquando post Aristotelicarum artium studia, consequeretur Papalium decretorũ ac decretalium exquisitam cognitionem. Hinc duplicem spiritum tandem induit: non Heliæ Thesbitis, magni Dei prophetę, sed Baalpeoris uel Priapi Moabitarum idoli. In quo non plebem perfectam, aut Christiana doctrina institutam, Domino, sed pestiferam rasorum prędonum & cucullionum gentem, Antichristo ac diabolo parauit. Ociosas etenim suorum fratrum mendicationes, uitę statum esse perfectissimũ, ac cęteris in ecclesia digniorem, per pontificum leges & bullas papales, probare nitebatur: etiam quòd non tenerentur manibus laborare. Vnde pro illis ac similibus nugis propagandis & defendendis, ex ipsis decretis ac decretalibus collegit, inq; tractatus congessit, de Sententijs latis, seu*

De excommunicationibus,	*Lib.1. Quoniã sub pœna excommunicationis.*
De casibus Decretorum,	*Lib.1. Excommunicationem incurrit, qui asserit.*
De casibus Decretalium,	*Lib.1. Qui Cardinalem percutit, aut qui.*
De Extrauagantibus quoq;,	*Lib.1.*
De casibus Papæ reseruatis,	*Lib.1. In cæteris autem casibus subsequi.*
Casus conciliorum Angliæ,	*Lib.1. In statutis concilij Oxoniensis per.*
Pro ordine Minorum,	*Lib.1. Primò de approbatione paupertat.*
De status eorum dignitate,	*Lib.1.*

Et alia his similia. In his præterea, omnes eos lata sententia excommunicatos pronunciat, atq; ad inferos damnat, qui ecclesiam Romanam asserunt non esse omnium ecclesiarum caput. Arguitq; uehementer illos, qui Constãtiæ ac Basileæ dicebant, generale concilium esse supra Papam.

NICOLAVS MONTACVTIVS. XXV.

Nicolaus Montacutius, (alij *Manacutium scribunt*) humanarũ artium professor, & historicæ cognitionis homo per eam ætatẽ celebris, uixit eruditi nominis fama pluribus per Angliam notus. Erat equidem seculũ illud, in quod incidit, spinosis sophistarum argutijs, & iniquis eorum præstigijs miserrimè obnoxium. Veruntamen ipse, quamuis nonnunquam & illis nimium esset credulus, honestè tamẽ atq; utiliter, ad præteritorum temporum ac rerum insigniter gestarum noticiam clariorẽ, tam carmine quàm prosa pleraq; protulit. Defuit illi plerunq; facundia, quod non authoris, sed ætatis uitiũ fuit. At nõ defuit fides, potissima pars historiæ: nec rerũ lucidus

ordo, in illis quæ ad nostrę gentis cõmoditatem scripsit. Accedamus tandē ad libros. Posteritatis quippe memoriæ Montacutius uersu commēdauit,

De Romanis pontificibus,	Lib. 1. Si uis pontifices Romanæ discere sedis.
De regibus Anglorum,	Lib. 1. Alphredus filius Etheluuolphi iunior.
De Anglorum episcopis,	Lib. 1. Augustinus Arelate consecratus est.
Scalam temporum à Christo nato,	Lib. 1. Christus natus est 42 anno regni.
Epigrammata quædam,	Lib. 1.

Anglia Sacra Vol. 1. præf. 14.

Feruntur & alia, in utroq; scribendi genere edita ab eo puscula, sed titulos eorum nondum uidi. In Hetonēsis collegij, quod Henricus sextus cōdidit, bibliotheca, prædicti libri habent omnes: sub quo rege, & eorū author Mōtacutius claruisse fert.

APPENDIX.

His temporibus magna fuit in Italia fratrum Mendicantium & aliorum monachorum reformatio: quæ nouella serpentis antiqui facies erat, ac recens decipiendi fucus. Iuxta prophetarum uaticinia, Esa. 47, & Nahum 3, Babylonis illius, meretricis magnæ, dominus his diebus pudenda reuelauit: nuditatē, ignominiam, opprobriū, & fœditatem eius, gentibus ac regnis ostendit, per electos suos Ioannem Vuicleuū, Ioannem Hussium, Hieronymū Pragensem, Thomam Rhedoniū, & alios. Atq; ultionē de ea capiens, cōtumelijs magnis per ipsos illam affecit: ut omnibus est notissimū. At serpens insidiosus, qui & suam dederat potestatē bestiæ, Apoc. 13, ad ueteres artes recurrens, nouas fraudes adinuenit, & in suis practicauit creaturis. Nouam enim hanc fucatæ reformationis faciē sophisticè induit Babylonica meretrix, ecclesia scilicet Romana, Satanæ synagoga, ut in omni dæmoniorū doctrina ac superstitione mundū adhuc nutriret. Addidit illi faciei quorundā mortuorū canonizationes, ut in suis reformatis augeret simulatæ sanctitatis famā, fortiusq; per illas deciperet mundū. Nicolaum Tolentinum Eugenius quartus, Augustinianis sanctum dedit, anno Domini 1446. Nicolaus quintus Franciscanis Bernardinū Senensem, anno Domini 1451. Calixtus tertius Vincentiū Hispanum Dominicanis, anno Domini 1455: et Albertū Siculum Drepanensem Carmelitis, anno Domini 1457. ita ut eodem anno, Ioanne Paleonydoro teste, in Letanijs diceretur, Sancte Alberte ora pro nobis, &c. Concessumq; illis erat, ut sorores ac pinzocheras ad suas professiones trahere possent, & cœnobia illis ædificare. Talia enim sunt Antichristi miracula, ut dum uiuos sanctos ad ignes & inferos damnet, mortuos quosdā ad ueterū deorum admitteret cultū. Talia sunt prodigia meretricis magnæ, quæ sedēs super bestiā coccineā, ebria est ex sanguine martyrū Iesu. Conciliū equidē Papæ, promittens Ecclesiæ reformationē, simile est illi Aesopicæ fabellæ, cum parturiunt montes, nascitur ridiculus mus.

Appendix alia.

Interim tamen & hac ætate Dominus adhuc suos testes habebat, qui eius meretricis detegerant fraudes & imposturas. Atq; inter alios Felicē Malleolū, Tigurinū, decretorum doctorē, qui scripsit cōtra ualidos Mendicātes, cōtra Anachoritas, Beghardos, Beghinasq; syluestres, cū glossis bullarū, &c. Claruit ille anno Domini 1454. Ex quadā summa Nicolai Cusani: Prouincialis cuiusdā ordinis Mendicantiū, asseruit ac probauit, Romanā ecclesiā esse illam Apocalypticā meretricē, sedentē super aquas multas. Affirmatur etiā in eadē Summa, plurimū tunc solicitos fuisse mendicātes fratres cōcionari multis in locis cōtra sedem Apostaticā. Tritemius scribit, Ioannē Kenman, Minoritarum doctorē, malè sentire illis diebus de ecclesiastica potestate. Sed quū à ministro Saxoniæ quæreretur ad carcerē, fuga elapsus, ad Obseruantiales cōfugit. Contra istū duos libros scripsit Ioannes de Hagē uel Indagine, Carthusianus: qui etiā pro Antichristo edidit, De authoritate Papæ, Cōtra errores Bohemorū, De cruciata cōtra hæreticos, De uisione Tundali, & alijs apparitionibus prodigiosis. Dominicus Venetus, primùm Torcellanus, postea Brixiensis episcopus, ad Pium Secundū libellū edidit, de reformanda Romana curia: in quo prælatos arguit, quòd de crucifixi patrimonio canes impinguarent, equos adornarēt, pectora et capita eorū phalerarēt. Domitius Calderinus, Veronensis rhetor, non libenter ea ætate Missas audiebat, sed cōmunes errores eas esse dicebat. Laurentius Miniatēsis, Pontani præceptor, Christianæ religionis instaurationē prædixit, pompas et tyrannides in clero diminuendas, ac Christum in Ecclesia, Antichristo mox deturbato, regnaturum. Dieterium Isembergium,

gium, Moguntinensem archiepiscopũ, Pius Secundus persequebatur, atq; episcopatu pepulit, nõ sine multo ciuium sanguine, quòd noluerit in quædam onera Germaniæ, à Papa imponenda, consentire.

Appendix alia.

Reliquit tamen prædictus Pius Secundus, ut Platina & Sabellicus referunt, inter prouerbiales suas sententias, & hanc: Sacerdotibus magna ratione ademptum est coniugiũ, sed maiore restituendum. Eandem quoq; sententiã protulit in secundo libro de Concilio. Fortassis, inquit, nõ esset peius, sacerdotes quamplures uxorari. Quoniam multi saluarentur in sacerdotio coniugato, qui in sterili presbyteratu damnantur. Idem Pius Secundus, qui & Aeneas Syluius, Cælio Secundo teste, collegia quædã Brigidanarũ & Claranarũ monialiũ dissoluebat, iubens eas exire, ne amplius urerentur, néue sub religioso habitu meretricẽ celarẽt. Ioannes Maria Polutianus, in suo testatur Mari magno, quòd his etiam diebus inter Minoritas conuẽtuales & Bullistas, nõ leuis erat in Italia contentio, qui eorum illas uisitarẽt, custodirẽt, gubernarẽt. Lites uerò alias obseruantiũ & non obseruantiũ, in suo grege, Baptista Mantuanus decima Egloga sua dirimit. Paulus Secundus, qui anno Domini 1464 Pontificatũ iniјt, affirmare solebat, se ius et fas habere in scrinio pectoris sui. Quid mirũ igitur, si (ut Volaterranus inquit) ianuis uitiorũ omniũ reclusis, licebat cunctis disciplinã antiquorũ pastorũ pessundare? Hic nec literis, nec moribus probatus erat. Dies totos aut uoluptati, aut nummis pensitandis, aut ueterum numismatis, siue gemmis, siue imaginib. spectandis tradebat. Adeoq; sobrius extitit, ut obruẽte eum crapula, repentè post cœnam interierit. Et ut hos ganeones in omni uitiorum pompa nutrirẽt, monachi scriptis multa dederũt. Iacobus Iunterbuck, in Germania Carthusianus, edidit libros de dignitate prælatorũ, de anno Iubileo, & de indulgentijs. Dionysius Rikel, etiam Carthusianus, de authoritate, potestate ac iurisdictione Papæ, & de eius Missa. Atq; alij alia. Parum ante hos dies, scilicet anno Domini 1453, Adamus episcopus Cicestriensis, & Guilhelmus episcopus Sarisburiensis, in Anglia ob quasdam regni proditiones à uulgo sunt occisi, ut habet Scala temporum.

IOANNES CHAVNDELER. XXVI.

IOannes Chaundeler, aliàs Candelarius, ita à primis studiorum suorũ annis, doctis adsueuit artibus, ut Latinæ etiam linguæ puritatem non infœliciter imbiberit. Quæ res magnam illi apud eruditorum uulgus gloriam comparauit. Vuintoniæ autem adolescens Grammaticę operam dedit: deinde inter Isiacos (Lelandus sic habet) bonis inuigilauit artibus. Præfuit tandem societati nouæ, & cancellarij uices inter Oxonienses gessit. In Fontanensi seu Vuellensi ecclesia tum demum Cancellarij quoq; fungebatur officio. Calamum suum Candelarius, prosa & carmine, aliqua cum fœlicitate exercuit, usus familiaritatẽ Thomæ Beckingtoni, Batoniensis ac Vuellensis episcopi: cui quę scripsit opuscula dedicauit. Extant archetypi ipsi in Fontanensi bibliotheca, serico uilloso uestiti, auro & minio pulcherrimè picti. Censentur uerò his nominibus,

De statu naturæ humanæ,	*Lib. 1.*
Laudes Bathoniæ ac Vuelliæ,	*Lib. 1.*
De laudibus Thomæ Beckingtoni,	*Lib. 1.*
Gesta Guilhelmi Vuickami,	*Lib. 1.*
Epistolarum opus,	*Lib. 1.*

Extat & eius oratio, qua respõdet orationi primæ Cornelij Vitellij, prælectoris in nouo collegio Oxonij. Scripsit, ut illa ferebant tempora, doctè satis. Claruit anno nati Seruatoris 1460, cum in Anglia tumultuarentur.

GVILHELMVS BOTONER. XXVII.

GVilhelmus Botoner, genere quidẽ nobilis, sed eruditione multo nobilior, equestris ordinis homo, uxorem ac liberos habens, ex Bristollio, clara Vuigorniensis patriæ ciuitate, originem traxit. Bristollium quidẽ urbs amœna, in Occidentali confinio, ad Sabrinæ æstuarium sita, Hauino

alluitur fluuio: per quem minora nauigia ad eam commeant. Variarum sanè rerum cognitioni, Matheseos scilicet, Medicinæ, Cosmographię, & Historię, ab ipsa iuuentute Botonerus inuigilauit, & incrementa postmodum ex diuturno labore non minima suscepit. Per Anglorũ limites omnes, ubicunque res ullas peragendas habebat, uisitatis conuentibus, collegijs, monachorum cœnobijs, ecclesijsque cathedralibus, antiquitates ipse collegit. Et quicquid memoria dignum poterat, uel ex bibliothecis, codicibus, calendarijs, Martyrilogijs, antiquis sepulchris, epitaphijs, fenestris, aut similibus ueterum monumentis haurire, tabellis uel rotulis inscripsit. Vnde tandem, quæ rectè ex his omnibus didicerat, posteritati uir candidus, per editos libellos consecrauit. Quorum uidi,

Antiquitates Anglicas,	Lib.3. *Eximiæ probitatis & prudentiæ.*
Epistolarum aceruum,	Lib.1. *Oratori necessaria est sapientia.*
Collectiones Medicinales,	Lib.1. *Recipe in nomine indiuiduæ trinitat.*
Abbreuiationes doctorum,	Lib.1. *Cumq; diuersorum diuersi problematum.*
De astrologiæ ualore,	Lib.1. *Post locorum descriptionem debet sequi.*
Acta Domini Ioannis Fastolfi,	Lib.1. *Anno Christi 1421, & anno regni.*

Pluraq; alia congessit, quæ an adhuc extent, planè ignoro. Claruit anno salutis humanę 1460, qui ætatis suæ 45 erat, dum inter duos reges, Henricũ & Eduuardum horrida bella durarent, ipse tamen consueta non intermittebat studia.

PAPAE, VEL ANTICHRISTI ROMANI.

156. *Pius Secundus, natione Hetruscus, patria Senẽsis, ex patre Syluio, matreq; Victoria, Aeneas Picolhomineus antea uocatus, ambitionis uitio grauiter diu laborans, ad Pontificatum tandem peruenit. Ex paupere adolescente in tantum uirum creuit, ut testantur historici omnes qui res Pontificias scribunt, ut inter doctos Papas longè doctissimus haberetur, scriptorq; diligentissimus. In Basiliensi concilio scriba Pontificis erat, impugnabatq; orationibus et epistolis Eugenij authoritatem. Mox ab Imperatore Friderico tertio, poeta laureatus factus est, & in eius aulam uocatus, primas promotiones accepit, in epistolarum magistrum atque cõsiliarium assumptus. Præterea legatus, huc illucq; ad diuersos mundi principes missus, à Papa Nicolao episcopus Tergestinus, postea Senensis fiebat, & à Calixto in Cardinalium numerum referebatur. Postremò Papa factus, contra Turcas, prædecessorum more, profectionẽ indixit: sed morte præuentus, non peregit. Sunt qui scribant eum, inquit Ioannes Funccius, prætextu belli Turcici, Germaniæ, cuius diuitias non ignorabat, ut qui multos annos in ea transegerat, pecunias ad se rapere conatum esse: ut eas in luxum Pontificium, in nepotes & amicos pauperes effunderet. De actis concilij Basiliensis, ille olim summa etiam diligentia duos libros scripsit: quos tamen dein Pontifex factus, supprimere conabatur. In omnibus enim quæ Pontifex agebat, non extenuare maiestatem pontificiam (superbiam ac tyrannidem potius) sed in immensum augere ambitiosissimus laborabat. Pro qua (Stella Venetus inquit) neq; reges aut duces, neque populos aut tyrannos ullos (omni tyranno atrocior ipse) formidasse comperiebatur. Imò, si quos delinquẽtes uidisset, & bellis et censuris tandiu persequebatur, donec eos ad sanitatẽ redijsse nouisset.*

Propterea Ludouico undecimo Gallorum regi aduersarius extitit magnus, quòd pragmatica sanctione cleri libertates in suo regno minuere tentaret. Borsio Estensi ac Mutinæ duci succensuit, & bello eum insectatus est, quòd Sigismundo Malatestæ ac rebus Gallicis contra Ferdinandũ faueret. Ferdinandum namq; regis Alphonsi nothum, in Neapolitanũ regnum authoritate & exercitu, contra Ioannem Andegauum Renati regis filium, uiolenter posuit. Sigismundum Austriæ ducem diris execrationibus persequebatur: quòd in eius creaturam, Cardinalem Nicolaum Cusanum, ob rapacitatem arrogantem animaduertisset. In eius oratorem quoq; Gregorium Haimburgensem iuris consultissimum, ceu exagitata quædam uipera (ut Vuolfgangus Vuissemburgius Basiliensis theologus scribit) uirus suæ maledictionis effudit, et fulminationis suæ literis ita persequebatur, ut Bohemiam sibi patriam quærere cogeretur. Dietherum Eysemburgium Moguntinensem archiepiscopum, malè

(ut

(ut ipse interpretatur) de Rom. ecclesia sentiëtem, sede furiose depulit, inq; eius locum alterum suffecit. Beneuentanum item archiepiscopum, contra eius uoluntatem res nouas molientem, archiepiscopatu submouit. Georgio Bohemiæ regi, Hussitis fauenti, pro fide, sub regni sui periculo, diem dixit. Multos Episcopos lucri gratia deposuit: & duodecim Cardinales nouos ueteribus addidit. Mantuæ concilium celebrauit: ac pragmaticam legem, ut Rom. ecclesiæ perniciosam pestem, in Gallijs abrogauit. Scribarum abbreuiatores primus creauit, atq; in ordinem redegit. Multas Campaniæ urbes suæ potestati subegit, & prouentus Ecclesiæ mirabiliter auxit. Nil regibus, nil populis, timore unquam concessit (inquiunt arrogantes Papicolæ) sed cleri inimicos, ueluti publicos hostes constanter & intrepidè persecutus est.

Amicos autem (nepotes etiam plures habuit) humanissimè & officiosissimè semper adiuuit. Fodinas inuenti tum primùm aluminis, apud Topham instituit. Angelum Hierosolymæ natum, Carmelitam martyrem canonizauit, solicitatore Ioanne Soretho: & Catherinam Senensem Dominicanæ professionis mulierem inter uirgines retulit. Ex Peloponneso D. Andreæ apostoli caput transferri curauit, & alia Papalia prodigia fecit. Dum ædificãdi studio uehementer teneretur, (uide commendationes Papistarum) sua impensa, templi scalam ad Vaticanũ uetustate collapsam, instaurauit. Vestibulum ædium, ad dignitatem & loci tutelam muniuit. Aram præ foribus templi ruderibus purgatam, sternere parabat. Porticũ, unde populo benediceret, inchoauit. Tyburi arcem perfecisse prius, quàm inchoasse uisus est. Senis quadrato saxo, gentilibus suis porticum fastigiatam & ornatissimam extruxit. Corsinianum, ubi natus erat, ciuitatem fecit, & à suo nomine Pientiam appellauit: templumq; testudineum, celebre quidem, atq; ornatissimas ædes extruxit, & paternis ac maternis ossibus sepulchrum marmoreum condidit. Vide Platinam. De Euangelij uerò prædicatione, ad plebis in Christo salutem, non unicum uerbum est. Cum Anconæ esset, ad bellum profecturus, anno Domini 1464. lenta febre percussus, diem clausit extremum: Romam delatus, & in D. Petri templo sepultus. Morbi tamen dum uiueret illi familiares erant, tussis, calculus, ac podagra. Multas uiri huius laudes (inquit Volaterranus) unũ ambitionis uitiũ cõmaculabat. Quum semper promotionũ appetentissimus fuerit, atq; gloriæ: ea de causa & labores suscepit plurimos, & amicitias principum coluit.

Huius Pij Secundi epitaphium, ex uetusto quodam codice:

Frigida membra Pij retinet lapis iste loquacis,
Qui pacem moriens attulit Italiæ.
Summe Deus, quantum mortalibus alme dedisti,
Fulmine cum tetigit hoc caput æqua manus?
Vendiderat precio gentes, & crimina multa
Virtutis specie gesserat ille Pius.
Impius hic fuerat, quamuis sub nomine pulchro,
Crediderit falsis posse iuuare fidem.
Nunc fidi comites, sceleratáq; turba clientum,
Ingemuere Pium. nam scelus orbis erat.

Conclusio:

Impius hic situs est, crudelis, raptor iniquus,
Aeneas, fatuæ quem genuere Senæ.

157. Paulus Secundus, patria Venetus, patre Nicolao & matre Polyxena genitus, Petrus Barbus antea nominatus, ac Eugenij quarti ex sorore nepos: ex Cardinale S. Marci, prædicto Pio suffectus, diaboli atq; Antichristi uicarij eius sedem occupauit. Is ante Papatũ diu, iturus in mercaturam, quum audisset Gabrielẽ auunculũ creatũ esse Pontificem, literis animum adiecit. Et Romam profectus, primùm archidiaconus Bononiensis, inde episcopus Ceruiensis, postea Cardinalis, ut dictum est, ac tandem Pontifex & magnus Antichristus creabatur. Vir corpore quidem specioso, sed animo elato: diligens erat in auro colligendo, diligentior in distribuendis pro lucro beneficijs. De eius apparatu pontificio (inquit Platina) non est cur ambigas, maiores ab hoc uno superatos, regno præsertim, siue mitram uelis appellare, in quam multas opes contulit, coemptis undiq;, ac magnis precijs,

adamantibus, sapphiris, smaragdis, chrysolithis, iaspidibus, unionibus, & quicquid gemmarũ in precio est. Quibus ornatus, tanquam Aaron redimitus ac splendidus, in publicum forma humana augustiore prodibat. Inspici tum ab omnibus uolebat, & admirari. Hanc ob rem nonnunquam peregrinos in urbe retinuit, intermissa ostendendi sudarij consuetudine, quo à pluribus eodem tempore cerneretur. Præterea, ne solus differre à cæteris uideretur, publico decreto mandauit, proposita pœna, ne quisquam bireta coccinea (ita appellabant capitis tegmen) præter Cardinales ferret: quibus etiam primo sui pontificatus anno, pannum eiusdẽ coloris dono dedit, quo equos uel mulas sternerent, dum equitarent. Hæc Platina.

Maiestatem quoq; suam tum authoritate, tumq; armis augere conatus, toto suo pontificatu bella per insidias in Italia suscepit. Vnde Ariminum & alias urbes oppugnans, suburbia earum, imò ciuitates ipsas tormentis atq; alijs instrumentis bellicis lacerari miserabiliter fecit. Pij prædecessoris decreta & acta stomachose odiebat: & abbreuiatores omnes, quos ille in ordinem redegerat, abrogauit atq; exautorauit. Eos etiam bonis & dignitate, indicta causa spoliauit: quos propter eruditionem ac doctrinam, ex toto terrarum orbe conquisitos, magnis pollicitationibus & præmijs uocare ad se debuerat. Canonicos regulares è Lateranensi cœnobio per Calixtum expulsos restituit: multaq; apud S. Marcum, & in Vaticano extruxit. Hæreticos eos pronunciabat, qui nomen Academiæ uel seriò uel ioco deinceps commemorarẽt. Tardus ille, & crassa ceruice uir erat: & ideo nec literas nec uirtutes amabat. Totus ambitioni, luxuriæ ac uoluptati deditus, dies totos aut gulis (ut Volaterranus author est) aut nummis pensitandis, aut ueterum numismatis siue gemmis siue imaginibus spectandis tradebat: ac si reseratis uitiorum omnium ianuis, unumquodq; scelus committere liceret, dum se iactitaret ius fasq; habere in scrinio pectoris sui. Præcipua illi cura fuit semper, ut omnia ad uictum necessaria urbi non deessent: sed de Christiana disciplina non unicum uerbum. Deniq; decem Cardinalibus ab eo creatis, inter quos Franciscus Ruerius unus fuerat, cum longam sibi uitam persuasisset, anno Domini 1471, et cum eadem nocte iucundissimè cœnasset, apoplexia correptus, uitam cum morte mutauit, nemine uidẽte. Cui postmodum incredibilis operis sepulchrum marmoreum à suis nepotibus Cardinalibus erectum fuit. Ex hoc tempore res pontificia ad inclinationem uergere cœpit.

Qui uerò de hoc Pontifice plura scire cupit, ad appendices oculos conuertat. Vnum hoc tamen non me præteribit, quòd apud Stanislaum Ruthenum reperi. Cum quædam poemata Romæ legisset Paulus in se atque filiam scripta, illachrymasse dicitur, & acerbitatem legis cœlibatus cum amicis expostulasse: quòd is, qui non solùm Ecclesiæ, sed etiam continentiæ antistes esse deberet, filiam in ore atque in oculis ciuitatis cum summo probro uersari uideret. Quæ etsi erat eximia pulchritudine, scortatione tamen ab se ortam dolebat existimari: cum legem Dei sciret esse, qua huic in matrimonio nasci licebat, nisi idem cœlibatus obstitisset. Itaque consilium illum cœpisse de restituendo sacerdotum coniugio ferunt: quod ille tamen morte præuentus, exequi non potuit. Præsentationis S. Mariæ festum ille approbauit: & grande palatium in S. Marco construxit.

158. *Sixtus quartus, genere Ligur uel Genuensis, urbe Sauona oriundus*, Franciscus Ruerius antea dictus, Franciscanorum minister generalis, & ad S. Sixtum Cardinalis presbyter, *Paulo defuncto, in execrabili hac sede execrabilior bestia successit*. Huius perditissimi lenonis ac diabolici monstri in appendicib. post Ioannem Erghomum, horribilia facta uidebis: quibus authores hæc addiderũt: Ad arma conuersus, Volaterrano teste, quibus magis quàm religioni natus fuerat, bella per fas nefasq; gessit. Aduersus Vitelium Tiphernatem, Florentinos, Venetos, Columnenses, Ferdinandum Siciliæ regem, Calabriæ ducem, & alias gentes ac principes, expeditiones iniustissimas fecit. Christianos reges obsequẽtes semper habere gaudebat: quos pro uoto suo aut exaltauit, aut depressit. In Longobardos execratos, igne ferroq; concitauit suos tunc cõfœderatos Heluetios: quos diplomate ac uexillo donauit (Christiani gregis pastor) ut Christianorum sanguinem audacter effunderent. Agnatos ac spurios præter ecclesiæ Rom. dignitatem aut honestatem, quocunq; potuit, euexit, diuina humanaq; eis iniquè tribuens. Duos enim nepotes, Leonardum & Ioannem, urbis præfectos alternatim constituit. Christophorum & Dominicum Ruerios, fratres, in patrum collegium cooptauit: ac Iulianum propinquum, & Raphaelem ex sorore Violentina, nepotes, ambos Sauonenses, in

Cardinales

Cardinales promouit. Quorum tamen Raphaelem cum Saluiato Pisano, atque alijs multis, Laurentius Medices patibulo suspendit, quòd eius fratrem interemissent. Monachorum mendicantium omnium tutor maximus erat, ut qui eis redditus habere concessit, & uitam æternam post mortem.

Vrbis Romanæ quasi nouus conditor habebatur: eamq; ex lutea lateritiam fecit, sicut olim Augustus ex lateritia marmoream. Vias publicas primùm strauit ac muniuit, porticibus ablatis quæ illas occupabant. Vicorum curatores ordinauit, at non regni Dei denunciatores designauit. Templa omnia uetustate obsita restituit. Xenodochium S. Spiritus ædificijs ampliauit: in quo uitæ suæ ordinem depingi gloriosulus curauit. Templũ pacis de nouo construxit, impositis canonicis regularibus: templum quoq; S. Mariæ de populo, à fundamentis erexit. Imò ecclesias urbis omnes aut instaurauit, aut beneficia saltem ipsis contulit: & Indici ritus sacerdotibus fanum fabricauit. Pontem Aurelium penitus collapsum, suo apposito nomine, & ædes in Vaticano pontificias refecit, Prætorianisq; excubitoribus loca commoda aßignauit. Ad uicesimumquintum annum, Iubileum, propinquorum suorum causa, auarus mercator reduxit, primusq; celebrauit. Multa officia scribarum, breuiatorum, sollicitatorum, astipulatorum, & Apostolici fisci notariorum, ad marsupium excogitauit: quæ semper à pontifice pecunia possent redimi. Conditiones fœderis Rom. sedis & Galliarum regni (ad ecclesiastica spectantes negotia) publicè omnibus exhibuit. Conceptionis Mariæ, ac Præsentationis eiusdem, Annæ eius matris, Iosephi nutritij, Francisci Seraphici, & Alberti Drepanensis, festiuitates instituit, Bonauenturamq; Franciscanum in sanctos papisticos retulit. Trigintaduos Cardinales suo tempore creauit: ac multas ordinationes ad cleri commoditatẽ edidit. Laurentium Medicem Florentinum, ob suspensum Raphaelem nepotem, excommunicauit, ac diris deuouit: & Florentinos omnes magnis damnis oppreßit. Sedis Antichristianæ fastigium ita tuebatur, ut non facile cuiquam, quamuis maximo, pessundari pateretur. Quum pacem ab Hercule Estensi, Ferrariensium duce, præter eius uoluntatem & consensum, cum Venetis fieri conspiceret, ex animi rancore, aduersante etiam podagra, qua tunc laborabat, anno Domini 1484, in quintum diem expirauit.

De quo à diuersis cuduntur hæc carmina:

Non potuit sæuum uis ulla extinguere Sixtum:
Audito tandem nomine pacis, obit.

De pace post Sixti mortem:

Dic unde Alecto pax ista refulsit, & unde
Tam subitò reticent prælia? Sixtus obit.

Rursus in Sixtum:

Mortuus est Sixtus, gaudet nunc Roma: trahatur,
Vt dignum est, unco mortuus in Tiberim.

Aliud in eundem:

Sixtus obit, gaudent omnes: ne funere sicco
Transeat, amissa plangite glande sues.

Aliud in eundem:

Extulit auratas sed postquam maxima glandes
Ecclesia, innumeris patefacta est ianua porcis.

Epitaphium eiusdem Sixti:

Sixte iaces tandem, fidei contemptor & æqui:
Pacis ut hostis eras, pace peremptus obis.
Sixte iaces tandem: lætatur Roma, tuo quæ
Passa sub imperio est funera, bella, famem.
Sixte iaces tandem, nostri discordia secli:
Sæuisti in superos, nunc Acheronta moue.
Sixte iaces tandem, fraudisq; doliq; minister:
Et sola tantum proditione potens.

Sixte iaces tandem: tibi nil nisi fata tulere
Pontificis nomen, cætera Hieronymo.
Sixte iaces tandem, pressa est quo sospite uirtus,
Leges, sacra, pium, relligioq́; fides.
Sixte iaces tandem, deflent tua busta cinædi,
Scortaq́;, lenones, alea, uina, Venus.
Sixte iaces tandem, summorum infamia, fexq́;
Pontificum, tandem perfide Sixte iaces.
Sixte iaces tandem, uos hunc lacerate Quirites,
Dentur & impastis membra scelesta feris.
Quid pia profuerint functo solennia Sixto?
Tradita sunt celeri uota precesq́; noto.
Riserat ut uiuens cœlestia numina Sixtus,
Sic moriens nullos credidit esse Deos.
Sixte iaces tandem, superis inuisus & imis:
Inclusus grauido uentre necandus eras.
Stupra, famem, strages, usuras, furta, rapinas,
Et quodcunq; nefas, te duce Roma tulit.
Magna licet tardæ soluenda est gratia morti:
Omne scelus tecum, Sixte cruente, iacet.

Aliud in eundem:

Pædico insignis, prædo, fucosus, adulter,
Exitiumq́; urbis, perniciesq́; Dei.
Gaude prisce Nero: uincit te crimine Sixtus.
Hic scelus omne simul clauditur, & uitium.

159. Innocentius octauus, patria Genuensis, ex patre Aarone, Ioannes Baptista Cibo antea nuncupatus, ex D. Ceciliæ presbytero Cardinale, rex locustarum, monachorum ac sacrificulorum, Papa uidelicet, post Sixtum creabatur. Pauper olim puer erat (ut Volaterranus scribit) præstanti forma tamen: & inter Alphonsi Siciliarum regis ministros nutritus, aulicos mores perdidicit. Inde Romam ueniens, in cōtubernio Philippi Cardinalis Bononiensis longo tempore mansit. Præsul deinde Sauonensis, postea Melphitensis, & à Sixto Datarius factus: postremò Cardinalis, ut dictum est, ac Pontifex constituebatur. Fuit corpore excelso & candido, decoroq́;: sed ingenio tardo, & à literis procul, ita ut inter officia publica quandoque dormitare uideretur. Quum à prædicto Sixto plurimùm amatus esset, ob dulces mores & humanitatem, qua omnes (inquit) usque ad uitium superauit: uerùm quum omnibus blandus fuisset, nemini tamen benignus (egregia laus) innatam auaritiam iocis ac dicterijs transigebat. Initio ferè pontificatus contra Ferdinandum Siciliæ regem, cum eius regni proceribus conspirauit (sic sibi ueteres rependit amicitias) expeditionis duce Roberto Seuerinate accersito. Dicebat sanctus homo ac pacis amator, pro Ecclesiæ dignitate ac subditorum tutela, arma esse sumenda, ut pax inde sequatur. Ac si mala facienda sint, contra doctrinam D. Pauli, ut inde ueniant bona. Deceptum nihilominus tandem se uidens, necessariò pacem fecit his conditionibus: ut sibi census debitus penderetur, & rebelles manerent incolumes. Sed neutrum eorum Ferdinandus rex sapiens præstitit: quum tamen ad id exigendum, Petrus Vicentinus, audacißimus satelles & auditor eius cameræ, cum Apostolico secretario mitteretur.

Post hæc Innocentius, bellorum pertæsus, & ad simulatæ pacis concordiam conuersus, nihil prius habuit, quàm quieti, inerti scilicet, studere: quæ diuersas cupiditates, concupiscentias, fraudes, ignauias, uoluptates, pompas, gulas, luxurias, libidines, & idolomanias secum affert. Sixti deinde secutus exemplum, quæstus gratia, secretariorum collegium instituit, pristinum numerum augendo. Nouo palatio papatum ornauit: & domum solatij mirabili modo instruxit. Pontificum primus, inaudito exemplo, palàm suos spurios, et citra pudorem, diuitijs atq; honoribus auxit. Nam Francisco suo

notho oppida nonnulla urbi uicina dedit: ac Theodorinã eius generis filiam, ditißimo Genuensi locatam, opibus magnis ornauit. In his nihil uidet Vuicelius pontificius, qui tam libidinosam bestiam à uitæ innocentia, doctrina, facundia, & pace commendat. Genitor (inquit) erat filij filiæq́; quibus affatim prospexit. Nothos, cubicularios, & contubernales, Cardinales creauit: & Heliopoldum Austriæ olim ducem, sanctorum catalogo aggregauit: Venetos Sixti censura damnatos absoluit: & indulgentias uiuis ac mortuis uendidit. Quamplura Italiæ templa magnis ditauit donis: cœnobio Augustinianorum Bergomensium ecclesiam argenteam mirifici operis dedit: et Noruuegijs, ut absq; uino missare possent, bullis suis concesßit. Nouamq; adhuc artẽ pro cumulandis nummis quærens, cum nec indulgentiæ plenariæ, nec Iubileus, nec Turcicum bellum iuuarent, crucis Christi titulum, tripli ci lingua scriptũ, Iesus Nazarenus, &c. in quodam pariete occlusum inuenit, cum hastæ ferro quod latus Domini perfodit. Longa infirmitate impeditus, alia multa quæ conceperat, implere non potuit: sed anno Domini 1492 naturæ exoluit debitum. Qui plura adhuc de hoc Pontifice desiderat scire, appendices post Erghomum legat.

160. Alexander sextus, natione Hispanus, patria Valentinus, Rodericus Borgia antè nominatus, Calixti Papæ tertij quondam ex sorore nepos (si non spurius) nonnullorum Cardinalium opera Satanæ sedem in ipso est adeptus Papatu. Quid huius scelestißimi nebulonis inaudita, obscœna, & opprobriosa facta enarrem? Luxuriosißimus certè tyrannus fuit, & dæmonibus ipsis ex fœdere iunctus, ut tandem in pontificem crearetur. Ab adolescentia sua in Cardinalatu diu uicecancellarius existens, omnem Rom. curiæ statum, procursum, ac totius Italiæ principum & communitatum consilia callebat. Omnes igitur Pontifex factus, per Valentinum spurium, quem ex Cardinale ducẽ constituit, ac Cæsareum cognominauit, penè deprimebat: & potentes in urbe familias exterminabat, ita ut eos deinceps nõ pertimesceret. Quo certamine (inquit Valerius) Gallorũ Heluetiorumq́; præsidio, cruentè admodum, in utrumq; sexum confecto, superbus ille sacrificulus, Gallica à coniuge Valentiæ dux, nummos aucupaturus, aconito Cardinalibus aliquot adparato, gloriantem tanto filio patrem consopiuit, ac subinde teli ictu indignam utriusq; gloriam extinxit. Iubileum anno Christi Millesimo quingentesimo Romæ Alexander celebrauit: in quo his qui uenire neglexerant, aut minimè uenire poterant, per diplomata Iubilei gratiam concesßit: sed non gratis. Omnes excogitabat uias ad pecuniam, quæ suis cupiditatibus suppeteret.

Quapropter nouum scriptorum breuium collegium instituit, numero octoginta: quorum loca singula 750 aureis ueniere. Principes per bullas ad dictum Iubileum inuitauit, & stationes ubique gentium uicatim constituit: quò absentes etiam aureos mitterent. Cardinales trigintasex suo tempore creauit, in quibus octodecim fuerunt Hispani: de suis autem, Ioannes Borgia, Valentinus Borgia, & Franciscus Borgia. Per Ioannem ab Alphonso nono rege Neapolitano iuramentum accepit, super fide Abadoni seruanda, & tributis annuis soluendis. Arcem S. Angeli ingenti impensa munitißimam reddidit. Templum Mariæ maioris incredibili pulchritudine exornauit. Vias publicas Leoninæ urbis construxit, aliaq́; in urbe ædificia instaurauit: sed de cœlesti Hierusalem nihil cogitauit. Plures animi dotes, inquit Volaterranus, magnis obruerat uitijs, quæ narrare non attinet: tantùm referam quæ uulgus aspexit. Si quando rerum fasce, ait, non premeretur, omni remisßionis generi (sanctus Pontifex) sine discrimine se dedidit. Quapropter comœdias Plautinas, cæteraq́; ludicra (Papale exercitium) libenter spectauit. Frequenterq́; in Hadriani molem uentitabat, ut palàm personatos per eorum ferias atque omnes dies festos, si quid elegantius in hominum genere, scortis uel Ganymedibus, per uiam præteriret, propius aspiceret. In nuptijs filiæ, quæ ad uirum Ferrariam erat profectura, equestres ludos & uenationes in Vaticano extra ordinem dedit. In urbe gladiatorum nunquam licentia maior, nunquam populo Romano libertas minor. Delatorum magna frequentia, breuißimo maledicto pœna mortis erat. Grassatorum insuper omnia plena: nec noctu tutum per urbem iter, nec interdiu extra urbem. Roma gentium refugium & arx populorum omnibus seculis, nobilis iam carnificina facta erat. Quæ quidem omnia, spuriorum suorum causa, quibus omnia indulserat, permittebat, &c.

Quàm sint hæc contraria Vuicelij scriptis, prudens Lector uideat, ac adulatores Papisticos

 detestetur.

detestetur. Nunquam ferè reperiri potuit, quin aut libros legerit Alexander, aut sacris operaretur. Illudq; sategit, ut principes à bellis intestinis uel ad pacem reuocaret, uel ad resistendum Turcis inflammaret. Sic habet Vuicelius. Cumq; Alexander animo adhuc maiora, quàm quæ dicta sunt, de spurijs suis conciperet, diuturnioremq; uitam sibijpsi polliceretur, anno Domini 1503, subitò in mortem (ueneno, quod alijs parauerat) incidit, ex quo absumptus est. Plura adhuc uide in nostris Appendicibus, & apud Volaterranum, qui & filij bella, & patris fraudes graphicè depingit. Huius Papæ tempore, Angelus apud Hadriani molẽ, in supremo loco positus, terrifico fulmine deiectus in terram fuit: quod in Papatu casum prænũciabat. Parisijsq; fiebat meretricũ ordo per Minoritã, Ioannem Tisseranũ, ac si Christiana religio meretricib. etiam indigeret. De hoc Alexãdro sunt hæc carmina.

Epitaphium eiusdem:

Fortasse nescis cuius hic tumulus siet,
Adsta uiator, ni piget.
Titulum quem Alexandri uides, haud illius
Magni est: sed huius, qui modò
Libidinosa sanguinis captus siti,
Tot ciuitates inclytas,
Tot regna uertit, tot duces letho dedit,
Natos ut impleat suos.
Orbem rapinis, ferro & igne funditùs
Vastauit, hausit, eruit:
Humana iura, nec minus cœlestia,
Ipsosq; sustulit deos:
Vt scilicet liceret (heu scelus) patri
Natæ sinum permingere:
Nec execrandis abstinere nuptijs,
Timore sublato semel.
Et tamen in urbe Romuli uel undecim
Præsidet hic annis Pontifex.
I nunc, Nerones uel Caligulas nomina,
Turpeis uel Heliogabalos.
Hoc sat uiator, reliqua non sinit pudor:
Tu suspicare, & ambula.

Aliud epitaphium Alexandri:

Hic Iacet Hispanus, famæ contemptor honestæ:
Vis breuius? lapis hic contegit omne scelus.

Aliud in eundem:

Nomen Alexan dri ne te fortasse moretur,
Hospes abi: iacet hic & scelus & uitium.

In eundem Alexandrum:

Mirum si uomuit nigrum post fata cruorem
Borgia? quem biberat, concoquere haud potuit.

Aliud in eundem:

Sub quo bella diu uiguerunt, pestis in urbe,
Diluuium populo, semper amara fames:
Mille hominum cædes, & furta incesta fuerunt:
Causa mali tanti proditor ipse fuit.
Sacrilegus prædo, sacra qui uenalia cuncta
Fecerat, & cum quo polluit omne nephas.

Aliud

Aliud in eundem:

Visuram se iterum Sixtum cum Roma putaret,
Pro Sixto Sextum uidit, & ingemuit.

Aliud in eundem:

Bello, inimicitijs, furtisq; & cædibus haustam
Italiam cernis Sexte, & obire potes?

Aliud in eundem:

Dic in amicitiam coeant, & fœdera iungant
Mortales: dixit Sextus, & occubuit.

Aliud in eundem:

Piscatorem hominum ne te non Sexte putemus,
Piscaris natum retibus ecce tuum.

Aliud in eundem:

Europem Tyrio quondam sedisse iuuenco
Quis neget? Hispano Iulia uecta boue est.
Ille sed astrigeri partem uix occupat orbis:
Hic cœlum atq; deos sub ditione tenet.
Vnde igitur, si par meritum, non par quoq; fatum,
Romanam amplexu plus tenuisse fuit?

161. *Pius tertius, natione Hetruscus, patria Senensis, Pij Secundi ex Laodamia sorore nepos, & Franciscus Picolhomineus antea uocatus: prædicto Alexandro post contentiones, Cardinalium suffragijs in eadem sede successit. Post patris mortem, Valentinus Borgia eius thesaurum omnem corripiens, Vaticanum Papalis electionis locum, duodecim armatorum millibus muniuit, ea intentione, ut Cardinales in sua uota compelleret. Ipsi uerò Cardinales, ad periculum illud euitandum, in ædem Mineruæ se statim congregabant: & ab eo mox circundati erant. Fama autem inde peruagante, captos esse patres, & direptiones ac cædes tota urbe fieri, omnes ilico pauor inuasit. Tabernæ postea claudebantur, arma corripiebantur, transtris, trabibus, catenisq; ferreis uiarum exitus obstruebantur, haud aliter quàm si rursus Hannibal mœnia tenuisset. Ille autem, quòd duram fortè prouinciam assumpsisse uideretur, rogatusq; à patribus, ut à tali pertinacia desisteret, paulo mox se obtemperaturum pollicebatur. Cum ergo electus esset hic Pius, deposita feritate Valentinus gratias egit Cardinalibus, quòd quem maximè cupiebat, ordinassent Papam. Ille pontifex statim, contra Gallos Italiam occupantes, conspirationem fecit: indignè ferens, Apuliam & magnam Italiæ partem eorum regem sibi subegisse. Sperabat affuturum diem, quo insidiarum tendiculis circunductum Gallum (bonus Papa) damnis affligeret: ac tandem coniuratorum ope, terris illis exploderet. Sed interim, dum hæc studeret, ex ulcere cruris, quo diu laborauerat, 27 post suam creationem die decessit, eodem anno Domini 1503, quo prædictus Alexander, quintodecimo calendas nouembris: nihilo rerum ab se gesto, quas maximas animo conceperat. Nam præter bellum Gallicum, & Ecclesiam reformare, cōcilium celebrare, ac in Turcas proficisci auunculi sui imitatione statuerat.*

In huius quartæ sectionis fine, ex præteritis claret, quod adhuc sidera in terram collapsa, Apoc. 9, etiam sint hi pontifices quadragintaunus, quos ab Innocentio quarto recitauimus, propter absolutam, plenam & perfectam eorum à Christo defectionem, per execrabilissimas idololatrias, tyrannides & luxurias. Et eius generis erant sub Dracone magno quadraginta pontifices, ac nunc sub Abadone peremptore quadragintaunus, qui simul faciunt octoginta & unum numero. Horum primis à Syluestro secundo ad Innocentium quartum, data est clauis abyssi Tartareæ, ut ex eius horribili fumo locustas uoratrices in Christianas regiones emitterent, ut suæ iniquitatis illic operentur mysteria. Posterioribus autem ab eodem Innocentio ab Iulium secundum, concessum est, ut eas nutrirent ad omnis ueritatis obscurationem: ut impostricibus doctrinis ac mendacibus signis deciperet, si possibile

sibile sit, etiam ipsos Dei electos, Matth. 24. Nam Draco ille magnus, qui et Satan ipse, Angelus est Abyßi, idemq; Abadon, Locustarum formidabilium, fraterculorum scilicet Mendicantium, ac Missantium sacrificulorum rex, Latinè uastator, exterminator, perditor, peremptor. Hi enim perfida ac pestilenti doctrina decretorum Papalium, sententiarum Lombardicarum, ordinariarum quæstionum, determinationum, quodlibetorum, summarum, fratraliumq; sermonum & consimilium nugarum, innumeros ad gehennam, à prædicto Innocentio per 260 annos trahebant. Ita ut sint huius generis pontifices et doctores per pallidũ equum significati, cuius sessor est mors tum corporis tum animæ, quam sequitur infernus, Apoc. 6. Per ignes hi etiam, insatiabili tyramnide, per aquas, laqueos, gladios, atq; omnium mortium genera, perditißimi nebulones, sanctißimorum ueritatis Dei testium corpora indies perdunt, quod Abadoni eorum regi obedire relicto Christo contemnant. Exemplo his diebus in Anglia nobis sunt, Polus Cardinalis, spurius Bonerus, Vuhitus perfidus, & alij adhuc multi, Antichristi ac diaboli laniones. Ab his lupis rapacibus suam sponsam ecclesiam misericorditer liberet Deus noster optimus maximus. Amen.

NICOLAVS KENTON. XXVIII.

NIcolaus Kenton, in Sudouolgia, & in oppidulo quodam sui cognominis, decem à Gippesvuico passuũ millibus, oriũdus, ut literis, quas semper amauit, incumberet totus, in eiusdem urbis Gippesvuicensis cœnobio Carmelitam induit. Pro seuerioribus postea scientijs adipiscẽdis, diuersas regni partes studiosus peragrauit: & quod laboriose quæsiuerat, utiliter demum inuenit. Rhetor, poeta, philosophus, ac theologus, sua tempestate tam disertus erat, ut longe ultra eius ætatis naturam, ex tempore eleganter ac frequenter orare consueuerit. Sacris uerò literis obnixè operam Cantabrigiæ nauauit: ubi & theologi tandẽ insignibus donatus fuit, honoremq; inter suos summum statim gessit. Nam & præses sui sodalitij prouincialis in Anglia uicesimusquintus, publico omnium suffragio cõstitutus, 12 annis cum eorum fauore ac laude ministrauit. In epistolis tamẽ ad generalem Facium, plura perniciose fulminabat, contra nouã sui ordinis reformationem: quam audiuerat per Thomam Rhedonium, circa annũ Domini 1432 Mantuę fieri. Qui Thomas, igne postea sub Eugenio quarto extinctus est: quoniam id dixerat quod uerissimum fuit, nempe abominationes Romæ regnare. Sed quia suis tanquam ex Anglia flammis, Nicolaus Romæ carbones accendit, impunitus omnino non mansit, ut in eisdem epistolis conqueritur. Multi enim in Anglia fuerunt, Philippus Norisus & alij (hæreticos illos uocat) qui anno Domini 1446, suos ubiq; fratres molestabant. Alios etiam fuga sustulit, alios deleuit pestis, donec à mille quingẽtis, ad multo minorem (octingentos uidelicet) uenirent numerum: quod & lamentis ille defleuit, signumq; fuit punitæ eorum hypocrisis. Deniq; hæc monumenta Nicolaus posteritati reliquit,

Propositiones ad Clerum,	Lib. 1. Obsecro uos fratres amantißimi.
Positiones Theologiæ,	Lib. 1. Vtrum imago summi regis in homine.
Orationes 12. ad fratres,	Lib. 1. Deuotißimi patres, fratresq;.
Ad episcopum Excestriensem,	Lib. 1. Audite cœli quæ loquar, auri.
In orationem Dominicam,	Lib. 1. Præhonorandi domini, sacra nos.
In Euangelia 48 sermones,	Lib. 1. Veniens euangelizauit pauperibus.
In Cantica, lectiones 14.	Lib. 1. Osculetur me osculo oris sui.
Ad clerum Cantabrigiensem,	Lib. 1. Ambuletis dignè Deo, ad Thes.
Benedictiones procedentium,	Lib. 1. Dabo filium, cui benedicturus.
Commendationes eorundem,	Lib. 1. Laus eius in ecclesia sanctorum.
Epistolas 212. ad diuersos,	Lib. 1. Reuerendißimo in Christo patri.

Ordinationes

Ordinationes festiuitatum,	*Lib.1. Quoniam ad Dei nostri cultum.*
Historiam Elisæi prophetæ,	*Lib.1. Terræ sulcos, dum rimans aperit.*
Pro Mariæ commemoratione,	*Lib.1. Inuiolabilis antiquitatis authori.*
Vitam D. Cyrilli Græci,	*Lib.1. Gesta sanctorum patrum, quorum.*
Precationes diuorum, car.	*Lib.1. O'mi sancte pater, Alberte uir in.*
Ad Cardinalem Eboracensem,	*Lib.1.*
Ad Dauidem Chirbury,	*Lib.1.*
Ad Nordouolgiæ ducem,	*Lib.1.*
Ad quendam errantem,	*Lib.1.*
Pro suscipiendo pœnitente,	*Lib.1.*
Contra quendam obstinatum,	*Lib.1.*
Ad generalem contra reformatos,	*Lib.1.*
Contra prædecessoris blasphemias,	*Lib.1.*
Contra quosdam apostatas,	*Lib.1.*
Pro relinquendo officio,	*Lib.1.*

Tractatusq; alios edidit multos, qui non comparent. Albertum Drepanensem & Andream Phesulanum episcopum, nouiter tunc canonizata sui ordinis idola, heroicis carminibus salutauit. Fato concessit Londini, quarto die Septembris, anno à communis salutis origine 1468, sub Edvuardo Anglorum rege eius nominis quarto.

HENRICVS PARKER. XXIX.

HEnricus Parker, alias Parcherius, ex Doncastriana societate, in Eboracensi comitatu Carmelita, ut Lelandus habet, famam ab eruditione sibi peperit non infimam. Hic namq; Londini (inquit) anno Domini 1464, sacram in suggestu Paulino orationem habuit: qua Christi paupertatem humilem, superbientibus prælatis obiecit, eorum uehementer improbans ambitionem & fastum: scriptamq;, à plebe rogatus, in eorum uituperium uulgauit. Hinc incommoda multa longi carceris & inediæ, cum suæ professionis socio Thoma Holdeno, ac Dominicano quodam (qui & similia fecerant) perferens, palinodiam compulsus, super tribus articulis, in eodem loco Londini ignominiose cecinit. Tantum Lelandus. Inde est, quod Nicolaus Cusanus, Cardinalis ille magnus, Mendicātes fratres in suis scriptis accuset, quòd ecclesiæ hierarchiam per eos dies perturbauerint. Composuit Henricus, in Meteora Aristotelis

Lectiones 34.	*Lib.4. Intentio philosophi in hoc primo.*
Dialogum diuitis ac pauperis,	*Lib.1. Diues & pauper obuiauerunt sibi.*
De Christi paupertate,	*Lib.1. Simul in unum diues & pauper.*

Dicitur & alia scripsisse, quæ tamen sunt ex eius nominis odio deleta. In dialogo, Cleri abusus insectatur, sed latenter, ob metum pharisæorū. Huius fouens partes Ioannes Myluertonus, triennio Romæ detinebatur captiuus. Claruit Parkerus anno Domini 1470, sub Edvuardo quarto.

IOANNES HARDINGE. XXX.

IOannes Hardinge, ex Septentrionali patria natus, spectabilis generis armiger, uir quidem illustris fuit, & ut ea tempora dabant, non omnino indoctus. Militauit hic primùm sub Roberto Vmfreuyle, Roxburgensis castri præfecto, uiro strenuissimo contra Scotos: postea sub Eboracensium duce præclarissimo Edvuardo, tandem rege, & utrobiq; ad suæ patriæ commodum, semper fidelissimus seruiebat. Ex Chronicis ille collegit, ab Ethelstani regis tempore, Scoticorum regum submissiones omnes, ac præstita fi

delitatis iuramenta Anglorum monarchis, ut in posterum sciretur, Scotiæ regnum à longo tempore, & ferè ab eorum regnorum exordio, Anglorum iuris esse. Etiam ex Scotia subduxit, non sine maximo uitæ periculo, literas quasdam originales, eadem ipsa testantes: quas Anglorum regibus, Henrico quinto & sexto, ac tandem Edvuardo quarto in manus dabat. Ita tum demum ex diuersis historiarum scriptoribus, Brytannici regni principum gesta coaceruauit: & in Anglica metra redigens, prædicto regi Edvuardo dedicauit,

Chronicorum opus,	Lib.2. *Potior substantia uigoris ac forti.*
Scotiæ descriptionem breuem,	Lib.1. *Vt tuæ maiestati certum exprime.*

Breuiter in hoc Chronico, ab alijs narrata, à Bryto usque ad Henricum quartum, explicat: deinceps comperta ac uisa per 61 annos, aliquãto fusius demonstrat, ad Edvuardum quartum usque: sub quo senex, anno nati Redemptoris 1461 claruit.

GVILHELMVS IVE. XXXI.

GVilhelmus Iue, aliàs Iuæus, theologicæ professionis doctor, ad Pauli fanum inter Canonicos præbendarios, præbendarius & ipse, Londini celeberrimus uixit, ac uicecancellarij in eadem ecclesia functus est dignitate. Erat illis diebus non modica conflictatio inter maiores Angliæ prælatos & Mendicantes fratres. Nam ex his erant theologi quidam, qui in suggestu Paulino Londini docuerant, Christum ac discipulos nihil in hac uita habuisse proprij. Quod doctrinæ genus, quia prius à Ioanne 23 Rom. pontifice pro hæresi damnatum nouerant, hæresim & ipsi adiudicabant: *atque id palàm docentes,* hæreticos esse decernebant. Hinc sunt, ut dictum est, Henricus Parkerus & Thomas Holdenus, *cum quodam Dominicano,* per Ricardum Londinensem episcopum, palinodiam canere ignis terrore coacti. Qua quidem iniuria offensus Myluertonus, *Carmelitarum prouincialis,* non solùm suorum fratrum dicta in concione confirmauit, sed & eadem in theologorum scholis contra *quencunque aduersarium, etiam episcopum ipsum,* defensurũ se obtulit. Arrepto igitur calamo, Iuæus iste, uir latinè doctus, in præsulis sui gratiam, aduersus *Myluertonũ & suos complices* opusculum scripsit: quod in eorum uituperium intitulauit, Contra hæresim,

De mendicitate Christi,	Lib.1. *Præteriens aliquando, & aspiciens.*
Lecturas Oxonij lectas,	*Lib.1. Super Babylonis flumina aliquan.*
In minores prophetas,	Lib.12.
De Christi dominio,	*Lib.1.*
Sermones ad clerum,	Lib.1.
Determinationes quoq;,	*Lib.1.*

Et alia quædam edidit. Myluertonum Episcopus mox sacris interdixit, ne deinceps in se atque suos, latratus emitteret tam horridos. Claruit Iuæus diœcesano suo charus, anno à Christi aduentu in carnem 1464, Edvuardo quarto regnante.

THOMAS VVYLTON. XXXII.

THomas Vuylton, ex sacræ Dei legis et utriusq; iuris humani studio, cui *se totum* ab adolescentia contulit, meritò hic esset inter eruditos collocandus: sed tenuis eius ad meas peruenit aures cognitio. *Constat tamen ex ueteris cuiusdam inscriptione codicis,* fuisse illum Londinensis ecclesiæ cancellarium, atque ad Pauli fanum decanum postea constitutum. Cum enim

nim uidisset fraterculorū audaciam aduersus Ecclesiæ proceres in dies crescere magis ac magis, opprimendas aut saltem extenuandas esse eorum uires necessarium duxit, ne adhuc uehementius contra eorum dignitates & superfluas opes inueherentur. Modestè ergo, sed cautè quidem, constituit, res eorum præcipuas in quæstiones & argumenta uocare, ut inde suis timerent quæstibus, clauumq; clauo sic pelleret, Felicis Mateoli exemplo, scriptum quoddam emisit de ualidis mendicantibus, quærens, num sint in statu perfectionis? In quo multa, quę nō libenter audiuissent, latenter propalauit. Vnde opuscula eius hæc sunt,

De ualidis mendicantibus,	Lib.1. *Viri ualidi ad corporales labores.*
Petitiones orationis Dominicæ,	Lib.1. *Cognoscere debes, quæ sunt septem.*
In uisitatione cleri,	Lib.1.

Cætera eius scripta non uidi. In libro de Mendicantibus sic agit: Excusant se, inquit, monachi, in uisitatione mulierum: opus charitatis esse eas uisitare, moribus instruere, & in Domino consolari. Sic (ironia) nullum est periculum, &c. Claruisse fertur hac ætate Vuiltonus.

IVLIANA BARNES. XXXIII.

IVliana Barnes, illustris fœmina, corporis & animi dotibus abundans, ac formæ elegantia spectabilis, inter alia humanę uitæ solatia, uenationes et aucupia in magnis habebat delicijs. Has uidit heroica mulier, nobilium uirorum exercitationes esse post bella, post actiones forenses, uel post administrationes in republica. Nouitq; fortasis Vlyssem has artes instituisse post captum Ilion, & esse à Platone laudatas, ut essent nouæ uoluptatis solatia, his qui parentes amiserant, aut ex bellis incommoda senserant. Eas igitur artes ingeniosa uirago, per scripta dare studuit, tanquam nobilitatis elementa præcipua: persuadens, ut contra desidiam inanem his uterentur iuuenes illi, quibus est cordi uel uirtus uel honestas. Quoniam (ut inquit Seneca) amor iuuentæ gignitur luxu, ocio nutritur inter læta fortunæ bona. Et Ouidius:

Ocia si tollas, periere Cupidinis artes.

His addidit tertiam, Heraldorum scilicet artem. Vnde scripsit in Anglico sermone,

Artem aucupariam,	Lib.1. *Quoniam generosi atq; honesti.*
Artem uenatoriam,	*Lib.1. Sicut in libro de arte aucup.*
De legibus armorum,	Lib.1. *In sequenti opere tractatur.*

Dicitur & de piscatione edidisse opusculum. Heraldorum uerò heroicam philosophiam à ueteranis militibus didicisse fertur. Claruit anno à diuini uerbi incarnatione 1460, regnante adhuc Henrico eius nominis sexto.

IOANNES STAMBERY. XXXIIII.

IOannes Stambery, in occidentali regni parte natus, omnium Carmelitarum (sic Lelandus habet) qui sua ætate doctis artibus Oxonij incumbebant, facilè primus fuit. Cuius eximiæ laudis, inquit, hinc academia, illinc Henricus eius appellationis sextus Anglorum rex, testem longè optimum se offert. Dedit etenim Academia illi tot honorificos titulos, quot unquam antea erudito alicui tribuit. Tum princeps ipse, præcognitis eius uirtutibus, illius consilio in rebus ad religionem pertinentibus maximè usus est. Varijs nimirum naturæ ac doctrinę dotibus eminebat: et præter decentem ac pulchram staturæ proceritatem, tam ingenij quàm eloquentiæ dexteritate præcellebat. Vnde aduocauit illum prædictus rex ab Oxoniensi lectu

ra, ut suo nouiter fundato prope Vuindesoram Hetonensi collegio praeesset primus, rectoq; res omnes disponeret ordine. Talemq; est inde fauorẽ sortitus, ut ad regis confessionem deinceps uocaretur, atque ad episcopatum Nordouicensem. Quem tamen episcopatũ illi praeripuit Guilhelmus à Pola Sudouolcarum dux, ac suo dedit capellano, qui & eodem anno optimum regni gubernatorem Hunfridum necauerat. Sed eius loco Bancorensem pręsulatum tunc uacantem, anno Domini 1448 per regem est adeptus, & post quinq; annos Herefordensem pontificatum. Cæterùm, unum erat, inquit Lelandus, in hoc homine, quod cordati uitio dabunt. Totus nanq; iurauerat in authoritatem Rom. pontificis, & eius sanctiones, quarum ualde multæ non malis hominibus uix ferendæ uidentur. Sed nunc ad libros, quos ita inscripsit, scilicet

Lectura Sententiarum,	Lib. 4. *Textum libri, quem præ manibus hab.*
De laboris uniuersi præmio,	Lib. 1. *Reuerendi magistri, patres, & Do.*
Super fidei symbolo,	Lib. 1. *Vt magis communitati proficiat.*
De dote Ecclesiæ,	Lib. 1. *An liceat clericis & Christi sacer.*
De uigore decretorum,	Lib. 1. *Iura ciuilia, decreta ac decretalia.*
De sanctionibus ecclesiasticis,	Lib. 1. *Conciliorum generalium sanctiones.*
Lecturas Oxonienses,	Lib. 1.
De potestate pontificia,	Lib. 1. *Leges humanas an Papa poterit.*
De discrimine iurisdictionum,	Lib. 1. *Pontificalis dignitatis & præsiden.*
De prærogatiua ecclesiastica,	Lib. 1. *Princeps, ut uerus monarcha, pot.*
De uigore scripturæ sacræ,	Lib. 1. *Tanta est authoritas canonicæ scrip.*
Quæstiones ordinarias,	Lib. 1. *Vtrum uiantis aliqua sit euidens.*
De casu & fortuna,	Lib. 1. *Causa per accidens est duplex.*
Sermones coram rege,	Lib. 1.
De uario scripturæ sensu,	Lib. 1. *Sacræ scripturæ sensus distingui.*
De fato & fortuitu,	Lib. 1. *Superest iam scrutari de fato.*
De regimine celebrantium,	Lib. 1. *Prouocatus etiam per amicos, qua.*
De quatuor minimis,	Lib. 1. *Notandum secundum physicos, aqua &.*
Sermones ad clerum,	Lib. 1.
Sermones ad populum,	Lib. 1.

Hosq; doctorum Indices fecit:

In Chrysostomum, Nemo læditur,	Tab. 1. *Abnegare se qualiter quis debet.*
In Augustini confessionale,	Tab. 1. *Abyssus abyssum inuocat, &c.*
In eundem super Ioannem,	Tab. 1. *Abraham. Vbi Deus Abrahæ, ubi.*
In eundem de doctrina Christiana,	Tab. 1.
In Enchiridion eiusdem,	Tab. 1.
De uisitatione infirmorum.	Tab. 1.
De cura agenda pro mortuis,	Tab. 1.
De laude charitatis,	Tab. 1.
De disciplina Christiana,	Tab. 1.
In homelias Gregorij,	Tab. 1.

Alia insuper edidit, sed omnia ferè Papistica. Pręfuit Bangorẽsibus quinq; annis, Herefordensibus 20 & amplius annis. Ludlovuiæ tandẽ inter suos Carmelitas, mortale onus deposuit 11 die Maij, anno à Christi seruatoris ortu 1474, Herefordiam usq; delatus, ac celebri pompa sepultus, sub rege Edvuardo quarto.

IOANNES SLOLEY. XXXV.

IOannes Sloley, Augustinianus, Nordouici adolescens totum se contulit eius

lit eius generis fratrum institutis: hac lege tamen, ut liber à cæremoniarum iugo, literis tum profanis tum sacris assiduè uacaret. Vir studiosus fuit, & per suam ætatem ex omni parte doctus (sic enim referunt eius ordinis rerum scriptores) qui & patrię suæ gymnasia utiliter celebrauit, & theologicum doctoratum Cantabrigiæ suscepit. Inde ad maiora à sua factione uocatus est, & in prouincialem eorum sublimatus præsidem. In qua quidem functione, per Angliam uniuersam cum plebis applausu Dei uerbum prædicauit: quamuis interdũ tritica paleis, ac uera falsis, inordinatè permiscuerit. Postremò, ut laborũ suorũ fructũ alijs faceret cõmunem, scriptis cõmendauit

Sermones per annum, Lib. 1.
Quæstiones uarias, Lib. 1.

Et alia quædam, ut in quodam eius ordinis catalogo reperitur. Annis multis suis præfuit Augustinianis Slolæus: inter quos Nordouici moriens demum, anno salutis nostræ 1477, & quarto die Iunij sepultus est, sub Edvuardo quarto.

FOSKEVVE CANCELLARIVS. XXXVI.

FOskevue, aliàs Forteskevue, ut Recordus habet, iuris peritissimus, primarius iudex, & Anglici regni Cancellarius summus, inter eruditos in nostro Catalogo locum, ex doctis laboribus honorificum petit. Quem si illi negaremus, ingrati meritò appellaremur. Excoluit tum iuuenis, tum etiã senex, uirtutem: literasq́ politas, ut qui maximè, semper amauit. Inter forenses Londini clarissimus iuris ciuilis interpres admittebatur: ac nobiliores in schola iuuenes, peculiares à regibus conditas leges perdocuit. Inde à gradu ad gradũ ascendit, donec esset supremus Angliæ Cancellarius. quod munus in reipublicæ administratione, & authoritate & dignitate in eo regno longè maximum est. In quo officio tam candidè se gessit, ut iusticiæ ac prudentiæ laus illi tribueretur summa. Quicquid dignitate ualebat, aut gratia apud principem, id iuuandæ reipublicę totum impendisse fertur. In hoc zelo pietatis scripsit sub Henrico sexto, differentiam inter leges prouinciales ac ciuiles, uel

De discrimine legum, Lib. 1. *Sæuiente dudum in regno Angliæ.*
De laudibus legum, Lib. 1.
De politica administratione, Lib. 1.
De uigore legis naturalis, Lib. 1.

Aliaq́; nonnulla. Tandem fuit exul ab Anglia. Et colligo illum claruisse circa tempus ciuilis belli, quo Edvuardiani cũ Henricianis, anno Domini 1460, de imperij summa pertinacissimè certabant. Exilij uerò causas non legi.

ROCHVS CARTHVSIANVS. XXXVII.

ROchus, Carthusianus monachus, suæ in Anglia sectæ magnus cultor, idemq́ bonarum literarum amator ardentissimus, famam ab eruditione nõ modicam per hos dies accepit. Londinensis ciuis honesta familia natus, studendi gratia Parisium, parentum benignitate petijt. Vbi ad exactam Latini sermonis cognitionem perueniens, primam ætatem amœno carmine potissimum exercuit. Erat illi frequens olim cum Ioanne Shirvuodo & hic & ibi consuetudo ac familiaritas: qui postea Dunelmensis antistes fuit. Alter enim alteri, propter studiorum similitudinem atq́ æqualitatem, coniunctissimus semper extitit. Nam uterq́ Musas coluit: uterq́ quàm libẽtissimè carmina cecinit. Et una ferè dies honorem, licet imparem, utriq́ detulit. Nam Shirvuodus, ut dictum est, episcopus claruit: Rochus suorum monachorum præfuit cœtui, atq́ tum demum condidit

Epigrammata Latina,	Lib.1.
Diuersi generis carmina,	Lib.1.
Epistolas ad diuersos,	Lib.1.

Num aliud quicquam ediderit, cōpertum certè non habeo. Sunt tamen, qui illum ferant quosdā scripsisse dialogos, ad somnia monastica pertinentes. Claruit Rochus anno à salutifero diuæ uirginis partu 1470, sub rege Eduuardo quarto.

IOANNES PHREAS. XXXVIII.

IOannes Phreas, Londini natus, primus Anglorum erat, Lelando teste, qui propulsa barbarie, patriam honesto labore, bonis restituerit literis. Iuuat igitur eius uitā uirtutesq; opportunè posteritati cōsecrare. Prima apud Oxonienses solidioris literaturæ fundamenta, collegij Balliolani societate donatus, iecit. A' Venta Belgarum, alias Bristovue, assumpto uiatico, in Italiam transmigrauit: ubi Guarinum senem philosophum Ferrariæ docētem audiuit. Post eius doctrinæ repetitionem, herbarum medicarum cognitionem captabat: legibus etiam ciuilibus assiduam dabat operā. Artem medēdi Ferrariȩ primùm in scholis publicis docuit: deinde Florentiæ ac Patauij, ubi & insignib. medici, publico cōsensu literatorū procerū, donatus est. Postremò Romā uenit, ac illustria eruditionis specimina multa, eloquētia duce, exhibuit. Non erat eo tēpore Romȩ, qui linguā utranq; fœlicius exhauserat. Scripsit ad Ioannē Tipitotū comitē Vuigorniēsem, suū Mecœnatē,

Expostulationem Bacchi,	Lib.1.
De rebus Geographicis,	*Lib.1. Mundus est, qui alio nomine cœlum.*
Petrarchæ epitaphium,	*Lib.1. Tuscia me genuit, perculsus.*
Epistolas familiares,	Lib.1.
Carmina diuersa,	Lib.1.
Epigrammata quoq;,	Lib.1.
De coma parui facienda,	Lib.1.

In Latinum sermonem è Græcis transtulit:

Diodori Siculi bibliothecam,	*Lib.6. Magnas meritò gratias, rerum scrip.*
Xenophontis quædam,	*Lib.6. Cum plures, qui Græcas & Latinas.*
Synesium de caluitio,	*Lib.1. Numinis ira te non mediocri.*

Atq; alia plura. Paulus secūdus Rom. Pontifex, propter translationē sibi dedicatā, Phreā episcopatu Bathoniæ donauerat. Quo munere accepto, post mensem Romæ obijt anno Christi 1465, nondū cōsecratus. Sunt qui putēt cōpetitorem aliquē, præsenti ueneno clàm dato, Phreā è medio sustulisse.

APPENDIX.

Valerius Anselmus ex Platina: Paulus Secundus, Venetus, imperiosus & arrogans, ecclesiasticorum, præcipuè Cardinalium pompam, etiamnum decretis augere conatur. Ad idq; apprimè pecuniarum undiquaq; studiosus, officia, beneficiaq; uenalia fecit. Homo corporis forma adeò sibi placēs fuit, ut, nisi eius pōtificatus nota dissuasisset, formosus appellari uoluisset. Fuere etiam (inquit Platina) qui diceret, eum, dum in publicū prodiret, faciē sibi fucis cōcinnare solitū. Animo erat adeò rudis, ut academiæ Platonicæ cultores, necnon & humanitatis artiū cultores, tanquam hæreticos execraretur: doctos ab antecessore præfectos, officijs, honoribus, bonisq; spoliaret. Item Georgius Vuicelius in Epitome Rom. pontificū: Et quia ab omni bona doctrina fuit alienißimus, omnes bonos doctosq; uiros odijs ac iniurijs persecutus est, solitus hæreticos appellare, quotquot humanioribus studijs Romæ uacabant: dehortās Romanorū filios, à literis politioribus. Multos eruditos nō possessione sua tantùm priuauit, uerùm in carceres etiam cōiectos, tormētis acerbißimis subiecit. Inter quos fuerūt Baptista Platina & Myluertonus Anglus, Carmelitarū prouincialis. Phalarideḿq; Agrigentinorum

tinorum tyrannũ potius egit quàm Paulum. Pro se causam dicentibus, respondere solebat, se ius fasq; gerere in scrinio sui pectoris, &c. Idem ornatu Neroniano, seu fœmineo potius, magnopere delectatus, uenũ exposuit nihil non. Bibacißimus quidem fuit, omniaq; officia suo tempore uenalia erant. In Poli oppido apud Aequicolos, uiros octo ac fœminas sex, cum domino loci cõprehensos, hæreticos iudicauit: quia dicebãt, nullũ uerum Christi uicariũ esse, eorum qui post Petrũ fuere nisi qui paupertatem Christi sint imitati. Georgiũ Bohemiæ regem hæreseos damnauit: dignitate etiam & regno priuauit, stirpemq; eius funditùs deleri procurauit, sceptro Matthiæ Pannoniæ regi dato. Venationem demum miro apparatu edidit in campo Merulæ: cui præfuit eius ex sorore nepos, S. Luciæ Cardinalis: de quo postea. Huius Pauli cœlibatum Ianus Pannonius his uersibus commendat:

Pontificis Pauli testes ne Roma requiras:
 Filia quam genuit, sat docet esse marem.
Sanctum non possum, patrem te dicere possum,
 Cum uideo natam Paule Secunde tuam.

Appendix alia.

Anno Domini 1467, Hermannus Rid, de Reen, Germanus, Magdeburgensis, librum scripsit de uita & honestate clericorum. In quo accuratè describit eorum mores, accusans illorũ tum uitæ sorditatem, tum officij neglectionem summam. Ministri Christi sunt (inquit, ex Bernardo) & seruiunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, cui honorem non deferũt. Inde meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus, &c. Fœlix est, qui effugit & disrumpit uincula consuetudinis clericorũ & sacerdotũ moderni temporis, et proijcit à se iugum ipsorum. Quoniam qui in cœlis habitat, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos, &c. Eodem anno Domini 1467, Patauij obijt Antonius Roxellus, utriusq; iuris professor & interpres eximius: qui de mundi monarchia tres edidit libros, in quibus probat, Papam non esse mundi Dominum, nec posse aut debere Cæsari imperare, nec omnino habere gladium temporalem. Adfert quoq; multas rationes, cur Papa non sit superior alijs episcopis. Rodericus Sanctius, Samorensis episcopus, Pauli Secundi referendarius, qui inter alia scripsit Speculum uitæ humanæ: in quo grauiter inuehitur in Papam & spirituales, quòd sapientiæ non uacent, non laudatis studijs, non paci, non quieti Christianæ plebis, sed tantum rebus terrenis, &c. Stephanus Brulifer, Minorita Gallus, theologus Parisiensis, ob fidei doctrinã contra uarias præceptiunculas & hominum traditiones, Parisiensiũ tyrannidem expertus, Moguntiam concessit. Vbi etiam, cum plures articulos Papistis contrarios, in disputationem uocaret, nec suis periculis & persecutionibus caruit. Circa annum Domini 1464, qui fuit à sua natiuitate decimus octauus, Baptista Mantuanus scripsit, post religionis ingressum, ut uocat, Eglogam nonam, de corruptis moribus curiæ Romanæ: & decimam, de fratrum Obseruantium & non obseruantium controuersia: ac soluta oratione, de Vita beata dialogum, ad genitorem Petrum. In Egloga nona docet, omne uitiosorum hominum genus Romæ in honore esse ac precio: & non nisi flagitiosos, exilio & carcere dignos, illic sublimari:

Quo magis appropias, tanto magis omnia sordent.

Et sequitur:

Fama est Aegyptum coluisse animalia quædam,
Et pro numinibus multas habuisse ferarum.
Ista superstitio minor est quàm nostra: ferarum
Hic aras habet omne genus, contraria certè
Naturæ res atq; Deo, qui dicitur olim
Præposuisse hominem cunctis animantibus unum, &c.

GVALTERVS HVNTE. XXXIX.

Gvalterus Hunte, aliàs Venantius, Carmelita fuit tam clari nominis (Lelandi uerba sunt) ut omnis eruditionis planè contemptor uiderer, nisi honorificum in illustrium scriptorum Catalogo possideret locum. Quare uolo, inquit, candidum lectorẽ per me cognoscere, quòd primum

doctrinæ & industriæ suæ specimen Oxonij ostenderit. Equidem ingenij solertia, & politæ linguæ beneficio plurimum ualebat, theologus sui temporis in Anglia maximus. Tantæq; authoritatis & opinionis apud Coryphæos erat, ut anno Domini 1438, à toto regni concilio Ferrariam primò, et inde Florentiam, ad synodum, totius Angliæ nomine nuncius mitteretur. Illic enim per 14 menses, Græcorũ & Armenorũ doctores, præsente eorum Imperatore Ioanne Palæologo, ac patriarcha Iosepho, pro suis ritibus cum Latinis disputantes audiuit. Illic etiam inter alios, sophista subtilissimus, in literaria palæstra, pro sublimando Papismo, sæpius est illos suis syllogismis aggressus: super processione Spiritus sancti à patre ac filio, super azymo pane in sacra synaxi, pontificis primatu, purgatorio, & similibus: Græcorum codicũ testimonijs abundans. Sed an Græcè fuerit peritus, an ut & alij multi, per interpretem disputauerit, authores non referunt: quamuis illum à Iuliano D. Angeli Cardinale, & Andrea Colossensi archiepiscopo ob argumenta summopere cõmendatũ referant. Ex hac legatione magnã apud Eugenium quartũ gratiam, & apud Anglorũ proceres famam sibi cõparauit. Ad eius libros, quibus se orbi cõmendauit, nunc properabo. Edidit enim,

Vocabulare Latinum,	Lib. 1. *Ab præpositio, omnibus in compositio.*
De uigore literarum,	Lib. 1. *A uocalis, aliquando mutatur per.*
Contra mulieres doctrices,	Lib. 1. *Non licet mulieribus publicè do.*
De fœminarum communione,	Lib. 1. *Idoneæ ministræ non sunt mulieres.*
De præcellentia Petri,	Lib. 1. *Petrus Apostolorum princeps emi.*
De prædestinatis,	Lib. 1. *Soli præuenti Dei gratia, prædesti.*
Commentarios Sententiarum,	Lib. 4.
De religiosorum prærogatiua,	Lib. 1. *Viso superius quid sit ecclesia.*
De ecclesiæ authoritate,	Lib. 1. *Symbolica Christi ecclesia, una.*
De pontificum iurisdictione,	Lib. 3. *Suprema militantis ecclesiæ.*
Contra Græcorum articulos,	Lib. 1. *Disserendæ materiæ altitudo meri.*
Acta Ferrariæ & Florentiæ,	Lib. 6. *Sciendum est, quod 12. uicibus.*
De processu concilij sacri,	Lib. 1. *Post hæc sic dicta, unicum actum.*
Enarrationes Euangeliorum,	Lib. 4.
Certamina Latinorum,	Lib. 1. *Dominus archiepiscopus Colossensis,*
Super Ecclesiæ symbolo,	Lib. 1. *Sed magna erat quæstio, utrum.*
De cleri uniuersali dominio,	Lib. 1. *Non solum parochiales curati, sunt.*
Abbreuiationes Comestoris,	Lib. 1. *Ex Aegypto uocaui filium meum.*
De statu fratrum Mendicantium,	Lib. 1. *Religiosorum Mendicantium status.*
De regalitate Christi,	Lib. 1. *An Christus hominum perfectissimus.*
De paupertate eiusdem,	Lib. 2.
Excerptiones 12. chronicorum,	Lib. 12. *Ioannes filius iunior Henrici.*
Historiarum Epitomen,	Lib. 1. *Ouidius Naso sic dictus est, quia.*
In Parisiensem de uirtutibus,	Tab. 1. *Ad noticiam istius tabulæ, qua.*
In eundem de uitijs,	Tab. 1. *Abbatum exempla de taciturnitate.*
Lecturas theologicas,	Lib. 1.
Sermones 27. notabiles,	Lib. 1.
Disputationes quoq;,	Lib. 1.

Atq; alia plura. Vsq; in senectam & senium Oxonij ordinariè ille legit, non sine multorũ applausu. In decrepita ætate tãdem fato functus est 28 die Nouembris, anno post natum Seruatorem 1478, & Oxonij inter suos sepultus, sub Anglorum rege Edvuardo eius nominis quarto.

IOAN-

IOANNES HAMBOYS. XL.

IOannes Hamboys, elimatę eruditionis homo, ab adolescentia in liberalibus scientijs educatus, musicæ, ut illi arti cui prę alijs fauebat semper, in finem usque ardentius adhærebat. Vocum enim consonantias, proportionum inductiones, & quicquid est quod ad eam speculationẽ attinet, perfectissimè uir ille officiosus ac diligens nouit. Suppetebat ei non mediocriter, cum eloquio mellito, ingenium facundum & amœnum. Post frequentata igitur multis annis suæ terræ gymnasia, ob egregiè nauatam operam, in ea scientia communi suffragio fit doctor, sui temporis planè in Anglia celeberrimus. Qui demum, ut ex longo labore fructum educeret, ac alijs communem faceret, Latinè composuit,

Summam artis musicæ, Lib.1. *Quemadmodum inter triticum & zizan.*
Cantiones dulcissimas, Lib.1.

Cætera eius scripta non uidi, cum tamen alia edidisse feratur. Summa illius, opus elegãs est, & eius artis amatoribus gratum. Claruisse uerò fertur anno à Christi Domini natali 1470, sub prædicto rege Edvuardo quarto.

THOMAS VVIGENHALE. XLI.

THomas Vuigenhale, sectæ Præmonstratensis imitator, eo loco literis incubuit, ut Lelandus habet, quo maiorũ suorum religio cœnobiolũ D. Virgini sacrum, Dierami apud Nordouolcas posuit. Collegerat hic nescio quam narratiuncularum farraginem, quas uocabat, Sanctissimæ matris Christi Marię miracula. Aristoteles olim, Pasiteles, Galeatius, ac nostra hac ętate Gilbertus Cognatus, mirabiles narrationes ex bonis authoribus scripserunt. Sed hæ, res complectuntur cognitu necessarias, uel ad naturalẽ prudentiã, uel exactam rerum notitiam, uel ad formandos hominũ mores: illę uerò, præter meras nugas, dęmonum imposturas & hypocritarũ mendacia, ipsissimas animarum proditiones, nihil adferunt. Congessit noster Vuigenhalus, in magno uolumine,

Historiam sui cœnobij, Lib.1.
Miracula Mariæ in eodem, Lib.1.

Cæterùm eius opusculorũ non uidi titulos. Nec obest quicq̃, cum eiusdem sint farinæ. Nam procul esse deberent figmenta tam perniciosa ab omni Christianorum hominum lectione. Vixit impostor, anno post incarnatum Dei uerbum 1470, sub Edvuardo quarto.

IOANNES GVNTHORPE. XLII.

IOannes Gunthorpe, aliàs Gundorpius Saxonicè dictus: quod nomen Latinè (sic enim Lelãdus ipse colligit) Guntheri sylua, & aptè, exprimitur. Operam, inquit, quantũ ego colligo, omnib. artibus eruditis uel diligẽtissimã in scholis Oxoniensibus, expediti ingenij fœlicitate impendiò adiutus, exhibuit. Annis ut aliquanto esset maturior factus, Italia illũ in suum adoptauit alumnum: & Guarino Veronensi, uiro ad eloquentiã cõposito, erudiendũ, tanquã parens indulgentissima, Ferrariæ tradidit. Decanus tandem Vuellẽsis ecclesiæ, in Britannia apud Somersetẽses factus, ab Edvuardo quarto Anglorũ rege, etiam priuati sigilli magistratui summo præficiebatur. Olim in collegio Iesu Cantabrigię, ille plura composuit, quorũ nunc tituli non occurrunt. In Vuellia tantum reliquit,

Epistolas ad diuersos Lib.1.
Orationes elegantes, Lib.1.
Diuersi generis carmina, Lib.1.

Atq; alia multa, ab eo nō infœliciter illic & alibi scripta fuisse, audiui. Ioannis Freæ in Italia, ille socius aliquando erat: claruitq; post eius mortem in Anglia, anno à Christo redemptore nato 1470, sub dicto rege Eduuardo.

GVILHELMVS CAXTON. XLIII.

GVilhelmus Caxton, uir non omnino stupidus, aut ignauia torpens, sed propagandæ suæ gentis memoriæ studiosus admodū, multa aliarum gentiū monumenta ad id peragendū non paruo quæsiuit labore. Habitauit interim in Flandria 30 annis, cum domina Margareta, Burgūdiæ ducissa, regis Eduuardi sorore. Cuiusdā didascali ad Albani fanum conatibus postea, obortis quidē, sed nondum finitis, se ad hęc instimulatū esse primò, fatetur: qui morte pręuentus, in schedis ac pagellis aliquot, imperfectū reliquerat opus. Hoc non solū Caxtonus collectis folijs coaceruauit, sed etiā ex Tito Liuio, D. Augustino, Gilda, Beda, Isidoro, Cassiodoro, Galfrido Monemutensi, Guilhelmo Malmesburiensi, Martino Carsulano, Theobaldo Carthusiano, & alijs authoribus bonis, addidit multa, temporū supputationibus eidem operi iunctis. Incipit à Gigantibus, primis, ut ille putat, huius terræ inhabitatoribus: ac desinit in 23 anno Eduuardi quarti, qui est annus à Christi natiuitate 1483, uocauitq; suum opus

Fructus temporum,	Lib.7. *Cum sit cunctis Christianæ religionis.*
Appendices ad Treuisam,	Lib.1. *Prosequens demum præscripti operis.*
Imaginem mundi,	Lib.1. *Quoniam citò euanescunt uerba.*
Descriptionem Brytanniæ,	Lib.1. *In uarijs locis habentur Anglo.*
Vitam Eduuardi confessoris,	Lib.1. *Gloriosi ac Deo dilecti regis Ed.*
Historiam Arthuri regis,	Lib.21. *Contigit in diebus Vtheri Pendra.*

Et alios adhuc libros Brytannicè edidit. Appendices continuantur ab anno Domini 1397, in quo Ioannis Treuisæ additiones in Polychronicon excipit, usque ad annum eius 1460.

Transtulit etiam à Gallica & Latina linguis in Anglicum sermonem:

Vegetium de Re militari,	Lib.4. *Quia strenuitas tam necessaria.*
Ioannitam de ludo scaccorum,	Lib.4. *Diuus Apostolus & doctor gen.*
Historiam excidij Troiani,	Lib.3. *Dum commendo memoriæ omnes.*
Bonauenturam de uita Christi,	Lib.1. *Attende lector huius libri pro.*
Historiam Lumbardicam,	Lib.1.
Capgraui Catalogum,	Lib.1.
Illustrationes armorum Christini,	Lib.1.

Collegit atq; impressit omnia Galfridi Chauceri opuscula, & alia multa fecit. Claruit anno superius memorato, sub Eduuardo rege. Huius Chronicon in Latinū sermonem uertisse se scribit Ioannes Maior, in quarto lib. de gestis Scotorum, ac maiorem historiæ suæ partem ex eo sustulisse.

IOANNES MYLVERTON. XLIIII.

IOannes Myluerton, ex Bristollensi cœnobio Carmelita & doctor magnificus, magistralibus exercitijs Oxoniense gymnasiū, diu multūq; ad non infimā sui nominis famam celebrauit. Inde Lutetiā à generali sui ordinis magistro, Ioanne Soretho, uocatus, *anno Domini 1456,* illius magnæ synodi decreto, prouincialis instituti sui præses in Anglia, Hybernia, & Scotia, constituebatī. A' clero Papistico Papista prouocatus sequenti anno, Reginaldū Pecockū Cicestrensis ecclesiæ optimum præsulem Papisticis argumentis & scriptis uehementer est adortus: sed suo tandē malo. Prædicabāt

postea

postea Londini, ex eius fratrib. duo & unus Dominicanus, Christũ hic nihil habuisse proprij, ut iam dictũ est. Quos statim eius urbis episcopus Ricardus, ni fallor, Vulcano post carceres cõsecrasset, nisi se prius apertis palinodijs redemissent. Pro his Myluertonus se æneũ murũ opposuit: & paulo mox fit interdictus sacris, atq; hereticus dãnatus. Doctrinę, gradus, officia, magisteria, priuilegia, nihil iuuabant: sed neq; disputationes, quas omnib. aduentantib. ad ignes usq; strenuissimus obtulit, quicquã diminuebãt. Romam igitur suam detulit causam, ad Paulum eius nominis secundũ, pontificem: qui susceptis antea prælatorum literis, non auditũ, coniecit in molem Hadriani, seu S. Angeli castrum. Mansit ibi per totum trienniũ: Baptistam Platinam, Augustinũ Campanũ, Demetriũ Lucensem, & alios eruditos ac nobiles uiros habẽs in eisdem uinculis socios. Demũ suæ causę iudices deligere permissus, per 7 Cardinales, Nicænũ, Spoletanũ, Therasonẽsem, Papiensem, Rothomagensem, D. Sixti, et D. Angeli, liberatur, ac pristinis gradibus restituitur. Sed interim amisit episcopatũ Meneuensem, ad quẽ olim fuerat electus. Scripsit Myluertonus, ad Papam Pium secundũ, qui & Aeneas Syluius dicebatur, super articulis, examinatione, disputatione, ac tandem reuocatione Reginaldi Pecocki episcopi,

Prolixum opus,	*Lib.1.*
De paupertate Christi,	*Lib.1. Gratia Domini nostri Iesu Christi.*
Symbolum suæ fidei,	*Lib.1. Dominus aperiat mihi ostium.*
Epistolas 64 ad amicos,	*Lib.1. Frater Ioannes, Humilis prior prouin.*
Ad quendam Romanum,	*Lib.1. Reuerende doctor, postulationes de.*
Ad Mecœnates Anglos,	*Lib.1. Pater in Christo reuerendissime, inter.*
Super Augustino de Ciuitate Dei,	*Lib.1.*
Determinationes Oxonienses,	*Lib.1.*
Lecturas ordinarias,	*Lib.1.*
Sermones per annum,	*Lib.1.*
Contra quendam episcopum,	*Lib.1.*
De sua captiuitate,	*Lib.1.*

Ex castro S. Angeli, dum esset captiuus:

Ad Paulum secundum Papam,	*Lib.1.*
Ad Cardinalem Nicenum,	*Lib.1.*
Ad Vrsinum Spoletanum,	*Lib.1.*
Ad Therasonensem Cardinalem,	*Lib.1.*
Ad Cardinalem Papiensem,	*Lib.1.*
Ad Rothomagensem Cardinalem,	*Lib.1.*
Ad Ioannem D. Sixti Card.	*Lib.1.*
Ad diui Angeli Cardinalem,	*Lib.1.*
Ad quosdam Italiæ nobiles,	*Lib.1.*
Ad doctores Angliæ,	*Lib.1.*

Et alia plura composuit. Post 22 præfecturæ suæ annos defunctus est Londini, senex, penultimo die Ianuarij, anno incarnati ueri Mesiæ 1486, sub Henrico septimo Anglorũ rege, in sui cœnobij choro sepultus. Post prædictam contumeliã Myluertono ignominiose illatam, in Carmelitis doctrina scholastica defecit, simulq; æstimatio, quam tunc præ cęteris Mendicatib. habebant, surreptis studiorum auxilijs. Manifestauitq; in eis Dominus ruinam illam, quam Hierem. 47 Palæstinis minatur, ob eorũ insignes blasphemias. Nam & hi ex Palæstina uenerunt, ut ipse Mantuanus habet:

Venimus Assyriis, ut Candidus inquit, ab oris.

DAVID LANDAVENSIS. XLV.

DAuid Morganius, ex Cambria oriundus, ecclesiæ Landauensi à thesauris, Brytannicarũ rerũ cognitionẽ, unà quasi cũ lacte imbiberat. Ab ipsa enim pueritia, ut Lelãdus indicat, parentũ suorũ genealogias, more eius gẽtis, tum etiã patrias antiquitates religiose didicit. Ausim et hoc affirmare, inquit, nullã esse gentẽ, quæ magis expeditè de situ locorũ circũiacentiũ, de urbibus, de mõtibus, de lacubus, de fluminibus, & eorum cursu pronũciet. Bardos enim (sic suos uates appellãt) bardus & ipse, de sacrosancta Brytãniæ antiquitate cõsuluit. Famosi etiã nominis loca, quotquot in Cambria sunt, aut fuerunt, adiuit, simul & curiosissimis oculis perlustrauit. Adde huc, quòd ab indigenis ipsis omnia didicerit, quæ ad antiquitatis cognitionem pertinere uiderentur. Comparata in hunc modum diuite antiquitatis copia, restabat, ut enata herba, tanti laboris expectatam messem produceret. Congessit igitur,

Antiquitates Cambriæ,	Lib. 1.
Geographiam eiusdem,	Lib. 1.

In quibus Morganiam suam præcipuè illustrauit, cuius princeps ecclesia est Landauia, episcopalis sedes. Ioannes Rossus in libro de Academijs Brytannicis, Dauidis synchroni sui meminit. Claruit anno Christi 1480, sub Edvuardo quarto.

IOANNES TIPITOTVS. XLVI.

IOannes Tipitotus, genere admodũ nobilis, at rebus præclarè gestis nobilior, & ingenio ad bonas artes omnes nato nobilissimus erat. Natalis autem locus, Lelando teste, Euerton apud Grantanos elegans fuit: educatio parẽtum cura longè optima. Studuit apud Isiacos, in eo collegio quod à Ballione nomen desumpsit: ubi tunc temporis & nobiliũ iuuenũ corona celebris renascentem imbiberat eloquentiam. Gliscebat ierea inciuile bellum, hinc Lancastriensi, hinc Eboracensi, de imperio, odio plusquàm Vatiniano, contendentibus. Persentiẽs tandem Vuigorniæ comes, uulneratos utrinque & Henrici & Edvuardi animos, trãquillitatem prudẽter omnibus rebus prætulit. At comparato uiatico satis amplo, peregrinus Hierosolymorum urbem petijt: ubi & aliquãdiu uixit, regionesque uicinas curiose collustrauit. Postea Veneticam urbem inuisit, & Patauiũ literarum ardore succensus accessit. Inde commigrauit Romam, ut Vaticanam bibliothecã inuiseret. Ad cuius orationem longè disertissimam Pius secundus pontifex Rom. pre gaudio lachrymas fudisse fertur. Et ut ad eius scripta me uertam, composuit, ut Caxtonus & alij affirmant,

Ad *Patauienses,*	Orat. 1.
Ad *Pium secundum Papam,*	Orat. 1.
Ad *purpuratos patres,*	Orat. 1.
Epistolas ad diuersos,	Lib. 1.

Atq; *alia plura.* In linguam Anglorum uernaculam, ornatè etiam transtulit orationes elegantes, Publij Cornelij & Caij Flaminij,

De uera nobilitate,	Lib. 2.
Tullium de Amicitia,	Lib. 1. *Quintus Mutius Augur Scæuola.*
Ciceronem de Senectute,	Lib. 1.

Et alios quosdam bonorum authorum libros. Non longo tempore post reditum in Angliã, Tipitotus, in publico consessu nobiliũ suspectus, de amore (ut uide-

uidebatur) propensiore erga Edvuardum imperio tunc deiectum, capitis iudicium pertulit, securi percussus anno Domini 1471, & apud Dominicanos sepultus.

APPENDIX.

Ludouicus Carbo Ferrariensis, in oratione funebri Tipitoti mentionem facit. Guarinum Veronensem (inquit) audire desiderauit illustrißimus princeps Ioãnes Anglicus, imò Anglicus Vuigorniæ comes. Ipse quoq; ex antiquißima regũ Angliæ prosapia ductus, qui paternã sapientiã imitatus, anno ætatis suæ quinto & uicesimo, quod ante eũ accidit nulli, maximus Angliæ thesaurarius creari meruit: qui summo apud Anglos honori ducitur, secundo post regem. Qui cũ mare Brytannicũ prudentia sua, et rei militaris peritia, pacatũ reddidisset, Hierosolymis peragratis, Musarũ dulcedine captus, triennium iam in Italia cõmoratus est: qui etiã nunc studiorũ causa degit Patauij, Venetorũ humanitate detẽtus. Qui literarũ auidißimus, omnes, ut ita dixerim, Italiæ bibliothecas spoliauit, ut pulcherrimis Bibliorum monumentis Angliam exornet. Quem ego mitißimum Dominum meum appellare poßim, & debeo. Vellet etiam, nescio qua bona de ingenio meo opinione permotus, me in Angliam ducere. Cui certè lubens parebo: & cætera.

THOMAS PENKETH. XLVII.

THomas Penketh, homo Augustinianę sectę, ex Vuaryngtonẽsi eius generis fraterculorum cœnobio sophista subtilissimus, tantus erat in acumine disputandi post Myluertonũ, quantus suo tempore nemo ferè alius. Delegerat sibi iuuenis unicũ præceptorẽ, uidelicet Ioannem Scotum, doctorem illum subtilem: ad cuius exemplũ ita se suaq; omnia formauit studia, ut non ouum ouo, neq; lac lacti similius, q̃ ille magistro fuerit. De quo Ambrosius Coriolanus in suis cõmentarijs sic loquitur: Hic doctor subtilissimus, inquit, sic Ioãnis Scoti opera, mente habet soluta & trita: ut si perdita essent, ea posset facilimè reficere. Cui omnes sophistę multum debent: quoniam ipse eius opera elucidauit, emendauit, & in publicũ dedit. Multos in Dialecticis, in philosophia ac theologia edidit tractatus, & quidem subtilissimos. Hactenus Ambrosius. Iacobi Bergomẽsis nunc calculus accedit: Eam, inquit, ob doctirnæ magnitudinem, ex Anglia in Italiam uocatus, Patauij publico salario diu sacram theologiam docuit. Et ut Themistocles alter, incredibili memoria præditus, prodigiosa Scoti scripta tam exactè retinebat, ut exemplaribus destructis, reuocare omnia sciret. Inde frequenti auditorio Patauij rogatus, emendatissima illa, & quasi denuò edita, typographis excudenda tradidit. Hæc ille. In patriam tandem reuersus, fit eius sodalitij prouincialis præses, atq; futilia fabricauit,

Summam Dialectices,	Lib. 1.
Elucidationes naturalium,	Lib. 1.
Philosophantium præceptiones,	Lib. 1.
Annotationes in Augustinum,	Lib. 1.
De arte sermocinandi,	Lib. 1. *Quamuis unica & certa ars sit.*
Actus magistrales,	Lib. 1.
Lecturam Sententiarum,	Lib. 4.
In Metaphysicam Aristotelis,	Lib. 12.
Placita theologica,	Lib. 1.
Ordinarias disputationes,	Lib. 1.
Conciones ad utrunq; statum,	Lib. 1.
Lectiones in Scotum,	Lib. 1.

Et id genus alia. Anno Domini 1483, pro conculcanda regis Edvuardi progenie, hic Penkethus, atq; unus alius pseudotheologus, Radulphus Shauue,

vue, iniquis cõcionibus, quantũ in ipsis erat, egerũt, ut Ricardus tertius regni usurpator, contra ius fasq;, eius regni solio plenè potiretur. Qua impostura, omnem æstimationẽ amiserũt, ut Hallus habet. Sub isto igitur Augustiniani in Anglia ceciderũt, sicut sub Myluertono Carmelitæ. Lõdini tandem obijt, anno à Christi incarnat. 1487 inter suos sepultus, sub Henrico 7.

IOANNES KENT. XLVIII.

IOannes Kent, uel potius Cayleg, in ea Cambricæ regionis satrapia natus, quam uocãt Demetiã, uir elimatæ eruditionis, eò peruenit excellentiæ, ut suorum sociorum facile primus haberetur. Est enim Caylegium, oppidum, ut Lelandus testatur, ab urbe Legionum in ripis Iscę fluminis olim condita, dictum. Grantę Giruiorum, inquit, seu Cantabrigiæ, in academia celeberrima, ut ego colligo, operam impense magnam studijs politiorib. dedit. At artium professione donatus tandem, Philosophiæ, medicinæ, & Mathesis, primas ille tenebat partes. Demumq; ab excellentia, qua in re præniтuit herbaria, Archiatri titulo publicis suffragijs muneratus est. Extant Cantabrigiæ & alibi opuscula ab eo conscripta. Composuit enim carmine ac prosa,

De rebus sacris,	Lib. 1.
De herbarum naturis,	Lib. 1.
De animalibus,	Lib. 1.
De re medica,	Lib. 1.
De Goetia ac theurgia,	Lib. 1.
Tabulas Astronomicæ,	Lib. 1.

Si aliud quidpiã ediderit, apud illos est, quos ipse moriẽs reliquit rerum suarũ ex testamento hæredes. Claruit anno à Christo nato 1482, quo prædictas tabulas fecit, sub Edvuardo quinto. Et in Demetia tum demum obijt.

GEORGIVS RIPLAY. XLIX.

GEorgius Riplay, iactis in Italia studiorum fundamentis, ut Lelandus habet, ex Regulari tandẽ Canonico Carmelita factus, fanũ Botulphi excoluit, emporiũ prope Lindi fluminis ripas celeberrimũ. Sed ut rem omnẽ ab exordio repetã, Bridlingtonæ primũ, in Eboracensi patria, Canonicus fuit, & ab ineunte ætate, circa mirabiliũ effectuum ac mysteriorũ plenas operationes, curiosus explorator. Vt ergo copiosius atq; uberius philosophari sibi liceret, expleretq; quod conceperat animo: prouincias remotiores, pręcipuè Italiã ipsam petijt, & ibidẽ per aliquot annos habitauit. Vnde multa est illic Platonicorũ, aliorumq; philosophorũ gentiliũ rimatus arcana: mathematicus, rhetor ac poeta per eam ętatem nõ uulgaris effectus. Eius in Mathematicis authores fuere præcipui: Plato, Aristoteles, Hermas Aegyptius, Auicenna, Geber Arabs, Morienus, Hali Abenragel, Alphidius, Alphonsus, Alkindus, Albubater, Albumasar, Rosinus, Baconus, & similes. Cæterũ q̃ magis ingenuè studijs uacaret domi, Innocentij octaui Rom. põtificis redeũdo obtinuit diploma, ut esset semp à cæremoniarũ onere immunis prorsum ac liber. Quod cũ Canonici nõ admitterẽt, in fano Botulphi Carmelitã induit, circa annũ Christi 1488. & anachorita eodẽ in loco inter eos ad obitũ usq; uixit. Hic quanta potuit diligentia perscripsit

Vitam Botulphi abbatis,	Lib. 1.
Vitam Ioannis Bridlingtoni,	Lib. 1. *Sacratißimæ recordationis Ioannes.*
Historiam compaßionis Mariæ,	Lib. 1. *Gaudia præclara cœli, tua præstat.*
Theoricam quandam,	Lib. 1. *Requiram primùm, mi Domine, pro.*

Con-

Concordantias Guidonis & Raimundi,	Lib.1. Asserit Raimundus, de lapidis ser.
Secreta philosophorum,	Lib.1.
Alcumistarum mysteria,	Lib.1. Dum sol in Ariete, Phœbusq; lucet.
Practicam ceremonialem,	Lib.1. Locuti sumus de doctrina figuræ.
Castellum 12 portarum,	Lib.1. Lux incomprehensibilis, ac maiestatis.
Dictata Aegri,	Lib.1. Multipliciter philosophi loquebantur.
De Magia naturali,	Lib.1.
Compendium Alchymiæ,	Lib.1. Exordium hic cœpit Alchymiæ comp.
Artem breuem, uel Clangorem,	Lib.1.
De lapide philosophico,	Lib.1.
Dialogorum suorum,	Lib.1.
Carmina & epistolas,	Lib.1.

Aliaq; prodigiosa opuscula edidit, quæ pro insigni thesauro à multis seruãtur. In Castello 12 portarũ, de calcinatione, solutione, separatione, cõiunctione, putrefactione, congelatione, multiplicatione, proiectione, & similibus agit. Compassionis Mariæ officium, Christi passioni addidit: tanquam esset cum illo, pro nobis similiter passa. Claruit anno post Seruatorẽ natũ 1490, sub rege Henrico septimo. Fuitq; demũ necromanticus magus post mortẽ adiudicatus.

IOANNES ERGHOM. L.

Ioannes Erghom, Eboracensis urbis alũnus, ac professione Augustinianus: excolendi mentẽ bonis studijs cupidissimus, relicta sua ciuitate, Oxoniũ rectà se cõtulit. Vbi post Dialecticẽ ac Physicen, Theologiã itidem professus, nullo non genere scholasticæ doctrinæ per eam ætatẽ inter suos enituit symmystas. Ingenij maturitatẽ & oris facundiã in promptu semper habẽs noua atq; inaudita auditorib. ex concione interdũ attulit. In scripturarum explanatione, plurimũ illi arrisit typicus interpretandi sensus, à paucis usitatus. Eos ergo non paruo labore quæsiuit authores, qui in eo excelluerunt: quales erant, Methodius, Merlinus, Ioachimus Calaber, Cyrillus Græcus, Ioannes Bridlingtonus, Robertus Vsetius, Ioannes de Rupe scissa, Ioannes Barsigneius, Sibyllæ, & alij qui prophetias ac reuelationes ediderunt. Ex his omnibus, opus quoddam edidit, & Herefordiæ comiti dedicauit, quod uocabat

Compilationes uaticiniorum,	Lib.1. Ego Augustinensium minimus.
In uaticinia Ioan. Bridlingtoni,	Lib.3. Illustrissimo Domino, & mira.
Calculationes Astrologiæ,	Lib.1.
Sermones uulgares,	Lib.1.

Præter ista, nihil opusculorũ eius uidi, quãuis adhuc alia cõposuisse feratur. Claruit Eboraci anno à salutis nostræ initio 1490, sub Henrico septimo Anglorum rege, ubi tandem communi fato occubuit, inter suos sepultus.

APPENDIX.

Ex Volaterrano & Platina: Anno Domini 1471. Sixtus quartus, Rom. pontifex Frãciscus Ruerius antea dictus, genere Ligur, urbe Sauona oriundus, ordinis Minorũ minister generalis, Cardinaliũ cõsensu Paulo secũdo surrogatur. Cum in mitræ solẽnijs, ad basilicã Lateranensem lectica portaretur, orto tumultu subito, maximũ uitæ sibijt periculũ, ut etiã lapidibus appeteretur, et à lecticarijs penè destitueretur. Liberalissimus pontifex, eadẽ plurib. sæpe cõcedebat. Suorũ in primis amantissimus (eximia laus) ac indulgentissimus fuit: quorũ causa pleraq; præter fas iusq; & agebat & concedebat. Petrum Ruerium, eiusdem ordinis & patriæ, quem unà à puero cum Hieronymo fratre sibi (mysterium est) educauerat, ante omnes ad Cardinalatum (ac patriarchatum) promouit, uirũ adeo qui natum perdendæ pecuniæ. Nam biennio, quo tantum postea uixit, ducẽtorum aureorũ millia in

luxu

luxu uictitādo solum absumpsit: sexaginta millia æris alieni, argenteorū item 300 pondo dimisit. Decessit tabidus uoluptate, annorum 28, (Seraphicus Minorita) anno Domini 1474. opificibus maxime desideratus, quorū officinas (Rom. ecclesiæ columna) nouis semper lucris & operibus replebat. Ioannes Rauisius Textor, in Officina: Petrus (inquit) presbyter Cardinalis, sedente in pontificatu Sixto quarto, in duobus annis trecenta aureorum millia luxu prodegit, & uanitatibus. Accedit & Ioannis Riuij testimonium, ex libello de Erroribus pontificiorum: De luxuria eiusdem (inquit) immensa et incredibili, quædam affert libro nono similia portenti, Baptista Fulgosus: quæ, ne prolixior sim, omitto. Nam minimum omnium ac leuissimum esse puto, quod aureis domi uestibus uti, lectos aureis stragulis integere, uasis argenteis onus uentris excipere, calceolos amicæ Tiresiæ margaritis opertos cōparare solitū scribit. Hinc de cætero luxu hominis coniecturā facias licet. Illū igitur post mortem ita salutauit infernalis Iupiter, ut in Alphonsi sui libro quarto Baptista Mantuanus habet:

At tu implume caput, cui tanta licentia quondam,
Fœmineos fuit in coitus: tua furta putabas,
Hic quoq; prætextu mitræ, impunita relinqui?
Sic meruit tua fœda Venus: sic prodiga in omnem
Nequitiam, ad uirtutis opus tua auara libido.
Illa Dioneæ Cythereia munera conchæ,
Illa pudicitiam quibus impugnare solebas,
Et noctes emere, & nudæ indulgere palæstræ,
Scimus, & in scriptis tua sancta redegimus acta.

Hieronymus uerò prædicti Petri frater, Foroliuij Forocornelijq; princeps factus, post eum rem omnem Ecclesiæ administrauit (fœlix illa mater) uir ingenio seueriore, ac uoluptatibus præter unicam uenationem (præposteræ ueneris) minimè deditus. Sixtus uerò post, hos (proprij fortassis hi fuerant) fratrum sororumq; filios extulit: nec quisquam propinquis fœcundior unquam erat. Inter quos Iulianum S. Petri ad uincula Cardinalem, eiusq; fratrem Ioannem, urbis præfectum, Soræq; ac Senogalliæ principem fecit. Supra modum (inquit Platina) nepotes amauit, humana diuinaq; præter iustitiam eis tribuens. Multorum etiam iudicio, iniustè tumultu bellico totam Italiam uexauit, Romulus certè uocandus. Volaterranus: Cum igitur tot tumultibus absumpta pecunia, indigeret: noua collegia primus excogitauit, quæ licerentur. Agrippa: Inter lenones recentiorū temporum, qui lupanaria ædificabant, nobilis erat Sixtus quartus Rom. pontifex: qui Romæ nobile admodum lupanar extruxit: atq;, ut in declamatione ad Louanienses fusius explicat, utriq; Veneri assignauit. Meretricum cohortes, Heliogabali exemplo, ita aluit, amicisq; & seruis exhibuit: nonnihil emolumenti etiam ex meretricio quæstu, ærario suo accumulans. Romana enim scorta, in singulas hebdomadas Iulium nummū adhuc pendent Pontifici: qui census annuus, nonnūquam uiginti millia (nunc quadraginta) ducatos excedit. Adeoq; ecclesiæ procerum id munus est, ut unà cum ecclesiarum prouentibus, etiam lenociniorū numerent mercedem. Refert Vuessel us Groningensis, lux mundi dictus, in tractatu de Indulgentijs papalibus, de hoc pōtifice Sixto: Quòd ad prædicti Petri, tunc S. Sixti Cardinalis ac patriarchæ Constantinopolitani, & Hieronymi fratris sui postulationes, domesticæ familiæ toti, Cardinalis D. Luciæ, qui Paulo secūdo à uenationibus fuerat (horrendum dictu) in tribus anni mensibus calidioribus, Iunio, Iulio, & Augusto, masculino coitu frui permiserit, cum hac clausula, Fiat ut petitur. Propterea Mantuanus in prædicto Alphonso, de Sixto ac Petro nepote, miranda tradit.

Bayle Dict. Art. Sixte 4. let. B.

Eiusdem Sixti epitaphium, ex Ioanne Sapido:

Sixte iaces tandem, deflent tua busta cinædi,
Scortaq;, lenones, alea, uina, Venus.
Sixte iaces tandem, summorum infamia, fexq;
Pontificum: tandem perfide Sixte iaces.

Appendix alia.

Ex Leandro & Tritemio: Circa annum Domini 1470, Alanus de Rupe, Dominicanus, post quasdam

quasdam malorum dæmonum illusiones, ex Mariæ Psalterio Rosariũ fabricauit, Euangelij loco prædicauit, atq; fraternitatem tum demum instituit. Et ut inde diminueretur Dei gloria, ac periclitaretur animarũ salus, Iacobus Sprenger, Teutoniæ prouincialis (nam & suas habent prouincias ambitiosi nebulones) confictis miraculis hæc sublimauit, ac tandem Sixtus Papa bullis & indulgentijs approbauit. Super quo negotio liber editus est, in cuius principio legitur, beatã Virginẽ ingressam fuisse aliquando in cellulã clausam eiusdem Alani, concinnasseq; ei ex suis capillis annulum, & monachũ sibi desponsasse, osculatam fuisse, dedisse contrectandas & lactandas papillas: ac deniq; fuisse illi tam familiarem, ut sponsa solet esse sponso, &c. Et hæc detestanda monachorũ mendacia, à Papatu diabolico hucusq; fouentur ac defendũtur. Huius fraternitatis, in Alphõso, Baptista meminisse uidetur:

Hi filo insertis numerant sua murmura baccis.

Ex Mari magno Ioannis Mariæ Polutiani: Anno Domini 1474, quosdã Carmelitas theologos, in causis suæ fidei, inquisitores (ut uocãt) hæreticæ prauitatis, Dominicani, insidijs ac uarijs molestationib. per Italiam uexabant: quorũ unum legi fuisse Iulianũ de Brixia, eximiũ diuini uerbi præconem: alium, Petrum Neuolarium, pro quo Mantuanus scripsit Apologiam in tribus libris. Sed id totum, per pontificem Sixtum, Christophori Martignoni cura consopitum est. Qui Sixtus monachorum tutor, ut in pontificum uitis testatur Ioannes Stella, omnes mẽdicantes, ad æmulationes euitandas, in priuilegijs & gratijs censuit æquales esse. Anno Domini 1475, obijt Ioannes Gochius, presbyter Mechliniensis, qui contra Dominicanos plura congessit: asserens, Thomæ, Alberti, Capreoli, & aliorum sophistarum scripta magis obscurare quàm illustrare ueritatem, imò Pelagianam hæresim sapere. Eodem anno Ioannes Consobrinus, Portugalensis Carmelita, pro impijssimo Papismo latratus edens, eius fidei inquisitor, Vlyxbonæ intoxicatus moritur.

Sebastianus Munsterus: Anno Domini 1476, Herbipolẽsis episcopus pro hæretico damnauit et cõbussit Ioannẽ quendã pastorẽ pecorum, ad Niclas hausen in Franconia: quia docebat, cleri uitam esse ignominiosam, & corã Deo abominabilẽ. Anno Domini 1479, Ioannes de Vuesalia, concionator Vuormaciẽsis, Moguntiæ damnatus fuit: quia docuerat primatum Papæ nihil esse, nosq; saluari gratis per unicum Iesum Christum. Cuius damnatio uehementer displicuit Engelino Brunsuicẽsi & Ioanni Keysersbergio, theologis doctissimis: qui iudicabant, illum inuidia monachorum fuisse oppressum. Volaterranus: Robertus de Licio, Franciscanus, concionator, & episcopus Aprucensis, post trecentos suis persuasionibus ad eius sectæ barathrũ deductos, concursu matronarum uesanus esse cœpit, & senex inter cõcubinas decessit. His temporib. Gabriel Byel, Tubingensis theologus, in Cõmentario super canonem Missæ, dicit: Quomodo sit corpus Christi in pane, nõ inuenitur expressum in canone Bibliæ, &c. Anno Domini 1481, Franciscus Philelphus, cuiusdã presbyteri ex adulterino concubitu filius, philosophus ac rhetor clarissimus, obijt. Eodem anno obijt & Baptista Platina: qui etsi turpiter atq; impudenter Papis adulatus sit, nimia tamen ipsorum obscœnitate coactus aliquando, etiã subindicat Babylonicæ meretricis nefanda scelera. Ex quadã epistola Arnoldi Bostij: Anno Domini 1482, Baptista Mantuanus quinquaginta suorũ operum libros perfecit. Anno Domini 1485 obijt Rudolphus Agricola, qui deplorauit ecclesiæ tenebras, ac reprehendit profanationẽ in missis et cœlibatu. Anno Domini 1489. Vuesselus Phrisius, seu Basilius Groningensis, Lux mundi dictus, Groningæ obijt: qui doctrinã Papisticã in multis reprehendit, purgatorium et indulgentias omnino improbauit. Vituperauit abusum missarum, & orationũ pro mortuis: prædixitq;, contentiosorum theologorum doctrinas, statim post sua tempora explodendas esse. Sed hæc & similia fusius traduntur in Catalogo testium ueritatis doctissimi Matthiæ Illyrici.

Appendix alia.

Innocentius Octauus, Ro. pontifex, anno Domini 1484, Sixto successit. Valerius Anselmus: Hic pacis adeò studiosus erat, ut nõ nisi pacis gratia bellum gerendũ esse uoluerit. Neopolitani enim regni pensionẽ, Rom. ecclesiæ debitã, à Sixto remissam, armis repetijt. Noruuegijs uino carentibus, ad calicis sacrificium aquam indulsit. Sixto similis, ecclesiæ præfecturas, & copiosum nummum uenijs atq; indulgentijs contra Turcas collectum, liberis & agnatis distribuit. Volaterranus: Pontificum omnium primus erat, qui nouum & ipse exemplum introduceret, palàm liberos nothos iactãdi:

ac soluta omni antiqua disciplina, diuitijs eos omnib. cumulãdi. Platina filium Franciscum nomine, & Theodorinã filiã, nothos ex scelesto cõcubitu satos, præter rationẽ multo munere cumulatissimos reddidit. Ioannes Stella: Ante pontificatũ enim & Cardinalatũ, sicut diuus Augustinus dũ in minorib. esset, duas ex dãnato coitu susceperat proles, uidelicet Franciscũ filium, et Theodorinã fœminã: quibus (mysterium) nimio afficiebatur amore. Volaterranus: Vnde alteri, Francisco dilectissimo, oppida nonnulla urbi uicina dedit: Laurentijq; Medicis filiam, formosam puellã, matrimonio ei locauit. Alterã Theodorinam, Gerardo Vsumario Genuensi nuptam, opibus perquàm magnis ornauit. Cardinales fecit, Laurentium fratris filium nothum, & Antoniotum, antiquum eius contubernalem. Fuit Innocentius corpore excelso ac candido, decoroq;, sed ingenio tardo: uerùm, biennio antequam decederet, in narcem quandam soporiferam ex morbo incidens horis fermè uiginti, sine arteriarum motu immobilis apparuit: famaq; mortis quoquo uersus perlata fuit. Iamq; Cardinales de ordinandis circa successorem omnibus conuenerant, quum subitò uiuus apparuit. Excessit biennio post, ex eodem ferè morbo, ætatis anno sexagesimo. Huius epitaphium extæt, authore Marullo:

Quid quæris testes, sit mas aut fœmina, Cibo:
Respice natorum, pignora certa, gregem.
Octo nocens pueros genuit, totidemq; puellas:
Hunc meritò poterit dicere Roma patrem.
Spurcities, gula, auaritia, atq; ignauia deses,
Hoc, O ctaue, iacent, quo tegeris, tumulo.

Appendix alia.

Alexander Sextus, Hispanus genere, luxuriosissimus nebulo, anno Domini 1492, Innocentio in Papatu successit. Ioannes Funccus ex Volaterrano: Cardinales, qui eũ elegerãt, primi ingratũ illũ senserũt. Omnes enim uaria calamitate pressit, quosdã exilio, quosdã uerò carcere mulctans. Bellũ cum Vrsinis gessit, quos et per filiũ nothũ uictos cæpit, ac domuit. Hinc nihil prius habuit, quã Innocentij exemplo, spurios suos honoribus, uerum longè maiorib. extollere: quãdo iam res hæc honori et gloriæ esse cœpit inter patres. Tanta sanctitate fuerunt tunc præditi, sanctissimi illi. Ex filijs unũ minorẽ natu Siciliæ principẽ fecit: alterũ Cæsariũ Valentinũ nomine, Cardinalẽ: maiorẽ quoq; in Hispania ducẽ. Qui breui tempore postea nocte quadã trucidatus, & in Tyberim proiectus fuit. Cæsarius Cardinalis, spreto sacerdotio, post eius mortẽ in Galliã se contulit, magna ui auri secum ablata. Vbi Ludouici regis propinquã de Lebreto in uxorẽ, unà cum oppido Valẽtia accepit. Regis deinde auxilio, perpetuoq; fœdere, multũ in Italia sibi ditionis parauit: iuuãte etiã Alexandro patre, qui nil magis optabat, quàm filiũ maximũ fieri principẽ. Filia Alexandri Lucretia, ab eo prius cognita (facinus horrendũ) tribus principibus, successione elocata fuit. Primùm Ioanni Sfortiæ, Pisauriensi duci: deinde abdicata, Aloisio Aragoni, Alphonsi regis filio notho. Quo demum interfecto, Alphonso Estensi Ferrariæ duci nupsit. Ex eius epitaphio, à Ioanne Iouiano Pontano eleganter edito, patet, qualis fuerit eius in Papatu pudicitia, sanctitas, castitas, cœlibatus, & religio:

Hoc iacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais: Alexandri filia, sponsa, nurus.

In annum Iubileum eiusdem Alexandri, Actius Sannazarius.

Pollicitus cœlum Romanus, & astra, sacerdos,
Per scelera & cædes, ad Styga pandit iter.

In Lucretiam, de Alexandro, Idem:

Ergo te semper cupiet, Lucretia, Sextus?
O' fatum diri numinis: hic pater est?

Ex Eusebio captiuo Hieronymi Marij: Quid Alexandri Sexti inaudita et obscœna facta enarrẽ, Is cũ dæmonib. fœdere inito, sese illis modis omnib. addixit ac donauit, si eorũ artibus in pontificem Romanũ crearetur. Quod cũ dæmones illi polliciti fuissent ac præstitissent, Alexander ita uitã suam sanctè instituere cœpit, ut nunquã aliquid facere moliretur, nisi prius dæmones in consilium aduocasset.

casset. Huius pontificis habetur quædam præclara, ac pontifice Romano, Petri apostoli successore digna. Habentur enim illa egregia & notatu digna carmina, quæ huius sanctissimi laudes enarrant:

Vendit Alexander cruces, altaria, Christum:
Emerat ille prius, uendere iure potest.
De uitio in uitium, de flamma transit in ignem,
Roma sub Hispano deperit imperio.
Sextus Tarquinus, Sextus Nero, Sextus & iste:
Semper sub Sextis perdita Roma fuit.

Hic ille Alexander est, qui Gemen Baiazetis Turcarũ regis fratrẽ, Romæ captiuũ, pro ducentis aureorũ millibus à Turca receptis, ueneno interfecit. Hic ille inquã est, qui suam tyrannidẽ tueri uolens, eundẽ Turcarũ monarchã, aduersus Gallorũ regem in adiutoriũ uocabat: & ut Neapolitanum regnũ, ac Roma ipsa pro suis luxurijs, Othomannici imperij munimẽta essent, effecit. Qui Antonio Mancinello, uiro doctissimo, utramq; manũ ac linguã abscindi iussit, quòd in impios eius mores, spurcissimã uitã atq; inaudita scelera elegantẽ orationẽ scripsisset. Quis hæc sanctorũ sanctissimi facta nõ detestetur? Sed uide qualẽ sit sortitus exitum. Dum parato cõuiuio opulentos aliquot senatores ac Cardinales eodem ueneni genere, quo Gemen occiderat, interfici mandasset, contigit ut incautè ab his qui pocula porrigebant, mutata lagena, Alexander & ipse uenenũ hauserit: sicq; unà cum senatoribus illis ac Cardinalibus perierit.

Huius sequitur epitaphium, authore Actio Sannazario:

Sæuitiæ, insidiæ, rabies, furor, ira, libido,
Sanguinis & diri spongia, dira sitis,
Sextus Alexander iaceo hic. iam libera gaude
Roma: tibi quoniam mors mea, uita fuit.

Appendix alia.

Sub hoc pontifice Hispano uixisse fertur Petrus Mendoza, etiã Hispanus, Cardinalis Valentinensis dictus, qui non meretricum agmine, ac sub rege Ferdinando, regina ipsa satiatus, petijt atque obtinuit, ab eodem sanctissimo diaboli uicario, ut & suo filio notho Zanetensi Marchione, in sacro cœlibatu, tanquam amata sponsa uteretur. Talis est horum diabolorum cœlibatus, per totũ orbem iactatus. Sub hoc scelestissimo tortore Alexandro, Bononiæ in Italia, Georgius de Monte ferrato, igne consumptus fuit: quem tamen Antonius Auerarius, ser. 35 de Virtutibus, in Iudaismum lapsum esse dicit, & Baptista Mantuanus in 3. lib. cap. 13. de Patientia, illud idem confirmat. Sub eo etiã, ut Tritemius habet, anno Domini 1490, floruit Hubertus Leonardus, Carmelita, episcopus Dariensis, & inquisitor Papisticus, qui in patria Leodiensi scripsit de Immunitate ecclesiastica, quosdamq; Niuellenses in 28 articulis Papisticè oppugnabat. Sequitur illũ Ioannes Bertran, Nuenburgẽsis, qui post lecturas in Erfordiẽsi ac Moguntinẽsi gymnasijs, scripsit de Valore missarũ. Christianus Massæus: Anno Domini 1491, postridie sacramẽti, quidã magister Ioannes Langlois, uel Anglicus, Parisijs in sacello S. Crispini, presbyterũ celebrantẽ deiecit in terrã: hostiã & calicẽ iam cõsecratũ effudit & cõculcauit. Captus ilico, negauit ibi corpus esse Christi. Post multa conamina, cum resipiscere nollet, cõbustus interijt. Eodẽ anno circa festũ cathedræ (terribile dictu) cœperũt dæmones habitare & possidere monasteriũ dominarũ Quercetensiũ, quas annis quatuor & mensib. totidem miserabiliter uexauerũt. Vidisses eas crebrò uelut canes per agros discurrere, instar auiũ uolare per aera, sicut feles in arbores repere, pẽdere de ramis, uariarũ animantiũ effingere uoces, secreta q; multa prodere. Post remedia uerò undecũq; quæsita, earũ nomina delata Romã, ab Alexandro sexto lecta fuerũt in cœna Domini sub missæ sacrificio, sed nihil profuit, &c. Anno Domini 1493, Hemonus Picardus, teste eodẽ Massæo, Parisijs in sacello quod dicitur sanctũ, uiolẽter abstulit hostiã de manu celebrãtis, et cõiecit in terrã. Qui carceri traditus à Stãdõco, incẽdio tandẽ est cõsumptus.

Ex Polydoro: Anno Domini 1494, Ioannes Tisseranus, Minorita, ex meretricib. publicis Parisijs nouũ ordinẽ instituit. Ex Tritemio Eodem anno claruit Vuernerus Roleuinck, Vuestphalus, Carthusianus Coloniæ: scripsit Fasciculũ temporũ, in quo grauia scelera & impietates spiritualiũ,

uarijs in locis recenset. Alibi nihilominus superstitiose scripsit de ualore missarũ. Ex quodã Calendario historico: Eodẽ anno Domini 1494, quædã uirtute & cõstantia cũ primis laudata mulier, mater dominæ de Yonge dicta, propter fidẽ Christianã Lõdini apud Anglos exusta fuit. Sequẽti anno, scilicet Domini 1495, & 21 die Nouẽbris, natus sum Henrico ac Margarita parẽtibus. Circa annũ Domini 1496, Hieronymus Paulus, Catalanus, Alexandri Sexti cubicularius, fictã Constantini donationem in sua practica uehemẽter improbat. Anno Domini 1499, exustus est Florẽtiæ celeberrimus concionator, Hieronymus Sauonarola, monachus Dominicanus, uir eruditione ac pietate insignis, cum aliquot socijs. Cõmunionem sub utraq; specie iste defendit. Indulgentias damnauit. Papæ, Cardinaliũ, omniumq; spiritualiũ turpem, sceleratamq; uitam, & officij neglectionem, grauissimè est accusare solitus. Negauit etiam primatũ Papæ. Claues docuit, ecclesiæ toti, non uni Petro traditas. ad hæc, Papam nec uitam, nec doctrinam Christi retinere dicebat: quia plus suis indulgentijs et traditiũculis, quàm Christi merito tribueret, ideoq; eum esse Antichristum. Asseruit quoq;, Papæ excommunicationes timendas non esse. Prædixit item futura quædam: nempe uastitatem Florentiæ & Romæ, atque tandem instauratiõnẽ ecclesiæ, quæ omnia hac nostra memoria acciderunt. Quare etiam à Ioanne Francisco Pico, Mirandulano comite, sanctus propheta appellatur, & proprio scripto contra Papam defenditur. Defendunt & alij quidam docti uiri eiusdem Sauonarolæ innocentiam. Tribuunt ei quoque Marsilius Ficinus in quadam epistola, & Philippus Cominæus in historia Gallica, propheticum spiritum.

IOANNES PARCEVALL. LI.

IOannes Parceuall, Carthusianæ professionis rigidus obseruator, uir elimatæ eruditionis, eò in diuersis literarum generibus peruenit excellentiæ, ut sociorum facilè primus haberetur. Iuuentutem ille omnem, scientijs hauriendis per Anglorum gymnasia accuratus impendit, ante susceptam professionem ipsam: unde euasit in utraq; literatura, diuina atque humana peritus. Sed quum fœtus demum ex longo studio generatus, ad maturitatem peruenisset, ea sola in publicum propagare constituit, quæ contemplatiuæ mentis exercent uigorem. Talia sunt, quæ inter cæteros cucullio nes, Carthusij in suis tam crebrò iactitant. Quæ in eorum sanctissimis, utinam non essent pro idololatria adaugènda, callidi serpentis fraudulentissima facies. Hi enim sectam magis ab Euangelio diuersam, magisq; falsis cultibus contaminatam, semper complexi sunt, usque ad seditionem in pios principes quandoq; perniciosissimam. Ex huius officina literaria prodijt,

Compendium diuini amoris, — *Lib. 1. Hominem ad uidendum Deum, eoq;.*
Epistolas ad solitarios, — *Lib. 1.*

Nec aliud, quod sciam, sub eius nomine, monasteriorum eius sectæ limites exiuit unquam. Prædictum uerò Compendium, à Christiano Vuechelo Parisijs excusum fuit. Claruit anno ab incarnato Dei filio 1500, sub rege Henrico septimo.

THOMAS MAILORIVS. LII.

THomas Mailorius, genere ac patria Brytannus, heroici animi ac generosi studij homo, inter eius temporis alumnos, uarijs uariarum uirtutum & fortunarum dotibus emicuit. Est Mailoria, ut in antiquarum dictionum syllabo Lelandus habet, in finibus Cambriæ regio quædam, Deuæ flumini uicina, quam & alibi quoq; à fertilitate & armorũ fabrefactura cõmendat. Inter diuersas reipublicæ curas non remisit ille literarum studia, sed succisiuis horis historias legere dulcissimum ducebat, & quasdam in ipsis iucundæ uetustatis reliquias quasi præ oculis uidere. Vnde in earũ lectione diutissimè uersatus, ex multis authoribus, & libris Latinè ac Gallicè scriptis, magno labore collegit, atq; in linguam nostram uertit,

Acta regis Arthuri, Lib.1.
De mensa rotunda eiusdem, Lib.1.

Preter hæc nihil eum edidisse noui, nec in bibliopolarum officinis amplius quicquam uidi. Ab huius libris, aniles fabulas, quibus abundat, necessario resecandas esse putarim, ut ueritas in historia seruetur. Claruisse his diebus fertur.

IOANNES ROVVSE. LIII.

IOannes Rouuse, aliàs Rossus, Vuaruuici, urbe magnę olim celebritatis, natus simul & educatus fuit (ut Lelãdus scribit) donec maturiores anni philosophicos poscerent præceptores. Tum uerò Oxonium petijt, altum aliquid in re literaria inchoaturus: ubi inter cętera, incredibili diligẽtia usus est, in legẽdis authoribus qui de nostris rebus scripserũt. unde tã exactam Brytannicæ antiquitatis cognitionẽ sibi cõparauit, ut multos ex nostris lõgo præcesserit interuallo. Perlustratis enim apud Anglos & Cãbros omnibus ferè bibliothecis, copiosam rerũ maximè memorabilium supellectilẽ collegit: quę ne per incuriã dilaberetur, cõtulit se ad quietẽ, rem scripturiẽti in primis necessariã. Est locus in colle positus, prope Auonæ fluminis ripã, distatq; à Vuaruuico uix passibus mille: ubi constat Guidonẽ, Vuaruuicensem comitẽ famosissimũ illũ, uitã olim uixisse solitariã. Hunc locũ amœnissimũ, Guidonicũ cliuum ab eo appellatũ, alto muro cinctũ, annuente rege Eduuardo quarto: Rossus homo minimè ambitiosus, unà cũ uicinis aliquot fundulis, in possessionẽ accepit. Et parato in hũc modũ honesto ocio, atq; aurea fortunæ mediocritate, expeditus & alacer, scribendi munus aggressus est: quod nunquam postea nisi cum ipsa uita deposuit. Quo longo tempore, multa chartis commendauit, in characteribus Latinis: præcipue hæc,

Antiquitates Vuaruuici, Lib.1.
De episcopis Vuigorniæ, Lib.1.
Vetustates cliui Guidonici, Lib.1.
De Comitibus Vuaruuicensibus, Lib.1.
De academijs Brytannicis, Lib.1.
Contra historiolã Cantabrigiensem, Lib.1.
Chronicon Vuaruuicense, Lib.1.

Et opera quædam alia, sed imperfecta, moriens reliquit. Bibliothecam etiam instituit in ipsa australi porticu fani Mariæ Vuaruuici. uixit usq; ad maturos annos Henrici septimi, ac Vuaruuici demum obijt 14 Ianuarij, anno à Christi seruatoris natiuitate 1491. Sepultusq; est ibidem in dicto Mariæ fano, ut ex inscripto epithaphio apparet.

THOMAS SCROPE. LIIII.

THomas Scrope, aliàs Bradley, ex nobili Scroporum Dominorum familia originem duxit: quam etiam claris uirtutibus & scientijs nobiliorem reddidit. Totus etenim ab ipsa adolescentia continẽtię studebat: unde Benedicti primùm, postea Dominici, ac tandem Carmeli fratrũ ritibus Nordouici se consecrauit. Et quum nihil minus apud eos inuenisset, quàm id quod tantopere apud uulgum iactitassent, nempe synceram Dei religionem, relictis sigillatim eorum obseruantijs Pharisaicis, Euangelium regni Dei in sacco & cilicio, cathena ferrea cinctus prædicabat, circa annũ Christi 1425. Clamabatq;, nouam Hierosolymam, agni nuptam è cœlo breui descensuram, & mox in aduentum sui sponsi paratam fore, Apoc. 21. Atq; addidit,

didit, illam se cum ingenti gaudio in spiritu uidisse. Quo facinore perditè offensus Vualdenus, eodem anno ad Nordouicenses fratres epistolam scripsit: in qua post prolixam eius rei narrationē, in hæc prorumpit uerba. Hęc scandalum Ecclesiæ, (inquit) hæc schisma & commotionem in populis generant, ac ruborem illis ordinibus incutiūt, quos ita transcurrit, &c. Ab ea uiperarum generatione posthac sibi metuens Scropus, Nordouici apud Carmelitas cellam anachoriticam repetijt: in qua 20 annis deinceps remansit. Consentiente demum Eugenio quarto Rom. pontifice, cui de suo ordine opusculum dedicauerat, anno Domini 1446, latebram illā exiuit, factus in Hybernia Dromorēsis episcopus, & ad Rhodienses legatus. In qua functione à quodam Catechumeno, seu nouiter conuerso Iudæo, ac Minorita Hierosolymitano, se plura didicisse refert. Cum senex esset, singulis ferijs sextis in diœcesi Nordouicensi, per patriā pedibus nudis obambulans, diuinæ legis decalogum in pagis & agris docebat: omniaq; sua in pios usus distribuebat. Et ut ad eius scripta perueniam tandem, cōposuit ille ad Ioannem Blakeney, monachum Benedictinum, Latinè satis,

De Carmelitarum institutione,	Lib.1. *Inuidiæ proprium est, alterius laudem.*
De eodem ordine, ad Eugenium,	Lib.1. *Quia Esaias propheta, cum de Christi.*
Catalogum sanctorum eiusdem,	Lib.1. *Quoniam Deus in sanctis suis toties.*
Compendium historiarū & iurium,	Lib.9. *Filij prophetarum sunt fratres de Ca.*
Priuilegiorum papalium,	Lib.1. *Dum præcelsa meritorum insignia.*
De sectarum introitu ad Angliam,	Lib.1.
De sua profectione ad Rhodios,	Lib.1.
Sermones de decem præceptis,	Lib.1.

Aliaq; nonnulla. In Anglicum sermonem eleganter etiam transtulit decem libros Philippi Riboti Catalani, de pecularibus Carmelitarū gestis: quod opus Cyrillo Garlandio sui cœnobij præsidi dedicauit. Ad decrepitam ętatem usq; uixit, centum ferè annorum senex: ac mortuus est anno salutis nostræ 1491, die 15 Ianuarij, non sine sanctitatis opinione, & Leystofti in Sudouolgia sepultus. Cuius epitaphij hi duo postremi uersus sunt:

Venit ad occasum, morbo confectus amaro:
Spiritus alta petit, pondere corpus humum.

Lubet hic (inquit Lelandus) aliquid adiungere, quod uicē coronidis suppleat. Dauid Chirburius, Carmelita, uir in theologię cognitione clarus, & Ricardus Mesinus, eiusdē sectæ theologus, Scropū præcesserunt. uterq; episcopus Dromorensis, uterq; Anglus. Ille Ludlovuiæ, hic Eboraci, inter Carmelitas sepultus.

IOANNES TONNEYS. LV.

IOannes Tonneys, Augustinianę apud Nordouicum professor sectę, bonas literas, atq; adeò eloquentiā magni meritò fecit: quo iudicio, humaniores artes solicita excussit diligentia. Nec minori, Lelando teste, usus est cura in sacrarū rerū lectione, Cantabrigiā postea missus. Senserat tamen desse aliquid ad circulū, nēpe Græcæ cognitionē linguæ. Accinxit igitur se maxima cū alacritate & prōptitudine operi: ac deuoratis primis rudimētorū molestijs, ignescens ad maiora se cōtulit. Erat certè philosophus, rhetor, ac poeta suo tēpore non uulgaris, ingenio & eloquio clarus: qui in utroq; scribēdi genere, metro atq; prosa, ualebat plurimū. Sed nec hæ uirtutes suo carebāt honore. Nam à suis collaudatus, honorifica functione post solennē theologiæ professionem donabatur, primarius scilicet in Anglia sui ordinis præ-

nis præses factus. Conciones eius ad clerũ & populũ, à multis etiã mirificè cõmendatas audiui: utq; elenchũ apponã, literis ille commendauit,

Rudimenta Grammatices, Lib. 1.
De quantitate syllabarum, Lib. 1.
De edendis carminibus, Lib. 1.
Epistolas ad diuersos, Lib. 1.
Orationes ad clerum, Lib. 1.
Sermones ad populum, Lib. 1.
Certamina scholastica, Lib. 1.
Lecturas magistrales, Lib. 1.
Collectanea quædam, Lib. 1.

Facetias ac rhythmos, & alia nonnulla, quæ immatura præuentus morte non absoluit. Plura eius opuscula Londini sunt per regis typographũ Ricardum Pynsonum excusa. Claruit uir multi apud Anglos nominis, anno incarnati nostri Messiæ 1490, sub rege Henrico septimo, & Londini sepultus dicitur.

GALFRIDVS GRAMMATICVS. LVI.

GAlfridus Grãmaticus, ad scholas semper à puero nutritus, sub corruptis, obscuris, ac barbaris præceptorib. prima eius artis rudimẽta edoctus, corruptior ipse aliorum tãdem magister euasit. Sibijpsi nihilominus, non aliter quàm olim arrogans ille Palęmon, adfectus, multa tribuebat, tanquã essent cum eo nato, simul & bonę literæ, & bene dicendi artes obortæ: atq; cum eo demum moriente, & illę simul essent interituræ. Ciceronem, Salustium, Seruiũ, Plinium, Varronem, Vergilium, Horatium, Quintilianum, & alios bonos authores in lecturis ille contempsit: & pro illis ad Latinæ linguæ perniciem, ac bonorum ingeniorum nauseam, sordes ac feces horribiles ex suo Alexandro, Garlandio, Genuensi, & similibus, Grammatista protulit. Deditq; suis auditoribus opuscula quæ sequuntur, Latinis characteribus exarata,

In doctrinale Alexandri, Lib. 3.
In Ioannis Garlandi Synonyma, Lib. 1. *Cum omnis diuisio libri sit penes.*
In Aequiuoca eiusdem, Lib. 1. *In superiore libro tractaui de.*
Expositiones hymnorum, Lib. 1. *Iste liber dicitur liber hymnorum.*
Hortum uocabulorum, Lib. 1. *Vt etenim multos (nostræ præ.*
Medullam Grammatices, Lib. 1. *Cernentibus solicitè clericorum.*
Præceptiones pueriles, Lib. 1.

Et eius farinæ alia. Prædicta opuscula omnia uidi, Parisijs atq; Londini impressa. Sunt qui in suis scriptis Dominicanum hunc fuisse testentur: & claruisse anno à sacratissimo diuæ uirginis partu 1490, Henrico 7 regnante.

IOANNES ALCOCK. LVII.

IOannes Alcock, ab ipsa pueritia bonarum literarum studijs ac pietati deditus, ita à uirtute in uirtutem creuit, ut eo nemo per Angliam, maiori sanctitatis nomine insigniretur. Parcissimè planè per totam ætatem uictitasse dicitur, duriterq; uigilijs, studijs, abstinẽtijs et alijs castigationib. domuisse prurientis suæ carnis illecebras. Qui tandem Elygensis episcopus factus, Polydoro etiam teste, pater sanctimonia & uirtute clarus, quoddam spiritualium meretricum cœnobium Cantabrigiæ, Domum Dei, sed perperam, dictũ, in theologorum collegium Iesu Seruatori sacrũ, pro eius amplianda gloria commutauit. Et hoc ideo sub Iesu nomine fecit, ut qui ibi se darent ad colendas bonas disciplinas, eius spiritu duce non errarent, sed

sed ad ueram animi pietatem recta contenderent uia. Ex isto inquam Iesu collegio, uiros doctissimos noui: & in primis Thomam Cramnerũ, totius Angliȩ primatem, atq; nunc demũ præsenti anno sanctissimum IESV martyrem per Antichristos factum: & Galfridum Dovunes, meum olim in re theologica dignissimum patrẽ, cum alijs multis. Edidit Alcocus, inter exercitia sua literaria, exhortationem quandam ad Carthusianos: quod opus uocabat

Montem perfectionis,	Lib.1. *In monte te saluum fac, Gen.36.*
Gallicantum ad uerbi ministros,	Lib.1. *Apprehendite filij dilectißimi, disci.*
Abbatiam Spiritus sancti,	Lib.1.
In Psalmos pœnitentiales,	Lib.1.
Homelias uulgares,	Lib.1.
Meditationes pias,	Lib.1.

Atq; alia plura. In omni uita abstinentissimus iste erat, claruitq; sub Henrico septimo Anglorum rege, anno ab apparẽte in carne Dei filio 1498, in ecclesia Elygensi tandem post fata sepultus, ac pro Papistico deo ueneratus.

STEPHANVS HAVVES. LVIII.

STephanus Havues, illustris generis homo, ab ipsa adolescentia cupidus bonis studijs mentem excolendi, relictis parentum ædibus, ad diuersas diuersarum regionum scholas, pro literis hauriendis se contulit. Doctrinam uerò, quam studiorum tempore per Angliam, Scotiã & Galliam, accuratè perdidicit, in sermone, in moribus, & in omni uitæ suæ consuetudine exprimebat. Ingenium ei fœlicissimum contigit, & lingua ad omnem dicendi rationem accõmoda: totaq; eius uita, ut fertur, quasi uirtutis exemplum fuit. Vnde sapientissimus princeps, Henricus septimus Anglorum rex, ad aulam, ad interiorem cameram, & ad secretum cubiculum tandem, sola uirtutis commendatione uocabat. Vbi inter amœna contemplationis ocia, in Anglico sermone composuit,

Delectamentum spiritus,	Lib.1.
Amantium consolamen,	Lib.1.
Virtutis exemplar,	Lib.1.
De coniugio principis,	Lib.1.
Alphabetarium auicularum,	Lib.1.
Templum crystallinum,	Lib.1.

Aliaq; nonnulla metro ac prosa congeßit, quæ à multis in Anglia cum uoluptate leguntur. Claruit anno à diuini uerbi incarnatione 1500, sub Henrico prædicto. In quo Alexander pontifexub Iubilæum Romæ, in maiori quàm unquam antea luxuria, celebrauit.

GVILHELMVS BYNTRE. LIX.

GVilhelmus Byntre, in eius appellationis uico inter Nordouolgianos natus, in numero doctorum Carmelitarum, Lelandi censura, ponendus est. Is enim (inquit) in ipsa adolescentia, inter Brunhamienses eius sectæ cœnobitas, prima bonarum literarum fundamenta iecit. Deinde cum eò peruenisset, ut prope ripas leui aut nullo cortice natare posset: tandem uoluit sui periculũ facere, & uasto liberalium scientiarum pelago se cõmittere. Itaq; Cantabrigiam, quasi spaciosum & profundum quoddam circularis eruditionis mare, petijt. Quid ego (inquit) hic cõmemorem, quàm secundis uentis usus sit? aut quot rerum formas, ad infinitum ferè uarias, inter nauigandum, nõ sine iucunda quadam admiratione notauerit? Tanta certè

certè naturæ mirificè ludentis uarietas est, ut noua curiosis oculis miracula semper ostentet. Noluit tamen Byntręus in illo naturalium rerum æquore cõsenescere. Altius quiddam tentauit: ac relicto Neptuni elemento, æthereas Iouis sedes, ipsaq; astra, ingenij quadam diuinitate, ueluti perpeti penna, conscendit. Sim uanus, nisi libri ab illo editi, eadem manifestè probent. Tantum Lelandus. Cognoscite ergo studiosi lectores, hæc uobis ab eo relicta fuisse monumenta scholastica,

Lectiones in Cantica Salom.	*Lib.1. Reuerentiarum uestrarum celeberri.*
Quæstiones 42 ordinarias,	*Lib.1. Vtrum Spiritus sanctus procedat.*
Determinationes theologicæ,	*Lib.1. Præstantissimi, theoriæ affluentes.*
Paupertatis defensorium,	*Lib.1. Multæ sunt rationes erroneæ.*
De diuæ uirginis laude,	*Lib.1. Semper laus eius in ore meo.*
De Latini sermonis ornatu,	*Lib.1. Colores præcipui pertinentes ad.*
Sermones quoq; uarios,	*Lib.1.*

Et alia opuscula plura. Defensorium paupertatis, Apologia est, contra impugnantes suæ sectæ mendicitatem. In qua secutus est Aquinatem, Guidonem, Hardebium, Conouium, Hildesheimensem, & alios. Obijt autem Bintræus anno à Christi natiuitate 1493. tertio die Septembris, Brunhamiæ sepultus.

GVILHELMVS GALION. LX.

GVuilhelmus Galion, Augustinianæ professionis alumnus: inter ætatis suæ scriptores, locũ planè honorificũ petit, & ad præsens accipiet. In Nordouolgię comitatu prognatum illũ esse, posteriores eius ordinis annales perhibent: & in Lynnensi eorundem fratrum cœnobio, ad illud instituti atq; indimenti genus ad missum. Qui annis iam maturis, Oxonij in philosophia Aristotelica, & in alijs artibus studuit. Et in theologia tandem, in quæstiones penè infinitas concisa, tam profecit, ut palmarium in scholis ipsis facilè adeptus sit. Inde magnificus doctor effectus, & Augustinianorum omnium in Anglia archipræses constitutus, ita probè se gessit inter suos, ut multis ad discendum ac docendum incitamento esset. Et ne quis de uerborum dubitet fide, accedũt libri, doctrinæ eius atq; eruditionis testes. Scripsit autem,

Conciones per annum,	*Lib.2.*
Lecturam theologicæ,	*Lib.1.*
Disputationes uarias,	*Lib.1.*

Nonnullaq; alia, quæ uiuus adhuc contulit collegij sui bibliothecæ spectabili. Obijt anno à salutis nostrę origine per Christum 1507. Lynnæ in suorum fratrum cœnobio sepultus, sub Henrico septimo Anglorum rege.

TERTIAE CLASSIS SECTIO QVINTA, DE PAPIS, uel Romanis Antichristis, sub casu regni Papistici, per Dei uerbum, 2. Thes. 2. & Dan. 8. usq; ad mundi finem.

Ab Innocentio quarto, qui sectarum Mendicantium insignis prouector extitit, ac nobilitator, per 260 annos hucusq;, hoc est, ad annum à nato Seruatore 1503, Antichristus Abadonem in omnibus factis expressit. Angelus abyssi Abadon ille primum erat, à dæmoniorum principe in terram ad hoc missus, ut in suo uicario, Papa Romano, potenter per illam ætatem regnaret. In hunc finem quoque, non solum ut fidem ex audito Christi uerbo conceptam, per illũ corrumperet, sed & electam Dei sponsam ecclesiã ab eius copula separaret ac perderet. Habebat ille ad id pertinaciter operãdum,

ipsius Abyssi clauem, hoc est, tenebrarum ac caecitatum infernalium potestatem: ut quae lucidae ueritatis sunt, per somnia sophistica confunderet. Ex eo Tartareo fonte turmatim locustae uolitabant: qui sunt Mendicantium ordinum fraterculi, cum rasis missatoribus ac loquacibus sophistis. Hi Abadonem assumpserant in suum regem: pro patre sanctissimo illum semper agnoscebant, & pro uniuersalis Ecclesiae capite supremo. Alios praepositos aut magistratus minime curabant, dum essent per eius bullas ab omni potentissimorum principum iurisdictione exempti: & reges Caesaremq; ipsum, illius dominio subijci debere, ex cathedris ac pulpitis docerēt. Hoc luce clarius sub Innocentio quarto patebat: qui eorum susurris Fridericū tertiū excōmunicauit, imperioq; tyrannicè priuauit. Thomas Aquinas & alij sophistae, subtilissimis elenchis Papam Dei uicariū faciebant: & ille uicissim eos in sanctos Ecclesiae doctores admisit. Quid autem magnus eorum in Anglia nostra numerus, cum suis sententijs, summulis, decretis, determinationibus, quaestionibus, quodlibetis aut alijs diabolorum faecibus egerit, in praecedentibus centurijs satis indicatum est. A factis cognoscuntur locustae, & à friuola doctrina fraterculi. Deinceps etenim, ab anno Domini 1503, sub Iulio secundo, qui tyrannicus bellator erat, & suis successoribus, usq; ad ultimi iudicis aduentum, Papatus ruinam patietur. Diminuta est Diaboli in Antichristo potestas decipiendi, & indies magis ac magis diminuetur: at saeuiendi in electos Dei, non item. Signa futuri lapsus aut ruinae papistici regni plura Iulium praecesserunt. Ioannes 24 à bubone quodam mirabiliter, ut dictum est, molestatus fuit: & in itinere uersus Constantiam ex rheda sua cecidit. Ignominiose depositus illic erat: declaratumq; fuit, generale concilium habere potestatem in Papam. Vnde eius atq; Pauli secundi tempore res Pontificia ad magnam inclinationem uenit: semperq; in peius ruit. Sub Alexandri sexti regimine, Angelus supremus ex Hadriani mole in Tyberim cecidit, terrifico deiectus fulmine. Quae à Iulio secundo, qui D. Petri clauem in Tyberim proiecit, infortunia hucusq; successerint, uix ulli sunt qui ignorant. Iuxta D. Pauli prophetiam, impium illum Antichristum Christus conficiet spiritu oris sui, aduentus'que sui claritate delebit. Viuus mittetur (inquit Angelus ad Ioannem) in stagnum ardentis ignis ac sulphuris, Apoc. 19. ubi crucietur in sempiternum. Fiat, fiat: Amen.

Papae, uel Antichristi Romani.

162. Iulius secundus, patria Genuensis, Sixti quarti Romani olim pontificis nepos (si non filius) & Iulianus Ruerius antea nuncupatus, ex presbytero Cardinale, titulo S. Petri ad uincula, in magnum Dei aduersarium, Papam, assumebatur. Virum bonum, Stella Venetus, hunc perditionis filium in Pontificum catalogo uocat: & tanto (quod facilè credo) taliq; principatu dignissimum. Ita de illis sunt adulatores Papicolae, quibus propheta Dei sanctus maledixit, dicens: Vae qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, &c. Esa. 5. Ea enim quae ad Christianae religionis dignitatem pertinere Stella in hoc Iulio arbitrabatur, ad Satanae monarchiam & aeternae perditionis regnum horribiliter spectare dignoscuntur. Etre uera curioso illa circumspexit animo Iulius, inuerecundus Antichristus, ac bellator iniquissimus, ut Stellae uerba prosequar. Miram quoq; pietatem, eius immanem tyrannidem assentator & hypocrita nominat: prudentiam astum, sapientiam dolum, consilium fraudem, Taliq; pontifice ac nauclero Ecclesiam indigere pronunciat, qui Petri nauiculam ad salutis portum redigere posset: acsi horribilium uitiorum omnium sentina, Romana synagoga & Babylonica meretrix, ea ipsa esset in mysterio cymba, ac sordidissimus Iulius Christus ipse. Multo rectius de hoc incarnato diabolo Vuicelius, aestimator alioqui iniquus, sentit: Marti quam Christo deditiorem illum fuisse contestans. Eius impudentissima facta in Appendicibus lectori uidenda se offerunt. De eius insania dum iret ad bellum, proiectis in Tiberim D. Petri clauibus, sic scribit inter alios Philippus Melanchthon:

Cum contra Gallos bellum Papa Iulius esset
 Gesturus, sicut fama uetusta docet:
Ingentes Martis turmas contraxit, & urbem
 Egressus, saeuas edidit ore minas.

Iratusq; sacras claues in flumina iecit
    Tybridis, hic urbi pons ubi iungit aquas.
Inde manu strictum uagina diripit ensem,
    Exclamansq; truci talia uoce refert:
Hic gladius Pauli nos nunc defendet ab hoste,
    Quandoquidem clauis nil iuuat ista Petri.

Gasparis Bruschij iocus de eodem Iulio.

Iulius aduersum Romæ egressurus in hostem,
    Magne sub imperio Maxmiliane tuo:
Clauibus in Tyberim proiectis, ocyus ensem
    Fulmineum arripiens, talia lætus ait:
Quandoquidem Petri nil nos iuuat aurea clauis,
    Arma, arma & gladios experiamur eos,
Quos Paulus nostra Tarsensis in urbe reliquit:
    Forsitan hi melius limina nostra tegent.
Sic nunc pontifices etiam magis arma requirunt,
    Quàm claues doceant ut Galilææ tuas.
At quanto melius facerent, & rectius, ipsis
    Consulerentq; sibi, consulerentq; suis:
Si ueram fassi pietatem, & tam manifestam,
    Hæc spargi sinerent dogmata uera Dei,
Quæ Paulus quondam & Petrus docuere, docentq;
    Germani hoc nostro tempore mille uiri?

Huldricus Huttenus de gladio Iulij.

Ille sui longo successor in ordine Petri,
    More nouo tantas res agit, & studio.
Nam neq; pro populis orat, paciq; relictus,
    Quod faceret Petrus, sacra fidemq; docet:
Verùm bella mouet, gerit arma, & sanguine gaudet,
    Nimirum Paulum prætulit ille Petro.
Paulus habet gladium, sed non ferit: occidit illo.
    At malus hic multis intulit exitium.

Iulij descriptio, per eundem Huttenum.

Qui chalybe & duris amicitur Iulius armis,
    Terribilis barba, terribilisq; coma:
Cui toruos horrore oculos frons occulit atrox,
    Tartareæ ignescunt cuius in ore minæ:
Ille inquam gladijs, atq; occidente sagitta
    Et terra populis, & metuendus aquis:
Qui trucibus reges terrarum innexuit armis,
    Qui tetrum excito seuit in orbe malum:
Ille tot exitiorum & tanti criminis author,

Quo se cum populis imminuere duces,
Quiq; manu, quiq; ingenio dira omnia patrat,
Natus in humanum pestis acerba genus.
Cuius opus mors est, turpißimus ocia luxus,
Qui pacem cunctis abstulit, arma dedit:
Ille inquam talis cum uita & moribus extet,
Dißimilis Christo, dißimilisq; Petro:
Quid facit, aut quid habet, quod tandem dicere poßis
Dignum Romani nomine pontificis?

De indulgentijs Iulij, per eundem.

Fraude capit totum mercator Iulius orbem:
Vendit enim cœlos, non habet ipse tamen.
Vende mihi quod habes. nam qui pudor, ut mihi uendas,
Ipsum te Iuli cuius egere uides?
Quin fera Centimanos emittas terra Gigantes,
Iulius expulso uendat ut astra Ioue.
Donec enim cœlos alius regit, & tonat inde,
Non ego tam magni muneris emptor ero.

Plura Iulius iste à Christianis principibus diris & armis crudeliter extorsit, occisis intra septennium eius immani tyrannide plusquam ducentis Christianorum hominum, absque ulla tantæ iacturæ commiseratione, millibus. Pro uictorijs autem quibus post tantum sanguinem effusum tyrannus gaudebat, Heluetios perpetuo ecclesiasticæ libertatis defensorum titulo donauit, cum publicis bellorum signis, uexillis, bullatis priuilegijs, aureo gladio ac pileo. A' Gallo tamen postea ad Rauennam ingenti prælio superabatur. Obijtq; tandem post cædes innumeras atq; inaudita scelera horrendum hoc monstrum, anno Christi 1513, uicesimoprimo die Februarij, durante adhuc concilio, quod Romæ fallaciter celebrandum indixerat.

163. Leo Decimus, patria Florentinus, ex clarißimo Mediceorum genere natus, & Ioannes Medices ante Papatum dictus, diaconus olim Cardinalis S. Mariæ in Dominica, à Cardinalibus præter omnem expectationem in demortui Iulij suffectus est locum. Bonis literis à prima iuuentute diligenter institutus, doctißimisq; præceptoribus usus, Angelo præsertim Politiano, uiro utriusq; linguæ Græcæ & Latinæ callentißimo: eruditos homines deinceps supra modum semper amauit. Decimotertio ætatis suæ anno, ab Innocentio octauo fiebat Cardinalis, & anno tricesimooctauo pontifex Romanus. Fuit hic Leo natura ipsa quietus ac mitis: sed ab inquietis & immitibus plerunq; gubernatus: quorum arbitratu pleraque insolenter passus est agi. Delicatulo corporis deditus ocio, carnem suam ad uoluptatem nutriuit in uarijs mundi desiderijs, & amœnis ad libidinem iucunditatibus. Musicos ac uina inter lautitias, ad animum in mensa exhilarandum, in summis delicijs habuit: sed Euangelium regni Dei, ut alter Caiphas, implacabili odio in Luthero atque alijs prosecutus est. Proponenti enim semel Cardinali Bembo quiddam ex læto illo Dei nuncio, dissolutè respondebat: Quantum nobis ac nostro cœtui profuerit ea de Christo fabula, satis est seculis omnibus notum. Sceleratißimus nebulo propalam expreßit, se Antichristum illum esse, quem Paulus peccati hominem ac perditionis filium uocat. Largißimas indulgentias, & easdem ineptißimas, pro nummis ad uoluptatem hauriendis, scortis alendis, spurijsq; ditandis, currentibus per regna Christiana sine numero fraterculis, sparsit.

Conradus Grebelius in Caietanum:

Germanos, decimas tunc cum extorquere pararet,

Qualem

Qualem oratorem iußit adire Leo?
Dimiſit quendam, labor eſſet dicere qualem:
Nimirum uerbo eſt dicere ſat, Monachum.

Tot aureorum nummorum millia, Samſon Franciſcanus ille Mediolanenſis, per eas in uarijs terris collegit, ut mundus ſuper eo prodigio ualde admiraretur. Supra 1200000 enim ducatorum ſummam erat, quos uno die pro Papatu emendo obtulit.

Triginta & unum uno die Cardinales creauit Leo, ingenti corraſa pecunia, & uiſis eo ipſo die horribilibus portentis. Anno Domini 1521, quo Rhodum expugnabat Solymanus, in ipſis Chriſti natalibus, dum ſuum exiret conclaue, ad primam in aurora Miſſam celebrandam, ſubita poſt tergum eius, tectum quoddam marmoreum pulcherime extructum cecidit, ac multi ex eius ſatellitio inde perierunt. Hoc omine ſignificauit Deus, Papatum ob atrocia & infanda in eo flagitia breui periturum. Spurios ſuos ille mirum in modum ditauit, atque ſimul ad utriuſq; ordinis Principatus, aliorum iniuria, ſublimauit. Iulianum nempe, quem dicunt ex ſorore nepotem, Mutinenſem ducem creauit: & Laurentianum, Vrbini ducem: adiunctis uxoribus, Caroli Sabaudi ſorore uni, & Boloniæ ducиſſa alteri. Nam ducem Vrbinatem ducatus poſſeſſione priuauerat, ut horum unum in eius ſubſtitueret locum. In ducem quoque Ferrarienſem ſimilia tentabat: ſed fruſtra. Iulium uerò nepotem, Cardinalem conſtituit. Anno Domini 1521, & prima die Decembris, ut audiuerat Gallos à Cæſareanis ſua etiam opera Mediolani ſuperatos, cæſos, captos, & ab Italia pulſos, inter pocula ſupra modum lætus ac ridens, ſpiritum efflauiſſe dicitur, cum nec cœlum nec infernum poſt hanc uitam eſſe crederet. De hoc Leone Actius Sannazarius ſic ſcribit:

Sacra ſub extrema, ſi fortè requiritis, hora
Cur Leo non poterat ſumere? Vendiderat.

Paſquillus de Leone:

Paſtor ut ambiguo Proteus dignoſcitur ore,
Et dubius liquidis ſæpe uagatur aquis:
Sic Leo nulla fides tibi, nec conſtantia rebus,
Factaq; promißis ſunt odioſa tuis.
Nec bona, nec mala ſunt dubio credenda Leoni,
Eſt etiam in uerum ut uix adhibenda fides.
Quum uentrem imprudens auido natura Leoni
Feciſſet, rimas præbuit huic geminas.
Non excrementis fuerat ſatis una, ſed harum
Altera nunc clauſa, nec minus illa uorat.
Gaude Roma, breui hac ſoluêris peſte: fatiſcet
Aluus, tam magni ponderis impatiens.
Differat à Decimo quàm Iulius ipſe Leone,
Diſcere ab amborum nomine Roma poteſt.
Iulius eſt hominis, bruti Leo. Iulius egit,
Quæ ſuaſit ratio: quod libet, iſte facit.

Nota hoc loco, quod anno à Chriſti incarnatione 261, quum Paulus Samoſatenus in Eccleſia Chriſtianorum prima, quæ erat Antiochiæ, epiſcopalem accepiſſet cathedram, in Chriſtum Dei filium blaſphemias ſtatim euomuit, negans eum uerum atque æternum eſſe Dei filium. Quæ hæreſis omnium peſtilentißima, per Arrium, Mahumetem, & Antichriſtum Papam, in hodiernum ferè diem eſt adaucta. Monachi etiam, qui quaſi eodem anno ſub Eremita Paulo initium habuerunt, in uarijs uitæ generibus & doctrinis eandem hæreſim, Satana ſuggerente, fouebant, Antichriſto in Dei templo regnante, uel publico in Eccleſia docendi munere fungente, quadraginta duobus menſibus, Apocalyp. 11. uel diebus 1260, quod idem eſt. Qui dies, ut par eſt, pro

annis accepti, addito priore numero 261 annorum, ad annum usque à Christo nato 1521 peruenit. Mysterium intellige. In eo enim anno plenè reuelatus est ille aduersarius Dei magnus, qui sese extollebat super omne quod dicitur Deus, aut colitur: 2. Thessalon. 2. In eo, inquam, error ille sub Antichristi tyrannide aduersus Dei filium tot mortibus munitus, labefactari incœpit: manifestata ueritate ac fidei iusticia per spiritum Christi, piorum aliquot doctorum fideli ministerio. Anno nempe prædicto, Domini scilicet 1521, quo & dictus Leo obijt, coram ipso Romano imperio Vuormaciæ congregato, Lutherus uoce omnium, ueram de Christo doctrinam, quam præfati negabant hæretici, in spiritu fortitudinis Dei intrepidè confessus est. Et ex uera illa confessione, uera Christi ecclesiá renouari denuò cœpit, & eius regnum subinde maiores accipere uires: Antichristi uerò statim confici, & ad interitum perduci.

Ab hoc loco, à quibusdam Rom. Pontificum actis abstinere cogor, festinante iam prælo. Sex igitur, qui sequuntur, Papas, tanquam in transcursu paucis designabo, & acta eorum plura differam in aliud tempus, exceptis his quæ in Appendicibus lucent.

Sequuntur adhuc Papæ uel Antichristi Romani.

164. Hadrianus sextus, natione Germanus, patria Holandus uel Batauus, Hadrianus de Traiecto antea dictus, ex Caroli Cæsaris præceptore, & Cardinale presbytero, titulo S. Ioannis & Pauli, Papa constitutus: idem seruauit nomen quod habuerat ex baptismo. Promittebat ille Principibus per literas, daturum se operam, ut Romana respublica, quæ multis malis occasionem dedit, omnium prima seuerè corrigeretur: ut quæ damni causam dedisset, medicinæ præberet & salutis initium. Sed fucus hypocriticus tantum erat. More namq; prædecessorum Antichristorũ, Christi puriorem doctrinã est acriter insectatus in Luthero, Oecolampadio, & alijs pijs Ecclesiæ doctoribus, nec aliud in ipso Papatu fecit ulla memoria dignum. Decessit suspecta morte Hadrianus, anno Domini 1523, secundum ingressus sui pontificatus annum, quartodecimo die Septembris. Vnde Actius Sannazarius:

Classe, uirisq; potens, domitoq; oriente superbus,
　　Barbarus in Latias dux quatit arma domos.
In Vaticano noster latet. Hunc tamen alto
　　Christe uides cœlo (proh dolor) & pateris?

165. Clemẽs octauus, patria Florentinus, Leonis decimi Papæ nothus (dixissem nepos) et Iulius antea uocatus, tituli S. Laurentij in Damaso presbyter Cardinalis, scelerato patri scelestissimus filius, in impio Papatu successit. Pestilentissimam sedem illam Antichristi ac Diaboli, uiolenter istum inuasisse Valerius scribit: uix ulli superiorum (inquit) seculorum, & Romanæ urbi & pontificiæ curiæ magis infœlicem. Porrò dum armatus hic Pontifex, inter Cæsareanos & Gallicanos, pro Italiæ imperio dimicantes, fluctuaret: Roma ui capta, ac miserabili præda à Germanis & Hispanis militib. facta, Pontifex ipse multis probris adfectus, in eorum incidit manus. Inde Germanorum ecclesias maiores, Papatum uelut Antichristi regnum uerbo sanguineq; detestatas, amisit. Subinde tamen astutus & audax lupus iam potentissimis regum populorumq; retibus instructus, Christi oues Lutherismi prætextu ad necem uenaturus, mense Septembri anno Domini 1534, inaudito ueneficio, nempe funalis fumo, cum aliquot Cardinalibus & amicis familiaribus, in acerbæ necis retia incidit. De hoc Clemente sic habet Vulteius:

De Clemente, quod est conscriptum carmine crimen,
　　Id uerum, aut falsum protinus esse scio.
Si uerum est, uerè iam possum dicere, mundi
　　Vrna breuis uitium claudit, & omne scelus.
Si falsum est, uerè iam possum scribere, mundi
　　Dux, pax, lux, paruo contegitur tumulo.

At

At falsum esse reor. Quis enim committere summum
Pontificem Romae talia monstra putet?

166. Paulus Tertius, patria Romanus, Alexander Farnesius antea nuncupatus, & Cardinalis episcopus Hostiensis, senio ferè confectus, eodem anno post Clementis mortem, duodecimo die Octobris ad hoc Satanici regni fastigium ascendit, in eoq; sedit quindecim annis. Hic pontifex sanctus (inquit Valerius) libros suos à Pasquillo nobilitatos, Papali more ualde exaltare, Lutherumq; & alios Christianae ueritatis professores opprimere studuit. In astrologia ac diuinatione, illa praecipuè quae malorum daemonum adiutorio fit, primas obtinens, multa miracula iuuenis fecit: & sororem suam, Iuliam Farnesiam, Alexandro sexto Pontifici ad usum uenereum pro rubro galero dedit. In ipso Papatu uerò, nouum religionis genus senex adinuenit, ad diuini cultus augmentum: ut cuidam matronae nobili gratificaretur, globulum quendam ligneum Papali benedictione consecrauit, & ut contra molestationes uarias collo appensum ferret, paternis consilijs admonuit. Mysterium magnum est. Romanae synagogae, sanctissimae matris, res compositurus, concilium uniuersale Mantuam indixerat, sed frustra: nec posteriore Tridentino quicquam effecit. Super caeteris eius actis sanctissimis Appendices quaere. Anno Domini 1549, è uiuis excessit, decimo die Nouembris, uacabatq; sedes illa mensibus tribus, ac diebus totidem.

Epitaphium huius Pauli:

Puluis eram terrae, tenuisq; in puluere uentus,
Foemineo suetus uiuere lacte senex.
Attamen Italicis non doctior artibus alter,
Quiq; Deum uberius ludere posset, erat.
Namq; uno summi fatuati numine Reges,
Coeperunt ipsi bella mouere Deo.
Non satis aequa meae nuper Germania Romae,
Ingenij sensit subdola uota mei.
Quicquid id est, inter foelices gaudeo manes:
Quam uolui, auspicio est alea iacta meo.
Nunc gratare mihi partos post funus honores,
Roma mea, Stygios dum uagor umbra lacus.
In culicem uersus segnes affligo tyrannos,
Qui furere in summum non potuere Deum.
Haec mea nunc merces, hoc grato laetor honore:
Pro meritis uitae praemia quisq; capit.

167. Iulius tertius, patria Aretinus, Ioannes Maria de Monte ante Papatum nominatus, post diuturnam Cardinalium in conclaui disceptationem, anno Domini 1550, septimo idus Februarij, ex Praenestino episcopo Pontifex designabatur. Cardinalium collegio à praedicto Paulo tertio, ob melancholiam & ueritatis odium ascriptus: eius' que nomine synodo Tridentinensi contra Lutheranos (sic pios appellant Sodomitae) legatus praesedit. Pontifex mox factus, Iubileum lucri gratia celebrat, utpote qui in annum quinquagesimum incidisset. Veneruntq; Romam, Amphiones, tibicines, auletae, lyricines, fidicines, histriones, ganeones, lenones, scurrae, cinaedi, meretrices, paedicones, & omnium malorum colluuies. Sic magnam spem Iulius emendandae religionis (eius quam Papistae cupiunt) praebuit, ac reformandi cleri. Porcellis & pauonibus libenter uescebatur podagricus senex, qui porcinam uitam duxit. Nullos prius ad ecclesiasticas dignitates promouit, quàm adolescentes lasciuos, quos Ganymedes uocare solent: ut in quodam patebat Innocentio, ad nullas uirtutes nato. In quotidiano sermone, sanctus hic Pontifex obscoenioribus utebatur uerbis ac blasphemijs, quàm quisquam alius ex lenonum aut aliorum per Italiam nebulonum faece. Pro caeteris eius uirtutibus pontificijs, Appendices uide. Abijt hinc Iulius, sua podagra atque alijs adhuc uexatus malis, anno Domini 1555, uicesimo tertio die Martij: & ad patrem

infernalem non lætus descendit. Valedicebantq; illi Anglorum Papicolæ per funebres cantiones, monitore Polo.

Romæ luxus. L. Bigi.

Quò uentum est superi? quò uis progressa Diones?
Quò gula? quò luxus? quò genus omne mali?
Ambrosiæ fœtent epulæ, mareotica sordent
Vina, nisi Iliacus porrigat illa puer.
Cætera mens horret meminisse: ea discat ab uno
Crimine, me quisquis legerit, atq; gemat.

168. Marcellus secundus, natione Hetruscus, Marcellus Ceruinus ante Papatum dictus, patriam habuit Montem Politianum in agro Florentino: episcopus primùm Nicastrensis erat, postea Cardinalis tituli S. crucis in Hierusalem, ac tandem omnium Cardinalium in conclaui existentium consensu Pontifex creatus. Qui nono die Aprilis anni prædicti, nomẽ prius in baptismo susceptũ mutare nolens, Marcellus secundus appellari uoluit: & postridie in basilica Lateranensi papalis muneris insignia papaliter suscepit. Cum Cæsar Carolus ac Ferdinandus rex frater, semel urgerent expeditionem fieri in Turcas, scriptis respondebat Ceruinus, eam in Lutheranos potius adornari debere, hosq; multo deteriores esse (culinis eorum aduersabantur) omnibus Turcis. Sed id ante Papatum fecit. In ipso uerò Papatu amarißimo zelo aduersus puriorem doctrinam fuit, & in retinendis superstitionibus pertinacißimus. Verùm, cum multo antè cœpisset ictero laborare: inualescente tunc eo morbo, 23. post electionem die & prima Maij, mortem obijt: Papistis apud Anglos etiam cum suo Polo, eius uale lugubriter celebrantibus. Fama quidem erat, ueneno sublatum, sed eiusmodi nihil fuit. solent enim hi patres, eos libentius in Pontifices creare, quos sperant non diu victuros.

Theodoricus Gresmundus de Romæ petulantia.

Roma caput scelerum, niuei iactura pudoris,
Exitium fidei, luxuriæq; parens.
Sola Venus dispensat opes, dispensat honores,
Sola facit serua quicquid in urbe libet.
Extollit, magnosq; facit sapientia turpis:
Sit procul, in tenero cui sedet ore decor.
Tartara sunt molli potius adeunda iuuentæ:
Si non est alius, sit tibi barba comes.

169. Paulus quartus, patria Neapolitanus, Ioannes Petrus Carapha antea uocatus, eodem anno Domini 1555. & uicesimotertio die Maij, à Cardinalibus concorditer electus, & per omnes cæremonias exaltatus, illam coccineæ bestiæ sedem, in omni tyrannide nunc occupat. Nouam iste Venetijs olim in sua hypocrisi, rasorum sacrificulorum sectam instituit, quos sanctißimo nomine Iesuitas appellauit: ac si Iesus Seruator ipse idololatricos papicolas, præter Euangelium, & in superstitione genuisset. Theatinus Cardinalis postea factus, alijs rebus studuit, nempe fortunis adaugendis. De emendanda ecclesia libellum ante Papatum edidit: sed nunc in ipso constitutus Papatu, nec Iesum, nec ecclesiam curat. Iam totus arma meditatur, belli quàm pacis amantior. Curet quæ Christi sunt Petrus: Paulus hic interim, uel potius Saulus, spirans minarum ac cædis, quæ sua sunt, non sine multorum sanguine, quærit: & lupos uoracißimos immani tyrannide per omnem Europam in Dei grege sæuire sinit, quasi lupus & ille sit, non parcens gregi, Acto. 20. Exurge ergo tu Domine Deus noster, exurge inquam, & uindica sanguinem seruorum tuorum fidelium, qui in Anglia, & in alijs terris, absq; omni commiseratione humana effusus est, ob sanctißimi nominis tui confeßionem. Confunde sceleratißimum Papam, tuæ ueritatis aduersarium: & mitte in stagnum sulphureum, ad eiusdem tui nominis gloriam. Amen.

In tyran-

IN TYRANNIDEM QUORUNDAM aduersus pios. C.B.

Vt pia conspiciens cædi sua pignora mater,
Ingemit, & querulos mittit ab ore sonos:
Sic pater è cœlo collustrans undiq; terras,
Morte suos plecti uidit, & ingemuit.
An non (mortales) nostri sat sanguinis haustum est?
Nec uestra in natos desinit ira meos?
Quid meruere, sui seruant si iussa parentis?
Et pedibus nolunt nomina nostra teri?
Dico equidem, uobis per me licet esse tyrannis,
Infamiq; meos perdere morte licet.
Sed tamen in poenam quamuis sim tardior, ultrix
Sumet nostra mali dextera supplicium.

Quid postremò mihi dicendum superest, ut huiuscemodi pontificum Catalogo finem imponam? nisi id tantummodo, quod inuenerim apud Hieronymum Marium in Eusebio captiuo: Nempe quòd cum hi, de quibus sermonem habuimus, tam horrenda scelera committere non erubuerint: nec qui posthac infœlix istud Pontificium regnum occupaturi sint, meliores futuri expectentur: atrociora enim designare non erubescent. Nam quemadmodum Christus temporis processu, sapientia & gratia crescebat apud Deum & homines: sic Antichristus indies deteriora ac maiora scelera in Deum & eius Ecclesiam molietur. hac nimirum ratione futurum est, ut tandem ab omnibus homo peccati ac filius perditionis agnoscatur. ut sicut Christus ipse, ex eius operibus agnitus est filius Dei: sic Antichristus, ex eius sceleribus, Diaboli filius comprobetur. Sed nunc ad narrationis scopum reuertor. Nam ex his quæ à me de pontificibus narrata sunt, omnibus coniectare licet, Papam (ut iactitat) petram non esse, nec ecclesiæ fundamentum, contra quod inferorum portæ non præualeant. Cum huiuscemodi homines uideamus repletos nequitijs, periurijs, homicidijs, latrocinijs, superbia & ambitione æstuantes, fornicationibus atque adulterijs conspurcatos, fœdifragos: fide, misericordia ac iusticia exutos. Hæc Marius.

IOANNES CLAYMUNDUS. LXI.

IOannes Claymundus, adolescens bona indole præditus, quod futuræ probitatis signum fuit, in Magdalenensi societate Oxonij, sub optimis præceptoribus, literarũ studijs primùm uacabat. Ignescens ille statim incredibili erga illas alacritate & promptitudine, tantum profecit, ut dialectices acumen, ac naturalium rerum cognitionem, etiam exquisitam, tanquam è pleno fonte tandem exhauserit. Post imbibitas uerò istas artium disciplinas, presbyter factus, fauente tum uirtute tum fortuna, collegij Corporis Christi præses, & meritò quidem, designatus fuit. Musas ac rhetoricen suo seculo tam fœliciter coluit, quàm qui maximè: usqueadeò, ut à doctis in poesi ac Latina eloquentia & diceretur & haberetur facilè princeps. Sed neque in historijs, præsertim naturalibus, ultimus est censendus. unde edidit,

Commentarios in Plautum,	*Lib.1.*
In omnia opera Plinij,	*Lib.37.*
In Atticas Auli Gellij,	*Lib.20.*
Orationes Latinas,	*Lib.1.*
Ad Simonem Grynæum epistolas,	*Lib.1.*

Et alia multa scripsit. Predictas Auli Gellij Atticas noctes, & alias bonorũ authorũ elucubrationes, lucidas reddere, diligẽtia certè incomparabili laborabat. Claruit anno salutis humanæ 1510, sub Anglorũ rege Hẽrico octauo.

ROBERTVS FABYAN. LXII.

Robertus Fabyan, ciuis ac mercator Londinensis, & olim tribunus seu consul, quos sub prætore, eiusdem urbis Senatus, duos semper habet: impositũ onus omni humanitatis officio gerebat. Et eo aptior atq; dexterior fuisset ad id subeundũ pro republica munus apparet, quòd tam multarum historiarum, Anglicè, Gallicè & Latinè editarum, peritus fuerit. Historia namq; multam in hominibus, ex uariarum rerum narratione, prudentiam gignit: imò functionibus singulis tam consiliorum quàm exemplorum documenta necessaria ministrat, ad quodlibet uiuentium genus utiliter moderandum. Laboriosum ipse Chronicorum opus in Anglico sermone collegit: ex Eusebio, Eutropio, Paulo Diacono, Mathæolo Veronensi, Petro Pictauensi, Guidone de Columna, Rogero Houedeno, Alphredo, Ranulpho, Treuisa, Lydgato, Froissardo, Gaguino, Hartmanno Shedelo, Iacobo Bergomate, Caxtono, & similibus. Incipit opus à Bryto primo Brytannorum rege, & finit cum Henrico secundo. Alterum congessit opus, quod originem capit à Ricardo primo, sub quo sua ciuitas authoritate ac priuilegijs augeri cœpit: & pergit ad Henricum septimũ, qui anno Christi 1485, regnum est auspicatus: eiusq; tempora breuiter postmodum addidit. Primo operi Fabyanus titulum imposuit,

Historiarum concordantias,	Lib. 7. *Quoniam in annorum supputatione.*
Rerum à Ricardo primo,	Lib. 1. *Quoniam ad tempora ipsa nunc deue.*
Henrici septimi tempora,	Lib. 1. *Hoc anno Domini 1485.*
Regum Catalogum breuem,	Lib. 1. *Albion, & cur hæc insula ab antiqui.*
Annales Londinensium,	Lib. 1.
De prætoribus eiusdem urbis,	Lib. 1.

Atq; alia tam metro quàm prosa in patrio sermone edidit. Eius Chronicorum exemplaria nonnulla, Cardinalis Vuolsius in suo furore comburi fecit: quod cleri prouentus pingues plus satis detexerit. Obijt anno Domini 1512, die 28. Februarij, Londini in templo omnium Sanctorum sepultus.

APPENDIX.

Ex commentarijs Ioannis Funccij: *Anno Domini 1503, Iulius secundus Rom. pontifex, Iulianus Ruerius antea dictus, patria Genuensis, Cardinalium consensu Pio Tertio successit. Is quum parentibus natus esset obscuris, fortunæ beneficio, suaq; industria (ambitione ac numis) per gradus ascendens, ad summum peruenit, uir acri & uersuto ingenio, atq; ad bella præcipuè natus, Petri patrimonium armis Nimrodico more auxit. Rauennam à Venetis occupatam grauißima cinxit obsidione: quam tandem expugnatam, suo adiunxit imperio. Simili ferocitate Seruiam, Imolam, Fauentiam, Forolinium, Bononiam, & alias urbes, è principum manibus rapuit, non sine effuso multorum sanguine.* Ex Ioannis Sleidani chronico: *Cum esset creatus pontifex Iulius, iureiurando promisit concilium se habiturum esse intra biennium. Cum autem bellis Italiam turbaret, nunc Venetorum, nunc Galliæ regis, nunc Ferrariæ Ducis, nunc Bentiuolorum Bononiensium hostis: Cardinales numero nouem, secessione facta, cum Mediolanum uenissent, concilium indicunt ad urbem Pisanam. Inter hos erant præcipui: Bernardinus Cruceius, Guilhelmus Prænestinus,* Franciscus Cossentinus: *ijsq; sese coniunxerant* Maximiliani *Cæsaris &* Ludouici *duodecimi Galliarum regis procuratores, qui idem agebant. Indictum uerò fuit concilium anno salutis 1511, Maij die 19, ut calendis deinde Septembris inchoaretur. Indicendi causam adferunt, quòd ille iusiurandũ uiolarit quòd tot annorum pontifex concilij spem nullam præbeat: & quoniam grauißima sint crimina, de quibus ipsum accusare uelint. Erat ipsorum consilij, remouere illum magistratu, quem per largitionem & ambitum acquisisset. Iulius uerò, grauißima denunciata pœna, mandat, ne quis omnium illis pareat: & concilium aliud indicit in proximum annum, ad 19 Aprilis inchoandum Romæ, in æde Lateranensi, cui*

subscri-

subscripserunt 21 Cardinales. hoc enim artis esse pontificiæ dicunt, quando concilium declinant, ut alterum alicubi loco ipsis opportuno denuncient.

Erat tum Papiæ iurisconsultus magni nominis, Philippus Decius: hic edito scripto, Cardinalium causam aduersus Pontificem defendebat. Ex Massæi 20 Chronicorum libro: Francorum rex, intelligens Papam Iulium, iunctis Venetis moliri quiddam contra suos, in præsidijs constitutos, coegit concilium apud Turonos mense Septembri, ubi proposuit has quæstiones: An licitum sit Papæ, mouere bellum in aliquem principem sine causa? An talis princeps defendendo sua, poßit inuadere impetitorem, & ab eius obedientia se subtrahere? Responsum est: Non licere Pontifici. Licere autem principi, facere quod quærebatur. Obseruandam etiam pragmaticam sanctionem per regnum Franciæ. Nec curandum esse de censuris iniustis, si fulminari contingeret. Deinde misit rex ad Iulium, responsa concilij sui: petens ut uel paci acquiesceret, uel usquam generale concilium indiceret, ad hanc materiam exactius pertractandam. Neutrum tamen admisit Iulius, Cæsari Iulio quàm Petro Apostolo similior: sed Ludouicum fulmine suo perculit, eiusq; regnum in prædam exposuit, & sequenti anno egregius bellator mortuus est. De quo sequens epigramma Conradus Grebelius fecit:

Genua cui patrem, genitricem Græcia, partum
    Pontus & unda dedit: hic bonus esse potest?
Fallaces Ligures, mendax est Græcia, Ponto
    Nulla fides. In te hæc singula Iule tenes.

De hoc Iulio legitur in quodam Commentario magistrorum Parisiensium contra Lutheranos, quòd duobus nobilissimi generis adolescentibus, quos Anna Galliarum regina Nanetensi Cardinali informandos commiserat, & alijs multis, diabolica rabie (proh facinus) stuprum intulerit. Simile quiddam ab alio scriptore naratur, cui prædictus Grebelius hoc addidit distichon:

Venit in Italiam, spectabilis indole rara,
    Germanus: redijt de puero mulier.

Animus certè abhorreret, hæc sanctißimorum cœlibum facta referre, nisi tam atrociter Dei filium in suis innocentißimis membris trucidarent.

Georgius Lilius, in Anglorum regum chronico, gloriatur Henricum septimum hanc adorasse Babylonicam bestiam, ac monstrum Sodomiticum, his uerbis: Anno (inquit) Domini 1504, rex oratores tres, ad præstandam Iulio Secundo pontifici Rom. de more obedientiam, Romam mittit. Nec eo quicquam celebrius, opinione sua, inuenire in Anglorum historijs poterat, quo illum illustraret annum. Sed ita adulari norunt Papistæ, ipsißimis Antichristis ac diaboli uicarijs, ut patriam, imò ueritatem atque Christum ipsum pro uentre prodant. Longe aliter egisse Coletum, apud Erasmum in uita ipsius legimus: qui in concione ad regem dicebat, quòd Angli Christum potius agnoscerent principem, quàm aut Iulios aut Alexandros. Sed in supputatione uehementer Lilius errat: dum pro 23 regni sui anno 19 assumit. O` perfidißimi ganeones, potius Gomorrhiones. Ex Volaterrano et Temporum fasciculo: Prædictus Iulius, anno Domini 1504, matronam quandam Romanam, nomine Franciscam, canonizauit, ob id quòd uoluptatem inuiti coitus, ardente supra uuluam lardo posito, reprimere solebat. Ex Leandro & Mantuano: Sub eodem Iulio noua hæresis orta est, super loco cõceptionis Christi in uirgine matre. Ptolemæus quidam Lucensis, Cisterciensis ordinis monachus, in quodã templo Mantuæ prædicabat, Christum fuisse iuxta cor eiusdem uirginis ex tribus guttulis sanguinis conceptum, & non in utero, ut alij, iuxta communem naturæ ordinem. hunc statim in ignem conijcendũ esse iudicabant Hieronymus Fauentinus & alij Dominicani, hæreticorum magistri. At Baptista Mantuanus mitius cum illo agendum fore decernebat, quum non ex malicia, sed præcipiti quadam ac licentiosa ignorãtia, id protulerit. unde idem Baptista libellum scripsit, de uero Christi conceptionis loco per scripturas: & inde extinctus est ille stultißimus error, ex hypocritico monachorum ocio natus.

Appendix alia.

Hoc unum penè præterieram, quòd Iulius prædictus, bellator insignis aliquando cum exercitu

egrediens urbem, Petri clauem in Tiberim proiecerit, cum hisce uerbis: Quia clauis S. Petri non amplius ualet, ualeat gladius S. Pauli. De quo Gilbertus Ducherius:

In Gallum, ut fama est, bellum gesturus acerbum,
Armatam educit Iulius urbe manum:
Accinctus gladio, claues in Tibridis amnem
Proijcit, & saeuus talia uerba facit:
Quum Petri nihil efficiant ad praelia claues,
Auxilio Pauli forsitan ensis erit.

Eandem rem carmine etiam tractant Vlrichus Huttenus, Philippus Melanchthon, & Gaspar Bruschius. Quo facto (inquit Bibliander) Iulius Papa Tiberino flumini resignauit omne ius, si quod habuerunt Papae Romani à Petro, cui dixit Dominus: Et tibi dabo claues regni coelorum. Etenim qui claues, symbolū potestatis, abiecit ac respuit, se & successores haereditate quoq; Petrina exuit ac spoliauit. Sub huius Romani Mahumeti tyrānide, pij in Ecclesia claruerūt, Ioānes Reuchlinus Capnion, theologus primus qui Hebraicas literas in Germania rectè docuit, & alij multi. Ex epistola Erasmi ad Iodocum Ionam: Ioannes Vitrarius, Franciscanus, scholasticis doctoribus, caeremonijs, & indulgentijs papalibus minimum tribuebat. Qui cum in quodam sororcularum coenobio, ad castius uitae genus eas adhortaretur in concione (lupanar illud monasterium erat) octo ex earum numero deploratae in eius necem conspirabant: atque in locum semotum pertrahebant, ut iniectis fascijs praefocarent. Sed diuino adiutorio euasit maleficarum manus. Author conspirationis Dominicanus quidam erat, episcopo Morinensi à suffragijs, uir palàm impiae uitae. Bis erat Vitrarius coram illo episcopo accusatus, quòd Papae indulgentias non probasset. Ex Philippi Melanchthonis Apologia: Ioannes Hilten, etiam Franciscanus, Isennaci in Thuringia quosdā reprehendēs abusus monasticos, in carcerē coniectus fuit, ac demū interēptus. Praedixerat ille papismo ruinā.

Ex quodam Lutheri scripto: Ioannes Flecken, Minorita quoque, in Steinlausicensi coenobio, accusatus pigritiae, quòd nunquam uoluisset Missas celebrare: dicebat, aliam esse eius rei causam, nempe idololatriae detestationem. Est & ille à suis uiolenter oppressus. Ex Gesnero & Flacio Illyrico: Paulus Scriptoris, Vuilensis, & ipse Minorita, in legendo Scotum Tubingae, trāssubstantiationem negabat: dicens, erroneum esse, quicquid scriptura non probat. Qui pro ueritate exilium à suis monachis passus, Keisersbergiae rediens obijt, anno Domini 1504. Rudolphus Agricola, Gruningensis, deplorabat Ecclesiae tenebras, reprehenditq; prophanationes in missis ac coelibatu. Mirabilem & ego his temporibus tragoediam adolescens in Anglia uidi. Anno Domini 1507, Thomas Noris, de Brocforth in Sudouolgia, exustionem sui corporis est Nordouici passus, quòd mortuos sanctos & imagines inuocare, ac precatione Dominica salutare contempserit. Et eodem anno, ultore Deo, est ea ciuitas tota ferè incendio absumpta, teste etiam Lilio. Sebastianus Erphordiensis, doctor Germanus, circa annum Christi 1508, frequenti concione solitus fuit insectari inscitiam, ignauiam, & turpitudines cleri. Anno Domini 1509, ultima die Maij, Bernae monachi quatuor Dominicanorum sectae, Ioannes Vetter, Franciscus Vliscus, Stephanus Boltzhorst, & Henricus Steinegger, combusti sunt: qui ex simplici fraterculo nouum sibi finxerant sanctum, stigmatibus insignitum, Francisco Seraphico Asisiati similem. Andreas Proles, Lipsensis doctor, Augustinianorum prouincialis, uir magni animi, inter legendum dicere solebat, in Papae regno esse horrendas superstitiones & tenebras, ac ruinam minari. Qui à Iulio excommunicatus, grauius eius reprehendebat errores quàm antea. Obijt circa annum Domini 1510. Gregorius Muffel, Carmelitarum prouincialis per superiorē Germaniam, Ioannis Reuchlini causam contra Dominicanos defendebat, ut in quadam epistola Bilibaldus Pirckheymerus habet. Ludolphus Castrick, Magdeburgensis pastor, indulgentias papales, errores esse ab ecclesia tollendos, eodem anno in concione docebat. Vuolfgangus Aitinger, clericus Augustanus, Methodij prophetias illustrans, turpitudines uitae sacrificulorum, & religionis contaminationem insectabatur.

Appendix alia.

Ex Ioannis Fuccij commentarijs: Anno Domini 1513 Leo Decimus in demortui Iulij locū sufficitur,

citur, præter spem, omnium suffragijs in ipsum concordantibus. huic antea nomen erat Ioannes Medices Florentinus. In iuuentute Angelum Politianum præceptorē audiuit: sub cuius disciplina, in bonis artibus non mediocriter profecit. Pontificatu suscepto, delicijs magis quàm militiæ deditus, musicos in magno precio habuit, doctosq; uiros supra modum amauit. Multa aliorum arbitratu agi passus est, ipse quietus & ocij amantior. Ex Christiano Massæo: Anno Domini 1515, Franciscus Gallorum rex accepit à Leone Iubileum (uenales indulgentias) diuulgandum per Gallias: qui & alia (Angliam in primis) Christiani orbis climata occupauit. Abyssus malorum. Nam sub umbra profectionis in Turcas, inæstimabiles thesauros collegerunt. Quorum conflatores & commissarij quidam, persuaserunt turbis, ut quicunque daret 10 solidos, liberaret animam pro qua daret, à pœnis purgatorij. Nam pro regula certa tenebant, Dominum Deum facere quicquid ipsi uellent, secundū illud: Quicquid solueris super terrā, &c. Quod si uel iota minus fuisset quàm 10 solidi, nihil prodesse concionati sunt. Displicebat hic quæstus sanctis Ecclesiæ filijs. Ac cœpit quæstio uentilari de potestate uicarij: & unde hæc nouissimis prælatis doctrina noua, quam prisci pontifices ignorassent? Erat tunc in Germania Martinus Luther, qui nimis acriter inuectus est in has indulgentias. Opposuit se illi Ioannes Eckius: uicissimq; hi duo suggestum conscenderunt, coram populo contentiosissimè disputantes. Leo longo fulmine Martinū damnat hæreseos, et à cœtu fideliū proijcit. Mox ille ad futurum concilium appellauit. Iussit inde Leo libellos eius incendio tradi Romæ. Et ius pontificium, quas Decretales uocant, atq; decreta papalia, Vuittenbergæ Martinus combussit, dicens: Sicut fecerunt mihi, sic feci eis. Hæc Massæus. Residuum huius historiæ quære apud Sleidanum. Ad istum Leonem antea clamauerat Baptista Mantuanus, in quarto Fastorū libro, his uerbis:

Magna gerendarum superest tibi copia rerum,
Sancte pater: rem magnam animo complectere grandi.
Sed tria præsertim restant cura atq; labore
Digna tuo. Bellum est primum, quo fessa laborat
Italia, & pleni humano iam sanguine campi.
Est aliud, Romana graui maculata ueneno
Curia, quæ spargit terras contagia in omnes.
Postremum est oppressa fides, exposta rapinis
Vndiq;, & in prædam populis proiecta cruentis.
A te hæc subsidium magnis clamoribus orant.
Sancte pater, succurre Leo, res publica Christi
Labitur, ægrotatq; fides iam proxima morti.

Ex diuersis Chronicis: Polonis anno Christi 1516, Leo pōtifex Iubilei gratiā uenalē dedit. Et sequēti anno, in uno die 31 Cardinales creauit. Quo die facta est Romæ tēpestas ingēs fulminis & tonitrui: quæ templū, in quo creati erāt, percussit: atq; Iesum puerulū è gremio Deiparæ, et claues è manib. Petri excussit. Quod omē multi interpretabantur portēdere ruinā sedis Romanæ, carminaq; acerba scripserūt in eandē. Ex hac Cardinaliū creatione (inquit Valerius Anselmus) ac nūmarijs indulgētijs, dispensationibus, priuilegijs, sacerdotijs et alijs, ingēti corraso nummo, agnatos numularios dotauit, atq; simul ad utriusq; ordinis principatus aliorū iniuria euexit. Eodem anno quo hæc sunt facta, Martinus Lutherus, theologus summus, ut prædictū est, uerā fidē cōtra hypocrisim, docere in cœpit: Papatusq; deinceps paulatim corruere nō desijt. Leo autē nono sui pontificatus anno, et prima die Decembris, cū ex nuncio accepisset in cœna, Gallos ab Italia pulsos, et inde inter pocula lætaretur, in hæc prorumpens uerba: Tria beneficia contulit mihi Dominus: primū, quòd exul à patria, Florentiā cum gloria redij: secundū, quòd Apostolicus dici merui: tertium, quòd auxilio Gallos effugaui: læta febre correptus, obiter expirauit. Aliud Chronicō habet, quòd attonito morbo subitò corruerit. In cuius laudem poeta eius temporis hoc edidit tetrastichon:

Differat à decimo quàm Iulius ipse Leone,
        Discere ab amborum nomine Roma potest.
Iulius est hominis, bruti Leo. Iulius egit

Quæ suasit ratio, quod libet, iste facit.
Sacra sub extrema, si forte requiritis, hora
Cur Leo non potuit sumere? Vendiderat.

Leoni successit Hadrianus sextus, ex humili domo in Holandi anatus. Iste in pontificatu nihil admodum egregij fecit, quod scriptu esset dignum: nisi quòd & ipse Christi doctrinam in Luthero tyrannicè sit insectatus.

Appendix alia.

Sub hoc Leone, anno Domini 1516, obijt Baptista Mantuanus, omnium qui unquam fuerunt fraterculorum doctißimus, anno ætatis suæ 72. Ille est (ut ad Burellum Bostius scribit) qui seculo Octauiano, tot uatibus superbo, obijci meritò poßit: & quo mille abhinc annis, nemo aut pulchrius aut dulcius, poema scripsisse legatur. uitæ seueritate, morumq; sanctitate clarus, ac disciplinarum omnium scientißimus. Res diuinas, nullo inuitatus Mecœnate, cecinit: ut etiam absentes consolaretur, diuinus homo. Is multis in locis affirmat, non omnia sibi placere quæ Romana ecclesia, pro fide credendis offert: licet ea aliquando & ipse scriptis comprobauerit. De quibus in lib. 12. Fastorum sic ait:

Et licet his olim nugis iuueniliter aures
Præbuerim: tamen ut melius cum tempore factum est
Iudicium, lis hæc mihi perniciosa uideri
Cœpit, & ex grauium cuneis abigenda uirorum.

Detestatur ille multas in papismo abusiones iniquas, ac peracriter insectatur: nec demum parcit eorum sacrosanctis sacrificijs & mißis, sed dicit esse insipida sacra, altariaq; eorum paßim sordere. In Egloga nona docet, omne ferarum genus habere Romæ suas aras, & omnem uitiosorum hominum colluuiem illic esse in honore ac precio. Multaq; profert in aspernationem auaritiæ ac tyrannidis eiusdem Romanæ curiæ, dicens iter alia:

Mille lupi, totidem uulpes in uallibus istis
Lustra tenent. Et quod dirum ac mirabile dictu est,
Ipse homines (huius tanta est uiolentia cœli)
Sæpe lupi effigiem moresq; assumere uidi,
Inq; suum sæuire gregem, multaq; madere
Cæde sui pecoris. factum uicinia ridet,
Nec scelus exhorret, nec talibus obuiat ausis.
Sæpe etiam miris apparent monstra figuris,
Quæ tellus affecta malis influxibus edit.
Sæpe canes tantam in rabiem uertuntur, ut ipsos
Vincant cæde lupos: & qui tutela fuerunt,
Hostiles ineunt animos, & ouilia mactant.

In Romam, ex Egloga quinta:

Si quid Roma dabit, nugas dabit. Accipit aurum,
Verba dat. heu Romæ nunc sola pecunia regnat,
Exilium uirtus patitur, &c.

In Romam, ex primo libro Syluarum:

Roma quid insanis toties? quid sanguine gaudes?
Quid geris imbelli spicula tanta manu?
Quò uesana ruis? studioq; armaris inani,
Iam senio lassas debilitante manus?
Nec potes antiquos belli nescire tumultus,
Nec solitam rabiem longa senecta domat.
Si foris arma tacent, tu bella domestica tentas,
Nec feritas requiem ferre superba potest.

Tu

Tu similis colubro: quoties grauis ira uenenum
Suscitat, & mota lumina bile rubent.
Sic furis, ut spumis ex ore cadentibus atrox
Fulmineo quoties dente minatur aper.
Sic fremis, ut frendens, cum ferrea uincula mandit
Cerberus, & Stygias murmure turbat aquas.
Tu fratres in bella uocas, in pignora patres,
Et scelus omne audes, & paris omne nefas.
Fas & iura negas, homines & numina fallis:
Nec Iouis imperium, nec Phlegethonta times.
Singula texentem conuicia, deseret ætas:
Tantum ac tale tuæ est improbitatis onus.
Romanis pater est Mauors, lupa Martia nutrix:
Hæc hominum mores ingeniumq; docent.
Viuere qui sanctè cupitis, discedite: Romæ
Omnia cum liceant, non licet esse bonum.

Ex secundo libro Fastorum:

I pudor in uillas, si non patiuntur easdem
Et uillæ uomicas: Vrbs est iam tota lupanar.

Idem de Hieronymo, Roma fugiente, lib. 9.

Hanc Deus indignam uoluit te incurrere fraudem,
Vt mala corruptæ fugeres consortia gentis,
Et fieres uiuens cœli de ciuibus unus.

De Antichristo uel Papatu, ex 2. lib. Fastorum:

Monstrum immane, potens hominum tot millia aperta
Absorbere gula, quot sanguinolenta uolebat
Sæuities. Monstrum illud erat, seu bellua partum
Virginis extento cupiens extinguere collo:
Cuius ab aspectu, sumptis diuinitus alis,
Vt sacer Aegææ uates canit incola Patmi,
Fugit ad extremæ loca uirgo incognita terræ.
Virgo fuit primo fruticans Ecclesia sæclo,
Christigenæ soboles eius, quos bellua adegit
Quærere desertis aliena penatibus arua.

In tertio etiā Calamitatum libro, in Nicolao Tolentino, in Fastis, et in alijs libris suis, corruptissimū Romanæ synagogæ statū describit: in quibus Babylonicæ illius meretricis impuritates ac turpitudines, sicut & alij pij ante sua tempora uiri, ad liquidum detestatus est. Scripsissetq; multo plura, si per prædicti Antichristi tyrannidē, quæ ueritatē ipsam oppresserat, ac sepultā tenuerat, licuisset.

Appendix alia.

Sub prædicto Leone pontifice claruerunt pij theologi: Ioannes Tritemius, abbas Spanhemensis, purioris literaturæ amator & fautor, certamina multa cum monachis habebat, noluitq; Christum Aristotelē misceri, aut potius humana philosophia & fabulis confundi: Arnoldus Bostius dulcissimis scriptis egit, ut à nimia curiositate ac uanitate secularium studiorum desisterent sui, Keimolanus præcipuè, & ad ueram sapientiam, quæ in Sacris literis continetur, conuerterentur, ut idem Tritemius habet, epist. 26. Bernardus Liblinensis, scriba, anno Domini 1515, plures errores in Papa & clero damnabat: dicens in quadam epistola, extra Euangelium nullas hominum constitutiones curandas esse. Nicolaus Rus, sacerdos Rostochiensis, quia Romani pontificis indulgentias impugnabat, dicens esse meram deceptionem & quæstum, coactus est Vuismariam secedere, & inde Liuoniam, ubi obijt. Ioannes Franciscus Picus, Mirandulanus comes, scripsit pro ueritate

ritate religionis contra superstitiosas uanitates, & orationē quandā, quam habuit in concilio apud Lateranū coram Leone decimo, de reformādis Ecclesiæ moribus. Nicolaus Desiderius, Gallus, Carmelita Meldunēsis, colloquia semper fugiebat, ubi sermo nō fieret de seruatore Christo. Orationi, lectioni, ac studio uacabat assiduè, in ecstasim sæpissimè raptus. Guilhelmus Budæus, in libro de Asse, dicit prælatos ac sacrificulos, in Epicurismo & omni spurcitiarū ac libidinum genere, pessimum quemque, è populo longè superare, & alia multa. Iacobus Faber Stapulensis, olfecit errores Papisticos, & graues persecutiones ob ueritatē à magistris Parisiensibus sustinuit: ut de Petro Mosellano, Iacobo Vuimphelingio, Sebastiano Branto, Conrado Celte, & alijs, nihil breuitatis causa dicam. His temporibus duo sunt Nordouici in Anglia pro sacramenti articulo exusti, sacrificus unus de Eccles, & Thomas de Bongay. Item, anno Domini 1515, in ipso die Paschæ, Londini apud Carmelitas, reperta est hostia (ut uocant) sanguinolenta, seu cruore respersa: fiebatq; ingens ad eam uidendam & colendam populi cōcursus. Sed illā Cardinalis Eboracensis Vuolsius, fraudem & imposturam ad quæstum intelligens, statim aboleuit.

IOANNES COLETVS. LXIII.

IOannes Coletus, Londini parentibus opulentis Henrico & Christiana progenitus, ex uigintiduobus liberis superfuit solus. Adolescens, apud suos Anglos quicquid erat scholasticæ philosophiæ, diligenter perdidicit: Platonis ac Ciceronis libros auidissimè deuorans. Post adijt Galliam & Italiam: ubi euolendis authoribus sacris, potissimum priscis, se totum impendit. Oxonium inde reuersus, publicè & gratis Paulinas epistolas omnes, eisdem totus addictus, enarrauit. Ex quo labore, Henrici septimi Anglorum regis beneficio, fiebat mox Londini apud D. Pauli maximas ædes decanus, ut eius præesset collegio, cuius tam ardenter amabat doctrinam. Synceram Christi philosophiam, ex purissimis Euangeliorum fontibus, illi populo deinceps ministrauit, repetens & apud eos integras in suum Paulum lectiones. Demum, suæ ciuitatis pubem ad literas promouere statuens, in Pauli cœmiterio magnifici operis scholam extruxit nouam, puero Iesu sacram: cui præceptorem primum Guilhelmum Lilium, uirum utraque lingua eruditum, dedit. Innumera sunt in consistorijs Sorbonicis receptissima, à quibus tamen ille longè dissentiebat. Scotistas, stupidos omnino, ac sine ingenio homines iudicabat: Thomistas, lymphatico spiritu arrogantes. Dicebat'que se multo plus fructus capere ex ipsis libris, quos pro hæreticis Rabini tenent, quàm ex illis qui omnia ipsorum more definiunt ac diuidunt. Monachos Euangelica doctrina uacuos non curabat. Et quamuis castissimè uiueret, dictitare solebat, se nusquā reperisse minus corruptos mores, quàm inter coniugatos. Aduersus uitia, uigilijs, studijs, abstinentijs, ac precibus indies ipse pugnabat. Nulli mortalium generi infensior fuit, quàm episcopis, illis qui pro pastoribus lupos agebant. A suo igitur præsule, Ricardo Fiziames, duobus'que Franciscanis Bricoto & Standicio, hæreseos deferebatur: quòd in suis concionibus docuisset, non adorandas esse imagines, quodq; non liceret clerico cumulare diuitias, uel uiro Christiano bella usurpare. De ipso etiam Erasmus, inter hæc omnia, dicit: quòd licet natura & eruditione facundus fuerit, à libris tamen scribendis abstinebat, timens in his labi quæ solent notare critici. Ego nihilominus multa illum scripsisse comperi, sed ideo publicare noluisse, quòd fuerit Græci sermonis imperitus: sine quo se sæpenumero nihil esse fatebatur. Nam hæc sunt, diuaricatis pagellis, in secretissimo bibliothecæ suæ loco, post eius mortem reperta, ut ab amico quodam accepi.

De puerili institutione,	Lib.1. Accipe optime ac literatißime.
De moribus componendis,	Lib.1. Hosce articulos præceptor recita.
Farrago epistolarum, ad Taylerum,	Lib.1. Ioannes Coletus Thomæ Taylero.
Vita hominis Christiani,	Lib.1.
Ortolanus,	Lib.1.
Enarrationes in Paulum,	Lib.14.
In Prouerbia Salomonis,	Lib.1.
In Euangelium Matthæi,	Lib.1.
De reformidatione Christi,	Lib.1.
In symbolum fidei,	Lib.1.
In precationem Dominicam,	Lib.1.
Conciones ordinariæ,	Lib.1.
Conciones extraordinariæ,	Lib.1.
In Cleri conuocatione,	Lib.1.
Breuiloquius dictorum Christi,	Lib.1.
Ad argumenta Erasmi,	Lib.1.
Excerptiones doctorum,	Lib.1.

Atq; alia, sed ea imperfecta. Ex contracta quadam à pestilenti sudore, uiscerum tabe, uita tandem defecit, anno Seruatoris nostri 1519, & ætatis suæ 53, die 16 Septẽbris, ad australe chori latus in suo templo sepultus, sub Henrico octauo Anglorũ rege. Huius è tumulo eiecissent cadauer, ac flammis dedissent prælati, nisi aliunde fuissent, à rege scilicet, impediti.

GVILHELMVS LILIVS. LXIIII.

GVilhelmus Lilius, ex Odihamo Suthantonensis comitatus oppido natus, rara ingenij fœlicitate, rudi ac barbaro penè adhuc seculo: inter primos cultioris disciplinæ professores, clarum nomen in Brytãnia meruit. Qui mira peregrinãdi cupiditate, ingenuus puer Hierosolymam usq; peruagatus: moxq; inde rediens, Rhodi aliquandiu literarum causa substitit, ibiq; Latinæ pariter & Græcæ linguæ rudimenta perdidicit. Romæ denique inter fœlicissima eius seculi ingenia, Ioannem Sulpitium ac Pomponium Sabinum docentes audiuit. Excultoq; ad omnia humanitatis studia ingenio, post annos aliquot in patriam reuersus, primus ciues suos Latinè atq; disertè loqui fœliciter docuit. Ioannes Coletus, honesto illum stipendio & ornatissimis ædibus auctum, nouæ suæ scholæ Londini primum præceptorem delegit. Quo in munere annis quindecim ita se exercuit, ut breui tempore multo maximam Brytanuicæ iuuentutis partem, ad exactissimam Latinarum literarum cognitionem perduxerit. In uertendis autem Græcis aliquot epigrãmatibus cum Thoma Moro adolescens contendit: in cuius gratiã & Spiritei Hetrusci equitis libellum haud illepido argumento, ad talorum iactum deductas sortes interpretantem, ex Hetruscã lingua in Brytannicam conuertit. utq; ad eius scripta me uertam, prosa & carmine edidit,

Octo partium Syntaxim,	Lib.1. *Cum aliquid habeam uulgare.*
De generibus nominum,	Lib.1. Propria quæ maribus tribuuntur.
De uerborum præteritis,	Lib.1. As in præsenti, perfectum for.
Pro formandis moribus,	Lib.1. Qui mihi discipulus, puer es.
Progymnasmata è Græcis,	Lib.1. Mureni Asclepiades in tecto.
Apologiam ad Skeltonum,	Lib.1. Siccine uipereo pergis, me.
Spiritei opus transl.	Lib.1. Quoniam homines natura sic.

Regulas Grammaticales,	Lib.1.
De laudibus Deiparæ,	Lib.1.
Apologiam ad Vuhittyngtonum,	Lib.1.
Super Philippi archiducis appulsu,	Lib.1.
De Caroli aduentu panegyricum,	Lib.1.
Orationes pueriles,	Lib.1.
Epigrammata quædam,	Lib.1.

Familiares epistolas, et diuersi generis carmina. Syntaxis libellũ Erasmi iudicio submittens, modestus sui ingenij æstimator, in eius nomine prodire uoluit. Londini tandem quinquagenarius obijt, anno Christi 1522, in Paulini templi uestibulo sepultus, sub Henrico octauo.

THOMAS LINACER. LXV.

THomas Linacer, seu Linacrus, artiũ ac mendicinæ professor, uir utraque lingua, Latina & Græca doctissimus, magnam suis scriptis tum laudem tum gratiam apud eruditos meruit. Perdiscendi studio, ex Brytannia in Italiam uenit: Florentiæ primùm Demetrio & Politiano præceptoribus usus, atque à Laurentio Medice, eius familiæ tunc principe uiro, præclari ingenij admiratione, familiariter acceptus. Romam inde, optimarum artium cognitione auctus, ad perscrutandas antiquæ urbis opulentissimarum bibliothecarum diuitias profectus est. Ibique, cùm aliorum tum & Hermolai Barbari docta consuetudine, ad summum excellentis ingenij profectum, peregregiè usus, diu desideratum literarum decus in Brytanniã attulit. Arthuro principi, Henrici septimi regis filio aliquandiu præceptor datus: præcipuè autem ad medicinæ scientiam, studium omne conuertit. In hac demum ita se exercuit, ut commendata sibi sigillatim esset utriusque Henrici, septimi & octaui regũ, sanitatis tutela. Hucusque Georgius Lilius in Elogijs. Oxonij publicas lectiones duas, Cantabrigiæ unam, medicinæ studiosis in perpetuũ stabiliuit: & Londini honestã domum Medicorũ collegio, ex testamẽto reliquit. Libros ac uersiones eius, Desiderius Erasmus, Philippus Melãchthon, Ludouicus Viues, Ioannes Susenbrotus, Sigismũdus Lupulus, & alij uiri eruditi cõmendãt. Cõposuit enim, uir exactissimi iudicij,

Grammaticæ rudimenta,	Lib.1. *Quum tibi illustrissima Maria.*
De Latini sermonis structura,	Lib.6. *Partes orationis in lingua Latina,*
Epistolas ad diuersos,	Lib.1. *Cum multi tibi quotidie, uir.*
Diuersi generis carmina,	Lib.1.

Ex Galeni operibus Latinitate donauit:

De temperamentis,	Lib.3.
De inæquali intemperie,	Lib.1. *Librum hunc præsentem, &c.*
Methodum medendi,	Lib.14. *Iterum iam maiestatem tuam.*
De sanitate tuenda,	Lib.6. *Absit candide lector, quisquis.*
De naturalibus facultatibus,	Lib.3.
De pulsuum usu,	Lib.1.
Sphæram Procli,	Lib.1. *Axis mundi uocatur dimet.*
Aristotelis meteora,	Lib.4.

Et alia plura è Græco in Latinum stylo politissimo uertit. Obijt Londini, medicorum sui temporis phœnix, anno ab exorta pietate Christiana 1524, die 20 Octobris: & sepultus est in diui Pauli templo maximo, ad septentrionalis portæ ingressum, regnante Henrico octauo.

APPENDIX.

Ioannes Chekus, De pronũciatione Græca: In Ciceronis conuicio Linacer mihi perinde placere debet, atq; in eo, quòd cum prouecta admodum inclinataq; ætate esset, homo studijs morbisq; fractus, & morti uicinus, cum sacerdos esset, iam tum nouum Testamentũ primò in manus cæpisse, & ex eo aliquot Matthæi capita perlegisse fertur. Et quum quintũ, sextum, septimũq; percurrisset, abiecto iterum quantũ potuit totis uiribus libro, iurasse, aut hoc non fuisse Euangelium, aut nos non esse Christianos. Quod eius factum, quanquam iudicio in literis singulari esset, quum Italo sacerdoti quàm Anglo aptius fuerat, si imitari uellem: & si sic omnem uitam uel à Cicerone, quemadmodum ille à nouo Testamento abstinuit: iudicio & eruditione meritò carerem. Fecit in medicina tantum, quantum alius Latinus illius ætatis quisquam. Et quandiu in Medicina se continet, tandiu laudem singularem habet: sin foràs serpat, & oratores carpat, uideat ne ultra Medicinæ crepidam progrediatur. Nam quanquam in transferendis Galeni libris, laus eius est propè singularis: tamen si de acumine & celeritate ingenij disputatur, aut de rebus popularibus grauiter & disertè tractandis, in eo si nunc uiueret, alijs laudem concederet, Medicinam ipse assumeret. Et tamẽ cur tam fastidiosus esset in audiendo Cicerone, nescio. Illud uidemus, omnes quos ille libros de Latini sermonis structura composuit, exemplis Ciceronis abundare: ut non tam fortasse neglexerit, quàm animi quadam morositate uideri uoluit neglexisse. Tantum ille.

IOANNES SKELTONVS. LXVI.

IOannes Skeltonus, poeta laureatus, ac theologię professor, parochus de Dyssa in Nordouolgiæ comitatu, clarus & facundus in utroque scribendi genere, prosa atque metro, habebatur. facetijs in quotidiana inuentione plurimum deditus fuit: non tamen omisit sub persona ridentis, ut in Horatio Flacco, ueritatem fateri. Tam aptè, amœnè, ac salse, mordaciter tamen, quorundam facta inamœna carpere nouit, ut alter uideretur Lucianus aut Democritus, ut ex opusculis liquet. Sed neque in scripturis sacris absque omni iudicio erat, quamuis illud egregiè dissimulauit. In clero non ferenda mala uidebat, & magna & multa: quæ nonnunquam uiuis perstrinxit coloribus, ac scommatibus non obscœnis. Cum quibusdam blateronibus fraterculis, præcipuè Dominicanis, bellum gerebat continuum. Sub pseudopontifice Nordouicensi Ricardo Nixo, mulierem illam, quam sibi secretò ob Antichristi metum desponsauerat, sub concubinæ titulo custodiebat. In ultimo tamen uitæ articulo super ea re interrogatus, respondit, se nusquam illam in conscientia coram Deo, nisi pro uxore legitima tenuisse. Ob literas quasdam in Cardinalem Vuolsium inuectiuas, ad Vuestmonasteriense tandem asylum confugere, pro uita seruanda coactus fuit: ubi nihilominus sub abbate Islepo fauorem inuenit. De illo Erasmus in quadam epistola, ad Henricum octauum regem, sic scribit: Skeltonum, Brytannicarum literarum lumẽ ac decus, qui tua studia possit non solum accendere, sed etiam consummare: hunc domi habes, &c. Iste uerò edidit, partim Anglicè, partim Latinè,

De statu honoris,	Lib. 1.
De peccatis fugiendis,	Lib. 1.
Viam honoris acquirendi,	Lib. 1.
Artem ornatè loquendi,	Lib. 1.
Artem bene moriendi,	Lib. 1.
Comœdiam de uirtute,	Lib. 1.
De rosario ac principe,	Lib. 1.
Creationem Arthuri principis,	Lib. 1.

De quotidiana perfidia, Lib.1.
Dialogos de imaginatione, Lib.1.
Grammaticam Anglicam, Lib.1.
De moribus curiæ, Lib.1.
Aduersus Robertum Gaguinum, Lib.1.
Inuectiuam in Guil. Lilium, Lib.1. Vrgeor impulsus, tibi Lille retundere.
Contra linguas uirulentas, Lib.1. Quid detur tibi, aut quid appo.
Ex Tullio, Academion, Lib.1.
De bona deliberatione, Lib.1.
Lauream coronulam, Lib.1.
Angliæ tubam, Lib.1.
Philippum passerculum, Lib.1.
Cur ad curiam non uenis, Lib.1.
Psittacum loquacem, Lib.1.
Schedulam superioritatis, Lib.1.
De magnificentia comœdiam, Lib.1.
Sales de domina Margeria, Lib.1.
Peregrinationem uitæ humanæ, Lib.1.
Triumphos rubeæ rosæ, Lib.1.
Speculum principis, Lib.1.
De Aleonora Rummynge, Lib.1.
Ioannem Yuonem, Lib.1.
Colinum Clouute, Lib.1.
Cantilenas de magistra Anna, Lib.1.
Epitaphium Adæ nebulonis, Lib.1.
De porcorum grunnitu, Lib.1.
De gemitu acerinæ radicis, Lib.1.
Ad Mosi cornua precationem, Lib.1.
Theatrales ludos, Lib.1.
De Rosemundæ thalamo, Lib.1.
De Minerua & Oliua, Lib.1.
De Molitore ac sponsa Lib.1.
Meditationes deuotas, Lib.1.
Declarationes Hymnorum, Lib.1.
Nationem stultorum, Lib.1.
Apollinem fatiloquum, Lib.1.
De Virgine Cantiana, Lib.1.
Amasiorum testamentum, Lib.1.
Cantilenas consolatorias, Lib.1.
Meditationem de D. Anna, Lib.1.
Contra pseudopoetam, Lib.1.
Accipitrem caue, Lib.1.
De bono ordine, comœdiam, Lib.1.
Automedon meditandi amoris, Lib.1.
Diodorum Siculum transtulit, Lib.1.

Aliaq; non pauca fecit. Vuestmonasterij tandē, captiuitatis suæ tēpore, mortuus est: & in D. Margaritę sacello sepultus, cū hac inscriptione alabastrica: Ioānes Skeltonus, uates Pierius, hic situs est. Animā egit 21 die Iunij, anno Dñi 1529, relictis liberis. De morte Cardinalis uaticiniū edidit: & eius ueritatē euētus declarauit.

RICAR-

RICARDVS PACAEVS. LXVII.

Ricardus Pacæus, preter alias dotes innumeras (sic habet Erasm. in suis Epistolis) uir erat insigni utriusque literaturæ peritia preditus: eiusque celebre nomē multis in locis enituit. Apud maiestatē regiā, multis ille nominib. clarus, in Coleti fortunā eo mortuo successit, ad D. Paulū Lōdini decanus: fiebatque eidē regi primus mox à secretis. Et nihil, inquit, huius ingenio cādidius, aut humanitate amicitius. Sub eodē ergo rege, Hērico scilicet octauo, publicis aliquot est legationib. magna cōparata apud exteros fama, honorificè functus. Sed uel in primis, totius Italiæ iudicio eximia ei laus tributa fuit, cū & apud Veneos per annos aliquot, ac deinde Romę, sub Clemēte septimo pōtifice, difficillimis tēporibus, multa dexteritate regis sui negotia tractaret. Erāt in Pacæo multa, nempe literarū cognitio, instructū ingeniū, & mira ex tēpore dicēdi scribēdique fœcūditas, ita ut cūcta quæ aggrederetur, nō minus citò quàm fœliciter atque elegāter perficeret. Accessit ad Latinæ Grecæque lingue peritiā, Hebraicarū quoque literarū intelligētia. Dū uerò ad Germanos præcipuè ad Cęsarē Maximilianū, legatione fungeret, & causas omni sermonis ornatu orasset, inter ocia priuata tractatū effudit, de fructu qui ex literis percipitur, seu de utilitate artiū. In quo Cōstantienses ita offendit, temulentiam eis tribuens, ut Apologiam satis mordacem in eum scriberent. Vt tandem ad libros ergo perueniam, exarauit ille,

De fructu scientiarum,	*Lib. 1.*
Epistolas ad Erasmum,	Lib. 1. Petro Lusco, *quem in proximis,*
Ad Læum theologum,	Lib. 1. *Si ocium, mi Læe, suppetisset.*
De restitutione musices,	*Lib. 1.*
Collectanea numerorum,	Lib. 1.
De lapsu Hebraicorum interpretū,	*Lib. 1.*
Ad Constantienses,	Lib. 1.
Orationes ad Principes,	*Lib. 1.*
Diuersi generis Carmina,	Lib. 1.

E Græco in Latinum transtulit, ad Christophorum S. Praxedis Cardinalem:

Demonactis philosophi uitam,	Lib. 1. *Fore equidem putabam, ut nos.*
Simplicij præfationem,	Lib. 1. *Longa pater amplißime, neq; ut.*
Plutarchum, de cōmodo ex inimicis,	Lib. 1. *Video te Corneli pulcherrime.*
De modo audiendi, eiusdem,	Lib. 1. *Meas de modo audiendi lucubra.*
Apollonium Tyaneum, de morte,	Lib. 1. *Nullius rei mors est, sed tantum.*

Quosdā Ioānis Fisheri sermones ab Anglica lingua in Latinā transtulit, & alia plura fecit. Ex amisso tandē regis sui fauore, ac lōgo carcere per Cardinalē Vuolsiū, demēs effectus, quadragesimū circiter ætatis annū agēs, obijt: anno salutis nostræ 1532, in Stepney sepultus. In cuius epitaphio Ioānes Huntingtonus hęc posuit carmina:

Ricardus iacet hic, uenerabilis ille decanus,
Qui fuit ætatis doctus Apollo suæ.
Eloquio, forma, ingenio, uirtutibus, arte,
Nobilis, æternum uiuere dignus erat.
Consilio bonus, ingenio fuit utilis acri,
Facunda eloquij dexteritate potens.
Non rigidus, non ore minax, affabilis omni
Tempore, seu pueri, seu loquerere senes.
Nulli unquam nocuit, multos adiuuit, & omnes

Officijs studuit demeruisse bonos.
Tantus hic & talis, ne non doleatur ademptus,
Flent Musæ, & laceris mœsta Minerua comis.

IOANNES FISHERVS. LXVIII.

IOannes Fisherus, episcopus olim Roffensis, & in Cantabrigiensi schola, sub Cancellarij titulo, tutor supremus, omnium episcopalium uirtutum genere suffarcinatissimus, ab Erasmo Roterodamo deprędicatur. Is erat, inquit, singulari linguæ gratia præditus: atque hoc nomine aliquando, regis Henrici, qui nunc Angliam moderatur, auiæ paternæ Margaritæ egregiè charus. Nam & huius hortatu (inquit etiam Polydorus) eo in gymnasio binas extruxit magnificas ædes, alteram Christo Seruatori, alteram diuo Ioanni Euangelistæ dedicans: dedit'que ad eorum uictum, largiter fundos. Sed mox ut effulgescere Germanis cœpit æterna Dei ex Euangelio ueritas (quam in eius uita, Lutheranæ factionis hæresim Georgius Lilius uocat) nemo magis excanduit, nemo potentius aduersus illam desæuijt, quàm hic Matæologus & impostor Papisticus, crumenæ ac uentri prospiciens. Non solum ille contra synceros diuini uerbi ministros, pro eleuando Antichristi pseudomagisterio scripsit: sed & totis uiribus suo regi Henrico seditiose obstitit, dum religiose is laboraret, à suo regno purpuratæ meretricis iugum perniciosum excutere. Qualis ergo sit integritas illa, eruditio summa, inculpatæ uitæ sanctitas, animi affectus minimè sordidus, cum alijs quas tantopere, sed falso, sui iactitant, episcopaliũ uirtutum dotibus, iudicent illi, quibus menti uera pietas est. Conflauit hic Antichristi prædicti satrapa,

Defensorium regis contra Lutherũ,	*Lib.1.*
Confutationes eiusdem Lutheri,	*Lib.1. Nolim existimes lector.*
Pro missa, contra Oecolampadium,	*Lib.1. Circunspicienti mihi cui.*
Defensionem sacerdotij,	*Lib.1. Complures libros iampridem.*
De ueritate corporis Christi,	*Lib.5.*
Conuulsionem Veleni,	*Lib.1. Post aliquot menses quàm.*
Precationum suarum,	*Lib.1. O dominator Domine Deus.*
Pro unica Magdalena, contra fab.	*Lib.3. Libellum quendam authore Iacobo.*
Contra Clichtoueum pro eadem,	*Lib.1.*
De fiducia misericordiæ Dei,	*Lib.1. Nihil magis cum in omni uita.*
Ad populum Homelias,	*Lib.1. Nisi abundauerit iusticia.*
Sermones contra Lutherum,	*Lib.1. Cum uenerit paracletus quem.*
Contra 41 Lutheri articulos,	*Lib.1.*
Contra captiuitatem Babylonicã,	*Lib.1.*
In septem Psalmos,	*Lib.1.*
De septem sacramentis,	*Lib.1.*
De purgatorio,	*Lib.1.*
De primo matrimonio regis,	*Lib.1.*
Additiones de Magdalena,	*Lib.1.*
Pro Lutheri damnatione,	*Lib.1.*

Et alia id genus nonnulla. Capitis supplicium delirus senex pertulit, cum à Paulo tertio Pharaone Romano in præmiũ laboris, Cardinalis esset designatus, anno à Christi natali 1535, die 22 Iunij. Et Cochlæus longè positus, miracula confinxit, ut sanctus esse à Papistis crederetur.

THOMAS

THOMAS MORVS. LXIX.

THomas Morus, in urbe Londinensi ex familia non incelebri natus, & ita in literis uersatus, ut adhuc iuuenis in foro causas, & in ea ciuitate iura ad aliquot annos diceret. In aulam inde uocatus, fiebat regis fauore primùm eques & proquæstor, postea in publico senatu plebis orator ac supremus regni cancellarius. In eo (inquit Erasmus) ingenium erat incomparabile prorsus, memoria fœlicissima, dicendi facultas promptissima. A puero fœliciter Latinas imbibit literas, Græcas iuuenis sub doctissimis præceptoribus, cum Thoma Linacro & Guilhelmo Grocino, uiris ueruntamen eo in plerisq; longe peritioribus. In sacris literis progressus est, liberales disciplinas non infœliciter attigit: in philosophia ultra mediocritatē, ne quid interim dicatur de professione iuris Brytannici. Eum nihilominus in suo Antimoro, tanquam ineruditum, traducit Germanus Brixius. At quicquid ab ipsis scribatur, qui egregiè erant apud illum saginati & pasti: hoc nos probè nouimus, qui eramus ei uiciniores, quòd pontificum & Pharisæorum crudelitati ex auaritia subseruiens, omni tyranno truculentior ferociebat: imò insaniebat in eos qui aut Papæ primatum, aut purgatorium, mortuorum inuocationes, imaginum cultus, aut simile quiddam diabolicarum imposturarum negabant, à uiuifica Dei ueritate ita edocti. Consentire hic Harpagus noluit, ut rex Christianus in suo regno primus esset: nec quod ei liceret cum Dauide, Salomone, Iosaphato, Ezechia & Iosia, sacerdotes & leuitas, reiecta Romanensium Nembrodorū tyrannide, in proprio ordinare dominio. Contexuit tenebrio, ac ueritatis Euangelicæ peruersissimus osor,

Comœdias iuueniles,	*Lib.1.*
Dialogos familiares,	*Lib.1.*
Vtopiæ insulam nouam,	*Lib.2. Pudet me propemodum cha.*
Progymnasmata è Græcis,	*Lib.1. Murem Asclepiades ut apud.*
Epigrammata è Græcis,	*Lib.1. Vereor illustrissime princeps.*
Diuersi generis carmina,	*Lib.1. Bellè prorsus conuenire uid.*
Epistolas ad amicos,	*Lib.1.*
In declamationes Luciani,	*Lib.1. Ascendit quidam in arcem.*
Dialogum pro missa, contra Frith,	*Lib.1. Ardentiori quo potero animo.*
Panegyricum in regis coronatione,	*Lib.1. Si qua dies unquam, si quod.*
Declamationes quasdam,	*Lib.1.*
Vitam Eduardi quinti,	*Lib.1. Aeternus Deus ad suam miser.*
Aduersus fraterculi rabiem,	*Lib.1. Perlatæ sunt ad me literæ tuæ.*
Epistolas tres ad Læum,	*Lib.1. Accepi mi chare Lææ, tuas,*
Contra Antimorum Brixij,	*Lib.1.*
Aduersus Chordigeram eiusdem,	*Lib.1.*
Pro Erasmo contra Dorpium,	*Lib.1.*
Tindali confutationem	*Lib.3.*
Contra articulos eiusdem,	*Lib.5.*
Supplicationem animarum,	*Lib.2.*
Dialogum pro cæremonijs,	*Lib.4.*
Apologiam in Lutheranos,	*Lib.1.*
Debellationem Salæ & Bizantij,	*Lib.1.*
Pro purgatorio contra Frith,	*Lib.4.*
Laruam, aduersus G. Ioye,	*Lib.1.*

De ecclesia, contra Barnes, Lib. 1.
Nusquam iam, iuxta Erasmum, Lib. 1.
De iustificatione operum, Lib. 1.

Luciani Dialogos è Græco transtulit.

Cynicum Luciani, Dial. 1. Quid tu tandem barbam quidem.
Menippum, seu Necromantiam, Dial. 1. Salue atrium, domusq; uesti.
Philopseudem, seu incredulum, Dial. 1. Potes mihi Philocles dicere.
Pro tyrannicida, Decl. 1. Cum duos tyrannos iudices.
Super eodem adhuc, Decl. 1. Non putaueram iudices ei.

Aliaq; multa fecit. Decollatus est obstinatus Calophanta, & impudens Christi aduersarius, 6 die Iulij, anno à communis salutis origine 1535. Et in Pyrgo Londinensi sepultum est eius cadauer, capite ad magnũ pontem, ut proditorib. fieri solet, stipiti imposito. Atq; à Papistis pro nouo martyre colit.

GVILHELMVS HORMAN. LXX.

GVilhelmus Horman, patria Sarisburiensis, ut fertur, uicepræpositus fuit collegij Regij de Heton: cuius adhuc laus est à diuite poetices uena, atq; ab utriusq; linguæ peritia. Is statim à pueritia, liberalib. in eo collegio disciplinis institutus, mox tanquam auidus optimarum artium mercator, Cantabrigiam adijt. Successus autem eius studiorum talis tantusq; extitit, ut primis eorum titulis ac magisterio publico demum sit donatus. Deinde cœlestium desiderio ductus, ad sacrarũ literarum scientiam animum adiecit, atq; omnem deinceps ad eam, laborum ac uigiliarum cursum direxit. Ex Cantabrigia postmodum in uirili ætate Hetonã reuersus, cum summa omnium admiratione, authores tam sacros quàm profanos exquisita enarrauit opera. Ad splendorem enim sui nominis, patriam literis illustrare semper studuit, uir Græcè & Latinè eruditus. Vnde perspecta tandem uitæ eius ac doctrinæ probitate, communi suorum suffragio, in eius loci uicepræsidem eligebatur. Postremò, annis iam grauis, quod uitæ reliquum erat, in Christianæ philosophiæ ocio transigere decreuit: & ea quæ meditatus fuerat, chartis committere. Cæterùm scripsit,

Penultimarum syllabarum tempora, Lib. 1. Penultimæ syllabæ tempus in pre.
Indices Chronicorum, Lib. 1. Abbas Siculus, Nicolaus Panor.
Sophicos flores, Lib. 1. Virtutes theologicæ cum materia.
Anatomiam membrorum, Lib. 1. Galenus in Tegni testatur, quod.
Herbarum synonyma, Lib. 1. Abrotanum & ablactorium dicuntur.
Collectanea diuersorum, Lib. 1. In anteriori parte capitis ma.
Farraginem plurium, Lib. 1. Abusiones in mundo nouem.
De orthographia, Lib. 1. Orthographia est uerè scribendi.
Anatomiam corporis humani, Lib. 2. Corporis humani partes, quæ.
Antibossicon, in Vuhittyngtonum, Lib. 1. Occurrit mihi nuper Vuhittyng.
Vulgaria puerorum, Lib. 1. Postquam publico erudiendæ iuuen.
Farraginem historiarum, Lib. 1. Generationes patrum ueteris test.
De arte dictandi, Lib. 1. Inter uaria artificia, colendis.
Super secundo regis connubio, Lib. 1. Quæritur, An ducere uxorem frat.
Compendium Guil. Malmesbury, Lib. 1. Prima sedes episcoporum post Chri.
Fascem rerum Brytannicarum, Lib. 1. Brytannia insula Græcis, nostrisq;.
Apothecam carminum iucundiorum, Lib. 1. Gaguini oratoris carmen, quod.
Elegiam in mortem Lilij, Carm. 1. Lili pars animi nostri, fera fla.
Apologeticon in protouatem, Lib. 1.

In theo-

In theologiam Gabrielis Biel, Lib.1.
Orationes & carmina, Lib.1.
Epistolas ad diuersos, Lib.1.

In hos authores & libros indices scripsit:

In Catonem de re rustica,	Tab.1. Ager, quomodo emi parariq; deb.
In Varronem de re rustica,	Tab.1. Agnorum cura, libro secundo, cal.
In Columellam de re rustica,	Tab.1. Absynthiten libro decimotertio.
In Palladium de re rustica,	Tab.1. Ablaqueatio uitium, libro secundo.
In Chronica Sabellici,	Tab.1. In hac tabula est compendiosum.
In Historiam Venetorum eiusdem,	Tab.1. Actio Aestensis, septuagesimo.
In moralia Aesopi,	Tab.1. Adiutorio alterius omnes indige.

Et alia plura edidit, sed moriens, proh dolor, imperfecta ex illis multa reliquit. Ex hac uita migrauit senex, anno à Christi seruatoris ortu 1535, die 12. Aprilis, atq; in Hetonensis collegij templo sepelitur, sub Henrico octauo.

IOANNES FRITH. LXXI.

IOannes Frith, inclytæ Londinensis urbis alumnus, iuuenis forma & ingenio elegantisimus. præter bonarum literarum reconditam eruditionem, in utraq; lingua Latina & Græca, doctisimus euasit. Istum ob raras animi dotes, inter primos Cardinalis Eboracensis Thomas Vuolsius transtulit à collegio regio, quod est Cantabrigiæ, ad suum nouum in Oxonio collegium, ut ad eius ornamentum non modicum, disciplinas illic profiteretur ingenuas. Quod & ille, elegantioribus studijs excultus, in ætate adhuc tenera, mirificè præstitit. Istum postea Guilhelmus Tyndalus, uerus nostræ ætatis in Anglia Apostolus, non aliter quàm Timotheum Paulus, in ministerij socium adoptans: hortabatur, ut aduersus Iudaicas ineptias, Papistarum'que gentilium superstitiones, quæ essent Christianæ fidei, cum eo unà doceret. Parebat ilico Frithus, simul'que promouebat ecclesiæ purioris causam, contra impuram atque impudentem illam meretricem, maledictam & blasphemam, totiq; abominationum matrem: non ueritus Babylonicorum Dionysiorum minas ferocisimas. Ostendebatq; in Euangelij luce, ignominias eius ac nuditates, palàm tegentibus eius fœditates Roffense atq; Moro, hypocritarum patronis, fucatis & frigidis rationibus, sed frustra. Postremò, quia dixit transubstantiationem in scripturis nõ inueniri, sed esse merum Papistarũ inuentum, nec ullum post mortem manere purgatorij locum, circundatus à pinguibus tauris Basan, Londinensi, Lincolniensi, ac Vuintoniensi episcopis, alijsq; Antichristi & diaboli ministris, damnabatur ad ignes. Cõmendauit hic literis, aduersus Roffensem ac Morum, & alium adhuc tertium, pietatis hostes, in Anglico sermone,

Expugnationem purgatorij,	Lib.3. Certus sum multos esse, qui.
Subsidium contra Rastell.	Lib.1. Ago gratias Rastelle frater.
De fide Eucharistiæ,	Lib.1. Nunc breuiter ad scopum atq;.
De cœna Domini contra Morum,	Lib.1. Gratiam, & incrementum cognitionis.
Speculum descriptionis Baptismi,	Lib.1. Videns multiplices ac lamentabiles.
De sua examinatione,	Lib.1. Non dubito charissimi fratres.
Ad imitatores Euangelij,	Lib.1. Explicari uix poterit, chariss.
Speculum cognoscendi se,	Lib.1. Prouocatus ab amicis eram.
Super testamento Tracy,	Lib.1. Nihil in hoc mundo tam certum.
Antithesin Christi ad Papam,	Lib.1. Addimus Christiane lector ad.
Reuelationem Antichristi transt.	Lib.1. In testes assumendi non sunt.

Præter hæc, nulla eius scripta uidi. Cõstantissimus Christi testis, cum socio quodam Andrea Heuueto, Londini 22 die Iulij, in foro ferrario exustus fuit, anno à redemptore nato 1533, ætatis suæ anno 26, Gardinero ac Stokislæo præcipuis authoribus. In ignis medio, Stephani in uultu alacritatẽ ille exhibebat, nunc ante Dei thronum in agni sanguine dealbatus.

GVILHELMVS TYNDALE. LXXII.

GVilhelmus Tyndale, seu Hichyns, ad multorum in Christo salutẽ natus, Oxonij ab adolescẽte studijs incũbens, bonas literas abundè hausit, Grçcè ac Latinè peritus. Grandescens paulatim nouellus hic Iesu Christi Apostolus, eruditione, fide, ac uitæ innocentia clarus, in Anglica regione primus habebatur, post Ioannem Vuicleuũ, qui diuinæ ueritatis contra iniquos Balaamitas promoueret causam, ac populum recta erga Deum fide institueret. Paratus profectò semper erat uir pius, nihil non strenuè in ea tam pia obire functione. Nemo ueterum scriptorum lympidius Christũ docuit, nemo pessimorum Antichristorum fallacias apertius detexit. Euangelicus homo nihil unquam scripsit obscœnum, nihil sanæ doctrinæ contrarium. Meretricis magnæ, fornicationum matris, Romanç scilicet, ut uocant, ecclesiæ, solum ille fœditatem aperuit, ac turpitudinẽ reuelauit, editis aliquot libris, ut tantæ impietatis regnum in Anglia corrueret. Contra illum statim surrexerunt Papistarum primipili, Roffensis & Morus: sed fragiles ac sophisticos eorum impetus in inuincibili Dei uerbo facilè reprimebat. Oppressi sunt enim à gloria Maiestatis, quam infœlices impugnabãt. Accessit his inaudita rabies atq; impietas Cuthberti Tũstalli pseudoepiscopi, qui ausu scelestissimo, sanctissimum Dei patris in Christo filio testamentum ab eo translatum, Londini anno Domini 1530, in cœmeterio Paulino comburi fecit. Cõpulsi nihilominus postmodum sunt, eiusmodi seductionum pædagogi, contra deprauatas eorum conscientias, uiuente adhuc rege Henrico octauo, affirmare quod negauerant, & damnare quod probauerant. Protulit Tindalus iste, pijssimus renouatæ Anglorum ecclesiæ tyro in sermone Brytannico, hæc absolutæ pietatis opuscula,

Obedientiam Christiani hominis,	Lib. 3. *Deus qui operatur omnia in omnibus.*
In Mammonis parabolam,	Lib. 1. *Quod fides, mater omnium bonorum.*
Practicas prælatorum,	Lib. 1. *Cum ueteres scribæ & Pharisæi.*
De Ecclesia, aduersus Morum,	Lib. 1. *Ecclesiæ uocabulum uaria inter.*
Contra Mori Dialogos,	Lib. 1. *In primo capite quo librum.*
Super testamento Tracy,	Lib. 1. *Scrutemur primo testamenti huius.*
In tria Matthæi capita,	Lib. 1. *Hic habes chare lector, elucida.*
Aduersus Ioij calumnias,	Lib. 1. *Perpendens optime lector, quum.*
Semitam ad Scripturas,	Lib. 1. *Plurimum admiror, in Christo,*
In epistolas Ioannis,	Lib. 3. *Vt homo nullis medijs legere.*
De sacramentis & signis,	Lib. 1.
De purgatorij parocho,	Lib. 1.
Præfationes Biblicas,	Lib. 1.

In linguam uernaculam transtulit:

Pentateuchum Mosi.	Lib. 5.
Iosue, Iudicum, & Ruth,	Lib. 3.
Historias Regum,	Lib. 4.
Paralipomenon,	Lib. 2.
Esdram & Nehemiam,	Lib. 4.

Prophe-

Prophetiam Ionæ,	Lib.1.
Nouum Testamentum Christi,	Lib.27.

Quædam opuscula quoq; Lutheri & Erasmi. Prælo etiam dedit examinationes Guilhelmi Thorpi & Ioannis Oldcastelli, & alia, additis suis præfationibus. Vilfordiæ tandem in Brabantia, Louaniensium Rabbinorum tyranni de, inuictus Christi martyr, ut aurum in igne probatus. occubuit, anno ab eodem Christo incarnato 1535, in Septembri, Henrico Octauo regnante.

ROBERTVS VVAKEFELDE. LXXIII.

ROBERTUS Vuakefelde, politioris philosophiæ dogmata Cantabrigiæ ab ipsa pueritia secutus, ad disciplinarum omnium arcem doctissimus tandem peruenit. Non satis ea equidem ætate discernere quisquam poterat, qua scientia plus ualuerit: tam ei suppetebant singularum artium facultates. Totius ferè Christianitatis per Europam peragrabat limites, ut præcipuarum esset linguarum omnium peritus. In quibus tum demum, cum doctis artificibus, cuiuscunq; nationis illi fuerint, post Ioannem Capnionem, alias Reuchlinum, contendere de palma poterat. Habebaturq; post eius mortē, in studio Tubingensi, nō aliter ille quàm alter Capnio, cū in eius inibi (Kiriādro teste) successerit locū: Hebraicę, Syriacę, Chaldaicæ, Græcę & Latinę linguarū doctissimus. Et mihi adhuc pro minimo nō est, quod à tam eximio præceptore, aliquid ex Baptista Mantuano & Valerio Maximo didicerim iuuenis. Ex omnibus quos fecit, hos mihi solum contigit uidisse, librorum suorum titulos, scilicet

Institutiones Hebraicas,	Lib.1.
Laudes Hebraicæ linguæ,	Lib.1.
De utilitate trium linguarum,	Lib.1. *Cogitans apud quos modò mihi di.*
De non ducenda fratria,	Lib.1. *De Deuteronomica lege, quod fratris.*
Kotser codicis,	Lib.1.
De optimo statu reipublicæ,	Lib.1.
De pace,	Lib.1.
De parsimonia,	Lib.1.
De fide & operibus,	Lib.1.
De philosophia,	Lib.1.
De agriculturæ laudibus,	Lib.1.

Constat illum & alia scripsisse multa. Fauorem regis demum ob linguarum mysteria nactus, fiebat illi à sacellis. Claruit anno post Seruatorem natum 1536, mei certè amantissimus, sub rege Henrico Octauo: nec postmodum diu superuixit doctissimus homo.

IOANNES RASTELL. LXXIIII.

IOannes Rastell, ciuis ac typographus Londinensis, & ex nuptiarum copula Thomę Moro affinis, in Mathesi atque alijs scientijs demonstratiuis totam ferè terebat ætatem. Cum Roffensis ac Morus pro purgatorio Papistico, contra Euangelij professores seuerius dimicarent, iste tanquam alter Achilles, audax & imperterritus, in eandem tragœdiam se tertium intermiscebat. Et quod ipsi humanis commentis, ac deprauatis scripturis maliciose tentabāt, hic rationibus, sophisticis omnino (quas tamen è philosophia naturali desumptas esse iactitabat) affirmare, probare, & stabilire nitebatur. Sed insuperabilis Christi spiritus, qui excelsa humilibus prosternere solet, per prædictum iuuenem Ioannem Frithum, Londini

ſtultiſsimos reddidit ſuperbos eorum conatus, non aliter quàm olim Hieroſolymæ, Libertinorum, Cyrenenſium, & Alexandrinorum irruptiones iniquas, per Stephanum Chriſti teſtem. Inſignis hic Coſmographus, de trium mundi partium, Aſiæ, Africæ, & Europæ deſcriptione, ingenioſiſſimam ac longiſsimam comœdiam primùm edidit, cum inſtrumentis & figuris, quam uocabat

Naturam naturatam,	Lib.1. *Exuberans diuinæ potentiæ gratia.*
Legum Anglicarum uocabula,	Lib.1. *Sicut mundus uniuerſus durare.*
De indulgentijs,	Lib.1. *Licet certi ac indubij ſitis, quod.*
Anglorum regum Chronicon,	Lib.1. *Quiſquis in ueteribus legere.*
Canones aſtrologicos,	Lib.1.
Dialogos de purgatorio,	Lib.3.
Apologiam ad Ioan. Frithum,	Lib.1.
De bonis operibus,	Lib.1.
De oratione,	Lib.1.
Abraſionem Papiſmi,	Lib.1.
Indices Antonij Fizherbert,	Lib.1.

Rhythmos & alia ſcripſit, ſed in ſermone Brytannico. Poſt ſcriptam uerò Apologiã, prædictam non iuuenis mortem cum ſocijs procurabat. ſed uidens ſe uictum aperto Dei uerbo, errati eum puduit, ac palinodiam cecinit libens. Londini obijt uir pius, anno ſalutis humanæ 1536, ſub Henrico ſexto.

CHRISTOPHORVS SEYNIARMAYN. LXXV.

CHriſtophorus Seyniarmayn, alijs de ſancto Germano, illuſtri proſapia oriundus, ſocius olim interioris templi in ſuburbijs Londinenſibus, eò eruditionis illic peruenit, ut ab eius urbis ciuibus, immortalem ſit aſſecutus famam. Homo erat, omnium conſenſu, in patrijs legibus & in iure tam canonico quàm ciuili excellẽter inſtructus, in omniq́ philoſophia, atq́ ſcientijs alijs liberalibus, doctiſsimus euaſit. Quàm fœcundum, amplum ac magnificum habuerit ingenium, & quàm grauem in rebus agendis prudentiam, tota nimirum Anglia nouit. Cœlebs per omnem uitam ille cum omni honeſtate uixit, cunctis ſe beneficũ ualde præbuit, in foro conſilia & auxilia petentibus exhibuit gratis. Singulis ferè noctibus, quum nihil eſſet agendum foràs, unum ex ſacris Bibliorum libris caput legit & expoſuit: totaq́ eius ſubſtantia, cum moreretur, in libris fuit. Tam electũ Dei organum, ac tam ſanctũ pietatis ante iuriſperitorũ oculos in omni ſeculo ponendum exemplar, non licet, multorum certè opinione, ſine quadam reuerentia nominare. Scripſit hic Germanus Chriſtigerulus inter cętera, partim Latinè, partim Anglicè,

Dialogum de legibus Anglicanis,	Lib.1.
Dialogum de fundatione earundẽ,	Lib.1.
Apologiam ad epiſtolam quandam,	Lib.1.
De ſtatutis prouincialibus,	Lib.1.
De cleri poteſtate ex iure,	Lib.1. *Quamuis huius libri propoſitum.*
Salem & Byzantium,	Lib.1. *Liber eſt, quem nuper edidit.*
Doctrinam Bernardi & Brigidæ,	Lib.1.
Concilia Romanorum pontificum,	Lib.1.
In Mahumetem & eius ſectam,	Lib.1.
Diſcrimen uulgi & cleri,	Lib.1.
Additionem Salis & Byzantij,	Lib.1.

Quòd clerus non conderet leges, Lib.1.
Quid eclesia sit, Lib.1.
De Sacramentis eisdem, Lib.1.
Apologiam aduersus Morum, Lib.1.
De utraq; potestate dialogum, Lib.1.

Atq; alia nõnulla. Octoginta annos superabat, quum Londini mortẽ obiret, anno à diuini uerbi incarnatione 1539, die 28 Septẽbris: & in D. Elphegi templo ad Crepulgate dicto, est non procul à Lupseto sepultus, sub Henr. 8.

APPENDIX.

Ex Commentarijs Ioannis Funccij, & quorundam aliorum: Anno Domini 1523, Clemens septimus Rom. pontifex, secta olim Hierosolymitanus miles, & prior Capuensis, Hadriano quinto successit, cui Iulius antea nomen erat, quod & in Papatu seruare decreuerat. Sed Cardinalium monitu, Clementis nomen accepit: quum moribus eius (nouit enim uulpes ad tempus dissimulare) tunc aptius id esse uideretur. Hic, quum Gallis contra Cæsarem faueret, Roma à Cæsarianis ui occupata, ad S. Angeli castrum confugit: illis tamen, quum arctius premeretur, coactum se dedidit. Carolus uerò nimis obseruans Pontificis, pristinis eum luxurijs mox restituit. Quæ uerò militum, in ea urbis occupatione, uirtutes fuerint, quomodo Cardinales tractauerint, & thesauros expilauerint, longa narratione uix comprehendi posset. Quare in aliud tempus ea Funccius ille reseruat. Ex Henrico Pantaleone: Clemens pontifex, cum rege Gallorum contra Imperatorem conspirans, à ducibus Caroli, cum Cardinalibus & urbe capitur: ac ciuibus occisis, mirum in modũ à Germanis militibus ludificatur, anno Domini 1527. Ex Ioannis Tilij chronico: Redimitur postea Clemens captiuus, 40000 florenis. De isto Clemente, in quodam commentario super articulis magistrorum Parisiensium, legitur, quòd fuerit nothus, ueneficus, homicida, leno, Simoniacus, Sodomita, periurus, stuprator, raptor, geomanticus, sacrilegus, et omnium scelerum artifex. De quo poeta quidam cecinit:

Clementi nomen dedit inclementia fati,
Bellorum hic fomes, cunctorum lerna malorum.

Ex Valerio Anselmo: Clemens ultimo sui pontificatus anno, simulata prudentia, Francorum regem apud Massiliam adijt. Vbi adeò inter eos conuenit, ut rex pontificis neptem Catharinam, cum ampla ecclesiastici principatus dote, filio suo Henrico Aurelianensium duci, in uxorem reciperet. Sub indeastutus & audax lupus, iam potentissimis regum populorumq; retibus instructus, Christi oues Lutherismi prætextu, ad necẽ uenabatur. Sed mense Septẽbri, inaudito ueneficio, scilicet toxicati funalis fumo, cũ aliquot aulæ suæ Cardinalib. ac familiarib. in acerbæ necis retia incidit.

Ex Ioanne Baptista Folengio, in commentario Psalmi 105: Aiunt enim nostra etiam ætate, morbo pediculari, qui morborũ est turpissimus & infamis, interijsse Clementẽ septimum pontificem maximum. Nonnulli ueneno censent. Mortalis erat, atque propterea sexcentis, ut cæteri quoque ex uulgo homines, obnoxius miserijs & ægritudinibus, &c. Hoc epitaphio à Pasquillo deploratus est, qui & eius statum in inferno post mortem aliquando descripsit quoq;:

Clementem eripuit nobis clementia fati,
Humanum toto gaudeat orbe genus.
Hic est qui fuerat iam dedecus urbis & orbis,
Et fuit ætatis magna ruina suæ.
Hic est, si nescis, qui iam tibi, Roma, parauit
Excidium, pestem, funera, bellam, famem.
Hic est, per quem tot prostant & in urbe puellæ,
Per quem pulsus honos, uirgineumq; decus.
Hic est, qui molles euexit ad astra cinædos,
Formosum à tergo munere iuuit Hylam.
Hic est, qui fuerat uiuens infamia mundi,

Imperij labes, spurcitiesq; sui.
Contemptor diuûm, scelerum uir, publicus hostis,
Perfidus, ingratus, raptor, iniquus, atrox.
Exosus uitam, & morbo tenuatus amaro,
Stabat Pæonia non reuocandus ope.
Mortem implorabat, nec mortem fata sinebant,
Gaudebant longa sed cruciare mora.
Hic uidit mortis centum tormenta futuræ,
Pœna tamen mortis non fuit æqua suæ.
Ex ista tandem migrauit luce tyrannus,
Quo nullus toto peior in orbe fuit.

Pasquillus ad Romam.

Roma uale, uidi, satis est uidisse: reuertar,
Quum leno, aut meretrix, scurra, cinædus ero.

Appendix alia.

Sub prædicto Clemente pontifice claruisse dicitur Nicolaus Machianellus, historicus & secretarius Florẽtinus. Qui in historia sua clarè ostendit, ex ambitione põtificũ pleraq; Christianis prouenisse mala. Ante Theodoricũ Longobardorum regẽ, id est, ante annum Christi 500, in rebus politicis, suis semper paruisse regibus pontifices narrat: & Cardinales nihil aliud initiò fuisse, quàm parochos. Sed deinceps politicam potestatem, paulatim sibi rapuisse illos dicit, ac super Cæsares ipsos dominium usurpasse. Tribus artibus, in ipsis creuisse pontificem demonstrat: excommunicationibus, indulgentijs, & armis: quibus tamen (inquit) sceleratè sunt usi. Ab hoc Nicolao longè dissentiebat alius eius temporis Nicolaus, cognomine Egmundanus, magister Louaniensis & Carmelita. Qui sub ipsa Euangelij luce, talpa cæcior, credidit, docuit, ac scripsit, Pontificem Rom. esse omnium rerum cœlestium, terrestrium, & subterranearũ dominum: omnesq; principes Christianos ab eius nutu pendere, & habere imperium in angelos ac dæmones. uidi eius uitam cum epistola ad H. Zuinglium de magistris Louaniensibus. His etiam diebus, anno scilicet Domini 1523 Bruxellæ sunt capti monachi duo Augustinianæ professionis, Ioannes et Hẽricus. Qui à Iacobo Hochstrato, Dominicano, hæreticorũ magistro, atque à Louaniensibus rabbinis, ad ignes sunt damnati: quod non crederent Rom. pontificis decreta & canones eiusdem esse authoritatis, aut maioris, cum utriusq; testamenti Dei libris & Apostolorum symbolo. Qui sua constãtia, cum exusti essent calendis Iulij, multos à Papismo diabolico ad synceram Euangelij professionem conuertebant. Sequenti anno, Thomas Murnerus, theologus Franciscanus, contra senatum Argentoratensem Norimbergam profectus, hæreseos eos apud Cardinalem Campegium grauiter deferebat, quòd Papismũ abiecissent. Viri undequaque eruditi, & Christianæ doctrinæ antistites, Ioannes Oecolampadius Basileæ, et Huldrichus Zuinglius Tiguri, Euangelium Christi purissimè tunc docebant.

Anno Domini 1525, Thomas Muntzerus, qui se iactitabat alterum esse Gedeonem, et ecclesiæ reformationẽ in Thuringia quærere, Anabaptismum instituit, ac multos errores docuit, renascens Euangelium mirabiliter interturbans. Eodem anno Ioannes Pistorius à Vuorden, ob Euangelicæ doctrinæ assertionem in Haga comitis apud Hollandos exustus fuit. Eodem anno in Anglia Robertus Barnes, qui & Augustinianus & theologus tunc erat, Londini 11. die Februarij, palinodiam coram Cardinale Vuolsio & alijs prælatis, super negato Rom. pontificis primatu, Fishero concionem faciente, canere cogebatur. Anno Domini 1527, in Nouembri, prædictus Cardinalis Vuolsius, in Vuestmonasterio clerum omnem, sub tollendorum abusuum fuco, conuocauit. Vbi Thomam Arthurum, Thomam Bylnæum, Galfridum Lomum, & Thomam Garettum, concionatores pios, qui in Rom. pontificis pompã ac tyrannidẽ aliqua dixerãt, abiurare coegit: nec aliã eo in cõuentu reformationẽ fecit. Anno Domini 1528, pridie calendas Martij, in Scotia ad fanũ Andreæ, flãmis adiudicatus & cõbustus fuit à Satanæ synagoga, Patricius Hammiltõ, uiginti trium annorum iuuenis, regio

sanguine clarus, qui & Marpurgi in Hessia Christũ docuerat. Eodem anno Tornaci per eosdẽ Satanæ ministros, exustus est Henricus Flander, Augustinianus, quòd Papismo propter Christum renunciasset. De quo sacrifici nonnulli iniquissima fingebant somnia, sicut in Massæo: ut uulgus damnatum illum crederet. Cum Bernates eodem anno, pro abolendis missis, aris, ac statuis, cum finitimarum ecclesiarum doctoribus unà conuenissent, Conradus Tregarius, Augustinianorum prouincialis, qui ex aduersa parte primus steterat, audiens in initio disputationis lege esse uetitũ, aliũde quàm à sacris scripturis adiumenta quærere, ueluti animal mutum, loco decessit. Anno Domini 1529, Coloniæ, igne absumebantur, Petrus Flistedius & Adolphus Clarebachus, homines literati: quòd de cœna Domini, deq; cæteris dogmatibus diuersum à pontificijs sentirent. Eodem anno, Vuigorniæ in Anglia, translatum fuit corpus Ioannis Anglorum olim regis, ultimo die Iunij: et sepulchro nouo impositum, anno 312, ab eius morte. Multa hic festinationis gratia prætereo.

Appendix alia.

Ex Valerio Anselmo, Paulo Vergerio, Ioanne Sleidano & alijs nostri tẽporis scriptoribus: Anno Domini 1534, Paulus tertius Rom. pontifex, Alexander Farnesius antea dictus, Clementi septimo senex admodum successit, qui liberos suos (potius nothos) Papali more ualde exaltare, Lutherumq; opprimere studuit. Res ecclesiæ compositurus, concilium uniuersale Mantuã indixerat, sed frustra: qui nec posteriori Tridentino concilio effecit quicquam. Perlongum esset huius sanctissimi Satanæ uicarij, facinora insigniora omnia referre, parricidia, furta, ueneficia, proditiones, tyrannides, incestus ac stupra nefanda. Pauca hæc tamen ex multis recensebo, ut sciat mundus, qualis sit eorum in sanctissimo genere cœlibatus ac sanctitas, quos Papistæ tam altis uocibus iactitant Petri successores & Christi uicarios. Astrologus, magus, & hariolus erat hic Paulus: Dionysiumq; Seruitam, Geomanticum, quem ob id postea Cardinalem fecit, & Gauricũ Lusitanum, Cecium & Marcellum necromanticos, insignes nebulones, socios semper ac familares habuit, ut eius ac filiorum nothorum fata, in horoscopis, in aspectibus, & in siderum domicilijs inquirerent. Rubrum galerum, consuetis lenocinijs & dolis instructus, sic meruit primùm. Roderico à Borgia, Hispano, seu Alexandro sexto Rom. pontifici, sororem suam Iuliam Farnesiam stuprandam tradidit, ut Cardinalis & Episcopus Hostiensis fieret, ac se ære alieno liberaret. Sic enim solent Papæ teterrimis libidinibus æstuare, ut mitras & galeros illis promittant, qui ad se sorores uiolandas, aut, quod dictu horribilius est, fratres iuniores, adducant. His artibus multi perpinguia uenantur beneficia. Nec est (inquit Agrippa) uia ulla compendiosior. Matrem suam ac nepotem, impudens parricida, ueneno sustulit, ut omnis ad illum conflueret Farnesiorum hæreditas. Alteram deinde sororem suam, cum qua rem habuerat, uidens quòd nimis apertè Farnesiorum sequeretur mores, atq; alios ardẽtius, ad actum uenereũ, quàm ipsum amaret, toxico etiam interemit.

Per Anconitanã prouinciam cum esset legatus, sub Iulio secũdo pontifice, puellam eius ciuitatis nobilem nefariè circumuenit. Dissimulauit enim quis esset, seq; pro nobili quopiam gerens ex legati familiaribus, sub pacti matrimonij colore illam uitiauit. Quæ posteaquàm eum esse, qui erat, cognouisset, seq; non legitimam uxorem, sed concubinam (quod ex iure Pontificio notum est) satis resciret, in insaniam ferè incidit. Ex eo tamen connubio fucato Petrum Aloysium, Sodomitarum primipilum post patrem, sustulit. Quum Nicolaus Quercæus, congredientem illum semel cum Laura Farnesia uxore sua, sed eius nepte, deprehendisset, tale ei uulnus pugione incussit, ut eius cicatrix ad mortem usq; cum ipso maneret. Vt filia sua Constantia, cum qua sæpiuscule rem habuerat, potiri liberius posset: maritum eius Bosium Sfortiam ueneno necauit. Libidine Heliogobalum & Commodum longè superabat: idq; tot spurijs ac nothis doceri poterat. filias suas Lothus uitiauit, ignarus & ebrius. Hic autem sobrius ac sciens, non modò cum nepte, sed etiam cum sorore atque filia congressus fuit. Hic Paulus itidem statim post assumptum papatum, Alexandrum ex filio notho Petro Aloysio, ualde adolescentem, & Ascanium ex filia notha Constantia nepotem, fortassis filium, Cardinales creauit. Perusinos oppressione tyrannica furiosus subegit: & Ascanium Columnam principem it[illegible]issimum, in rabie uesana, è suo regno silicernium pellebat. Camerium urbem pessimo dolo, pulsa eius principe fœmina, singulari sapientia ac religione prædita, sibi capiebat, scelerosus latro ac proditor.

Mirisq;

Mirisq; artibus collegium Cardinalium in suam pertraxit sententiam, ut facta permutatione Camerij non sui, in Parmam & Placentiam, urbes clarissimas non suas, Petrum Aloysium, suum spurium, perditissimumq; nebulonem, Dominum ac principem in eas tyrannus intruderet. Quod factum postea iustissimo Dei iudicio, meritam illi Petro mortem attulit. Cum suis quoq; Cardinalibus sæpe deliberabat, quomodo impediendum sit nationale in Germania concilium: præcepitq; suis legatis, ut Principum animos in Angliæ regem accederent: eiusq; ditionem omnem in prædam dare cogitabat.

Non sanandæ reipublicæ causa, ad conscientiarum tranquillitatem, aut instaurandæ religionis gratia, ad Dei gloriam: sed pro conculcanda eius ueritate, opprimendisq; eius uerbi ministris, Tridenti anno Domini 1542, generale indixit conciliū. Vbi cum non omnia illi ad uoluntatem succederent, Bononiam tandem anno Domini 1546, corrupti aeris ludibrio planè transtulit: ut inde Christianis pro sua tyrannide omnia suffragia auferret. Aduersus Dei sanctos horrida bella, cruentasq; pugnas, Antichristus iste parauit, irrumpentibus nouo pugnandi genere in Christi gregem tigridibus ac lupis. hos ut omnino de sub cœlo deleat hic Pharao, cum districtis gladijs, facibus accensis, poculisq; toxicatis accurrebat. Nec à suis Cardinalibus, Fulgosio & Contareno, postquam Christi dulcedinem aliquantulum gustassent, manus abstinebat tyrannus: nec à Polensi episcopo Ioanne Baptista Vergerio, quos clàm ueneno sustulit: nec ab eius fratre Paulo Vergerio, Iustinopolitano episcopo, nisi dominus illum ad maiora ac meliora seruasset. In prouincijs Christianorum, sub hac immani bestia, ubiq; ferociebant Nerones & Maxentij, in ueritatis Dei professores: igne, ense, laqueis, remis, rogis, flammis, aquis, exilijs, carceribus, inedia, proscriptione, & similibus malorum diabolorum afflictionibus, ad mortes usq; eos insequentes. Horum principes erant, Alexander Farnesius Cardinalis, & Octauius eius frater dux Parmensis, filij prædicti Petri, ac Pontificis nepotes: qui inanes spirantes glorias, quum anno Domini 1546, ex Italia Germaniā essent ingressi, superbo cominabantur ore, se tantum Lutheranorū Germanicorū sanguinis fusuros, ut in eo possent natare eorum equi. Paulus interim sanctissimus nebulo, cum Constantia filia solito iucundior fuit: neptemq; adhuc aliam, puellam lectissimā, non minus uirginali pudore quàm forma præstantē, hircosus senex ad incestum & nefandum stuprum solicitabat. In tabellis etiam habebat numerata 45 meretricum millia: ex quarum fornicatione singulis mensibus censum exegit. hæ à Papa (inquit Eusebius Captiuus) in summo honore habentur, hæ Papæ pedes exosculantur, hæ Papam familiarissimè alloquuntur, hæ cum Papa dic noctuq; consuetudinem habent. Qui uerò unico Christo fidunt, eiusq; doctrinam amplectuntur, à Papa hæretici habentur, à Papa exulant, à Papa proscribuntur, à Papa carceribus mancipantur, compedibusq; astringuntur, triremibus, aquis, laqueo, securi, igneq; plectuntur.

Appendix alia.

Sub hoc pontifice Paulo, anno Domini 1534, Franciscani monachi cruentum ac funestum ediderunt ludum in Gallijs Aureliæ, super prætoris uxore mortua, quæ sine funeris pompa sepeliri se uiuens iusserat. Cum dicti Franciscani, quorum in templo iuxta patrem & auum sepulta fuit, muneris loco sex aureos tantum à marito eius accepissent, ualde grauiter tulerunt, quòd non plus essent inde accepturi. Vnde nouicium quendam adolescentem, supra testudinem templi constituebant, ut intempesta nocte se animam eius esse simularet, atq; ob Lutheranismum perpetuò damnatam diceret. Res est tandem Lutetiā ad regium senatum delata. Vbi coram cancellario, Antonio Pratense, Colimannus & Stephanus Atrebatensis, ambo eius sectæ theologi, in maleficio deprehensi et conuicti sunt, ac de communi consilio lata sententia ad publicam ignominiam damnati. In hos impostores, Vulteius Remensis hoc edidit carmen:

Cum clamat laruas, furiosa caterua leonum,
 Infestare suam nocte dieq; domum,
Res uera est: falsi, laruati deniq; fratres,
 Quos uestis sanctos prodigiosa facit,
Sunt lemures, laruæ, furiæ, uulpesq;, lupiq;,
 Qui infestant uitijs seq; suamq; domum.

Præcedente anno, Vuigorniæ in Anglia, episcopi cancellarius Parkerus, Ricardi Tracij, illustris

stris generis uiri cadauer, post duos annos à sepultura exhumari & comburi fecit, quòd pompas funerales ex Testamento contempsisset. Nordouici etiam in Anglia Thomas Bylneus, iurisperitus, uir uitæ inculpatæ, anno Domini 1531, ob Euangelij prædicationẽ uerã exustus fuit. Et anno Domini 1533, Angli, contempta Rom. pontificũ tyrannide, excussoq; eius iugo, uerũ Dei Euangeliũ susceperunt, & rex Ecclesiæ caput post Christũ in suo regno esse cœpit. Eodẽ anno, Elisabetha Bartona, monacha Cantiana, à sacrificulis & monachis edocta, uisiones ac ficta quædã portenta, in ueritatis odium & dicti regis uituperiũ edidit. Quamobrẽ cum eisdẽ sanctis confessoribus, duobus scilicet Frãciscanis, duobus Benedictinis monachis, duobus sacrificulis, ac totidem Pharisæis et scribis, laquei supplicio Londini meritam mercedem accepit.

Anno Domini 1534, Anabaptistæ Monasteriẽsem Vuestphaliæ urbẽ munitissimã summa perfidia occupantes, et nouam Sionẽ seu Hierosolymã appellantes, Ioannẽ à Leida, sartorẽ Hollandum, sibi regẽ constituerũt, atq; in omnia scelera proruperunt: donec uicti & consumpti essent per Ioannẽ electorem Saxoniæ, Philippũ Hessiæ Landgrauiũ, & alios de nobilitate uiros. Anno Domini 1536 è uita decessit Erasmus Roterodamus, septuaginta circiter annorũ senex, Basileæ sepultus: cuius testãtur monumẽta, quantus & q̃ eloquens fuerit. Anno Domini 1538, Monachorũ sectæ Antichristi, æternæ perditionis filij, creaturæ, in Anglia, scilicet monachi (ut illic uocantur) Canonici, fraterculi, et Moniales, propter Sodomismũ et alias Romani cœlibatus uirtutes, cœnobijs meritò sunt eiecti. Apud me ad præsens sunt uisitationes centũ monasteriorũ utriusq; sexus, et octodecim collegiorũ sacerdotaliũ, per cõmissarios regios Ricardũ Laytõ legũ doctorẽ, Thomã Bedill archidiaconũ Cornubiensem, & Thomã Bertheletũ notariũ factæ & collectæ. In quibus, tanto numero reperti sunt Sodomitæ & incõtinentes, ut in unoquoq; eorũ credideris nouã adfuisse Gomorrã. Liber uocatur Breuiariũ cõpertorũ in monasterijs, conuentibus, collegijs, etc. Ex quo unũ atq; alterũ eorũ, ex multis specimẽ uel gustũ insipidũ hic dabo. In Monasterio Batellensi, Cicestriensis diœcesis, hi sunt Sodomitæ reperti: Ioannes abbas, Ricardus Salehurst, Thomas Cuthbert, Guilhelmus Marche, Ioannes Hastinge, Gregorius Champion, Clemens Vuestfelde, Ioannes Crosse, Thomas Crambroke, Thomas Basyll, Ioannes Hamfelde, Ioannes Hierome, Clemens Griggæ, Ricardus Touye, & Ioannes Austyne. Incontinentes, Thomas Lyuet cum una maritata, et alia soluta: Thomas Cranbroke prædictus, cum eisdem, ac pluribus.

In ecclesia Christi Cantuariæ, inter monachos Benedictinos, hi etiam reperti sunt Sodomitæ: Ricardus Godmershã, Guilhelmus Lichefelde, Christophorus Iamys, Ioãnes Godmystõ, Nicolaus Clemẽt, Guilhelmus Caiuston, Ioannes Ambrose, Thomas Farlegh, & Thomas Morton. Incontinentes, Christophorus Iames prædictus cũ tribus cõiugatis, & Nicolaus Clemẽt cũ una soluta. In monasterio S. Augustini eiusdẽ urbis & ordinis, incõtinẽtes isti sunt reperti: Ioannes abbas cũ una tantũ, Ioannes Langdon cũ duabus, Ioannes Langport cũ una, Ricardus Compton cũ una, Guilhelmus Reynesforth cũ una, Guilhemus Godmerstõ cũ duabus, Dauid Frãkes cũ una, Robertus Saltuuode cũ una, Laurentius Goldston cũ una, Guilhelmus Holingborne cum una, Guilhelmus Mylton cũ una, Ioannes Shreuuesbery cũ una, & Thomas Barham Sodomita. In alijs etiã omnibus similia inueniebãtur: quæ perlongũ, imò turpissimũ esset referre. Sed his aptissimè cõuenit hoc distichõ:

Non male sunt monachis grata indita nomina Patrũ,
Cum numerent natos hic & ubiq; suos.

Hæc nõ ideo prædictis adiũxi, ut pro historica narratione dignis habeãtur: sed ut ex his sciatur, quòd meritò sint ex suis claustris pulsi. De collegijs uerò aliquid dicetur, quum ad Ioannem Vuithũ, Vuestonum, Iongũ, & alios pæderastas ac diuinæ ueritatis osores pertinacissimos, Priapismiq; papistici propugnatores, in 9 Centuria peruẽtũ fuerit. Eodẽ anno Domini 1538, Tolosanus quidam, uiginti circiter annorũ adolescens, nobilis & literarũ studiosus, Lutetiæ fuit exustus, ob carnis esum quadragesimali tẽpore. Fuerũt quoq; in Anglia circa illos dies, in Aegidiano cãpo prope Londinũ, flagranti igne consumpti per Antichristos, Aegidius quidã faber lignarius, Ioannes Pigmẽtarius, atq; unus de familia Domini Regis, propter articulũ Sacramẽti. Anno Domini 1540, in Augusto, Guilhelmus Budæus, uir summæ eruditionis, Lutetiæ uitã finiuit: qui moriẽs rogabat, absq; omni põpa sepeliri.

Anno Domini 1542, Ricardus Mekyus 15 annorũ adolescens, à Londinensi episcopo Edmundo Bonero, lanione crudelissimo, Londini combustus fuit: et Ioannes Porter, elegãs iuuenis, propter Bibliorum lectionem solam, carceraria fame ab eodem truculento tyranno peremptus. Eodem anno Sarisburiæ, Ioannes Ramsey & Ricardus Spenser, exustionem suorum corporum pro fide Christi patiebantur. Sequenti anno Vuindesoræ idem tormenti genus sunt etiam pro fide perpessi, Antonius Person, Robertus Testuuode, & Henricus Fylmer. Anno Domini 1545, Petrus Brulius, Gallus, concionator pius, Tornaci 19 die Februarij crematus fuit: qui doctrinam suam ad extremum usq; spiritũ constanter profitebatur. Dixerat ille, Christi corpus non ore, sed spiritu per fidẽ à Christianis debere sumi. Martinus Lutherus, uir in literis tam sacris q̃ profanis excellentissimus, (quẽ Deus hac nostra ætate, ut uerũ suum Apostolũ, pro taxandis Antichristi erroribus, & repurganda Ecclesiæ doctrina mirabiliter excitauit) anno Domini 1546, & die 18 Februarij, post 29 annorũ pro Euangelio labores, in magna spiritus fortitudine atq; constantia, Islebiæ mortem obijt. Eodem anno, in ipso die Parasceues, lupanaria & prostibula Londini regis mandato tolluntur atq; damnantur. Eodem anno quoq; Ioannes Diazius, Hispanus, genere quidem illustris (cui post lectas scripturas diuinas, papistica doctrina sordebat) incẽsore Petro Maluẽda Dominicano, ab Alphonso Diazio fratre, qui etiã Paulo tertio per id gratificari quærebat, Neoburgi in Germania, sex ab Augusta miliaribus, 27 die Martij, securi, tanquã Abelus ab altero Caino, percussus fuit. His diebus in Suthsexia Angliæ comitatu, sacrificulus quidã Nicolaus Geruys, ut quodã nouo miraculo, adhalati panis adorationem idololatricã, quasi ab inferis resuscitaret: acicula, dũ missam faceret, è digito sanguinẽ duxit, et hostiã, ut uocant, eo tinxit. Sed in eo statim præstigio deprehensus, Londinũ perducitur, atq; ad summã eius infamiã, ut suũ ibi profiteretur scelus, ab omni plebe cõspiciẽdus exponitur.

Appendix alia.

Nunc de Pauli tertij filio notho, Petro Aloysio, Parmæ ac Placentiæ duce, aliquid dicendum occurrit: qui, quia superbia ferox & libidinosissimus tyrannus erat, anno Domini 1548, & decimo die Augusti, à suis nobilibus occidebatur. Quũ hic scelestissimus nebulo (ut ex quibusdã Italicis libris, Vergerius ac Sleidanus referunt) exercitus Romani primariũ ducẽ agẽs, Fanũ appulisset: ibiq; Cosmũ Cheriũ, eiusdem urbis episcopũ, qui tricesimũ annum excesserat, summa prudentia, summa eruditione, summaq; pietate uirũ inuenisset: illi per uim, ferina quadã, imò diabolica rabie, stuprũ intulit hoc modo. usus est opera suorũ, qui illum distinerent, donec perpetraret hoc nefandissimũ ac teterrimũ post orbem conditũ scelus. Quod quidẽ facinus misero illi sic doluisse ac displicuisse ferunt, ut præ mœrore & indignitate rei sit triduo pòst extinctus. Non desunt tamen, qui uenenũ ei datum ab illo fuisse putent, ne flagitium illud tam impetuosum ad Cæsarem deferret. Quoniam in acerbissimo suo dolore, imprudenter effutiuerat, se ad ipsum Cæsarem iturũ, conquestũ de tã atroci iniuria. Cum sorore sua & nouerca Constantia, quoniam & pater ab illa non abstinebat, consuetudinem habuisse frequentem hic Petrus dicitur. Omnia enim sibi licere putabat, dũ pater esset pontifex summus, potestatem habens in cœlis atq; inferis. hinc tot cũ maribus & fœminis stupra commisit, hinc tot cædes & rapinas fecit. hinc tot sacrilega & nefanda conuicia in Deum, ac eius Christum euomuit. hinc innumera alia, genitorem Papam imitatus, omnis generis scelera patrauit. Paulus etiam pontifex nihilosecius impense filium amabat, & ad ipsius amplificationem omne studium conuertit. & quum de flagitijs nonnunquam audiret, non admodum ægre tulisse ferunt, sed quasi subridendo, consueuisse dicere, hæc illum uitia non se cõmonstratore didicisse. Vnde qui illum tum demum interfecerãt, corpus exanime cathena religatum, cum maxima ignominia ex muro suspendebant, & agitatum aliquandiu præcipitabant in fossam. Accurrebat populus, & pugionibus ac pedibus ipsum petebant. tanta erat acerbitas odij.

ROBERTVS BARNES. LXXVI.

ROBERTUS Barnes, in Nordouicensi comitatu, Lynna nõ procul, natus, inter tam uarias hominum factiones, ad Augustinianorum mendicantium sectam, arripiebatur impubes. Iuuenes ætate ac studio pares, licet professione in Antichristi regno diuersi, anno Domini 1514 Cantabrigiæ sophi-

ſophiſtarũ ſcholas frequentauimus. Ipſe nihilominus in re literaria ex ingenij facilitate, multis præcucurrit paſsibus. In theologia ſcholaſtica tandem doctor effectus, percepta ex Lutheri libris Dei ueritate, extẽplò cœpit palæſtrites egregius, cũ mõſtris immaniſsimis cõgredi. Aeterni etenim patris eloquijs armatus, cõſtans ueritatis aſſertor, in Dracone ac Beſtiã fortiter dimicabat, eorũq́ʒ ſubuertit caſtra. Sed ſtatim à ferocientibus imperij Babylonici miniſtris, ad tribunal raptus anno Chriſti 1525, in Februario, ac per Lõdinenſem, Roffenſem, Bathonienſem, & Aſaphenſem epiſcopos, ſuper 25 articulis cæremoniarũ damnatus, ad palinodiã ſub Cardinale cogebatur. Sed tertio carcerariæ incluſionis ſuæ anno, diruptis cathenis, in Germaniã ad Lutherum aufugit. Vbi apud eum atq; alios ueræ pietatis amatores, ad aliquot annos ſeruatus, in Angliam denuò reuertebatur. Exinde iuſtitiam fidei in ſolis Chriſti ſeruatoris operationibus, cõtra impios humanorũ operum buccinatores, tam concionib. quàm ſcriptis ſynceriter erigebat, ut antiqui ſerpentis caput eo ſolo ſemine eliderentur. Non poterat igitur Sathan, nouas ei per pſeudopontifices inſidias nõ ſtruere. Sub quibus licet tanquã uictus ſuccumbere ſit uiſus, potenter tamẽ nunc uincit, regnat, atq; condẽnat, iuſtus mortuus, impios uiuentes. Scripſit fideliſsimus diuini uerbi miniſter Latinè ad Henricum octauum Anglorum regem, ex multis authoribus, hiſtoriam eorũ quæ inter Papas & Cęſares ſunt geſta, ut uix alius meliori iudicio poſsit, quam uocabat,

Vitas Romanorum pontificum,	Lib. 1. *Cum intellexiſſem, ſereniſsime rex.*
Sententias ex doctoribus,	Lib. 1. *Sola fides iuſtificat. Abraham.*
Themata ſuarum concionum,	Lib. 1. *Hora eſt iam nos de ſomno ſurg.*

Hæc in idiomate Anglico edidit:

De ſacerdotum coniugio,	Lib. 1. *In diuerſis regionibus uidi &c.*
Supplicationem ad regem,	Lib. 1. *Sereniſsime princeps, ut ſciat.*
De ſua condemnatione,	Lib. 1. *Hic ſequuntur articuli, quos.*
De iuſtificatione fidei,	Lib. 1. *Si tua nunc ſerenitas non ac.*
De eccleſia & membris,	Lib. 1. *Eccleſiæ nomen à longo iam temp.*
De clauibus eccleſiæ,	Lib. 1. *Hanc diſcutere cauſam, ſcholaſt.*
De ſeruo hominis arbitrio,	Lib. 1. *Nolumus in hoc articulo diſput.*
Licere Scripturas legere,	Lib. 1. *Manifeſtiori ſigno nequit ſciri.*
De conſtitutionibus humanis,	Lib. 1. *Ad iſtum articulum expedit notar.*
Pro utraq; ſacramenti ſpecie,	Lib. 1. *Si diuinis ſcripturis hæſiſſent.*
Sanctos non eſſe inuocandos,	Lib. 1. *Si ueram in Chriſto fidem haberent.*
Indicem, ex dictis patrum,	Lib. 1. *Addidi, Chriſtiane lector, indices.*
De eccleſia, ad Morum,	Lib. 1. *In primo libro manifeſtaui, quo.*
De iuriſdictionum abuſu,	Lib. 1.
De rebus Eccleſiæ,	Lib. 1.

Atq; alia quædam. Iſtum cum duobus ſocijs theologis, Guilhelmo Hierome, & Thoma Garret, nõ puduit Londini crudeliſsimam pro Chriſti nomine incendij mortẽ oppetere, ſub Stephani Vuintonienſis & cõſimilium Antichriſtorum tyrannide, anno à Chriſti natiuitate 1540, die 30 Iulij, nulla cauſa adhuc data, niſi quòd fuerit ſtrenuus Euangelij profeſſor. *De quo ſunt* editi uerſus:

Hic uoce ac ſcriptis, miſeros cœleſtia Chriſti
Mortales docuit iuſſa tenere Dei.
Hic docuit nugas hominum contemnere prorſus,

Tota in queis mundi spesq; fidesq; fuit.
Et bene quod docuit, uiuus testatus abunde est,
Exilio, uinclis, sanguine, morte sua.
Vtraq; doctrina est sublato authore superstes:
Tollere fraus, uis, fax, quam nequit ulla Papae.

THOMAS ELIOTA. LXXVII.

THomas Eliota, armatæ militiæ auratus eques, uir nobilis ac doctus, Latinæ etiam ac Græcæ linguarum peritus, in Sudouolgiæ comitatu, ut à fide dignis accepi, ex patre Ricardo Eliota, eiusdem ordinis uiro, originem duxit. Post imbibitas artes liberales, ne in otio malo, ut de se scribit, pernicioso'ue negotio uitam infirmaret, ut quoq; aliqua ex parte, de Anglica republica bene meritus esse uideretur, alijs rebus omnibus neglectis, quæ tum opes maximas tum summas dignitates polliceri soleant, id oneris assumpsit, quo tum literas Latinas scire cupientes facilius instrueret: tum eisdem literis mediocriter imbutos, uaria uerborum supellectili, multiplici'que rerum cognitione, ad studium capescendum acrius incitaret. Idipsumq; ex altera parte fecit in re Medica, pro tuenda corporum ualetudine: atque tum demum in historiarum antiquitatibus, ad proximorum & conterraneorum suorum utilitatem non modicam. In diuersis namq; terris ille studuerat, & ex authoribus Græcis ac Latinis plura fideliter transtulit. Comparatis postremò authoribus undique bonis, Grammaticis, Rhetoribus, Poetis, Philosophis, Medicis, Cosmographis, & Historicis, edidit inter cætera, ad illustrissimum Anglorum regem Henricum octauum,

Bibliothecam dictionariam,	Lib.1. *Præclarus philosophus Plutarchus.*
Castellum sanitatis,	Lib.4. *Galenus excellentissimus Medicus.*
Sapientiæ dialogos,	Lib.5. *Deus, cui omnia corda sunt aperta.*
Pro puerorum educatione,	Lib.1.
Defensorium bonarum mulierum,	Lib.1. *Postquam diligentia quadam perlegissem.*
Gubernatorem,	Lib.3. *Nuper considerans excellentiam.*
Imaginem gubernationis,	Lib.1. *Dum à diebus aliquot, inter.*
Flores sapientiæ,	Lib.1.
Conuiuium sapientiæ,	Lib.1.
De rebus Angliæ memorabilibus,	Lib.1.
Opus aliud imperfectum,	Lib.1.

In Anglicam linguam transtulit,

Doctrinale principum,	*Lib.1.*
Sermones Cypriani,	*Lib.1.*
Picum de uita Christiana,	*Lib.1.*
Pasquilli dialogum,	*Lib.1.*

Aliaq; fecit multa. In laude huius scriptoris immorari non est necesse, quum ipsum opera satis cõmendet. Obijt anno à Christi incarnatione 1546, dieq; 25 Martij, Carletonæ in suæ ditionis ecclesia sepultus, & in comitatu Cantabrigiæ, sub prædicto rege Henrico octauo.

EDVVARDVS LEVS. LXXVIII.

EDvuardus Læus, ab ipsa adolescentia Latinè & Græcè doctus, sed rhetoricans sophista, diuini uerbi ueritatem semper, à Dialecticorum syllogismis

logismis ac philosophorum argutijs æstimabat. Non inexpertus omnino hæc loquor, ut ex sequentibus abundè patebit. Porrò aduersus Erasmum ipsum Roterodamum, cum ille sua purgatiori lima scripturas ornaret, plura moliebatur, homo ad lites & contentiones natus. Trecentos etenim locos in noui Testamenti uersione taxabat, uerè asinus ad lyrā: præter fanaticas in eiusdem Annotationes rixas. Quibus ita tribus ab Erasmo apologijs est responsum, ut eius Inuectiua, à probis & doctis, opus sine mente, sine fronte, sine literis, ac sine omni dote humana tunc sit iudicatū. Vnde complures eruditi, ut Euricius Cordus, Vlrichus Huttenus, & alij, epigrāmata in ipsum, quasi in delirantē simiam ediderunt. Fuit tandē nihilominus Henrico octauo Anglorū regi à distribuendis eleemosynis, ac nouissimè Eboracensis archiepiscopus. Quum uerò & ego adhuc in ipsa Babylone uersarer, & in quibusdam concionibus Doncastriæ damnarem impiam illam, & sine scripturæ authoritate, mortuorum sanctorum tum adorationem tum inuocationem, citatus corā ipso atq; eius doctoribus comparui, & super obiectis septem articulis satisfeci. Inter quos & illud Pauli ad Timotheum: Vnus mediator Dei & hominū Christus, &c. pro uno positus fuit, simulq; hæreticus iudicatus: tam erat eloquiorum Dei gnarus noster archiepiscopus. Plus authoritatis bestia tribuit uni ex suo Scoto uel Longobardo distinctioni, quam casu inter loquendum adduxeram, quàm omnibus Scripturæ sacræ testimonijs. Non equidem sine magno Dei miraculo manus euasi tam sanguinolenti carnificis. Deprompsit ille inter ocia literaria ex fanatici ingenij promptuario,

Super Annotationes Erasmi,	Lib. 1. *En nunc demum habes Desideri.*
Inuectiuam in eius uersiones,	Lib. 1.
Reprehensiones in eundem Erasmū,	Lib. 1.
Epistolas sexcentas,	Lib. 1.
Exhibita consilio Cæsareo,	Lib. 1.
Epicedia clarorum uirorum,	Lib. 1.

Atq; eius generis alia nonnulla composuisse fertur. Veruntamen eorum titulos huc usq; non uidi. Obijt mortem anno à Salutis nostræ initio 1544, post multas legationes, & Eboraci in sua cathedrali synagoga sepelitur, sub rege Henrico octauo.

ANNA ASKEVVE. LXXIX.

ANna Askevue, præclari generis iuuencula, eleganti forma & ingenio prædita, in Lincolniensi comitatu Guilhelmū Askevue, nobilem equestris ordinis uirū, genitorem habuit. fide tamen quàm sanguine illa nobilior, ut Cecilia sancta, Euangelium Christi sacrum, feruenti suo gerebat in pectore: ut ei id esset salutis propugnaculum, aduersus omnem diaboli in regno Papistico synagogam. Nam anno ætatis suæ 25, cordatissima hæc fœmina, & in Christi confessione ardens tota, cum eiusdem synagogæ ferocibus satrapis, fortissimè bis confligebat. ut qui ex Eusebij lectione Blandinam in primitiua ecclesia nouerint, & hanc ipsam apertissimè contemplari possint. Fœlix enim ac sancta hæc mulier, fide sexum mirabiliter uincens, pro diuini uerbi ueritate, ac uera Dei gloria, aduersus Papisticæ missæ idololatrias, inuictissimo pertulit animo: superbissimorum tyrannorum improperia, despectiones, carceres, tormenta, imò mortem ignominiosam innocentissimo eius corpori illatam. Insigniter proculdubio in ea triumphauit CHRISTVS, dum inter quæstiones, ruptis

ad sanguinis effusionem usque uenis, carnificum, qui eius (res inaudita) & iudices & tortores erãt, immanitatẽ irrisit, in carcere post tormenta cecinit, & in ignis medio cũ socijs Ioanne Lacels generoso, Nicolao Belenian sacrificulo, & Ioanne Adlam sartore, æternum laudauit Dominũ. Scripsit hæc Anna in Anglico sermone & propria manu,

Examinationum suarum, Lib. 1. *Vt uestræ sit expectationi satis.*
Super ultimo suo conflictu, Lib. 1. *Percipio, amice in Christo chare.*

Hos ego libellos prefationibus ac scholijs prolixiorib. illustraui. Cantiones quoq; plures hæc edidit. Londini inter flammas uitæ finem accepit, anno nati Seruatoris Iesu 1546, & die 16 Iulij, nubibus miraculose, ut in quorũdam martyrum passionibus, sonitum tribuentibus.

De constantia Ioannis Lacels.

In pœnis etenim, quas detestabilis ætas
Illa dabat nostris, si quos titubare uidebat,
Mox aderat reuocans animos, & pectora uerbis
Grandibus attollens, non clàm, sed uocis apertæ
Fulmine, & ut Tragicis mos est, clamoribus altis
Ante ipsos etiam circo admirante tyrannos.

HENRICVS OCTAVVS REX. LXXX.

Henricus Octauus, Anglorum rex, omnium florentissimus, Henrici septimi & Elisabethæ reginæ filius, cumulatissimè res eas habebat adhuc iuuenis, quas diuus Plato requirit in cuiusque ciuitatis principe, naturę bonitatem atque educationem rectam. Scripta eius in Lutherum olim, pro regno Papistico, cum Erasmo non approbamus: qui in una epistola ad Ricardum Pacæum, profusis ob eas editiones laudibus illum cumulat, & ad astra eleuat usq;: in altera uerò ad Frãciscum Chiregattum, statim sequente, uituperat, atque inter obscuros & indoctos connumerat. Illiterati, inquit, ferè omnes sunt, qui hic clamitant in Lutherum, & qui, ut ipsis uidetur, defendunt sedem Romanam. Sed de ipso potius hoc ausim asserere, ex Paulo, quod cum adhuc esset paruulus, ut puer loquebatur, ut puer sapiebat & cogitabat. At postea uir factus, & in Christo grandescens, puerilia ipsa deleuit: utinamq; ad summam in ipso maturitatem ille peruenisset. Vtinam uiuum Dei uerbum in sua puritate, sine Pharisæorum fermento, plenè suscepisset. Vtinam Antichristi mercatores omnes ex ipsius Dei templo, cum Iudaicis eorum cęremonijs eiecisset. Romani pontificis authoritatem omnem è suis finibus pepulit, & ut nocentissimam pestem atque Antichristum ipsum, in publicis precibus auersatus est: doctrinam eius nihilominus in rebus etiam maximis admisit. Sordidissimorum Papistarum & Romanensium Priaporum superstitiones infregit, imposturas detexit, luxurias patefecit, tyrannides restrinxit, idololatrias, blasphemias & sectas comminuit. Literas instaurauit, Euangelium reduxit, pietatem promouit, fidem'que renouauit, atque omnia Christiani principis officia præstitit: fæces tamen contagiosas, Gardinero, Bonero, & Tunstallo pseudoepiscopis persuasoribus, retinebat. Vnde Latinis etiam characteribus Papisticè primum congessit, ad Leonem decimum pontificem Romanum,

Assertionem sacramentorum, Lib. 1. *Quum partim bellicis, partim.*
Ad epistolam Lutheri, Lib. 1. *Quas tu Luthere literas ad.*

Christiani

Christiani hominis institutionem,	*Lib.1.Cum in hoc libello, qui uulgi.*
De potestate regia, contra Papam,	*Lib.1.*
Pro pube instituenda,	*Lib.1.Henricus octauus per Dei gratiam.*
Sententiam de Mantuano concilio,	*Lib.1. Cum orbi penè testatißimum sit.*
De iusto bello in Scotos,	*Lib.1.Prouocati iamiam ad bellum.*
Leges & statuta quædam,	*Lib.1.*
Ad Maximilianum Cæsarem,	*Epist.1.Legimus literas sacratißimæ ma.*
Ad duces Saxoniæ,	*Epist.1.*
Ad Cardinales,	*Epist.plur.*
De synodo Vicentina,	*Epist.1.*
Ad Erasmum Roterodamum,	*Epist.1.*

Cætera eius scripta non uidi. De hoc illustrissimo rege scribant alij quod uelint: ego certè id ei honoris post Deum meum debeo, quod fuerim, ut spero, Euangelij regni Dei primùm per eius administrationem particeps. Ex hac uita migrauit anno à Christi Seruatoris ortu 1547, ætatis suæ 57, & regni 38, die autem 27 Ianuarij: Vuindesoræ sepultus, relicto ex regina Ioanna, Eduuardo regni hærede.

IOANNES LELANDVS. LXXXI.

Bayle Dict. Cambdeni vita T. Smitho. Lond. 169[illegible] 4to p. 29

IOannes Lelandus, Antiquarius, inclytę Londinensis urbis indigena, omnium quos præterita ætate Brytannia nutriuit, rerum suarum studiosissimus, patriam omnem exquisitissimis laboribus adornauit. De eius ingenij & doctrinæ amplitudine, non est quod hic dicam, quum opuscula plura, tam prosa quàm carmine ab ipso fœliciter edita, in omni disciplinarum genere Græcè & Latinè, atque in multis alijs linguis eruditissimum fuisse testentur. Sub Syluio quodam, Lutetiæ Parisiorum studuit: & alibi locorum, sub præceptoribus semper optimis. Antiquitatis Brytannicę feruidus amator, ac diligentissimus perscrutator, uetera totius insulæ monumenta, magna ubique industria & cura perlustrauit, ac quasi ex silice flammam disquisiuit, ut ipsam illustraret. Incognita locorum & rerum ex nimia uetustate uocabula prima, per antiquos ac fide dignos authores reuocauit: & quo facilius intelligerentur, tam originalibus quàm nunc usitatis explicuit illa nominibus. Exoletos seu ab usu remotos, atque adeò in obliuione penè sepultos, Brytannicos authores, hic solus resuscitauit, ut dignam haberent ex splendidis factis & ipsi memoriam. Nihil præterea omisit, ex aliarum nationum scriptis aut linguis, quod ad natalis soli ornamentum quo quo modo faceret: quasi ad cõmunem eius tum commodum tum decorem fuerit natus. Composuit uerò Lelandus, adhuc adolescens, Musarum amore flagrans,

Encomiasticon,	*Lib.1.*
Sales & iocos,	*Lib.1.*
In declamationes Quintiliani,	*Lib.1. Video quàm arduam rem aggrediar.*
Panegyricon ad Cardinalem,	*Lib.1.Dicturo de tuis laudibus amplißi.*
In coronatione Annæ,	*Lib.1.Cæsariem Tamesis redimitus.*
Epigrammata quædam,	*Lib.2.Dulcia quæ uasto meditaris.*
Funebre carmen,	*Lib.1.*
Cygneam cantionem,	*Lib.1.Tanta est tui nominis cum cele.*
Commentarios in eandem,	*Lib.1. Conqueritur studiosorum chorus mul.*
Genethliacon Eduuardi princ.	*Lib.1. Scripsimus Eduuardi natalem pri,*

Syllabum

Syllabum antiquarum dictionum, Lib.1. Abrefraum, Brytannicè Aberfrau.
Commentarios in Martialem, Lib.1.
Assertionem Arturij regis, Lib.1. Cura semper meritò maxima.
Elenchum antiquorum nominum, Lib.1. Abrinus, ab Abro Brytannico uoca.
Nænias in mortem Thom. Viati, Lib.1. Accipe regnorum comes illustriss.
Bononiam Gallomastigen, Lib.1. Maxima nuper erat clarus.
Itinerarium Cantiæ, ad Hen. Lib.1.
Ad Henricum regem de suo itinere, Lib.1. Vbi tuæ celsitudini uisum fuerit.
Laudationem pacis, Lib.1. Martia bella canant alij, gladiosq;.
Antiquitates Brytanniæ, Lib.1. Ex primo libro antiquitatum Bero.
Descriptionem Angliæ, Lib.1. Hæc pars tenui freto ab occident.
Historiam uniuersalem, Lib.50.
De uiris illustribus, Lib.4. Druidæ genus hominum tum antiquit.
Errores ex Polydoro, Lib.1. Beda, ignarus antiquitatis Brytan.
Ex Hectore Boetio, Lib.1. Ioannes à uado boum, unus ex script.
De titulo regis ad Scotiam, Lib.1. Lucis natura talis est, quod.
Dictionarium Brytannicolatinum, Lib.1.
Pygmeomachiam, Lib.1. Bella per extremas canimus.
Ad Annam Cliuensem, Lib.1. Vt Libano cedrus fœcundo.
De sua peregrinatione, Lib.1. A' Granta Giruiorum ad Eltislegam.
Collectanea eiusdem, Lib.1. Ioannes Rouuse, capellanus Cant.
De pontificibus Brytanniæ, Lib.1.
Ad uiros eruditos, Lib.1. Regia cum lætis floreret Roma.
Antiphilarchiæ dialogum, Lib.1. Quis hic est? quem propter amœnas.
Pro pace inter Papam & Cæsarē, Lib.1. Non uideor mihi non citra.
Contra Polydori defensorem, Lib.1. Multi se credunt insigniter.
De insulis Brytanniæ, Lib.6.
De imperio Anglorum in Scotos, Lib.1. Giraldus in institutione princip.
De nobilitate Brytannica, Lib.3.
Vitam Sigeberti regis, Lib.1.
De academijs Brytannicis, Lib.1.
De origine & incremento literarū, Lib.1.
Epitaphiorum multorum, Lib.1.
Antiphilarchiam in Pighium, Lib.1.
De topographia Brytanniæ, Lib.1.
De uetustis nominibus, Lib.1.

[handwritten margin note, partly illegible] Anglia Sacra Vol. 1. Præf. p. 14.

Atq; alia multa. Quod ex subita mentis deturbatione, cerebri uitio, furore, tristitia, uel alio quocunq; immoderato animi affectu, in amentiā aut phrenesim inciderit, lugere certè debet, quisquis patriæ studium inter uirtutes connumerat. Obijt Londini, uir (ut Sigismundus Gelenius scribit) fœliciori ualetudine dignus, anno salutis nostræ 1552, die 18 Aprilis, sub rege Eduuardo sexto. Non modicam huius operis partem ex hoc authore desumpsi. De quo sic scribitur:

Quantum Rhenano debet Germania docto,
Tantum debebit terra Brytanna mihi.
Ille suæ gentis ritus & nomina prisca,
Aestiuo fecit lucidiora die:
Ipse antiquarum rerum quoq; magnus amator,
Ornabo patriæ lumina clara meæ.

Quæ cum prodierint niueis inscripta tabellis,
Testes tum nostræ sedulitatis erunt.

EDVVARDVS SEXTVS, ANGLORVM REX. LXXXII.

EDuuardus Sextus, Anglorum rex, Henrici octaui illustrissimi regis ex Ioanna Semeria, tertia eius coniuge, illustrissimus filius, ab ipsis incunabulis Latinæ & Græcę eloquentię ac artibus bonis, sub selectissimis prę ceptoribus operam nauauit. Quem uerò ex alacri & expedita in literis diligentia sit fructum cõsecutus admirandæ indolis adolescens, scripta illius ac dicta plus quàm Salomonica, in ætate tam tenera, satis adhuc indicãt. Non ergo nos decet, cognitam tanti principis eruditionem, crasso silentij obducere uelo: me saltem, quem, licet indignissimum, tanto sit fauore dignatus, tamq; munificis cumulauerit donis. Sed ne solus aut ex affectione in eius laudem dixisse uidear, Ioannis Sleidani, dignissimi nostræ tempestatis historiographi, in 18 libro De statu religionis ac reipublicę, testimoniũ adducam. Filium Edvuardum, inquit, ab ineũte ætate rectè curauerat Henricus Anglorum rex erudiri: & moriturus, ei constituit tutores aliquot: atque in his Edvuardum ducem Somersetensem, adolescentis auunculũ, quòd maximè fidelis ei futurus crederetur. Is Euãgelij doctrinã amabat, & ut ea reciperetur operam dabat, atque eius amplectendæ regi alumno suo fuit author. In eoq; socium & adiutorem habebat in primis Thomam Cranmerũ, archiepiscopum Cantuariensem, insigni doctrina præditum uirum, & Angliæ primatem. Et libro 25: Certè, inquit, tantæ regem expectationis, Europa seculis nunc aliquot nullum habuit. Inde à teneris annis optimè formatus & institutus ad pietatem atq; literas, non Latinam modò, sed Græcam & Gallicam quoq; linguam nouerat. Et Euangelij doctrinam uehementer amabat, ac doctis omnibus hospitium dabat atq; patrocinium, Germanis, Italis, Gallis, Scotis, Hispanis, Polonis, &c. Plurima enim hic noster Edvuardus, licet adolescẽs, sæpe & dixit & fecit, quæ singularem Dei electionem in illo copiose testificabantur: ita ut (Bibliandro teste) ex cordatis hominibus multi crediderint, ipsum, tanquã Salomonem alterum, ad sapientiam ac uirtutem è throno cœlesti ueniente adspirasse. Optimum inde principem expectabant omnes, & qui superiorũ regum uirtutes relaturus esset absq; neuis, tituloq; sanctissimo responsurus, Catholicę fidei defensoris: ita ut de eo dici potuerit illud ex Mantuano,

Naturæ bonitate puer, studioq; parentum,
Sic formatus erat, tenerisq; affectus ab annis,
Vt meritò credi posset mens illa Tonantis
Fabrefacta manu, cœloq; egressa uideri.
Iusticia, & ueros comitans clementia reges,
Relligio & pietas, ac magnificentia, uirtus
Quæ facit heroes, nunquam discessit ab illo.

Accepi autem & ego à fide dignissimis, cum illi ex consuetudine oblati essent eo die quo coronabatur in regem, tres gladij, in signum quòd esset trium potentissimorum regnorum, Angliæ, Franciæ, & Hyberniæ monarcha: quòd tandem dixerit, deesse adhuc unum. Et cum interrogassent principes, quis nam ille sit? Respondit, esse sacrorum Bibliorum uolumen. Ille liber, inquit, gladius spiritus est, & gladijs his omnibus longè anteferẽdus. Ille etiam nobis ipsis, qui his ad populi salutẽ Domino disponente utemur, meritò præesse debet. Sine illo gladio nihil sumus, nihil possumus, nihil po

testatis habemus. Ab illo sumus, quicquid hodierna die sumus: ab illo accipimus, quicquid est quod ad præsens assumim⁹. Sine illo qui regit, nec Dei minister, nec rex appellandus est. Sub eo nos uiuere, militare, gentes regere, ac res nostras omnes agere decet. Ab eo solo potestatem omnem, uirtutem, gratiam, salutem,, ac quicquid diuini roboris est, cōsequimur. Cum uerò hæc & his similia dixisset plura, iussit sacrorum Bibliorum uolumē cum maxima ueneratione ante se ferri. Pulcherrima certè initia hæc erant, & Christiano principe digna. In cæteris actionibus suis, Iosiæ sanctissimi Israelitarum regis indolem unicè referebat. Cum namq; benignissimus princeps præter ætatem religiosus esset, à fœdis erroribus ac Papismi turpitudine regni sui ciuitates purgabat. Librum legis Domini, nempe Bibliorum salubre opus restaurauit, Scripturas sacras publicari mandauit, & uerũ Dei cultum profligatis superstitionibus reuocauit. Baalitarum uasa, calices, scyphos, thuribula, proiecit ex templis. Deleuit haruspices, qui adolebant incensum idolis. Solis equos cum curru in suburbijs confregit, seu processiones, ut uocant, cum crucibus, facibus, uexillis, & pyxidiculis in plateis, abo leuit. Destruxit ædiculas effœminatorum, ganeas extirpauit, aras portarũ diruit, statuas contriuit, lucos succidit, altaria fregit, peregrinas cantiones & non intellectas demurmurationes abrogauit. Exorcisatores et uerticerasos gradu deiecit, missatores ac sacrificulos exauctorauit, adhalatores in panes & calices, uel artolatras depriuauit cum uestibus, gestibus, cappis, candelabris, geniculationibus, inclinationibus, cōmigrationibus, clamoribus, silentijs, suspirationibus, eleuationibus, dormitionibus, expergefactionibus, fumigationibus, cæreis, sacrificijs, salibus, cineribus, palmis, sputis, & alijs Antichristi ac diaboli nugis: abominationesq; Papisticas omnes, ac stercoreos deos, de uniuersis regni sui finibus abstulit, & uerũ Domini Pascha in populo suo tum demum restituit: ita ut non fuerit illi in Anglia (ut de Iosia 4 Reg. 23 scribitur) similis ante eum rex ullus, qui reuerteretur ad Dominũ in omni corde suo: neque post eum erit. Vnde ne alienus sit Eduuardus à nostri operis scopo, scripsisse illum reperi comœdiam,

De meretrice Babylonica, *Lib. 1. Quid deplorandum magis est mortal.*
Ex auditis concionibus, *Lib. 1.*

Atq; alia quædam. Maximi thesauri loco seruabat collectiones illas, quas inter cōcionandum exarare solebat. Studijs namq; deditus totus erat, nec ludicra curabat puer. Cum alij lusum irent, ille literis incumbebat. Et in demigrationibus ab uno in alium locum, libros quos chariores habebat, ille solus curabat, disponebat, suffarcinabat. Sextodecimo ætatis suæ anno, & sexto die Iulij, è uita decessit sanctissimus rex, anno à Christi natiuitate 1553, tabifico morbo, uel (ut fama est) ueneno sublatus: at Hieremiæ luctu plorandus. Post eius mortem sequebatˋ in Anglia, excidiũ uerę ecclesię plusquam Chaldaicum, sæuiētibus papistis ac diabolis. Nam dijs alienis nondum ualedixit pręsens hoc seculum. Innoxium sanguinem effundere indies pergit. *Sed quum Dominus nostrarum calamitatum ac peccatorum fuerit misertus:* Ierobohami, Iezabeles, Achabi, Manassæ, Caiphæ, Nerones, & tota ty*rannorum colluuies, tanquam uas figuli conterentur,* & ut platearũ lutum delebuntur, calcabunturq;.

EPITAPHIVM PRAEDICTI REGIS EDVVARDI, AVthore Ioanne Parkhursto Anglo.

Cum mors Eduardum rapuisset liuida regem,

Iunxisset

Iunxisset superis cum Deus huncq; choris:
Iosias adit, amplexatur, eumq; salutans,
Sic ait: O' salue frater, & alter ego.

Aliud:

Rex, regis natus, regum decus, unica regni
Spesq; salus sui, conditur hoc tumulo.

Ad Bibliandrum.

Rex bonus est, quisquis bene se regit, imperiumq;:
Qui malè, non dignus nomine regis erit.
Eduuardus bene se rexit: regnumq; lubenter
Recturus melius, si licuisset, erat.

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΝ, ΕΙΣ ΤΟΝ ΕΔΟΥαρδον ἕκτον βασιλέα τῶν ἀγγλῶν λαμπρότατον καὶ ὁσιότατον, τοῦ Νικολάου κηρυλίου χειροφίλου.

Ἕκτος Ἐδουάρδος βασιλεὺς νέος, οὐρανίου δὲ
πνεύματος οὐρανίαις ὃς σελάγιζε βολαῖς,
ἦν ζόφον ἐν λαῷ θεοκλήτῳ πάντα καθαίρων,
καὶ χριστοῦ φάεος τὰς ἀνέῳγε θύρας.
ἀπροΐδην φᾶναι λαμπρῶς ποίησεν ἐν ἀγγλοῖς
πίστιν τ' οὐρανίην, πνευματικόν τε λόγον.
καὶ τὸν ἀντιποπόδων ἱδρῶν ἐξήλασε πάππαν,
πρωτότοκον δὲ κακὸν πνεύματος ὄντα κακοῦ.
ἦν τότε πᾶσι μέλουσα βροτοῖς γαιήοχος αἴγλη,
αἴγλη ἡ ἐν μύθῳ τοῦ σελάγιζε θεοῦ.
ὀψιφανὴ ἵνα πάντες ἔχοιεν ἀτέρμονα πίστιν
μῦθος κηρύκων πᾶσιν ἄκουστος ἔην.
κοίρανος ἀθανάτοιο βίου ἦν ταῦτα ποιήσας,
ἄξιος ἀλλ' αὐτῷ ἦν βίος ὠκυπέτης.
ἀλλὰ βιοῖο κλέος μὲν ὑπὲρ βίον ἐστὶ ταχίσου,
οὐ βίος ἐν χριστῷ ἦν κρύφιος μεγάλῳ.
παντοδαπὰς οὗτος παῖς θεῖος ἐμάνθανε γλώσσας
παντοδαπὴν διδαχήν, παντοδαπάς τ' ἀρετάς.
λαμπροτάτην τὴν ἐν θανάτῳ δωρήσατο φωνὴν
μάρτυρα τοῦ χριστοῦ ἀθανάτοιο θεοῦ.
νῦν δὲ λιπὼν γαίην κεινὴν νοῦς οὐρανίων γε
ἐς λαμπρὸν φέρεται τὸν χορὸν εὐσεβέων.

APPENDIX.

Ex quadam uersione Valerandi Pollani: Precatio sanctissimi huius regis, quam meditabundus, clausis oculis, paulo antè quàm ageret animã, fudit ad Deum: O' Domine Deus, eripe me ex hac misera & molestissima uita, atq; in cœtum electorum tuorum recipias. Attamen, non quod uolo, sed tua solius uoluntas fiat. O' Domine, tibi animam meam commendo. Tu Domine nosti, quàm fœlix ac beata foret mea conditio, si tecum essem. Sed in gratiam electorum tuorum, serua hanc uitam, meq; pristinæ sanitati restituito: ut possim fideliter tibi inseruire. Ah mi Domine, benignus et propitius esto populo tuo, ac hæreditarium tuum regnum serua. Ah Domine Deus, serua electum populũ tuum Angliæ. Ah mi Domine Deus, tuere hoc regnum, atq; ab eo Papismum prohibeto: & ueram religionem, ac purum nominis tui cultum defendito: quo ualeamus ego & populus meus laudare ac celebrare sacrosanctum nomẽ tuum: Amen. Post tres horas animam Deo reddidit, cum his uerbis, et breui precatiuncula: Iam mihi deficiunt uires. O Domine miserere mei, atq; hanc animam accipito. Orationem hanc, & uerba nouissima regis iuuenis (quo sanctiorem principem natum mundus non uidit) ideo

dit) ideo hic adiecimus, amice lector, ut pietatē iuuenis regis intuerere. Et simul hoc considerares, quàm illi fuerit cordi salus populi, et uera religio Christi. Obseruaui ego saepe eius maiestatē in precibus, ad hanc ministrorum precem (ò lorde saue thy people) id est, O Domine, saluum fac populum tuum, illum passis manibus, & oculis in coelum subleuatis, eandem orare. Deniq; ex his eius postremis uerbis intelliges, Spiritum sanctum iam praenunciasse has Satanae & Antichristi serui eius insidias, & impressiones in ueram ecclesiam Dei. De quo poeta quidam:

Christus & in coelis, Christus regit omnia terris,
Imperium solus cum patre Christus habet.
Quid igitur Papam iactat Romana tyrannis?
Atq; hunc uult mundi totius esse caput?
Est caput ex septem, quae picta est mystica uati,
Tartareae denis cornibus apta ferae.

IOANNES ROGERS. LXXXIII.

IOannes Rogers, in Lancastriensi patria, ut fertur, natus, post prima bonarum literarum studia Cantabrigiae, permisit se fieri per tonsuram & unctionem, sacrificulum missariū: cum adhuc ignoraret, mercaturae officium illud esse, in regno filij perditi. Sed cum postea per salutiferam Christi doctrinam id clarè intelligeret, excusso tam impiarum imposturarum iugo, Deum uera pietate, iuxta sacrosanctas eius praescriptiones coluit. Vuitenbergiae inde ad aliquot annos cōmoratus, multo esse coepit eruditior, in diuinis illis scripturarum sanctarum mysterijs: contulitq; industriam totam his in natiua regione propagandis. Grande Bibliorum opus, Tindalum sequutus, à uertice ad calcem, à primo Geneseos ad ultimum Apocalypseos uocabulum, perlustratis Hebraeorū, Graecorū, Latinorum, Germanorum & Anglorum exemplaribus, fidelissimè in idioma uulgare trāstulit. Quod opus laboriosum, excellens, salubre, pium ac sanctissimū, adiūctis ex Martino Luthero praefationibus & annotationibus utilissimis, Henrico octauo Anglorum regi, sub nomine Thomae Mathevu epistola praefixa, dedicauit. Ex authoribus etiam diuersis, uidelicet Ioanne Carione, Sebastiano Francko, Sebastiano Munstero, Gaspare Hedione, Huldricho Mutio, & alijs, pro faciliori scripturarum ac temporū ratione, conflauisse dicitur in Anglico sermone,

Historiam à condito mundo,	Lib. 1.
Indices Bibliorum,	Lib. 1. *Abominatio coram Deo sunt idola.*
Aduersus Interim,	Lib. 1. *Quia magno dolore saepius au.*
Conciones per annum,	Lib. 1.
In Euangelium Ioannis,	Lib. 1.
Lectiones in Paulum,	Lib. 4.
Ad suos paroecianos,	Lib. 1.
Ad filios ex carcere,	Lib. 1.

Transtulit in sermonem uulgarem, praeter Biblia,

Homelias Melanchthonis,	Lib. 1.
Locos communes eiusdem,	Lib. 1.
In Danielem quoq;,	Lib. 1.

Et alia plura Germanorum opuscula. Diu in Germania ille floruit: & cuiusdam ecclesię in Saxonia superintendēs factus, uerum Dei apostolum se exhibuit. Londini tandem, ubi & sacra docuerat, constantissimus Christi testis exustionem sui corporis pertulit, anno ab eius natali 1555, die 4 Februarij, gaudens quòd posset pro nomine Iesu cōtumeliam & mortem sub Antichristi tyrannide pati.

Sic

Sic miris humana modis attollere corda
Scit Deus, illaqueat tali dulcedine mentes,
Vt tormenta nihil, quamuis durißima, pendant.
Hoc est quod potant inter conuiuia diui
Nectar, hic ambrosiæ suauis liquor ille, beatas
Qui reddit gustando animas. Hæc illa uoluptas,
Sancta, uoluptates uetitas quæ funditùs haurit.

NICOLAVS RIDLEY. LXXXIIII.

NIcolaus Ridley, genere quidem illustris, ac patria Dunelmensis, animi candore & præstanti sacrarum literarũ scientia uir clarus, non modò pietati ab ipsa statim pueritia studebat, uerùm etiam meliores artes excolere cœpit. Quo nomine Cantabrigiensem academiam, literis florentẽ, & in ea Penbrochiense collegium, pro suo petijt studio. Vnde post utriusq; linguæ, Græcæ & Latinæ adeptionẽ, ac scholasticæ cùm philosohiæ tum theologiæ cognitionem summam, doctrinæ & famę precium non leue tulit. Illum igitur post cõciones aliquot, sanctißimus rex Eduuardus sextus, non aliorum interposito fauore, sed suijpsius solùm uirtutibus commendatum, ad Roffensem primò, Londinensem postea episcopatũ aduocauit. Serò ille, uel tanquam nouißimus, undecima hora in uineam seu messem Domini uenit: at non prius, quàm esset summatim uocatus. Et à prima conductionis hora fidelißimus operarius est repertus, atque ob insignem eruditionẽ, ueritatis aduersarijs ualde formidabilis. Aptißimus ergo atq; opportunus fuit, qui spinosas sophistarum et antichristorum uepres ex Christi uinea euelleret. Quod maximè patebat ex disceptationibus et mutuis conferentijs, quæ suo tempore fiebant, ex eius potißimũ scriptis posteritati consecratis. Quorum hæc inter alia superesse noscuntur: scilicet inter ipsum & Hugonem Latimerum, captiuitatis eorum tempore,

Amica collatio, Lib. 1. *Episcopum decet inculpatum esse.*
Contra errorem transubstantiationis, Lib. 1. *Cum duæ res sint, quæ mihi potißimum.*
Disputatio Oxoniensis. Lib. 1. *Nunquam mihi contigit in uniuersa.*
Protestatio in scholis, Lib. 1. *Accepi à uobis, ornatißimi.*
Sententiæ patrum, Lib. 1.
De confringendis altaribus, Lib. 1.
De uera cœna Domini, Lib. 1.
Vltimum eius uale, Lib. 1.

Cætera eius scripta nõ uidi. Hunc demum Oxonij, cum sanctißimo Dei apostolo Latimero, in igne torquebant Antichristi satellites, pontifices, pseudodoctores et hypocritę, anno redemptoris nostri 1555, & die 16 Octobris. Corpora sic torruit Romana tyrannis, & flamma consumpsit: sed animas martyrum, Dei misericordia amplectebatur, in cœlumq; suscepit.

Crudeles pœnas & fata immania passus,
Transijt ad superos, uillas inuitat & urbes.

HVGO LATIMERVS. LXXXV.

HVgo Latimerus, in Leycestriæ comitatu oriundus, Cantabrigiensis gymnasij theologus, & antistes olim Vuigorniesis, non uulgarẽ semper habebat animi propensionem, erga pietatem ac bonas literas: quibus & ipse, cum ingenio mirè dextro præminebat. Nusquã, dum episcopus esset, non egit Christi negotium: nusquam non consuluit gregis sui commodis, fidi medici exemplo, qui nullum remediorum genus non adhibet, quo

in integram sanitatem suos daret patientes. Tandem uerò, ne tanquam canis ad Papismi uomitum, urgentibus Antichristis, in maledicto illo sex articulorum decreto, rediret, atq; illis subscriberet, anno Domini 1539 pontificatum suum, non tamen diuini uerbi ministerium, homo pijssimus deposuit, ac plenè deseruit. Nã ita ab omni Papistico iure solutus, resumptis uiribus, in maiori spiritus libertate quàm prius, Anglicum orbem conabatur ad pristinam Christianæ fidei simplicitatẽ, sacris monitis reuocare, atq; à sordidis lacunis ad uitales illas ac purissimas uiuentium aquarum scatebras reducere. Multo certè dignior est hic noster Latimerus, ex sana prædicatione & uehementi uitiorum reprehensione, Anglorum apostolus dici: quàm Augustinus ille Romanus, Cantuariensis archiepiscopus primus, qui monachatum Papisticum cum suis erroribus introduxit. Quoniam ille præter pontificum traditiones & humana stercora nihil attulit: Latimerus autem, ex purissimo Dei Euangelio, uitæ & salutis æternæ certissimas in Christo promissiones, sine nostris satis factionibus, docuit. Et quas ille superstitiones in hypocrisi plantauerat, hic ueritatis falce resecuit, atque extra Dei uineam proiecit. In Latino sermone inter alia edidit orationẽ eruditã, quam habuit in summo ecclesiasticorum conuentu, antequam iniretur consultatio publica, super mutando regni statu: intitulaturq;,

De reformatione per Euangelium, Lib. 1. *Filij huius seculi prudentiores.*
Sermones 7, coram rege Ed. Lib. 1. *Quæcunq; scripta sunt, ad nostram.*
Contra pestem auaritiæ, Lib. 1. *Videte & cauete ab auaritia.*
Ad suos Leycestrienses, Lib. 1. *Pacem quam seruator noster Christus.*
Ad Ridlæum, contra Missam, Lib. 1.
Ad amicos ex carcere, Lib. 1.

Et alia quædam ex eius ore excepta sunt, atq; in Anglico sermone publicata. Dicitur etiam scripsisse quosdam in Scripturas cõmentarios, sed eos nondum uidi. Oxonij cum prędicto Ridlæo, indubitatus hic Dei apostolus, ob constantissimam Dei assertionem, contra transubstantiationem & alias Papisticarum missarum imposturas, in igne uitam finiuit, anno post Seruatorem natum 1555, & die 16 Octobris. Hos suos electos, tanquam aurũ in fornace probauit Dominus, ut immortalitate sempiterna in cœlestibus coronaret.

De Latimero:

Dumq; ea sic fierent, subitò uelut ultima flamma
Quæ fugit, absumpta penitus face, purior auro
Spiritus in tenues abiens se sustulit auras.
Nunc colit æternum, colet & sublimia mundi
Culmina perpetuæ gradiens per pascua uitæ.

De Ridlæo:

Mortuus in terris, & apud mortalia regna:
Viuus in Elysio, non quod mare circuit undis
Oceanitidibus, quæ Fortunata poetæ
Arua uocant: non quod media telluris in aluo
Dicitur Aeneæ Phœbi monstrasse sacerdos.
Sed neq; lunari quod gens antiqua sub orbe
Aeris in campis posuit: sed quod super altis
Cardinibus mundi fouet alta in pace beatas,
Atq; nihil terrena animas contagia olentes.

IOANNES HOPERVS. LXXXVI.

IOannes Hoperus, terrę Somersetensis alumnus, homo post uariarum rerum notitiam, ad philosophiæ cœlestis reconditam illam cognitionem compositus, eò eruditionis peruenit, ut non solum à suis Anglis, uerùm ab Heluetijs ac Suitensibus immortalẽ acceperit famam. Eius nanq; eruditionis, aliarumq; uirtutum, in quadam epistola meminit Theodorus Biblianđer, ætatis nostræ ornamentum singulare, & magnis ac sanctis negotijs in magna Dei domo occupatum dixit, & suorum literatorum laborum quasi Aristarchum alterum fecit. Hebraicæ enim, Græcæ, ac Latinæ linguæ, eodem Bibliãdro præceptore, peritus, iuxta Christi parabolã in S. Mattheo, nihil non laboris & industriæ impendit, ut margarita frueretur Euangelica, Dei nempe syncera ueritate. Et quo magis alios accenderet ad eius diuinæ ueritatis sitim, quædam Christianæ doctrinæ syntagmata tam uoce quàm scriptis per uniuersam Angliã sparsit. In quibus tam insigniter processit, ut à pijssimo rege Edvuardo sexto, qui patris ludicra & uoluptaria loca in sacrum uerterat usum, pro Dei uerbo prædicando, in palatiũ sit accersitus. Indeq; per eundem regem, episcopus primùm Glocestriensis, postea Vuigorniensis designatus, in utraque functione quod uerbis docuit, exemplis etiam præstitit, uitamq; duxit Christiano præsule dignam. Diaboli sophistriã, quam Stephanus Vuintoniensis pro Missa & alijs regni Papistici mõstris edidit, solidissimis rationibus ac scripturis ad nihilum redegit. Scripsitq; in Anglico sermone ad prædictum regem,

Sermones in Ionam,	Lib.1. *Inter alia regum illustria facta.*
De Christo & eius officio,	Lib.1. *Diuinus ille obtentus & consider.*
Declarationem Dei mandatorum,	Lib.1. *Commendo tuæ charitati ac piæ dil.*
De Christi incarnatione contra Anab.	Lib.1. *Quia ordinatione diuina dispo.*
Contra diaboli sophistriam,	Lib.1. *Liber tuus, domine præsul, cui.*
Varias conciones,	Lib.1.
Confeßionem suæ fidei,	Lib.1.
An fides celari poßit,	Lib.1.
De patientia ad uxorem,	Lib.1.
De perseuerantia Christianorum,	Lib.1.
Vitandos esse pseudoprophetas,	Lib.1.
Ad Vuigornienses & Glocestrios,	Lib.1.
Contra abominationes missæ,	Lib.1.
Aduersus concionem Iacobi Brokes,	Lib.1.
Contra mendacia Thomæ Martini,	Lib.1.
In psalmum, Dominus regit me,	Lib.1.
In Psal. Nónne Deo subiecta,	Lib.1.
In Psal. Quàm bonus Israel Deus,	Lib.1.
In Psal. Voce mea ad Dom.	Lib.1.
In Psal. Leuaui oculos meos,	Lib.1.
Super orationem Dominicam,	Lib.1.
Fidelis uxoris officia,	Lib.1.
De triplici hominis statu,	Lib.1.
Contra Buceri calumniatorem,	Lib.1.
De re eucharistica	Lib.2.
De uera & falsa doctrina,	Lib.1.
Contra obtrectatores diuini uerbi,	Lib.1.

Ad Londinensis Antichristi articulos,	*Lib.1.*
Contra primatum Rom. episcopi,	*Lib.1.*
Apologiam aduersus detrectatores,	*Lib.1.*
Exhortationes ad Christianos,	*Lib.1.*

Latinè etiam ex carcere scripsit:

De pseudodoctrina fugienda,	*Lib.1. Aduersarius humani generis Sathan.*
Ad Parliamentum contra Neotericos,	*Lib.1. Quanquam uiri illustrißimi, cœlestis.*
Pro doctrina cœnæ Dominicæ,	*Lib.1. Ne cuiquam uestrûm fratres, mirũ sit.*
Contra corporalem præsentiam,	*Lib.1. Secundus liber, in quo Neoterici.*
Contra sacrificium Missæ,	*Lib.1. Tertius liber, in quo Neoterici.*
Ad episcopos & synodum Londinensem,	*Epist.1. Non uos latet, uiri doctißimi.*
Ad Glocestrios & Vuigornios,	*Epist.1. Per duos annos & aliquot menses.*
Ad Cardinalem Polum,	*Epist.1. Non eo animo, uir ornatißime.*
Ad Cicestrensem episcopum,	*Epist.1. Pij & boni uiri, præsul amplis.*

Atq; alia cõgeßit plura. Cum quatuor theologis, egregia doctrina uiris, ac pijs concionatoribus, Ioanne Rogero, Laurentio Sandero, Rolando Tailero, & Ioanne Bradfordo, hæreseos Londini damnatus est, circa initiũ Februarij, quòd ad superstitiones Papisticas redire nollet: & eodem mense Glocestriæ exustus sub Romanæ meretricis tyrannide, anno salutis humanæ 1555. Sed in Dei conspectu, preciosa huius sanctissimi martyris mors est.

Multa quoq; in scriptis animi monumenta reliquit,
In quibus effulget diuina scientia dulci
Eloquio, & linguæ cultu decorata Latinæ.

IOANNES BRADFORDVS. LXXXVII.

Ioannes Bradfordus, in Lancastriæ comitatu, & Mancestria uilla, ex honestis parentibus ortus: Londini iuuenis in collegijs Forensium, Anglicarum legum studijs operam dedit, insigniterq; in eisdem profecit. Qui tandem uelut alterum electionis organum, è studio legis ac uacillãtibus huius mundi uoluptatibus, summa Dei prouidentia uocatus, ex semiferino Saulo factus est domesticus ac mansuefactus Paulus, & ex rixoso causidico mitissimus Christi Apostolus. Prædicabat ille Euangelium regni Dei, in magno spiritus feruore, aduersus diaboli & Antichristi eius blasphemias omnes. Reuelauit meretricis magnæ turpitudines atq; impudentias: contumelijsq; illam affecit, ut omnes qui uiderent, ab ea resilirent. Papistarum idolomanias, & abominationes sine numero, in sacrificijs, altaribus, missis, deliramentis, simulachris, insanijs, cœlibatibus fictis, dedicationibus, blaterationibus, exorcismis, thurificationibus, & alijs paganorum fæcibus, in Domini uerbo, ex hominum conscientijs profligauit. Ad præteritorum malorum recordationem, plenamq; & perfectam in unico seruatore Christo fiduciam, cohortatus est omnes, non sine populorum applausu ac gaudio: multasq; Christo, mirabili Dei dono, lucrifecit animas. In fine, corpus innocentissimũ, pro ueritatis testimonio, Antichristi tortoribus tradidit in mortem: spiritum Domino commendans, in spem uitæ æternæ certissimã. Scripsit Bradfordus,

De uera resipiscentia,	*Lib.1.*
De electione Dei,	*Lib.1.*
De malis, ex Missa audita,	*Lib.1.*
De cruce ferenda,	*Lib.1.*
De suis precationibus,	*Lib.1. Cœlestis & omnipotens Deus pater.*

In

In orationem Dominicam, Lib.1.
Super præceptis Decalogi, Lib.1.
De Christi diuinitate, Lib.1.
De cœna Domini, Lib.1.
De suis examinationibus, Lib.1.
Colloquia cum pseudodoctoribus, Lib.1.
Quòd Papa sit Antichristus, Lib.1.
Ad quatuor urbes, Lib.1.
Meditationem mortis, Lib.1.

Transtulit in Anglicum sermonem, Artopœum,

De lege & Euangelio, Lib.1.
Chrysostomum de oratione, Lib.1.
Locos communes Melanchthonis, Lib.1.

Et alios tractatus minutulos. Sæuiētibus filij perditi crudelibus ministris, mitratis, unctis & rasis, mirabili constantia sui corporis concremationem Londini, cum altero socio subijt, anno diuinę gratiæ in Christo reuelatę 1555, primo die Iulij. Sic probat electos per ignē Dominus, & quasi holocausti hostiam accipit, ut demum æternus sit eorum respectus.

Aeternum, dixit, mea uiscera sancta ualete.
His dictis alacri tantam prætendere uultu
Lætitiam, & tanta uisus clarescere luce est,
Vt iam cum superis uersari & uiuere credi
Posset, & ante Deum mutata assistere uita.

APPENDIX.

Et Pantaleone, Vergerio, Sleidano, & alijs ætatis nostræ scriptoribus: Anno Domini 1550. Iulius tertius, Rom. Pontifex, Ioannes Maria de Monte ante Papatum dictus, & patria Aretinus, post Cardinalium multas ac diuturnas disceptationes, septimo die Februarij, Romæ maximo triumpho salutabatur. Et quia nouus Pontifex, galerum suum Cardinalitium, cuicunq; uoluerit, ex antiqua consuetudine largiri potest, Innocentium quendam adolescētem, quem olim in delicijs habuerat, dum esset Bononiæ legatus, in Cardinalium numerum adoptauit (quamuis reliqui illud factū improbarent, imò reclamarent) & in domesticam consuetudinem (tam cœlibes sunt rasi) rursus admisit. Romæ fama erat, & libellis quoq; perscriptum fuit, à Ioue Ganymedem foueri, licet deformem. Atq; hoc nec ipse pōtifex dissimulare (proh nefas) sed per iocum fertur aliquando cōmemorare solitus, quàm fuisset lasciuus adolescēs et importunus, Prænestinus (ut dicūt) episcopus Cardinalis, et suus Innocētius. Dum in cōclaui res ageretur de hoc Iulio creando, interceptæ fuerunt literæ, quas ex Cardinalis Mantuani familiaribus quidam, Camillus Oliuus, ad quendam suum Hannibalem Continum, Ianuarij die uigesimasexta scripsisse ferebatur: et simul carmē lingua populari scriptū. Vbi de sua locutus affectione, & absentis desiderio, tam pudendis utebatur uerbis, ut sine flagitio uix ea recitare liceat. Hinc iocus illorum, qui Pontificē dicebant aliquem obscœnū prænunciari, qui proditurus esset ex eo conclaui, quod eiusmodi literas daret. His quidem literis se nulla memoria unquam uidisse obscœniores, sceleratiores, aut horridiores, dicebant illi, qui in Italia & Germania eas legerunt. Nudis enim ac nefandissimis uerbis illic agitur (saluo honore) cum cinædo. Ex his uidere potes, optime lector, qualis sit ille spiritus, quem Papicolæ iactitant ex missis se habere in electionibus suorum Pontificum. Spiritus quidem ille est, at non sanctus, sed Sodomiticus. Ita ut uerissimum sit, quod Vulteius de Roma scripsit:

Roma quid est? Quod te docuit præposterus ordo.
Quid docuit? Iungas uersa elementa, scies.
Roma amor est. Amor est? qualis? Præposterus. Vnde hoc?
Roma mares. Noli dicere plura, scio.

Cum aliqui (quales sunt Paulus Vergerius, Bernardinus Ochinus, ac Hieronymus Marius) ingentes huius Iulij tertij blasphemias & horrenda scelera stylo insectarentur, subornauit sibi similem, Sodomita Sodomitam, Hieronymum uidelicet Mutium, qui hæc omnia editis libris tueretur atq; defenderet. Quem & ipse suis bullis approbauit, non solum ut hos insigniter doctos & pios traducere uiros, sed etiam ut Germanorum principum ac Christianissimarum ciuitatum nomen (quantum in se est) diffamaret, aut Theonino dente roderet. Quis ergo nõ uidet, Papam horribilia hæc uitia, & crimina plusquam diabolica, quæ iamnunc recitata sunt, suis diplomatibus approbasse? De illo præterea, prædictus Vergerius in quodã scripto, inter cætera sic habet: Cum Iulius tertius (inquit) ualde male audiat, in hoc ipso genere (pæderastia scilicet) quod nunc attigi, ita ut neq; à Cardinalibus abstineat (quàm sancta est hæc Rom. ecclesia?) tamen ego illi peperci hucusq;, quod ad teterrimam illam libidinem attinet. Verùm cum omnes affirment, eum solere sæpissimè illis ipsis blasphemijs uti, quibus spurcissimi lenones & reliqui nebulones in contemptum Dei uti solent: deberent tam fœdissimum idolum ac diabolicum monstrum damnare, non Christianos. Sub hoc hircoso diabolo floruit, atq; ex illius latere sancto prodijt, eiusdẽ generis legatus apostaticus, nempe Ioannes à Casa, Florentinus, archiepiscopus Beneuentanus, cameræ Apostolicæ decanus, & in toto Venetorum dominio nuncius summus, cum plenitudine potestatis: qui & breui futurus erat Cardinalis. Magnificus ille papistici cœlibatus professor, mitratus, rasus & unctus, atq; insignis catholicæ Rom. ecclesiæ columna, rhythmis Italicis poema scripsit: in quo opere Sodomiæ papistarũ Dianæ laudes celebrauit illamq; appellauit diuinum opus, atq; affirmauit se ea plurimum delectari, imò aliam uenerem non cognoscere. Proh pudor: opus est Venetijs impressum, apud Troianum Nauum. An hi non sunt egregij archiepiscopi? His iudicibus utuntur Papa & diabolus in suis consistorijs. Nam hic potestatem habebat, Christianos doctores pro hæreticis damnare.

Vidi ego Catalogum quem fecit in sua legatione, in quo non alios connumerat, quàm qui puritatem Euangelicæ doctrinæ profitebantur. An non te pudet (inquit Vergerius) infœlix archiepiscope? Tú ne audes prodire, et libros sanctos damnare? Tu qui poema scripsisti, qui execrandissimum Sodomiæ scelus extulisti tanquam diuinum opus? Fateor (alibi inquit) hæc & longè plura me aduersus eum scripsisse, &c. Huius Babylonici carnificis tyrannidem metuens Franciscus Spiera, homo forensis & causidicus, Christi ueritatem abnegauit, & in summa desperatione decessit: eiusq; carnificinã uix Petrus Paulus Vergerius, Iustinopolitanus episcopus, uir multæ eruditionis, euasit. Vtranq; historiam Sleidanus habet: qui & cinædici eius libelli mentionem facit. Longum esset hic referre, prædicti Iulij tertij cætera facta, in sui temporis Iubileo, in synodo Tridentina, in confirmato idolo Lauretano, in lite quam habuit cum Ariminensi episcopo, magistro sui domus pro uno pauone, & eiusmodi alijs. Ad martyres igitur nunc demum uenio. Huius enim truculentissimi tyranni tempore, plures in Italia pro Christi nomine sunt passi martyrium. Optabat solum Franciscus Gambus, Brixiensis, Papalia dogmata ad Euangelij formam reduci. Et ecce nouo atq; inaudito crudelitatis genere, anno Domini 1554, mactatus est Comi, cum perpetua eius urbis infamia. Non enim satis esse putabat, si uel laqueo gulam fregisset, uel caput truncasset, aut illum exussisset: sed omnia simul hæc tria supplicia crudelissimè in unum hominem cumulauit. Huius generis martyrem habuit Ferraria Faninũ Fauentinum, cruci appensum & combustum: Placentia, Dominicum Bassanensem, suspendio interfectum: Lauda Pompeia, Galeatium Trezium, flammis sublatum: Venetiæ, Hieronymum Galatæum, pædore carceris obrutum. Hi omnes (inquit Marius) passi sunt, regnante nefandissimo Iulio tertio: & eos præcesserunt, Georgius Medolagus, Nicolaus Carpensis, & alij. Lugduni etiam sunt nouem ad supplicium rapti, & inter eos Ludouicus Marsacus, militaris homo. De hoc Iulio Montano, & eius prædecessore Farnesio, Medicis, sic scribitur:

Roma diu Medicis male sana immitibus usa,
    Post diram infœlix incidit in Phrenesin.
A' Phrenesi in rigidum Montem delata: uerendum est,
    Ne rigido ex Monte præcipitata ruat.

Appen-

Appendix alia.

In hoc deteſtabili monſtro ac ſanguinario Sodomita, Iulio ſcilicet tertio, anno Domini 1554, & die 28 Nouembris, poſt 20 diuinæ liberationis annos, Anglia noſtra, ut canis ad uomitum, & ut ſus lota ad cœni uolutabrum reuerſa, relictis cum ipſa ueritate perennibus Dei donis, Draconem ac diabolum uenerabatur denuò. Horrendum certè præſenti mundo ſpectaculum. Fidem, per iuſiurandum Henrico patri datam, quòd Pontifex Rom. nihil exinde iuris haberet in Anglorum eccleſijs, regina Maria, peſſimo aliorum omnium exemplo, prima uiolabat: imò, quod adhuc magis impium eſt, ſceleratiſſimæ Ieſabelis inſtar, uiolentiſſimè uiolari procurabat. Iuſſerat etiam idem Henricus rex pater, ut in quotidianis precibus, ab ipſo Deo uniuerſa plebs peteret, ne amplius eius Antichriſti hæretica doctrina, blaſphemijs aut tyrannide moleſtarentur: quod & illa cum precibus illis ſanctiſſimis aboleri mandauit. Et in ſubſequenti parliamento, duo ad regni uaſtitatem & excidium propoſuit: ut in matrimonio iungeretur Hiſpano, & ut Sodomitarum parens ac Pontifex Iulius eiuſdem regni primatu potiretur. Primum ab ignobilitate, dixiſſem nobilitate, conceſſum eſt, quòd animarum ſalutem ad ſe nō pertinere crederent: alterum uerò non, quòd ſuarum commoditatū iacturam fortaſsis timerent. Paulo mox Gardinero, qui eius matrem inceſtus damnauerat, Bonero ſpurio, Tonſtallo, atque alijs regni proditoribus & papiſtis ex captiuitate prius liberatis, religionem illa mutauit, & Papiſmum cum Sodomiſmo ſorore ſancta reuocauit: electos Dei miniſtros miniſterijs deiecit, Baalitas impudicos ſublimauit, prophetas ſanctos occidit, & ganeones raſos euexit: ſcripturas diuinas è templis fugauit, ac uetita à Deo ſimulachra cum miſsis introduxit: coniugia damnauit, proſtibula reſtaurauit, aliaq; mirabilia magna fecit.

Aduenit interim Polus Cardinalis, Romanorum diabolorum Mercurius, ab Henrico rege patre ob Papiſmum olim deiectus, ſed à Maria filia iterum ob eundem reſtitutus. Qui à magno pæderaſta Iulio miſſus, ut patriæ ſuæ tam ad corpora quàm animas ruinam prorſus inferret, rogabat primùm, ut cum ſuo Baalpeore in communionē redeant, & eius authoritati, relicto Chriſti Euangelio ſacroſancto, ſe denuò ſubijciant. Quoniam iuſticiæ nullum eſt cum improbitate cōſortium, neque cum tenebris luci communitas. Promiſitq; ex ſummæ perditionis filio, rapaciſſimo Antichriſto ſuo, benignitatem & clementiam. Gardinerus uerò Cancellarius, opulentiſſimi regni peſtis & exitium, omnium Papiſtarum ac proditorum uoce reſpondit, petitamq; eius populi perniciem admiſit. Et gratias agendas eſſe patri ſanctiſſimo (turpiſſimo Antichriſto) pronunciauit, quòd prophetam tam eximiū, nempe Cardinalem purpuratum, ex ipſorum gente natum, et qui totus in utrunq; eorum exitium incumbat, ad illos miſerit. Deinceps uoce omnium ueniam rogauit, pœnitudinem adeſſe clamauit, inſignem remitti noxam petijt, reuerſionem eſt pollicitus, ſolitam gratiam exegit, indulgentiam depopoſcit, deprecatus eſt benedictionem, ſubiectionem obtulit, obedientiam porrexit, ſpopondit obſequium: & pro Anglica gente tota, quaſi nouam profeſſionē Romano diabolo fecit, perditiſſimus nebulo ac ſordidiſſimus adulter: promittens in futuris comitijs, ſanctiſſimarū legum Henrici & Eduuardi pleniſſimam abolitionem. Hinc data à Deo poteſtate regia, ingenua ac libera, ſucceſſuros ſibi reges, fœmina fœdifraga, periura, et in patriam perfidioſa, indigniſſimè priuauit, atq; adulterinam quandam ſub ſepticipite beſtia dynaſtiam cum fœdiſsimis eius ſordibus, illius loco, ad plebis ſuæ perniciem excepit. O' infœliciſſima natio, quæ à ſalutari Chriſti gremio, in Satanæ infernalis barathrum, indurata tua pertinacia, meritò cecidiſti. Propter peccata populi (inquit piiſſimus Iobus) regnare Deus hypocritā facit. Impius ille ſpiritus, qui ſyncera diuini uerbi prædicatione à te exiuerat, cum ſeptem alijs ſpiritibus ſe deterioribus, ad te nunc demum redijt, & apud te manet: fitq; tua poſterior hæc conditio, priore multo deterior. Miſericordiſſimus pater Deus ad reſipiſcētiam adhuc te ſemel prouocet, atq; hoc in Romanam tyrannidem uaticinium tandem adimpleat:

Roma diu titubans, longis erroribus acta,
Corruet, & mundi deſinet eſſe caput.

Appendix alia.

Ex Cælij Secundi ac Vergerij ſcriptis: Paulus quartus, Rom. pontifex, patria Neapolitanus, & Ioannes Petrus Carapha, atq; Cardinalis Theatinus ante initum pontificatum nominatus, magno

Cardinalium consensu, Gallorum regi Henrico gratificari studentium, Marcello secundo, paucorũ dierum Papæ post Iulium, in Maio, ut aiunt, substituebatur. Hunc Cælius prædictus refert, nouam presbyterorum sectam, in hypocrisi ac fucata sanctitate fundatam, sub Iesuitarum appellatione Venetijs instituisse. Quam sectam, inquit, postea deseruit, quũ quod uenabatur accepisset. Nam proiecerat rete, quum episcopatu primùm se abdicasset, ut Cardinalis captaret prædam. Quod ubi contigit, Venetijs decedens, interrogantibus presbyteris, quò nam abiret? respondit: Quò ego uado, uos non potestis uenire. per illud intelligens, se illos in paupertate & sordibus relinquere: se autem Romam ad amplissimam dignitatem, tanquam in alterum cœlum ascendere: quò ipsi uotis & cæremonijs claustralibus astricti, uenire nequirent. Sic nouit sanctulus homo Christi uerba suis accommodare desiderijs, & Scripturas sanctas ad suum pertrahere sensum. Multa de hoc Theatino sunt narrata: ut quòd purgatorium fortiter defenderit, quarundam mentiũ secreta nouerit, ac mirabilia multa, sed nõ solus fecerit. Ad Paulum tertium, ut Vergerius noster habet, de emendanda Ecclesia libellum ipse dedit, tametsi nulla ex parte prorsus illam emendauerit. In quo qui legit, inquit, omnia ferè capita illum cõfirmasse cognoscet, quæ soliti sumus in Papistis reprehendere: nempe, ecclesiam apud eos ita collapsam esse, ut iam non Christi, sed diaboli eccesia sit. Papas enim, dicit, ad sua desideria coaceruare sibi magistros auribus prurientes: per Cardinales & episcopos Christi nomẽ inter gentes blasphemari, clauium potestate emungi pecunias, improbos ordinari, Simoniacas nundinationes exerceri, ambitione & auaritia æstuare prælatos, in monasterijs horrida fieri flagitia, Romã repleri impudicissimis scortis, atq; his similia plura.

Multo adhuc plura grauioraq; Romæ aguntur, præter ea quæ Theatinus in eo attigit libello. Attigit enim uitia tantum & abusus, qui in uita communi occurrere soleant, nulla prorsus facta mentione doctrinæ quæ illic colitur, quæ Christi Euangelio tanquam ex diametro pugnat. Neq; tyrannides eorum plus quàm Neronicas in medium attulit, quibus apertè sæuiũt carceribus, laqueis, igne, ferro, exilio, remis & aquis: eos persequentes per Italiam, Galliam, Hispaniam, & Angliam, qui spiritu Dei acti, horrendas eorum contaminationes ac religionis Christianæ profanationes ferre non possint. His addo, quæ Guilhelmus Vuittyngamus doctè et uerè de Anglia scribit in præfatione super D. Ridlæi assertione cõtra transsubstantiationis hæresim. Extincta, inquit, Euangelij luce in Anglia, bonorumq; libertate repressa, horridæ quædam Papisticæ hæreseos tenebræ, ac morum quasi uastitas quædam, imperium nunc occupant. Postea sequitur: Nam trucidatis & abactis prophetis suis, gregisq; pastoribus, monachos, fraterculos, uestales, sacrificos, Satanæ profectò calones ac emissarios, quos ueris nominib. (ex Scripturis ipsis) leones, ursos, lupos, hircos, canes, porcos, apros dixeris, ouili Iesu Christi ac uineæ Dei regina præfecit. Qui ut suam ingluuiem satietate expleant, in cuius possessiones atq; fortunas, non impudentissimos oculos spe & mente defixerunt? quot Christianorum non tantum facultates sorpserunt, sed & sanguinem quoq; biberunt? Adeò teterrimi Antichristi uenenum nunc grassatur, ut uel in longinquas ac maximo interuallo dissitas regiones, cantharidas suas & basiliscos diffundant: qui ut œstro & aculeo, sic halitu ipso atque conspectu, Dei filios interimant. Nihil hisce hominib. perditius aut perfidius, nihilq; his temporibus perniciosius. Tanta enim crudelitas istorum animos peruasit, quantam ex uetere memoria, & annalium monumentis, nunquam inter se hominibus fuisse constat. Fœminis siquidem ac uiris perinde aduersantur: in senes ac pueros, in decrepitos & adolescentes, ex æquo sæuitum est: nec sexui deniq; nec ætati parcitur. Carceres ad unum opplentur: nec in cruces tantùm aguntur, sed & ad palos deligantur infinita Christianorum corpora. Quibus porrò in locis, regnante Eduardo sanctissimo, Euangelica uox resonabat: in ijsdem iam omnia, idololatriam, superstitiones, incendia, focos, cædes spirant & exhalãt. Incredibile fortasse uidebor dicere: sed quod uerissimum esse & literæ multorum, & optimi testes comprobant. Duobus nempe plus minus annis, hominum capita supra octingẽta, omnibus crudelissimæ mortis generibus, ueræ religionis causa, fuisse dedita. Vno item die, cruces magna copia Londini ad ciuium contumeliam defixas, familias numerosas, splendidas ac nobiles, è prædijs ac possessionibus suis deturbatas. O magnum atq; intolerandum dolorem: ô spectaculum miserum atq; acerbum. Vtq; hæc tyrannis morte ulterius progredi uideatur, exilium luctuosissimum adiectum est. Cuius

rei, præter Italiam & Galliam, etiam Germaniam totam & Sabaudiam, quæ miseros et eiectos homines, unà cum liberis suis & uxoribus, urbibus et domicilijs exceperunt, testes afferre possem. Huius autem calamitatis flabellum, Stephanum quendam Gardinerum, episcopum (licet falso) Vuintoniensem cognominatum (cuius uita statim sequetur) constituerunt. Tantum ille. Et crudelissima Antichristi Rom. carnificina, seu inquisitio, ut uocant, hæreticæ prauitatis (Vergerio teste, qui optimè nouit) uix triginta annorum spacio, centum quinquaginta Christianorum millia, diuersis afflictationum generibus consumpsit: neque adhuc desinit. Exurgat ergo Deus, & dissipentur inimici eius: atq; ut fumus deficit, & illi deficiant, ac statim pereant à facie illius. Exurgat inquam, ac sanctorum suorum sanguinem uindicet: qui pro confessione sui sancti nominis & doctrinæ, crudeliter est effusus. De Henrico Bullingero, Philippo Melãchthone, Ioanne Caluino, Theodoro Bibliandro, Petro Martyre, Ioanne à Lasco, Simone Sulcero, Matthia Flacio Illyrico, Conrado Gesnero, Ioanne Sleidano, Petro Alexandro, Ludouico Rabo, Castalione, Cælio, Vergerio, Vireto, & alijs sine numero theologis, historicis, medicis, ac philosophis, qui per hanc ætatem Papatus regnum audacter oppugnant, ad præsens scriberem: sed temporis breuitas non sinit.

STEPHANVS GARDINERVS. LXXXVIII.

Stephanus Gardinerus, in Sudouolgiæ comitatu, & oppido Buriensi, obscuris parentibus ortus, ut demum esset ex tenui ac torua locusta rabiosus in regno Antichristi rabinus, & potentissimus Hercules, sophisticis technis in Cantabrigiẽsi gymnasio, atq; legibus papisticis fortiter se armauit. Ne solus de tam immani tyranno scripsisse nunc uidear, accipe quæ ab erudita G. Vuhityngami præfatione sum mutuatus. Is autem (inquit) iuuenis, papisticę sectæ, multis simulationum inuolucris, fortissimum se & oratione & scripto oppugnatorem ostendit. Verùm homo leuiculus, suiq; ipsius amore absorptus, ad quamcunque opinionem semel deferebatur, ad eam tanquam ad saxum adhærescebat: eamq; ne uictus quidem deponere, propter constantiæ existimationem, uolebat. Itaq; gloriæ stimulis concitatus, sibiq; à Deo derelictus, nunc hanc, nunc illam sententiam tuebatur, donec tandem propter morum similitudinem, à Maria regina ad Cancellarij dignitatem euectus, tanquam Iulianus aliquis aut archityrannus, Christianæ religionis professoribus infensissimum se præberet hostem. Nullum enimuerò insigne uitium est, quod iste non modò non salutauerit à limine (quod aiunt) sed in mores ac naturã conuerterit. Nam ut eius stupra (scorta enim alebat plura) cæteraq; immania scelera prætermittã, auaritia & crudelitas, eius erant præcipua ornamenta. Quandoquidem & hæc prior, illi à puero pro delicijs fuit: & omnes captandi quęstus uias ac rationes perfectè nouerat. Etenim non tantum suis manibus & authoritate, sed & aliorum oculis ac diligentia in furando utebatur. Porrò Hyænas suas & Crocutas habuit, homines scilicet pestilentissimos: quorum ille usus est opera ad prædã odorandam. Hi rectam religionem uoce uultuq; simulantes, se in fidelium societatem insinuare solebant, ut postea turpissimè sui domini prædæ ac libidini traderẽt. Qui crudelitatis eius uulnera, auaritiæ remedijs sanare sunt coacti. Quam facem, Deus bone? quem gurgitem? quam uoraginem esse dixeris? ut clamare Tullius solet. Cõgessit Gardinerus, commune piorum hominum flagellum, partim Latinè partim Anglicè,

De uera & falsa obedientia,	Lib. 1. Dum ipse præsentem ecclesiæ statum.
Pseudologiæ quæstionem,	Lib. 1. Tertius iam annus agitur, Bucere.
Conuicia in Bucerum,	Lib. 1. Post diutinam expectationem illius.
Exetasin testimoniorum eiusdem,	Lib. 1. Næ tu Bucere luctator es cal.
Marcum Antonium, de euchar.	Lib. 1.

Aduersus Georgium Ioye, Lib. 1. Introitus in tuam materiam aptiss.
Declarationem articulorum, Lib. 1. Det tibi Deus, candide lector, iud.
Diaboli sophistriam, pro Missa, Lib. 1. Considera bone lector, quàm plenum.
Assertionem de eucharistia, Lib. 5. Quoniã inter cæteras allegationes pro.
Pro secundis Henrici nuptijs, Lib. 1.
Contra pronunciationem Græcam, Lib. 1. Quod pro suo iure ageret cancellarius.
Ad Ioannem Checum, Lib. 3. Legi libellum, quem ad me dedisti.
Ad Ricardum Smythum, Lib. 1. Inter grauissimas occupationes.
Contra Turneri uulpem, Lib. 1.
Institutionem Christiani, Lib. 1.
Apologiam ad Cantuariensem, Lib. 1.

Et alia quædam. Moriens persecutor acerrimus, & hostis populi Dei, anno Domini 1555, & die 13 Nouembris, supra nonaginta millia coronatorum testamento reliquit: præter aulea, tapetes, & stragula magnifica, abacosq; argento & auro cælato ornatos. Hancq; tam immanem prædam, hæc spolia, has manubias, biennio surripuit, abstulit, detraxit. Propriam uerò tyrannidem, hic lupus, authore Turnero, sic prodit:

Callida qui fueram uulpes, florentibus annis:
Confectus senio, sum lupus ecce rapax.
Agniculos rapui uulpes, gallosq; uoraui:
Nunc lupus ipse capros dilanioq; uiros.

APPENDIX.

Ex Vuhityngami præfatione: *Sed Deus, scelerum iustissimus uindex, tam de hoc nefando maleficio, quàm de sanctorum suorum martyrum sanguine, quo iste paulo antè profusissimè omnes regionis partes & urbes madefecerat, pœnas uel in hac uita repetiuit. Paucis enim diebus, antequam moreretur, bellua tam grauiter olebat, ut non amici modò & domestici, sed nec ipse quidem sui fœtorem aliquo pacto ferre poterat. Corpus totum instar utris distentum, oculi distorti & in caput retrusi, genæ macie confectæ, horrendum spectaculum præbebant. Oris graueolentia tanquam orci quædam sentina fuit. Dolores continui, spasmi, & putrefactiones, omnia membra occupauerant. Ac inter hos cruciatus, nihil ex impurissimis faucibus, præter sordes & blasphemias, fuit unquam auditum. Tandem uerò horrendis doloribus enecatus, inter diras execrationes, cõtumeliasq;, miserrimè uitam exhalauit.* Et ex epistola cuiusdam Angli, C. ad me missa: *Illud nõ possum non cùm Deo acceptum referre, tum etiam tibi præsertim quamplurimum gratulari, nimirum quòd Vuintoniensis, quo non fuit pestilentior, tibiq; infestior unus, non solum miserè, uerùm etiam in terribilibus non dicendisq; cruciatibus suum obijt diem. Cum primum ad me de eius morte perlatum fuerat, in memoriam extemplò uenit Aesopica quædam de duobus gallis fabella: quibus scilicet de gallinis fœminis depugnantibus, alter alterum in fugam uertit. Victus autem, in obscurum locum profectus, delituit. Sed qui uicit, in editiorem eleuatus locum, maximopere superbiebat, canora uoce cantitans. Atqui statim aduolans aquila, eum rapuit, ac unguibus aduncis dilacerauit. Qui autem in tenebris delitescebat, ex illo intrepidè gallinas conscendit. Ad hunc modum Vuintoniensis, te alijsq; Christi militibus in exilium pulsis, epinicium in suo theatro cecinit, elatissimoq; animo fuit. Cuius quidem superbiam atq; philautiam Deus optimus maximus minimè ferens, nunc demum compressit, miseraq; morte affecit. Ex arido enim hydropi, qui morbus est subcutaneus, & prodigiosa quadam scabie, emortuus esse fertur. Hunc autẽ morbũ alij ex potatione, alij uerò ex scortatione, eum contraxisse adfirmãt: quippe utriusq; horũ malorũ impensius, dum uixerat, indulgebat. Porrò inferior corporis pars usq; adeò marcida, putrida, rãcidaq; fuit, ut suorũ nemo fœtorẽ eius sine grauissima stomachi nausea ferre quiuerit, &c.*

Sequitur eius epitaphium, ab Anglo quodam, qui eum probè nouerat, editum.

Nunc patriæ pestis, fato sublata secundo,

Interijt misere Vuintoniensis aper.
Qui Christi segetes uertit, qui falce maligna
Præcidit fruges, ac sata læta soli.
Flagrum Salmanasar dictus, Nabugadnesar atrox,
Fustis erat populi & dira flagella Dei.
At Stephanus sæuus, quo non immanius ullum
Portentum, uitijs uiuere dictus erat.
Prodigium fatale fuit, gentisq; Brytannæ
Exitium, bustum, turbo, procella, scelus.
Frons audax, os impurum, & tum labra nefanda
Spumabant scelus, & lingua superba necem.
Euomuit uirus tetrum, cane peius & angue
Odit Christicolas, semina pura Dei.
O impura lues, atq; insatiabile monstrum,
Sordes, pernicies orbis & urbis erat.
Toruus tartareis Pluto generauit in antris,
Persephone peperit, fouit Erinnys iners.
Alecto inseuit rabiem, pectusq; ueneno
Tisiphone impleuit, sæua Megæra dolo.
Lucifer, ut fertur, de cœlo labitur alto,
Ad stygias umbras, sulphureosq; lacus.
Quid furias, geniumq; malum, de sede supremi
Numinis exclusit? Fastus & inuidia.
Ambitio res est odiosa Deoq; hominiq;,
Qua fuit inflatus Vuintoniensis atrox.
Vicit crudeli tigres feritate feroces,
Hirudo innocui sanguinis esse solet.
Vstorum sanguis, cruor, ossa, medulla, querelæ,
Et cineres clamant, audijt Altitonans.
Nam Deus altitonans, rerumq; æterna potestas,
Imperium Stephani noluit esse diu.
Dignas pro meritis pœnas dedit, ora docebant
Insanam mentem corpori inesse malo.
Romanam acciuit multis cum cornibus Hydram,
Pontificem, quo non sæuior ulla fera.
Quod nam flagitium, quo non fœdatur? Honestas
Oppugnat leges, stupra nefanda facit.
Vuintoniensis aper syluas & amœna uireta
Vastauit, tandem contumulatur humo.
Dum uixit, ferro & flammis sæuiuit in omnem
Gentem diuinam, Christigerumq; genus.
Dum uixit, uoluit solus regnare, cruorem
Exsorbere pium: nil putat esse prius.
Nunc cum sit nostris fato sublatus ab oris,
Atq; erebi nigri tristia regna colat,
Iura det infernis furijs, ac manibus imis,
Plutonem, lemures, Eumenidesq; regat:
Non dubito quin sit turpissima pugna futura,
Cum diris erebi conferet ille manus.

Terribilem

Terribilem forſan Rhadamanthum ſede mouebit,
Et quos ui uincet, torribus oſſa dabit.
Demum ultrix ſcelerum Rhamnuſia trudet in ignes
Ardentes Orci, luctificosq́; Stygis.
Ignauos Salios, magicis miſſamq́; ſuſurris
Confectam erexit, flamineumq́; gregem.

Sapphicum eiuſdem.

Angliæ peſtis, ſcelerum miniſter,
Pontifex ſæuus, Stephanus cruentus,
Occidit tandem, patriæ ruina,
Prodigiumq́;.
Cuius occaſu, celebres Brytanni
Geſtiunt ualde, ſolidas agentes
Gratias ſummo ſuperum parenti,
Carmine læto.
Ingemunt contrà querulis camœnis,
Nænijs complent celebres plateas,
Templa diuorum ſtrepitu fatigant,
Numinis hoſtes.
Noluit tanto populi flagello,
Longius fatum ſapiens fauere,
Nec uenenato noluere monſtro,
Parcere Parcæ.

Appendix alia.

Abominabilis hic proditor, ac Iani filius bifrons, in oratione quam regis Henrici tempore De uera obedientia fecit, authoritatem Rom. Pontificis in regno Angliæ uſurpatam fuiſſe contra Dei uerbum affirmabat. Nunc uerò ſub regina Maria, reſtituendam eſſe pontifici pronunciauit. Tunc enim aſſeruit, eundem regem Eccleſiæ caput eſſe ſupremū in regno Angliæ, ſub Chriſto. Iam conabatur ſub fœmina, regno detrahere hunc primatum. Contendebat Henricum tunc non poſſe ea authoritate ſe abdicare, propterea quòd illi fuiſſet diuinitus donata. Reginæ nunc econtrario perſuaſit, non eſſe hanc ſibi admiſſam poteſtatem. Tunc affirmabat, fideles ſubditos omnes defendere debere ſupremam regis authoritatem: Anglos nunc omnes periuros fecit, Antichriſtiq́; tyrannidem tueri aduerſus eandem procurauit. Tunc docebat, humanas traditiones pugnare cum Dei uerbo: nunc has denuò reſtituit, ipſisq́; ſacris prætulit Biblijs. Affirmabat tunc, fidem in ſolis ſacris eſſe literis quærendam: Scripturas illas oportere iam abijci, tanquam hæreſium omnium fontes, clamabat. Tunc uociferabatur, delituiſſe ueritatem in Anglia, quandiu in illa tyrannizabat Pontifex: nunc ſcabioſe de ſacroſancto Chriſti Euangelio loquebatur, dicens, ſub Papiſmo, non ſub eo, patefactam eſſe ipſam ueritatem. Coniugium regis Henrici, cum huius reginæ matre, inceſtuoſum eſſe tunc prædicabat, ac propterea dirimendum, quaſi ex ipſo iure nullum: iam uerò detonabat, fuiſſe ex Dei uerbo legitimum. Pro concione tunc dicebat, ſecundas eiuſdem regis nuptias, cum regina Anna Bolenia fuiſſe iure diuino caſtas atq́; legitimas: nunc facta illius declarabant, diuerſum planè ipſum ſentire: Diuortium eiuſdem regis, & ſecundas illas nuptias, iuxta indubitatum Dei uerbum fuiſſe factas, & ex ſententijs celebrium uniuerſitatum Chriſtiani orbis, & iudicio omnium eccleſiarum Angliæ, ac regni ſenatus cōſulto, ſeq́; procuratorē in his omnibus eſſe tunc iactitabat. Iam culpam omnem, ſi culpa ſit, in Cantuarienſem archiepiſcopum, uirum optimum, transferebat: quaſi illius tantum conſilio et authoritate fuiſſent facta omnia.

Ex magna deliberatione & conſcientia, ut eſſet in ſumma apud regem exiſtimatione, Apologiā pro ſecundis illis nuptijs tunc ſcribebat: illum nihilominus nihil nunc pudet fœdiſſimam canere palinodiam, ut reginæ placeat, & ut eam in omni tyrannide atq́; impia doctrina, pro Antichriſti & Sa-

thanæ

thanæ regno nutrire ac regere posset. Tunc, ut uulgò dicitur, reginæ ipsi caput fregit, cum eam prŏ-nunciasset notham & spuriam dici, ac matrē incestu pollutam: nunc autem emplastrum ob aridum fracturæ adhibuit, impudens os mendacij reuerberans, & affirmans esse legitimam. Petebat tunc sibi tempus dari, ut in ipsis causis deliberaret: nunc præproperè festinabat in diuersam sententiā. Iudicaui igitur hoc loco, hæc addere necessariū esse: ut lector ipse cerneret, ex horum Papistarū, Gardineri, Tonstalli, Boneri, Thurlebij, Samsonis, Hethi, Daij, & consimilium fructibus, quales ipsi sint: nempe principum illusores, quibus deberent fidem & obedientiam: deceptores populi Dei, pro quo suum sanguinem Christus fudit: subuersores legis diuinæ, confusores omnis ordinis, carnifices animarum, hostes patriæ, impudentes nebulones, idololatriæ defensores, architecti impiæ doctrinæ & superstitionū, proditores regni Angliæ, patroni scortationum, casti coniugij oppugnatores, ambitiosi hæretici, duplices, perfidi, periuri, cōtemptores nobilitatis, flagella Christi populi, oppressores ueræ Ecclesiæ filij Dei, fundatores synagogæ Satanæ, immisericordes piorum persecutores, lupi rapaces in pellibus ouinis, derisores Euāgelij gloriæ Dei, æstuantes et robusti uenatores, Antichristi proles, diaboli semē execrabile, dæmones incarnati, ferocissimi Cerberi, ac Furiæ infernales. Hi nūc ut leones insaturabiles, rugiunt ac rapiunt, mactant & deuorant, Deum ante oculos non ponentes. Pijssimus ergo Deus, qui misericordiæ erga pœnitentes recordari solet, calamitosissimam Angliam ex horum eripiat unguibus. Rependant mala aduersarijs ipsis, & in sua ueritate illos disperdat.

IOANNES FILPOTVS. LXXXIX.

IOannes Filpotus, illustris generis homo, in Suthantonensi comitatu natus, Petri scilicet Filpoti, equitis aurati, eruditionis & ingenij nomine, filius nobilissimus fuit. Dum adhuc iste, post naturaliū rerum studia, in gymnasijs Brytanniæ philosopharetur, ad exactam Latinarum literarum noticiam, quam habebat, Hebraica etiam & Græca elemēta summo labore adiunxit. Cum autem in illis esset abundè satis uersatus, Italiam atque Romam ipsam petijt: & quæ in patria ipse didicerat, in diuersis locis ibidem per lectiones publicas communia fecit. Audiui et ego illum, cum denuò reuersus esset, in cathedrali templo Vuintoniæ, D. Pauli epistolā ad Romanos, gratuita opera, ingratis sacrificulis ac ciuibus enarrantem. Ita ut tandem esset, beneplacito Edvuardi sexti Anglorum regis, sub doctissimo Ioāne Poneto, uero eius sedis episcopo, Vuintoniēsis archidiaconus designatus. Hinc ad ueram Christi gloriam promouendam à Deo excitatus, uniuersa idola alabastrica, lignea, lapidea, panacea, cū suis altaribus, pyxidiculis, thecis, tabernaculis, exorcismis & oleis, quæ relicta erant, ex templis eiecit & incendit. Nolebat his Antichristi ineptijs ac Sathanę sordibus, puram Christi doctrinam & religionem deinceps contaminari: ne sibi cum Ierobohamo aut Iezabele, eiusque sectatorib. impijs ulla pars esset. Ex ipsis namque deprehenderat, in Papicolis regnare diabolum, & in euangelicis Protestātibus Christum: dirisque exemplis admonitus, iusticiam quę ex pura fide est, didicit. Vt uerò ad eius scripta demum perueniam, pauca hæc edidit:

Hebraicas epistolas,	*Lib.1.*
De proprietate linguarum,	*Lib.1.*
Disputationem synodicam,	*Lib.1. Cum passim plurimi, ijdemq; uarij.*
Suas examinationes,	*Lib.1. Priusquam essem in interiorem uocatus.*
Apologiam aduersus Arrianum,	*Lib.1. Attonitus sum, & tam corpore quàm.*
De uero Christiani sacrificio,	*Lib.1.*

Transtulit in linguam uulgarem,

Homelias Caluini,	*Lib.1.*
Chrysostomum contra hæreses,	*Lib.1.*

Et alia quædam. In cleri conuocatione Londini, cum Papicolę cum suo Vue

stono, post multas calumnias, ad Filpoti huius argumenta respondere nequirent, imposuerunt ei silentium. Postea, cum ad Papismum constantissimus redire nollet, flammeo rogo illum cōmiserunt Antichristi ministri, anno incarnati Messiæ 1555, ætatis 44, & 18 die Decembris. Sic in Ecclesiæ suæ membra animaduertere solet Deus, ut capiti similia reddat, et coronet.

Mox ubi percepit Christi mysteria, duxit
Cœlestem in terris, hoc est, sine crimine uitam.
Confregitq; suis manibus simulachra deorum
Plurima, & aduersum manes tulit arma superbos.

In prædictum Vuestonum, theologastrum, poeta quidam hoc cecinit distichon:

Cum tua sustulerit Venus improba membra Priapi,
Te mirum non est temnere coniugium.

THOMAS CRANMERVS. XC.

THomas Cranmerus, ex honesta familia in Notingamiensi, ut fertur, comitatu, originem habens, Cantabrigiensis academiæ ornamentum aliquando magnū hoc titulo fuit, quòd in omni rerū cognitione instructissimus, eximium theologi nomen doctorum suffragio comparauerit. Cantuariensis ecclesiæ archiepiscopus, ac totius Angliæ primas, à rege Henrico octauo factus, incredibili morum suauitate, omniq; uirtutum genere cumulatus, synceram boni præsulis personā ostendit. Paulinę agricolationis memor, perpetuū habebat pietatis studium, & iudiciū in omni actione suapte natura fœlicissimum, remq; Euangelicam pro sua uirili in omni negotio ac loco iuuabat. Episcopi functionem, in profanarum rerum administratione nunquam ponebat, sed in fidelissima uerbi diuini dispensatione, ne Dei patris in Christo gratia, Antichristi præstigijs malignis, mundo diutius occulleretur. In medio Babylonis iniquæ probum semper egit Israeliticæ gentis ducem: atque inter tyrannizantes in Christi ueritatem Papicolas, inaudita prudentia moderatus est populum Dei, ne uulpibus aliquando essent prędæ. Nemo unquā fœlicius aut firmius in pseudomagistrorum medio cum Christo ipso, pro dicta ueritate tuenda, in tam summis uitæ suę periculis, sine omni læsione perstitit. Nemo prudentius pseudoapostolos quosdam, tametsi cum Paulo sciret esse pestilentissimos, tolerabat ad tempus, ne in maiorem concitarentur insaniam. Dum in ferēdis legibus Apostolico munere fungeretur, utilia ille suadebat, necessaria docebat: & quæ in Deū blasphema fuerant, abroganda prorsus decernebat: neq; alia in ecclesijs fidelium retinenda esse iudicabat, quàm quæ syncerae Euangelij doctrinæ per omnia responderent. Totus etiam in hoc erat, ut studia literarum atq; pietatis, ut Sleidanus habet, per omne regnum excitaret. Crebris literis Martinum Bucerum, Paulum Fagium, Ioannem à Lasco, Petrum Martyrem, Bernardinum Ochinum, Emanuelem, Petrum Alexandrum, & alios homines doctos, solicitabat, ut in Angliam uenirent, omnem amorem atq; fidem eis policitus. Et quæ amœnissimus homo promiserat, omni benignitatis officio adimpleuit: eosq; sua authoritate semper à uirulentis obtrectatorum calumnijs defendebat, ad hanc usque Babylonicam populi Dei captiuitatem. Cum Maria, regina quæ nunc est, sub Henrico patre ob contumaciam arrogantem, & Stephanus Vuintoniēsis ob papisticam rebellionem sub Edvuardo, capitum pericula subirent, ille precibus ac lachrymis egit, offensum regis animum leniuit, iracundiam mitigauit, imò ille solus miseras co-

ras eorum uitas seruauit, sibi quamuis essent insensissimi hostes: tam mite ingenium habebat, tamque columbinum pectus, iniuriarum non reminiscens. At illi nunc demum rerum potiti, pro melle uenenũ, & pro uita mortem, uicissim illi tribuebant, quòd Papismum diabolicum, cum suis imposturis, impietatibus, idolomanijs, & alijs fœditatibus non dicendis, admittere cum ipsis nollet. Sed eius nunc summè misertus est Dominus, qui illum cum Polycarpo sanctissimo præsule, ex his Antichristi blasphemijs, in sui nominis confessione, per ignem, in Abrahæ sinum dulcissimum transtulit. Inter occupationes uarias, in Anglico sermone composuit Cranmerus,

Catechismum doctrinæ Christianæ,	Lib.1. *Excellentissimo principi Eduuardo.*
Ordinationes ecclesiæ reformatæ,	Lib.1. *Nusquam excogitatum aliquid erat.*
De ministris ordinandis,	Lib.1. *Clarum est omnibus hominibus.*
De Eucharistia cum Luthero,	Lib.1.
Defensionem catholicæ doctrinæ,	Lib.5. *Pro cura Dominici gregis mihi.*
Ad ueritatis professores,	Lib.1. *Dominus & Seruator noster.*
Iura ecclesiastica tempore Eduuardi,	Lib.1. *Quoniam regni potestas & legum.*
Contra Gardineri concionem,	Lib.1.
Doctrinam cœnæ Dominicæ	Lib.1. *Seruator noster Christus Iesus.*
Contra transubstantiationis errorem,	Lib.1. *Quatuor audiuistis declaratas.*
Quomodo Christus adsit in cœna,	Lib.1. *Resoluta iam, ut spero, transub.*
De esu cœnæ Dominicæ,	Lib.1. *Crassus Papistarum error de.*
De Christi oblatione,	Lib.1. *Maxima blasphemia at iniur.*
Homelias Christianas,	Lib.1.
Ad Ricardi Smithi calumnias,	Lib.1. *Iam nunc obtinui, candide lec.*
Confutationes ueritatum non scriptarum,	Lib.1. *Nihil addetis ad uerbum, quod.*
Locos communes ex Doctoribus,	Lib.12. *Sacræ scripturæ intellectus &.*
De non ducenda fratria,	Lib.2.
Contra primatum Papæ,	Lib.2.
Aduersus Papæ purgatorium,	Lib.2.
De iustificatione,	Lib.2.
Pias precationes,	Lib.1.
Epistolas ad uiros eruditos,	Lib.1.

Scripsit ex carcere,

Contra sacrificium Missæ,	Lib.1.
Contra adorationem panis,	Lib.1.
Ad reginam Mariam,	Lib.1.

Et alia quædam. Bibliorum translationes Anglicas pluribus in locis emendauit, præfationesque addidit. Exutus tandem archiepiscopatu, & in teterrimos carceres coniectus, in tenebris, in squalore, & in egestate, duobus annis cum dimidio, uitam degit, gladium uel ignem expectans. Oxonij tum demum post disputationes, imò post consputationes, rixas, conuicia, & ludibria potius, ad flammas crudelissimas trahebatur, anno à Christi Iesu natali 1556, & die 21 Martij, quum Papistarũ sordes uiriliter abiecisset. De quo, atque suis sanctissimis socijs, nunc uerificatur illud Danielis 11: Docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio ac flamma: sed quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates: & impiè agent impij, nec intelligent.

Cura uiro munire fidem primaria semper
Cum foret, ex libris armamentaria sacris
Fecerat, & contra Christi se armauerat hostes.

Saltem Papicolas, quorum spirabat in orbem
Aura ferens diram Christi per ouilia pestem.

APPENDIX.

Ex Ioannis Sleidani commentariorum libro 25. De Cantuariensi archiepiscopo Cranmero, post mortem Eduuardi regis, per concionatores suos Episcopi pontificij tunc inuulgarant, quasi uacillaret, quasi Cantuariæ esset ipsius mandato restituta Missa, quasi Missam ipse dicturus fuerit in Eduuardi regis funere, quasi hoc ipsum esset pollicitus Reginæ: simul de futura disputatione iactabant. Hoc ubi resciuit ille, statim edito scripto sese purgat: & sacrificum quendam (Thorntonum monachum) se minimè conscio, Missam Cantuariæ peregisse dicit. Alterum etiam illud inficiatur. Imò si per Reginam sibi liceat, Eduuardi regis de cœna domini, deq; cæteris rebus atque dogmatis facta decreta, sacris literis esse congrua: Pontificiam uerò Missam, ab instituto Christi planè dissidere, demonstraturum se profitetur. Ad eamq; rem docendam, non maiorem aliquem numerum, sed paucos aliquot, & in his Petrum Martyrem, sibi dari socios & adiutores, petit. Et quoniam aduersarij, uetustatis commendatione, suam religionem ornabant, & supra mille quingentos annos eam stetisse dicebant: minimè posse hoc ab ipsis probari. Se uerò docere uelle confirmat, eam, quæ fuit Eduuardo rege constituta, quæq; nunc per Angliam adhuc seruatur, esse uerè natiuam illam & ueterem, inde ab ipso Christo & Apostolis traditam, religionem. Ex eiusdem Archiepiscopi purgatione, interprete Valerando Pollano: Si nobis libertatem det maiestas Reginea, ego cum Petro Martyre, atque alijs quatuor aut quinque, quos mihi delegero, fauente Deo confido, nos omnibus approbaturos, non solum preces communes ecclesiasticas, & administrationem sacram, cum cæteris ritibus & cæremonijs: uerùm, doctrinam quoque uniuersam, ac religionis ordinem, constitutum à supremo nostro domino rege Eduuardo sexto, puriora hæc esse, & uerbo Dei magis cõsentanea, quàm quicquid mille retro annis in Anglia usurpatum nouimus. Tantummodo iudicentur omnia per uerbum Dei, &c. Et hæc in eadem purgatione ter ille repetit.

De Missa per Euangelium iam è medio sublata, authore Ioanne Sapido.

Missa, malum, peius quo secula nulla tulerunt,
Istud propudium, dedecus, exitium,
Fel, odium, sacrilegium, monstrum, scelus, ulcus,
Prostibulum, uirus, excidium, barathrum,
Spectrum, flagitium, tormentum, nausea, labes,
Quisquiliæ, tenebræ, carnificina, metus,
Naufragium, latrocinium, uis, præda, tyrannis,
Clades, pœna, dolor, mors, furor, horror, onus,
Nequitia, insidiæ, impostura, infamia, terror,
Illuuies, sanies, merda, cloaca, putor,
Larua, superstitio, impietas, iniuria, nullo
Missa inquam inuiso nomine nota satis:
Nec cruce, nec ferro, nec peste, nec igne, nec unda,
Sed sola Christi uoce perempta iacet.
Quæ uisa est orbis secum tractura ruinam,
Si rueret, ueluti fumus inanis abit.
Nullus honos, nullæ exequiæ, nullumq; sepulchrum:
Nam superest eius nil nisi nomen iners.
Aurea iam redeunt ueteris primordia mundi:
Nam capite extincto, crimina cuncta ruunt.
Quisquis amas uerumq; Deum, ueramq; salutem,
Viue, uale, ride, plaudeq;: Missa fuit.

Ex præ

Ex præfatione Andreæ Osiandri in Harmoniam Euangelicam: Amo te, quum propter uulgata ista, quæ tibi cum multis cõmunia sunt, generis dico nobilitatem, oris ac formæ dignitatem, morum incredibilem suauitatem, eruditionem minimè uulgarem, benignitatem, liberalitatemq; in omnes, præcipuè in bonarum literarum studiosos: tum uerò multo magis, propter abstrusiores illas ac planè heroicas animi tui uirtutes, ut hoc æuo inuentu raras, ita in te neutiquam dubijs argumentis, non à me tantum deprehensas, sapientiam dico, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, iusticiam, studium in patriam singulare, fidem in serenissimum Regem summam, cõtemptum rerum terrenarum, amorem cœlestium: Euangelicæ ueritatis, synceræ religionis, ac gloriæ Christi studium flagrantissimum: deniq; animum uel martyrio parem, quorum nihil adulandi causa de te prædico. Id enim est à moribus meis, uel inimicis etiam testibus, alienum: sed ut tuis te bonis excitem, & ad omnium periculorum contemptum, in asserenda et conseruanda syncera Christi doctrina prouocem, ac quodammodo urgeam, &c. Ex epistola nuncupatoria D. Petri Martyris, in tractationem de Eucharistia: Quem enim potuissem, in hac libri mei dedicatione, mihi deligere propugnatorem ueritatis Euangelicæ, & huius Eucharistici sacramenti, qui te sanctior, doctior, & firmior esset? certè neminem. Nullus profectò est ex patribus, quem non diligentissimè obseruaueris. Neq; ueterum aut recentiorum libri ulli extant, in quibus ego hisce oculis non uiderim tua ipsius manu adnotatum, quicquid ad uniuersam hanc disputationem pertinet. Concilia, canones, pontificum decreta, quæ huc spectant, ipse tanto labore, quo ad hanc tractationem, in præcipua capita digessisti: ut hæc nisi testis oculatus deprehendissem, nunquam alijs narrantibus facile fuissem crediturus. Neq; huius generis operam, studium, laboremq; solum in hoc Eucharistico negocio impendisti: uerùm idem quoq; abs te factum obseruaui, quo ad omnia ferè alia dogmata, quæ nostra hac ætate maximè sunt in controuersia, &c.

RICARDVS MORISONVS. XCI.

Ricardus Morisonus, equestris ordinis homo, in Ostrosaxiæ, ut fertur, comitatu oriundus, pietati adolescens non modò studebat, uerùm etiam meliores per celebriora Anglorum gymnasia excoluit artes. Longè enim per omnem ætatem ab ipsa pueritia, bonarum literarum cognitionem alijs huius uitæ commodis prætulit, ditissimisq; Lydorum regis Crœsi thesauris incomparabilibus maioris æstimauit. Inde in omni disciplinarum genere exercitatus, rhetorq; insignis habitus, ex utriusque linguæ, Latinæ ac Græcæ peritia grandi, famam nunquam perituram accepit. His addidit utriusq; iuris & historiarum à condito mundo studia: in quibus non infœliciter quoq; promouebat pedem. Henricus octauus Anglorũ rex, atq; Eduuardus eius filius post eum, cognita Morisoni tum eruditione, tum fide, illum demum in rebus arduis, ad Carolum quintum Romanorũ Cæsarem, & ad alios principes Christianos sæpe oratorẽ miserunt. Quæ munera tanta dexteritate obibat, ut ab omnibus gratiam mereretur non uulgarem, essetq; eius inter homines doctos illustrissimum nomen. Scripsit contra uirulentissimas insanientis Papistæ Ioannis Cochlæi calumnias,

Apomaxim, pro rege,	Lib. 1.
De damnis ex rebellione,	*Lib. 1. Si mihi tantum eloquentiæ peper.*
Remedia contra seditionem,	Lib. 1. *Quisquis apud se sapienter consi.*
Pro tuenda patria,	*Lib. 1. Quamuis regia maiestas sit.*
Aduersus proditionem,	Lib. 1. *Non dubito, candidi lectores, quin.*
Historiam rerum gestarum Henrici,	*Lib. 1.*
Epistolas ad diuersos,	Lib. 1.

Transtulit in Anglicum sermonem,

Symbola Ludouici Viuis,	Lib. 1.
Stratagemata quoq;,	Lib. 1.

Aliaq; multa fecit. Et quæ meditatus fuerat plura, partim chartis commisit, partim imperfecta moriens, proh dolor, reliquit. Ex Italia enim rediens, peruenit Argentoratum, ubi anno Domini 1556, & die 17 Martij, extremũ diem obijt, nõ sine multorum luctu, tyrannizante in Anglia Iesabele.

IOANNES PONETVS. XCII.

IOannes Ponetus, in Cantiorum comitatu prognatus, literarum ab ipsa pueritia cupidissimus, ad Cantabrigiẽses adolescens uenit: & nullo non genere doctrinæ inter eos in Reginæ collegio enituit. Ad omnẽ nimirum philosophiæ, & aliarum artium liberalium omnium reconditam cognitionem compositus, eò excellentis eruditionis peruenit, ut plenam & perfectam cuiusq; artis peritiam in illo esse crederent homines. Pro ingenij certè miraculo ducebat Henricus octauus Anglorum rex, scioteria seu horologia quædam, quæ pro sua maiestate fecisset: tam arguta in illis erat, & in ambitu tam breui, dierum, mensium, nouiluniorũ, fluxuum & refluxuum maris, cœlestium signorum, planetarum, rerumq; contingentium descriptio. Vir utiq; talis Ponetus pariter fuit, ut prædictis artibus elimatam eloquentiam adiunxerit: & in omni actione aut rebus quas præclarè gesit, heroicã quandam ciuilitatem ac morum dulcedinẽ expresserit. Operam etiam non segnem linguis cognoscendis adhibuit, Latinæ scilicet, Græcæ, Italicæ, ac demum Germanicæ: in quibus tantum profecit, ut tres primas alijs eleganter prælegeret, & ex ipsis in Anglicum sermonem complures libros transferret. Successus eius studiorum talis tantusq; fuit, ut in Cantabrigiensi academia, theologi titulis omnibus sit donatus: & ab Edvuardo clementissimo rege, ob insignes cõciones, episcopus primùm Roffensis, postea Vuintoniensis designatus. Cantuariensi archiepiscopo, Thomæ Cranmero, tanquam Achates, in magna semper authoritate fuit, & à consilio in abditis diuinorum mysteriorum eloquijs. Sed mortuo pijssimo rege Edvuardo cum duodecim episcopis alijs, uidelicet, Cantuariẽsi præfato, Eboracensi, Londinensi, Lincolniensi, Cestrensi, Cicestrensi, Vuigorniensi, Meneuensi, Herefordensi, Excestrensi, Bathoniensi, & Bristollensi, per mutationẽ religionis in Papismum teterrimum, loco remotus fuit. Tandemq; fugiens à facie Iesabelis, & suorum sacrificulorum, qui auidissimè, his saltem diebus, prophetarum sanguinem sitiunt, uerus Iesu Christi seruus in Germaniam exul concesit. Posteritatis autem memoriæ utiles hos labores ad Christi sui gloriam, partim Anglicè, partim Latinè commendauit,

De Ecclesia, ad regem Eduuardum,	Lib.1.
De ministrorum coniugio,	Lib.1. *Multi palàm fatentur, defendi cœlib.*
Defensionem eiusdem matrimonij,	Lib.1. *Si homines tam præsto fuisse, sordida.*
Apologiam in T. Martini blasphemias,	Lib.3. *Vbi incipiam primùm? uel potius ubi.*
Catechismum Latinum, ad regem,	Lib.1. *Cum breuis & explicata Catechismi.*
Axiomata Eucharistiæ,	Lib.1. *Ex his uerbis, Hoc est corpus meum.*
Papistæ detectionem,	Lib.1.
De detortis eorum scripturis,	Lib.1.
Homelias per totum annum,	Lib.2.
In Paulum ad Colossenses,	Lib.1.
Ad Reginam interrogationes,	Lib.1.
Præmonitionem ad Anglos,	Lib.1.

Transtulit ex Italico sermone,

Tragœdiam Bernardini Ochini,	Lib.1. *Potentissimo atq; excellentissimo principi*

Homelias eiusdem plures, Lib. 1.
Ex Græcis authoribus, Lib. 1.

Et alia nonnulla congeßit: quorum aliqua, morte præuentus, non cõsummauit: præsertim Apologiam illam doctißimam, in quinq; libros partitam, quam scripsit aduersus impudentias Thomæ Martini, pæderastæ ac patroni omnium in Papismo Sodomitizantiũ. Obijt quadragenarius Ponetus, pro Christi nomine pauper & exul, in firmissima diuinę ueritatis cõfessione, Argentorati sepultus, anno Salutis nostrę 1556, & die 11 mensis Augusti. In cuius funere incredibilis aderat eruditorum hominum ac ciuium multitudo. Det Dominus tales suę Ecclesiæ doctores multos, quo nomen suum gentibus innotescat.

Epitaphium D. Ioannis Poneti, ab erudito quodam editum.

Relligionis amans, & sacras natus ad artes,
Doctrina præstans, expositusq; pijs,
Ponettus, celebri Doctoris nomine clarus,
Antistes quondam Vuintoniensis erat.
Christi professor, tandem pro nomine Christi
Argentinensis pauper & exul erat.
Cui tot prouentus, cui millia multa fluebant:
Exul inops uixit, nudus & exul obit.
Sub Christo meruit, pietatis castra secutus:
Iamq; fit edicto principis emeritus.
Et licet emeritus, defunctus ad arma resurgit,
Mortuus & mordet, conserit atq; manus.
Clamans è tumulo, sponsalia sacra tuetur,
Ac Pseudeunuchos conditus exagitat.
Turpia iuridici Martini uota refellit,
Asserit & puri uincula connubij.
Scripsit, scribendo perijt: pereunte peribant
Scripta, quibus nimium sedulus immoritur.
Pars tamen incolumis domini post fata remansit,
Extinctæ reliquæ cum moriente iacent.
O' mors Ponetto gratißima, flenda Brytannis:
At Martini [illegible]ta, dolenda bonis.

ROBERTVS RECORDVS. XCIII.

Robertus Recordus, medicæ professionis doctor insignis, ac philosophus celeberrimus, inter ætatis nostræ scriptores locũ poscit planè honorificum, quem per me libenter ad præsens accipiet. Genere Brytannus ille fuit, & in Cambria ex claris parentibus ortus, Oxonijq; rara ingenij fœlicitate inter primos cultioris disciplinæ professores clarum obtinuit nomẽ. Artes illic, cum multa eloquentia, ut à probis uiris accepi, tradebat publicè, non sine auditorum applausu. Arithmeticam, quæ de supputandi ratione ac numeris agit, & inter mathematicas disciplinas prima esse dicitur, planiorem quàm unquam antea fuerit, fecit. Astrologiam docuit, Cosmographiam exposuit, Geometriam & Musicam illustrauit. In fodinis auri, argenti, æris, stanni, plumbi, aliorumq; metallorũ, ex accurata rerum indagine, magnam experientiam est assecutus. Antiquitates ac rarissimi generis historias, eximio labore quæsiuit, inuenit, ingentisq; thesauri loco seruauit. Itaq; de omnibus Dei donis in hoc uno scientiarum amatore scribere, perlongum

longũ certè esset. Ad metam igitur tendẽs, reperio illum Anglicè texuisse,

De origine artium, Lib.1. *Apud me condolebam plurimum.*
Arithmeticæ principia, Lib.1. *Plurimum sæpiusculè mecum lugebam.*
Geometriæ semitam, Lib.1. *Excusatum me habeas, generose.*
Theoremata Geometriæ, Lib.1. *Non dubito candide lector, quin.*
Vrinale physices, Lib.1. *Dum mecum ipse considero, quid perit.*
De iudicijs urinarum, Lib.1.
Anatomiam quandam, Lib.1.
Cosmographiæ Isagogen, Lib.1.
De auriculari confessione, Lib.1.
De negotio Eucharistiæ Lib.1.
Euclidis opera transtulit. Lib.4.

Promisit se editurum,

Secundam partem Arithmeticæ, Lib.1.
De arte mensurandi, Lib.1.
De arte faciendi horologium, Lib.1.
De usu globorum, Lib.1.
De peregrinatione hominis, Lib.1.
De origine nationum, Lib.1.
De statu temporum, Lib.1.
Mutationes regnorum, Lib.1.
Imaginem reipublicæ ueræ, Lib.1.
De effectibus creaturarum, Lib.1.

Hæc & alia, pro iuuanda re literaria, illum tandem perfecisse existimo, ad amplissimam sui nominis laudem. Claruit anno à Christi seruatoris incarnatione 1552, sub Edvuardo sexto, pijssimo Anglorum rege, uaria eruditè componens. Et nescio an adhuc in tanta rerum mutatione uiuat.

BARTHOLOMAEVS TRAHERON. XCIIII.

Bartholomæus Traheron, parentum stemmate clarus, & ab ipsis incunabulis uirtutũ studijs addictus, Oxonij sub optimis præceptoribus literas tam Græcas quàm Latinas didicit, rarisque & eximijs excelluit donis. Qui maiora cognoscendi cupidus, & mentem excolendi altioribus bonis, relicta Anglorum insula, natali solo, in Germaniam atque Italiam prosperè se contulit. Plures utrobique excellenti doctrina & ingenio uiros docentes audiuit, coluit, adamauit. Post aliquot annos uerò in patriam denuò reuersus, facilem bonarum disciplinarum uiam multis et ipse ostendit. Vnde Edvuardo sexto, Anglorũ regi optimo, à bibliothecis tandẽ fuit, ac decanus, ut uocant, Cicestrensis ecclesiæ sub episcopo Ioanne Scoræo, per eundem regem. Carmine & prosa exercitatus, Latinè multa in utroque stylo cum fœlicitate quadam protulit, præcipuè ad Thomam fratrem, ut Christum Iesum, illiusque doctrinam, quæ nostro seculo è sophistarum latebris auspicatò erupit, amplectatur,

Parænesim quandam, Lib.1. *Accipe munusculum nostrum Tho.*
In mortem Henrici Dudlæi, Car.1. *Egregium uerò facinus mors.*
In mortem senioris Viati, Car.1. *Si quis erit flendus, fato tam.*
Analysin scoparum Cochlæi, Lib.1.
In testamentum G. Tracy, Lib.1.
Epistolas & carmina, Lib.1.
In primum Ioannis contra Arrianos, Lib.1.

Transtulit in sermonem Anglicum:

Chirurgiam Ioannis de Vigo, Lib. 9. *Deus omnipotens cunctorum guber.*
Epitomen documentorum eius, Lib. 1. *Quamuis sufficienter tractauimus.*
Interpretationem uerborum Lib. 1. *Abietis. Vigo in uno & altero.*

Aliaq; multa Latinè & Anglicè edidit. Genuēsis erat Ioannes de Vigo, cuius Chirurgiæ practicæ copiosa documenta hic Bartholomæus à se uersa, Ricardo Tracy, prędicti Guilhelmi filio, dedicauit. Claret in Germania uir pius, anno salutis Christianorum 1556: Antichristi ministris in Anglia, inaudita tyrannide ferocientibus.

GVILHELMVS TVRNERVS. XCV.

GVilhelmus Turnerus in septentrionali insulæ parte & Morpethi oppidulo procreatus, uir multa eruditione insignis, Cantabrigiæ Latinus & Græcus, rhetor ac poeta clarissimus emicuit. Nunquam Antichristi charactere, in dextera manu aut fronte signatus, hoc est, nec rasus nec unctus hic fuit: & tamen Euangelium regni Dei, pio ac feruenti animi zelo, in diuersis Angliæ ciuitatibus & pagis, elegans per eam ætatem iuuenis, prædicabat gratis. Ex quo certè facinore Christiano, carcerariæ inclusionis & inediæ, sub impijs eius ministris molestias pertulit multas ac lōgas. Inde nihilominus tum demū magno Christi beneficio liberatus, Italiā accessit: ac post experimenta publica suæ doctrinę illic, medicæ professionis insignia, Ferraria detulit domum. Firmissimis scripturis ac rationibus suos conterraneos, tam regem ipsum quàm Christianos eius subditos omnes, piè atque eruditè admonuit, ut ab illis uulpibus sibi cauerent, quæ iuxta altaria commorantes, post Euangelium diuulgatum, non cessarent Domini Sabaoth electissimam uineam demoliri. Multas ille conflictationes cum cornutis ducibus habuit, præcipuè Gardinero, impudentissimo Antichristi milite. Sed tam solidis est usus argumētis aduersus eorum imposturas, ut sub ipso rege Henrico, mitrati rabini uix hiscerent. Contexuit Latinè & Anglicè egregius antagonista & Papæmastix,

Examinationem Missæ, Lib. 1. *Etsi professioni meæ non conueniat.*
Pro insequenda Rom. uulpe, Lib. 1. *Licet ab ipsa pueritia fuerim.*
Contra Gardineri technas, Lib. 1. *Haud est illustrissimæ tuæ maiest.*
Historiam auium succinctam, Lib. 1. *Prudens admodum, & si quid.*
De naturis herbarum, Lib. 1. *In quodam libello quem edidi.*
Herbarium magnum, Lib. 4.
De arte memoratiua, Lib. 1. *Quamuis tam ueteres illi philo.*
Ad unionem dissidentium, Lib. 1. *Non est ignotum tuæ dominationi.*
Physicam, pro nobilibus Angliæ, Lib. 1. *Amor, quem Domino Deo meo.*
De baptismo paruulorum, Lib. 1.
Contra quendam Arrianum, Lib. 1.
De Hierosolymorum excidio, Lib. 1.
Imagines stirpium, Lib. 1.
De piscibus, Lib. 1.
De lapidibus, Lib. 1.
De metallis, Lib. 1.
Epigrammata uaria. Lib. 1.

Transtulit Vrbanum Regium,

De noua doctrina ad ueterem, Lib. 1.

Bibliorum quoque translationem, cum Hebraicis, Græcis, & Latinis

exemplaribus cõtulit, & in multis correxit. Gisberti Longolij epitaphium edidit, & ad Papam pro Ioanne Standicio carmen iocosum. Claret in Germania doctissimus medicus, anno ab incarnato Dei uerbo 1556, Iesabele in Christi gregem cum suis tortoribus rasis in Anglia tyrannizante.

RICARDVS TAVERNER. XCVI.

RIcardus Tauerner, patria Nordouolgius, uir elimatę eruditionis, dum adhuc florentis ætatis adolescens esset, Cantabrigiense gymnasium, pro linguis & artibus, ac pro utriusq; iuris studio ardenter petijt: ubi omni bonorum authorum genere opulenter institutus, tumq; Græcæ tum Latinæ locutionis fœlici suo labore expertus, multarum rerum noticia, prudentia & eloquentia polluit. Tantoq; tunc flagrabat cœlestis doctrinæ desiderio & amore, ut ad proximorum utilitatem, præter sacrorum Bibliorum recognitionem, seu potius uersionem nouam, eruditorum uirorum opuscula plura in Anglicum idioma eleganter transferret. Sed à literarum studijs ad causas forenses traductus, & ad aulam tum demum ab Henrico rege uocatus, multa non sine familię suæ splendore obiuit munera. Vt uerò ad libros, quos diuersis temporibus typographorum arte in lucem emisit, se nostra tandem conuertat oratio, elenchũ eorum apponam. Scripsit Tauernerus Latinè & Anglicè,

Hortum sapientiæ, Lib. 2. *Habetis in hoc opere, candidi lect.*
Sententiarum flores, Lib. 1. *En condo hic uobis, Florentissima.*
In Catonis disticha, Lib. 4. *Ratio, candide lector, initi laboris.*
In Mimum Publianum, Lib. 1. *Alienum est omne, quicquid optando.*
Catechismum fidei, Lib. 1. *Quia non solum patres ac matres.*
Epitomen Psalmorum, Lib. 1. *Placeat excellentissimæ maiest.*
Homelias Christianas, Lib. 1.
Precationes ex Scripturis, Lib. 1.

Transtulit in sermonem uulgarem,

Sarcerij locos communes, Lib. 1.
Bibliorum opus sacrum, Lib. 1.

Feruntur & alia multa, sed eorum titulos nondum uidi. In his atq; alijs suis laboribus, magnum eloquentiæ donum ostẽdit. In precio fuit, anno Christi, carne nostra ex uirginis Mariæ substantia induti, 1552, sub Edvuardo sexto Anglorũ rege clementissimo: nescioq; an uiuat adhuc.

IOANNES CHEKVS. XCVII.

IOannes Chekus, in comitatu, atq; urbe & academia ipsa Cantabrigiensi natus, bonisq; literis ac linguis à pueritia institutus, eò peruenit excellentiæ in collegio illic regio, ut sociorum omnium facile primus haberetur. Ea ingenij acrimonia ac iudicij ratione, cum doctrina multifaria, ille præditus fuit, ut iuuenis rectissimè iudicare posset de literatis negotijs omnibus. Eximiè etiam affectus ipse erat erga pietatem Christianam, & Euangelij gloriam. Dum ergo regis Henrici octaui liberalitas in promouendis linguis, Græci sermonis professorem prædicto gymnasio quæreret: Cheko potiorem, ad id subeundum munus, nullum inuenit. In qua quidem functione uoluit Chekus, ut Cælius doctissimus habet, corruptam Græcæ linguę pronunciandi prauamq; consuetudinem emendare, & iuuentutem ad ueterum incorruptum rectumq; morem reuocare. Cuius studio sese tunc Vuintoniensis pontifex, & eius gymnasij, ut uocant, Cancellarius, opposuit, ac pro uulgari consuetudine certamen suscepit: homo literis, opibus,

& autho-

& authoritate potens, qui nec arrogantia summa carebat. Haud tamen eius potentia territus Chekus, rectißimo studio susceptam causam sibi esse deserendam duxit, sed fortiter in ea persistendum: illud cogitans, nihil esse ueritate potentius. Virtutum eximiarum & sapientiæ merito postea tanta eius erat apud regem illum authoritas & gratia, ut unicũ eius filium Edvuardum, regni hæredem, ipsius fidei committeret: ut præceptis optimis, ac uitæ integerrimæ exemplo, ad sapientiam ueram, & omnes uirtutes heroicas, per diuinam opem, ipsum ille formaret. Sic benignißimus puer, & diuinę spei rex tandem, institutionem eam hauriebat, qua neq; Cyrus, neq; Alexander, neq; ullus unquam præteritorum regum, politiorem sanctioremq; accepit. Qua si adultus uti potuisset, si ad regni gubernacula cum ea peruenisset, & ante tempus immatura morte præreptus non fuisset: quod nam regnum in terris fœlicius? quæ gens beatior unquam extitisset? Sed ostendere hunc terris tantum fata uoluere, neq; ultrà sinere. Exposuit Cantabrigiæ Chekus, dum esset professor regius, Homerum, Sophoclem, Euripidẽ, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Isocratem, Platonem, Aristotelem, Demosthenem, Maximum, Chrysostomũ, & alios authores Græcos. Composuitq; demum ornatißimus eques, ad Vuintoniensem,

De pronunciatione Græca,	*Lib.1. Quantum ex primis literis tuis.*
Ad literas eiusdem Vuintoniensis,	*Lib.1. Magno me respondendi labore.*
Damna ex seditione,	*Lib.1. Inter tam multa & insignia.*
In quosdam psalmos,	*Lib.2. Muneris mei huiusmodi ratio.*
De fide iustificante,	*Lib.1.*
De Eucharistiæ sacramento,	*Lib.1. Bene sanè, & ad salutem in.*
In psalmum, Domine probasti,	*Lib.1. Cum duos libros Psalmorum ad.*
In obitum Antonij Denei,	*Lib.1. Cum claras hominum uitas modu.*
Super morte Buceri,	*Lib.1.*
Epitaphiorum,	*Lib.1.*
De natiuitate principis,	*Lib.1.*
An liceat nubere post diuortium,	*Lib.1.*
Introductionem Grammaticæ,	*Lib.1.*
De ludimagistrorum officio,	*Lib.1.*
De superstitione ad regem,	*Lib.1.*
De cineribus & palmis, ad Vuint.	*Lib.1.*

E' Græco in Latinum transtulit,

Chrysostomum de fato,	*Ho.3. Eadem ipsa dicere mihi quidem.*
De prouidentia Dei,	*Ho.3. Multis referta est perturbatio.*
Contra obseruatores nouilunij,	*Ho.1. Quemadmodum chorus præsultorem,*
De dormientibus in Christo,	*Ho.1. Dies quatuor consumpsimus in.*
Alia quoq; Chrysostomi,	*Lib.1.*
Iosephi Antiquitates,	*Lib.5. Qui res gestas sibi describendas.*
Leonem, de apparatu bellico,	*Lib.1. Cum omnia nunc bellis ardeant.*
Asceticum Maximi monachi,	*Lib.1. Cum omnis ignoratio Dei, atq;.*
Plutarchum de superstitione,	*Lib.1.*
Demosthenis Philippicas,	*Lib.3.*
Olynthiacas eiusdem,	*Lib.3.*
Aduersus Leptinem quoq;,	*Lib.1.*
Demosthenis & Aeschinis aduersas,	*Lib.1.*
Sopholem, ad literam,	*Lib.1.*

Euripidem quoque, Lib. 1.
Aristotelem de anima, Lib. 1.

Correctiones etiam quasdam fecit, Herodoti, Thucydidis, Platonis, Demosthenis, Xenophontis, & aliorum.

Ab Anglico in Latinum uertit,

Cantuariensem de cœna Domini, Lib. 1. *Pro cura Dominici gregis, mihi com.*
Officium de communione, Lib. 1.

Collegitque in Parliamento, argumenta & *rationes ex utraque* parte, super *negotio eucharistiæ*: atque alia fecit multa. Post mortem regis Eduuardi, anno Domini 1553, & mense Iulij, *cum quibusdam regni proceribus captus*, & in carcerem coniectus fuit. Qui tamē sequenti anno dimissus, & omnib. facultatib. penè exutus, *in* Germaniam, *atque inde in* Italiā *perrexit*. Nunc autem reuersus denuò, in manus eorum qui illum semper oderūt, incidit. Dominus *dirigat cor eius, in charitate* Dei, & patiētia Christi: defendaturque ab importunis & malis hominibus. 2. Thess. 3.

RADVLPHVS RADCLIF. XCVIII.

Radulphus Radclif, patria Cestriensis, Huchiniæ in agro Hartsordiensi, & in cœnobio, quod paulo antè Carmelitarū erat, *ludum literarium* anno *Domini* 1538 *aperuit*, docuitque Latinas literas. Mihi quidem aliquot dies in unis & eisdem ædibus commoranti, multa arriserunt: eaque etiam laude *dignissima*. *Potissimum* uerò theatrum, quod in inferiori ædium parte longè pulcherrimum extruxit. Ibi solitus est quotānis *simul iucunda & honesta* plebi edere spectacula, cùm ob iuuētutis, suæ fidei & institutioni commissæ, *inutilem* pudorem *exuendum: tum* ad formandum os *tenerum* & balbutiens, quo clarè, eleganter, & distinctè uerba eloqui & effari consuesceret. *Plurimas in eius museo uidi ac legi* tragœdias & comœdias, epistolas, orationes, congratulationes: præcipuè unam pacis *inter inuictissimum Anglorum monarcham* Henricum octauum, et Franciscum Valesium Gallorum inclytum regem: *locos communes, à philosophis in studiosorum usum* selectos, de naturali, artificiali, & nouissima memoria, & alios libellos. Quos quidem, *cum cohortarer ut prælo committeret*, respondens: Sequar Marci Fabij Quintiliani (inquit) consilium, & Horatij *in arte poetica*: qui suadēt, *ne nimium præceps sit editio*, sed *nonum premātur in annum*. Scripsit de Nominis ac Verbi, potētissimorum regum in regno Grammatico, calamitosa &

Exitiali pugna, Lib. 2. *Dignissimus Imperator, & esse.*
De patientia Grisilidis, Com. 1. *Exemplar ut sim muliebris pa.*
De *Melibæo* Chauceriano, Com. 1. Peregrè *profecto Melibæo, ani.*
De Titi & Gisippi amicitia, Com. 1. Tenebricosa nocte hac, procel.
De *Sodomæ incendio*, Tra. 1. *Quid'nam est quòd haud ita.*
De Io. *Husi damnatione*, Tra. 1. *Ex quo nouissimè aderam, fra.*
De *Ionæ defectione*, Com. 1. *Si cuiquam à tenebrarum prin.*
De *Lazaro ac diuite*, Com. 1. *Viris mulierum garritum obstre.*
De *Iudith fortitudine*, Com. 1. *Tacitè secum, & in sinu gaud.*
De Iobi *afflictionibus* Com. 1. *Nil ex me boni oritur, ad.*
De *Susannæ liberatione*, Tra. 1. Solymannus Turcarum rex, hoc.
De *puerorum institutione*, Lib. 1.
Epistolas ad tyrones, Lib. 1.

Orationes extemporales,	Lib.1.
Congratulationem pacis,	Lib.1.
Locos communes,	Lib.1.
De triplici memoria,	Lib.1.
Epigrammata quoq;,	Lib.1.

Sunt & alia, quæ in eius bibliotheca uidi, sed eorum tituli non occurrunt. Claruit Radclifus, anno à Christi seruatoris ortu 1552, sub Edvuardo sexto, regũ, quos tunc alebat mundus, omniũ Christianissimo, uaria cõdens ac scribens. Nescioq́ an sub Antichristi tyrannide adhuc uiuat.

NICOLAVS GRIMOALDVS. XCIX.

Nicolaus Grimoaldus, scholasticorũ sui temporis non infimum decus, & Cantabrigiensis academiæ primùm alumnus, ex Christi collegio, quod condidit olim Margarita Henrici septimi regis mater, artium professione donatus, prodijt. Maximam à bonis literis & utriusque linguæ cognitione hic laudem sibi postea peperit, & partam adeò auxit, in Oxoniensi gymnasio rhetoricæ lector publicus, ac progymnasmatum seu præexercitamentorum eius artis interpres, ut ornamentum planè eximium et illic haberetur. Tanta certè eloquẽtia Marci Tullij Ciceronis Partitiones oratorias, Epistolas familiares, & ad Octauium de Republica, homo disertus publicauit, tantaq́ gratia Publij Vergilij Maronis Georgica atque primam eius Eglogam exposuit, ut admirationi quàm multis esset. Animum insuper ad rem uerè Christianam applicans, tam scriptis quàm uiua uoce, salutem in unico seruatore Iesu sitam esse, feruenter & ostendit & docuit, suæ non, sed diuinæ tandem gloriæ studiosus. Quæ liberalitas maior, aut largitio liberior esse potest, quàm quæ magno sumptu ac labore didicimus, gratis impertiri cæteris? quemadmodum hic noster Grimoaldus fecit. Qui, ut nostri operis scopum attingam, scripsit super clarissimi ducis Somersetensis Edvuardi Semerij restitutione,

Congratulatorium carmen,	Lib.1. Qui comples humilem cœlesti.
Archiprophetæ tragœdiam,	Lib.1. Postquam hoc à me poema tra.
In Georgica Vergilij,	*Lib.4. Quæ de agricultura, Mecœnas.*
In Eglogam primam eiusdem,	Lib.1.
Ad amicum Ioan. Baleum,	Lib.1. Labores tuos, optime atq; eru.
Famæ comœdiam,	Lib.1. *Illustrißimo atq; optimo prin.*
Vocem populi,	Lib.1. Vniuersi qui curam animarum.
Christum nascentem,	Lib.1.
Christum rediuiuum,	Lib.1.
Protomartyrem,	Lib.1.
Athanasium, seu infamiam,	Lib.1.
De controuersis scripturæ locis,	Lib.1.
Epistolarum familiarium,	Lib.1.
Carminum & epigrammatum,	Lib.2.
Declamationum & orationum,	Lib.1.
In Partitiones Tullij,	Lib.1.
In eundem ad Octauium,	Lib.1.
In quasdam eius epistolas,	Lib.1.
In Andriam Terentianam,	Lib.1.
In epistolas Horatij,	Lib.1.

In Officia Ciceronis,	Lib.1.
Explicationes psalmorum,	Lib.1.
Conciones aliquot,	Lib.2.
Troilum ex Chaucero, comœdiam,	Lib.1.
Rhetoricam in usum Brytannorum,	Lib.1.
Cantiones rhythmicas,	Lib.1.

E Græco transtulit,

Xenophontem de disciplina Cyri,	Lib.8.
Hesiodum Ascræum,	Lib.2.
Chiliades Erasmi transt.	Lib.1.

Matthæi Vindocinensis Tobiam emendauit, & Iosephi Deuonij sex libros de bello Troiano, aliaq; multa fecit, carmine ac prosa celeberrimus. Claret in Anglia, hoc anno à communis nostræ Salutis origine 1556, quo hæc scripsimus, magno Antichristo per fœminā illic regnante, ac sese sanctißimorū martyrū sanguine ingurgitāte.

IOANNES BALEVS. C.

IOannes Baleus, patria Sudouolgius, in Coui pago, tribus à Sutholdio milliarijs, quinque à Dunuico, parentibus Henrico & Margarita natus, ab insularum dispartitione per Iapheti filios ac posteros usque in hunc annum à Christi natiuitate 1557, per annos 3618, præsens opus Brytanniæ scriptorum perduxi. A' parentibus enim, numerosa prole tum grauatis, tum pseudoprophetarum præstigijs delusis, duodecim annorum puer, in Carmelitani monachatus barathrum, in urbe Nordouicēsi trudebar, ut à Christi professione ad montem in ocio cōtemplandum demigrarem, montisq; deinceps sectator essem. In omni literarum barbarie ac mentis cæcitate illic & Cantabrigiæ peruagabar, nullum habens tutorem aut Mecœnatem: donec lucēte Dei uerbo, ecclesiæ reuocari cœpissent ad ueræ theologiæ purissimos fontes. In eo autem splendore ortus nouæ Hierusalem, non à monacho aut sacrifico uocatus, sed ab illustri Domino Vuenfordo, tanquam à Centurione illo qui Christum Dei filium esse dicebat, seriò excitatus, deformitatem meam quamprimùm uidi & agnoui. Protinusq; diuina bonitate, ab arido monte in floridam ac fœcundam Euangelij uallem transferebar: ubi omnia reperi non in arena, sed supra solidam petram ædificata. Vnde scelestißimi Antichristi characterē ilicò abrasi, iugaq; eius omnia à me longè proieci, ut essem in sortem & libertatem datus filiorum Dei. Et ne deinceps in aliquo essem tam execrabilis bestiæ creatura, uxorem accepi Dorotheam fidelem, diuinæ huic uoci auscultans: Qui non continet, nubat. Crux hinc statim sequebatur, quæ me hucusq; non deseruit. Exutus fortunis omnibus, ex concione ad tribunalia mox trahebar, Eboraci primùm sub Læo, Londini postea sub Stokisleyo: sed pius Cromvuelus, qui regi Henrico ab intimis erat, ob editas comœdias me semper liberauit. Post cuius mortem, in inferiori Germania octennio mansi, per episcoporum tyrannidem exul: ubi in Anglico sermone opuscula multa scripsi. Ab Edvuardo sexto pijssimo rege tandem reuocatus, & Ossoriensis in Hybernia episcopus factus, Christum crucifixum atq; in cœlis iam glorificatum (non impanatum illud idolum, in missis exhibitum) solum eis ad salutem ualere nunciaui. At morte sublato sanctißimo rege (cuius regnum Anglis erat tanquam illud dimidiæ horæ silentium in octauo Apocalypsis: ac dies 1335, in duodecimo Danielis) inter parata à Papicolis uenena, tela, spicula, mucrones, gladios, & alia

alia centum pericula, occisis etiam famulis: pijssimus Deus me denuò captum, irrisum, ac demum à piratis uenditum, misericorditer liberauit: & in Germaniam, tutissimum Christianę pietatis portum, unà cum uxore, sua solius manu perduxit. Ita ut de me uerificari posit hoc Baptistæ Mantuani distichon,

Nam quoties adij perplexa negocia, semper
Eximia iuuit me pietate Deus.

Nunc autem in fine harum octo Centuriarum pręcedentium, in quibus ab anno mundi 1909, usq; in pręsentem annum à Christo nato 1557, ordinem annorũ seruaui, Scriptoribus his meipsum cum exilibus scriptis adiungo: Hieronymi & Gennadij inter ueteres, Trissę ac Tritemij inter recentiores, prouocatus exemplo. Et ne mihi imputetur ambitiosa præsumptio, ultimam in hac Centuria, ex longo labore fessus, occupo sedem, dicti Seruatoris non immemor: Accumbe in nouissimo loco. Ex diuersarum terrarum bibliothecis, dum adhuc in Papistarum Babylone uersarer, collegi ac scripsi, Latinè,

Fasciculum ex omnibus,	Lib.3. *Religionis huius initia & progreß.*
Scriptores ab Helia,	Lib.2. *Præsens Catalogus paucos admodum.*
Scriptores à Bertoldo,	Lib.6. *Cæterarum militantis ecclesiæ rel.*
Additiones ad Tritemium,	Lib.1. *Peruenit tandem ad nostræ lectio.*
Collectiones Germanicas,	Lib.1. *Ex historiarum magistro habetur.*
Collectiones Gallicas,	Lib.1. *Doctori Marco de furno, Carme.*
Collectiones Anglicas,	Lib.1. *Theodoricus Vuagenigh, Germanus.*
Varia doctorum uirorum,	Lib.1. *Oratio Martini Personæ Itali, rhe.*
Catalogum Generalium,	Lib.1. *Bertoldus Lemouicarum Aquitaniæ.*
Spirituale bellum,	Lib.1. *Fortis armatus custodit atrium.*
Castellum pacis,	Lib.1. *In omnibus exhibeamus nosmet.*
Conciones pueriles,	Lib.2. *Misit Saul apparitores qui rape.*
Ad Hulliensem synodum,	Lib.1. *Introduxi uos in terram Carme.*
Ad quasdam quæstiones,	Lib.1. *In scholastici certaminis medio.*
Appendices ad Paleonydorum,	Lib.1. *Post stragem, quam uocant, Babyloni.*
Historiam patronatus,	Lib.1. *Hæc est illa nubecula, quam per.*
Historiam Simonis Angli,	Lib.1. *Sublimatus in Pastorem, gregis.*
Historiam Franchi Senensis,	Lib.1. *Franchus inuictißimus miles.*
Historiam diui Brocardi,	Lib.1. *Hostis antiqui inualidus conatus.*
In præfationem Fastorum Mant.	Lib.1. *Quod ad Cæsarem Ouidius Naso.*

Extra regnum Papisticum, à Lelando prouocatus, Latinè edidi,

Anglorum Heliades,	Lib.2. *Quo patriam gentem adornes, doct.*
Brytanniæ scriptores,	Lib.12. *Magnum Dei opt. max. beneficium.*
In Vualdeni tres tomos,	Lib.3. *Abagarus rex Gesismorum in Edis.*
In Fasciculum Zizaniorum eiusdem,	Lib.1. *Abhominatio desolationis, à Da.*
In Polydori inuentiones rerum,	Lib.1. *Aeromanticæ diuinationis origo,*
In Ioan. Textoris officinam,	Lib.1. *Absorpti terra homines sunt.*
In catalogum Capgraui,	Lib.1. *Abendoniæ monasterium fundatur.*
In uitas Pontificum Barnes.	Lib.1. *Abbates, ordines dare permittuntur.*
Epitomen Lelandi, de uiris illust.	Lib.1. *Post diutinas atq; aßiduas.*
Acta Romanorum Pontificum,	Lib.7. *Exordiens Romanorũ Pontificũ acta.*

In idio-

In idiomate materno, comœdias sub uario metrorum genere:

Vitam D. Ioannis Baptistæ, Lib. 14. Ab Aaron sacerdote primam origin.
De Christo duodenni, Com. 1. Magna causa nos urget ad hanc.
De baptismo & tentatione, Com. 2. Priusquam natus adhuc essem, &.
De Lazaro resuscitato, Com. 1. Genitus à patre cœlesti filius.
De consilio pontificum, Com. 1. Pontificiam adeptus dignitatem.
De Simone leproso, Com. 1. Protoplastem Adamum, uarijs incon.
De cœna Do. & pedum lotione, Com. 1. Expedit modò ut uobis omnia con.
De passione Christi, Com. 2. Tempus nunc instat, quo singu.
De sepultura & resurrectione, Com. 2. Astrorum conditor ac moderator.
Super utroq; regis coniugio, Lib. 2. Fortia eorum facta qui regnarunt.
De sectis Papisticis, Lib. 2. Perpendat Christianus lector, in.
Erga Momos & Zoilos, Lib. 2. Ex debito uos salutarem, nisi.
Proditiones Papistarum, Lib. 2. Eo animo uos congregatos.
Contra adulterantes Dei uerbum, Lib. 1. Omnia primum per Dei uerbum creata.
De Ioanne Anglorum rege, Lib. 2. Quum Dominus æterno beneficio.
De imposturis Thomæ Becketi, Lib. 1. Si ab origine mundi consideretis.
De magnis Dei promissionibus, Lib. 1. Si emolumentum aliquod aduenire.
De prædicatione Ioannis, Lib. 1. Christi regnum iam nunc florere inci.
De Christi tentatione, Lib. 1. Post suum baptismum, Christus Dei.
Corruptiones legum diuinarum, Lib. 1. In omni republica, præferri leges.
Amoris imaginem, Lib. 1. Amoris describendi causa, huc con.
Pammachij tragœdias transtuli, Lib. 4. Quid adferamus, si uacat cog.

Alios adhuc libros in prosa, & in Brytannico sermone edidi:

In Apocalypsim Ioannis, Lib. 3. Tam necessaria, Christiane lector.
Aduersus impostorem Standicium, Lib. 1. Duplici præmio dignum, hominem illũ.
Contra iurandi consuetudinem, Lib. 1. In uinea Domini, charissime fra.
Hominem peccati, contra Bonerum, Lib. 2. A' mundi origine auditum non est.
Mysterium iniquitatis, Lib. 1. Clarum est illis, dilecte in Domino.
Contra Antichristos, Lib. 1. Amico in Christi professione sing.
Certamen Ioannis Oldecastelli, Lib. 1. In profanis ueterum oratorum ac.
Acta cœlibum Anglicorum, Lib. 4. Gildas antiquus Brytannorum histo.
Dialogos quosdam, Lib. 1. Quoniam sua bonitate constituit me.
Cantiones Christianas, Lib. 1. Psallite Domino fideles omnes.
Contra Baalis sacrificulos, Lib. 1. Prodeant Papicolarum sacrifici, &.
Apologiam pro Barnes, Lib. 1. Furibundus quidam atq; insanus Pap.
Pro Grayo contra Smithum, Lib. 1. Licet faber ex cognomine sis.
Contra suasionem Papisticam, Lib. 1. Quilibet nugator ac sycophanta.
Super Annæ Askeuue martyrio, Lib. 2. Inter cætera officia peculiaria.
Ad Elizabetam regis filiam, Lib. 1. Plures erant, illustrissima domi.
Contra cleri cœlibatum, Lib. 1. Paucis abhinc mensibus, casu.
Super itinerario Lelandi, Lib. 1. Inter omnes nationes, quas.
De ueris hæreticis, Lib. 1. Laboriosum esset, Christiane lector.
Locupletationem Apocalyseos, Lib. 1. A' condito seculo, præclarissime dux.
Expostulationes in Papistam, Lib. 1. Perpendens in tua dominatione.
In Mantuanum de morte, Lib. 1. Ad iustam petitionem amici cu.
Missam crapulosorum, Lib. 1. Ex urbe Nordouicensi redeundo Londi.

Contra

Contra missam Papisticam, Lib.1. Tam insolitas, subitas ac peri.
De uocatione ad episcopatum, Lib.1. Ob tria potissimum, dilecti in Christ.
Contra Boneri articulos, Lib.1. Perpendite in hisce articulis.
Super obitu Lutheri, Lib.1.
Confessionem Ioannis Lamberti, Lib.1.
Hebdomadem coram Deo, Lib.1.

Facetias ac iocos sine certo numero feci, multaq; transtuli. Atq; ut paucis absoluam, in optima Germania, quæ afflictis Christianis est asylum, peregrinus & inops me contineo, dum in Anglia molitiones giganteas, Antichristus cum talis militibus parat, aduersus scientiam Dei. Quid interim & illic, ne solita crux desit, in me moliatur Sathan, quòd synagogam eius oppugnem, non per sophistas aut papicolas solùm, sed per illosipsos quoq;, qui in arce religionis de palma contendunt, quotidiana experientia sum doctus. Cum Smyrnensibus enim blasphemias & mendacia persero, eorum qui se dicunt Iudæos & Apostolos. Concedat Dominus, ut nec hos timeamus, sed imminentes afflictiones fortiter feramus, fidelesq; persistamus ad mortem usq;: Amen.

CENTVRIAE OCTAVAE SCRIPTORVM BRYtanniæ Finis, Authore Ioanne Baleo.

AD CHRISTVM PRECATIO ex Mantuano.

Christe precor faueas rebus mitissime nostris,
Et senio miserere graui, miserere sepultæ
In uarijs uitæ ærumnis. Iam uespera nostram
Est clausura diem, cum tempore labitur ætas.

AD D. IOANNEM BALEVM, POST PROMVLgationem sex articulorum in Anglia, Ioannes Parkhurstus.

In transmarinis quòd plagis
Versare inops, pauperculus,
Cum coniuge, & cum liberis,
Episcoporum tyrannide
Iam sæuiente in Anglia:
Animo est ferendum æquo tibi.
Et fers: nisi hoc fortè excidit,
Nec excidisse, sat scio:
Solum omne forti patria.

Vu IOANNIS

IOANNIS BALAEI SVDOVOLGII, ANGLI, DE SCRIPTORIBVS BRYTANIAE, qui nostro seculo iam claruerunt.

CENTVRIA NONA.

IOANNES BOVRCHIER. I.



IOANNES Bourchier, armatæ militiæ auratus eques, ac Dominus de Berners, solicita nobilium parentũ cura, ętatem teneram mansuetioribus excoluit disciplinis. Quæ paulatim in eo crescentes, eas administrabant uirtutes, quæ uerè nobilem redere solent. Cum autem Cornubienses rebelles anno Christi 1496, Henricum septimum regem seditioso quodam tumultu molestarent, fabrum ferrarium Michaelem Ioseph tam cæcę temeritatis constituentes primipilum: nemo paratior erat, nemo animosior in coercendis insanientium eorum aliorumq́ꝫ furoribus. Tandem ad Henricum octauum Anglorum regem, tranquillum ocium nactus, è Gallico, Hispanico & Italico sermone plura in Anglicum transtulit, scilicet

Chronicorum Ioannis Frossardi,	Lib. 4. *Quas gratias historiarum scriptor.*
Vitam Arturij equitis Armoricani,	Lib. 1. *Quia delectabile est omni humanæ.*
Gesta Hugonis Burdegalensis,	Lib. 1. *Tempore quo supputabatur annus.*
Marcum Aurelium,	Lib. 1. *Vetustus omnium gentium, omniumq́.*
Castellum amoris,	Lib. 1. *Affectu desiderij atq; obligati.*

Composuitq́ꝫ

De officijs Caletensium,	Lib. 1.
Comœdiam, Ite in uineam,	Lib. 1.

Obijt Caleti primarius custos, uir certè nobilis, anno Domini 1532, die 16 Martij, in ecclesia maiori sepultus.

GVILHELMVS CHVBBES. II.

GVilhelmus Chubbes, doctor sophisticus, rector collegij Iesu apud Cantabrigianos, scripsit inter cætera,

Introductionem Logices,	Lib. 1. *Bene fundatum praeexigit debitum.*
Declarationem Scoti in secundo,	Lib. 1. *Quicquid natum est, principium est.*

Aliaq; similia. Claruit anno Domini 1500

HENRICVS STANDICIVS. III.

HEnricus Standicius, Minorita, & Asaphensis episcopus, in quotidiana concione plura contra Coletum & Erasmum blaterauit: & semel coram rege ac regina in genua procubuit. Et collaudatis primò eorũ maioribus, quòd semper ecclesiam aduersus hæreticos ac schismaticos defendissent: hortatus, imò per omnia sacra obtestatus est eos, ut pergerent suorum progenitorum esse similes, alioqui deploratã fore Christi religionem. Iussus ut indicaret, quę essent hęreses exitiales, unde metueret: Rem porrecturus in digitos, Primùm (inquit) Erasmus tollit resurrectionem, deinde nihili facit matrimonium, postremò de Eucharistia malè sentit. Et cum ad probationes uentũ esset, pro Corinthijs protulit Colossenses: Omnes quidem resurgemus, &c. risumq́ꝫ peperit multis. Edidit inutilis artifex,

Sermones ad uulgum	Lib. 1.

Contra

Contra uersiones Erasmi, Lib.1.

Et similes nugas. Claruit delirus senex anno à Christo nato 1520, Londini tandem sepultus.

THOMAS PHILOMELVS IIII.

THomas Philomelus, patria Londinensis, metro & prosa exercitatus, ac poeta eruditus, scripsit Elegias tres

In mortem Guilhelmi Lilij, Lib.1. *Plangite Pierides, facundus.*
Super obitu Ioannis Coleti, Carm.1. *Multum deflerat Lacedæmon.*

Atq; *alia.* Claruit anno Domini 1524.

GVILHELMVS GROCINVS. V.

GVilhelmus Grocinus, qui prima Græcę & Latinæ linguę rudimenta in Brytannia hausit, mox solidiorem eisdē operā sub Demetrio Chalcondyle & Politiano præceptoribus in Italia impendit, ac deniq; in utraque lingua peritissimus euasit: domumq; rediens, ad excolenda Brytannorum suorum ingenia, congestas studiorum opes liberaliter effudit, ac posteritati consecrauit

Grammaticam quandam, Lib.1.
Notulas in Terentium, Lib.1.
Contra Hostiolum Vuicleui, Lib.1. *Non est uidere maiorem abominationem.*
Vulgaria puerorum, Lib.1.
Isagogicum quoddam, Lib.1.
Epistolas ad Erasmum & alios, Lib.1.

Quædā Aristotelis opuscula è Græco transtulit, socius Linacri ac Mori. Epigrammata quoque edidit: inter quæ hoc unum est, de sua Iulia Niuacea, uel quia sic dicta erat, uel quia pilam niuaceam puella fortasis in eum torquebat:

Me niue candenti petijt mea Iulia: rebar
Igne carere niuem, nix tamen ignis erat.
Sola potes nostras extinguere Iulia flammas,
Non niue, non glacie, sed potes igne pari.

Idem, quum Gallorum legatus promitteret perdicem, cuicunq; carmen absoluturo, ex tota pube Vuintoniensi:

Accipe perdicem. Capio: *Cape tu meretricem.*

Claruit anno Domini 1510, & obijt sexagesimo ætatis anno.

THOMAS SPENSER. VI.

THomas Spenserus, Leonardi Spenseri apud Nordouicum filius, mihi olim notissimus, secta Carthusianus, composuit

In Paulum ad Galatas, Lib.1.

Trialogum quoque inter Bylnæum, Latimerum & Repsum: in quo Bylnæus & Latimerus Repsum insectantur. Obijt anno Domini 1529, in domo Carthusianorum de Hynton, in patria Somersetensi.

HENRICVS BVLLOCVS. VII.

HEnricus Bullocus, sacræ paginæ doctor Cantabrigiensis, de collegio Reginæ, uir singulariter tam Græcè quàm Latinè eruditus, atq; Erasmo per eam ætatem familiaris, è Græco in Latinum transtulit, Luciani opusculū de serpentibus siticulosis, lib. 1. Scripsit orationes & epistolas: atq; à Cardinale Vuolsio cōpulsus, scripsit contra Lutherū de captiuitate Babylonica, & alia. Sed ubi fuerit mortuus, planè nescio.

GVILHELMVS LATIMERVS. VIII.

GVilhelmus Latimerus, uir utriusq; literaturæ præstantissimus, Linacro non inferior: homo uere theologus, ut Erasmus habet: hoc est, integerrimus simul & eruditissimus, Erasmi quecum primis studiosus, eum salutauit

Longissimis epistolis, *Lib. 1. Redditæ sunt mihi literæ tuæ.*

Pluraq; alia mihi incognita edidit. Claruit anno Domini 1520. Cætera quære in Georgij Lilij Elogijs de Viris illustribus.

IOANNES YONGE. IX.

IOannes Yonge, monachus olim Ramesiensis, qui & libros Hebraicos, corruente unà cum nobili bibliotheca cœnobio, ab interitu conseruauit, pluraq; de Laurentio Holbecko retulit. Quæ ita (inquit Lelandus) in præsentia, animo tanquam memorabilia infiguntur meo, ut obliuionẽ nunquam apud me patiantur ullam. Multa scripsisse dicitur, & claruisse anno Domini 1520.

ARNOLDVS LONDINENSIS. X.

ARnoldus quidam, ciuis Londinensis, animum erga patriam honestissimum gerens, post collectiones uariarum rerum, pertinentium ad historiã, & doctrinas quas ille putabat ad utrãq; salutem necessarias, edidit,

Repositorium quoddam, *Lib. 1. In hoc libro continentur nomina.*

Et alia quædam. Claruit anno Domini 1520.

THOMAS LVPSETVS. XI.

THomas Lupsetus, ciuis Londinensis, sub Coleto ac Lilio in literis probè educatus, & Græcè ac Latinè peritus, Thomæ Vuinterio Vuulsei Cardinalis Eboracensis notho, magnis sumptibus Lutetiæ Parisiorum preceptor aliquandiu adhibitus fuit. Hic scripsit

Exhortationem charitatis,	Lib. 1. *Bene animatus sum promissis.*
Semitam uitæ honestæ,	Lib. 1. *Accidit iamiam Eadmunde suo.*
Viam rectè moriendi,	Lib. 1. *Dicunt superbi uanitatis punc.*
De malis fugiendis,	Lib. 1.
Regulas uitæ Christianæ,	Lib. 1. *Primùm si homini uel mulieri.*
Concilia ex Isidoro,	Lib. 1. *O homo, nosce teipsum, nosce.*
Epistolas familiares,	Lib. 1. *Vix queam, mi Nesene, uerbis.*
In Ciceronis Philippicas,	Lib. 1.
Homelias aliquot,	Lib. 1.
In corruptos seculi mores,	Lib. 1.
De formando uitæ statu,	Lib. 1.
De morte non pertimescenda,	Lib. 1.
Pro Erasmo contra Læum,	Lib. 1.

In Anglicum sermonem transtulit,

Chrysostomi, Nemo læditur,	Lib. 1. *Satis noui crassioris iudicij.*
Cyprianum de ho. immortalitate,	Lib. 1. *Circumspectus ille qui solet.*
Coleti sermones ad clerum,	Lib. 1.

Atq; alia. Febre diu laborãs, trigesimosexto ætatis suę anno Londini contabuit, anno Domini 1532, ad fanum Elphegi sepultus, 27 die Decembris.

GVILHELMVS MELTON. XII.

GVilhelmus Melton, Cancellarius Eboracensis, uir, teste Erasmo, impense

impense doctus, & à Friderico Nausea inter alios theologos commendatus, composuit,

De illis examinandis, qui sacris initiari percupiunt, Lib. 1.
In Pentateuchum, Lib. 5.
In Danielem commentarios, Lib. 1.
In Duodecim prophetas, Lib. 12.
In Machabæos, Lib. 2.
Sermones in Euangelia, Lib. 1.
De musica cœlesti, Lib. 1.

Et alia plura. Claruit anno Domini 1520, uaria componens.

IOANNES SOVVLE. XIII.

IOannes Souule, Carmelita Londinensis, magnus apostoli Pauli æstimator ac propalator, doctor doctori Coleto ualde familiaris, Christi merita cum fidei iusticia, eundem Paulũ secutus, uehementer sublimauit, atq; inter cætera scripsit,

Sermones ex Paulo, Lib. 1. *Paulus seruus Iesu Christi.*
Diuisiones thematum, Lib. 1. *Abijciamus opera tenebrarum.*
Conciones per annum, Lib. 1. *Formido mortis cecidit super me.*

Et alia quædam, Obijt anno Domini 1508. Londini sepultus.

IOANNES BATMANSON. XIIII.

IOannes Batmanson, Carthusianæ superstitionis Lõdini præpositus, & magnæ perspicuitatis sophista, scripsit, ab Edvuardo Læo prouocatus,

Contra Desiderium Erasmum, Lib. 1.
Reuocationem eiusdem operis, Lib. 1.
Contra Martinum Lutherum, Lib. 1.
Palinodiam eiusdem operis, Lib. 1.
De unica Magdalena, Lib. 1.
In Cantica Salomonis, Lib. 1.
In Prouerbia eiusdem, Lib. 1.
De contemptu mundi, Lib. 1.
Instructiones nouitiorum, Lib. 1.
De Christo duodenni, Lib. 1.
Super Missus est, Lib. 1.

Et alia quædã. Obijt Londini anno Domini 1531, in ipsa Carthusia terrę commendatus.

RICARDVS VVHITFORDE. XV.

RIcardus Vuhytforde, ordinis Brigitanorum, in monasterio Syonensi prope Vuindesoram, transtulit in Anglicum sermonem opuscula plura, præsertim,

Martyrilogium sanctorum, Lib. 1.
Additiones ex alijs authoribus, Lib. 1. *Quamplures deuoti, saltem relig.*
Pro gubernatore domus, Lib. 1. *Vbi hanc dedissem lecturam exilem.*
Meditationes solitarias, Lib. 1.

Edidit & alia superstitiosus hic monachus, & claruit anno Domini 1520.

THOMAS ARTOVR. XVI.

THomas Artour, patria Nordouolgius, academiæ Cantabrigiensis alumnus, & Thomæ Bylnæi in persecutione pro Dei ueritate, sub Vvulsij Cardinalis tyrannide, socius, inter cætera congessit,

Microcosmum, tragœdiam, Lib.1.
Mundum plumbeum, tragœdiam, Lib.1.
In quosdam Psalmos, Lib.1.
Homelias Christianas, Lib.1.

Et alia. Transtulit Erasmum, de milite Christiano: & obijt Vualsingamiæ, anno Domini 1532.

HENRICVS BRADSHA. XVII.

HEnricus Bradsha, Cestriensis urbis ad Cambriæ limites alumnus, & ad D. Vuerburgam Benedictinus monachus, ab ipsa adolescentia literas amauit. Edidit uir eloquens, & ut ego accepi, pro ea ipsa ætate admodum pius, in Anglicis metris,

Vitam Vuerburgæ uirginis, Lib.1. *Dum Phœbus in Sagittario cursum*.
Chronicum quoddam, Lib.1.

Cætera eius opuscula non uidi. Obijt anno Domini 1513.

IOANNES PALSGRAVE. XVIII.

IOannes Palsgraue, Londinensis urbis alumnus, excussis primùm in Anglia humanæ philosophiæ elementis, Parisium Galliarũ petijt. Qui post Ludouici 12 Francorum regis mortem, in Angliam reuersus, cum Regina, sua domina, Maria Anglorum regis Henrici octaui sorore, cui datus fuerat in preceptorem linguæ Gallicæ, scripsit ad Angliæ nobilitatem,

Illustrationes eiusdem linguæ, Lib.1. *Difficultas linguæ Gallicæ*.
Annotationes uerborum, Lib.1. *Mox ut factum denunciant*.
Annotationes participiorum, Lib.1. *Dictio, quæ in nostra lingua*.
Epistolas ad diuersos, Lib.1.

Acolasten comœdiam, in Anglicum sermonem transtulit: floruitq; anno Domini 1530.

IOANNES SKVISH. XIX.

IOannes Skuish, patria Cornubiensis, multarum rerum cognitione uir præditus, ac Vuulsio Cardinali à consilijs, historiarũ cultor magnus, Anglicè scripsit, ex Darete, Gilda, Galfrido, Caradoco, Mariano Scoto, Gualtero Oxoniensi, Henrico Huntingtono, Hugone Geneses, Colmanno, Ranulpho, Guidone de Columna, Ricardo Cicestrio Vuestmonasteriẽsi monacho, Matthæo Parisio, Matthæo Florilego, Ioanne Hardingo, & alijs, Epitomen, seu

Abbreuiationes Chronicorum, Lib.1. *De descriptione huius regni*.
De bello Troiano, Lib.1. *Cyprus filius Ianon regna*.

Aliaq; nonnulla fecit. Claruit anno Domini 1530.

ANTONIVS FIZHERBERT. XX.

ANtonius Fizherbert, legis peritissimus, & iudex in Anglia primarius, pro regni iusticiarijs, & alijs patriarũ legum studiosis, in magnis uoluminibus, scripsit

Epitomen legum Anglicarum, *Lib. plures. Henricus octauus* Dei *gratia*.
De agricultura quoq;, *Lib*.1.

Et alia nonnulla. Claruit anno Domini 1530.

IOANNES LYTTLETON. XXI.

IOannes Lyttleton, iurium etiam Anglicorum professor, & inter forenses ætate sua clarissimus, florentes adolescentiæ annos in illis studijs laboriose exegit, ac demum congessit

Super

Opus est impressum Londini. Antonium hic præcessisse dicitur.

VVILFRIDVS HOLME. XXII.

VVilfridus Holme, ex Eboracensium comitatu uir genere quidem nobilis, sed fide & eruditione nobilior, ueritati Dei tunc reuelatæ auscultans, Lyncolniensium & Eboracensium rusticorum commotiones aduersus eandem ueritatem liquidè ac doctè descripsit per Dalogum. Putabant fanatici homines, à Papæ sacrificulis ita persuasi, quòd Euangelij prædicatio cuncta dirimeret, fidem, Ecclesiam, leges, religionem, honestatem, rempublicam, & omnia, atque è medio planè tolleret. Interlocutores erãt, Imperatrix Anglia, & Vuilfridus Holmus. Opus intitulauit,

De utroq; Borealium tumultu, Lib. 1. *Postquam frigora Phœbus profligasset.*
Ad Merlini prædictiones, Lib. 1. *Sed unum, inquam, quòd uix cred.*

Aliaq; nonnulla composuit. Claruit anno Domini 1536, & post aliquot menses obijt mortem.

IOANNES CONSTABLE. XXIII.

IOannes Constable, rhetor ac poeta insignis, doctrinæq; causa celeberrimus, hoc loco inter scriptores Anglicos prætermittendus non est. Latinè enim scripsit inter Musas, quas summopere coluit,

Querelam ueritatis, Lib. 1. *Destinauimus tibi hunc nostrum.*
Epigrammata quoq;, Lib. 1.

Atq; alia nonnulla. Claruit sub Henrico octauo.

IOANNES HELIAR. XXIIII.

IOannes Heliar, homo Latinè, Græcè & Hebraicè doctus, rara ingenij fœlicitate, quum seculum adhuc barbarum esset, inter primos cultioris disciplinę professores, in Brytannia clarum obtinuit nomen. Ex Cardinale Vuulsio (inquit Lelandus) prodierunt Heliar & Frogmorton. Heliar autem scripsit,

In epistolas Ouidij, Lib. 1.
In Sophoclem scholia, Lib. 1.
In Ciceronem pro M. Marcello, Lib. 1.

Chrysostomum de prouidentia & fato transtulit. Epitaphium Erasmi Græcè & Latinè composuit. Claruit anno Domini 1530, multaq; alia congessit.

EDVVARDVS FOXVS. XXV.

EDuuardus Foxus, gymnasij Cantabrigiensis alumnus de regis collegio, & episcopus Herefordensis, cuius opera usus est Henricus octauus, illustrissimus Anglorum rex, in multis ac magnis legationibus per Italiam & Germaniam: inter cętera multa scripsit,

Vtriusq; potestatis differentiam, Lib. 1.
Annotationes in B. Mantuanum, Lib. 1.
Orationes & epistolas, Lib. 1.

Eorum quæ edidit opusculorum nihil aliud uidi. Claruit anno Domini 1530. Primum eius opus, Dominus Henricus de Stafforde, nobilis heros, in Anglicum sermonem transtulit.

IOANNES LAMBERT. XXVI.

IOannes Lambert, aliàs Nicols, patria Nordouolgius, officio sacrificulus, in sua ciuitate primùm, postea Cantabrigiæ, politiores disciplinas, Latinas & Græcas, ad amussim didicit. Inter illos & hic unus erat, gratuito Dei munere, quos anno Domini 1526, Bylnæus & Arturus, eiusdem academiæ tyrones, ad cœlestis philosophiæ studium salubri concione pro

trahebant

trahebant. Deposuit inde superciliũ, quo solent in eo regno Papistici sacerdotes inaniter gloriari: desijtq; apud homines sublimis haberi opinione iusticiæ, ut capax esset iusticię quæ ex Deo est. fidelis ipsius ecclesiæ cupiebat esse minister (quod & erat) in qua uox sonat Euangelij regni Dei, non fragor hominum impiorum, Papæ & suorum oleatorum. Sub impijs sophistis quamplurima patiebatur, quòd negaret diuorum mortuorũ inuocationes, flammeũ Papæ purgatorium, panis in Missa transubstantiationẽ, & artolatriam. Edidit in Anglico sermone ad Regem, ex authoritatibus scripturarum & dictis patrum,

De ueritate Eucharistiæ,	Lib. 1.
Argumenta pro eadem,	Lib. 1.
Locos communes scripturarum,	Lib. 1.

Et alia. Erasmi opuscula quædam in patrium sermonẽ transtulit. At quia coram Papę synagoga Christum confessus est, in sacra synaxi Christum fide, non labijs edi, iuxta D. Pauli & Augustini dicta: grauẽ Londini sui corporis exustionem, Stephani Vuintoniensis & aliorum Antichristorum tyrannide, passus est, anno Christi 1538, sub rege Henrico octauo.

GEORGIVS FOLBERIVS. XXVII.

GEorgius Folberius, in Anglia primùm adolescens optimos authores audiuit: & Latinę pariter & Græcæ linguæ sub illis rudimenta perdidicit. Inde in Gallias commigrans, theologiæ doctor in Montepessulano est effectus. Poeta quoq; ac rhetor insignis fuit. qui scripsit

Epigrammata quædam,	Lib. 1. *Parua uelut ceræ tepefacta.*
Diuersi generis carmina,	Lib. 1.
Elegantes conciones,	Lib. 1.

Aliaq; plura. Claruit anno Domini 1530,

IOANNES HOCHERVS. XXVIII.

IOannes Hocherus, uel Hookerus, Magdalenẽsis collegij apud Oxonium magister, uir quidem doctrina & pietate insignis, ac utraq; lingua, Latina & Græca haud uulgariter eruditus fuit. Is, inquam, plurima composuit: quorum nostras ad manus hæc pauca peruenerunt opuscula:

Introductio in rhetoricam,	Lib. 1. *Conducit ideo intelligere genus.*
Comœdiam, scilicet Piscatorem,	Lib. 1. *Saluete omnes, uobis salutem.*
De uero crucifixo,	*Carm. 1. Quicunq; Christum pendentem cruce.*
Docta epigrammata,	Lib. 1.

Et alia quædam. Piscator, alio titulo Fraus illusa uocatur. Hocherus anno Domini 1541 Oxonij obijt.

THOMAS LANQVET. XXIX.

THomas Lanquet, iuuenis ualde studiosus atq; eruditus, labore ac diligentia non uulgari, in patrio sermone cõgessit, Phrygionem & Gassarum imitatus, à mundi exordio ad Christi natiuitatem,

Chronicorum epitomen,	Lib. 2. *Licet ob uarias causas, quas.*
Expugnationem Boloniæ.	Lib. 1.

Atq; alia. Obijt Londini, anno Christi 1545, ætatis uerò 24, sub editione tertię partis: quam tamen Thomas Cooperu, uir utraque lingua doctus, compleuit.

IOANNES SHEPRAEVS. XXX.

IOannes Shepreus, uel Schepreuus, collegij corporis Christi Oxonij socius, trium linguarum admodum peritus erat: utinam æquè pius atq; do

ctus fuisset. Is uitam doctoris Ioannis Claymundi, eiusdē collegij præsidis, qui in Pliniū doctissimos cōmentarios scripserat, Latinis literis mandauit, *Lib.1.* Libellum Basilij, Hecubā Euripidis, & Herculē Furentē, e Græco in Latinū transtulit, *Li. 2.*

Scripsit præterea epistolā nomine Hippolyti, Ouidianæ Phedre respondentis, cuius hoc initium est: *Reddo tibi miseræ, quam das mihi Phædra salutem, Si dici posit res male sana salus.* Scripsit etiam, recto literarum ordine, iuuandæ memoriæ causa,

Disticha 260, in nouum Testa. Lib.1. A' *priscis oritur Christus, turbatur.*
Carmina quædam erudita, Lib.1.

Et alia. Disticha eius multis in locis aucta sunt, & à Ioanne Parkhursto Anglo in lucem edita. Oxonij obijt Shepreus, anno Domini 1541: & Origenis memoriam uiuens superasse dicebatur.

LEONARDVS COXVS. XXXI.

Leonardus Coxus, ab ipsa pueritia liberalibus disciplinis bene institutus, grammaticus, rhetor, poeta, ac theologus, piusque diuini uerbi demum concionator, transtulit e Græco in Latinum uenerabilis antiquitatis scriptorē, Marcum Eremitā de lege & spiritu, Lib.1. Transtulit in patriū sermonem, Paraphrasim Erasmi in Paulū ad Titum, lib.1. Incip. Postquam regia maiestas per. Scripsit contra eos, qui ab operibus iustificant, lib.1. Scripsit & scholia in G. Lilium, de Octo partium constructione, lib.1. ac diuersi generis carmina & epistolas, lib.1. Claruit anno Domini 1540.

THOMAS SVLMO. XXXII.

Thomas Sulmo, uel Solimount, ortus ex insula Gerneze, quæ Anglis paret, optimarum artium peritus, ac Brytānicarum antiquitatum ualde studiosus historiographus, laboriose collegit, uir diligentissimus,

Acta quædam Thomæ Becketi, Lib.1.
Antiquitates selectiores, Lib.1.

Et alia plura. Obijt Londini anno Domini 1545, apud Carmelitas sepultus. Alij Sulemanum uocant.

IOANNES LANGLONDE. XXXIII.

Ioannes Langlonde, theologię professor Oxoniensis, episcopus Lincolniensis, & Henrico octauo Anglorum regi ab auriculari confessione, Christianorum hominum persecutor iniquus & papista, edidit ad eundem regem, in idiomate Latino,

Sermones in sextum Psalm. Lib.1. *Quando mecum ipse considero.* Alios eius sermones uulgares, Thomas Caius, uir Grecè ac Latinè eruditus, in Latinum sermonem transtulit. Claruit anno Domini 1530,

MAVRITIVS CHANNEY. XXXIIII.

Mauritius Channey, Carthusianæ superstitionis monachus, & ab Anglia, dum Euangelicæ ueritatis lucem non ferret, profugus, insignis hypocrita sub titulo historiæ de uitis Martyrū Anglię superstitiose scripsit,

De Ioanne Roffensi ac Moro, Lib.1. *Reuerendus pater Dominus Ioannes.*
De Reginaldo Brigitano, Lib.1. *Anno Domini 1535, die decima.*
De octodecim Carthusianis, Lib.1. *Postquam omnipotenti Deo placuit.*

Atq; alia quædam. Claruit anno Domini 1540,

CVTHBERTVS TONSTALLVS. XXXV.

Cuthbertus Tonstallus, splendido loco natus, iuris utriusque professor erat, cuius iudicio Erasmus nonnihil tribuit. *De quo Morus in epistola quadā ad eundē Erasmū:* Tonstallo (*inquit*) ut nemo est omnib. bonis

literis instructior, nemo uita moribusq; seuerior, ita nemo est usquam in conuictu iucundior. Post plures sui regis nomine legationes, primò Londinensis, postea Dunelmensis antistes est factus. Erat hic semper habitus pro melancholico & Saturnino somniatore, atq; excogitatore omniũ malorum. Quadã oratione semel se coram huius reginę patre Henrico purgauit, de suspicione conspirationis cum episcopo Romano: sed sub illa nunc tandem ad uomitum est reuersus. Latinè autem scripsit,

De arte supputandi,	Lib.4. *Iam ante aliquot annos in more.*
De laude matrimonij,	Lib.1. *Vetustus omnium gentium, omniumq;.*
De ueritate corporis Christi,	Lib.1.
Contra primatum Rom. *pontificis,*	Lib.1.
Compendium Ethicorum,	Lib.1.
Sermones elegantes,	Lib.1.
Epistolas ad diuersos,	Lib.1.

Aliaq; plura. Rebus humanis excessisse fertur, anno Domini 1556, impius atque obstinatissimus Papista.

RICARDVS SAMSON. XXXVI.

Ricardus Samson, regij olim sacelli decanus, Lichfeldiensis que & Couentriensis episcopus, dum adulator pro asserendo sui regis Henrici, in Angliæ regno primatu ex Dei uerbo, & Rom. pontificis abroganda tyrannide pauca scripsisset, Ioannis Cochlæi, stolidissimi sophistæ, furorem ac phrenesim, tam in se quàm in ipsum concitauit regẽ. Sed rege defuncto, porcus Epicureus ex ueteri consuetudine sciens cum lepore currere, ut est in prouerbio, & cum cane claudicare, pro ambitione & opibus, ad uomitũ miser est reuersus. Latinè Samsonus protulit,

In Paulum ad Romanos,	Lib.1.
In eundem ad Corinthios,	Lib.2.
In quosdam Psalmos,	Lib.2.
Contra primatum Rom. *pontificis,*	Lib.1.

Et alia quædam. Blandiloquus adulator, ac uerę religionis iuratus hostis, anno Domini 1555 obijsse dicitur.

LANCELOTVS RIDLEY. XXXVII.

Lancelotus Ridley, Cantuariensis ecclesiæ præbendarius, ut uocant, uir Christiana eruditione præditus, & diuini olim uerbi, sub Henrico & Edvuardo, illustrissimis Anglorum regibus, buccinator insignis, composuit in patrio sermone, ad consolationem multorum,

In Paulum ad Ephesios,	Lib.1.
In eundem ad Philippens.	Lib.1.
Ad Colossenses quoq;,	Lib.1. *Gratia, misericordia, & pax,*
Commentarios in Iosue,	Lib.1.
In Euangelium Matthæi,	Lib.1.
In ultimas epist. Ioannis,	Lib.2.
In Canonicam Iudæ,	Lib.1.
De 13 abusionibus Missæ,	Lib.1.

Pluraq; alia. Audio illũ, relicta uxore, ad Papæ sodomismũ, cœlibatũ dixissem, esse reuersum, ut eius plenitudinis sit particeps. Cõmiseror illius, si ita est.

ALBANVS HYLLVS. XXXVIII.

Albanus Hyllus, Brytannus, teste Iosia Simlero, Tigurino, medicus nobilissimus atq; optimus, & in omni disciplinarũm genere maximè

uersatus,

versatus, multa in Galenum, quæ ad Anatomen pertinent, conscripsit: ut refert Bassianus Landus Placentinus.

EDVVARDVS VVOTTONVS. XXXIX.

EDvuardus Vuottonus, Oxoniensis academię alumnus, authore eodē Simlero, congessit De differentijs animalium libros decem, Parisijs excusos. Primo autem libro generatim explicatur, quibus modis constituantur animalium differentię: & pręterea animaliū partes recensentur. Secundus, ea speciatim docet, à quibus colligi debent animaliū differentiæ. Tertius continet animalium sanguine præditorum differentias. Quartus, hominis differentias. Quintus, animalium quadrupedum uiuiparorum. Sextus, quadrupedes ouiparas, & serpētes. Septimus, auium differentias. Octauus, aquatilia sanguine prædita, piscium & cetorum genera. Nonus, animalium exanguium differentias continet, & priuatim insectorum. Decimus, continet differentias exanguium aquatilium: scilicet mollium, crustastaceorum, & testatorum, quæ, Zoophyta appellantur. Vuottonum adhuc uiuere puto.

RICARDVS CROCVS. XL.

RIcardus Crocus, quem Curuū Lelandus cognominat, utriusq; linguæ peritus, patria relicta, Germaniā adiuit, ubi pluribus annis, Lipsię primùm, postea Louanij, ad aliquot menses literas Græcas publicitùs docuit, ut Erasmus tradit in epistolis ad Linacrum. Interim ille composuit,

Introductiones in linguam Græcam,	Lib. 1.
Elementa Grammaticæ Græcæ,	Lib. 1.
De uerborum constructione,	Lib. 1.
Elysium Calentium transtulit,	Lib. 1.
Quartum Theodori Gazæ transt.	Lib. 1.

Pluraq; alia fecit. Claruit anno Domini 1530. De calumniante Croco sequēs epigramma Lelandus edidit:

Me fatuum Curuus, fatuorum maximus ille,
Imperio quodam prædicat esse suo.
Vt sim, me furiæ non torquent: illius urgent
Clade Mathematicum nocte dieq; caput.

GVILHELMVS BARLOVVE. XLI.

GVilhelmus Barlovue, Canonicus olim, ut ego accepi, ad Osithę sanctę, in Ostrosaxiæ comitatu, regularis, ab erudito ingenio famā accepit. post auditum uerò Euangelium, mutato uitæ genere, Christi ueritatem aduersus Romanum Antichristū audacter prædicabat. Et factus est primùm sub Henrico octauo Meneuensis, postea sub Edvuardo sexto, Anglorum regibus, Bathoniensis ac Vuellensis episcopus: & scripsit,

Dialogos quosdam,	Lib. 1.
Cosmographiam quoq;,	Lib. 1.

Atq; homelias quasdam elegantes & Christianas. Eius Cosmographiā in bibliotheca regis uidi. Claret nunc in Germania uenerabilis senex, pauper & exul.

IOANNES CAIVS. XLII.

IOannes Caius, Nordouici, primaria Nodouolgiorum urbe, natus, post longa in Brytannijs bonarū literarum exercitia, Patauij apud Italos rei medicæ studio, sub Ioanne Baptista Montano Veronensi, medico longè doctissimo, operam dabat. Et edidit ad Guilhelmum Buttum, qui Hērico

regi tunc fuerat à cura ualetudinis,

De medendi methodo,	Lib.1. Hactenus mihi certum deliberatumq;
Annotationes in Galenum,	Lib.7. Animus erat, ut quæ obiter im.
De ephemera Brytannica,	Lib.1.
De eadem, ad exteros,	Lib.1.
De thermis Bathoniensibus,	Lib.1.
De Galeni libris qui non extant,	Lib.1.

Transtulit è Græco in Latinum,

Galeni libellum de ptisana,	Lib.1.
De ratione uictus Hippocratis,	Lib.1.
De ordine librorum Galeni,	Lib.1.
De septimestri partu,	Lib.1.
De breuibus in Hippocrate,	Lib.1.
Dogmata denotationum,	Lib.1.
Galeni libellum de ossibus,	Lib.1.
Placita Hippocratis & Platonis,	Lib.1.
De usu partium,	Lib.1.
De dignoscendis locis affectis,	Lib.1.
De differentijs febrium,	Lib.1.

Atq; adeò uniuersum Galenum (inquit Gesnerus) si per fata licebit, non sine luculentis scholijs. Galeni libros duos, de motu musculorum, uetustate corruptos integritati restituit, & annotationibus illustrauit. Galenum de Anatomicis, de sanitate tuenda, de comate, de pharmacis, de substitutis medicamentis, & alia in multis locis emendauit. Cornelium Celsum ualde corruptum repurgauit, additis argumentis & scholijs, unà cum librorum ac ponderum Cessiratione. Viuit adhuc Caius, uaria quotidie scribens.

ROBERTVS VVHITYNGTONVS. XLIII.

ROBERTUS Vuhityngtonus, Lichfeldensis, Grammaticus sui temporis non uulgaris: si, ut olim in Maronem Carbilius, atque in Homerum Zoilus, cum Guilhelmo Lilio inutiliter non litigasset. Composuit uir alioqui in sua arte doctus,

Principia Grammatices,	Lib.1. Quot sunt orationis partes.
De octo partibus,	Lib.1. Grammatica scientia est, congrue.
De nominum generibus.	Lib.1. Omne Dei proprium petit hic.
De præteritis & supinis,	Lib.1. Præteritum primæ formando.
De nominum declinatione,	Lib.1. Rectis as, es, a, simul am,
De uerborum formis,	Lib.1. Octuples formas uerborum.
De heteroclitis,	Lib.1. Cum de heteroclitis uariam.
Syntaxim,	Lib.1. Verbum cum recto casu quinto'ue.
De concinnitate Grammatices,	Lib.4. Cum sæpius mecum nonnullos.
De synonomis & epithetis,	Lib.1. Bethleemicus citharœdus ille.
De uariandi formulis,	Lib.1. Cum innumeri formarum sint.
De magistratibus Romanorum,	Lib.1. Romanum imperium primò reges.
De syllabarum quantitate,	Lib.1. Satis admirari nequeo, quid.
De accentu,	Lib.1. Accentus est acutus uel grauis.
De generibus metrorum,	Lib.1. Metrorum undeuiginti generibus.

Et alia. Officia Ciceronis ac Senecam de moribus transtulit in Anglicum sermonem: quæ omnia Londini imprimuntur. Claruit anno Domini 1530.

Dauid

DAVID CLAPHAM. XLIIII.

DAuid Clapham, pręter legis peritiam, in qua plurimum excellebat, in diuersis scientijs eruditus fuit, ac Latinè scripsit

De laude mulierum, Lib. 1.
De uera nobilitate, Lib. 1.

Atq; alia quædam. Transtulit in patrium sermonem,

Erasmum de matrimonio, Lib. 1.
Agrippam de mulieribus, Lib. 1.

Aliaq; multa. Obijt Londini anno Domini 1551.

NICOLAVS VDALLVS. XLV.

NIcolaus Vdallus, elegantissimus omnium bonarum literarũ magister, & earum fœlicissimus interpres, laudabili eruditione preditus: ad nostræ Christianæ reipublicę commodum, tam scribendo quàm uertendo, utilem nauauit operam. Congessit Latinè & Anglicè,

Flores Latini sermonis, Lib. 1. *Quanquam initió quidem, ut ingenuè.*
In Apophthegmata Erasmi, Lib. 1. *Quoniam author ipse in sua præfa.*
Ad Guilhemum Hormannum, Lib. 1.
Ad Ioannem Lelandum, Lib. 1.
Catechismum Papisticorum præsulum, Lib. 1. *Authoritate ac testimonio D. Pauli.*
Contra articulos Cornubiensium, Lib. 1.
Comœdias plures, Lib. 1.
Epistolas & carmina, Lib. 1.

Transtulit ad reginam Catherinam,

Erasmi paraphrasim in Lucam, Lib. 1. *Sicut magister noster Christus.*
In Acta apostolorum quoq;, Lib. 1. *Quia nihil pari expeditione.*
Petrum Martyrem de Eucharist. Lib. 1. *Perlustrans iamdudum honorande.*
Trogœdiam de Papatu, Lib. 1.

Ac plures adhuc alios tractatus cõposuit, ad suæ gentis utilitatẽ. Claruit anno Dñi 1550.

RICARDVS SMYTHVS. XLVI.

RIcardus Smythus, Oxoniẽsis academię sophisticus Hercules, ac theologiæ scholasticæ pręlector publicus, diaboli atq; sui uicarij Papæ regnum, figmentis humanis, mendacijs & hypocrisi uiriliter defendebat: nec ita cõtẽtus fuit tenebrio stolidissimus, ac publicus adulter, donec suas Papisticas fæces in lucem emisisset, ad obscurandã Euangelij gloriam. Scripsit enim in Anglico sermone primùm,

Contra libertatem ieiunij, Lib. 1.
Assertionem sacramenti altaris, Lib. 1. *Fidelis & Christiane lector, uol.*
Defensorium sacrificij Missæ, Lib. 1. *Desudat hic libellus, optime.*
De ueritatibus non scriptis, Lib. 1. *In hoc libro Christiane lector.*
Retractationes suas, Lib. 1. *Sanctus propheta Dauid, audito.*

Latinè etiam edidit,

De cœlibatu sacerdotum, Lib. 1. *Procliue fuerit lector candide.*
De uotis monasticis, Lib. 1. *Virginitas (inquit) aut continen.*
De iustificatione hominis, Lib. 1. *Cum mos inoleuerit, uir optime.*

Et alia plura. Palinodiã fœdissimorũ errorum Londini atq; Oxonij cecinit anno Dñi 1547. sed nunc impostor ac periurus, ut canis ad uomitum redijt.

De Smitho Doctore adultero, nuper Oxoniæ in αὐτοφώρῳ deprehenso, decastichon L.H.

Haud satis affabrè tractans fabrilia Smithus,
Librum de uita cœlibe composuit.

Miles iners magno cum Petro Martyre pugnans,
Illoto castum polluit ore thorum.
Dumq; pudicitiam, dum uota monastica laudat,
Stuprat, sacra notans fœdera coniugij:
Oxonij captus, laqueis constrictus amoris:
Res testata satis, dicere uera licet.
Castra suæ Veneris sequitur iam canus adulter:
Proh pudor, hæc sancti turba petulca gregis.

IOANNES RHESVS. XLVII.

IOannes Rhesus, Brytannicè up Ryse, patria Vuallus, Cambrius uel Brytannus, uir genere quidem nobilis, sed eruditione multo nobilior, eques auratus, antiquitatumq; suæ patriæ ualde studiosus, pro suis Brytannis plura aduersus Polydorum Vergilium scripsit Latinè ac doctè: præsertim opus, cui pro titulo addidit, *Fidem Historiæ Brytannicæ,*

Contra calumniantem Polydorum, Lib. 1.
Pro rege Arthurio, Lib. 1.
De uarijs antiquitatibus, Lib. 1.
Tractatum de Eucharistia, Lib. 1.

Et alia, ut à referentibus audiui. Claruit ueterum scriptorum perquisitor maximus, anno Domini 1550.

NICOLAVS BRIGAMVS. XLVIII.

NIcolaus Brigamus, homo Latinè doctus, & Anglicarum antiquitatũ amator maximus, ab alijs literarum studijs ad forenses causas traductus, magna enituit prudentia. Scripsit ille,

Venationes rerum memorabilium, Lib. 1.
Rerum quotidianarum, Lib. 12.

Aliud apud illum uidi nihil. Claruit anno Domini 1550.

ROBERTVS TALBOTVS. XLIX.

RObertus Talbotus, Nordouici cathedralis ecclesiæ canonicus, ut uocant, præbendarius, pręstanti bonarum literarum scientia clarus, & antiquitatis amans, ex uetustis carminib. ac rhythmis quorundã ueterum authorum collegit opus, quod uocat

Aurum ex stercore, Lib. 1.

Plura alia conscripsisse eum scio, at non dedisse in lucem. Claruit anno Domini 1550.

EDVVARDVS BRAYNEVVODE. L.

EDuuardus Braynevuode, ciuis Londinensis ac scriba, honesta natus familia, præter studia patriarum legum, Latinarũ literarum cognitionem habens, collegit sui temporis,

Virorum illustrium res gestas Lib. 1. *Ioannes Skeltonus poeta laureatus.*

Londini mortem obijt anno Domini 1556, post uarias Gardineri & aliorum Papicolarum molestationes graues.

EDVVARDVS HALLVS. LI.

EDvuardus Hallus, politioribus à tenera ętate literis adornatus, ex longo Brytãnicarum legum studio, peritissimus tandem euasit. Qui cum paratum haberet ingenium, atq; oris in dicendo facundiã, tantam sibi comparauit authoritatem, ut in clarissima urbe Londinensi, iudicem in causis ciuilibus ageret. Hic insigni prudentia uidens illustrissimas Lancastrensiũ & Eboracensium principum familias (quas albam & rubram uocant rosas) post diuturna dissidia, in potentissimo rege Hẽrico octauo, per faustissimum

ßimum patris sui cum Elizabetha Eduuardi quarti filia cõnubium, fœlicißimè conuenire: ut obliquos quorundam animos pacatiores redderet, ac quietem in Anglicana republica perpetuò deinceps, pro uirili sua nutriret, præclarißimum Chronicon in patrio sermone edidit ad eundem Henricum regem, quòd uocabat

Earundem familiarum unionem, Lib. 8. *Obliuio perniciosa, claritudinis inimica.*

Opus incipit ab Henrico quarto, & in morte Henrici octaui desinit. Obijt Hallus anno Domini 1547, Londini sepultus.

DAVID TOLLEY. LII.

DAuid Tolley, uel Taualegus, patria, ut ferunt, Deuonius, ac posesßione medicus, præclari uir ingenij, atque optimarum artium cognitione locupletatus: scripsit inter cætera,

Progymnasmata Grammatica Græcæ, Lib. 1. *Octauus iam agitur annus.*
Themata Homeri, Lib. 1.

Dicitur edidisse quoque Grammaticam regis, ex omnibus alijs. Claruit anno Domini 1550.

RICARDVS TRACIVS. LIII.

RIcardus Tracius, de Todyngton, in comitatu Glocestriæ, armiger, Guilhelmi Tracij Christiani genitoris filius, uir clarus & doctus, pius ac syncerus ueritatis amator, ad rei Christianæ commodum in Anglico sermone composuit,

Super excæcatione cleri, Lib. 1. *Metuendißime rex, ac Christia.*
De fide iustificante, Lib. 1. *Victoriosißime princeps, & pri.*
Præparationes ad crucem, Lib. 1. *Dum hominis imbecillem conditio.*
Pro suscipienda Eucharistia, Lib. 1. *Diuus Petrus aduersarium circu.*
De arte moriendi, Lib. 1.
Contra articulos Papismi, Lib. 1.

Et alia. Claruit hic Christi seruus anno Domini 1550, sciens desiderabilia esse Dei eloquia, super aurum & lapidem preciosum.

THOMAS GYBSONVS. LIIII.

THomas Gybsonus, Morpethensis, ex patria Dunelmensi, Medicus artetuit est, in cuius manu Dominus posuerit singulari suæ gratiæ beneficio, uariarum ægritudinum sanationes incredibiles. hos ille tractatus, quos aliquando uidi, congesßit,

Herbarium magnum, Lib. 1. *Studia talis sunt uigoris.*
Contra Alcumistas imperitos, Lib. 1. *Deus ita creauit naturam.*
Proditiones Prælatorũ à côquestu, Lib. 1. *Anglorum rex Heroldus, coactus.*
De cæremonijs Paparum, Lib. 1.
De sanandis morbis communibus, Lib. 1.
De utroque homine, Lib. 1.

Opus de uario Brytaniæ statu, in quinque partes distribuendum incepit. num id compleuerit, nescio. Viuit adhuc, & in multos annos uicturum certè cuperem.

GVILHELMVS SALISBVRIVS. LV.

GVilhelmus Salisburius, Brytãnus uel Cambrius genere, bonis à pueritia literis institutus, multarũ rerum noticia, prudentia et eloquentia polluit. Ad regem Henricum octauum iuuenis hic scripsit,

Dictionarium Cambricæ linguæ, Lib. 1. *Dum inter uarias & multas.*
De Anglica pronunciatione, Lib. 1.

Antiqui-

Antiquitates & leges Houuelis, Lib.1.

Aliaq; plura. Claruit anno Domini 1550, uaria condens.

THOMAS CAIVS. LVI.

THomas Caius, alias Keye, homo in literis tam sacris quàm prosanis, tam Græcis quàm Latinis, utiliter eruditus, ob fidei candorem, eorum unus erat, quos excellentissima Anglorum regina Catherina Parra, pro Erasmi paraphrasibus in nouum Testamentum in Anglicam linguam uertendis selegit. Qui & in ea functione non segnem nauauit operã. Transtulit enim in idioma maternum,

Paraphrasin in Marcum, *Lib.1. Inter innumera beneficia, quæ.*

Ab Anglico in Latinum,

Sermones Ioannis *Longlande,* Lib.1.

E' Græco in Latinum, ad Cantuariensem:

Aristotelem de mirabilibus mundi, Lib.1.

Tragœdias quasdam Euripidis, Lib.1.

Isocratis orationem tertiam, *Lib.1. Non desunt qui perinde sunt.*

Et alia multa. Isocratis oratio, Nicocles seu socialis inscribitur. Claruit Caius anno Domini 1550.

EADMVNDVS ALEN. LVII.

EAdmundus Alen, patria Nordouolgius, utriusque literaturæ Latinæ ac Græcę peritus, illustrissimę principis Elizabethę olim à sacellis, Anglicè concinnauit

Doctrinæ Christianæ Catechismũ, Lib.1. *Omnipotens misericordiarum Deus.*

Trastulit in patrium sermonem,

Alexandrũ Alesium, de authoritate uerbi Dei: Philippum Melanchthonem, super utraq; sacramenti specie: & Conradum Pellicanum super Apocalypsim. Ac alia nonnulla fecit. Claruit anno Domini 1550.

IOANNES SETONVS. LVIII.

IOannes Setonus, Cantabrigiensis alumnus, in ethnicorum scriptis ita uersatus est, ut Lelandus de illo hoc protulerit: Huic musæ lepôrem debent Atticum, rhetorica facundiam, dialectica acumen, & philosophia prudentiam: sed addidisset, ueritatis pro uentre contemptus stultitiam irradicabilem. Adulator enim & Papista stolidissimus est. Sub olitore Vuintoniensi, ut scripturæ sacræ Aristotelico spiritu intelligantur, in lucem emisit,

Dialecticam breuem, *Lib.1. Reuerendam tuam dominationem.*

Carmine palpator scripsit,

Panegyricos, redeunte Papismo, *Carm.1. Multa timor tremulus, sed plura.*

In coronatione reginæ Mariæ, *Carm.1. Comica res olim cum spectaretur.*

Pro Artolatria, *Carm.1. Israel fugiens Memphim, transit.*

Et alia tam carmine quàm prosa. Vixit anno Domini 1553.

IOANNES HERONVS. LIX.

IOannes Heronus, in bonis artibus liberaliter ab ipsa pueritia nutritus, ac linguarum peritus, literas semper omnibus Crœsi thesauris prætulit. Ille inter cætera quæ patrauit multa, ab Anglico in Latinum transtulit sermonem, Roberti Crovulæi explicationem petitoriam, sub rege Edvuardo sexto,

Ad regij Parliamenti concilium, *Lib.1. Cui nam homini tam plumbeus.*

Kenelmo Throckmortono opusculum illud dedicauit. Audio illũ Latinè multa scripsisse. Claruit anno Domini 1550.

GEOR-

GEORGIVS IOYE. LX.

GEorgius Ioye, patria Bedfordiẽsis, studio Cantabrigianus, cœlestem Christi doctrinam ex purissimis Euãgeliorum fontibus hauriens, nõ nulla sub Vulsio Cardinale, Roffense, Moro, & alijs Antichristi Papæ ministris ac tortoribus pertulit incommoda. unde compulsus in Germaniam fugere, multos Bibliorum libros in patrium sermonẽ transtulit. hosq; qui sequuntur composuit libros, scilicet

Collapsam ecclesiam Mori,	Lib.1. *Postquam placuisset pijssimo.*
Ad priorem de Neuuenham,	Lib.1. *Patri nostro reuerendissimo.*
Compendium passionis Christi,	Lib.1. *Seruator noster Christus in.*
Apologiam ad Tyndalum,	Lib.1. *Postquam Guilhelmus Tyndal.*
De cœna Dominica,	Lib.1. *Cum uidisset epulones Christus.*
Item de Eucharistia,	Lib.1. *Haud mirandum, chari fratres.*
De baptismo & Eucharistia,	Lib.1. *Quia constat homo ex duabus.*
Matrimonij defensionem,	Lib.1. *Cum populus Dei uocaretur.*
De oneribus cæremoniarum,	Lib.1. *Paulus, electum uas Dei, &c.*
Commentarios in Danielem,	Lib.1. *Cum in ipsa hyeme hæc scriberem.*
Contra Gardineri articulos,	Lib.1. *Quosdam casu articulos in.*
Refutationem eorundem,	Lib.1. *Intelliges candide lector, quòd.*

Et alia quædam. Obijt Christianę ueritatis assertor, anno Domini 1553, in sua patria sepultus.

MILO COVERDALVS. LXI.

MIlo Couerdalus, patria Eboracensis, ex Augustiniano fraterculo Christianus minister factus, ex primis unus erat, qui renascente Anglorum ecclesia, cum Roberto Barnso, suę professionis doctore, Christum purè docuit. Alij partim, hic se totum dedidit ad propagandam Euangelij regni Dei gloriam, ut patet in utriusq; Testamenti laboriosissima uersione. Exarauit etiam uir pius & doctus, in natiuo sermone,

Confutationem Ioann. Standicij,	Lib.1. *Septimo die Decembris trad.*
Ordinem rectum cœnæ Do.	Lib.1. *Omnibus qui esuriunt & sit.*
Defensionem cuiusdam Christiani,	Lib.1. *Cogit amor æqui iudices.*
Noui Testamenti concordantias,	Lib.1.
Catechismum Christianum,	Lib.1.

Transtulit in Anglicum sermonem, prętei Biblia tota,

Bullingerum de antiqua fide,	Lib.1.
Eundẽ de matrimonio Christiano,	Lib.1.
Lutherum super Dominus regit,	Lib.1.
Osiandrum super Qui habitat,	Lib.1.
Psalterium Ioannis Campensis,	Lib.1.
Cantiones Vuitenbergensium,	Lib.1.
Apologiã aduersus conciliũ Mantuæ,	Lib.1.
Erasmi paraphrases in Paulum,	Lib.4.

Aliaq; plura fecit. Claruit episcopus Excestriensis sub rege Edvuardo sexto, anno Domini 1552, nunc autem in Germania pauper ac peregrinus manet.

IOANNES OLDVS. LXII.

IOannes Oldus in literis tam sacris quàm profanis insigniter eruditus, post intellecta scripturarum mysteria, ardenti Christianę pietatis amore flagrans, Christũ per Angliæ synagogas aduersus Papatũ ualde constanter

docuit. Multa & iste ex Christianis authoribus, optima fide in patriam linguam uertit, præcipuè in D. Paulum ad Ephesios, Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses, Timotheum, Titum, Philemonem, & Hebręos,

Erasmi paraphrases,	Lib. 10. *Quia candide lector quisq; sacrificus.*
In epistolas Canonicas,	Lib. 7. *Excellentißimæ dominæ Annæ.*
Homelias de Antichristo Gualt.	Lib. 1.
De uera obedientia, Gardineri,	Lib. 1.

Composuit etiam,

Confeßionem antiquæ fidei,	Lib. 1. *Amici dilectißimi, ac fratres.*

Pluraq; alia fecit. Cum populo Dei in Germania nunc peregrinatur.

THOMAS COTTISFORDVS. LXIII.

Thomas Cottisfordus, post liberalium artium professionem Cantabrigiæ factam, exorta ueritatis luce, manum statim admouit cœlestis doctrinæ aratro, & Euangelium regni per Angliam synceriter prædicabat. Scriptis etiam libris profecisse illum Christianæ reipublicæ plurimum, nouerunt hi qui eos uel legerunt uel audierunt. Anglicè enim congesſit pijssimus homo,

Exhortationem ad communicantes,	Lib. 1.
Ad ægrotantes & morientes,	Lib. 1.
Meditationem mulieris prægnantis,	Lib. 1.
Dialogũ inter patientẽ & medicũ,	Lib. 1.
Aduersus contractus occultos,	Lib. 1.
Contra Anabaptistas,	Lib. 1.
Ad eorum argumenta & rationes,	Lib. 1.
Ad senatũ Londinẽsem pro pauperib.	Lib. 1.
Piarum precationum,	Lib. 1.
Ad mercatorem Vuintoniensem,	Lib. 1.
De peccato in Spiritum sanctum.	Lib. 1.

In linguam patriam transtulit,

Confeßionem fidei, ex Zuinglio,	Lib. 1.
Catechismum Martini Micronij,	Lib. 1.
Ioannem à Lasco de disciplina eccle.	Lib. 1.
Differentiã Christi et Dei Mauzim,	Lib. 1.

Atq; alia. Obijt uenerabilis senex anno Domini 1555, sexto die Decembris, Franckfordiæ sepultus.

ROGERVS ASCAMVS. LXIIII.

Rogerus Ascamus, raras quorundã admiratus uirtutes & doctrinam, cœpit & ipse bonis literis ac philosophiæ incredibili adhærere studio. Tandemq; emeritus eruditi uiri nomen, ad Henricum octauũ Anglorũ regẽ elaboratissimũ opus ex uarijs authoribus in lingua Brytãnica cõscripsit,

De arte sagittandi,	Lib. 1. *Dum tua magnificentia gratios.*

Scripsit & alia, quorum tituli non occurrunt. Claruit anno Domini 1540.

GVILHELMVS HAVKYNS. LXV.

Gvilhelmus Haukyns, iuuenis eruditus, bonarum literarum omnium atq; ingenuarum artium cognitionem, unà cũ lacte ferè imbibebat. Poesim in primis excoluit, & in rhetorica gloriam homo doctus non leuẽ sibi comparauit. Vnde tandem congesſit carmine,

Methodum in Matthæum,	Lib. 1. *Summa Dei uirtus, summa de sed.*
In Marcum quoq;,	Lib. 1. *Perstringens Marcus mira breuita.*

Annotationes in Matthæum, Lib.1. Hic Mariæ fuerat iusti uir no.
In Marcum Annotationes, Lib.1. Quisquis & ad summos euectus.
De sacrilegio, Lib.1. Sanctum, quod legi, templum.
Aliaq; tam prosa quàm carmine. Quo anno ipse obierit, nescio.

ALEXANDER BRRKELEY. LXVI.

ALexander Barkeley, quem alij Scotum, alij Anglũ fuisse contendũt, poeta ac rhetor insignis, ab eruditis artibus magnã sibi, dum uiueret, existimationem peperit. plures sectas ille probauit, quãdoq; sacrificulum, quandoq; Benedictinũ aut Franciscanũ induẽs, nulli certus: sed in illis omnibus ueritatis osor, & sub cœlibatus fuco fœdus adulter perpetuò mansit. Multa tamẽ in Anglicũ sermonẽ elegãter ille trãstulit ac scripsit, præsertim

De miserijs aulicorum, Lib.1. Illustres poetæ nouem Musis.
Contra Skeltonum, Lib.1.
Vitam Georgij, ex Mantuano, Lib.1.
Quinq; Eglogas eiusdem, Lib.1.
Vitam D. Catharinæ, Lib.3.
Vitam D. Margaretæ, Lib.1.
De pronunciatione Gallica, Lib.1. Multij ac uarij homines literati.
Salustium de bello Iurguthino, Lib.1. Memini me superioribus annis.
Nauim stultiferam, Lib.1.
Vitam D. Etheldredæ, Lib.1.
Bucolicam Codri, Lib.1.
Eglogam quartam, Lib.1.
Castellum laboris, Lib.1.
Mancinum de uirtutibus, Lib.1.

Aliaq; plura fecit. Obijt anno Domini 1552, in mense Iunio, Croydonę prope Londinum sepultus.

RICARDVS HVLOETVS. LXVII.

RIcardus Huloetus, de Vuisbecha, in Nordouolgiæ, ut fertur, comitatunatus, atq; in bonis literis fœliciter educatus, ut Anglicę reipublicę aliquem usum adferret, scripsit ad suum Dominum, Thomam Godricũ, Eliensem episcopum, totiusq; Anglię archigrammateum, eiq; dedicauit,

Abcedarium Anglicolatinum, Lib.1. Cum ipse præscriptum illum Aegyt.

Plura nondum reperi. Caruit anno Domini 1552.

GEORGIVS LILIVS. LXVIII.

GEorgius Lilius, Guilhelmi Lilij præstantis Grammatici filius, in Italia elegantioribus studijs excultus (utor Pauli Iouij uerbis) mirificè paternum decus tuetur, condito uolumine, in quo summorum pontificum & Cæsarum Romanorum series, Laconica breuitate describitur. Ab eodem quoq; solerti ingenio, Brytãnię tabula, eruditè graphiceq; depicta processit, ad certiorem iucundioremq; regionis noticiã. Et Romæ agens sub Cardinale Polo, Latinè scripsit,

De Anglorum regibus Chronicon, Lib.1. Brytanni, generis sui antiquitatem.
Elegiam de Illustribus uiris aliquot, Lib.1. Cum ad Brytannicæ insulæ situm.

Aliaq; plura edidit. Claruit anno Domini 1550.

PAVLVS BVSHE. LXIX.

PAulus Bushe, Bonhomensium sectæ (quos alio nomine Bonos homines uocant) præses, postea sub rege Edvuardo sexto ob grauitatem atq; eruditionem Bristollensis episcopus, dum adhuc superstitiosus esset

monachus, scripsit, superstitiose satis, Dialogos quosdam,

Inter Christum & Mariam, Lib.1.
Super Miserere mei, Lib.1.
De laude crucis, Lib.1.
Carmina diuersa, Lib.1.
In medicinis quaedam, Lib.1.

Et alia. Claruit anno Domini 1554, episcopatu priuatus, quod uxorem ex Dei uerbo duxisset.

IOANNES BYRDVS. LXX.

IOannes Byrdus, patria Couetriensis, theologus Oxoniensis, & ultimus ac 32 sectae suae Carmeliticae prouincialis praeses fuit. Ob conciones quasdam, quas anno Dñi 1537, cõtra primatũ Rom. pontificis, corã illustrisimo rege Hẽrico octauo ac regni primoribus fecit, illum idem rex Penricẽsem, Bangorensem, ac tum demum Cestriensem episcopum regia authoritate constituit. Accepi quorundam relatu, scripsisse illum inter alia multa,

Lectiones in Paulum, Lib.1.
De fide iustificante, Lib.1.
Homelias eruditas, Lib.1.

Epicedium ab ipso in quendam Eadmundũ prosa editum aliquando uidi. Claruit anno Domini 1554, omni dignitate ob initũ matrimoniũ deiectus. Audiui hos duos ad Papismi uomitum reuersos: at si ita sit, posteriorem errorem inuenient priore deteriorem, ni citius resipiscant.

THOMAS PAYNELL. LXXI.

THomas Paynell, ab ipsa pueritia in bonis literis probe educatus, & ad proximorum utilitatem, si monachalis superstitio non obstitisset, natus erat, ut ex eius operibus constat. Fuit aliquando regularium Canonicorum praeses, in coenobio quodam prope Londinum: & ad Edvuardum sextum Anglorum regem, exutus tandem monachatu, Latine congessit, ex uarijs antiquorum patrum commentarijs,

Selectos flosculos, Lib.1. *Memini inclytissime rex, iam olim.*

Transtulit in Anglicum sermonem, ex uarijs authoribus

Diaetarium Salerni, Lib.1.
De morbo Gallico, Hutteni, Lib.1.
De contemptu mundi, Erasmi, Lib.1.
De seditione Catilinae, Lib.1.
Cyprianum in orationem Do. Lib.1.
Agapeti praecepta, Lib.1.
De assentatore & amico, ex Plut. Lib.1.
Virginis & Martyris discrimen, Lib.1.
Flores uirtutum maiorum, Lib.1.
Sententiosa Scripturarum dicta, Lib.2. *Quamuis haec Scripturarum collecta.*
Pandectas Euangelistarum, Lib.1.
Pandectas Epistolarum Pauli, Lib.1.
Augustini sermones 12. Lib.1.
De testamento & eius partibus, Lib.1.
Indeclinabilia iurisperitorum, Lib.1.
Flores sanctorum doctorum, Lib.1.
De decimis & iure patronatus, Lib.1.
Compendium uitae Christianae, Lib.1.
De decimis persoluendis, Lib.1.

De modo

De modo loquendi & tacendi,	Lib.1.
Basilium de consolatione,	Lib.1.
Modum uiuendi, ex Bernardo,	Lib.1.
De coelo ui rapiendo,	Lib.1.
Exempla Scripturarum Nico. Hanapis,	Lib.1.
Viuem de officio mariti,	Lib.1.

Et opera alia nonnulla. Claruit anno Domini 1550.

GVILHELMVS HVGH. LXXII.

GVilhelmus Hugh, patria Eboracensis, ex collegio Corporis Christi, quod est Oxonij, uir erat ob insignem eruditionem, ac sanctæ ueritatis censuram, perpetua apud pios dignus memoria. Ille inter cætera multa composuit,

Turbati hominis medicinam,	*Lib.1. Amicorum candidissime Vrbane.*

Ad reginam Catherinam Parram, quod infantes absque baptismo decedentes, temere non sunt iudicandi, lib.1.

Transtulit in patrium sermonem,

Bertranum de Eucharistia,	Lib.1.

Aliaq; multa fecit. Obijt ex uenæ ruptura, anno Domini 1549.

MICHAEL RENEGER. LXXIII.

MIchael Reneger, patria Suthamtonensis: Oxonij ad Magdalenæ fanum, in omni bonarum literarum ac linguarum genere ita se exercuit, ut famam non uulgarẽ inde meruerit. Inter occupationes literarias à patrio idiomate in Latinum sermonem eleganter hic transtulit: Ioannis Poneti, Vuintonensis episcopi, doctissimum opusculum,

De sacerdotum coniugio,	*Lib.1. Si tam in procinctu & expedito.*
Reuocationem Ric. Smithi,	*Lib.1. Diuinus ille propheta Dauid.*
Ad Ponetum carmine,	*Lib.1.*

Orationes quoq; uarias, et epistolas elegãtes edidit, atq; alia plura. Claruit anno Dñi 1550.

THOMAS COOPERVS. LXXIIII.

THomas Cooperus, Oxonij ad Magdalenense collegium, puerorum olim pædagogus doctissimus, uir facũdus, & utriusque linguæ peritus, Thomæ Lanqueti Chronicorum epitomen, ab anno Christi 17. quo morte præuentus cessabat, usque ad annum Domini 1540, Achillem Pyrminium secutus, perduxit. Quod opus audacter appello, ne desit titulus,

Continuationes Lanqueti,	*Lib.1. A' mundi origine ad hanc ætatem.*
Auctarium Bibliothecæ Elioti,	*Lib.1. Eliota uir sui ordinis in primis.*
Castigationes in eandem,	*Lib.1. A' puero, of a chylde that.*

Aliaq; plura congessit. Claruit Oxonij, anno Domini 1550.

ANTONIVS GILBY. LXXV.

ANtonius Gilby, patria Lincolniensis, & Cantabrigiensis academiæ in Christi olim collegio alumnus, ex trium principalium linguarum notitia, celebre apud Britannos obtinuit nomen. Plura ille in patrio sermone composuit: pręcipuè, ad impium Gardinerum Vuintoniensem,

Aduersus Diaboli sophisticen,	*Lib.1. Chare lector, eodem quo nos sang.*
Commentarios in Micheam,	*Lib.1. Nouo non indigemus uaticinatore.*
Commentarios in Malachiam,	*Lib.1. Scripsi nuper rude commentarium.*
De electione & reprobatione,	*Lib.1. Vbi ante tres annos, dilecti fra.*
De libero arbitrio,	*Lib.1.*

Et alia, librosq; aliorum plures transtulit. Viuit nunc Geneuæ, pro Christi ueritate peregrinus & exul.

THOMAS BECONVS. LXXVI.

THomas Beconus, patria Nordouolgius, studio Cantabrigianus, ac professione theologus, ab ipsa adolescentia, partim docendo, partim scribendo, magnum apud Brytannos sibi comparauit nomen. Bis ille ob diuinæ ueritatis assertionem aduersus regnum filij perditi, Antichristi scilicet Romani, circundatus fuit à pinguibus tauris Bazan: bis captus, arctissimis'que carceribus mancipatus. Primùm sub rege Henrico octauo, anno Domini 1543, per Stephanum & Bonerum: atque nunc demum anno Christi 1553, sub Regina Maria, per eosdem iterum tyrannos atrocissimos. Si in prima captione palinodiam coactus cecinerit, cogita illum Petro nõ fuisse meliorem: in altera Dominus illum mirabiliter, & absq; ignominia liberauit. In Germania autem nunc denuò facit, quæ prius in Anglia. Dictis ac scriptis Dei ueritatem ingenuè patefacit: sed illic Anglicè, hic Latinè. In Anglico sermone, dum esset in Angliâ, eleganter edidit,

Contra primatum Rom. pontificis,	Lib. 1.
Antithesin diuini uerbi & traditionum,	Lib. 1.
Dialogum inter Gabrielem & pastores,	Lib. 1.
Contra Missæ sacrificium,	Lib. 1.
Tractatum de sacerdotum coniugio,	Lib. 1.
Noua de cœlo,	Lib. 1.
Conuiuium natalitium,	Lib. 1.
Symposium quadragesimale,	Lib. 1.
Orandi methodum,	Lib. 1.
Olfactorium spirituale,	Lib. 1.
Citharam Dauidis,	Lib. 1.
De re militari,	Lib. 1.
Rudimenta Christianæ religionis,	Lib. 1.
Catechismum breuem,	Lib. 1.
Contra impia iureiuranda,	Lib. 1.
De matrimonio Christiano,	Lib. 1.
Edictum ex parliamento Dei,	Lib. 1.
De digno accessu ad Eucharistiam,	Lib. 1.
Xeniolum Christianum,	Lib. 1.
Inuectiuam contra adulteros,	Lib. 1.
Ornamentum gaudij,	Lib. 1.
Asylum consolationis,	Lib. 1.
Regimen uirtutis,	Lib. 1.
Medicinam animæ,	Lib. 1.
Subsidium uerè fidelium,	Lib. 1.
Christiani militis arma,	Lib. 1.
Pharmacum ægrotantis,	Lib. 1.
Opusculum de ieiunio,	Lib. 1.
Homelias contra fornicationem,	Lib. 1.
De resurrectione Missæ Papisticæ,	Lib. 1.
Epistolam consolatoriam ad Anglos,	Lib. 1.
Piarum precationum flosculos,	Lib. 1.
De Papisticis sacris fugiendis,	Lib. 1.
Orationis myrothecium,	Lib. 1.

In Germania Latinè congesſit,

Introductionem ad pietatem, Lib. 1.
Locorum communium ſyluulam, Lib. 1.
Gnomothecam Salomonis, Lib. 1.
Sentētias Iobi, Dauidis & Tobiæ Lib. 1.
Miſcellanea religionis, Lib. 1.
De authoritate uerbi Dei, Lib. 1.
De oratione, homelias aliquot, Lib. 1.
Ioſuæ Syrachi Gnomologiam, Lib. 1.
Anthologiam Lactantij Firmiani, Lib. 1.
Xenophontis floſculos, Lib. 1.

Aliaq; indies ab illo expectamus. Marpurgi nunc manet, ab omni Antichriſtorum & cornutorum hypocritarum tyrannide immunis.

Ad Thonam Beconum Ioannes Parkhurſtus.

Vidi & perlegi doctos Becone libellos,
Quos tua non pridem ſancta Minerua dedit.
Diſperеam ſi quid legi unquam ſanctius, aut ſi
Quid potuit populo tradier utilius.
Auſpice perge Deo tales uulgare libellos:
Vaniloquax ſed nec lingua timenda tibi eſt,
Sic Chriſtum poſſis auido inculcare popello,
Sic poſſis nomen condecorare tuum.

Baleus in quendam:

Quis prior inter nos eſſet, certauimus olim:
Vt ſis poſterior nunc in amore, ſtudes.

IOANNES CHRISTOFERSONVS. LXXVII.

Ioannes Chriſtoferſonus, patria Lancaſtrienſis, ſtudio Cantabrigianus, in collegio D. Ioannis, uir Latinè & Græcè non uulgariter doctus, ſed perpetuus pro uentre ueritatis aduerſarius ſemper fuit. Decanus primùm Nordouicenſis factus, ac poſtea Ciceſtrienſis epiſcopus, pro regno Papiſtico per faſces & flammas uehementer nunc dimicat. Per uerba de præterito Hiſpanos in Anglos uertere nouit, tranſubſtantiationē & carnalem in pane præſentiam docet, in Chriſtum credentes exurit, artolatriam defendit, Deum Mauzim propter lucrum adorat, & alia miracula facit. Et ut hæc omnia à Papæ fidelibus crederentur, *in patrio ſermone edidit*,

Obedientiæ exhortationem, Lib. 1.

E Græco in Latinum tranſtulit Philonem Iudæum:

De mundi fabricatione, Lib. 1.
De decem præceptis, Lib. 1.
De principe deligendo, Lib. 1.
De officio iudicis, Lib. 1.
Euſebium quoq; Cæſarienſem, Lib. 10.

Atq; alia quædam. Claruit anno Domini 1556, *quo iudex impius*, Cantabrigiæ conſenſit *in cuiuſdam* Chriſtiani paſtoris necem, ob conſtantem ueritatis aſſertionem.

RADVLPHVS BAYNVS. LXXVIII.

Radulphus Baynus, patria Eboracēſis, Cantabrigiæ *quoq; in* D. Ioannis Euangeliſtæ *collegio non exiguā* ſibi à linguarū eruditione laudē *compa-*

comparauit. Qui postea Lutetiæ Parisiorũ sanctæ linguæ regius professor, scripsit ad eundem Francorum regem, Henricum scilicet,

Commentarios in Prouerbia Solomonis, *Lib.3. Præclarum magnis principibus.*

Aliaq; edidisse plura dicitur. Claruit anno Domini 1550.

COLLEGIVM DIVI IOANNIS APVD CANTABRIgienses, de Bulloco, hoc est boue, nuper in præsidem suum electo, loquitur:

Cum meretrix Romana foret regni caput huius,
Tum uitulus uitulis hic moderator erat.
At postquam meretrix Romana expulsa fuißet,
Expulsis uitulis uir mihi rector erat.
Nunc simulac rediit meretrix, uituli redierunt,
Et piger bos uitulos bos regit ecce meos.

Ad eundem amici cuiusdam amica admonitio.

Iudicio bos es Scripturæ, & nomine bos es:
Competit hoc nomen moribus ecce tuis.
Protinus at pulsis hominum nugis resipisce:
Bos eris & solo nomine, uirq; bonus.

THOMAS STERNHOLDE. LXXIX.

THomas Sternholde, patria Suthamptonensis (ut fertur) & Anglorum regi Edvardo sexto ab intimo cubiculo: uir erat, cui benignißimus Deus multa suæ gratiæ beneficia dedit. Qui, ut amatoriæ & obscœnæ cantiones aula pellerentur, miro sermonis ornatu & eloquentia in Anglicos rhythmos traduxit, ad eundem regem,

Ex Psalmis selectioribus 37, *Lib.1. Quamuis præclarißime Princeps.*

Obiit anno Domini 1549, mense Augusto.

ROBERTVS CROVVLAEVS. LXXX.

ROberttus Crovulæus, in patria Nothamtonensi (ut ego accepi) oriundus, Oxonii in Magdalenensi collegio bonas literas hausit, artiũ tandem professione donatus. Videns homo pius & eleganter doctus, Milonem quendam Porcarium, aliàs Hoggardum, arte & officio caligarium, in diuinæ ueritatis professores, concitantibus sacrificulis atrociter insanire: uidens inquam impudentem rabulam, asinum potius rudentem, parasitum, palponem, impostorem, hypocritam, cum unctis & rasis, pro diaboli synagoga, ac Rom. tyrannide denuò suscipienda, blasphemias in Christum, & in Dei seruos maledicta effutire mendacia, edito libello paganorum fecibus ac præstigiis pleno, cui titulus, Contra Protestantes Anglicos, tempestiuè tam immani occurrebat bestiæ, parauitq;

Apologiam argutulam, *Lib.1.*
Scripsit Philargyriam quoq;, *Lib.1. Si poetæ suas industrias.*
Ad parliamentum, querelam, *Lib.1. Inter multiplices & graues.*
De mundi fine prognosticon, *Lib.1. Resipiscite dico, resipiscite.*

Et alia plura. Francfordiæ nunc uiuit, ob Dei ueritatem exul. Aduersus prædictum Hoggardum scripserunt etiam Ioannes Aratron, & Guilhelmus Kethus.

AD MILONIS HOGGARDI DESCRIPTIONEM Protestantium Epigramma.

Exiit audaci turgescens fronte libellus,

Hoggardum quendam se genuisse refert.
Hoggardus negat hoc, si dicat Epistola uerum:
Quippe suum Pyladem nominat ipse patrem.
Quisquis erat genitor, satis est, nisi fallimur, effrons:
Oris habet nimium, pectoris at minimum.
Quisquis erat, proles sanè condigna parente,
Atq; κακῦ κόρακος num καλὸν ὠὸν erit?
Hoggardus si sit, qui sit, se nomine prodit,
Augurium sæpe hoc nomen & omen habet.
Quid sonet Hoggardus nobis, nouere Brytanni:
Conueniunt dominis nomina sæpe suis.
Parcam, non dicam Romanè, fertur ὑφορβὸς
Græcè, seu mauis dicere χοιρονόμος.
Officio sutor bonus est, caligarius arte,
Sic nomen, sic ars, omnia conueniunt.
Fit sutor scriptor, sint & mendacia multa,
Multos sutelis fallat ut ipse suis.
O quales panni? quæ nam rhapsomata? quanti
Centones? qualem consuit iste librum?
Hic Protestantis descriptio uera coronæ
Dicitur, hoc titulo prodit & auspiciis.
Quæ laudanda forent lacerat, lacerandaq; laudat,
Omnia dente petens, nil ratione probans.
Bis nunc excusus, nondum satis ille politus
Est liber, at liber plus satis, haud elegans.
Sic catulos cæcos canis approperantior edit
Orbatos oculis, luminibusq; suis.
Totus hiat, sordet, nostris ridetur ab Anglis,
Responso nullus somnia digna putat.
Prò pudor, indigno tot dignos scommate tangi:
Siccine mentiri quidlibet artifices?
Scilicet audebit Caluinum carpere sutor?
Et Bullingerum rodere non dubitat?
Sic ultra caligam transis? sic Martyra mordes?
Sic ultra crepidam cerdo rudisq; sapis?
Splendida Christigenæ conuelles lumina mundi?
Diuinæ feries culmina summa domus?
At satis hæc nimium: doctis maledicere cesses,
Teq; tuo tandem quæso metire pede.
Non penna, sed acu pungas: stylus iste decebit
Sartorem: iratum disce timere Deum.

ROBERTVS VVATSONVS. LXXXI.

Robertus Vuatsonus, à Nordouico oriundus, iurisperitissimus, & archiepiscopo Cantuariensi Cranmero sanctissimæ memoriæ olim à dispensatione, seu administratione domestica: uir tam in scripturis sacris, quàm etiam doctoribus adprimè doctus: Latinè scripsit opusculũ elegans, ad omnes Christum syncerè profitentes ubique terrarum dispersos, præcipuè ad conterraneos Anglos secum exulantes, & propter Euangelium afflictionem perpessos, cui titulum addidit,

Aetiologiam, *Lib.1. Quum omnes syncerè Christum præ.*

In qua explicatur, quare depreheſus, annum unum & menſes penè quatuor, propter Euangeliũ incarceratus fuit: quænam inter ipſum & eius antagoniſtas in carcere habita fuerit diſceptatio de trãſubſtantiatione, & reali Chriſti præſentia in ſacramento: & quo pacto corpore incolumi & illibata conſcientia tandem expediuerit eum Dominus.

APPENDIX, EX EIVS LIBELLO.

Cum Londini coram Regineo concilio comparuerim, ubi plures regni proceres conſidebant: D. Gardinerus, adulterinus epiſcopus, ut Angliæ cancellarius, omnibus præſidebat. Et quum ego (ut par erat) genu procubuerim, Deum immortalem, quàm leonicè geſtiebat ille Gardinerus? quam erexit criſtas? Deficit me planè eloquendi copia, ut eius erga me geſta et uerba, ut in ueritate res habuit, exprimerem: ſed utrumq; dicam, ut ſuppetit facultas. Non referebat Areopagitam Athenienſem, ſed planè Herodem: ita erat non ad ſeueritatem, ſed ad ueſaniam & feritatem totus compoſitus. Corrugata fronte, uultu maximè toruo & truculentiſſimo, oculi eius in me collimati, uidebantur mihi eiaculari ignem: nec ſermo eius erat ipſius feritati abſimilis. Sed ut in omnibus ſeruaret decorum, uerba eius tanta erant acrimonia & quaſi aculeata, tamq; ueſaniter præcipitata, ut nihil penitus mihi præſagirem futurum, præter mortem. Sæpe tamen, dum per interualla aliquantiſper quieuit procella, pro meipſo reſpondere tentaui, ſed fruſtra. Nam ille nihil præter hæreticum me nuncupans, neutiquam uoluit mihi acclinare aurem. Dixi: Domine mi, ſpero dominationem tuam nolle me hæreticum nuncupare, niſi me ſuſtinere uelit, rationem fidei meæ reddere. ſed nihil profuit: non fuit oleum in lecytho. Extraxi libellum collectaneorum è ſinu meo, ſententias diuerſorum orthodoxorũ patrum complectentem, ut etiam ſi me loqui ſuſtinere nollet, ſaltem aliquantulum legentem auſcultaret. Sed ecce papiſtarum fructus & æquitas. Ita ferebat tempus, & talis tum præſidebat Regineo concilio, ut libellum quoq; mihi è manibus abriperet, nec unum quidem uerbũ me legere permitteret: nec tamẽ furere, & me hæreticũ nuncupare deſtitit. Vt adfirmare audeam, ſi coram Turcarum Imperatore ſiſterer, æquiore & modeſtiore animo me reſpondentem auſcultaret, &c.

THOMAS VVILSONVS. LXXXII.

THomas Vuylſonus, patria Lyncolnięſis, ſtudio Cantabrigienſis in regis collegio, uir utraq; lingua doctus: ob inſignem eruditionem, clariſſimis pueris Henrico & Carolo Sudouolcarum ducibus, in præceptorem & magiſtrum datus fuit. Scripſit ille ad regem Edvuardum ſextum, in Anglica lingua eleganter & doctè,

Regulam rationis, ſeu artem Logices, Lib.1.
Fontem ſapientiæ, de arte Rhetorica, Lib.1.

Aliaq; plura compoſuit. Claruit anno Domini 1550.

CLARISSIMORVM PVERORVM, HENRICI ET CAROLI Sudouolgiorum ducum, Epitaphion, authore Ioanne Parkhurſto.

Fratres Amyclæi Pollux cum Caſtore
Potuere ſic cum morte depaciſcier,
Vt cum alter illorum eſſet mortuus, tamen
Alter ſupereſſet, & reuerſis ſortibus
Viciſſim uterq; utriuſq; morte uiueret.
Cur Parca nunc crudelior eſt, quam olim fuit?
Fratres duos nuper ea, quales hactenus
Nec uidit unquam, nec uidebit Anglia,
Lumina duo, duoq; propugnacula
Fortiſſima uirtutis, reiq; publicæ,
Crudelis ah uno peremit funere.

Virtus nequaquam illam, nec egregia indoles
Mouit, nec Eduuardi regis, nec optimæ
Matris, neq; totius gemitus Brytanniæ.
O dura dura mors, ô sæua numina.

Aliud:

Qui modò diuini deflebant fata Buceri
Pererudito carmine,
Horrida senserunt quid poßint fata, perempti
Immiti uterq; funere.
Quis rebus credat fluxis, mors liuida fratres
Tales simul quando auferat?

Aliud:

Vna fides uiuos coniunxit, relligio una,
Ardor & in studijs unus, & unus amor.
Abstulit hos simul una dies: duo corpora iungit
Vna urna, ac mentes unus Olympus habet.

IOANNES PVLLANVS. LXXXIII.

IOannes Pullanus, ex Eboracensi patria natus, Oxonij, partim in Martonensi societate, partim in nouo collegio, studijs politioribus ac theologiæ sacræ impigram nauauit operam. Qui comparata multarum rerum ex assidua lectione noticia, & ex diuinis sermonibus sapientia, fructus Christiano ministro dignos eruditè ac fideliter protulit. In patrio enim sermone post uarias cum nostri temporis sectarijs disceptationes, scripsit

Contra quosdam Arrianos, Lib. 1.

Transtulit in Anglica metra comptè ac nitidè,

Ecclesiasten Salomonis, Lib. 1.
Historiam Susannæ, Lib. 1.
Historiam Iudith, Lib. 1.
Historiam Hester, Lib. 1.
Testamenta 12 patriarcharum, Lib. 1.

Aliaq; plura fecit. In Germania nunc uiuit Pullanus, fidelissimus Iesu Christi seruus. Complures in Anglia papistæ, ex Euangelij contemptu, in Arrianismum sunt lapsi.

GVILHELMVS VVHITTYNGHAM. LXXXIIII.

GVilhelmus Vuhittyngham, in Occidētali Anglorum regione natus, & Oxonij in Animarū collegio bonis literis ac linguis institutus, audiens redijsse Papismum, relicta patria, in Germaniam cum alijs multis aufugit. Vbi nunc ad multarum animarum lucrum, tam scriptis quàm uerbis, intrepidè Christum docet. Transtulit ille in Latinum sermonem, ut ab aliquot probis uiris accepi,

Liturgiam Geneuensis ecclesiæ, Lib. 1. *Nulla res est, aut fuit unquam.*
Assertionem Ridlæi de Eucharistia, Lib. 1. *Tertius iam annus est, quum ex.*
Protestationem eiusdem Ridlæi, Lib. 1. *Accepi à uobis ornatißimi uiri.*

Aliaq; ab illo expectantur. Viuit nunc in ecclesia Anglorum quæ est Geneuæ, uaria componens.

ROGERVS HVTCHINSON. LXXXV.

ROgerus Hutchinson, patria Hartfordiensis, & studio Cantabrigiēsis, *in collegio D. Ioannis Euāgelistæ,* homo literis tam sacris quàm profanis eruditus, in patria lingua congessit,

De imagine Dei, Lib.1. *Publius Scipio, cognomento Aphric.*

Et alia quædam. Claruit anno Domini 1550.

THOMAS LEVERVS. LXXXVI.

THomas Leuerus, patria Lancastriensis, insignis collegij, diuo Euangelistæ Ioanni apud Cantabrigienses sacri, olim præses: nunc autem Anglorum ecclesiæ, quæ est in Arouia Heluetiorum urbe, primarius pastor: pius certè theologus, uitiorum osor, uirtutumq; in omni mansuetudine seminator, in idiomate uulgari ad suos Anglos scripsit,

Semitam rectam ad Christum, Lib.1. *Cum uidissem meam in Anglia moram ac.*
In orationem Dominicam, Lib.1. *Propter laborem inopum & pauperum.*
Conciones aliquot Lib.1.

Atq; alia. Viuit Arouiæ, in uinea Domini fortiter laborans.

GVALTERVS HADDONVS. LXXXVII.

GValterus Haddonus, patria Buchingamiensis, illustri familia natus, præclari ingenij orisq; facundi admiratione à Cantabrigianis pulchrè acceptus: eiusdem gymnasij rector (quem uicecancellariũ uocant) eorum omnium consensu, ad aliquot annos mansit. Quo quidem tempore, uersu edidisse dicitur,

Epistolam D. Iacobi, Lib.1.
Aliquot Matthæi capita, Lib.1.

Prosa uerò,

Exhortationes ad studia, Lib.1.
Præfationem in ius ciuile, Lib.1.
Ad Sudouolgianos, Ora.1.
In mortem M. Buceri, Ora.1.

Pluraq; alia. Claruit anno Domini 1550.

MATTHAEVS PARKAR. LXXXVIII.

MAtthæus Parker, patria Nordouolgius, Cantabrigiensis academiæ doctor, ac præses in collegio D. Benedicti, demumq; Lincolniensis ecclesiæ decanus, uir certè pius ac probus, inter cætera multa edidit,

Orationem in obitum Buceri, Lib.1. *Iustus, si morte præoccupatus.*

Claruit anno Domini 1550. Quòd Bucerus apud Anglos ueneno perierit, impudens mendacium est. Sed quòd in Februario præsentis anni, Antichristorum, Poli Cardinalis, Thirlebij Eligensis, Vuatsoni Lincolniensis, & Christofersoni Cicestriensis, episcoporũ immani tyrannide, exusta Cantabrigiæ fuerint eius ossa, cum ossibus Pauli Fagij, uerissima est historia: ut de uxore D. Petri Martyris, apud Oxonienses diabolos, nihil dicam.

GEORGIVS CONSTANTINVS. LXXXIX.

GEorgius Constantinus, utraq; lingua uir doctus, & constantissimus ueritatis assertor, multa sub atrocissimis tortoribus, Moro, Gardinero, & alijs incommoda pertulit. Qui in linguam uernaculam transtulit, doctissimam & ultimam Ioan. Vuicleui concionem,

De hominis uillicatione, Lib.1.

Vidi quoq; quasdam eius epistolas Latinè scriptas, & alia. Claret in Germania senex.

RICARDVS COXVS. XC.

RIcardus Coxus, patria Buchingamius, uir undecunq; doctissimus, sacræ theologiæ professor, & Oxoniensis academiæ dignissimus cancellarius, illustrissimo Anglorum regi Edvuardo à literarũ institutione, à consilijs

filijs & eleemosynis fuit. Plura illum edidisse puto, sed solam uidi, quam habuit Oxonij post disputationē Petri Martyris, cum eiusdem academiæ maleuolis sophistis super Eucharistiæ negotio,

Orationem quandam, — *Ora. 1. Viri Oxonienses, pergemus.*

In Germania nunc uiuit, malens abiectus in Dei domo esse, quàm habitare in tabernaculis Papistarum.

DAVID VVHITHEDVS. XCI.

DAuid Vuithedus, rara ingenij fœlicitate & doctrina, inter cultiorum artium ac cœlestis disciplinæ professores eximios, clarum in Brytannia obtinuit nomen. Is à pueritia bonis literis institutus, ut auidus rerū mercator Oxonium petijt, & omnem studiorum cursum ad sciētiam sacrarum literarum utiliter direxit. Quid deinceps egerit insignis in Christi uinea laborator, scio: at quid scripserit, adhuc nescio. Audiui lectiones & homelias eius in Paulum doctissimas: quas demum publicari optarem. Francfordiæ nunc manet, Anglorum ecclesiæ Christianissimus pastor.

Ioannes Parkhurstus, ad Dauidem Vuhithedum.

Nominis una tui est Album, Caput altera pars est:
Quadrant in mores scilicet ista tuos.
Candidius nihil esse potest nam moribus istis:
Dulce uocant omnes te, lepidumq́; caput.

IOANNES FOXVS. XCII.

IOannes Foxus, ad Botulphi fanum in agro Lincolniensi natus, Oxonij primùm in societate Magdalenensi, bonarum literarum ac trium linguarum principaliū studijs uacabat. Talis ille semper erat, ut qui bonis artibus, seu doceret seu scriberet, elimatam eloquentiam terse adiūxerit. Decem ferè annis mihi Achates fuit: in Anglia unà mansimus in clarissimæ ducis Mariæ Richemundię domo, atq; iterum in Germania nunc unà manemus. Vt autem ad eius librorum elenchum perueniam breuibus, prosa & carmine, Latinè & eleganter multa scripsit: quorum hæc sola uidisse contigit,

De ecclesia & eius pastoribus,	*Lib. 1. Cum non alia res sit quæ orb.*
De re Eucharistica,	*Lib. 1. Ecclesijs Christi ubicunq; spar.*
De lapsis recipiendis,	*Lib. 1. Cum duplex sit regimen in omni.*
Expostulationem Christi cum homine,	*Lib. 1.*
Aduersus deliri theologi calumnias,	*Lib. 1. Adeò nunc redijt temporum infœ.*
De censura ecclesiastica,	*Lib. 1. Solebat hactenus excommunica.*
Commentarios rerum ecclesiæ,	*Lib. 1. Etsi ante Vuicleui tempora non.*
Persecutiones Ecclesiæ à Luthero,	*Lib. 1.*
Christum triumphantem, Comœd.	*Lib. 1. Salutem uobis, fructumq; ex lo.*
Locorum communium titulos,	*Lib. 1. Inter omnes qui hactenus de.*
Ad Angliæ proceres pro afflictis,	*Lib. 1. Nihil equidem addubito, prin.*

Transtulit ex Anglico in Latinum sermonem,

Cranmerum de Eucharistia,	*Lib. 5.*
Conflictationem Guil. Thorpi,	*Lib. 1.*
Examinationes Ioan. Filpoti,	*Lib. 1.*

In Anglicum idoma uertit,

Vrbanum Rhegium, de desperatione,	*Lib. 1.*

In manibus habet,

Problemata theologica,	*Lib. 1.*
De regno Dei,	*Lib. 1.*

Synodum theologorum, Lib. 1.
Ideam Christiani hominis, Lib. 1.
De optimo statu Ecclesiæ, Lib. 1.
Veram rationem eligendi episcopos, Lib. 1.

Aliaq; multa fecit. In Germania nūc uiuit, & in Christi messe fideliter laborat.

De Ioanne Foxo, ad Ioannem Baleum, L. H.

A' me dum quatuor pro Foxo carmina poscis,
Nec me nec Foxo digna Balæe petis.
Carmina dum satagit pedibus numerisq; ligare,
Laxos dum scribit libera musa libros,
Dum sacra pertractat, dum supplicat atq; triumphat,
Digerit & capsas arte uiaq; suas,
Linguas dum discit, docet, excolit, explicat, ornat,
Nec musis mutit, nec canit ipse sibi:
Altus ubiq; suis doctis circumuolat alis,
Nec calamo aut pennis indiget ille meis.
Scilicet his nostris plumis ornatior esse,
Versiculis quatuor clarior esse potest?
Ergo satur laudum uiuat ualeatq; suarum:
Vmbra sequi corpus, gloria scripta solet.
Non hederam nostram curat, non carmina mille
Φοξὸς σιωπικός μὴν καὶ ὁμορράπτης.
Tu Deus auspicijs affles, & prouehe cursum,
Ne uelit incepti uertere uela sui.
Dux uirtus præeat, comes & fortuna secundet,
Scriptor ut esse suo pergat in exilio.

LAVRENTIVS HVNFREDVS. XCIII.

LAurētius Hunfredus, patria Buchingamius, ad meliores literas, & præcipuarum linguarum cognitionē uir natus, parentum industria ad Oxonium translatus fuit, hoc nomine, ne eius ingenij fœlicitas inculta torpesceret. Ille uerò incredibili inardescens erga literas alacritate, promptitudine, expectatione, tantum in Magdalenensi collegio profecit, ut humanarū artium acumē, ac rerum diuinarum noticiam, etiam exquisitam, tanquam è pleno fonte demum exhauserit. Sed ad scripta nunc properandum est, ut operis nostri argumento respondeatur,

E' Græco in Latinum transtulit, Origenem de recta fide, contra Martionistas: sunt enim tres dialogi.

Scripsit præfationem in eundem doctorem, & Epigrammata doctissima sine certo numero.

Claret in Germania, præferens omni auro susceptū pro Christi nomine præsens exilium.

IOANNES PARKHVRSTVS. XCIIII.

IOannes Parkhurstus, Gilfordij in Suthraiæ uel Surrę satrapia oriundus, & à bonis literis fœliciter exorsus, inter Oxonienses artistas in Martonensi collegio, fœlicia bonarum artium fundamēta iecit: processuq; temporis eò cognitionis peruenit tandem, ut earum professione publica donatus sit. Disticha Ioannis Schepreui in nouum Testamentum, nō solùm à se aucta, sed & multis in locis emendata, in lucem edidit: & in eius libelli calce, pia quædam Epigrammata adiecit. In alio libello conscripsit, Henrici & Caroli Sudouolgiæ ducum Epitaphia 3. Caroli Brandoni eorum patris, Epitaphia

pitaphia 2. Catherinæ reginæ Angliæ, Epitaph. 1. Inclytæ puellæ Mariæ, eiusdem Reginæ filiæ, Epitaph. 1. Rogatus à D. Zancho & Conrado Huberto, uerbi ministro apud Argentoratenses, conscripsit cursum uitæ D. nostri Iesu Christi: scilicet, Aduentum ipsius in carnem, natiuitatem, circuncisionem, epiphaniam, disputationem in templo, baptismum, tentationem, doctrinam, miracula, ingressum Hierosolymam, lotionem pedum, passionem, resurrectionem, ascensionem, Spiritus sancti missionem, extremũ iudicium, &c. Congessit quoq;,

Ludicra, seu Epigrammata iuuenilia, Lib. 1. *Ludicra cur placuit mea carmina.*

Et alia quæ breui excudentur. Tiguri nunc habitat, pro Christo pauper & inops, dum Satanæ synagoga apud Anglos in omni tyrannide furit.

Ad Ioannem Parkhurstum, urgente Baleo, L. H.

Scinditur in uarias sibi mens contraria partes,
Parkhursti laudes scribere nolo, uolo.
Nam quorsum Parkhurste tuas ebuccino laudes?
Laus tua Musa tua est, non epigramma meum.
Testis erit laudum tua bella Camœna tuarum,
Præco liber tuus est, buccina carmen erit.
Totum Parkhurstum Parkhursti ludicra pingunt,
Si talem ulla tamen pingere charta potest.
Lucet in his animi probitas, elegantia linguæ,
Artis dexteritas, candor & ingenij.
Ergo silere malo, tua cum sat scripta loquantur:
At quòd amo, certè dicere pauca malo.
Quin & hoc quorsum, si laudet amicus amicum?
Non amor, at multis error amoris erit.
Sic animus trahitur, diuerso fluctuat æstu,
Vult diuersa idem, pugnat amorq; sibi.
Vult amor ut taceam, ne cæcus ut arbiter erret:
Ast nihil omnino dicere, nollet amor.
Ergo uolens amor est, & nolens. eloquar ergo?
An sileam? certum dicere nescit amor.
Hoc tamen haud reticebit amor: dignißimus omni
Laude est, sed laudes supprimet alter amor.

ROBERTVS HORNVS. XCV.

ROBERTUS Hornus, patria Dunelmensis, & eiusdem Ecclesiæ cathedralis decanus, inter Gymnasij Cantabrigiensis eruditos alumnos, in D. Ioannis Euangelistæ collegio alumnus & ipse, ultimo non est ponendus loco. Cum exterminator Abadon, sub regina Maria, iam denuò rediјsset in Angliam, statim est Hornus ob Euangelij ministerium sacrum ad mortem quæsitus, & à pinguibus Samariæ tauris circũdatus. Sed diuina Dei manu, ab eorum laniæna benignè liberatus, & in Germaniam aufugere iussus: ubi recollectis uiribus, in Anglico sermone composuit,

Apologiam Christianam, Lib. 1. *Postquam pastorem primarium percus.*
De missæ abominationibus, Lib. 1.

Transtulit in linguam uernaculam,

Quasdam homelias Caluini, Lib. 1.

Aliaq; plura fecit. In Germania fidelis talenti Dominici dispensator nunc agit: sciens, Dominum ad tempus flagellare filium omnem quem recipit.

EADMVNDVS BONERVS. XCVI.

EAdmundus Bonerus, Pontificij iuris olim professor, & archidiaconus Leycestriensis, nunc uerò Londinensis episcopus, patriæ pestis post Gardinerum, communecꝫ piorum in Anglia flagellũ, spurius & impostor, Ioannem Sauagium incestuosum sacrificulum, in cœlibatu Papistico genitorem habuit. Dum dictus Gardinerus, in sua oratione de uera obedientia, ut regi ambitiosus hypocrita placeret, Rom. pontificis primatum damnasset, & matris huius reginæ diuortium probasset, postremò stulta monachorum uota illegitimasset, accesit hoc horridum monstrũ ac regni pernicies, & solenni præfatione atcꝫ authoris encomio omnia confirmauit. Nunc autem tanquã Cerberus infernalis, omnes igne uorat & consumit, qui in eam consentiunt doctrinam aut fidem. Scripsit ergo,

Præfationem illam Latinam.

Et alia quædam edidit, patriæ impiissimus proditor ac lanio: legitimam Regis authoritatem, diuino iure confirmatam, abrogans. Viuit hoc anno Domini 1557, omni tyranno truculentior, Christianos in Anglia torrens & mactans.

In Bonerum, poeta quidam:

Martyromastigæ patriam uis Bale Boneri?
Tartarus est, mater Styx, pater est Acheron.

In eundem Bonerum, N.C.

Nomen habens matris, non iusto patre Bonerus:
Non est Melchizedech, Melchisodomus erit.

In eundem Bonerum Ioannes Parkhurstus.

Cum te genuerit sacrifex Sauagius
Dic unde Boneri (rogo) nomen tibi?

In eundem Parkhurstus.

Cur tot mobilibus torres pia corpora flammis?
An porcos, Christi uiuida membra putas?

Nemo, loquitur ad Bonerum:

Omnes episcopum esse te dicunt malum:
Ego tamen Bonere te dico bonum.

Ad Ioannem Iuelum, Ioan. Par.

Coctæ præsulibus non sunt gratæ (puto) carnes,
Assatæ, tostæ sed magis hosce iuuant.
Si mihi non credis narranti uera, Iuelle,
Hoc potes à tostis discere Martyribus.

In Eadmundum Bonerum idem Parkhurstus.

O' maria, ô tellus, clamas Bonere, ministros
Quòd iuuet in casto uiuere coniugio.
Papigenæ fœdant aliena cubilia, scorta
Plurima habent: hæc sunt nota tibi, atqꝫ taces?

IOANNES VVHITVS. XCVII.

IOannes Vuitus, Vuintoniensis scholę olim pręses, nunc eius pestilentissimæ sedis episcopus, & Antichristi Romani terrificus minister, rostris & unguibus in Angliæ regno restituere conatur omnes eius tyrãnides, idolomanias, fœditates, & impia dogmata uniuersa. Principum illusor, & animarum carnifex, duplex & periurus hypocrita, ambitiosuscꝫ hæreticus, deum suum Mauzim, mutum, mortuum, & aridum idolum, omnium perniciosissimum, aduersus Deum uerum, uiuum & sanctum erexit. Et ut impiæ doctrinæ

doctrinæ architectus & apertissimæ ueritatis contẽptor, aduersus Petrum Martyrem, nostri temporis theologum doctissimum, artolatriam defenderet: Iudæos, Aegyptios, Paganos, Rabbinos, Satyros, somniatores, monachos, mulierculas, Papas, cantores, hæreticos, Eckios, Cochlæos, Pighios, Hofmeisteros, Fisheros, Gagneios, Gardineros, Ganymedes ac diabolos cum puero Iolisso & Vtopia Mori, in mediũ adducit. De sanctis doctoribus nõ loquor, quos morbidis carminib. miserrimè detorquet. Composuit saltans asinus,

Diacosiomartyrion, Lib. 1. *Azymus ergo dies aderat, quum.*
Epigrammaton quoq; Lib. 1.

Atq; eius generis alia. Viuit in Anglia, anno quo hæc edidimus, Domini scilicet 1557, grauis ouium Christi persecutor.

Vuhitus de suo Iolisso:

Iolissus puer obijt anno Domini 1548, die 19 Augusti.

Iam propè Iolissus bis septem exegerat annos:
Iam Vuicamico erat de grege discipulus.

Et sequitur:

Quàm multis nocuit, reprobos habuisse magistros?
Sub doctore malo, uix licet esse bonum.

Vox Iolissi:

Iamq; mihi calamum & chartam date: scribere quis sum,
Dum licet, impetus est: quis fuerim, pudor est.

Poeta quidam in Vuhitum:

Dixero, Vuhitus amat: quos, uel quas, dixero nullas:
Hoc tantum uolui dicere, Vuhitus amat.

Ad Angliam, Ioannes Parkhurstus:

Anglia furcatis nimium ne fidito mitris:
Dic rogo, num serus sum tibi præmonitor?

Idem, in Candidum Papicolam:

Si noster Martyr non esset candide Martyr:
Nunc fieret Martyr dentibus ille tuis.

In eundem Vuhitum:

Candidus es certè, nec candidus es. Rogitas cur?
Nomine candidus es, moribus at niger es.

De D. Petro Martyre Vermilio, idem:

Abdita scripturæ si quis mysteria pandit
Doctè, is Martyr erit, uel (puto) nullus erit.

THOMAS MARTINVS. XCVIII.

THomas Martinus, patria Bercheriensis, ad sycophantias & perfidias natus, quandiu Scriptura fauorem & lucrum adferret, cum Euangelio totus stetit: nunc callida uulpes, cum Papistis ludere nouit, ut cum illis particeps sit in iucundis & amœnis Sodomæ delicijs. Nunc Euangelij proditor, bifrons Iani filius: nunc casti cõiugij oppugnator, & omnis generis scortationum patronus in rasis & unctis, pro ambitione & uentre, Christum in membris scripto & uoce persequitur, sequens illud Mantuani,

Ambitiosus honos, & opes, & fœda uoluptas,
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Nunc sine papisticis ritibus, Euangelium mancum, mucidum & carnale esse impudens bestia dicit. In Circeo nunc habitans monte, homines potest

carminibus & ueneficijs, in uarias bestias, sibijpsi olim similes mutare. Nouimus, ex doctorum uirorum relatu, qualis Oxonij primùm, Parisijsq; postea fuerit: & hac uice tacemus. Protulit aduersus D. Ioannem Ponetum, pijssimum theologum, ex Gardineri (qui undecim proles, cœlebs ac rasus, genuerat) & aliorum scortatorum impudentijs manifestis,

Contra ministrorum coniugia, Lib. 1. *Quanto plus reuerentiæ, uirtuos.*

Nec aliud uidi quicquam ab eo scriptum. Reuelat Deus arcana cordium horum canum infernalium. Floret nunc in Anglia, inter holosericatos Gnathones non ultimus.

Ioannes Parkhurstus in Thomam Martinum:

Non conuenit sacro ordini sacer thorus,
Martine ais. Quid? Conuenit scortatio?

Idem, ad Thomam Vuilsonum, de uerbis Apostoli 1. Tim. 3.

Vnius uxoris uir debet Episcopus esse,
Illi coniugium debet & esse sacrum.
Sed quid mitrati faciunt, patresq; bicornes?
Vxores nolunt: mollia scorta uolunt.

Idem de ijsdem Apostoli uerbis:

Vnius uxoris uir debet Episcopus esse,
Proditur ut scriptis Paule diserte tuis.
Nullius uxoris uir debet Episcopus esse,
Sacrilegi paßim quod docuere Papæ.
An non sit bellè, quòd pessima turba cinædûm
Decretis damnent dogmata sancta suis?

Idem de Stephano Gardinero, & Ioanne Poneto, Episcopis Vuintoniensibus:

Pontifices istos hoc est discriminis inter:
Asserit hic uerum, perfidus ille negat.

IOANNES YONGVS. XCIX.

IOannes Yongus, aulæ Penbrochianæ magister apud Cantabrigienses: eo anno quo erat eiusdem academiæ rector (uicecancellarium uocant) tam feruens erat in abolenda religiosissimi regis Edvuardi sexti liturgia sacra, ut incurabilē ferè in ipsis pudēdis, etiam in hyeme, ustionē acquisiuerit. Tam studiose apud Anglos nunc colūt meretriciā artē sacrifici cœlibes, mitrati, pileati, togati, lyripipiati, & omnes: ut uniuersas in ea lenas ac meretrices antecellant. Aestuantes uenatores nulli mulieri iam parcunt: nec ipsis pastillorum uenditricibus, nec his quæ placentas circumferunt, aut illis quę per publicas uias mendicant. Transtulit in Latinum sermonem cinædus petulans, Yongus noster, dum fictus adhuc esset Euangelij professor, ac beneficium expectaret,

Cranmerum de Eucharistia, Lib. 1.
Redmannum de gratia, Lib. 1.

Et alia. Nunc autem scortationibus egregiè uacat. Robertū Vuatsonum, constantissimum Christi testem, atq; alios, quærebat hic Romanæ leænæ catulus ad cædem.

Ad Yongum theologastrum Papisticum, poeta Cantabrigiensis:

Multorum mentes ferro candente notantur:
Sed tua combußit turpia membra Venus.

In Smythium Oxoniensem, Ioannes Parkhurstus.

Nostin' sacrificos cur non uult esse maritos
Smythius? hic castos non amat Hercle *thoros.*

REGINALDVS POLVS. C.

REginaldus Polus, generis nobilitate clarus habetur, utpote à Margarita Edvuardi quarti Anglorum regis nepte genitus: sed ut Romanus senator & Cardinalitius Antichristi miles, à nulla uirtute Christi seruo digna laudandus. In Ioannis Roffensis cognomento Fisheri locum, postquā ille esset ob rebellionē pro suo Antichristo decollatus, per Paulum 3. Rom. Pontificē, anno Domini 1537, & in Ianuario, uenisse scribitur, diaconus Cardinalis ad Cosmam & Damianum declaratus. Ab eo tempore Abadoni locustarum regi, suo, in Satana, patri sanctissimo (non Christo) in multis legationibus, ad Christianorum perniciem obedienter seruiuit. In quadam oratione, ut eius collapsum erigeret regnum, & luxurias obscœnissimas atque idolomanias plusquam diabolicas, pro sanctissimis uirtutibus aduersus Christum defenderet: Cæsarem adhortatur, ut omissis Mahumetanis, Christianissimos Germaniæ principes armis insectaretur: pios homines, nouos Turcas appellans: & purissimum Iesu Christi Euangelium, Turcicum, pestiferum, & adulterinum semen. Interim tamen cum Caipha, confiteri cogitur inuitus, ad suam ipsius damnationem (horribilis bestia) gratiā Spiritus sancti hoc tempore magis diffusam esse (& ministerio Germanorum) quàm fuerit etiam ab ipsis Apostolorum temporibus. Scripsit Polus in Antichristi sui gratiam,

Ad Henricum 8. Anglorum regem,	*Lib. 1.*
Ecclesiasticæ unitatis defensionem,	*Lib. 4. Quid ad te hoc tempore scribam.*
Consilium de emendanda ecclesia,	*Lib. 1.*
Adhortationem in consessu Tridentino,	*Lib. 1.*
Ad Carolum Quintum Cæsarem,	*Lib. 1.*

Et alia plura. Viuit nunc Euangelicæ ueritatis euersor, atq; impijssimus suæ patriæ proditor: Cæsarem monens, ut ante omnia curet Angliam totam in suam redigere potestatem. Confundat eum Dominus Deus noster omnipotens, cum omnibus rasis & unctis: Amen.

PIVS QVIDAM ITALVS AD AMICVM, DE STVDIO AC zelo pietatis, Cardinalis Poli.

Nónne solitus fuisti affirmare, Cardinalem illum tuum Polum optimè nosse iustificationem sola fide in Christum? mirificè cupere promotam doctrinam nostram, quam mundus odit? expectare autem tempus atque occasionem, quâ se patefaciat? Certè audiui ego te centies omnia hæc affirmantem, ut audierunt quotquot erant tibi aliqua necessitate coniuncti, et gustarunt bonum Dei uerbum. Quum aliquis eorum aliquando quereretur, diceretq; se nō posse ferre Polum ita esse addictum Papis, atq; ita palàm, & tam malo exemplo consentire quotidie Missis, atq; alijs illicitis cultibus: tu solebas prodire & affirmare, illam esse dissimulationem ad tempus, sed patefacturū se breui, magno cum fructu Ecclesiarum Dei. An non desines nunc ita de illo sentire ac loqui? Non obijcies patrocinium tam iniustæ causæ? non fateberis unà nobiscum, Polum tuum aut ueritatis & pietatis studium abiecisse, & peccare in Spiritum sanctum ad mortem? aut nunquam seriò in religione egisse. Ea uerò colloquia, quæ apud eum aliquando instituebantur de Christo, de Euangelio, de uiua fide, & de iustificatione, huc spectasse, ut nobis tandem pulchrè imponeret? O' miserum illum, & infœlicem. Proh quàm atrociter læsit æternam Dei, Christi, & Spiritus sancti maiestatem, atque omnes piorum Ecclesias. Nam in regno Angliæ docebatur, & summa cum læticia audiebatur iustificatio sola fide in Christum, satisfactio peccatorum per Christum, certitudo salutis nostræ per Christum, uera pœ-

nitentia, uera absolutio, uerus ac legitimus usus sacramentorum, atq; aliæ huiusmodi doctrinæ, omnino conformes propheticis, Euangelicis, apostolicisq; oraculis, atq; usui ueteris catholicæ ecclesiæ, ita ut essent inde sublati, extirpatiq; illi fœdissimi abusus, abominabilesq; superstitiones atq; idolomaniæ, quæ scatent regnantq; in Papatu. Cum uerò ageretur de his fecibus rursus in illud regnum inuehendis, diuinis uero doctrinis abolendis, Polus tuus obtulit hic suam operam, quia sperauit se autoritate & gratia plurimum illic ualiturū. ac statim regnum ingressus est, præcedente scilicet idolo crucis, & cum omni illa pompa atq; abominatione, qua legati Antichristi uti solent. Populo uerò imperauit in palatium conuenire, genua flectere ante se (quin & Rex & Regina unà procubuerunt in genua, nec puduit illum Antichristi uicarium id sustinere) ubi autem populum admonuit hactenus à uera fide deuiasse, atq; hæreticum fuisse, addidit se absolutionem Papalem uelle impartiri, eumq; sanctæ Romanæ ecclesiæ reconciliare: & confestim erecta manu, cruceq; illata, populum ipsum absoluit, id est, arripuit atq; auulsit (quantum in se quidem fuit) à studio ueræ pietatis, ac ipsiusmet ueritatis. Arripuit, inquam, atque auulsit è sinu atq; custodia ipsius ueri pastoris Domini nostri Iesu Christi, proiecitq; rectà in sentinam pristinorum abusuum atq; errorum, & sub meram tyrannidem Antichristi insigni proditione posuit. Quid potest sceleratius, quid horribilius excogitari? præsertim de homine, qui fauere nostræ causæ aliquando uisus est? An non agnosces nunc, quem uirum tam diu, & tantopere colueris, & penè ut diuinum aliquod numen adoraueris? an non desines tandem? Quum tuus ille amicus nuper sub nomine Athanasij edidisset scholia in orationē ipsius Poli, in qua Euangelium uocaret semen Turcicum, Principes uerò Germaniæ Turcas, tu miris tergiuersationibus Cardinalem defendebas: indignißimum putabas, qui ita uexaretur: quin iurabas, eum longè aliter nunc sentire, quicquid aliquando sensisse uisus fuerit. At quo pacto poteris excusare, quod nunc in Anglia geßit? Adde, multorum literis nunciari, restitutam illic fuisse statuam diuo (ut ipsi inquiūt) Thomæ Cantuariensi, proditori olim sui regis peßimo. Proh Deum immortalem, hoc'ne etiam tuus Polus potest pati? Sed Dei beneficio factum esse audio, ut nunc caput illi imagini amputatum sit, et corpus in partes discerptum.

Quin adde, agi nunc in misera illa Anglia de lupanaribus etiam restituēdis. Sed quid'ni? Quemadmodum enim umbra corpus, sic prostibula ac reliquæ fœditates ac uitia, in primis uerò idola, Papatum consequuntur. Sed audi reliqua, audi quæ filius Dei nō poterat legere, quin adhuc magis perhorrescat, ac intimis medullis contremiscat. Thomas archiepiscopus Cantuariæ, unà cum tribus quatuor'ue alijs Episcopis uerè pijs & sanctis, qui iustificationem sola fide in Christum, gratuitamq; peccatorum remißionem docuerat, exutus archiepiscopatu, in deterrimos carceres cōiectus, uitam degens in tenebris, in squallore, in egestate, singulis horis gladium carnificis expectans, tum demum igne absumptus est, tyrannide certè inaudita. Ioannes Hoperus Vuigorniensis episcopus, et D. Ioan. Rogers, & Doctor Rolandus Taylerus, ueri martyres Christi, paßi sunt ignes constantißimè.

Contrà Stephanus Gardinerus falsoepiscopus Vuintoniensis (nam Ioannes Ponetus uerus illius Ecclesiæ pastor, & uerus seruus Iesu Christi, exulat) cum octo aut decem alijs Episcopis impijs & sanguinarijs, qui Euangelium atque ipsißimum Christum fuerant acerrimè insectati: nunc sub Cardinali tuo Polo, in summo splendore, summisq; diuitijs & luxibus illic regnant. Ecce itaque Christum in uinculis, omni infamiæ ac tormentorum genere confectum, exutum uestibus, & tanquam ouem ductam ad macellum. Et uicißim ecce Barrabam latronem, alijsq; tragicis facinoribus coopertū, liberatum, exultantem, et ferocientem. Atque ecce milites diuidentes inter se spolia Christi. Ecce, inquam, ecce, ut uidemus, accidere membris eademmet, quæ capiti nostro Christo acciderunt. Necesse enim est, ut simus conformes imagini eius.

In summa, tuus Cardinalis regnat & triumphat, fruiturq; honorib. ferè Papalibus, fruitur actione gratiarum, gratulatione ac gloria ex tota Rom. curia, atq; ex omni regno hypocritarum: deniq; fruitur spe potiundi Pontificatus. Verùm ego illi uicißim nuncio, omnes eos qui spiritū Dei sentiūt (atq; hi sunt nostra ætate plures, quàm ille fortè putet, & quotidie crescit numerus) cogi peius de illo sentire, ac loqui, quàm aut de ipso Iulio tertio, aut de quouis alio dissolutiore & sceleratiore Cardinale. Quandoquidem tum Antichristus ille, tum reliqui ex Cardinalium grege, aut potius armento, palàm

to, palàm atq; apertè nobiscum pugnarunt: & nunc in primis pugnant, quia uictoria Poli eos reddidit insolètiores: Polus uerò insidijs, ac sub prætextu pietatis. Quamobrem cum hac ætate, ac in reliqua posteritate rasi & uncti, atq; id genus hypocritarum encomijs ac laudibus illum onerabunt, celebrabuntq; : omnes piorum Ecclesiæ non poterunt non queri, se tam indignè fuisse delusas ab eo. Quanquam esset id Polo utcunq; ferendum, si nullam aliam pœnam experturus esset, præter dedecoris atq; infamiæ sempiternæ: alia enim eum manet multo grauior. O iterum illum miserum, infœlicemq;. Nam non multo pòst iustißimi Dei nostri ira & uindicta aget, aget illum præcipitem in profundum abyßi, ubi cum diabolo atq; angelis eius sempiterno igne cruciabitur.

Illud uerò hic addere opus est. Nam sedes illa Romana stultè sibi persuasit fore, ut nunc tota Germania redeat ad eius obedientiam: scilicet, quia uidet Angliam utcunq; redijsse, partim circumuentam multis fallacijs dolisq;, partim apertè ui coactam. Quare cum audiret comitia Augustæ celebrari ex toto Cardinalium grege, selegit Moronum quem mitteret eò legatum, hominē qui in agnoscenda et persequēda ueritate persimilis est Cardinali Polo: ab eo itaq; expectādæ sunt similes fallaciæ, similis hypocrisis atq; impietas, ut nō lac lacti magis simile sit. qui unū uidet, alterū uidet. Hæc ille.

His, hoc unum addendum putaui, quòd hoc anno, à Christi incarnatione 1557, circa undecimum diem Februarij, Martini Buceri ac Pauli Fagij, doctißimorum diuinæ ueritatis interpretum, cadauera, Cantabrigiæ sepulta, exhumari & comburi Polus, in mortuos ipsos etiam tyrannizans, iusserit. similiter & corpus pijßimæ matronæ et uxoris D. Petri Martyris, Oxonij tumulatum, effodi, atq; in sterquilinio sepeliri: ut insigne crudelitatis suæ exemplum posteris relinqueret.

De quibusdam Episcopis uerè Episcotis, Ioannes Parkhurstus:

Si qui sunt, Christi quos urit gloria Iesu,
Honor suiq; principis:
Hi sunt, Gardnerus, Sampson, Tonstallus, Hethæus,
Boner, Kychinus, & Capus.
Hos ô Christe uelis ad te conuertere tandem,
Tandem uelis uel perdere.

De quibusdam præclaris & optimis Episcopis, Idem Parkhurstus:

Si sint pontifices, quos gloria tangit Iesu,
Honor suiq; principis:
Hi sunt, Cranmerus, Ponetus, Hoperus, & ipse
Milo, Harlæus, Rydlæus.
Barlus, Gudrichus, Balæus, tuq; Scoræe,
Godaker, Taler, Ferrarius.
Hos ô Christe uelis sancta defendere dextra,
Et quot fauent uerbo tuo.

SVNT ADHVC, PRAETER EOS, QVOS IN HAC NONA Centuria tetigi, præclari cōcionatores, theologi ac bonarum artium studiosi, numero plures: qui cum Helia, 3 Reg. 19, atq; muliere Ecclesia, Apoc. 12, maluerunt in solitudinem fugere, quàm cum pseudoprophetis, Samariæ aut Babyloniæ delicijs frui.

Ex horum numero, in nostro collegio sunt:

Iacobus Pilkintonus, eruditus ac pius theologus: qui utramq; D. Petri epistolam eleganter exposuit, et nunc in Salomonis Ecclesiaste fideliter laborat.

Ricardus Turnerus, quem Cantuariensem uocant.

Thomas Bentham.

Rogerus Kelcus.

Guilhelmus Coole.
Ioannes Plough uel Aratron.
Eadmundus Laurence.
Ioannes Dodman.
Christophorus Sothesus.

Et in alijs ecclesijs, hinc inde per Germaniam dispersis.

Ioannes Scory, episcopus Cicestrensis.
Iacobus Hadon, Decanus Excestriensis.
Eadmundus Cranmer, archiepiscopi frater, & archidiaconus Cantuariensis.
Ioannes Aelmer, archidiaconus Stouensis.
Thomas Yonge, præcentor Meneuensis.
Eadmundus Grindall. D.
Eduuinus Sandes. D.
Ioannes Ioseph. D.
Hunfredus Parkyns. D.
Ioannes Molyns.
Thomas Sampson.
Ioannes Pedder.
Ioannes Byddyll.
Henricus Parry.
Thomas Vuylson.
Nicolaus Keruyle.
Ricardus Alueye.
Radulphus Leuer.
Ioannes Leuer.
Ioannes Praty.
Ioannes Pekyns.
Thomas Donell.
Alexander Nouellus cum fratre.
Ioannes Ieuuell.
Eduuardus Large.
Griffinus Iones.
Robertus Vuisdomæ.
Christophorus Gudman.
Ioannes Knokes.
Ioannes Mayduell.
Ioannes Machbray.
Ioannes Rough.
Ioannes Vuullock.
Thomas Coole.
Robertus Coole.
Guilhelmus Samuell.
Ioannes Maude.
Ioannes Hylton.
Ioannes Appelby.
Hancokus Oxoniensis.
Robertus Bemonde.
Thomas Spenser.
Thomas Steuuarde.
Ioannes Huntington, meus in Christo filius, qui scripsit De lapsu philosophiæ.
Guido Eyton.
Ioannes Mountayne.
Thomas Soersby.
Ioannes Falconer.
Ioannes Hammeltom.
Ricardus Bysley.
Thomas Vuilloughby.
Ioannes Tayler.
Arthurus Saulus.
Robertus Beste.
Ricardus Tremayne.
Thomas Vuattes.
Barronus.
Harryngtonus.
Henricus Reynolds.
Iacobus Peers.
Thomas Lakyn.
Ricardus Lyddyngton.
Henricus Cockcroft.
Parceuallus Vuiburne.
Ioannes Stanton.
Dauid Symson.
Guilhelmus Keth.
Guilhelmus Punte: alijq; plures. De his semel dabitur, ut ampliora dicam. Cæterorum nomina in indice reperientur.

CENTVRIAE NONAE SCRIPTORVM BRYTANNIAE
Finis, authore Ioanne Baleo.

Psal. 136.

Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.

Apoc. 18.

In una die uenient plagae eius, mors, & luctus, & fames, et igne comburetur: quia fortis est Dominus Deus, qui iudicabit illam.

Mantuanus in tertio Alphonsi libro:

Quicquid apud superos thalami sine teste silentes
Deliquere, patet: nec habent uelamina culpae.
Cuncta aperit secreta dies: ex tempore uerum
Nascitur, & ueniens aetas abscondita pandit.

Matth. 10.

Nihil occultum, quod non reuelabitur.

AD LECTOREM.

Statueramus quidem initiò duodecim Centurias Scriptorum Brytannicorum edere, iamque umbilicum quasi uniuerso operi instituto imposueramus: uerùm ob temporis quod superest ad instantes iam nundinas breuitatem, tollere manum de tabula, atque hoc loco suspendere organa nostra cogimur. Trium itaque reliquarum Centuriarum, quas in praesentia omittere necesse fuit, Paralipomena, quarũ postrema de Schotis etiam atque Hybernis agetur, unà cum generali totius Operis rerum atque uerborum praecipuè memorabilium Elencho, proximo mercatu uerno, si Dominus uoluerit, seorsim edi in publicum curabimus. Interea his, amice lector, feliciter fruere, bonique consule, & in Christo Vale.

Prid. Cal. Sept. 1557.

BASILEAE, EX OFFICINA IOANNIS Oporini, Anno Salutis humanae M. D. LVII. Mense Septembri.


INVIA VIRTVTI NVLLA EST VIA.

SCRIPTORVM ILlustrium maioris Brytanniæ posterior pars, quinque continens Centurias ultimas, quas author, Ioannes Baleus Sudouolgius, Anglus, ex Lelando Antiquario, alijsque probis authoribus, non paruo labore collegit.

HIS ADDITA SVNT, ADAMI, SETHI, Enochi, Noachi, aliorumque ueteris Testamenti patrum scripta, ut sciant homines, ab *initio mortalium* semper fuisse in Ecclesia scriptores. Adiectæ sunt & descriptiones Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ, Hebridum atque Orchadum insularum, cum alijs lectu non iniucundis: ut tota res, cursusque negotij, certius & compertius ab omnibus qui Brytanniam non uiderunt, cognosceretur.

Accesserunt & Indices utriusque partis totius huius Operis, tam rerum quàm nominum præcipuè memorabilium, ualde locupletes.



Nolite tacere super iniquitatem Babylonis: quoniam tempus ultionis eius est à Domino, uicissitudinem ipse retribuet ei. Hier. 51.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.



DISTICHON ÆGIDII SYNEGORI
Germani in effigiem Ioannis Balei.

Hæc est effigies docti genuina Balei,
Quem studijs natum terra Brytanna dedit.

Ætatis suæ anno 62.

IN EANDEM TETRASTICHON
L. H.

Cur sic attentus pictum mirare Baleum?
οὐκ ἄνθρωπον ὅλον δέρκεαι, ἀλλὰ μέρος.
Sculptor non animum finxit. sed tu cape librum:
ἔστι γὰρ οὐκ εἰκὼν σώματος, ἀλλὰ ψυχῆς.

ILLVSTRISS. COMITI HVNNORVM, ET BARONI ZKRADINO, VIRO NOBILITAte & doctrina clarissimo, D. PAVLO SCALICHIO de Lika, sacræ Theologiæ Doctori, Domino suo colendissimo,

IOANNES BALEVS SVDOVOLGIVS, ANGLVS, GRATIAM ET pacem à Domino optat sempiternam.



NIHIL est tam tutum, tam ab *omni* parte firmum ac munitū, *illustrissime* Comes, quod *non calumnia* maledicentia'que *possit arrodere*: nihil tam bene dictum, tam cautè scriptum, quod inuidorum hominum ac maleuolorum reprehensionibus non sit obnoxiū. Itaq; qui ad scribendum quippiam animum adijciunt, non tam solicitè id agunt, ut bonis placeant: quàm uerentur, ne quid excidat, quod alijs calumniandi occasionē subministret. Vt enim homines sumus, ita facile labimur & offendimus omnes: & ut nos errare facilè possumus, ita facillimè alij errores conuellere solent etiā leuissimos. Nihil enim est facilius, quàm aliorum labores carpere ac mordere. Nec defuit Homero suus Zoilus, nec Apelli Momus, nec Virgilio Meuius, nec Terentio uetus poeta qui bene etiā dicta malè interpretando deprauaret. Hæc ita cum sint, contra hos sycophantarum morsus præsentaneum remedium se putant inuenisse homines, si patronos quærant, quorum authoritas improbis hominibus ora obstruat, ac dicacibus silentium imponat. Hoc etiam consilio, Doctor sapientissime, cum Musarum genus nudum, imbecillum & inerme per se esse intelligerēt, ab omnibus appeti, iniurijs quorumlibet exponi, accusari à singulis, defendi à paucis: suasq; iniurias conqueri posse, sed non ulcisci: Deum illis tutelarem ac præsidem excogitarunt Apollinem, cuius præsidium illis salutare foret, & aduersus ictus infestissimos calumniatorum opportunum. Quod inuentum non potest non probari: cum inde doceamur, literatos homines per se omni ope destitutos, ad aliorum opem confugere solere & debere, qui opem ferre possunt, & succurrere.

Quamobrem idem mihi faciundū uideo, clarissime & doctissime uir: & ut meam imbecillitatē tuear, omnemq; metum calumniæ excutiam, tutorem aliquem tanquam sidus faustum esse com

 parandum,

parandum, qui meos qualeſcunq; labores hoſce in ſuam clientelam ſuſcipiat, & à dentibus linguiſq; iniquorum iudicum aſſerat. Idq; adeò magis, quo minus eſt in me præſidij ac uiriũ, ad meam cauſam contra aduerſarios propugnandum. Cum uerò omnes undiq; circumſpicerẽ, tandem occurriſti tu, uir præclariſsime, nõ tam à me quæſitus, quàm diuinitus ac præter ſpem oblatus, cuius in clariſsimo nomine hæc mea hiſtorica euulgarem. Quod etſi audaciæ meritò adſcribere poſsis, tamen ſi parumper attendere pro humanitate tua uolueris, non omnino leues cauſas huc me impuliſſe intelliges. Fama nimirum non tam nobilitatis & prudentiæ, quàm in exilio tuo patientiæ, quæ ab omnibus qui te propius norunt celebrata eſt, mihi non minimum calcar addidit. Inprimiſq; commouit me doctiſsimi & uerè nobilis uiri Ioannis Solſignati prædicatio, & honorifica nominis tui teſtificatio: qui ſæpe mihi laudes tuas atq; uirtutes, ſæpe humanitatem miram, prudentiam doctrinamq; ſingularem & eximiam, pleno(quod aiunt)ore deprædicauit: cuius certum ac ſolidum teſtimonium, cur non magnum pondus apud me habere debeat, non uideo. Addebat etiã, Celſitudinẽ tuam, cùm alias regiones multas, tum Angliam quoque noſtram perluſtraſſe: quo facilius ſum adductus, hæc Anglicana tibi ut inſcriberem, cui Anglia haud prorſus ſit ignota.

Et harum rerum percupidũ eſſe te intelligo, ut qui cum Vlyſſe, qui multorum mores uidit & urbes, peragrare ſoleas loca multa, gentium conſuetudines, linguaſq; cognoſcere. In illa autem peregrinatione nihil utilius ſcitu, nihil amœnius, nihil deſideratius, quàm ſcriptores, libros, bibliothecas, opera illuſtrium authorum in quacunq; regione tenere & peruidere. Operæprecium igitur facturum me putaui, ac tibi nõ ingratum, ſi tibi, qui ciuitates, qui populum, qui loca uideris, librarias etiã ædes, ac bibliothecarum arcana aliquot patefacta & eruta proponerem. Hæc quidem cauſa idonea ſatis eſſe poterit, ut ad Dominationem tuam hæc mitterem: uel quia nobilis exul patiens ac fortis: ad eiuſmodi enim pertinet, tutela ac patrocinium literarum: uel quia mitis atq; manſuetus haberis, tales enim uel abiectiſsima & contemptiſsima munuſcula non aſpernabuntur: uel etiam, quia tanti uiri elogium, etiam repugnantem ad hoc audendum incitaret: uel quòd ibi fueris, ubi hi quos deſcripſi uixerunt & claruerunt. Verùm & alia ſunt quæ me quoq; extimulant: nempe incredibilis tua rerũ multiplicium ſcientia & cognitio, quam ego non tantum auribus accepi, ſed oculis ipſe meis, in monumentis tuis immortalibus Baſileæ, apud Oporinũ, clariſsimũ & uigilantiſsimum typographũ,

uirum optimum atq; amicum meum integerrimum uidi: in quibus te non solum uulgarium artium peritissimum ostendis, sed reconditorum etiam mysteriorum ualde doctum ac scientem declaras: quod sanè nisi libri tui loquuti fuissent, in iuuene & aulico nunquam fore credidissem.

Est enim illa ætas, etiam optima, imperitior: & spe quidem ac indole polliceri interdum aliquid de se potest, re autē tot tantáq; præstare uix etiam uiris conceditur. Deinde, longè alia est uita aulica: alias uoluptates, alias mūdi delicias curat ac spectat: literas uix summis labris solet attingere. Quanquam uerò te, qui in Academijs literatisq; hominum studiosorū cœtibus fuisti educatus, tamen cum in aulis quoq; principum, princeps ipse uersatus fueris, illis illecebris à studio doctrinarum & disciplinarum abduci non potuisse, mirandum sanè est, & à bonis omnibus collaudandum. Literata siquidem nobilitas, uerissima est nobilitas. Iactent alij suas imagines, sua stemmata, trophæa, triumphos, maiorū symbola, uictorias, auos, proauos, atauos, diuitias, aurum, argentū, externum splendorem, fortunæq; ornamenta: hoc demum est nobilem esse, interno cultu ingenij & eruditionis nobilitari. Itaq; Alexander ille Magnus, non tam gaudebat se rege Philippo natum, quàm à philosopho Aristotele institutū: quòd externæ claritudini generis, claritatem doctrinæ anteponeret. Cæterum hoc tempore, & in hac ad te Epistola, de laude uel tua, uel literatæ nobilitatis, tractare haudquaquam proposui: quorum alterū à me alienissimū est, quenquā uidelicet sibi coram, & uelut in os laudare: alterum, quia tecum nobis iam sermo est, minus etiam uideri debet necessarium.

Quorsum enim illa de nobilitate literata oratio ad te, qui meis monitis non eges, sed sponte tua satis ad currendum in eo stadio incitatus uideris? id quod, si non aliud, certè tot libri, rerum tantarum, tamq; uariarum custodes, locupletissimè testari possunt. Atqui hęc certè uel ideo hoc loco à me dicta sunt, uir præstantissime, ut meum affectū aliquo modo, saltē quo possem, testatū apud animū tuū relinquerem: utq; amoris æstum, quē ex tot diuinis lucubrationib. tuis, tanta diligentia, studio, cognitione editis hausi, hoc Epistolio significarem: docerémq;, hanc causam cum primis me, ad hoc nostrum Opus tibi dedicandū inflammasse. Etenim, ut meritò dicā quod simpliciter sentio, pluris facio PAVLVM SCALICHIVM scriptorē & doctū, quàm Comitem Hunnorū & Baronem Zkradinum: & Encyclopædiam tuam seu orbem disciplinarum, omnibus prouincijs ac ditionibus quib. nunc exulas, antefero.

tefero. Cum'que in multis isti ac magnis Operibus tuis mentionem quoque mei inserere dignatus sis, tibi nec fama magnopere cogniti, nedum bene de te meriti: facere nõ potui, quin aliquo documento etiam quid de te cogitarẽ, & quàm si non potens, at paratus ac promptus sim ad referendam gratiam, demonstrarem.

Accipies ergo his de causis collectas à me & decerptas Centurias tres, Anglicorum maximè scriptorum reliquias & Paralipomena, quasi'cꝫ racemos: maximè cum audaciæ huius meæ causas non infirmas, & rationes nõ iniustas tibi, ut spero, probatas adduxerim. Nouem sanè hactenus Centuriæ in lucem emissæ sunt: quæ uerò reliquæ erant, eò quocꝫ pertinent, tanquã particulæ ac membra eiusdem corporis. Quarum primas, decimam, undecimam, ac duodecimam, tibi, Comes illustrissime, animo gratissimo oblatas & nuncupatas, ut æqui boni'cꝫ facias, iterũ atcꝫ iterum abs te contendo: nec tam rei utilitatem & humilitatem, quàm animi unde istæc proficiscitur gratitudinẽ, alacritatem ac propensitudinẽ ut intuearis quæso. Si enim mea me de tua humanitate spes non fallat, equidem uel unam pagellã te haud aspernaturũ fuisse nõ dubitarim, si de literis ac studiis quippiã tractaret, in quibus te tãtopere acquiescere nõ sine ingenti uoluptate audio. Quibus certè quo sublimior es atcꝫ florentior, eo quocꝫ humaniorem faciliorem'cꝫ te mihi fore persuadeo. Verissima est Poetæ sententia:

Adde quòd ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Pleruncꝫ enim fit, ut artes humanitatis, in quemcuncꝫ incidunt, eundem excolãt & mansuefaciãt, ad omne'cꝫ officij, ciuilitatis, suauitatis & humanitatis genus cicurent.

Quamobrem hac quidem in parte securus, minime'cꝫ sollicitus, de æquanimitate tua nihil ambigens, ingredior narrationẽ & explicationem instituti mei: quod etsi ex superioribus intelligi melius possit, & id copiosius ac plenius sit à me præstitum hactenus, paucis tamẽ Dominationi tuæ summam rei totius, atcꝫ meum in hisce Opusculis consilium enarrabo: ut quis sit scopus, qui finis propositæ tractationis nostræ Brytannicæ, aliquatenus intelligatur. Cum uiderem in monasteriis ac cœnobiis Anglorum, libros complures diuersorum authorũ tanquam in puluere esse abstrusos, qui nondũ editi essent, necꝫ uulgo noti: cœpi eorum nomina, librorum'cꝫ initia scribere, scripta'cꝫ in uulgus ad omniũ usum atque utilitatem publicare, ne mures ac tineæ tot egregia & insignia monumenta corroderent, quæ manibus hominum trita, tum reipublicæ tũ Ecclesiæ plurimũ prodesse possent. Quos ergo licuit,

uelut

uelut disiectas tabulas ac laceras è naufragio eripui, & ab obliuione uindicaui. Atque his impressos etiam Anglicos Scriptores illustriores celebrioresque adtexui: ex quibus hoc Opus nostrũ & conflatum est hucusque, & amplificatum. Rem uerò nunc ad gregarios perduximus, peruenimusque ad infimæ classis homines, qui in postremis meritò numerari & collocari queant. Non rarò tamen hi quoque, licet obscuri nonnulli sint & barbari, res cognitu dignas, acri ingenio chartis madarunt.

Hos ego ex Lelando nostro Antiquario, alijsque scriptoribus, quanto maximo potui studio collegi: nec uolens ullum prætermisi, qui Scriptoris gaudebat nomine. Cur enim præterire quenquam? aut cur titulus libri non omnes promiscuè caperet? Illustres (fateor) non sunt omnes, sed aliquot: tamen & cæteri suo seculo fortassis magni sunt habiti: & ex illis etiam pessimis, boni aliquid studiosus, hinc inde instar sedulæ apis circumuolitans, fortasse possit exugere. Nam si Vergilius ex sterquilinio Ennij se aurum legere, si Plinius nullum dictitabat esse tam malum librũ qui non aliqua ex parte prosit: quid? nónne ex his quoque nostris fructum aliquem permanare ad aliquos posse iudicabimus? Prouerbium siquidem est non tam uulgatum quàm uerum,

Sæpe etiam est olitor ualde opportuna loquutus.

Solet etiam Deus per iniquos homines patefacere uera, ut & per pontificem Caiphã uera prophetari uoluit. Ne itaque hæc authorum infimorum turba Dominationem tuam offendat: sed ita potius cogites, triticum quoque innasci zizanijs, & frumentum admisceri paleæ, & bonos ac malos pisces simul esse.

Quum autem Adami, Sethi, Noachi, aliorũque patrum in ueteri Testamẽto scripta legeris, miraberis scio, quàm hoc cõueniat instituto: ut qui Anglicos scriptores tradere profitemur, in Patriarcharũ mentionem delabamur. Hoc enim esse dices à carceribus ordiri, & à primo (quod aiunt) ouo incipere, longéque remotum principiũ accersere. Sed ita habeas, in his Appẽdicibus uoluisse me non reliquos solum adnectere, sed ab initio etiam altius repetere primos Scriptores, uiamque ad eos qui subsequũtur nostrates hac præfatione quasi præstruere. Quæ etsi omnino huc non pertineant, tamen rei declarandæ causa sunt à me apposita. Eademque de causa descriptiones Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ, Hebridum & Orchadum adiunxi, ut tota res cursusque negotij certius compertiusque ab omnibus, ea regna qui nõ inuiserũt, cognosceretur. Nec illud sit mirum, quod tot Carmelitas sodales in hoc nostro Catalogo citauerim, exiguum Babylonicarum locustarum genus:

huius enim rei hanc quoq; causam accipe. Statuto synodali decretum apud eos erat antiquitùs, ut nullus ad doctoratũ admitteretur, nisi prius aliquo scripto ad usum posteritatis prodito, suæ eruditionis specimen edidisset: unde factũ est, ut maxima adeò & frequens scriptorum farrago ex ea disciplina emerserit.

Nam ante Ioannis Miluertoni theologi præfecturam, qui Romæ in Hadriani mole, seu castro D. Angeli ob defensum Christi paupertatis articulum contra clericorum ambitiones & pompas, triennio per episcopos cum Platina remansit captiuus, nulli Anglicorum fraterculorũ mendicantiũ, Carmelitis in Papistica doctrina comparandi fuerunt: ut satis patet ex Baconthorpio, Lauynhamo, Vualdeno, & alijs suprà cõmemoratis. Lelandus quoque in suo opere de Viris illustribus, plusquam CL refert: uixq; cæteræ per uniuersam Europam nationes, totidem eius generis uariarum rerũ Scriptores dabunt. id quod ego familiariter in eorum bibliothecis uersatus comperi. Habes, clarissime ac præstantissime uir, cõsilij mei rationem. Restat, ut audaciæ culpam deprecer: & id sanè plurib. facerem, nisi etiam antè id iam breuiter dixissem: & admirabilis humanitas tua prolixam excusationẽ nec postulat, scio, nec feret. Hoc tantum rogo, ut hoc meum munusculum non graueris accipere: & me ut clientem, & nominis tui studiosissimum, ac Dominationi tuæ deditissimum, non dedigneris agnoscere. Dominationem tuam Dominus IESVS seruet omnibus bonis florentem & incolumem, in quo bene ualeas ac uiuas: Amen.

IOAN. PARKHVRSTVS ANGLVS IN XIIII Centurias Scriptorum Brytannicorum à clariss. uiro D. Ioanne Baleo conscriptas.

Quos peperit uario populosa Brytannia nixu
Scriptores, præsens en tibi monstrat opus.
Quorum res gestas hîc cernis, nomina, dicta,
Libros, conatus, consilia atque obitus.
Hîc & pestiferi legis incrementa Papismi,
Rasorum sectas, stupra, uenena, dolos.
Hoc lucubrauit opus doctissimus ille Baleus,
Irradians patriæ sidus & aura suæ.
Authori gratus sis lector candide, uitæ
Exoptesque pio stamina longa seni.

EIVSDEM ALIVD.

Qui tot Scriptores describis, iure uocari
Scriptorum scriptor docte Balee potes.

HISTORIAE LAVS PER IOANNEM LElandum Antiquarium.

Historiæ quicunque cupit cognoscere laudes
Eximias, nostro carmine doctus erit.
Quod sol æthereo præstat pulcherrimus orbi,
Historia humanis usibus hoc tribuit.

IN CHRONOLOGIAM IOANNIS BALAEI Sudouolgij Angli, nondum editam: epigramma Aegidij Synegori Limbergensis, Germani.

Nosse cupis rapido labentia tempora fluxu,
Et quas hic orbis detque feratque uices:
Quamlibet exiguus præsens liber ista docebit:
Hic Libycæ cornu fertilitatis habes.
Fasce sub exili ueterum monumenta patescunt,
Claraque non ficte lucet imago patrum.
Hic datur heroum strictæ breuitatis elenchus,
Inclyta quos uirtus posteritate beat.
Illustres per scripta uiros, studijque perennes,
Iudicij rara dexteritate refert.
Orgia Mauortis sæui, pacisque uigorem,
Quamuis non strepitu luxuriante, canit.
Iugiter hunc uerset, sitiens qui comere pectus
Multiiuga rerum cognitione uolet.
Si quid commoditas, aut regula flectit honesti,

Par

Par erit historias edidicisse graues.
Hinc tibi fortunæ series male certa liquebit,
Ornat ut insignes splendida gaza domos.
Hinc poteris crudi solatia ferre doloris,
Dum Nemesis mœstum torquet acerba caput.
Adde quòd hic genuina nitet uirtutis imago,
Noscitur & ueræ relligionis apex.
Hunc crebris igitur manibus peruolue libellum,
Nec labor optato munere cassus erit.

POSTREMVM VALE, PER eundem.

Numina diuorum faxint, ut remige fausto,
Accedas patrios, docte Balæe, lares.

REINHARDVS LORICHIVS HADAmarius super Martyribus Angliæ.

Christicolum iugi funestant strage popellum,
Dogmata qui falsæ relligionis amant.
Grandis ubiq; pauor, macies, afflictio, luctus,
Aerumnæ, clades, grandis ubiq; dolor:
Attamen in tanto rerum discrimine Christus
Contulit auxilium, præsidiumq; suis.

ANDREAS SADALERVS Brytannus.

O' faciles animos & mitia pectora Regum,
Hæc à præsulibus quod potuere pati.
Iusticiæ ficto quoties te nomine iactas,
Hoc agnosce tuum crimine Roma scelus.
Terrarum dominos nec inani ludere fastu
Pontifices puduit, Roma superba, tuos.

AVTHORVM NOMINA QVORVM TESTIMONIIS IN PRIORI OPERE,

nouem ſcilicet Centuriarum, de Scriptoribus Brytanniæ, uſi ſumus.

A

Achilles Pyrminius
Actius Sannazarius
Adamus Ciſtertienſis
Aegidius Faber
Aeneas Syluius
Alanus de Lynna
Albertus Crantzius
Albertus Magnus
Albius Tibullus
Alexander Aleſius
Alexander Fabricius
Alexander Minutianus
Alexander Neckam
Alpharus Minorita
Alphonſus de Caſtro
Amandus Zierixenſis
Ambroſius Coriolanus
Ambroſius Merlinus
Andreas Oſiander
Andreas Sadalerus
Anſelmus Cantuarienſis
Antoninus Auguſtus
Antoninus Archiepiſcopus
Antonius Auerarius
Antonius Sabellicus
Apocalypſis Ioannis
Ariſtoteles Stagirita
Arnoldus Boſtius
Arnoldus de Villa noua.

B

Baldericus Dolenſis
Baldericus Traiectenſis
Balthaſar Vverlious
Baptiſta Mantuanus
Baptiſta Folengius
Baptiſta Panætius
Baptiſta Platina
Bartholomæus Piſanus
Baſilius Cæſarienſis
Baſsianus Landus
Bedas Giruicenſis
Benno Cardinalis
Berengarius Turonenſis
Bernardus Clareuallenſis
Bernardus Lutzenburgus
Beroſus Chaldæus
Bibliorum ſacrorum libri
Bilius Armoricanus
Blondus Forliuienſis
Boſtonus Burienſis.

C

Cælius Secundus
Cæſarius Monachus
Caius Iulius Cæſar
Calendaria Hiſtorica
Caradocus Lancaruanenſis
Carmelitarum Catalogus
Caſpar Bruſchius
Caſsiodorus Monachus
Catalogus Franciſcanorum
Chriſtianus Maſſæus
Chriſtophorus Mylæus
Chronicon Caletenſe
Chronica Sarisburienſia
Claudius Ptolemæus
Colmannus Sapiens
Commentarij Pariſienſium
Conradus Geſnerus
Conradus Grebelius
Conradus Lycoſthenes
Conradus Vrſpergenſis
Cornelius Hybernus
Cornelius Tacitus
Cyrillus Carmelita.

D

Damaſus Pontifex
Diodorus Siculus
Diogenes Laertius
Dion Caſsius Cocceius.

E

Ealedus Rhieuallenſis
Edwardus Haulus
Egeſippus Iudæus
Enochus Hieroſolymitanus
Epiſtolę monachorũ D. Alba.
Eraſmus Roterodamus
Ethelwolphus Bernicius
Euricius Cordus
Euſebius Cæſarienſis

F

Flaccus Albinus
Flauius Blondus
Flauius Vopiſcus
Fortunatus Presbyter
Franciſcus Petrarcha
Franciſcanorum Catalogus
Freculphus Lexouienſis.

G

Galfridus Chaucerus
Galfridus Monemutenſis
Gelaſius Pontifex
Gennadius Maſsilienſis
Georgius Lilius
Georgius Maior
Georgius Sabinus
Georgius Vvicelius
Gerardus Laodicenſis
Geruaſius Dorobernenſis
Geruaſius Tilberienſis
Gilbertus Cognatus
Gilbertus Ducherius
Gildas Albanius
Gildas Badonicus
Gildas Cambrius
Gildas Quartus
Giraldus Cambrienſis
Gobelinus Alemannus
Godfridus Viterbienſis
Gotcelinus Bertinianus
Gratianus Monachus
Gregorius Haimburgenſis
Gregorius Magnus
Gualterus Couentrienſis
Gualterus de S. Albano
Gualterus Huntus
Guido Perpinianus
Guilhelmus Botoner
Guilhelmus Budæus
Guilhelmus Byntræus
Guilhelmus Caxtonus
Guilhelmus de S. Amore
Guilhelmus Faſtregicus
Guilhelmus Gillyngamus
Guilhelmus Hormannus
Guilhelmus Lynwode
Guilhelmus Nouoburgus
Guilhelmus Rishanger
Guilhelmus Stantphurdius
Guilhelmus Thornus
Guilhelmus Turnerus
Guilhelmus Tyndale
Guilhelmus Tyrius
Guilhelmus Vvhittyngham
Guilhelmus Vuodefordus

H

Hector Boethius
Henricus Agrippa
Henricus Bebelius
Henricus Bomelius
Henricus Huntingtonus
Henricus Pantaleo
Hermannus Contractus
Heſychius Presbyter
Hieronymus Marius
Hieronymus Squarzaphicus
Hieronymus Stridonenſis
Hilarius Pictauienſis
Hildegardis Abbatiſſa
Honorius Auguſtodunenſis
Hugo Kirkoſtedus
Hugo Legatus
Hugo Nouantus
Huldricus Huttenus
Huldricus Mutius
Hunibaldus Hiſtoricus

I

Iacobus Bergomenſis
Iacobus de Theramo
Iacobus de Vitriaco
Iacobus Faber
Iacobus Vvimphelingius

Saluia-

S
Saluianus Massiliensis
Saxo Grammaticus
Scala Mundi
Sebastianus Munsterus
Seuerus Sulpitius
Sextus Aurelius
Sextus Decretalium
Sibertus de Beka
Sibylla Erithræa
Sigebertus Gemblacensis
Sigismundus Gelenius
Sigismundus Lupulus
Simeon Dunelmensis
Socrates Græcus
Stephanus Langtonus
Stephanus Patrington
Strabo Geographus
Suidas Græcus
Sulpitius Seuerus
Symphorianus Champerius.

T
Tertullianus Apher
Theodoricus à Nyem
Theodoricus Gresmundus
Theodorus Bliblиander
Thomas Cantipratensis
Thomas Colbius
Thomas Coperus
Thomas Cranmerus
Thomas Eclestonus
Thomas Eliota
Thomas Gascoigne
Thomas Monemutensis
Thomas Morus
Thomas Scropus
Thomas Vualdenus
Thomas Vualsingham
Thomas Vuickius
Trogus Pompeius.

V
Valerandus Pollanus
Valerius Anselmus
Valerius Martialis
Valerius Maximus
Veremundus Hispanus
Vergilius Maro
Vincentius Beluacensis.

w
Vuarnerus Roleuinck
Vuesselus Groningensis
Vuolfgangus Kyriander
Vuolfgāgus Vuissenburgius
Vulteius Remensis.

Y
Yuandus Tolosanus

FINIS.

AVTHORVM NOMINA, QVORVM TESTIMONIIS IN POSTERIORIBVS QVINQVE CENturijs *Scriptorum Brytanniæ usi sumus.*

A
Aeneas Syluius
Albanus Torinus
Albericus Veerus
Albertus Crantzius
Alcuinus Diaconus
Alexander Sermoneta
Alphonsus de Castro
Andreas Althamerus
Antoninus Archiepiscopus
Antoninus Augustus
Arnoldus Anedelius
Asserius Meneuensis
Athanasius Alexandrinus
Augustinianorum registrum
Augustinus Aegæus.

B
Balthasarus Colmarius
Baptista Mantuanus
Baptista Platina
Bedas Giruinus
Bernardus Clareuallensis
Berosus Chaldæus
Bibliorum libri
Bibliothecæ multarū partiū
Bibliotheca regis Edwardi
Bonifacius Simoneta
Bostonus Buriensis

C
Cātabrigiēses Bibliothecę
Carmelitarum Bibliothecæ
Carmelitarum registrum
Catalogus peruetustus
Christianus Massæus
Christophorus Mylæus
Chunmannus Flinspachius
Conradus Gesnerus
Conradus Lycosthenes
Conradus Tremonius
Conradus Vrspergensis
Cornelius Cornipolitanus
Cornelius Nepos
Cornelius Tacitus
Cyrillus Alexandrinus.

D
Dominicanorum registrum.

E
Eadmerus Durouernensis
Edwardus Hallus
Epiphanius Cyprius
Erasmus Roterodamus
Eusebius Cæsariensis

F
Flaccus Albinus
Franciscus Lambertus
Franciscanorum Catalogus
Franciscanorum registrum
Fridericus Nausea

G
Galfridus Chaucerus
Galfridus Monemutensis
Gaspar Bruschius
Georgius Cassander
Georgius Lilius
Georgius Maior
Geruasius Durouernensis
Gildas Quartus
Geraldus *Cambriensis*
Glasconiense registrum
Gobelinus Alemannus
Godfridus *Vuintoniensis*
Gualterus Albanensis
Gualterus Bibliothecarius
Guilhelmus Botonerus
Guilhelmus Colus
Guilhelmus Elphinstonus
Guilhelmus Fastregicus
Guilhelmus Hormannus
Guilhelmꝰ Malmesburiēsis
Guilhelmus Postellus
Guilhelmus Tyrensis.

H
Hartmannus Scedellus
Haymo Floriacensis
Hector Boethius
Henricus Agrippa
Henricus Huntingtonus
Hermannus Bonnus
Hermannus Contractus
Hieronymus Stridonensis
Hugo Candidus
Hugo Kirchostallensis.

I
Iacobus Curio
Iacobus Parcus
Icenensis Historia
Ioannes Auentinus
Ioannes Baconthorpius
Ioannes Balantinus
Ioannes Bloxham
Ioannes Burgensis
Ioannes Capgrauus
Ioannes Chrysostomus
Ioannes *de Indagine*
Ioannes Euersdenus
Ioannes Hardingus
Ioannes *Lelandus*
Ioannes Maior, Scotus
Ioannes Nauclerus
Ioannes Paleonydorus
Ioannes Rauisius *Textor*
Ioannes Rossus
Ioannes Sleidanus
Ioannes Tritemius
Ioannes Vuicleuus

ß Iosephus

CATALOGVS SCRIPTORVM BRYTANNIAE

Maioris, qui in his quinq; Centurijs ultimis continentur: Alphabetico ordine.

Candi-

Nicolaus

FINIS.

ERRATA, PER OPERARVM INCVRIAM COMmissa, & inter colligendum Indicem obseruata, sic emendabis.

Pagina 16. uersu 15. à Thamasi ad Trentam 18. Yorca 20.27 nimium 23. 23 nec ab Albina. dele, uocat 24.28 Heluecones 25.43 Virunnius 27.17 datum est 30.33 Lindeseia 39.5 Parchensis 45.27 Thorsby 36 popule 49. 18 bene collocatam 59.41 anno Christi M. cc liiij 46 Hanabergus 60. 21 anno Christi M. ccc. xlviij 58.21 Ex Chaucero 62.13 quintus 64.31 S. Balbinæ 69.42 Cardinalem tit. S. Cyriaci in Thermis 70.5 ordinarium 75.9 Fabro Stapulensi, Erasmo & Luthero se murum opposuit 76.25 Considerans 81.41 deest: utrum ueritatem creatam poterit 83.15 pone, ad nouas: dele, consuetas 88.4 Godsaluum 92.13 adde post lib. 1. Scire possunt casus, in quibus 16 post lib. 1. Ignorantia sacerdotum, populum decipit 95. 10 quam magnæ: dele, libet 100.6 Grafton 104.46 Fielde 131.29 incarnatione 132.45 Pullano 49 Iosue 135.43 Alemannus 44 Alemannum 47 Alemannus 150.31 Phrisones 154.45 Euerisdeno 160.17 Cestriensis 164.45 Ioannes 161.24 Regum 162.5 ab Adaino 49 Hyberniæ 167.14 Neckami 168.48 Giraldus 171.7 adde: Doctores ecclesiæ primitiuæ 47 Crickladensis 172.47 Hic labor tua causa, Christiane lector 173.24 Aluarus 94 lib. ij. 174.15 Guillandus 192.50 Rouanus. dele, super 215.40 Marton Havule 224.10 regi 219.24 primitiua 226.44 anno Do. M.D. LVII 231.9 Vuilliamo 227.13 Granlonem 239.38 Cistertienses 242.49 non præterijsset 248.45 Ganio rege 246.11 Dubliniensis.

AD IOANNEM BALAEVM LAVrentius Humfredus Anglus.

Accipe nostrum,
Quod petijsti,
Pingue Epigramma.
En cape crassum
Et rude carmen:
En cape læta
Mente manuq;
Chare Balæe
Centuriator.

Magnum opus aggrederis, sed gratum, magne Balæe:
Nobis plausibile est, at tibi difficile est.
Nostros scriptores nobis cognoscere gratum,
Et nostros homines scire librosq; iuuat.
Anglia terra satis cœlesti rore beata,
Fortunata suis fructibus atq; bonis:
Anglia sat ditata bonis, bona si sua nosset,
Donis supremi fœta feraxq; Dei:
Nunc etiam spissis Scriptorum est plena cateruis,
Occultis opibus terra referta suis.
Hæc gratum est nobis uidisse domestica dona,
Thesauros patrios hosce tenere iuuat.
Hæc legisse iuuat, tibi collegisse molestum:
Sic gratum & magnum docte Balæe subis.
Scriptorum libros & nomina scribere magnum,
Maius Scriptorum scribere Centurias.
Quisquis utrumq; facit, qualis quantusq; putandus?
Qui tot, qui tantos centuriare potest?
Illustres humiles conuerrere, maxima res est,
Paruos & magnos undiq; congerere:
Notos ignotos, quos longa & cæca latebra,
Quos tenebræ, & tempus, quos hypogæa tegunt.
Maius adhuc dicam: tibi res est hercule cum re,
Cui nec finis erit, nec modus, aut numerus.
Immensum hoc pelagus, labor infinitus & ingens,
Hæc moles dura est, hic Labyrinthus erit.
At cur tot uerbis magnum gratumq;, Balæe,
Hic resono? durum hoc, dulceq; cur refrico?
Dulce cano & gratum, quò præcedentia laudem:
Nam factis magna est laus referenda tuis.
At durum & magnum repeto, quò fortius horter,
Nec portum speres te tetigisse tuum.
Est remis uelisq; nouis hoc æquor arandum,
Non hic figenda est ancora firma tibi.
Turba noua en ueteri semper succrescet in horas,
Iam noua Scriptorum surgit opima seges.

Hic

Hic Lernæus adest serpens, hic hydra, Balæe:
Hic ergo neruis est opus Herculeis.
Pergito γαζωφυλακεῖν, & perpetuare uolumen,
Horrea sint iugiter messibus aucta nouis.
Sic ter gratus eris, ter magnus habeberis omni:
Sic grates Anglus, Scotus, Hybernus aget.

PHILIPPVS PHILOMVSVS
ad Lectorem.

Bullatas alij tollant ad sidera nugas,
Quas precio constat non superare nucem:
Fœdaq; decantent uerbis figmenta canoris,
Credula quæ nunquam uera putaret anus.
His bona præstituant grauium præconia uatum,
Ac homines captent simplicitate rudes.
Tu potius patrum, per quos Ecclesia creuit
Anglica, pernosces, scripta probanda, fidem:
Qui Latiam graphicè uarijs cum cornibus hydram
Pinxerunt, miris commemoranda modis:
Illius atq; suis uitam moresq; camœnis
Vulgarunt summa dexteritate bonis.
Qua uix tellus alit monstrum truculentius ullum,
Sospite quo uirtus relligioq; perit:
Quod caput est scelerum, quod maxima pestis honesti,
Ac fidei clades, luxuriæq; parens,
Fraude sua perdens animum cum corpore toto:
Ergo quid hoc monstro sæuius esse potest?
Hæc tibi monstrabunt sanctissima scripta Balæi,
Qui Christum tota cum pietate docet.
Hæc uigil intenta lector perpendito mente,
Si tibi cura tui, si tibi cura Dei.

IOANNIS BALEI SVDOVOLGII, ANGLI, DE SCRIPTORIBVS BRYTANniæ, Centuria decima: ex diuersis authoribus collecta.

Et hæ quinque ultimæ Centuriæ, quæ sequuntur, quasi Paralipomena & Appendices sunt nouem centuriarum præcedentium.

PRAEFATIO.



OPVS est in istis Paralipomenis, eos scriptores recensere primùm, qui diluuiũ magnum præcesserunt, ac statim sequebantur: ut pius lector intelligat, ab ipsis rerum primordijs, fuisse semper eruditos in ecclesia doctores & prophetas. Locutus namque Deus est (inquit Zacharias sacerdos) per os sanctorum, qui à seculo sunt, prophetarum eius: Lucæ 1. Qui licet ad eam terrã, quam nunc Brytanniam appellamus, nunquã fortassis peruenerint (nondũ enim erant gentes, Gen. 10. in linguas & nationes diuisæ) easdem tamẽ promissiones & doctrinas de Dei filio cum illis habebant communes, post illud diluuium, Iapheto atque eius filio Samothe doctoribus. Incipiemus igitur ab Adamo, primo omnium nostrûm parẽte: qui primus naturæ legem in corde ab altissimo scriptam accepit, ac docuit: & ad posteriora tempora, per Sethũ, Canochum, Enochum, Noachũ, & alios descendemus. Ab hoc doctore (inquit Georgius Maior) tanquam ex fonte, omnes artes bonæ, & omnis sapientia humana profluxit. Hic primus, cœlestium corporum motus, herbarum, plantarum, animantiũ, & omnium creaturarũ naturas, rationem ecclesiasticæ, politicæ, & œconomicæ gubernationis, primùm publicauit. Ex cuius schola, quicquid est bonarum artium & disciplinarum, cognitionis rerum ac sapientiæ, in totum genus humanum per patres est postea propagatum.

SCRIPTORES, MVNDVM ANTE DIluuium illustrantes: ut sit plena eorum historia ab initio.

ADAMVS PROTOPLASTES. EX LIB. I. *Philippi Vuolphij, de Vitis peritorum uirorum.*

ADAMVS, primus omnium parens, cui meritò primus omniũ illustrium, seu peritorum uirorũ debetur locus: à summo Opifice in agro Damasceno formatus, & in paradisum locatus, atque tanta gratia informatus est: ut nullo tradẽte magistro, omnium liberalium artium statim clarissimam habuerit agnitionem. Siquidem quid Astronomia, quid Geometria, quid'ue aliæ artes, quas Liberales uocant, in se contineant, totum sciuit. Omnium quoque her

barum, arborum, metallorum, auium, bestiarum, piscium, cunctarũ denique creaturarum, plenißimam noticiam habuit. Nec eum (ut docti proferũt) nostri Saluatoris futura incarnatio latuit: nec cæterarum altißimarum rerum cognitio. Volensque Deus, etiam in effectu, notificare ipsius protoplasti scientiam, rerumque omnium à se creatarum proprietates atque uirtutes, ad ipsius prospectũ animantia cuncta perduxit, ut singulis iuxta proprias conditiones nomina imponeret: quod & factum est. Nec solum animantibus terræ, sed etiam stellis cœli, atque auibus & piscibus maris, uocabula indidisse, non improbè autumant. Ipso igitur sic imperatore ac rege instituto, mulierem ei sociam ac stirpis humanæ comparem, genitricẽ effecit. Qui ob inobedientiam, è loco uoluptatis eiectus, atque manuũ operi submissus, terram inde colere iussus est. In sudore uultus sui panem uescens, uixit annis 930, ut sacra refert historia: & uita functus est eodem anno à mundi origine.

EX LIB. III. CHRISTOPHORI MYLAEI, IN *Vniuersitatis rerum historia.*

Adamus hominũ primus, rubra è terra fictus, & ad Dei similitudinem atque simulachrum efformatus: infusa ac conclusa mente diuina, in fœcundiorem & amœniorem hortũ, paradisi nomine, collocabatur. Inde rerum omnium, quæ & in mari & in terra sunt, dominus atque administrator constituebatur. Itaque productis dissimilibus animantium omnium generibus, congruentia cuiusque naturæ nomina primùm imposuit: & ortã ex se adiutricem Euam, etiam antea non uisam, perfectißimè nouit, &c. Ex Chronologia Chunmanni Flinspachij: Iosephus scribit, Adamum & Sethum duas tabulas parasse: in quas, prophetias de semine promisso, & obseruationes corporũ cœlestium retulerunt. Ex Iacobi Parci Chronico: Anno mundi 131, Adamus prædixit, mundum aqua igneque ruiturum.

SETHVS, ADAE FILIVS. EX GEORGII CASsandri lib. 1. de Viris illustribus.

SEthus, probus ac fidelis Dei seruus, post Abelis cædem natus est Adamo filius: quem, quòd sibi Deus in eius locum supposuerit, hoc nomine appellauit. Ea enim uox, diuino sermone, à ponendo deducitur, quòd pro ipso Abele sit positus. Cumque Caini posteritas, parentem imitata, paulatim ad improbitatem & impietatem dilaberetur: hic posteris suis, iustè sancteque uiuendi, casteque colendi numinis author fuit. Qui omnes in summa fœlicitate ac rerum omnium affluentia uixerunt: primique cœlestium rerum scientiam excogitasse, ac duabus columnis, altera lapidea, altera latericia cõsignasse traduntur: uidelicet, ne uel incendio, uel diluuio, quo mundum interiturum à maioribus, accepto ab Adamo uaticinio, audiuerant, tam utilis humano generi cognitio deleretur. Ipse uerò Sethus, ætatis anno duodecimo ac nongentesimo: et anno à mundi initio 1042, mortuus est: anno etiam 2928, ante Virginis deiparæ partum.

EX LIB. III. CHRISTOPHORI MYLAEI, IN *Vniuersitatis rerum historia.*

Sethus, Adami filius, in Abelis interempti locum cùm succeßisset, integritate uitæ ac sanctitate commendatus, traditam à patre disciplinam, constanter tenuit et auxit: ut ab eodem electus populus, progreßuris ad maius incrementũ rebus, latè dimanarit. Et lib. 5. Acceptam de mundi primordijs, ac cœlestium corporum motu, constantique ordine sententiam, in columnis

lumnis duabus, quarum una latericia erat, altera lapidea, inscripsit: ne quo ignis aut aquæ interuentu, quod futurum pater prædixerat, obliuione posteritatis extinguerentur. Quibus deprehendendis, probandis, & firmandis, cum nascente mundo primi illi homines diutissimè uiuerent, plurima in his, præsertim quæ de præstanti astrorū ratione habentur, sunt assequuti. Ita enim referebat: siquidem posteris nulla tanta ingenij celeritate, nullisq; tantis studiorum contentionibus, in mentem uenire similiter potuissent. Relicta igitur hæc doctrinarum seminaria, atq; fideliter conseruata, deinceps propagatione continenti, per manus ad diuersos transferuntur.

Ex Iacobi Parci Chronico: Anno mundi 990. Sethi nepotes cœperunt scribere, circa illud tempus.

CANOCHVS, FILIVS ENOS. EX LIBRO GVILhelmi *Postelli, de Etruriæ institutis.*

CAnochus, uel Kenah, filius Enos, summa sanctitate propheta, doctrinis & scriptis egit (is enim Adamo amanuēsis fuisse legitur) ut apud ueræ religionis obseruatores annus lunaris seruaretur. Et ad hoc id fecit, ut duodecim signorum, aut mensium, aut uariarum cœli uicissitudinum, uideretur in luna signum: quo uiso, omnes in creatoris laudes renouatas prorumperent. Vnde quum in toto sacrorū ante Esdram scriptorū corpore, maximè autem in libris Moseos, nulla nisi de lunari anno mentio fiat: certissimum est, etiam sanctorum sanctissimum Noachum, quum memorias diluuij posteris tradidit, eas notare uoluisse secundum lunaris anni usum, fidelibus ob crebras laudes Dei constitutū. Et alibi: Scripsit Canochus uates, ex Adami ritualibus sacris, doctrinam rerum cœlestium. In qua post diluuium excelluisse Chaldæi non potuissent, nisi iam ante diluuium fuissent obseruationes, à sanctis patribus factæ & conscriptæ: religioniq; geniorum, qui primùm cœlo influunt, coniunctæ. Cuius Canochi opus, inter primos rituales sacrosq; libros, in Aethiopica ecclesia extat: ut ipsius fidem & argumenta, ab illis audiui Aethiopibus, Candacum regno subiectis. Hæc Postellus. Canochus autem, anno ætatis suæ nongentesimo decimo, à mundi formatione 1235, et ante Seruatorem natum 2735 uita excessit.

ENOCHVS, IAREDI FILIVS. EX AVthoribus *diuersis.*

ENochus, ex Iaredo procreatus, septimus ab Adamo concionator, homo prophetia clarus, ante diluuij tempora scripsisse legitur, de rebus diuinis. Eius opus etiamnum superest pro canonica scriptura, in Aethiopia: & in ecclesiæ reginæ Sabbæorum archiuis. Ex Theodoro Bibliandro, ad Germaniæ principes: Cum urbem ædificasset Cainus Hanochiā, & imperium condidisset, Enoch propheta excitatus est à Deo, qui librum publicauit de fatis ac decretis cœlestibus: in quo Christi res, & Antichristi etiam, luculētissimè præsagijt. Et in Fideli relatione, ad eosdē principes: Mundus primus (inquit) quem Enoch arguit peccati, simul denuncians graue iudicium Dei, octingentis annis ante diluuium: quemq; Noe præco iusticiæ, ad emendationem morum exhortatus est per annos 120, quia diuinas admonitiones cōtempsit, eluuione aquarum deletus est: una eiusdem iusti Noe familia seruata, quæ diuinis oraculis sese accommodauit. Atq; adhuc alibi: Ante diluuium, Enoch fata ecclesiæ, & hostium ipsius præcinuit. Et Chunmānus Flinspachius, in sua Chronologia: Iudas in epistola, Enoch septimum ab Adam, de iudicio extremo uaticinatū dicit. Qui cum

barum, arborum, metallorum, auium, bestiarum, piscium, cunctarũ denique creaturarum, plenissimam noticiam habuit. Nec eum (ut docti proferũt) nostri Saluatoris futura incarnatio latuit: nec cæterarum altissimarum rerum cognitio. Volensque Deus, etiam in effectu, notificare ipsius protoplasti scientiam, rerumque omnium à se creatarum proprietates atque uirtutes, ad ipsius prospectũ animantia cuncta perduxit, ut singulis iuxta proprias conditiones nomina imponeret: quod & factum est. Nec solum animantibus terræ, sed etiam stellis cœli, atque auibus & piscibus maris, uocabula indidisse, non improbè autumant. Ipso igitur sic imperatore ac rege instituto, mulierem ei sociam ac stirpis humanæ comparem, genitricẽ effecit. Qui ob inobedientiam, è loco uoluptatis eiectus, atque manuũ operi submissus, terram inde colere iussus est. In sudore uultus sui panem uescens, uixit annis 930, ut sacra refert historia: & uita functus est eodem anno à mundi origine.

EX LIB. III. CHRISTOPHORI MYLAEI, IN *Vniuersitatis rerum historia.*

Adamus hominũ primus, rubra è terra fictus, & ad Dei similitudinem atque simulachrum efformatus: infusa ac conclusa mente diuina, in fœcundiorem & amœniorem hortũ, paradisi nomine, collocabatur. Inde rerum omnium, quæ & in mari & in terra sunt, dominus atque administrator constituebatur. Itaque productis dissimilibus animantium omnium generibus, congruentia cuiusque naturæ nomina primùm imposuit: & ortã ex se adiutricem Euam, etiam antea non uisam, perfectissimè nouit, &c. Ex Chronologia Chunmanni Flinspachij: Iosephus scribit, Adamum & Sethum duas tabulas parasse: *in quas*, prophetias de semine promisso, & obseruationes corporũ cœlestium retulerunt. Ex Iacobi Parci Chronico: Anno mundi 131, Adamus prædixit, mundum aqua igneque ruiturum.

SETHVS, ADAE FILIVS. EX GEORGII CASsandri lib. 1. de Viris illustribus.

SEthus, probus ac fidelis Dei seruus, post Abelis cædem natus est Adamo filius: quem, quòd sibi Deus in eius locum supposuerit, hoc nomine appellauit. Ea enim uox, *diuino sermone*, à *ponendo* deducitur, quòd pro *ipso Abele sit positus*. Cumque Caini posteritas, parentem *imitata*, paulatim ad improbitatem & *impietatem dilaberetur*: hic posteris suis, iustè sanctèque *uiuendi*, castèque colendi numinis author fuit. Qui omnes in summa fœlicitate ac rerum omnium affluentia uixerunt: primique cœlestium rerum scientiam excogitasse, ac duabus columnis, altera lapidea, altera latericia cõsignasse traduntur: uidelicet, ne uel incendio, uel diluuio, quo mundum interiturum à maioribus, accepto ab Adamo uaticinio, audiuerant, tam utilis humano generi cognitio deleretur. Ipse uerò Sethus, ætatis anno duodecimo ac nongentesimo: et anno à mundi initio 1042, mortuus est: anno etiam 2928, ante Virginis deiparæ partum.

EX LIB. III. CHRISTOPHORI MYLAEI, IN *Vniuersitatis rerum historia.*

Sethus, Adami filius, in Abelis interempti locum cùm successisset, integritate uitæ ac sanctitate commendatus, traditam à patre disciplinam, constanter tenuit et auxit: ut ab eodem electus populus, progressuris ad maius incrementũ rebus, latè dimanarit. Et lib. 5. Acceptam de mundi primordijs, ac cœlestium corporum motu, constantique ordine sententiam, in columnis

lumnis duabus, quarum una latericia erat, altera lapidea, inscripsit: ne quo ignis aut aquæ interuentu, quod futurum pater prædixerat, obliuione posteritatis extinguerentur. Quibus deprehendendis, probandis, & firmandis, cum nascente mundo primi illi homines diutissimè uiuerent, plurima in his, præsertim quæ de præstanti astrorũ ratione habentur, sunt assequuti. Ita enim referebat: siquidem posteris nulla tanta ingenij celeritate, nullisq; tantis studiorum contentionibus, in mentem uenire similiter potuissent. Relicta igitur hæc doctrinarum seminaria, atq; fideliter conseruata, deinceps propagatione continenti, per manus ad diuersos transferuntur.

Ex Iacobi Parci Chronico: Anno mundi 990. Sethi nepotes cœperunt scribere, circa illud tempus.

CANOCHVS, FILIVS ENOS. EX LIBRO GVILhelmi *Postelli, de Etruriæ institutis.*

CAnochus, uel Kenah, filius Enos, summa sanctitate propheta, doctrinis & scriptis egit (is enim Adamo amanuẽsis fuisse legitur) ut apud ueræ religionis obseruatores annus lunaris seruaretur. Et ad hoc id fecit, ut duodecim signorum, aut mensium, aut uariarum cœli uicissitudinum, uideretur in luna signum: quo uiso, omnes in creatoris laudes renouatas prorumperent. Vnde quum in toto sacrorũ ante Esdram scriptorũ corpore, maximè autem in libris Moseos, nulla nisi de lunari anno mentio fiat: certissimum est, etiam sanctorum sanctissimum Noachum, quum memorias diluuij posteris tradidit, eas notare uoluisse secundum lunaris anni usum, fidelibus ob crebras laudes Dei constitutũ. Et alibi: Scripsit Canochus uates, ex Adami ritualibus sacris, doctrinam rerum cœlestium. In qua post diluuium excelluisse Chaldæi non potuissent, nisi iam ante diluuium fuissent obseruationes, à sanctis patribus factæ & conscriptæ: religioniq; geniorum, qui primùm cœlo influunt, coniunctæ. Cuius Canochi opus, inter primos rituales sacrosq; libros, in Aethiopica ecclesia extat: ut ipsius fidem & argumenta, ab illis audiui Aethiopibus, Candacum regno subiectis. Hæc Postellus. Canochus autem, anno ætatis suæ nongentesimo decimo, à mundi formatione 1235, et ante Seruatorem natum 2735 uita excessit.

ENOCHVS, IAREDI FILIVS. EX AVthoribus *diuersis.*

ENochus, ex Iaredo procreatus, septimus ab Adamo concionator, homo prophetia clarus, ante diluuij tempora scripsisse legitur, de rebus diuinis. Eius opus etiamnum superest pro canonica scriptura, in Aethiopia: & in ecclesiæ reginæ Sabbæorum archiuis. Ex Theodoro Bibliandro, ad Germaniæ principes: Cum urbem ædificasset Cainus Hanochiã, & imperium condidisset, Enoch propheta excitatus est à Deo, qui librum publicauit de fatis ac decretis cœlestibus: in quo Christi res, & Antichristi etiam, luculẽtissimè præsagijt. Et in Fideli relatione, ad eosdẽ principes: Mundus primus (inquit) quem Enoch arguit peccati, simul denuncians graue iudicium Dei, octingentis annis ante diluuium: quemq; Noe præco iusticiæ, ad emendationem morum exhortatus est per annos 120, quia diuinas admonitiones cõtempsit, eluuione aquarum deletus est: una eiusdem iusti Noe familia seruata, quæ diuinis oraculis sese accommodauit. Atq; adhuc alibi: Ante diluuium, Enoch fata ecclesiæ, & hostium ipsius præcinuit. Et Chunmãnus Flinspachius, in sua Chronologia: Iudas in epistola, Enoch septimum ab Adam, de iudicio extremo uaticinatũ dicit. Qui cum

ob pietatem uitæq; sanctimoniam Deo placeret, trecentesimum & sexagesimum quintum uitæ annum agens, anno conditi seculi 988, & ante incarnationem Mesiæ 2982, è medio sublatus à conditore cœlesti, ulterius non apparuit.

SCRIPTORES PRIMI POST ipsum diluuium.

NOACHVS FILIVS LAMECH. EX VALERII *Anselmi Catalogo annorum.*

NOachus, Lamechi filius, uir Deo deuotus, alter humani generis pater, & orbis monarcha, progeniem suam per centũ annos in magnũ numerum auctam, diuinarum humanarumq; rerum scientias, unà cum iusticia ac religione docuit. Vnde & Armeniam egressus, mundũ in tres habitabilis orbis colonias distribuit: quas ipse per reliquum uitæ suæ tempus perlustrans, ubiq; gentium æterna tum pietatis tum imperij sui monumenta reliquit. Atq; ob uaria gentibus collata beneficia, diuersa est ab eisdem cognomina sortitus: quæ nunc recitare nõ libet. Anno Beli quinquagesimosexto, Beroso teste, ex Arabia in Africam ad Tritonem uenit: & Nini anno decimo, ex Africa ad Celtiberos: ubi in filiarum memoriam oppida condidit. Eiusdemq; Nini decimonono anno, in Italiã profectus, Camesenum filium, gentis corruptorem, quem per triennium emendare nequiuerat, expulit. Physicam naturalem, astronomiam, & sacros ritus interim docẽs, literis, quales tunc erant, mandauit. Et Postellus: Noachus, mortalium sanctissimus, uniuersi orbis parens ac dominus inferior, religionis perfectissimum genus in mundo stabiliuit: literasq; & disciplinas præstantissimè expositas, posteris suis dedit. Diluuij memorias tradidit, rituales & astronomicos libros reliquit: quos Camesenus, Berosi testimonio, furatus est. Et alibi: Aurei seculi dux Noachus, nihil prius curauit, quàm in animis latissimè, & in literis Samaritanis, ne periret, testamentum seu legem æternam exposuisse, &c. Exactis itaq; à diluuio trecẽtis quinquaginta, ætatis uerò suæ nongentis quinquaginta annis, anno creati orbis 2007, & ante Christi aduentum 1963 uitã finiuit. Hic Noachus utrunq; mundũ per multos annos uidit, sexcentos ante, & trecentos quinquaginta post cataclysmum. Gen. 9.

DE ISTO NOACHO SIC SCRIBIT BAPTIsta Mantuanus, in primo Fastorum libro:

Ianus hic, ut perhibent, clara de stirpe Gigantum
Maximus ille fuit Noe, qui secula Pyrrhæ,
Deucalionæos fluctus præcessit, & undas
Ogygias, tantum nobis antiquior ille est.
Iste igitur, quando terras absorbuit ingens
Alluuies, monitu diuûm reclusus in alto
Nauigio, cum prole sua se credidit Austro.
Ast ubi iam posito tumidum mare concidit æstu,
Suppleuit genus humanum: missisq; colonis
Ad triplicis mundi fines, extremaq; regna,
Per mare Tyrrhenum uectus, Tyberina petiuit
Ostia. & ascendens ubi nunc est Roma, locauit
Tybridis ad ripas Hetrusco in colle penates.

Et post

Et post fata sui, collem mensemq; reliquit
Nominis hæredes, quod non abolebitur unquam.
Ianus ei cognomen erat, de nomine tractum
Assyrio Iain, uinum dixere Latini:
Ipse etenim primus uitis uiniq; repertor
Fertur, & id talis nomenclatura docebat.
Sed Iainum primi, qui rectius illa sonabant
Nomina, dixerunt: mox litera tertia prisco
Pulsa loco, fecit fraudato nomine Ianum.
Fingitur esse biceps, quoniam duo secula uidit:
Vnum, quod pluuijs auctum mare sustulit: unum
Quod successit aquis, & ab hac propagine fluxit.
His, quæ de Iano canimus, facit inclyta magnam
Fama fidem. memorant etenim sub principe Iano
Aequorea primùm signata numismata puppi.
Ista fuit puppis, quæ de fatalibus undis
Eripuit terrestre genus, sobolemq; uolantum.
Sed falluntur in his, quia non nouere parentum
Primorum annales Danai, ueteresq; Latini.

AREZIA VXOR NOE. EX THEODORO *Bibliandro, & alijs.*

AREzia, uel Aretia, excellentissima in omni uirtutum genere fœmina, (Vraniam, Tytheam, Rheam, Opem, Cybelem, ac magnam deorũ matrem, poetæ etiam uocant) sanctissimi patriarchæ Noachi uxor fuit: Deum ualde timens, sapientissima & religiosissima, ac prophetiæ spiritu mirabiliter illustrata. Hæc omnium Sibyllarum antiquissima, Chaldæa uel Hebræa prophetissa à priscis authoribus nuncupata, in uaticiniorum opere, cum marito, filijs ac nuribus, in arca Dei bonitate seruatam se refert: & condita Babylone, anno ab Adami formatione 1792 in occiduam mundi partem profugisse. Illa quoq; Sambetha, siue cœlestis nominatur, à uetustissimis scriptoribus: quæ in xxiiij libris (quos uaticinos edidit) omniũ gentium atq; populorũ momenti præcipui res descripsit, Dominiq; Christi negotia principalia, quę Euangelica historia narrat, eiusq; æmulum nefarium & pseudochristum, suis depinxit coloribus. Sic enim ipsa cecinit, de ultimo certamine militantis Ecclesiæ sub mundi finem: Nouissimæ ætatis uiri, malefici erunt, praui & stolidi. Quando in terra erunt prædicantes mendaces, seductores, loco prophetarum: & Belias ueniet (sic Antichristum futurũ uocat) & signa multa edet hominibus. Tunc uerò sanctorum uirorum deiectio erit, & profligatio electorum atq; fidelium, &c. Beliæ nomine, Hebræi diabolum notant, authorem uniuersi mali, uel diabolo addictos homines. Claruisse fertur Arezia, uel Sambetha, anno conditi mundi 1980. & ante incarnatum Christum, 1990. atque in Ianiculo dicitur mortem obijsse tandem.

EX EODEM BIBLIANDRO, ET *alijs authoribus.*

Dictum præterea Antichristum, mendaciorum prophetam, peritissimum artium magicarum, ueneficiorum amatorem, magnificè gloriantem tyrannum, regem teterrimum, Gog uel immanem hostem populi Dei, atq; impostorem, eadem Sambetha seu Arezia uocat. Et ecclesiam eius, regnũ

nefarium ac iactabundum, quod iustum populū persequeretur, appellat: pellicem impudicam, Babylonem, impuram ciuitatē Latinæ terræ, quam perdet Deus: ueneficiorum operatricem, ac puerorum (proh nefas) mixtionem nefariam admittentem. quibus etiam correspondent Apostolorum atq; Prophetarum scripta. Et sicut Daniel, sine manibus, Dan. 8. Paulus, spiritu oris Dei, 2. Thess. 2. ac Ioannes, ignis combustione, Apoc. 18. destruendum esse dicunt: sic Arezia, lino perimendū esse prænunciauit. Linum (inquit prophetissa) perdet eum. In quo, papyrum cum arte typographica intelligimus: quæ his nostris diebus, mirabilia magna faciunt. Linū, Antichristum magnum & robustum conficiet: non bombardæ, sclopeta, globi aerij, pulueres tormentarij, gladij, hastæ, gessa, equitatus, peditatus, classes: sed linum, uile organum & contemptibile. Is enim est mos Dei, ut eligat infirma, stultaq; huius mundi, quibus destruat sapientia & calliditate seculari extructa. Placuitq; per stultitiam prædicationis, seruare credentes, manifestare dolos & imposturas seductorum. Ad quod opus salutiferæ prædicationis seruit linum. ex lino enim conficitur pannus. Linteis olim uoluminibus monumenta literaria conficiebantur, ut docet Plinius lib. 13. Ex panno etiam hodie fit charta libraria, in qua scribuntur & æreis typis imprimuntur scripta Prophetarum & Apostolorum.

Hi libri ueteris ac noui Testamēti, strenuè hoc nouissimo seculo funguntur munere Heliæ & Enoch. Et licet incendiarij librorum Vulcano tradāt plurimos: aliqui tamen euadunt semper, & reuiuiscunt subitò. Illi ergo duo testes sunt, Apoc. 11. Nouum scilicet ac Vetus instrumētum: & in illis Prophetæ omnes atq; Apostoli morantur. cōtra quos pugnat Bestia, & interdum occidit eos, ut membra lacera in plateis dispergantur, aut etiam comburantur: sed reuiuiscūt, ac pugnam repetunt. Et si quis uoluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. Concionantur hi testes, & pugnant prælia Domini contra dirum illum hostem, nimium alioqui stertentibus plerisq; uiris ecclesiasticis. Videmus tamē, Euangelio propagato in Germania, Brytannia, Pannonia, Sarmatia, & alibi, adesse tempus, quo Papistici et Romanēses ualde conqueruntur imminui potentiam, & opes, & gloriam istius regis. Romæ maximè dolebit occasus istius regni pontificij. nam ibi fixerat Abadon prętorium & palatium curiæ suæ, ut esset mons sanctus inter duo maria, superum & inferum. Quò diu cursitarūt homines, tanquam ad montem Sion, & sanctuarium Dei, & sedem atq; nundinarium multiplicis gratiæ Dei: unde quæstus fuit uberrimus Romano populo. Non abs re igitur luget Roma, ut Apocalypsis etiam uaticinatur 18. cap. Et licet arrogantes tyranni sint, metuunt tamen linum, ut lymphatici aquas: & quia metuunt, oderunt cane peius & angue. Atq; ex odio, persequuntur ferro & igne libros minimè malos: cuperentq; typographicas officinas uel in suam ditionem penitus redactas, uel occlusas. Tantum ille.

SEMVS, ET ABRAHAMVS. EX
Mylæo & Melanchthone.

SEmus sanctus, qui & Melchisedech, dignissimi patriarchæ Noachi filius, sanctiorem suæ gentis disciplinā, & beatæ uitæ præcepta, rerumq; à prima origine certiorē progressionem, ab optimo genitore didicit. Hæc cum multorum conatibus atque obseruationibus ita locupletarentur, per Hebrum, qui Hebræorum populo primum dedit nomen, ad diuinitùs suscitatum è Chaldæis (qua in gente primùm uixit) Abrahamū sapientem

perlata,

perlata, longius proferuntur. Quandoquidem hac lectissimæ gentis disciplina præclarè imbutus Abrahamus, cœlestem fabricam suspiciens, rerum omnium administratorem supremum, Deum sanctè prædicauit: & retentam de mundi origine memoriam, consecuturæ sobolí cognoscendam tradidit. Profectus inde ad Aegyptioru̅ sacerdotes, de astris, numeris, alijsq; doctrinis, multa in omni admiratione grauiter, copioseq; disseruit: ut eosdem primùm informasse, & ab eodem accepisse cognoscantur. Nam confirmatum habetur, à Chaldæis Aegyptios hæc studia habuisse, & deinceps multa exercitatione comprobasse: ut ab eisdem profecta pleriq; crediderint. Itaq; Chaldæi & Assyrij, propter planiciem, magnitudinemq; regionum: diuturna siderum obseruatione, futuris prædicendis scientia̅ effecisse putantur: Philippus Melanchthon: Quo tempore (inquit) in Sodomis, & uicinis oppidis, summa fuit moru̅ corruptio ac turpitudo: duo uiri erant in uicinia, Sem & Abraham: qui suis concionibus, hæc tanta flagitia acerrimè taxabant. Sem penè in conspectu urbis Sodomorum, in Salem domicilium habebat: quæ non plus octo miliaribus distabat à Sodomis. Et uiderat hic uir mundum ante diluuium: audierat primordia generis humani, à certissimis testibus. Gubernauerat ecclesiam post diluuiu̅, annos iam quadringentos: antecellebat sapientia, uirtute, & ætate, omnibus eius temporis hominibus. Abraham uerò etiam recens ingenti beneficio urbem adfecerat: cum profligato exercitu hostium, captos ciues recepit, & in patriam saluos reduxit. Horum tantorum uirorum authoritate & uoce, nihil mouebantur urbium illarum principes. Hæc ille. Semum istu̅ multi existima̅t fuisse Melchisedecum, Salemi regem, qui Abrahamo redeunti ex pugna, protulit panem & uinum. Naturæ debitu̅ ille soluit, anno à mundi formatione 2159. & ante incarnatu̅ Dominu̅ 1811. postqua̅ 600 annos uixisset. Qui nõ multo inferior patri Noacho, innumeras & ipse cædes, tyrannides, crudelitates, nefandasq; libidines, filioru̅, nepotum, & cognatoru̅ suoru̅ uidit.

ABRAHAMVS. EX LIBRO PRIMO PHILIPPI *Vuolphij, de Vitis peritorum uirorum.*

ABrahamus, in Chaldæa, loco cui Hur nomen erat: ex Semi posteris, patre Thara genitus fuit. Qui primus Iudæorum pater, à Deo è Mesopotamia uocatus, et cui terra promissionis pro sua stirpe destinata est: inuenit literas Syrorum & Chaldæoru̅, necnon & Astrologicæ scientiæ non parua fundamenta. Nam uir erat prudens & sanctus, rerumq; humanarum eruditissimus. Qui cum uirtute & prude̅tia cunctis haberetur præstantior: unum Deum, contra omnium eius temporis opinionem, coli ac uenerari edocuit. Postmodum uerò inter Aegyptiorum sapientes commoratus, eos astronomiam & arithmetica̅ primus erudiuit. Ante etenim eius in Aegyptum aduentum, eas Aegyptij disciplinas penitus ignorabant. Deniq; uir omni uirtute præditus cum esset, anno à mundi initio 2123, & ante Messiam natu̅ 1847. defunctus est, cum uixisset annos centu̅ septuaginta quinque: Gen. 25. & ad suos populares est aggregatus. Cuius corpus, Isaac & Ismael filij eius, in Hebron, cu̅ Sara uxore sepelieru̅t. Ab hoc Abrahamo, plurimùm fuere eruditi in uera fide, sequaces ipsius. Hæc Vuolphius. Sub doctore Abrahamo (inquit Georgius Maior) renouata est promissio de semine mulieris, Christo, generis humani liberatore: & claris promissionibus ostensum est, hunc seruatorem ex Abrahæ posteritate expectandum esse: & institutum est signum fœderis, Circuncisio.

IOBVS IDVMAEVS. EX THEODORO BIbliandro, & alijs scriptoribus.

IObus Iustus, genere ac patria gentilis: Idumæorum sacerdos, & Esitarum princeps, authenticis Bibliorum scriptoribus, magno totius ecclesiæ consensu, adnumeratur. In eius enim libro proponitur ille ipse, nō modò ut exemplum patientiæ, sed etiam ut illustre & eximiū specimen hominis pij & religiosi, boni, sapientis, denique beati. Definit enim beatus Iobus, cap. 28. sapientiam, timorem Dei: hoc est, θεοσέβειαν: & intelligentiam, uitare malum. Et Deus quidem ipse testimonium ei reddidit, amplius etiam, quam intimo suo amico & cōfœderato Abrahamo, omnium credentium patri. Dixit enim Dominus ad Satanam, postquā uariè tentatus est Iobus, & per tentationes probatus: Nunquid considerasti seruū meum Iob, quòd nō sit ei similis in terra? uir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedēs à malo, atque adhuc retinens innocentiam? Et post omnes tentationes, dixit Dominus ad Eliphazem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos: quoniam nō estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob. De sapientia uerò Iobi, & religione atque doctrina syncerissimæ theologiæ, ita pronunciauit Hieronymus: Iob, exemplar patientię, quę non mysteria suo sermone complectitur? Singula in eo uerba, plena sunt sensibus. Et ut de cæteris sileam, resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea uel manifestius uel cautius scripserit. Quo symbolo, tanquam apologia quadam, apud amicos crimina illi impingētes, sese purgabat. Claruit anno conditi mundi 2240, & ante Messiam in carne apparētem 1730, affirmante Philone, qui hæc de Dina filia Iacob retulit: Postea accepit Dinam in uxorem Iob, & genuit ex ea 14 filios & 6 filias: id est, septem filios, & tres filias, antequam percuteretur in passione: & postea septem filios & tres filias, quādo saluus factus est. Hæc Philo. Vixit autem post acceptam plagam, à Deo liberatus ac restitutus, annis centum & septuaginta, secundū Isidorū. Et mortuus est annorum 248, senex. Eius historiā, ut multis placet, Moses scripsit.

SCRIPTORES DIVINORVM VOLVMINVM ueteris Testamenti, ex Rabbi Mose Kimhi: interprete Sebastiano Munstero.

MOses uir Dei, propheta & princeps populi Israelitici, libros quinque primos ueteris Testamenti, Pentateuchum uocant, Hebraicè cōscripsit, præter octo uersus: scilicet ab hoc loco ultimi capitis Deuteronomij, Mortuusque est ibi Moses seruus Domini, &c. usque ad finem legis. Qui libri, omniū tum in sacris tum prophanis literis uetustissimi, mirabili prouidentia Dei per tot secula semper durant. Et librū Iob idem Moses edidisse etiā fertur. Iosue, eiusdem Mosi discipulus, & secundus dux Israel, scripsit librū sui nominis, & octo uersus prædictos de lege, in Deuteronomij fine. Samuel propheta Domini, scripsit libros suos, id est, primum & secundum Regum: librum quoque Iudicum, & librum Ruth. Esaias, propheta nobilis, scripsit suæ prophetiæ librum, & librum Prouerbiorum Salomonis, librumque Cantici canticorum, ac librum Ecclesiastis eiusdem Salomonis. Hieremias, propheta sanctus, scripsit suum librū, & libros Regum, hoc est, tertium & quartum, atque librum Threnorum. Viri synagogæ maioris, scripserunt librum Ezechielis, & libros duodecim prophetarum minorum: librumque prophetæ Danielis, ac uolumen Hester. Dauid, Israelitarum rex & propheta, decemque alij prophetæ, scripserunt librum hymnorum, id est,

Psalmorum

Psalmorum. Esdras propheta & alter legislator post Mosen, scripsit suos libros, & genealogias uerborũ dierum, id est, Paralipomenon, usq; ad hæc uerba: Et fuerunt sibi fratres filij Iosaphat. Et de numeris uersuum totius canonicæ scripturæ: Numerus uersuum legis, quinq; millia & octingenti quadragintaquinque. Et prophetarum, nouem millia ducenti nonaginta quatuor. Et hagiographorum, octo millia & sexagintaquatuor. Inuenitur itaq; summa omnium uersuum lectionis Bibliorum, uigintitria millia, ducenti & tres uersus. Hæc ille.

Hos habent sacra Biblia quoq;, à prędictis separatos & apocryphos, sed non ut reijciantur. Nam & sacri sunt, & sanctæ eruditionis pleni: possuntq; à fidelibus legi sine fidei Christianæ læsione: ita tamen, ut non eiusdem authoritatis esse credantur cum ipsis. Sunt enim: Oratio seu confessio regis Manassæ, tertius & quartus liber Esdræ, Tobias, Iudith, Sapientia Philonis Hebræi, Ecclesiasticus Iesu filij Sirach, Oratio regis Salomonis, Baruch propheta, Oratio & canticum trium puerorum in ardente camino, Dan. 3. Historia Susannæ, Dan. 13. Historia Belis, Dan. 14. Somnium Mardochæi, &c. à decimo cap. usq; ad finem Hester. primus & secundus Machabæorũ.

ATHANASIVS IN SVA SYNOPSI, DE VETERIS *Testamenti libris, & eorum authoribus.*

NAthan, & Addo, & Achiæ Silonitæ, & Semei, & Iehu scripti libri, in Regum libro referuntur. Sunt autẽ isti prophetæ, ex ijs qui prophetias suas literis mandarunt, quæ tamen non reperiuntur. Sic tria millia Psalmorum Dauidis fuisse memorantur in Paralipomenis: & tamẽ ex illis centum & quinquaginta duntaxat, ab amicis Ezechiæ regis selecti sunt, reliqui uerò abscõditi. Quinq; parœmiarum millia edita à Salomone, scriptura item Paralipomenon refert: quarum iam nihil habetur, nisi tantũ Ecclesiasticę, Canticum ex pluribus mystico sensu decerptum. Quin & odarum illius quinque millia fuere. Loquutus est insuper & de arboribus, à cedro quę est in Libano, usq; ad hyssopũ quæ in muris nascitur: item & de iumentis, uolucribus, serpentibus ac piscibus: at ista iam nusquã in Hebraicis etiã literis inueniuntur. Narrat Iosephus, etiam duos prophetiæ libros ab Ezechiele conscriptos esse, quorum tamen unus tantum ad nostram noticiam peruenit.

IDEM ATHANASIVS DE LIBRIS REIE*ctis & Apocryphis, interprete Erasmo.*

Itaq; qui libri sint ueteris instrumenti, quibus reclamatur à nõnullis, iam antea quoque diximus: uidelicet Sapientia Salomonis, Sapientia Iesu filij Sirach: præterea Hester & Iudith, ac Tobias. Quibus annumerantur & hi: Machabęorum libri quatuor, Ptolemaici, Canticũ Salomonis, et Susanna. Hi sunt libri ueteris Testamenti, qui recepti sunt, non sine contradictione. Rursus Apocryphi, hoc est, qui secretò habebantur, ueteris instrumenti libri, sunt hi: Enoch patriarchæ, assumptio Mosi, Abrahã, Eldad, & Modad, Heliæ prophetæ, Sophonię prophetæ, Zachariæ patris Ioannis baptistæ, Baruch, Abacuch, Ezechiel, & qui falso inscribuntur Danieli, &c.

IOANNES CHRYSOSTOMVS IN MATTHAEI *Euangelistæ caput secundum.*

Multa ex propheticis periere monumentis: quod ex historia Paralipomenon probare facile est. Desides enim cum essent Iudæi, nec desides modò, sed & impij, alia quidem perdiderunt negligenter, alia uerò tum incenderunt, tum conciderunt prophanè. De quorũ prophanatione apud Hie-

remiam prophetam, de negligentia uerò in quarto Regum libro legimus: quæ adeò fuit magna, ut post multum temporis, uix Deuteronomij uolumen sit repertum, in quodam loco defossum, ac iam penè deletum. Si itaque absque ulla incensione templi, absque ullo ciuitatis tumultu, sacri tamen libri uariè deperierunt: quis iam istud inter illas depopulationes uastationesque hostium, inter illa templi ac totius urbis incendia contigisse miretur? Hactenus Chrysostomus.

IOANNES PALAEONYDORVS IN PRIMO *libro Fasciculi tripertiti, Cap. 6.*

Annales priorum temporum scribebantur à literatis Regum notarijs. Attamen prophetæ maiores (ut Helias, de quo habetur 2. Paralipomenon 21. Allatæ erant literæ ipsi Ioram filio regis Iosaphat ab Helia propheta scriptæ) similiter Ionas & consimiles, plura conscripserunt, quæ non habentur apud Latinos, nec Græcos, nec etiam Hebræos. Exempli gratia: Scriptura sacra, 1. Paral. 29 & ultimo, recitat Gad & Nathan prophetarum libros esse scriptos: nullibi habentur tamẽ, nec inter ipsos Iudæos. Similiter & 2. Paral. 9. libri prophetarum Nathan, Ahiæ Sylonitis, & Addo uidentis memorantur. Et 2. Paral. 11. ac 3. Reg. 12. Semeiæ prophetæ liber de gestis Roboam. Insuper 2. Paral. 20, scripta librorum Iehu filij Hanani inducuntur. Atque in 2 Paral. 33, sermones Hozai. Præterea in epistola apostoli Iudæ, introducitur prophetia Enoch. Talia & cõsimilia, Scriptura sacra plura recenset: quę tamen in nostro nunc seculo nõ inueniuntur, nec apud Latinos, Græcos uel Hebræos. Huius ratio asignari potest, quòd in persecutione regum Assyriorum, Aegyptiorum & Chaldæorum, huiusmodi libri lacerati, combusti uel dispersi sint, diuina dispensatione: ne uidelicet multitudo nimia librorum, aut tædium bonis, aut superfluam occupationem inferret. Esdras enim scriba, qui cæteros sacræ scripturæ libros combustos, spiritu Dei rursus instaurauit, utique & cæteros collegisset, si eidem Dei spiritui ita placuisset. Primo etiam Machabæorum, & cap. 9, dicitur, quod cætera uerba bellorum Iudæ, & uirtutum quas fecit, & magnitudinis eius, non sunt descripta. multa enim erant ualde, &c.

HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA, *de Theologia prophetica.*

Illud adhuc aduertendum est, etiam ipsam sacram Scripturam *multis uoluminibus suis deficere*: quod ex ea ipsa facilè *conuincitur. nam* Moses citat libros bellorum *Domini*, & *Iosue* libros Iustorum. Hester libros memorabilium, & Machabęorum liber citat libros sanctos de *Spartiatis.* Et Paralipomenon commemorat *libros* Lamentationum, libros Samuelis uidentis, libros Nathan, Gad, Semeię, Haddo, Ahię Sylonitis, & *Iehu* filij Hanani, prophetarum. *Citat Iudas in epistola canonica*, librum Enoch. Citatur *à fide dignis*, liber Abrahæ patriarchæ: qui omnes periere, & *nusquã* sunt. Iam uero, & qui habentur *in manibus*, *nõ omnes* æqua lance recepti sunt. nam *Dionysius* euangelij Bartholomæi, & Hieronymus *euangelij* secundum Nazaræos, & Lucas *in præfatione Euãgelij sui*, plures ait euangeliũ scribere *aggressos*: quæ omnia perierunt, & amplius nõ sunt. *Et plura illorum*, quia ab hæreticis deprauata sunt, *aut incertis authoribus* inuulgata, nec à patribus *recepta sunt*, nec ab ecclesia adprobata. Taceo interim pseudoprophetas, qui subintroierunt, propter uanam gloriam prophetantes, quæ Spiritus sanctus non suggessit: sed *inaudita quædam* mendacia, quæ nõ sunt de ueritate Scripturæ, nec ad unitatem spiritus, nec ad pacem ecclesiæ,

siæ, sectas introduxerunt. Et quasi fidei consiliarios sese procaci temeritate constituentes, audent testamentum Domini assumere per os suum, & scribere uaticinia & euangelia: quę omnia aut hęretica sunt, aut apocrypha, nec sacro canoni inserta: quemadmodū de Apostolorum canonibus manifestū est. Sed et ipsa Salomonis Cantica, in sacro Hebręorū canone inserta nō fuerunt: nisi prius castigata & cōprobata ab Esaia propheta. Ex his ergo facilè patet, quomodo ipsa etiam uera theologia, sacra uidelicet scriptura, multis uoluminibus suis priuata, & quodāmodo manca uideri posset: ac pauci admodum ex multis, ueri ac certi supersint, qui tanquam libri uitæ sacrum canonem conseruant. Tantum ille.

DE DOCTORIBVS HEBRAEORVM, A' MOSE usq; ad Christum: ex Petro Galatino.

NOmina doctorū omniū à Mose ad Esdram, quorū prior quisq; posteriorem docuit (teste rabbi Mose Aegyptio, in Deuteronomij sui initio) hæc sunt: Moses, Iosue, Phinees, Heli, Samuel, Dauid, Achias, Helias, Heliseus, Ioiada, Zacharias, Oseas, Amos, Esaias, Micheas, Iohel, Nahum, Abacuch, Sophonias, Hieremias, Baruch, Esdras. Et hactenus nihil scripturæ præter Biblia apud Iudæos extitisse, certum est. Post Babylonicam uerò captiuitatē, Esdras legis doctor, qui ipsam legem combustā rescripserat, expositionem eius Simoni pontifici (qui & Iaddus dictus est, & ab Alexādro magno adoratus) tradidit. Simon, Antigono Sychæo, Antigonus Iosepho Ioannis filio, & Iosepho Iohezeris filio. Hi rursus Nitæo Arbolensi, & Iehosuæ filio Perahiæ eam reliquerunt. Hi rursus Semayæ & Abatalioni. Hi rursus Hilleli & Samæo: cuius Hillelis octoginta discipuli celebrantur. Hillel deniq; & Samæus, Ioanni Zachæi filio, & Simeoni iusto Hillelis filio, legis expositionem tradiderunt. Et hic est ille Simeon iustus, qui Christum in ulnis suscepit, in quo Iudaicę academiæ sceptrum defecit. Verùm, ut idem rabi Moses Aegyptius scribit, huius Simeonis discipulus fuit Gamaliel: ad cuius pedes Paulus apostolus legē didicit. Gamalielis deinde, Raban Simeō eius filius, ab Hadriano Cæsare postea occisus, auditor fuit. Qui postremò & filium suum, nomine Iudam, auditorem habuit: quem Iudæi pro eius doctrinæ probitatisq; excellentia, Rabbenum Haccados, id est, magistrū nostrum sanctū cognomināt, &c. Iesus Sirach, in procœmio Ecclesiastici sui, præter legem & prophetas, multos etiam alios libros apud Hebræos suo tempore (claruit autē sub Ptolemæo Euergete) ante Christi aduentū scriptos fuisse, satis luculēter testatur: & Iesum quoq; auū suū edidisse quædā.

HELIAS THESBITES, EX EPIphanio & Bibliandro.

HElias Thesbites, magnus Dei propheta, ex Thesbe Galaaditidis regionis urbe natus, è tribu Aaron Leuita fuit: eratq; Thesbis, quasi domus sacerdotibus deputata. Hūc quum pareret mater, Epiphanio teste, Sobach eius genitor uisionē uidit: uiri nimirū candido amictu induti, illū compellabāt, & ad ignē fascijs inuoluebāt, flammamq; ignis dederūt ei ut comederet. Et profectus Hierosolymā pater, nunciauit hæc sacerdotibus, dixitq; illi oraculum: Ne timeas, erit quippe domiciliū pueri lux sermoq; eius demonstratio, iudicabitq; Israelem in gladio & igne. Hic ille est Helias, qui ter ignē è cœlo deduxit, quiq; pluuiā sua lingua portauit, mortuosq; excitauit, atq; tandē in cœlū assumptus est in ignis turbine. Et Bibliāder, in libro secundo de Legitima uindicatione Christianismi: Dū Helias (inquit) magnus propheta, reprehendit cultū Baal, quem rex Achab & innumeri sacerdotes

atque prophetæ falsi tuebãtur, ipsum accusantes Heliam rebellionis, impietatis, seditionis, sacrilegij: & ubique insectantes, ut supplicio ultimo uirum Dei afficerẽt: cuius nam erat, de religione cõtrouersia iudicare? Vindicatio certè religionis antiquæ, in ipso cõcilio, quod circiter annum mundi 3040, & ante incarnatum Messiam 930, fuit in Carmelo monte congregatum: satis ostendit, quid sit agendum, & quomodo. Quàm breuiter enim, quàm sapienter, quàm religiosè determinauit causam, una uoce exclamans? Dominus ipse est Deus. Hæc ille: Prophetauit Helias de duratione generis humani, & in præcipuas mutationes eam distinxit.

EX ISIDORO HISPALENSI, PHIlippo Vuolphio, & alijs.

Helias Thesbites, sacerdos magnus atque propheta, habitator solitudinis, fide plenus, deuotione summus, in laboribus fortis, industria solers, excellenti ingenio præditus, in exercitatione disciplinæ rectus, in sancta meditatione assiduus, metusque mortis intrepidus. Verberauit enim tyrannos, sacrilegos sacerdotes interfecit, triennij siccitate cœlũ clausit, pluuiamque postmodum impetrauit, uiduæ farinam et oleum auxit, uerum Dei cultum in Israele restituit, quinquagenarios flamma consumpsit, ac pallij tactu Iordanẽ abrupit, multisque alijs uirtutũ signis effulsit, &c. Accedit & Philippi Vuolphij testimonium, ex Vitis peritorum uirorum: Helias propheta (inquit) oracula quædam scripsit, quæ adhuc habentur apud Iudæos: in quibus dicit, in quarto annorum mundi millenario futurum esse Messiam: misitque literas ad Ioram Iosaphat filium ac regem Iuda, & alia diuinitatis documenta plurima suis temporibus dedit, relictis etiã prophetijs super impijs ab Israele tollendis per Iehu, per Azaelem, et per Heliseum prophetam. Iste, ut sacra testatur scriptura, oratione obtinuit, ne tribus annis plueret super terram: atque impetrauit. Et rursus orauit, ut plueret: & exauditus fuit. Pastus est primùm Helias à coruis in Carith, à uidua deinde in Sarepta, & demum ab angelo in solitudine sub umbra iuniperi. Qui fugiens in desertum à facie Iesabelis, prædictum Heliseum sibi successorem substituit: & in igneo curru, anno à mundi initio 3051, & ante Seruatorẽ natũ 919, in cœlũ est sublatus: ubi in hunc usque diem paradisi fruitur gaudijs. Aliqui illum centũ & decẽ annis, alij centũ & xlv in hoc mũdo uixisse scribũt. Baptista Mantuanus in 3. Calamitatũ libro:

Incola Carmeli primus fuit, ipse pudoris
Virginei princeps, & uitæ cœlibis auctor.
Ipse suo sanctos urbes & mœnia patres
Linquere, & in tacitis seruare silentia campis,
Exemplo docuit: solus namque ipse per umbras
Errabat nemorum, pomis contentus & unda.
Gramen ei pro melle fuit, pro nectare lympha.
Ipse sacerdotes Pythonia pectora falsos
Abstulit: & longo campis arentibus æstu
Elicuit largum subitis de nubibus imbrem.
Traxit & æthereos superis ex orbibus ignes,
Et noua circundans liquidis altaria riuis
Quum boue mactato rutilans superincidit ardor:
Et quum dura ferens regis mandata superbi
Attonitus sensit flagrantia fulgura miles.
Sed fœlix nunc arua colit ridentia supra
Frigoris aerij, & lapidosæ grandinis oram.

DE PATRIBVS ILLIS, QVI VSQVE AD *Christum, Gentes in Dei ueritate informarunt, Bibliander & alij sic scribunt.*

POst patriarchas & patres primos adiunxit Deus iudicibus sacerdotes, ac regibus prophetas: qui regerent ad obseruationem legis. Ad Aegyptium regem potentissimum uenit Abraham, religionis, & ueræ sapientiæ, atq; bonarum artium peritissimus: qui Aegyptios docuit scientias Mathematicas, non tantum unius Dei culturam, ut Philo testatur. Eum insecutus est Ioseph, cui administratio totius imperij credita fuit: docuitq; principes ueram sapientiã, ut Psalmus 104 manifestat. Descendit & Iacob cum patriarchis in Aegyptũ: qui literis bonis & liberalibus disciplinis repleuerũt Aegyptum, ac uelut domicilium sapientię construxerunt: ad quod fuerunt aditus frequẽtissimi ex omnibus regionibus, capessendi cultum ingenij gratia. Ad Assyriorum monarcham, Ionam prophetam uenisse nouimus: & in urbe regia præconiũ fecisse maximo cum fructu pœnitentiæ. Babylonicis regibus, Persis atq; Medis, adfuere Daniel, Esdras, Mardochæus, Nehemias, Zorobabel, & alij uiri oppidoquàm sapientes & pij. De Mose, quid uerbis opus est? qui à puero eruditus & excultus in omni doctrina Aegyptiorum fuit. Cum Alexandro Macedone pontifex Iaddus egit, de ueri Dei natura & uoluntate. Cum Ptolemæo Philadelpho, Eleasar pontifex. Quis non fateatur (inquit Bibliander) ethnicum regem Ptolemæum edidisse opus excellentius, quàm fuit templum Salomonicum: dum effecit, ut lex diuina & sacri libri Hebræorum lingua, per lxxij seniores transferentur in linguam Græcã, ut Gentibus etiam fieret copia cognoscendi hanc sapientiam cœlestem? Romani autem, icto fœdere cum Machabæis, res Iudaicas didicerunt: inter quos Ioannes Hircanus Hierosolymorum princeps, pontifex & propheta omnino fœlix eluxit. De quo Bonifacius Simoneta in libro de persecutionibus: A Simone uictore (inquit) pontificatus ad Ioannem prophetã deuenit. Ioannes pontifex uir sanctus, nullam causam è qua Deo quisquã conqueri posset, unquã præstitit: qui rex & pontifex & propheta effulsit. Cum nihil futuri ignoraret, primos sibi natos, non regnaturos uaticinatus, obijt. Sic ille. Cum Herode Ioannes Baptista egit: cum Caipha, Anna, & Pilato, Iesus Dei filius: Apostoli cum Cæsaribus. Erant pręcepta diuina ab ethnicis etiam tradita, sed non rectè intellecta. Nam ex lege naturæ intellexerunt, Deum esse colendũ: uerùm quomodo colendus esset, hoc corrupta uidere natura non potuit. Solæ sacræ literæ, de germano Dei cultu certiores nos faciunt. Quod autem ad alteram diuinæ legis tabulam attinet: ibi uerò ethnici scriptores copiosissima & pulcherrima tradiderũt pręcepta. Christus non uenit in mundum, ut nouam ferret legem. interpretem potius egit, quàm legislatorem. Non est enim à patre missus legislator: sed ut credentibus in ipsum, remittat peccata, & det Spiritum sanctum, per quem in nouitate uitæ ambulemus. Per illũ, unum Deum, & inter homines sequestrũ ac mediatorem: quicquid ullis unquam mortalibus diuinę bonitatis, quicquid iusticię & salutis impartitum est, contigisse cõfitemur. Instaurari siquidem per eum omnia oportet, per quem condita erant. Ideoq;, quicquid patribus diuinioris beneficij uel promissum uel exhibitum legimus: in eo agnoscimus Christum sese prodidisse, ac uelut adumbrasse. Ipse sanè est, qui desperabundos parẽtes primos, in spem salutis erexit. Ipse Abelo, studiosum pietatis animũ aspirauit. Ipse Noachum, tanta innocentia & religione eximium reddidit. Ipse Abrahamum, natalibus excitum sedibus, patrem populi sui constituit.

Ipse Israelis populum, uindicatū in libertatem, extinctis Aegyptijs, lege sua donauit, totꝗ ac tam stupendis beneficijs cumulauit. Ipse in Dauide, Salomone, Ezechia, & Iosia, alijsꝗ pijs populi Iudaici principibus, suo regno præclarè prospexit: & omnia adhuc tectus ac mundo incognitus, in electis gubernauit. Ipse omnes demum æterni patris promisiones adimpleuit, salutis nostræ mysteria exposuit, ad regnum cœleste peccatores uocauit, pellexit, animauit: ac sanctissimo sui sanguinis precio perenniter redemit. Qui est benedictus in secula, Amen.

FINIT PRIMORVM PAtrum series.

AVSTRALIORIS BRYTANNIAE, QVAE RECENTIORE VOCABVLO NVNC ANGLIA VOcatur, prolixior descriptio, authore Paulo Iouio Nucerino episcopo.



RITANNIAM, insularum fertilissimam atq; optimam, quæ & à poetis ueteribus dicta est alter orbis, Paulus Iouius episcopus Nucerinus, Ptolemæi & aliorum quorūdam authoritatem sequutus, in opere de Imperijs & gentibus cogniti orbis, ita depingit. Eius (inquit) insulæ, quæ ad occidentem solem prima terrarum nauigantibus occurrit, Brytanniæ scilicet, situm ac mensuram, cœli soliq; naturam, & undiq; circumfusi pulsantisq; Oceani promontoria et sinus repetisse, ambitiosi laboris esse putauerim: quando ea diligenter à Caio Cæsare, Strabone, Plinio, Tacito, Ptolemæoq;, grauissimis authoribus, describantur. Hinc quoque fit, ut minus curiose, præalta uetustate extinctas, inuolutasq; fabulis, præclaræ bello gentis origines attingam: quarum rerum fidem penes Polydorum Vergilium relinquemus. Is enim in Brytannia diu uersatus, regum omnium historias operoso uolumine publicauit: nostri autem muneris erit, attigisse res eius alias, atq; peculiares quasdam commoditates. Brytannia omnis in duas diuiditur partes, Tuedo amne, secundū aliquos olim Vedra, Scotiā ab Anglia dirimente. Hæc autem uarias continet præfecturas & ditiones: quarū amplissimæ existimantur, Cantium, quod proximam Galliæ continentem contrà prospicit: Cornubia, quæ in Armoricum littus obuertitur: Vuallia item, intercedente Oceani freto, Hyberniæ maximè propinqua: atque ipsa demū Northlandia, quæ à Septentrionalibus Scotiæ fines attingit, & ab Aquilone uento appellatione Germanica nominatur.

Cantium, retento ueteri nomine, armentis frumentarijsq; agris & uirorū ingenijs floret. In eo Cantuaria metropolis est, primario archiepiscopatu & Augustini Anglorum Apostoli, aliorumq; magnorum uirorum sepulchris memorabilis, XII miliaribus à mari distans: ubi Douerum oppidum, antiquitus Daruernum, excelsa arce ac portu celebre, quum in hunc breuissimus à Caleto Galliæ sit traiectus. Sed non desunt qui Cantuariam ex antiquis literarū monumentis, Dorouernum

uouernum fuisse dictum existiment. Finitur Cantium Thamesi amne, & ab eius ostio cingente mari usq; ad Rhiæ portum, Ptolemæo nouum appellatum: quem in eodem tractu littoris Antona sequitur, magnus portus antiquis uocatus. Hunc efficit insula Vectis, Cornelio Tacito celebrata, populo frequens, & cuniculis maximè abundans. Vectiani immunes & liberi hoc uno, uti cæteris beatiores, facetissimè gloriantur, quòd cucullatis sacerdotibus, causidicis, lupis, & uulpibus omnino careant.

Respicit autem Cantianos fines ab occasu, Cornubia, ab alijs Cornuuallia dicta, ingenti & sensim extenuato terrarum tractu: sed interiacentibus aliquot prouincijs, ueluti quodam minaci cornu in Armoricum littus exporrecta. In extremo eius promontorio, quod Ocrium olim dictum fuit, diui Michaelis templum cum oppido conspicitur: idq; ab occidua linea XII gradibus distat, quum Antarcticus ei polus uno & quinquagesimo prorsus attollitur. Sunt qui Cornuualliā, quod extento cornu, ut diximus, in Galliam uergat, Cornugalliam uocitent: ego uerò à Cornauijs antiquissimis populis appellatam putauerim. Clarissima autem urbiū non longè à mari Exestria existimatur, ab amne Exestro, qui præterfluit, nuncupata. Inde magna uis ferri, plumbiq; et stanni, mercatorum nauigationibus exportatur. Vasa etenim Cornuuallico ducta stanno, in mensarum usus, argenteis fulgore atque duritie comparantur.

At Vuallia Brytannici sanguinis uetustate clara, in tres regiones diuiditur, Dumberam, Berfronem, et Malfabrenem. In Dambera Caermardinum, priscæ nobilitatis oppidum excellit, Vuallorū olim principum regia. Id Vuallis omnibus iura reddit, asseruatis ibi antiquissimis legibus, quibus unis etiam nunc, uti liberi cōcessu regum utuntur. Vix centum stadijs distat à Milfordensi tutissimo portu, unde in Vuaterfordiam Hyberniæ breuissimus traiectus. Caermardinum autem, attestante regionis situ, alludenteq; etiam nomine, Maridunum Ptolemæo fuisse crediderim. Non longè ab eo auri & argenti secturæ, in agro Comostylfo reperiuntur. Sed Vualli regijs fodinarū magistris & operis insidiantur, quòd eas diuitias Anglis inuideant, quas ipsi seueris animis contemnant atq; repudient. Annuū tributum regibus pendunt, quod quadraginta millium aureorum summam nonnunquā excedit. In Vuallia quinq; episcopales urbes numerantur, si Herefordia ad Logum amnem, Vualliæ tribuatur. Eminet autē S. Dauidis ciuitas, in extremo Vualliæ promontorio, Meneuia nuncupata. Unde in aduersum orientalis Oceani caput, quod Ocelum olim, Yermouthum hodie uocant, summa totius insulæ latitudo, ducentis & quinquaginta millibus passuum mensuratur.

Ad Septentrionem autē Bangoria, duobus inclusa fluminibus, secundam obtinet dignitatem, aspicitq; è propinquo Angliseam insulam, per tot uehementes Oceani æstus, deuoratis Vualliæ marginibus in altū abreptam: quum paucis antè seculis continenti, longo (ut apparet) ponte iungeretur: ut hinc nonnulli Angliseam, non Monam, à Iulio Agricola transnatante exercitu, expugnatam existiment.

ment. Reliquæ autem duæ episcopales sedes sunt, Asapha atque Landaffia, sed nõ æquè nobiles. Porrò Uualliæ regio campestris, & in austrum uersa, segetis fœcundissima est. A mari autem distantior, & uti subducta in montes, ad orientem solem nobilium equorũ greges alit: adeò ut bellicosissimi omnium Uualli, ubi edicto uocantur ad bellum, sex millia equitum, peditum uerò sagittariorum & hastatorum quatuordecim millia regibus mittant: parq; etiam militum numerus ad incertos præliorũ casus domi relinquatur. Non temerè enim reges, Uuallica littora certis præsidijs tuentur: quòd in eam oram ab hostium classibus descensiones sæpissimè factas fuisse meminerint. Propterea, ut prima prouinciarum, & honore uetustæ propaginis, & littoris opportunitate, & numero atq; præstantia militum, Regum filijs obtinenda regendaq; imperio ad non dubiam spem regni conceditur: quoniam ab Uualliæ principatu, uti certissimo successionis gradu, in regiam sedem ab ipsis defuncti patris exequijs protinus ascendat.

Quarta autem est Northlandia, prouinciarum longè amplissima, si multorum simul Regulorum ditiones à Thamosi ad Treutam, atque inde usque ad Tuedum, uno nomine cõprehendamus. Aduersis enim Oceani littoribus ab ortu in occasum, & his quos diximus, ingentibus fluuijs, à Borea in Austrum terminatur. In hac, urbs Torea summam obtinet claritatem, Eboracum antiquis dicta: uictricis legionis sede, & Seueri imperatoris morte insignis. Ab Eboracensi archiepiscopo, & totius Scotiæ & Orchadum insularum præsules sacra petebant, sicuti nunc petuntur à Scotis: tanquã à primario vniuersæ septentrionalis Brytanniæ. At supra Eboracum, uersus Scotiam, ad Orientalem Oceanum, Northumbriæ uicina urbs est Dunelmum, antistite opulento bellicosoq; ualida, & D. Cuthberti uexillo sacro (ualde superstitioso) memorabilis: id enim aduersus Scotos, quum bellum ingruit, solenni sacrorum pompa ad non dubiam uictoriam profertur. Cæterùm huius amplissimæ atq; opulentissimæ regionis frequentes urbes innumeraq; oppida nominatim percurrisse, eius fuerit, qui unius tantum Brytãniæ peculiari diligentia descriptæ, dum minima quæq; suo ordine consectatur, modico labore pariter & modica laude sit contentus. Nobis uerò, uniuersus terrarum orbis suscipitur ingenti cursu peragrandus: secundissimosq; periucundo ac vtilissimo operi Deos atq; homines futuros arbitramur, ut uel ambiguo merito laboris nostri fama in extremos usq; terrarum fines extendatur.

Dicemus igitur, in Anglia septem esse urbes longè clarissimas, in queis est Couentria in ipso totius insulæ umbilico posita, populi frequentia cæteris fortasse præstantior, nisi dignitate sacri antistitis & præterfluentis amnis opportunitate careret. Ad orientem uerò Oceanum, celebre uisitur Nordouicum, à puella uate fatidica, sicuti Germanicè sonat, appellatum: non longè ab eo, quod diximus, Yarmoutho promontorio. Id enim recuruatum in dexterum littus, cum amne interfluente urbem, ostioq; eius nauigiorum ualde capaci, tutum et peramplum efficit portum. In eadem quoq; ora uersus Boream sita est Hulla, portuoso emporio nobilis: qua

Humbrius

Humbrus amnis, recepto Trenta insigni flumine, latissimis faucibus in Oceanum euoluitur. Contrario autem ad occidentem solem insulæ littore, ubi Uuallia duobus magnis sinibus excauata peninsulæ similis, rotundam frontem in Oceanū extendit, duo sunt emporia, Gallicis ac Hispanicis negociationibus opportuna: in intimo sinu terminoq́ Uuallicæ ditionis, urbs Cestria, præter..enti Deæ fluuio apposita. Et Bristollium in aduerso pariter sinu, quo Cornvuallia terminatur. Hanc urbem valde amplam atq opulentā, portu celebrem efficit Rotostathybius amnis, qui hodie Sabrina dicitur. In ora autem quæ continenti Galliæ ad meridiem opponitur, sexta vrbium Hamptona, securitate atq amplitudine magni portus, obiectuq́ Vectis insulæ, & poetarum carminibus inclyta, celebratur.

Archiepiscopales uerò sacræ ditionis Angliæ primates, principatum obtinent duæ urbes, Eboracum, vt diximus, & Cantuaria: quarū imperijs episcopales una omnino & uiginti urbes parent. Harum maiora minoraq́ sacerdotia conferendi ius habent reges: ita ut facile, quos uelint, fortunis & honore cumulatè nobilitent. Hac uerò regia liberalitate ditati antistites, propinquos demum suos, ubi Rex operam eorum exegerit, equis, armis, atq pecunia exornare consueuerunt. Sed harum, & deniq omnium famam Londinum penitus obscurat, Trinobantū, ut plures existimant, ciuitas Caio Cæsari nuncupata, totius Brytanniæ regia, multarum gentium commercio nobilitata, exculta domibus, ornata templis, excelsa arcubus, & deniq rerū omnium copia atq opum affluentia ualde mirabilis. Inuehit in eam totius orbis opes ipse Thamesis, statis horis Oceani æstibus superbus & tumidus: onerarijs nauibus ab ostio per sexaginta millia passuum, ad urbem, tuto semper & prealto alueo nauigabilis. Ripas undiq peramœnæ uillæ prædijs atq nemoribus distinctæ passim exornant. Ab inferiore scilicet parte, regia domus Grenevuichia, ita Anglicè à uiridarijs appellata: & in superiore prætorium, nomine Richemondum. In medio autem nobilis structuræ exurgit Uuestmonasterium ab occidua parte urbis, foro iudiciali, ac diui Petri templo Regum sepulchris exornato, longè clarissimum. Atq item uigesimo lapide à Londino, Regium castrum Uuindesorie, secedentis Regis peramœna sede, aliquotq́ Regum sepulchris & Garteriorum sodalium ceremonia percelebre.

Olores autē agminatim læto occursu & festiuis cantibus subeuntes, classes excipiunt, ac undiq retia siluris atq salmonibus expanduntur. Iungitur ad urbem lapideo ponte structura mirifici operis: nec ullis imbribus augetur, quum unis tantū æstibus intumescat. Secundum Thamesim, et aquarū mole & longitudine cursus cæteros exuperat, Humbrus, recepto Trenta in immensum adauctus, qui olim Habus fuit: & Sabrina margaritis etiam nobilis, qui è summis Uualliæ montibus, rapptis secum multis torrentibus, in Bristollicum sinum effunditur. Adiacent autem Brytanniæ, permultæ minores insulæ, & in his tres admodum insignes, Mona, Vectis, & Anglisea: quæ authoritatē parentis ac dominæ consequuntur. Uigent & duo Gymnasia, alterum apud Oxonium supra Thamesim, alterū Cantabrigiæ

non longe ab Eligensis urbis paludibus. In hæc ingenuorum adolescentium ingens numerus ad perdiscendas liberales disciplinas concurrit. Professoribus enim stipendia, alimentaq; discipulis, antiqua Regum liberalitate & optimorum antistitum testamentis persoluuntur. Condidere siquidem multis antè seculis, supra uigintiseptem collegia, constructis è lapide peramplis ædibus, quibus ad sempiternam beneficentiæ laudem, conditores cognomenta & insignia reliquerunt. Nihil autem ea iuuentutis educatione institutioneq; modestius, religiosius, neq; frugalius: ut non mirum sit inde prouenisse ingenia, quæ in Dialectica, Philosophiaq;, & in sacris demum literis, Europam omnem subtilitatis admiratione cōpleuerint: & tum maximè, quum maiores nostri, repudiatis optimarum scientiarum antiquis authoribus, nihil potius quàm difficiles captionum nodos, & conuoluta disputantium sophismata mirarentur.

Attulere & in Brytanniā ab Italia literas Græcas ætate nostra, Thomas Linacrus, Galeni nitidissimus interpres: qui Arthuri principis præceptor fuit. Aequalesq; eius duo Guilhelmi, Latomerius atq; Grocinus, qui nobili, sed irrito uoto, uertendi Aristotelis negocium cum Linacro susceperunt. Sunt etiam Londini, iuris ciuilis interpretes, à quibus honestissimi iuuenes, in schola peculiares leges à Regibus conditas, perdocentur. Hæ sunt partim Anglica, partim Gallica lingua conscriptæ. Aulæ siquidem & foro, Gallicus sermo familiaris adeò, ut ad nobiliores etiam fœminas perueniat. Nam apud nobiliores, Latinæ quoq; orationis lepor in honore est: sicuti in ipsis præsertim Henrici regis filiabus, & in alijs multis, uehementer admiramur. Regi autem, qui ab æquitate atq; iusticia laudem quærat, ex arbitrio nouas leges concipere & promulgare non licet. Neq; enim legitimæ rataq; habentur, nisi trium classium iudicio sanciantur. Nobiles enim, sacrati item uiri, & populus, tres classes efficiunt. Quæ genera hominum aduocare Reges solent, ubi aliquid paulo grauius de salute aut dignitate publica fuerit statuēdum. Neq; enim bellum suscipere, de pace agere, aut pecuniam imperare ritè potest, nisi classes decreto dictis sententijs subscribant. Iisdem autem ferè legibus atq; supplicijs, uti apud nos latrocinia, homicidia, & furta uindicantur: sed de his criminibus per tormenta non quæritur.

In duodecimuirali namq; iudicio, coniecturis & testibus causam peragere mos est: quòd in alios quàm in maiestatis reos, eculeo & fidibus agere, inhumanum putent. Eo modo & in forensibus causis, ad tribunalia testiū numero litigatur. Ac fuit aliquando tempus, quo testimonia utrinq; pari numero dicerentur: & iudices ob id suspensi, ipsos testes more pugilum inter se depugnare cogerent: atq; inde uictores demum, uti fide præstantiores, secundus litis euentus sequeretur. In uniuersum toti Brytanniæ, Cantioq; præsertim (id enim cæteras partes nobilitate facilè superat) mira cœli clementia, miraq; salubritas. Nullæ usquam nisi in Uualliæ montibus præaltæ niues: nulla horridior glacies, nulla densior pruina conspicitur: ut omnino mirandum sit, quum Arctum propius spectet, quòd multas Galliæ ac Italiæ regiones,

regiones, molli tepore & benigna quadam temperie prorsus antecellat. Hyemis enim sæuitiam frequentes pluuiæ, nec hæ quidem procellosæ à fulgetris & tonitru, uerùm sedatæ & pingues, facilè dissoluunt. Aestatis autem calores, quos uel longissimi dies exclusis penè noctibus afferunt, perennibus auris mitigãtur. Aer enim in toto circumagentis sese anni cursu, omnibusq; diebus semper aliquo spiritu mouetur, recreatq; terræ nascentia, pecoriq; simul, ac ipsis hominibus innoxie iucundeq; blanditur: nonnunquam tamen sæuissimis quatitur uentis, quorũ flatus locorum opportunitate defugiunt.

Non enim, uti in Italia uidemus, in collibus & speculis uicos atq; oppida condunt: quòd depressiora loca, cauasq; ualles, & flumina libentius sequantur, uillasq; item ob eandem causam aut iuxta syluas ædificent, aut uirentium arborum peramœna corona præsepiant. Regio enim omnis distincta àruis, nobilitata pascuis, irrigata fluminibus, non in asperos montes attollitur: sed frequentibus collibus leuiter intumescit. Hi, sicuti perpetuo uere, perpetuis floribus uestiuntur, conualles amniculis & nitidis fontibus scatent, campi alia atq; alia segete luxuriãt, & cuncta demum prata & nemora perenni uiriditate spectantibus arrident. Inde illa, prælata cæteris, lanarum uellera, quæ ab Asiaticis usq; gentibus expetuntur. Innumerabiles enim minoris pecoris greges, pabulòsis in collibus interdiu noctuq; summa securitate diuagantur. Neq; enim lupos timent, quos nunquam uiderunt: quum magistratus seuero edicto vniuersos proscripserit, præmijs percussori constitutis: tanta cura, ut Reges non aliud aliquando à montanis Uuallis, quàm trecenta luporum capita quotannis exegerint. Damnatur autem uel ob id Brytanniæ cœlum, quòd crassa sæpe obductũ nebula, suam illam uitalibus salubrem, gratissimamq; oculis, serenitatis lucem eripiat. Unde fit ut pleriq;, nec ineptè quidem, arbitrentur illum ætate nostra insignem morbum, uni Brytãniæ peculiarem, & certis annorum interuallis repetitum, haud dubie procreari: qui pestilentiæ similis, multos mortales, excitato sudore mortifero, paucis horis interimat: nisi sudantes stragula ueste & multis lodicibus inuoluti, aduersus illabentem aerem accuratissimè muniantur.

Cæterùm Angli, suapte natura ualetudine firmissima perfruuntur: adeò, ut ne medicis quidem indigeãt. Hos enim sola propè nobilitas accersit, aut mercatorũ urbana multitudo: quum luxu & perpetuis gulæ uoluptatibus dediti, cruditate sæpissimè diuexentur. Mirabile enim dictu est, quantum obsoniorũ una domus singulis diebus absumat. Sternuntur mensæ in omnes penè horas, calentibus semper edulijs onustæ. Uino etiam, non è Gallia modò, uerùm et ab Italiæ Ueseuo, Cretaq; petito: ut non mirum sit euocari inde morbos, fataq; præuerti: quum natura nullis unquam recreetur inducijs, nec tantis gulæ contumelijs oppugnata sufficiat. Uerùm, eam intemperantiæ culpam eo nomine facilè prætexunt, quòd densato aere uim occultam inesse prædicent, qua maturius quàm cæteris in locis cieri famem, atq; alimenta flagitari languentibus arterijs arbitrentur. Ferunt Anglos totius culinæ disciplinã, epularumq; apparatum, quum in Gallia latè imperarét, Gallis &

Belgis tradidisse: quòd nec probro eis cesserit, quandoquidem insigni cum laude, eas, quibus Parisiorum senatus tot ciuitates fœliciter gubernat, belli pacisq́ leges sapientissimè constitutas, in Gallia reliquerint. Nobilitas fermè omnis urbes fastidit, castellis & liberiore cœlo gaudet: generisq́ dignitatem una maximè uenatione, & falconum aucupijs tuetur. Passim enim ceruorum greges, & eorum præsertim qui palmosis cornibus & albis maculis sunt insignes, in campis atq; nemoribus uenantibus occurrunt: multæq́ huiusmodi feræ, ad uoluptatem subitamq́ uenationē, uallatis uiuarijs continentur.

Adseruare & ardeas, mos est, quibus cum hierafalcones uolatu & unguibus cōtendant. Et in stagnis passim atq; fluuiolis, magnus anatum pictarum numerus reperitur: quæ inde ad natantium canum assultu latratuq́ exturbata, opimam iucundamq́ prædā falconibus præbent. Neq; ulla est in his exercitationibus plenior uoluptas, nisi fœminæ laboris & prædæ comites accesserint. Eas enim miris obsequijs colunt: neq; eas adamare, oscularíq́ Gallico more, attrectareq́ liberius, inuidiosum & turpe existimant, quando apud generosos nihil omnino honestius atque nobilius videatur, quàm ab illustri fœmina gratiā iucundissimis officijs promereri. Nec earum uiri facilè adduci possunt, ut ab ea lætissimæ uitæ libertate quicquā de uxorū pudicitia parum humaniter aut malignè suspicentur. Uerùm deprehensis ueniæ locus eripitur, quòd illico uel approperatæ necis uel grauis ignominiæ pœnam subeant, & nonnunquam ligneis inclusæ caueis, spectandæ irridendæq́ pueris in ædium uestibulis exponantur. Mulieres in uniuersum, candore atq; habitu formosæ uenustæq́ sunt: sed quæ à nostris elegantia cultioris ingenij, eruditisq́ morum illecebris facilè superentur.

Iuuentus uerò ipsa liberali ore cultuq́, & uirilibus mundicijs, maximè decora conspicitur. Nec desunt aliqui, uti in longa pace & procul à militiæ muneribus, qui paulo delicatius atque morosius, pectine comam componere, uerriculo uestem mundare, ornatu incessuq́ nimirum elegantiæ studium præferre soleant. Neque enim illos uel Saxonico sanguine procreati, truces uultus, obstinatosq́ animos gerunt, quum iampridem à finitimis gentibus egregiè temperata corporis atque animi dona retulerint. Sed apud imperitum uulgus, eos præsertim qui nunquam peregrinentur, superbia & externorum contemptus uiget. Quoniam infœlicem admodum, & semihominem eum putent, qui alibi quàm in Brytannia sit natus: eum porrò longè infœlicissimum, cui extra insulam in aliena terra, spiritum atque ossa reliquisse contigerit. Brytanni Reges, uetere instituto, nullos omnino pedites aut equites, præter Prætorianos, in pace stipendijs alunt. Eos enim quum bellum indicitur, è prouincijs euocant: delectibus uerò habitis, ubi ad signa conuenerint, trimestre stipendium descriptis in alas & cohortes persoluunt. Castrensesq́ demum leges publicantur, tanta edicti seueritate, ut alea & chartulis depictis lusisse, eum qui res uenales in castra deferat, uiolasse, adduxisse scortum, & in iurgio gladium strinxisse, capitale sit: ita, ut non omnino sit mirum,

rum, si nos uetere illo bellicæ artis honore decidimus, quum in hac tam fœda & pestilenti criminum impunitate, improbi pariter ac imperiti nostri duces, omnem penitus disciplinæ rationem amiserint. Ut id decus, quod in maioribus nostris perillustre quondam fuit, apud exteras gentes cum gloria translatū, omissa obiter libertate spectaremus.

Apud Anglos, in sagittis unica spes & præcipua gloria, crebris uictoriarum prouentibus parta est. Eas minimo digito crassiores, bicubitalesq;, & hamato præfixas ferro, ingētibus ligneis arcubus intorquent: tanta ui arteq;, vt ad primos præsertim ictus, squamosum thoracem aut loricam facile penetrent. feruefactamq; gestatu & multo sole, ferream equestrem armaturā sæpe transfodiant. His è Romana disciplina mos est, uallum gestare, & dimenso spacio protinus, ubi hostis fuerit in cōspectu, in orbem se munire. Palos enim teretes utrinq; ferrea cuspide præacutos, mira celeritate solo defigunt, & infesta acie paululum proclinatos in hostem uertunt. In medio autem ferreus est annulus, quo perpetua sæpe reste vinciuntur. Circumuallati in hunc modum, læuo pede in ima parte palum premunt: & diuaricatis cruribus, pansisq; lacertis, sagittas excutiunt. Interna autem sinistri brachij ossea tabella conteguntur, ne manicæ rugis recurrētis nerui impetus elidatur. Eo, quod diximus, munitionis genere, Gallici equitatus impetum, quo nihil acrius atque vehementius olim fuit, egregiè sustinuerunt: quum alij temerè illatis se præacutis vallis induerent, alij vel in postrema acie sagittarum grandine sternerentur. Hac una prælij ratione, Ioannes Galliæ rex, apud Pictauos ingenti prælio uictus, captusq; est: & Philippus ad Sammorabrinam, accepta magna clade, profligatus. Apparuitq; ea in pugna sagittarios Ligures, qui scorpionibus arcuferreis uterentur, quo teli genere atq; animis hostibus pares uideri possent, neq; ui neq; celeritate Anglis fuisse comparandos.

Reliqui porrò Angli pedites, Germanico more, hasta longa, grauiq; secure, sed longioribus gladijs pugnant. Hos quum strinxerint, arreptā à baltheo ferream breuem cetram læua prætendunt. Equites autem cōsuetudine Gallorum & Belgarū cataphracti, sagis, cristis, pictisq; equorū tegumentis exornātur. Inter omnes Uualli equites, leuis armaturæ munia stabilius atq; peritius implent: qui lancea, non lateri adpressa, uti cæteræ gentes, sed locata firmataq; femori, & dextrorsus inclinata in hostes, deferuntur. Uenere & in usum Anglis sclopetarij, sed qui nondum, uti rudes, in aciem prodierint. Tanta autem diligentia disciplinaq; castrensibus legibus parent, ut quum multa in Anglo milite externi duces requirant, inuicti & cōtumacis animi robur minimè desiderent, quòd decoris ac ignominiæ metu mortem non timeant. Neq; enim quisquam iterum pugnare satis honestum putauerit, si locum deserere aut terga dare, uitandi periculi causa, contingat: quandoquidem ignominiam præsenti morte effugere, maximè gloriosum existiment. Propterea antiquam apud eos consuetudinem uigere conspicimus, qua strenuissimus quisque & nobilissimus, canentibus signis, equum dimittit, ut

exæquato omnium periculo, & spe fugæ penitus adempta, de salute simul et laude nauiter dimicetur.

Accedunt & peramplæ opes, quibus potentiæ ac uirium existimationē secundissimè tuentur. Quotannis enim supra centum myriades aureorum nummûm, in ærarium & fiscū referuntur: quæ pecuniæ summa, auri pondo decem millia excedit. Hi redditus constant partim ex antiquis, statisq́ prouinciarū tributis: partim ex patrimonio regio, in quo est Lancastriæ ducatus: atq́ item ex portorijs & uectigalibus. Nam uendundis lanarū & metallorū mercimonijs, prærogatiua Regi est certis nundinis magni quæstus: quibus nō prius mercatorū cōditoria aperiri fas est, quàm regiæ notæ mercimonia diuendātur. Augent & mirum in modū regias facultates, patrimonia pupillorum. Non enim ante pubertatem, paterna hæreditate fruuntur. Certa siquidē lege, pueri in tutela Regis uiuūt, addicunturq́ magnis proceribus, atq́ sacratis uiris maximè opulētis: ut apud eos armorū ac literarū, & totius deniq́ aulæ disciplinā, cumulatè percipiant. Sed incredibile dictū est, quantas nuper opes Henricus eius nominis octauus rex, quum ecclesiarum ac monasteriorū patrimonia & prouentus sibi assumeret, & subinde donaria templorum ferè omnium in fiscum auerterentur: ita ut inter cæteros reges pecuniosissimi nomen obtineat, &c. Tantum Paulus Iouius Nouocomensis, episcopus Nucerinus.

TOTIUS BRYTANNIAE BREVIOR DESCRIPTIO, per Georgium Lilium, Ioannem Lelandum, & alios ætatis nostræ scriptores.

Brytannia insularum quæ in Europa continentur maxima, à meridie in septentrionem protenditur, forma triquetra. A' promontorio enim quod Vectem insulam ad meridiem prospicit, ad Cathanesiam, ultimā Scotiæ partem, quæ ab Orchadibus insulis freto non admodum magno dirimitur, milliaria cōtinentur 600. A' Douero autem, ultima Cantij parte, quæ à Gallia non plus 30 milliaribus distat, in extremum Cornubiæ promontorium, quod Armoricū respicit, milliaria habentur 320. A' quo rursus per Hybernicū mare ad septētrionem progrediens, ad Cathanesiam supremā totius insulæ partem, milliaria inueniuntur 800. Continet insulæ circuitus milliaria 1720, minus quàm computat Cæsar 280.

Diuiditur Brytannia in partes duas, uel duo regna. Pars enim australior, Anglia nunc dicitur: quæ autem septentrionalior est, Scotia nuncupatur. Anglia, australior pars, fertilior est, urbibus frequētior, ac moribus ciuilior: Scotia uerò septentrionalior pars, montibus aspera est, & ob intensissimum frigus infertilior. Habet Anglia episcopatus 22. quorum octodecim Cantuariensi primati parent, duo autem Eboracensi archipræsuli. Gymnasia item celebria duo, Oxonium & Cantabrigiam. Conuentus, quos & comitatus uocant, 39.

In Scotia autem episcopatus 13 sunt: quorum nouem S. Andreæ archiepiscopo primati, duo archiepiscopo Glascuensi subsunt. Comitatus habet 22. Abundat Anglia stanno, plumbo, ferro, lana optima, pecore & frumento: Scotia piscibus, pecore,

pecore, & lana. Lupos non habet Anglia: Scotia permultos. Diuidunt Angliam in tres ueluti regiones tria ingentia flumina, Thamesis, Sabrina, Humbrus: Scotiã item tria, Cluda, Forthea, Taus. Regia Angliæ est Londinũ: Scotiæ Edinburgus. Dirimitur Anglia à Scotia, ad orientem Tueda, ad occidentem Solueo, fluminibus: Mediterranea, mons Cheuiota discriminat.

Obiacent Scotiæ ad occidentẽ in Hybernico mari, insulæ 43. Eboniæ siue Hebrides dictæ. Harum prima, & episcopali sede & antiquissima Druydum memoria, Mona erat, quæ nostro iam seculo, Anglo paret. Ad septentrionem sunt Orchades insulæ 31. hordeo, piscibus, cuniculis, abundantissimæ. Inter has, primas tenet Pomonia, & magnitudine cæteras uincens, & episcopali sede, & regio castro ornata.

Ultima omnium in ditione Scotiæ, est Thule, polum habens eleuatũ gradibus sexaginta tribus: in qua quum Phœbus Cancrum occupat (quod fit in Iunio mense) sunt sublustres noctes & perbreues, aut tenebræ nullæ. Idiomata, uernaculiq; aut uulgares, quibus utũtur incolæ, sermones, sunt quinq;: uidelicet Cornubicum, quo Cornubienses: Uuallicum seu Cambricum, quo Uuallici: Anglicũ, quo Angli, parsq; Scotiæ bona: Hybernicum, quo Hebrides insulæ ac septentrionalis Scotiæ fines: & Gothicum, quod solæ Orchades ferunt.

Brytannia primùm, ut produnt authores, dicta est Samothia, à Samothe eius per nauigia repertore primo: Albion uerò postea, ab Albione gigante, Neptuni filio, qui inuasit Herculẽ: & non ab albis rupibus, quæ primùm illuc nauigantibus apparet, ut somniat frater Bartholomæus in suo opere De Proprietatibus rerum, cum illis qui eius delliramẽta sequũtur, uocat ab Albina Syrorũ regis filia. Deinde Brytannia appellata est, à Bryto uel Bruto, ut à Latinis usurpatur, Iulij Syluij Latinorum regis filio, duce quorundam Troianorum, qui sexaginta circiter annis post Troiam à Græcis deletam, classe in hanc insulam uenerunt, atq; Aborigines (potius Albiones) tunc eam incolentes terrã, ad unum occiderunt. Tandem uerò Anglia Australior eius pars dicta est: non ab orbis angulo, aut Angela regina, aut uultibus angelicis, ut alij nugantur, sed à quodam Saxonico seu Sueuico Germaniæ pugnaci populo, qui Angli cognominabantur, ut postea statim dicetur.

Corrigendus est error, & opportunè, quo quidam imbuti, & temeritate potius quàm iudicio ullo, saltem certo, freti, deprædicãt Brytannos ex Armoricano littore primùm in Albionem commigrasse, nouumq; Brytanniæ nomen insulæ indidisse. Bedas, uir citra cõtrouersiam omnem doctus, ac non perinde in penetralibus Brytãnicæ antiquitatis uersatus, scribit hoc modo, in primo capite primi libri Anglicæ historiæ. In primis autem insula Brytones solùm, à quibus nomen accepit, incolas habuit: qui de tractu Armoricano, ut fertur, Brytanniam aduecti, australes sibi partes illius uendicarunt. Hic certi nihil Bedas pronunciat: tantum dicit, Ut fertur. Quo loco, si fidem à lectoribus sibi dari uoluisset, apertè authoris nomen, cuius subscripserat opinioni, produxisset: ut & sic pondus, fidemq; dictis solidam

solidam adijceret. Polydorus tamen, uir alioqui tum doctus tum elegans, ex hoc Bedæ loco errorem hausit, haustumq; in fibris conseruat. Tam difficile est dediscere, quæ semel malè aliquis didicerit.

DE ANGLIS ATQVE ANGLIA, EX ANDREAE Althameri commentarijs in Cornelium Tacitum.

Pag. 280. Brytones ex proximis Germaniæ littoribus Anglos conduxerunt anno Domini 449. Vide Bedam, in lib. 1. & cap. 15. de gestis Anglorum. Cui Pomponius Lætus in Valentiniano subscribens ait: Qui in Brytannia erãt, cum Scotorum & Pictorum rapinas & impetus ferre non possent, Brytannorum regem Vertigerium ad opem ferendam poposcerunt: secus tamen euenit. nam Angli insulam suæ ditionis fecere. Sunt etiam hi Saxonum Germanorum populi, feroces atq; pugnaces, qui adhuc cum Scotis interiectis limitibus imperant, &c. Ex authorum testimonijs colligo (inquit Althamerus) inter Iutas & Saxones ad mare Germanicum & Albim fluuium in Luneburgẽsi ac Brunsuicensi prouincijs habitasse Anglos. Num uerò emigratione in Rhetiam atq; Brytanniam, aut Sclauis totam Saxoniam depopulantibus, uetus Anglorum nomen in ea regione interierit, hæreo.

Pag. 324. In mari sita est Brytannia, authore Tacito in uita Iulij Agricolæ. Brytannia (inquit) insularum, quas Romana noticia complectitur, maximo spacio ac cœlo in orientem Germaniæ, in occidentem Hispaniæ obtenditur: Gallis in meridiem etiã suspicitur. Septentrionalia eius, nullis contra terris, uasto atq; aperto mari pulsantur.

Pag. 265. Adeò semper clarissima fuit Sueuorum fama: nec una gens, sed in plurimas nationes diuisa, suis tamen nominibus discreta: nempe in Semnones, Longobardos, Reudignos, Auiones, Anglos, Varinos, Eudoses, Suardones, Nuithones, Hermunduros, Nariscos, Marcomãnos, Quados, Marsignos, Gothinos, Osos, Burios, Lygios, Arios, Heluecanos, Manimos, Elysios, Naharualos, Gothones, Rugios, Lemouios, Suiones, Aestios, & Sitones: qui in cõmune uno nomine Sueui nominantur, de quibus singulatim in his nostris commentarijs.

Paulus Orosius lib. 1. cap. 2. omnium gentium Sueuorũ quinquaginta quatuor genera esse refert. Sed qua fortuna, quo duce, Sueui è pristinis suis sedibus, quæ in Saxonia ad utranq; ripam Albis fluuij fuerant, emigrauerint, & in Rhetiã atq; Vindeliciæ partem, Romanorum prouincias, concesserint, ubi nunc habitant, historiæ tacent. Tempus mutat omnia, nec quicquam est in rebus huius mundi stabile atq; perpetuũ. Fieri potuit, ut à Saxonibus fortioribus sint è pristinis sedibus pulsi: aut sua sponte mansiones suas reliquerint, nouasq; quæsierint, &c.

Hæc Althamerus.

IOANNIS

IOANNIS BALEI SVDOVOLGII, ANGLI, DE SCRIPTORIBVS BRYTANNIAE, Centuria decima: ex diuersis authoribus, Lelando præcipuè, collecta.

DARES PHRYGIVS. I. EX DIVERSIS.



ARES Phrygius, historicorum gentilium ferè antiquissimus, Isidoro teste: in Troianorũ bello aduersus Græcos, pro suis conciuibus iuuenis inter alios militauit. Capto tandem Ilio, quod & Troiam uocant, per Hectoris filios: cum fugata Antenoris factione deinceps remansit, in diuersis prouincijs profugus. Et eos tum demum anno conditi mundi 2817, cum duce Coryneo, uiro modestissimo, Brytum reperisse, ad Tyrrheni æquoris ripam: Galfridus Monemuthensis, in Brytannicæ historiæ libro 1. cap. 8. refert. Quo nimirum argumento, atq; consimilibus rationibus, plerique authores colligunt, Brytannum extitisse Daretem. Vnde Albanus Torinus, Medicus, in præfatione super huius Daretis Iliada: De authore (inquit) minus, quàm de interprete, ambigo. Sunt quæ Brytannũ hunc fuisse arguunt: priscis & insolentioribus quandoq; uerbis gaudet, pauloq; audacior uidetur, &c. Huius Daretis historiam Græcè scriptã, Iosephus Deuonius, Anglus, in prædicti Corynei patria, quæ nunc Cornubia dicitur, oriundus, poeta elegantissimus, heroico uersu declarauit: ut Guilhelmus Fastregicus habet, in libro suo de Virorũ illustrium scriptis. Daretis Phrygij (inquit) Iliada, è Græco in Latinum transtulit Iosephus Deuonius Anglus, ac Latinis carminibus exposuit. Nam Dares ille, Græcis characteribus, ad posterorum memoriam ætate sua commiserat,

De Troianorum excidio, Lib. 1. *Pelias rex in Peloponneso.*

Quod opus illius manu scriptum, Athenis inuenisse se plurimùm letabatur Cornelius Nepos, eius ad Crispum Sallustiũ latinus interpres. Claruit senex Dares, sub Bryto Iulio, primo Brytannorum rege, anno à mundi origine 2830. & ante Deiparæ partum 1140, Heli in Iudæa dominante.

HELENVS TROIVS. II. EX DIVERSIS.

HElenus Troius, Priami fortissimi Asianorum regis filius, uaticinio claruit, authore Vergilio: apud quem Aeneas sic eum alloquitur, lib. 3. Aeneidos: His uatem aggredior dictis, ac talia quæro, Troiugena interpres diuûm, qui numina Phœbi, &c. Ouidius lib. 13. Metamorphoseon: Quam sum Dardanio (quem cæpi) uate potitus. Et Cicero lib. 1. de Diuinatione, siue sciẽtia rerum futurarum: Quid Asiæ rex Priamus? non'ne & Helenum filium, & Cassandram filiam diuinãtes habebat? De eodem Heleno sic scribit Eusebius Cæsariensis, in Chronico successionis temporum: Hectoris filij Ilium receperunt, expulsis Antenoris posteris, Heleno eis subsidium ferente. Et Galfridus Monemuthensis lib. 1. cap. 2 historiæ Brytãnorum: Post occisum genitorem, exulans Brytus, adiuit Græciam: & inuenit Heleni, filij Priami, progeniem, quę sub potestate Pandrasi Græcorum regis, in seruitute tenebatur: tandemq; ipsum Helenũ. Pyrrhus etenim Achillis filius, post ipsam Troiæ euersionem, prædictum Helenum, compluresq; alios in carcerem trahens (ut necem patris in ipsos uindicaret) in captione teneri præceperat. Agnitaq; ueterum cõciuium prosapia, moratus est Brytus apud eos. Et Ponticus Virumnius in primo lib. Brytannicæ historiæ: In Græciã Bry-

tus iter direxit: ubi cum Heleno habitauit, tandemq; multa prælia gessit, & uicit. Inde recedens, templum Dianæ adiuit in quandam desertam insulam, ubi libauit, &c. Scripsisse fertur Helenus,

Vaticinia quædam, Lib. 1.

Albionem insulam, cum prædicto Bryto intrasse perhibetur: eratq; inter sapientes ualde sapiens, & inter belligerantes heros bellicosus. Claruit anno post cõditum mundũ 2840. & ante Seruatoris aduentũ in carnẽ 1130, Heli sacerdote Hebræos iudicante. Sed ubi aut quando obierit, adhuc nescitur.

OLENVS CALENVS. III. EX VETVstis *scriptoribus.*

OLenus Calenus, nomen est uatis cuiusdam apud Plinium, lib. 28. de historia mundi, ubi ait: Quum in Tarpeio fodientes delubro fundamenta, caput humanum inuenissent, missis ob id à senatu legatis, Ethruriæ celeberrimus uates, Olenus Calenus, præclarum id fortunatumq; cernens, interrogatione in suam gentẽ transferre tentauit. Istum in Brytanniam uenisse quidam ferunt, & de suo cognomine urbem condidisse Calenam, quæ nunc Oxonia dicitur, antiquo nomine mutato. Habet & Gesnerus, amicus candidissimus, in Onomastico: Calena (inquit) apud Ptolemæũ ciuitas in Anglia esse creditur, quæ hodie Oxonia appellatur. Sunt tamen qui Calleuam uocent, immutata N litera in V, Antoninum in Itinere prouinciarum sequuti. Edidisse putatur Olenus,

Prædictiones quasdam, Lib. 1.

Claruit anno à Christi natiuitate 70. sub Aruirago Brytannorum rege; sed de eius obitu, aut sepultura, nihil apud authores lego.

VATES BRYTANNVS. IIII. EX RA*dulpho Nigro.*

VAtes quidam paganus, in Brytannia natus, Dominicam natiuitatem (ut author est in suo Chronico Radulphus Niger) præteritam narrauit. Audiuerat fortasse, ab his qui ea ætate in Domini uinea insigniter laborabant, Messiam diu expectatum aduenisse, ac mundi redemptionem fecisse. Ex quo Brytannorum rex Lucius, pro orthodoxæ fidei doctoribus Romam statim ad Eleutherium episcopum misit. Apparet ergo, Brytannos, ab orbe quasi diuisos, Euangelium regni Dei cum primis accepisse, studio pietatis flagrasse, ac insignes habuisse uerbi ministros. Exarasse hic uates dicit,

Ad regem Lucium, Epist. 1.

Quòd aliud quicquam ediderit, non inuenio. Claruit anno à Christo seruatore nato 160. ut dictus Radulphus habet, Coillo rege in Brytannia regnante.

RESTITVTVS LONDINENSIS. V. EX *opere Conciliorum.*

REstitutus, Londinensis archiepiscopus, uir coniugatus, & sanctissimo Hilario Pictauẽsi episcopo, etiam uxorato, familiariter notus: à Brytannorum rege Constãtio missus, Arelatensi Galliarum interfuit synodo, anno à Christi natiuitate 350. partim ut de religione apud eos aliquid sciret, partim ut celebrandarum synodorum uideret formam. Ex qua, hæc secum statuta in Brytanniam attulit: scilicet, Vt si diaconi in ordinatione sua protestarentur, se uxores ducturos esse, illis liceret facere, atque simul in ministerio permanere: & ut metropolitani arbitrio, synodus cõuocetur ac celebretur, cum alijs multis. Erat Restitutus, homo pro sua ætate multipliciter doctus, ac uita modestissimus: qui inter alia scripsit, ad suos Brytannos,

De Arelatensi synodo, Lib.1.
Ad Hilarium Pictauensem, Epist.plures.

Cætera quæ aut scripsit, aut fecit, unà cum eius morte, in obscuro sunt. Claruit anno suprà dicto, à diuini uerbi incarnatione: & sub dicto Constantio, Magni Constantini filio.

HONORIUS CAMBER. VI. EX LELANDO.

HOnorius Camber, Trefriauci filius, uirtutis & eruditionis ornamenta lucida, à Dauide Meneuēsi archiepiscopo, sanctissimo præceptore (ut Lelandus habet) sanctissimus discipulus accepit, eo loco quo terræ extensio occidentē Cambriæ terminat. Adiacet extensioni insula, ambitu parua, at fama maxima: cui nomen antiquitùs à Græca origine Limenus fuit, nunc uerò Ramesega. Hic uitā Honorius illustris parcā ac duram exegit. Iustinianus ex Brytannia Armoricana, Dauidis gratia hic appulit. Incola humanissimè accepit hospitē. Venit & uniuersus unà cū Dauide Meneuensiū chorus: eundē salutaturus. Piratæ postea uim insulæ inferētes, Iustinianū occiderūt. Martyrij loco nomē, Scopulus leprosus, à morbis Dei beneficio percuratis, dictū est. Sic, dum Honoriū luci restituimus, cōmodè & Iustiniano tantundem præstitimus. Hæc omnia Lelandus. Claruit Honorius anno salutis nostræ 560, sub Maglocuno Brytannorum rege: sed eius perierunt scripta.

MAVVORNVS GLASCONIVS. VII.
Ex Lelando.

MAvuornus, Glasconiēsis cœnobij monachus, nō Benedicti, sed Congelli Apostolici uiri institutū professus: & cuiusdā in Brytannia ecclesiæ episcopus, cuius nunc non occurrit nomē: theologiæ cōsultissimus fuit, & eius rerū egregius interpres. Hanc illi uirtutē ac summā peritiā, tum educatio tum diligētia insignē fecit. Conciones nō paucas, etiā quæstiones nō de triuio petitas, sed ex diuinę scripturę penetralib. potius acceptas, in suos redegit numeros: & redactas tanto pertractauit acumine, ut dedisse illis lumen potius, quàm aliunde petijsse uideat. Ioānes Lelandus in suis collectaneis, hūc cum quodā abbate Vuorgresio eximiè collaudat: & edidisse dicit,

Annales suæ patriæ, Lib.1.

Nihil aliud ab eo scriptum, apud authores inuenio. Claruisse fertur circa annum incarnationis filij Dei 620, sub Cadvuano Brytannorum rege.

REVCHIDVS CAMBRIVS. VIII. EX NENNIO.

REuchidus Cambrius, ex famoso illo Apostolicorū uirorū Bannochorensi collegio prope Cestriā, qui in cōmune uiuebāt, doctor & episcopus: eloquētia atq; eruditione in Brytannia, sub inclināte eorū imperio floruit. Fuit enim, ut referūt authores, diuini uerbi præco per eā ætatē eximius: magnumq; ex ea functione sibi cōparauit nomē, ita ut inter theologorū lumina cōnumeratus sit. De illo Nennius, uetustissimus author, in fine suæ historię de Brytannorū origine mentionē facit, quòd plura scriptis tradiderit. Sed ea omnia per Anglosaxonū uiolētias, edax flāma cōsumpsit. Claruit aūt anno post Domini in carnem aduentū, 640, Cadvuallone in ipsa Brytannia regnante.

BOTVLPHVS ET ADOLPHVS. IX.
Ex Lelando.

BOtulphus & Adolphus, illustria nomina (inquit Lelandus) ab antiquis scriptoribus celebrati sunt: nō ob pietatē modo, uerumetiā eruditionē. Libellus qui de uita Botulphi circūfertur, adfirmat hos nobili fuisse loco natos, & fratres. Monachatus eo seculo celebratus, utriq; perplacuit. Vnde & locus in Icanno, non procul à principe Lindorum urbe, beneficio

Ethelmundi reguli Anglorum australium, eis liberaliter designatus est. Liquet etiã, studuisse illos aliquando in Gallia Belgica, notosq; ibidem fuisse sororibus Ethelmundi, uirginibus uelatis: à quibus solicitè regi fratri fuere commendati. Inde etiam elucet, Adolphum, uel Adulphum, postea Traiectensi donatum episcopatu, uirtutibus præniтuisse: & utrumq; in Icanno ad orientem Lincolniæ, fuisse sepultum. Concidit tandem Botulphi monasterium, crudelitate ducum Danici exercitus. Hęc Lelandus. Claruerunt anno à uerbi incarnatione 650, sub Anglosaxonum regno.

ELERIVS CAMBRIVS. X. EX LELANDO.

ELerius Cambrius olim fuit, atque adeò nunc est, in suo apud Brytannos precio. Crediderim studuisse primò, ad ripas Eluij fluminis, ubi fanũ est diuo Asapho sacrum: posteaq; strepitus & frequẽtiæ uitandæ causa, tanquã ad eremum abijsse. Illud apertissimum claret, erexisse illum monasteriũ circa uallem Clutinam: in quo numerus erat & uirorum & fœminarũ insignis. Inter quas Guenureda, uel Vuenefrida, nobilissima uirgo, alumna Bennoi erat: quæ gladiũ impotentis iuuenis Caradoci, abscisa ceruice pertulit. Hucusq; Lelandus. Contexuisse creditur Elerius,

Vitam Vuenefridæ, Lib. 1.

Atq; alia quædam. Claruisse etiam fertur, anno à salutis nostræ initio per Christum 660, sub Caduuallone Brytannorum rege.

THEODATVS FRITHONA. XI. EX LELANDO.

THeodatus Frithona, magnificè per disciplinas à doctis acceptas (ut scribit Lelandus) in iustam usq; glorię accreuit magnitudinem. Originem uerò sui generis, à nobili Visisaxonum gente traxit. Sacris literis operã dedit Cantuarię, quo tempore Honorius metropoli præfuit. Cui & ipse notus atq; charus fuit: usq; adeò, ut in eius mortui locum succedere dignissimus iudicatus sit. Multa de hoc literato episcopo, Geruasius Durouernensis monachus, post Bedã & Guilhelmũ Malmesburiensem, refert: qui uitas archiepiscoporum Cantuariorum, libro accuratè scripto, perstrinxit. Hoc quoq; ad laudis cumulum ei accessit, quòd unus omnium Anglosaxonum dignus sit uisus, qui primus post Italos, Cantuariensem regeret diœcesim. Tantũ Lelandus. Mortuus est Theodatus, anno ab incarnato Dei filio 664, sub Anglosaxonum regibus, quum aliqua scripsisset.

CAPPA PRESBYTER. XII. EX LELANDO.

CAppa presbyter, ut Lelãdus testatur in opere suo de Viris illustribus, rarum erat apud scriptores in primitiua ecclesia Anglosaxonũ, nomẽ. Non tamẽ ita aboleuit, ut eius prorsus dignitas omnis interierit. Inter presbyteros optimæ notæ, quos Berinus episcopus pro informãda Visisaxonũ gente miserat, Cappa uir tum eruditus tum pius, primas tenebat partes: ut author est Thomas Rudburnus, antiquitatis cultor planè maximus. Ad Vectanos insulanos etiã ille peruenit, plebẽ sacris addocẽs cõcionibus: sedesq; episcopalis ei designata est, eodẽ in loco. Hæc dicta sunt (inquit Lelandus) in eius præclaræ eruditionis laudẽ. Multa edidit Cappa, & anno à Seruatoris aduentu 670 claruisse scribitur, sub Anglosaxonum regibus.

BEDVVINVS DVNVVICENSIS. XIII. EX *Beda & Lelando.*

BEdvuinus, qui & Baldvuinus, teste Lelãdo, illustris cùm famæ tum eruditionis uir erat, ut ex historia de episcopis orientalium Anglorũ, quæ Ventæ Icenorũ (Nordouici scilicet) extat, apparet. Albericus Veerus, fani Osithæ Canonicus, in uita uirginis Osithæ, Eccam & Bedvuinum presbyteros

teros à Vuilburga regina curę Osithę designatos narrat. At historia Icenensis ecclesiæ, in diuisione episcopatus orientalium Anglorum, Bedvuinum episcopũ Dunvuico, urbi antiquissimæ, emporioq; olim celeberrimo, designat. Eccam uerò, Vlmeto, pago alioqui ignobili. His accedit Bedę testimonium, in quarto capite 4. lib. Anglicæ historiæ. De Bedvuini eruditione ac scriptis hoc argumentum esse poterit, quòd uacillantem fidem apud Catechumenos, paulo antè paganos, eloquentia & scripturæ soliditate corroborauerit. Hæc Lelandus. Obijt autẽ Bedvuinus, anno incarnati Mesiæ 679, Dunvuici, ut fertur, sepultus, sub Anglosaxonum regulis.

CEDDA TRANSABRINVS. XIIII. EX
Beda & Lelando.

CEdda (ut Lelandus habet) immortali uir uel dignissimus memoria, natus est, & puer educatus apud Transabrinos: à quibus & originẽ duxit. Illustria uerò eius facta, accuratè, sed sparsim, à diligentissimo Beda chartis, præcipuè historicis, cõmendata sunt. Operã bonis literis & religioni sedulã admodũ impẽdebat Lindisfarnæ: ubi Nortabrinorũ sedes erat pontificia, sub episcopo Aidano pręceptore. Interea uir factus, ab Osvuio Trãsabrinorũ rege, in archiepiscopũ Eboracẽsem, Vuilfridi depositi loco, ex quadã enata occasione substitutus erat. Fidẽ Christianã inter Mercios & Anglos orientales, Euãgelij ualidus assertor, auxit uerbis ac scriptis. Pestem fugiens ictericiã, relictis Anglis oriẽtalibus, ad Lestinganos redijt. ubi Charybdim deuitans, in Scyllam incidit, peste statim tactus & sublatus. Sic Lelãdus. Circa annum à Christi natiuitate 670 claruisse fertur, sub prædictis regulis.

EATA LINDISFARNENSIS. XV. EX
Beda & Lelando.

EAta Lindisfarnensis (sic Lelandus habet) in historia Bedæ totus elucet: unde & nos (inquit) pauca, sed apposita, de eius selegimus uita. Principiò occurrit, de educatione & institutione hominis, testimoniũ Bedæ planè honestum. Eata (inquit) unus ex duodecim Aidani episcopi discipulis, quos primo episcopatus sui tempore, de natione Anglorum in Christo erudiendos accepit. Hæc Beda. Studuit postea prope ripas Tuensis fluuij, inter Mailrosenses: quibus & tandem præfuit. Orta uerò de paschali obseruatione controuersia, Colmannus Scotus, abbas Lindisfarnanus, suos repetijt. In cuius locum Eata subrogatus est. Scriptor uitæ Vuilfridi, refert Theodorum Cantiorum archiepiscopum, consecrasse Eatam in Lindisfarnanũ episcopum, & Hagustaldensem: quo integro honore tribus annis functus est. Deinde sola cathedra Lindisfarnẽsi contentus, eam retinuit dignitatem, ac plura conscripsit: donec permutatione facta, ipse Hagustaldunũ reciperet, Cuthbertus uerò Lindisfarnam. Tantum Lelandus. Claruisse fertur Eata anno Domini 680, sub dictis regulis.

BOSO EBORACENSIS. XVI. EX
Beda & Lelando.

BOso Eboracẽsis, Lelandi testimonio, tandiu in iusto stabit precio, quandiu eruditorũ chorus Bedæ monumenta, solicita uersabit manu. Operã bonis artibus in Phario uigilantissimo monasterio, partim uirginibus, partim uiris consecrato, dedit. Hylda fœmina incomparabilis erat, filia Horesvuithi Deirorum regis, & Beorsvuidæ. Porrò D. Begæ alumna, ac Pharij conditrix cœnobij, meritò crescenti per omnes doctrinæ ac uirtutis gradus, ad altissima quæq;, Bosoni fauebat. Vuilfridus, nescio qua infelicitate, aut absens aut exul, sedem Eboracensem uiduam fecerat. Hylda uirgo

regia, in magna tum apud nobiles, tum apud clerum gratia, ita egit, ut Boso Eboracensi præesset metropoli. Vixit in episcopatu uaria componẽs, annis decem. Eboraci demum sepultus est. Hæc ego breuiter (inquit Lelandus) de Bosone perstrinxi. Claruit Boso, anno Domini 680: & post septem annos obijt, sub dictis regulis.

TATFRIDVS VVHITBIENSIS. XVII. EX Beda & Lelando.

TAtfridus monachus sinus Pharij, musæi celebratissimi: in quo, Beda teste optimo, uel iustus eruditorũ enituit numerus, publico plane Anglosaxonicæ ecclesiæ commodo. Bosillus huius loci alumnus, postea Vuicciorum episcopus primus, senio laborabat, & successorẽ solicite quærebat. Hanc curã Beda in quarto libro Anglicanæ historiæ sic explicat: Languente Bosillo, uir strenuissimus ac doctissimus, atque excellẽtis ingenij, Tatfridus, de optimæ Hyldæ monasterio electus est antistes. Sed priusquam ordinari posset, morte immatura præreptus est. Hæc tradit Lelandus, in opere de Viris illustribus. Claruit Tatfridus, anno salutis Christianæ 680, sub sæpe dictis regulis.

IVIVS BRAVONIVS. XVIII. EX LELANDO.

IVius, uel Iuo, Brauonis filius (ut Lelandus author est) in Transabrina regione natus, solitudini ac monasticæ uitæ operam dedit: idq;, quantũ ego colligo (inquit) in cœnobio Lindisfarnensi. Præceptore usus est Cuthberto Farnensi, Lindisfarnensis ecclesiæ episcopo: & famam à literis honestam inter suos emeritus est. Deinde ampliora meditatus, Armoricã regionẽ petijt, ac læta Euãgelici uerbi semina, ad Dei gloriã, pijssimus sparsit. Hæc sola sunt, quę Lelãdus de Iuio uel Iuone refert. De eius scriptis nihil apud authores lego. Claruisse aũt fertur, anno post Christũ natũ 690, regnantib. regulis.

ETHELVVINVS LYNDISSVS. XIX. EX Beda & Lelando.

ETheluuinus Lyndissus, literarum sacrarũ cultor assiduus, temere silentio prætereundus nõ est: quandoquidẽ ipse Beda, nõ iniquus aut testis aut iudex, eius famam ab integra his uerbis olim asseruit obliuione, cap. 10. libri tertij Anglicę historiæ. Ethelhilda, soror sanctorũ uirorũ Ethelvuini & Aldevuini: quorũ prior episcopus in Lindescia prouincia, secundus erat abbas in monasterio quod uocatur Bernig: à quo nõ longe & illa monasteriũ habebat. Hactenus Beda. Erãt hi quidẽ tres illustres, in magna apud Ostrithã Merciorũ reginã gratia, bonarũ literarũ nomine. Hæc omnia Lelandus mihi obtulit. Claruisse putatur Ethelvuinus, anno Domini 710, sub regulis.

FORTHERIVS DVROTRIGVS. XX. EX Beda & Lelando.

FOrtherius Durotrigus, uir in primis literatus, ac proceribus Visisaxonum, uirtutum titulis tum cognitissimus, tum gratissimus fuit. Eò existimationis, famę & gloriæ peruenit ille, ut mortuo Aldhelmo Shireburnensi, eius seculi ornamento incomparabili, episcopus designaretur: hoc calculo, ut eruditas artes ab Aldhelmo fœliciter ad Durotriges, Vilugianos, & Atrebates, reuocatas, in precio conseruaret: id quod integre præstitit. Vnius Bedæ Fortherio, illustre hoc testimonium, multorũ instar erit. Ille enim sic, libro quinto Anglicæ historiæ loquitur: Quo defuncto (Aldhelmum intelligens) pontificatum pro eo suscepit Fortherius: qui usq; hodie, uir & ipse in scripturis sanctis multum eruditus. Huc usque Lelandus. Claruit Fortherius anno Christi 720, sub Ina Visisaxonum rege.

EREMITA BRYTANNVS. XXI. EX *Vincentio.*

EREmita quidam Brytannus, cuius ignoratur nomen, inter Cambros natus, & ab ipsa infantia nutritus, post prima literarum studia, astrorũ scientiam unà cum historia, Bardorũ illius regionis more, per omnẽ ætatem coluit. De rebus in sua patria insigniter gestis ille multa collegit, ac non paruo labore literis mandauit: præcipuè, de illustrißimo Brytannorũ rege Arthuro, atq; eius mensa rotunda. De Lanceloto etiã, Morgano, Perceuallo, Galguano, Bertramo, et alijs fortißimis hominibus multa tradidit: sed famã ipse suã uehemẽter læsit, quòd serijs inepta, & ueris fabulosa nõnulla admiscuerit. Et ut recitat in historiali speculo Vincentius, De Iosepho Arimathiensi ad Vualvuanũ quendã pleraq; scripsit. Opus uocat, ignoto mihi sermone, *Sanctum Graal,* *Lib.1.*

Et eius operis fragmenta quædam uidi. Claruit, iuxta Vincentium, anno à Christi natiuitate 720, regnante Ina Visisaxonum rege.

MILREDVS VVIGORNIVS. XXII.
Ex Lelando.

MIlredus, quintus Vigenorum seu Vuigorniensium episcopus, fertur bonarum artiũ studiosus fuisse: multumq; Ecclesiæ ex theologica cognitione, penitiore illa, quæ proprium est sacrorũ cõcionatorũ munus, profuisse. Inuidiosa uetustas, Milredi monumenta destruxit: at fama eius eruditionis, etiã nunc floret apud Vigenones. Nam & uersus de eo circumferuntur. Hucusq; Lelandus in suo uirorũ illustrium Catalogo. Claruit Milredus anno ab incarnato Mesia 730. qui uaria scripsisse dicitur, & Vuigorniæ tandem obijsse mortem, sub Cuthredo Visisaxonum rege.

VVITHREDVS MATHEMATICVS. XXIII.
Ex Beda & Lelando.

VVithredus, homo bonis artibus addictißimus, atq; idem Bedæ cognitißimus: intermiscebat studijs theologicis seuerioribus illis, plausibilẽ & iucundam Matheseos cognitionem: quæ numeros, quæ proportionum consonantias, quæ deniq; stellarum motus erraticarum addoceret. Senserat hæc Beda, mathematicus & ipse quidẽ insignis. Ac à suis exoratus, ut quæstioni de æquinoctio exortæ satisfaceret, id præstitit, Anatolium secutus, tum alacriter tum doctè: atq; libellum editum Vuithredo amico amicus dedicauit. Tantum Lelandus. Claruit anno nati Seruatoris 730, sub Egberto Northumbrorum rege, uaria componens.

PLEGVVINVS MONACHVS. XXIIII.
Ex Beda & Lelando.

PLeguuinus monachus, linguarũ politarũ cognitioni, & recõditis naturæ mysterijs, promptà iuxtà ac expedita aduigilabat diligẽtia. Proinde, si quid obscuri, luxati, aut parũ lucidè interpretati occurreret, iudicio eruditorũ maturo prudẽter quidẽ usus est. Et quoniã Bedæ in primis censurã magni faciebat, apud eũ orta de sex ætatibus mundi quæstione, per literas accuratè egit, ut accuratius responderet in causa hærenti. Beda aũt pro solita humanitate, candore quoq; & facilitate, iusta rem omnẽ cura, scripto explicuit libello: qui & adhuc spirat, ac inter Bedę epistolas locum occupat nõ inglorium. Sic Lelãdus. Claruit Pleguuinus anno à diuini uerbi incarnatione 730, sub Egberto prædicto.

CEOLVVLPHVS REX. XXV.
Ex Beda & Lelando.

CEolvulphus, Transabrinorũ rex, à literis cõmẽdatur: idq; accuratè, à Guilhelmo

Guilhelmo Malmesburiensi, in historia regum Anglicorũ, his uerbis: Conscendit igitur tremulum regni culmen Ceoluulphus, ab Ida septimus, & idoneus ad cætera: & cui nõ deerat literarum peritia, acri animo & alacri studio cõparata. Fulciat sermonis mei ueritatem Beda: qui eo tempore, quo maximè scaturiebat Brytannia literatis, huic potissimum Anglorum historiam elimandam obtulit, eligens nimirum in illo authoritatem bene dicta corroborandi, propter imperium et scientiam: perperã dicta emendandi, propter ingenium. Hæc Malmesburiẽsis. Creuit mortuo Beda, in hoc principe, cùm eruditio, tum pietas, usque adeò, ut tandem relicto regno monachus fieret. Claruit Ceoluulphus anno Domini 740, demumq; Lindisfarnæ obijt, regno Egberto patrui sui filio dato, & in eius ecclesia sepultus est. Hęc ita sunt à Lelando congesta.

SIGVVOLPHVS NORTHVMBRIVS. XXVI.

Ex Alcuino & Lelando.

SIguuolphus Monachus, ut ego (inquit Lelandus) coniecturam facio, homo Transabrinus: religiosorum eius seculi nunquam satis laudatam cùm industriam tum pietatem fortiter secutus, in lectione diuinorum librorum fœlices horas fœlicius collocauit. Vtq; fortè fit, in tam assidua librorũ euolutione, incidit in quædam loca Geneseos, quæ uiri undecunq; eruditi iudicium desiderabant. Cogitanti de interprete, Albinus, seu Alcuinus, ornamentum sui seculi occurrit: cui libellum de quæstionibus transmisit. Albinus intellecto eius consilio, eisdem doctissimè respondit, libello edito. Tantum Lelandus. Claruit Siguuolphus, anno à Christi incarnatione 790, sub Osulpho Northumbriorum rege.

EANBALDVS BRIGANTIVS. XXVII. EX

Alcuino & Lelando.

EAnbaldus, Eboracum urbem, Brigantũ olim dominã, celebrauit, amauit, coluit: inq; ea teneros, literarũ studiosissimus, exegit annos. Patronis usus cãdidissimis, Egberto & Alberto, aliàs Cœna, archiepiscopis, præceptore uerò Albino: sanis eorum consilijs & institutis, eò peruenit tandẽ, doctrina et pietate ducibus, ut et ipse infulas metropolis Eboraci acciperet. Rem literariã, ab Egberto episcopo reparatam, non modo conseruauit, uerumetiam auxit. Albinus quoq; in epistola quadã Eanbaldo gratulatur, nõ tam fortunę dignitatem, quàm thesauros ueterum librorũ. Moriturus uerò, lampadem suorum studiorum, igne scintillantem conspicuo, uiro sui nominis egregiè docto conseruandam tradidit. Hæc Lelandus. Claruit Eanbaldus, anno uerbi incarnati 810, sub Anglorum rege Egberto.

SVVITHVNVS VVINTONIVS. XXVIII.

Ex Capgrauo & Lelando.

SVuithuni uitã et facta illustria, Vuolstanus & Lamfridus, monachi Ventani, seu Vuintoniẽses, ille carmine heroico, hic soluta oratione, ut alios inferioris notæ scriptores omittam, quàm diligentissimè scripserunt. Aetas uerò illius ubi matura esse cœpit, parentum solicita cura, cõgregationi Ventanæ ecclesię, bonarum tunc artium conseruatrici, traditus est. Eluxit statim in adolescente alacritas illa ingenij ignescens, ad linguarũ cognitionem altis gradibus cõscendentis. Cum tandem inter eruditos eximius haberetur, Egbertus Visisaxonum rex, Ethelvuolphũ ei iuniorem filium in literis erudiendum commisit. Hactenus Lelandus. Obijt autem Suuithunus, Vuintoniensis monachus & episcopus, anno post natum seruatorem Christum 862, & illic est sepultus, Ethelberto regnante.

VVERFRIDVS ANTISTES. XXIX. EX
Capgrauo & Lelando.

VVerfridus, uel Vuirefrithus, eo tempore bonis artibus operam dedit, quo pars maxima Brytanniæ, à barbarißimis Dacis usq; adeò infestabatur, ut Musis uix ullo licuerit loco tutè caput exerere. Historici hominem præcipuè collaudāt ab eruditione, quam honor etiam suo tempore secutus est. Mortuo etenim Alvuino Vuicciorum, siue Vuigorniensium episcopo, dignißimus uisus fuit qui succederet. Cum fœlicißimus princeps Alphredus, academiā ad Isidis uadum instituisset, excellentis doctrinæ uiros in suo palatio nutriebat, qui non modò literas illic profiterentur, uerumetiam interpretationi Latinorum authorum sedulò incumberēt. Inter hos in aulam uocatus Vuerfridus, tanquam antesignanus prænituit: qui Dialogorum libros Gregorij primi Rom. Pontificis, in linguā Saxonicā uertit. Cętera aūt, quę longo uitæ suæ tempore egregiè fecit, partim Dacorū uiolentia, partim antiquitas obscurauit. Deniq; exactis undecim annis post mortem Alphredi regis, obijt: id est, anno à Christo nato 911. Hæc Lelandus Antiquarius.

ETHELFLEDA COMITISSA. XXX. EX
Asserio & Lelando.

EThelfleda, alias Elfleda, filia incomparabilis Alphredi regis ac Egelvuithæ, à teneris annis aßiduam nauabat operam literis. De ea atq; alijs Alphredi filijs, hæc dicit Asserius Meneuensis: Nec etiam illi sine liberali disciplina, inter cætera præsentis uitæ studia, quæ nobilibus conueniunt, ociose & incuriose permittūtur. nam & Psalmos, & Saxonicos libros, ac maximè Saxonica carmina, studiosi didicere: & frequentißimè libris utuntur. Hæc ille. Matura annis, nupsit Ethelredo comiti Merciorū, uiro cùm doctißimo, tum potentißimo: ex quo filiolam tantum unam peperit. Quantum autem ad magnitudinem animi pertinet, tam incredibilis in ea fuit, ut facilius admirationem quàm fidem mercatur. Nam regnante Edvuardo fratre, militum præsidio freta, multoties Danicas turbas profligauit, ac urbes uallo & fossa muniuit. Obijt regnante Edvuardo fratre, anno salutis nostræ 920, & Claudiocestriæ cum marito sepelitur. Tantum Lelandus.

EDVVARDVS SENIOR. XXXI. EX
Malmesburio & Lelando.

EDvuardum Alphredi regis primogenitum præterijssem (inquit Lelandus) nisi me Guilhelmi Malmesburiensis imperium, aliò properātem, reuocasset: qui cap. 14. libri secundi historiæ regum Anglicorum, eum uel literatißimum, Asserij iudicium secutus, appellat. Per me alioqui prius intellexeram, hunc ex præscripto patris, strenuam dedisse operā literis: & eiusdem patris erga se diligentiam imitatum fuisse, dum suum nothum Ethelstanum, in Latina lingua erudiendum curaret. Scio præterea (inquit) historiographos aliquot, inter quos sunt Ranulphus Higdenus Cestriensis, & Ioannes Rossus Vuarvuicensis, attribuisse huic gloriam Grantanæ academiæ, uiolenter à Danis concussæ, & postea reparatæ. Huc usq; Lelandus. Obijt rex Edvuardus anno Domini 924, regni sui 24. Vuintoniæ sepultus.

PLEGMVNDVS MERCIVS. XXXII. EX
Asserio & Lelando.

PLegmundus, authoritate quadam uel iustißima poscit, in eruditorum numerum referri. Quod exquisita quadam diligentia præstiterunt Asserius Meneuensis in suis annalibus, & Geruasius Dorouernensis in Cantianorum archiepiscoporum uitis. Erat Plegmundus Mercius genere, & Do-

rouernensis ecclesiæ tandem archipræsul. Huius & aliorum, utpote Vuerfridi, Ethelstani, ac Vueruuolphi doctrina ac sapientia, regis Alphredi ad literas desideriū, indies crescebat atq; implebatur. Non enim sine eorū aliquo se unquam esse patiebatur: unde omnium pene librorum noticiam habebat. Hæc Lelandus. Plura Plegmundus composuit: atq; obijt anno ab incarnato Mesia 926, & anno sui pontificatus 33. Cantuariæ sepultus.

ETHELVVARDVS ILLVSTRIS. XXXIII. EX *Malmesburio & Lelando.*

ETheluuardus princeps, Alphredo patri, non in regno, sed studiorum ardore successit: quo equidem calculo apud rerum gestarū scriptores perinde illustris est, ac frater suus Edvuardus: qui toties Danos aperto marte profligauit, urbesq; pristino nitori restituit. Guilhelmus nanq; Malmesburiensis hunc inter eruditissimos ponere non dubitauit: cuius authoritatē & alij multi sequuti, eundem inter literatorum proceres numerarunt. Ioannes Rossus Vuaruuicensis in libro de academijs: Ethelvuardum regij generis adolescentem, in bonis artibus mirifice profecisse quodammodo gloriatur. Nec interim incredibile est, aliquid ab illo, quamuis ad nostras non peruenerit manus, olim fuisse scriptum, ut orbi studiorum suorum uel clarū specimen ostenderet. Obijt quarto ante Edvuardum fratrem, anno (Domini 920 scilicet) Ventæ Simenorum, seu Vuintoniæ, in nouo monasterio sepultus. Tantum Lelandus.

ETHELVVARDVS IVNIOR. XXXIIII. Ex *Mariano & Lelando.*

ETheluuardus, Iunior dictus, potētissimi regis Edvuardi senioris filius, tot optimæ indolis præclara signa in ipsa ostendebat iuuētute, ut pater illum ardenter amaret. Eius meminit Guilhelmus Malmesburiensis, his uerbis: Secundus filius Edvuardi fuit Ethelvuardus, ex Elfreda filia Ethelmi comitis, literis apprime institutus, multumq; Alphredum auum uultu & moribus præferens: sed cita post genitorem morte subtractus. Marianus Scotus, historiographus illustris, scribit hūc, diem obijsse supremum in Isidis uado, seu Oxonio inter literas: ibidemq; fuisse sepultum. Huc usq; Lelandus. Vita decessit Ethelvuardus, anno Christi Seruatoris 925, eius fratre Ethelstano regnāte. Quo anno, Buriense sacerdotū collegiū fundabat, per eundē regē.

FVLDEBERTVS PARSHORENSIS. XXXV. Ex *Radulpho Dicetensi.*

FVldebertus, Parshorēsis abbas monasterij, quod est inter Eueshamum & Teukisberiam in occidentali Anglorum patria situm, ea in literis uigilantia suo tempore usus extitit, ut dedisse potius honorē cœnobio, quàm usquā ab illo accepisse cerneretur. Aliud habeo nihil de hoc uiro dicere, nisi quòd inuisentibus nobis quarundam bibliothecarum thesauros, inter alios & ille comparuerit, ex Radulphi Dicetensis lectione in Imaginibus Chronicorum. Plura Fuldebertus congessit, præsertim epistolas atq; Homelias. Claruit anno à uirginis partu 980, sub Etheldredo Anglorum rege.

ALFRICVS PRESBYTER. XXXVI. Ex *Lelando.*

ALfricus presbyter, non infimus in sua patria, quantum ad sacrarum literarum cognitionem spectat, eruditione ac nominis fama enituit: eo tempore saltem, quo per totam fere Europam, obliteratæ & sepultæ erant. Inter alia multa, quæ ille per eam ætatē eleganter composuit, ad multorum utilitatem in lingua Anglosaxonica scripsit,

Doctas conciones, Lib.1.

Quę conciones extabant in Fontana bibliotheca. Vixit iste temporibus regum Ethelredi & Eadmundi ferrei lateris, uidelicet anno Domini 1016, ut docet Lelandus.

KENVLPHVS BVRGENSIS. XXXVII. EX *Candido & Lelando.*

KEnulphus, abbas Petroburgensis, *uir magni olim in literis nominis e-rat: quamuis non alio is mihi* (inquit Lelandus) cognitus sit testimo-*nio, quàm* fide Hugonis Vuhyti, uel Candidi, *qui res gestas* Petroburgen-*sium egregiè perscripsit. Quare* quidem restat hoc mihi officiũ, ne, quod ille *de* tali ac tanto uiro publicum esse uoluit, *ego mihi soli conseruem,* posterita *ti ingratus. Referã igitur* (inquit) ea quæ Hugo scripsit: Kenulphus abbas, flos literalis disciplinæ & torrens *eloquentiæ, tum* decus ac norma diuinarũ *rerum ac secularium.* Hactenus Hugo. In precio fuit tempore *Edvuardi Sim-plicis,* Angliæ regis. Tantũ Lelandus. Claruit Kenulphus, anno gratiæ 1050, sub eodem Edvuardo.

EDITHA REGINA. XXXVIII. EX *Geruasio & Lelando.*

EDitha, Godvuini Cantiani comitis filia, parentũ cura liberalissimè edu-cata est: & literis, cum interim barbaries totum penè occuparet orbem, bonis consecrata. Id quod me dubium planè detineret, nisi Geruasij Duro-uernensis in historia authoritas mihi fidem faceret, cuius & hæc sunt uerba: Editha filia Godvuini, Edvuardo regi nupsit. Quam quum uideres, si lite-ras omnium artium liberalium, quibus imbuta fuit, respiceres, inde certè stu pesceres. Animi sanè modestiam & speciem in ipsa commendares. Hæc ille (inquit Lelandus) ad Edithæ immortalitatẽ. Obijt uerò Editha, anno Chri sti 1075, nonis Aprilis.

VVARNERVS HOMELIARIVS. XXXIX. *Ex Bostono Buriensi.*

VVarnerus Homeliarius, Vuestmonasteriensis cœnobij monachus, ab ipsa adolescentia, sub dignis præceptoribus, doctas studiosissimè per-coluit artes, quòd eas duceret animi ornamento necessarias. Vtq; suorũ stu-diorum cursum sanctius absolueret, diuinis literis incumbens, concionato-ris officium ad multorum salutem exercuit: Homeliarius inde dictus. Vnde Bostonus Buriensis, memorabilium scriptorum collector diligentissimus, in insigni suo opere de Libris ac doctoribus, sic tradit: Vuarnerus (inquit) uir ornatus & eruditus, multa scripsit opuscula, præcipuè

Homelias ad uulgum, Lib.1.

Et alia nõnulla. Claruit anno salutis nostræ 1092, sub Guilhelmo Rufo An glorum rege, uaria componens.

GVIMVNDVS CANONICVS. XL. *Ex Lelando.*

GVimundus, ex sacellano Henrici Belloclerici, regis Angliæ, factus Au gustinianæ sectæ Canonicus, gloriam cum à literis, tum maximè à reli-gione, sibi ingentem planè comparauit. Huic Fridisvuidæ in Isidis uado, seu Oxonio, collegiũ, incolarũ negligentia collapsum, Rogerus Sarisburiẽsis episcopus maturo consilio contulit, anno à Christi incarnatione M. C. X I. ut Guilhelmus Malmesburiensis & Thomas Rudburnus authores sunt. Qui non inoperose insudans muneri, Canonicæ professionis homines in-troduxit. Hactenus Lelandus. Iudicia maneant penes lectorem.

ALEXANDER CANTVARIENSIS. XLI.

Ex Bibliothecis.

ALexander, Benedictinæ sectæ monachus, Cantuariensis, ad Seruatoris fanum, ardente quodam animi studio feruens, archiepiscopi Anselmi, qui Burgundus erat, lecturas ac sermones assiduè frequentabat. Vnde & theologus ex eo facto habebatur insignis, quòd in illo tam excęcato seculo, tanti uiri uestigijs (sine delectu tamen) indesinenter adhæreret. Scripsit ille tum demum, ut spicas ex messe colligens, ad Anselmum iuniorem, senioris Anselmi nepotem (fortassis filium) Buriensis monasterij, ni fallor, abbatem: quæ audiuerat ex eius ore, aut frequenti lectione,

Dicta eiusdem archiepiscopi, *Lib. 1. Compulis me uenerabilis abba.*

Et habet hic liber xix. capita. Claruit Alexander anno post natum Seruatorem 1120, sub rege Henrico primo.

GVILHELMVS CESTRIENSIS. XLII.

Ex Lelando.

GVilhelmus, Cestriensis cœnobij monachus (Lelando teste) unà cum pietate bonas excoluit literas: quo nomine & Anselmo Cantuariorũ archiepiscopo innotuit. Hic, ut patrono tam eximio, munere aliquo luculento, animi sui beneuolentiam apertè ostenderet, archiepiscopi laudes eleganti carmine complexus est. Aliud in eo exemplari, elegiacum carmen nõ ineruditum, de laudibus Anselmi, centũ & quatuordecim constans uersiculis, inueni. Sequitur ibidem & Epicedion, de morte eiusdem Anselmi: quod & uersiculos ducentos & decem computat. At, an hæc Guilhelmi Cestriensis industria scripta fuerint, an ab Eadmero Durouernensi, comite Anselmi notissimo, non temerè affirmo. Hucusq; Lelandus. Claruit Guilhelmus anno à Christi incarnatione 1110, uario metrorum genere plura componens.

RADVLPHVS ROFFENSIS. XLIII. EX *Gualtero Albanensi.*

RAdulphus, Roffensis ecclesiæ episcopus, ex eiusdem (ut fertur) urbis monacho constitutus, elaborata quadam industria, theologiam Christianam in scripturis sacris coluit. Cum post Anselmi mortem, Cantuariẽsis archiepiscopatus pastore quadriennio careret, Henricus primus rex hunc Radulphum (quem Gualterus Albanensis patrem uenerabilem, & Polydorus uirum probum, appellãt) tanquam ministrum idoneum, illi sedi assignauit. Qui inter occupationes uarias, accurata diligentia scripsit,

Quasdam Homelias, *Lib. 1. Intrauit Iesus in quoddam castel.*

E' uita migrauit hic pontifex, post annum octauum, quàm sedere cœperat, anno scilicet Domini 1121. Cantuarię sepultus, Henrico primo regnante.

SERLO PRESBYTER. XLIIII.

Ex Lelando.

SErlo presbyter, illustri genere ortus, Syredi & Leofledæ, Lelando teste, filius, ex decano Sarisburiensis ecclesiæ, factus est abbas Coriniẽsis monasterij, quod aliò nomine Excestriẽse dicebatur. Hic uir præclarè eruditus, plura scripsisse fertur: & claruisse anno à Christi Seruatoris natiuitate 1129, sub Henrico Anglorum rege primo. Serlonis huius mentionem faciunt Sylue ster Giraldus Cambrensis, & alij scriptores. Serlo etiam alius Parisiacensis dictus, in Lelandi collectaneis reperitur, qui rhythmos scripsit de filijs presbyterorum, lib. 1. Incipit, *Rex immortalis, qui longo tempore talis, &c.*

PETRVS BLADVNIVS. XLV. EX
Guil. Malmesburiensi.

PEtrus Bladunius, sub patris Benedicti instituto Malmesburiensis cœnobij monachus, & Guilhelmi Somerseti scriptoris clarissimi socius, tã carmine quàm prosa uir non mediocriter doctus extitit. Quærebat ille sedulò, quantũ eius temporis patiebatur infœlicitas, quorundam probioris uitæ monachorum acta describere. Et quoniam abbatem quendam Fantium nomine præ cæteris eius generis nouit, ab illo suum opus Heroico incepit carmine. cuius & hoc initium est: Vir probus & prudens, uir uerè cõsiliorum, &c. Pluraq; alia tam uersu quàm soluta oratione publicauit, ut Guilhelmus prædictus refert, in opere de pontificibus. Claruit anno uirginei partus 1130, sub Henrico primo Anglorum rege.

RICARDVS EBORACENSIS. XLVI.
Ex Lelando.

RIcardus, Eboracẽsis monachus, fani Mariæ, quod & Eboraci ad Isurum flumen magnificentissimè situm erat, uitam planè continentem adolescens duxit, bonis literis ac pietati unicè studens. Vnde & abbatis uicarius ibidem constitutus est. Maturis postea annis pertæsus uitæ, ut sibi uidebatur, non satis austeræ, Fontes commigrauit, duodeno monachorũ choro doctissimorum comitatus: ac Cisterciensiũ sectæ se addixit, anno à Christo nato 1132 primo nonas Octobris. Huius tam illustris chori sic meminit Hugo Kirchostallensis, in libro de Origine Fontani cœnobij: Egressi unà cum eo, Ricardus sacrista, Ranulphus, Thomas, Gamellus, Haymo, Rogerus de Svuella, Galfridus, Gualterus, Gregorius, Geruasius, Radulphus, & Alexander. Hæc ille. Quid ego dicam de horum eruditione? Vt breuiter suprema attingam, fuere suo seculo doctrinæ lumina. Sic Lelandus.

HENRICVS BELLOCLERICVS. XLVII.
Ex Lelando.

HEnricus Belloclericus, secundogenitus filiorum Guilhelmi Magni, à parto Angliæ imperio, ab ipsis teneris annis eloquentiæ & bonis artibus operam dedit. Quem uerò ex tam alacri & expedita in literis diligẽtia sit fructum consecutus, liber (inquit) quem ego annis abhinc decem casu reperi Durouerni Cantiorũ, in fano Augustini, indicabit: erat enim ex publicis regni decretis ab eo elucubratis & editis compositus. Vnde & leges etiam Henricianæ, nomine ab authore sumpto, dicuntur. Illud certè non est silẽtio transeundũ, quod Thomas Rudburnus historicus, monachus Vuintoniensis, Henrici his uerbis meminerit: Henricus primus, tertiò paterni regni anno natus, in liberalibus artibus in uniuersitate Cantabrigiensi suum primum protriuit tyrocinium. Scripsit Henricus epistolas ad Anselmum: & anno incarnati Messiæ 1135 obijt mortem, Rhedingi sepultus.

GILBERTVS DORCADIVS. XLVIII. EX
Henrico Huntingtonensi.

GIlbertus Dorcadius, literis à pueritia probè instructus, artium bonarũ studijs ita gradatim incubuit, ut sub Alexãdro Lincolniensi episcopo, Buchingamiẽsis patrię archidiaconus longè doctissimus haberetur. In quo constitutus officio, quotidie aliquid ad sapientiæ ac uirtutis cumulum adiecit, quo facilius cæteros ecclesiarũ ministros sub sua cura degẽtes, ad similia prouocaret. Versibus & prosa pleraq; Gilbertus composuit, sub Anglorũ regibus Stephano & Henrico secundo: ut Henricus Huntingtonẽsis, eius synchronus & Achates, in suo libro de Mundi contemptu refert.

BERNARDVS MORLANENSIS. XLIX. EX *Bostono Buriensi*

BErnardus Morlanensis, sectæ Cluniacensis monachus, homo tam carmine quàm prosa eruditus, à Bostono Buriensi in magno suo Catalogo, inter Anglicos scriptores numerat. Ita iuuentutē suam, multarū literarū exercuit lectione, ut earū inter suos commilitones monachos, peritissimus haberetur. Vnde composuit ille, ac Petro Cluniacensiū monachorū abbati primario tandem dedicauit,

De mundi contemptu, Lib.3. *Hora nouissima, tempora pessima.*
Versus de Mundo, Lib.1. *Vita mori mundo, sed mors est.*
De uerbi incarnatione, Lib.1. *Fit caput exangue, planta.*

Atq; alia nonnulla in utroq; scribendi genere edidit. Anno Domini 1140 claruisse illum Bostonus scribit. In ultimo eius opere colloquium est inter Gabrielem & Mariam.

GALFRIDVS HEMLINGTONVS. L. EX *diuersis authoribus.*

GAlfridus Hemlingtonus, ad fanum Albani (ut ex scriptis claret) monachus olim Benedictinus, inter alios scriptores à Lelando cōmemoratur. Qui in suis collectaneis refert, illū ex antiquis scriptoribus, Græcis & Latinis, rarissimarū historiarū fragmēta collegisse, & in quosdā disposuisse ac formasse libros, ad necessariū aliquē suæ posteritatis usum. Opusq; illud in quosdā libros tandē bono ordine digestū, eundē Galfridū abbati suo Radulpho dedicasse dicit. Gualtherus tamē eiusdē loci bibliothecarius, ipsi potius abbati tribuit illud opus, quàm Galfrido. Quócunq; uertatur, insignis erat per illam ætatem factura, à Galfrido titulum habens,

De gestis Macedonum, Lib.5.

Num alia Galfridus scripserit, nescio. Claruisse fertur anno incarnationis Dominicæ 1150, sub rege Stephano.

VVALDEVVINVS VVIGORNIVS. LI. *Ex Bibliothecis.*

VValdevuinus Vigenus, uel Vuigornius, honesto inter occidentales Anglos loco natus, & insolito quodā studiorū ardore cōflagrans, preceptores eximiè doctos ab infantia sua mirificè coluit. Qui inde insignis tandem bonarum literarū & celestis doctrinæ propagator effectus, ad Vuigorniēsem præsulatū à clero & populo uocatus & electus fuit. In quo præter alia multa, Latinè & eleganter congessit,

Sermones eruditos, Lib.1. *In tribus maximè debent.*

Cæterorum eius opusculorum nihil uidi. Hoc tamen luculentum eius sacrarum concionum opus, Nordouici & alibi adhuc manet.

ALFRICVS ALBANENSIS. LII. EX *Matthæo Parisio.*

ALfricus, abbas olim erat ad fanū Albani, qui uirtutis & eruditionis ornamēta lucida, à suis quādoq; preceptorib. adolescēs ac discipulus ualde bonus opulēter accepit. Istū Matthæus Parisius, in gestis Abbatū eiusdē cœnobij, magnis laudib. effert: dicitq; illū exarauisse Liturgiā quandā apprimè utilē, qua monachi deinceps utebātur. Sed quo tēpore, aut sub quo rege uixerit, nō lego.

GERVASIVS DE PARCHO. LIII. *Ex Lelando.*

GEruasius, monachus olim Benedictinus fani Mariæ, quod Eboraci Erigantiū celeberrimū tūc fuit: nō infimus ex duodenis illis unus erat, qui

arctioris

arctioris uitæ studio, Fontes, locum ad Schellam fluuiolum petierunt, ac Cistercienſium ſectæ ſe totos conſecrauerunt. Quales autem quantiq; fuerint, tū præterea qua eruditione inſigniti, malo ſtudioſus lector à Turſtino Eboracenſi, & Hugone Kirchoſtallenſi, rerum Fontanarū ſcriptoribus luculentis, quàm à me, ediſcat. Illud interim cōmodè ſignificabo: Hunc tandē Parſhenſis cœnobij prope Ludā oppidū ſiti, primū abbatē deſignatū fuiſſe. Ealredo abbati Rhieuallēſi poſtea familiaris, ei iniūxit munus edēdi librū, cui titulus, Speculū charitatis. Extat Geruaſij prologus elegās, elegāti huic libro præfixus: extāt & epiſtolæ ad eundē Ealredū. Alia ſcripſiſſe fertur, ſed quæ ego hactenus non uidi. Anno ſalutis noſtræ 1150 claruit.

VVINDIGNOTVS HISTORICVS. LIIII.
Ex Guil. Hormanno.

VVindignotus hiſtoricus, in hoc noſtro ſcriptorū Catalogo locum poſcit, & per me quidem faciliter obtinebit. Cum in Guilhelmi Hormanni uice præpoſiti Hetonenſis bibliothecam olim poſt eius mortem incidiſſem, in eius collectaneis fortunato caſu ſtatim reperi authorem hunc, Saxonum hiſtoriam quandam texuiſſe. Lętabar euentu, ſolo libri illius titulo contentus. Neſcio tamen, num idem iſte author ſit cum Vuindichino Saxone, Corbienſi monacho: quòd eius temporis mentionem non fecerit.

GODRICVS PRESBYTER. LV. EX SIMEONE Dunelmenſi.

GOdricus presbyter, uel ut alij quidā uolūt, Geruaſius, patriā Tranſabrinus uel Northūbrianus, in bonis literis ab adoleſcētia per bonos præceptores probè educatus fuit. Contigit ei multoties poſt annos maturiores, cum Simeone, Dunelmēſis cœnobij præcētore, monacho per illā ætatē doctiſsimo, familiarem habere conſuetudinem. Cui tandem in ſignum internę ſuæ amicitiæ, dedicauit opus ſuum, quod ſcripſit atq; intitulauit,

Vitam & uiſionem Orni, Lib. 1. *Simeoni monacho, uenerabili ſeruo.*

Claruit Godricus uel Geruaſius, anno à Chriſti natiuitate 1150, ſub Stephano Anglorum rege, uaria componens.

ROGERVS DE SARISBVRIA. LVI. EX *officinis Londinenſibus.*

ROgerus de Sariſburia, à natali loco inter Vilugios, ſeu ut Polydorus appellat, Vuilcerios, ſic dictus, in eius urbis collegio iuuenis bonas gnauiter excoluit artes. Cum ad maturiores annos hic perueniſſet, cura illi præcipua fuit, pro reformandis hominum moribus, in uerbi miniſterio laborare. Scripſitq; poſt uarios in ea functione labores, expoſitiones morales,

In Euangelia Dominicalia, Lib. 1.
Super Pſalterium quoq;, Lib. 1.

Alia eius opera non uidi. Claruiſſe fertur circa annum Domini 1160, unà cum Odone Cantiano, uiro etiam erudito.

HAYMO GLOCESTRIVS. LVII. EX Giraldo Cambrenſi.

HAymo Glocestrius, ſcholarum rector & magiſter in eadem urbe, uir ſua ætate literatiſsimus inter ſuos Anglos habebatur. Sacerdos (ut uocant) ſecularis erat: atq; inter Academicos ab adoleſcentia fœliciter uerſatus, lauream eius nominis facilè ſibi comparauit, editis opuſculis non contemnendis aliquot. Varia enim ſuo tempore ſcripta cōgeſsit, ut narrat Syluester Giraldus, in Speculo eccleſiæ, lib. 2. cap. 34. ſed titulos eorum non adducit. Claruit circiter annum Domini 1160, hic Haymo.

SAMPSON

SAMPSON DVROVERNIVS. LVIII.

Ex Lelando.

SAmpson Durouernius, uel Dorobernensis monachus, quo in loco fanum Seruatori sacrum est, assidua diuinæ scripturæ in primis animũ pascebat lectione. Senserat ex eo labore fructum quidem magnum: quo ne solus perfrueretur, latè fœlicia sparsit semina, frequenti ad populũ habita concione. Extant eius Homeliæ, opus elegans, eruditum ac pium. Extant & alia eius opuscula. Claruisse fertur anno 1170 à Christi natiuitate.

GVALTERVS ALBANENSIS. LIX.

Ex Bibliothecis.

GValterus Albanensis, Benedictini instituti monachus, & ad Albani fanum bibliothecarius ac præcentor, magnum à diuersis studijs eruditionis suæ nomen accepit. In omni enim disciplinarum genere exercitatus, tam exactus apud suos tum philosophus tum theologus habebatur, ut ipsi præ cæteris librorum suorum nobilium thesaurum committerent, & custodiam demandarent. Ille uerò, ut pulchrè responderet suæ functioni, ex omnibus ueterum ac nouorum authorum eiusdem cœnobij monumentis, insignem bibliothecam congessit: cui operi hunc addidit titulum,

De libris ecclesiæ, Lib. 1. *Prima pars Bibliothecæ à beato Hiero.*

De cæteris eius scriptis nihil lego. Claruit anno incarnati Redemptoris 1180, sub rege Anglorum Henrico secundo.

THORALDVS RHIEVALLENSIS. LX.

Ex Lelando.

THoraldus, monachus Rhieuallensis, Cistercienſium sectæ, uir elimatæ eruditionis, eò peruenit excellentię, ut sociorum facilè primus haberetur. Nec minor est de illo apud uicinos opinio. Mauritius monachus nõ indoctus, à Rhieualle ad gubernationem cœnobij Fontani uocatus est: quam ille non infœliciter obibat prouinciam. Atq; tandem studio quietis prouocatus, accersitum ad se Thoraldum istum (seu Thoratum, ut alibi scriptum reperi) abbatem Fontibus præfecit. Facti meminit Hugo Kirchostallensis, his uerbis: Hic curam resignauit Thoraldo, homini in scripturis sacris non mediocriter edocto, & in liberalibus artibus apprimè erudito. Claruit Thoraldus, anno Domini 1216, sub rege Ioanne, & composuisse pleraq; dicitur.

ALDRVIDVS MAGVS. LXI. EX LELANDO.

ALdruidus Magus, nomen mihi Saxonicum quiddam personare uideatur, quòd senem Drugonem latinè exprimit. Erat ille in penitioribus philosophię ac Magię exercitatissimus, ut manifestè apparet ex eius libello quem De quintis essentijs curiosulus cõposuit: quem & ego Londini in bibliotheca Dominicanorum (ad communem fortassis eorum fraterculorũ usum) aliquando extitisse noui. Cur autem hunc inter Anglos numerem (inquit Lelandus) prius attigi: & nunc pronuncio, me eius nomẽ inter scriptores Anglicos deprehendisse. Tantum ille.

GALFRIDVS BVRTONENSIS. LXII.

Ex Lelando.

GAlfridus, Burtonensis abbas monasterij, ad Terenti ripã mirificè contendebat, suam Spartam modis omnibus magnificã facere. Sed & animum huc præcipuè intenderat, ut Moduuennæ Hybernicę, fœminę incomparabilis, olim etiam Andreseiæ insulæ in Alueo, Terenti fluminis colle degentis, uitã & facta memorabilia posteris commendaret. Qui & hac ætate, anno scilicet Domini 1216, claruisse colligitur, sub Ioanne Anglorum rege.

RICAR-

RICARDVS KYNGESTHORPE. LXIII.

Ex Lelando.

RIcardus Kyngesthorpe, seu Regiosyluanus, Saxonicè Cuningesdorp, relicta patria facundam celebrauit Galliam, totus intentus operi literario: quo tempore Agnellus Pisanus, nouus Frãciscanæ religionis cultor, in Galliam uenit. Huius delectatus ille cõsuetudine, socium se Franciscanis iam seniculus presbyter adiunxit: & Cisalpinis primus, suæ sectæ paupertatem, sub Euangelij prętextu prędicauit. Accessere ibidem ad numerũ, Ricardus Deuoniensis, & Guilhelmus Etonus (qui sibi absciderunt testiculos, ut sine molestia seruarent cœlibatum.) hi quatuor bonis in Brytannia auibus, anno Domini 1227 peruenerunt, ac sedem primam Londini in Frumẽtario monte (signa mysteriũ) posuerunt: ut Thomas Franciscanæ scriptor historiæ enarrat. Coniuncti eis postea, Hugo Baldocus & Philippus quidam, cõcionatores erant. Etonus uerò, Oxoniũ unà cum Agnello & Essebio quodam Guilhelmo uenit: qui & scholã ibidem, suis iam numero auctis, posuit.

ALANVS BEVCLIF. LXIIII. Ex Lelando.

ALanus Beuclif, seu Bellocliuus, Sudouolca, non infimum Iliacorum scholasticorum decus, maximam à bonis literis laudem sibi peperit: et partam adeò Lutetiæ Parisiorũ auxit, lector philosophiæ publicus, ac sacræ lucidus scripturæ interpres, ut ornamentum planè eximium doctis Gallis uideretur. Non passus est tantam hominis gloriam Matthæus Parisius, fani Albani monachus, disperire. Quare in historia sua primum locum inter eruditos eius ætatis facilè ei tribuit. Claruit Alanus anno incarnati Messię 1230, uaria condens ac scribens, sub rege Henrico tertio.

RADVLPHVS MAIDESTON. LXV.

Ex Lelando.

RAdulphus Maideston, seu Vageniacensis, ab Henrico tertio Anglorũ Rege Magesetum, seu Herefordẽsium episcopus ordinatus fuit. Istum sexto sui pontificatus anno, arctioris uitæ studium (insania potius, aut diabolica superstitio in deliro sene) ab episcopatu ad collegium Franciscanorũ deduxit, cum uno abbate, ac monachis & sacrificulis, ut author est Antoninus in tertia Chronicorũ parte. Hi lapides (inquit) ad ædificia portauerunt: & relicto Dei filio, in Antichristo draconem adorauerunt, Apoc. 13. Claruit Radulphus anno 1250 ab incarnato Seruatore.

THEOBALDVS STAMPENSIS. LXVI.

Ex Guil. Hormanno.

THeobaldus Stampensis, de familia eorum qui seculares dicuntur sacrifici, idemq́ue literarum & artium candidus amator, à quibusdam ingenij sui fœturis immortale nomen accepit. Composuit hic opus, ad Robertum Capitonem, episcopum Lincolniensem, & hunc titulum illi dedit: De quibusdam in diuina pagina titubantibus, & planè contra claues ecclesiæ crepitantibus, temerè quædam definiendo, seu,

Contra errantem in theologicis, Lib. 1. *Quisquis prædicet, aut prædicando.*
Disputationes etiam aliquot, Lib. 1.

Et alia nõnulla scripsit. Claruisse eum ex scriptis cõstat, anno Christi 1250, sub Henrico tertio. Sunt qui tandem Cardinalem postea factum credant.

LAVRENTIVS ET BRIXIVS. LXVII.

Ex Lelando.

LAurentius & Brixius, genere ac natione Angli, & Dominici Caliguritani sectatores egregij, à literis insigniter cõmendati sunt, in Leandri

Alberti Bononiensis quinto de illustribus Dominicanis libro. Mea certè interest, eos in locum opportunè hic redigere: ne quod ille externus scriptor candidè obtulit, ego ingratus silentio præterijsse uidear. Anno à Christi incarnatione 1260 claruisse putantur, Henrico tertio regnante.

ROGERVS VVESHAM. LXVIII. Ex Lelando.

ROgerus Vuesham, inter Isiacos studiorũ gratia, multa fecit: tulitꝙ adolescens nomen tum optimæ indolis, tum spei longè maximæ. Prælegerat in scholis Franciscanorum, sed non Franciscanus: ab Agnello Pisano inuitatus Robertus Capito, ornamentum clarum sui seculi, & iam rude donatus, tanquam emeritus aliò se contulit. Successit in eius locum Vueshamus, qui nec unquam Minorita fuit: & rectè confecto munere, Capitonis beneficio, Lincolniensis ecclesiæ decanus fiebat, ac regis tandem munificentia Couentriensis episcopus. Qui claruit anno Domini 1260, ac scripta quædam edidit sub rege Henrico tertio.

THOMAS DE EBORACO. LXIX.
Ex Lelando.

THomas de Eboraco, quartus inter prælectores Franciscanos, qui Isidis uadum celebrabant: non minorem ex elimata lectione laudem accepit, quàm qui in eodem præcesserant munere. Id liquido ex eius seculi scriptoribus apparet: & maximè ex historia Thomæ alterius Franciscani. Catalogus quoꝙ illustrium Franciscanorum, meminit eius commentariorum in Ecclesiasten. Senio postremò ingruente, Eboracũ insignem sodalitio Franciscano urbem petijt: ubi prius uitæ diem primum, postea supremum uidit. Claruit anno Christi 1260, sub Henrico prædicto.

RADVLPHVS COLEBVRGVS. LXX.
Ex Lelando.

RAdulphus Coleburgus, Franciscanus: causam strenuissimè agebat literariam in scholis Isiacis, deinde uerò & Lutetiæ Parisiorum. Adamus Mariscus antesignanus prælectorum collegij Franciscani, quasi miles iam emeritus, prouinciam interpretandi sacras literas tanquam per manus Coleburgo tradidit. Ille alacer & planè expeditus, iniunctum pulcherrimè obibat munus, magno auditorum fructu, maioriꝙ sua gloria. Thomas Franciscanæ scriptor historiæ, honorificam huius Radulphi mentionem facit. Claruit anno salutis nostræ 1270, scriptor illustris, sub Henrico.

IOANNES BVRLAEVS. LXXI.
Ex Lelando.

IOannis Burlæi, Stanfordiensis cœnobij Carmelitæ, non celabo nomen: inquit Lelãdus. Fuit nempe ad Isidis uadum doctor theologus, per suam ætatem non indoctus. Is olim fouebat Guilhelmi Lidlyngtoni (de quo superius in quarta Centuria) partes, aduersus Gerardum Bononiensem, nominatissimum eius ætatis doctorem Italum, scilicet anno Domini 1303. floruitꝙ circiter primos annos Eduuardi Aruonij, uel eius nominis à conquestu primi. Qui & scripsisse memoratur in Porphyrium, Gilbertum, Aristotelem, ac Longobardũ, plusquam xxxvij libros. Decessitꝙ tandem Stanfordiæ, Lincolniensis prouinciæ emporio, & ibi senex est sepultus anno incarnationis Dominicæ 1332, regnante Edvuardo tertio.

GVILHELMVS VVICKHAM. LXXII. EX
Nicol. Brigamo.

GVilhelmus Vuickham (Vickeuanum Polydorus cognominat) natalium splendore illustris, ita omni uirtutum ac literarum genere se exercuit,

cuit,ut ingentem sui nominis in Anglia latè famam sparserit. Mortuò enim Gualtero Eboracensi archiepiscopo, in eius hic locum successit: & ut commemorat Nicolaus Brigamus, Latinæ linguæ interpres eruditus, in Venationibus rerum memorabilium, inter alia ipse scripsit,

Memoriale quoddam, Lib. 1.

Opus est uarijs doctrinarum generibus refertũ. Ex hac uita Guilhelmus migrauit anno Domini 1285, post sex annos quàm sedere cœperat, Eboraci sepultus, Edvuardo primo regnante.

ODINGTONVS MONACHVS. LXXIII.

Ex Lelando.

Odingtonus (ut ego accepi) monachus Eueshamẽsis fuit, idemq; philosophus ac mathematicus in primis illustris. Ac ne quis de meorum fide uerborum dubitet, malo ut æquus lector ab eius libris, quàm à nostra pronunciet oratione. Scripsit autem librum de motibus planetarum, qui & Theoricam refert, ac Almanac reuersionis eorum: quo in opere, Profacium Iudæum Anglicum secutus est. Bartheletus medicus mihi dixit, se aliquando legisse Odingtoni elegãtem de Mutatione aeris libellũ. Hæc Lelandus. Claruisse fertur Odingtonus anno Christi 1280, sub eodem Edvuardo.

PROFACIVS HEBRAEVS. LXXIIII.

Ex Lelando.

Profacius Hebræus, in Anglia olim (ut fertur) ex Iudæorum genere natus, cum in ea adhuc habitarent regione, uir erat in mathematicis scientijs ualde eruditus, & edidit, *Tabulam motus octauæ sphæræ, librum unum.* Istum in mathematicis studijs, ut iam dictum est, sequutus erat prædictus Odingtonus, monachus Eueshamensis. Claruisse colligitur Profacius, circiter annum post Christi aduentum in carnem 1260, eodem Edvuardo primo in Anglia fœliciter regnante.

EVSTACHIVS NORMANVYLE. LXXV.

Ex Lelando.

Evstachius Normanuyle, Franciscanæ sectę illustrator, inter Isiacos non exiguam sibi ab eruditione laudẽ peperit. Quam ut numeris omnibus integram perpetuò sibi conseruaret, quiescentis ab assidua lectione Coleburgi uices aliquando reparauit. Vnde fama illi, & planè immortalis, parta est, teste fidelissimo Thoma Franciscanorũ historico, his uerbis: Eustachius Normanuyle (inquit) prius magister artium, & doctor decretorũ, atq; cancellarius Oxoniensis, &c. Claruit Eustachius ille anno à Christi natiuitate 1280, sub Edvuardo primo.

GVILHELMVS RADYNGES. LXXVI.

Ex Bibliothecis.

Gvilhelmus Radynges, ex patria Bathoniensi, doctor & Carmelita, quum Templarij fratres per Clementem quintum Rom. pontificem, in Anglia, sicut in alijs regionibus, ad mortẽ quærerentur, ab Oxonio Londinum uenit, ut examinationes eorũ per episcopos audiret. Sedebant illic pro tribunali (ut uocant) Latiniacensis abbas Gallus, & magister quidam Haymo, cum Cantuariensi archipræsule Roberto Vuinchelseio, ut eos authoritate Papæ ad necẽ damnarent. Qui pontifex postea, consentiente Gallorum rege Philippo, in Viennensi concilio totum eorum proscripsit ordinem: quòd idololatrijs (ut dicebant) atq; alijs sceleribus dediti essent, tenerenturq; amore masculorũ fœdissimo (quæ tamen Papistarũ ac sectariorũ monachorũ cõmunes uirtutes erant, sub specioso cœlibatus uocabulo) sunt

nihilominus scriptores aliquot, qui propter eorũ diuitias, gazas regias excedentes, id per eos fieri contendant. Guilhelmus uerò, collectis articulis ac rationibus, cum nominibus accusantium, ex quibus & ipse fuerat unus, ac respondentium, chartis commisit,

Examinationes Templariorum, Lib.1. *Ad perpetuam rerum memoriam.*
Ordinarias quæstiones, Lib.1. *Vtrum uiator inuitè mereri.*

Et alia quædam edidit. Claruit anno salutis humanæ 1312, post prædictum Viennense concilium, uaria componens ac scribens, Edvuardo secundo regnante.

Horribilia illa mala, pro quibus damnati & exusti Templarij narrantur, Henricus octauus illustrissimus Anglorum rex, in suis monasteriorum uisitationibus, inter omnis generis monachos regnare comperit: & ea proinde funditus euertit, anno Domini 1538. At sub Maria filia Rom. Antichristo uires in Anglia recuperante, anno Domini 1554, denuò redire ac reuiuiscere per omnia obscœnitatum & carnalium fœditatum genera cœperunt.

HENRICVS BRISYNGHAM. LXXVII.

Ex Lelando.

HEnricus Brisyngham, celeberrimi nominis Minorita, Isiacos, chorum eruditissimum, Isiacus & ipse coluit. Seculum uerò, in quod incidit, nõ erat infelix: nisi quòd infinita elenchorum uis aliquanto importunius se in scholas ingessisset. Franciscanis, primas in sacrarũ literarum interpretatione cathedras sibi dari poscentibus, & Dockingo eo in labore ferè deficiente, Henricus uices eius industria expedita suppleuit. Prælectionem theologicam, numero inter suos octauus exegit. Claruit Brisyngamus anno Christi 1280, uaria condens, sub Edvuardo primo.

GVALTERVS DE EXCESTRIA. LXXVIII.

Ex Bibliothecis.

GValterus de Excestria, Deuoniensis patriæ alumnus, & cuiusdã Mendicantium fraterculorum professor sectæ (Dominicanum fuisse puto) ad instantiam Baldvuini cuiusdã, ciuis Excestriensis urbis, anno à ueri Messiæ natiuitate 1301, apud S. Carocum in Cornubia manens, uitam scripsit Guidonis, inclyti olim Vuarvuicẽsis comitis, libro uno. De alijs eius opusculis nihil adhuc inuenio. Vixit Gualterus sub Edvuardo prædicto, in historiarũ cognitione non ultimus.

ANDREAS DE NOVO CASTRO. LXXIX.

Ex Phil. Vuolphio.

ANdreas de Nouo castro, Dominicanorum ordinis doctor, scientiæ indagator acerrimus, tam diuinarum quàm humanarum doctrinarum eruditissimus, uita, moribus & honestate pollens, inter cætera studij sui monumẽta reliquit ad posteritatis usum ac lectionẽ, opus quod impressum est,

Super Sententias, Lib.4.
In Boetium de consolatione Phil. Lib.5.

Et alia plura. Claruit anno incarnationis Dominicæ 1300. Hæc Philippus Vuolphius, in 3. libro de Vitis peritorum uirorum.

ROBERTVS VVINCHELSEA. LXXX.

Ex Lelando.

RObertus Vuinchelsea, adolescens Oxonij in Martonensi collegio, philosophiæ operã dedit. In qua cum iam bene profecisset, animum ad altiora adiecit. Quæ ut facilius consequeretur, Lutetiam urbem eruditis artibus florentissimam profectus est. Vbi post labores & uigilias, sacrarum literarum

rarum cognitionem assecutus, theologiam magna cum celebritate profitebatur. Et ecce statim redeunti fortuna tam blandè arrisit, ut esset Ostrosaxonum archidiaconus, ac tandem post Peckanū Cantiorum archiepiscopus. Addo hoc ad coronidem, quòd domi forisq; multa scripserit: sed sola se mihi obtulerunt Decreta prouincialia. Diem obijt Robertus anno Domini 1313, exactis in archiepiscopatu xix annis.

PHILIPPVS BASTONVS. LXXXI.

Ex Lelando.

PHilippus Bastonus, Notingamiensis ditionis alumnus, & eiusdem urbis cœnobij Carmelita, Roberti Bastoni, poetæ per illam ætatem celeberrimi, germanus frater erat. Qui Robertus, cōductus ab Edvuardo secundo Anglorum rege, Striuelinum bellum carmine celebrauit: & captus à Scotis, illorum exinde cantauit uictoriam. Philippus autem, in Isidis uado ad literas educatus, inter cætera composuit,

Epistolarum opus, Lib. 1. *Venerabili cœtui magistrorum.*
Conciones quoq;, Lib. 1.

Atq; alia. Claruit anno salutis Christianæ 1320, sub eodē Edvuardo rege: & Notingamij demum obijsse dicitur.

GALFRIDVS KILMYNGTON. LXXXII.

Ex Lelando.

GAlfridus Kilmyngton, studio discendi conflagrans non uulgari, Martonenses Isidis uadi cultores coluit. Inter quos, & philosophiæ & theologiæ titulis clarus, eò peruenit, ut primæ scholasticorum theologorum classi tanquam signifer adscriberetur. Catalogus recensens claros Martonensis collegij alumnos, claram Kilmyngtoni tum eruditioni tum libris ab eo scriptis attribuit laudem. Tantum Lelandus.

IOANNES TORSBY. LXXXIII.

Ex Bibliothecis.

IOannes Thorsby (quem Toresbium in 19 Chronicorū libro Polydorus cognominat) ex Angliæ cancellario Eboracensis archiepiscopus factus est circa annum Domini 1348. Qui cum uideret populum nihil habere lucis Dei, ex illis omnibus quæ latinè sub Antichristo in templis agebantur, nec eorum intelligere quicquam: Symbolum fidei, Orationem Dominicam, & mandata Decalogi, in Anglicum sermonem transtulit: atq; ad ecclesiarum pastores pro docendis laicis misit, quasi

Catechismum doctrinæ Christianæ, Lib. 1. *Attendite populus meus legem.*
Processum contra fratres Mendicantes, Lib. 1. *Pridem sanctissimus in Christo pater.*
Ad ecclesiarum pastores, Lib. 1.

Et alia scripta congessit. Huic, dum esset regni cancellarius, commentarios suos in Aristotelis Ethica Ioannes Baconthorpius dedicauit. Reliqua de ipso, in sexta Centuria uide.

ADAMVS BVCKFELDE. LXXXIIII.

Ex Lelando.

ADamus Buckfelde, nullo non genere Peripateticæ prudentiæ per suā ætatem, inter eos qui Aristotelem amabant, enituit. In naturalium ac supernaturalium rerum explanatione, illo authore maximè usus est: & eius explicare dogmata frequenti suo auditorio, in summis habebat delicijs. Scripsit iste post uarias in scholis artium lectiones,

Commentarios in Metaphysicam, Lib. 12.

Cętera eius scripta, quæ multa erant, non uidi: neq; quo tempore aut sub quo rege claruerit, noui.

SIMON MEPHAM. LXXXV. Ex Lelando.

SImon Mephã, celeberrimi nominis theologus, aliquandiu Cissæ, alias Cicestriæ, inter Canonicos, quos uulgò Præbendarios uocant, Canonicus & ipse, uixit. Sed quæ erat hominis uirtus & eruditio, nõ potuit diutius latêre: quin ab Edvuardo eius appellationis tertio, ad Cantiorum archiepiscopatum euocaretur. Decreta quædam prouincialia, facto cõuentu statuit, & edito libro publica fecit. Cætera ad oculos meos non peruenerunt. In annalibus Iohannis Burgensis reperitur, anno Domini 1333. Mephamũ obijsse, sexto pontificatus anno.

IOANNES BAMPTON. LXXXVI.
Ex Lelando.

IOannes Bampton, ex occidentali quadam Anglorum regione, Carmelitanæ professionis monachus, in Grantana Giruiorũ, quã nunc Cantabrigiã uocãt, Aristotelicis inuigilauit artibus: tandemq; supremo theologi titulo donatus fuit. Acutum habebat ingenium, eratq; sophisticis cautelis summopere deditus. Extat in hunc usq; diem opusculũ eius, octo quæstionũ,

De ueritate propositionum, Lib. 1. Quæro de ueritate istius quæst.
Lecturas scholasticas in theol. Lib. 1.

Et alia quædã edidit, sed omnino sophistica. Claruit anno à Christi natali 1340, sub Anglorum rege Edvuardo tertio.

GVILHELMVS ANGLICVS. LXXXVII.
Ex Bibliothecis.

GVilhelmus Anglicus, aliud nõ reperio sibi inditũ cognomẽ, fundamẽta utriusq; disciplinę, philosophicę ac theologicę, ut tunc erãt, Oxonij satis fœliciter iecit. In ea enim academia, bonarũ artiũ collegiũ quoddã est, ab Edvuardo secundo Anglorũ rege constructũ, quod Orial uocatur. In eo nanq; huius doctoris ac prælectoris opuscula quædã inueni, scilicet hæc:

De incarnatione uerbi, Lib. 1. Prælibato tractatu de Anima.
Commentarium de Anima, Lib. 3.

Reliqua eius scripta, quamuis plura fuisse credantur, non uidi: nec quando uixerit, aut quo fato functus fuerit, noui.

ROGERVS YONGE. LXXXVIII.
Ex Lelando.

ROgerus Yonge, aliàs Iunius, in Mathesi uir apprimè eruditus: putabat inglorium ualde sibi esse, thesauros multa lectione, industria, experientia etiam collectos, ignobiliter abscondere. Quare cupiens posteritati non modò gratus, uerumetiam utilis esse: librum de Computo, aptum, elegantem, ac undecunq; excussum, obtulit. Cætera eius opera nõ uidi. Hæc Lelandus, in quarto libro de Viris illustribus.

BRICKMORVS SOPHISTA. LXXXIX.
Ex Lelando.

BRickmorus Sophista, in scholis Isiacis, seu Oxoniensibus, eximia magni ingenij signa præ se tulit. Extitit enim non modò acutissimus dialecticus, uerumetiam in naturalium rerum cognitione uel exercitatissimus. Argutè quidem & callidè in scholis disputabat: ac laudem inde non morituram sibijpsi peperit. Vtq; intellexerat, auditores acumine suo tum captos tũ detentos, quæ Aristoteles dialecticè scripsit, ille cõmentarijs eo seculo commendatis, sedulus illustrauit. Extant eius Hypomnemata,

In Elenchos Aristotelis, Lib. 2.
In Topica eiusdem, Lib. 4.
In priora quoq;, Lib. 2.
Etiam in posteriora, Lib. 2.

Atq; alia nonnulla. De tempore autem, uel anno, quo ipse claruerit, tanquam incertus, nihil pronuncio.

IOANNES ANDEVER. XC. EX Rob. Talboto.

IOannes Andeuer, ex Hamptonensi patria uir probus & doctus: Oxonij post studia profanarum literarũ, in re theologica tam diu sudauit, donec eos acceperit à magistris titulos, qui tam sanctæ professioni deferri solent. Nullum doctrinæ genus Christianis necessarium magis putauit, quàm id quod Ioãnes diuinus Apostolus, ecclesijs post Christum proposuerat. Illud ergò, tanquam Christianę theologiæ compẽdium, magno labore exponendum suscepit: ac tandem scripsit,

Lecturam in Apocalypsim, Lib. 1. *Oportet te iterum prophetare.*
Postillas scripturarum, Lib. 1.

Nihil aliud ab illo editum, apud scriptores nostros adhuc reperi: nec; quo tempore, aut sub quo rege uixerit, noui.

GVALTERVS HESTON. XCI. EX *Lelando.*

GValterus Heston, *Carmelita Stanfordiẽsis*, Grantanæ scholæ (sic Cantabrigiam appellat) in literarum studijs alumnus fuit. *Theologiam in primis disceptatricem ac scholasticam ibidem* summopere coluit: unde illi & *nominis accreuit titulus*, hac accessione, ut post *doctoratus insignia*, suorum fratrum præses in diuersis Angliæ cœnobijs designatus sit. Edidit ille,

Quæstiones de Anima, Lib. 3. *Quæstio est, an scientia.*
Propositiones quasdam, Lib. 1.

Et alia plura. In precio fuit circa annum à diuini uerbi incarnatione 1350, & obijt demum Stanfordij Lindorum.

EADMVNDVS BROMEFELDE. XCII. Ex *Lelando.*

EAdmundus Bromefelde, Bedericensis, seu ad fanum Eadmundi martyris in Sudouolgia monachus, tam insigniter eruditus fuit, ut facilè crediderim, nullum unquam in illo collegio fuisse eruditiorem. Ex quodã Tinensis monasterij Chronico didici, Bromefeldum Romæ studuisse, & eò doctrinæ peruenisse, ut apud Palatinos, Palatinus & ipse, *in magno honore* esset, quod publicè illic prælegeret. Insuper, *nec est prius in Angliam reuersus*, quàm esset à Rom. pontifice *in episcopũ Tauensem*, aliàs Landauensem designatus, anno Domini 1389. Taua autem antiqua & *celebris urbs est* Cambriæ, à flumine Taua, in cuius *ripis sita est*, sic dicta. Vixit regnantibus Eduuardo tertio & Ricardo secundo: obijtq; anno Domini 1391, *in sua sede sepultus.*

THOMAS VVINCHECOMBE. XCIII. Ex *Botonero.*

THomas Vuinchecombe, Vuigorniensis patriæ alumnus, & Eoueshamensis monasterij ordinis S. *Benedicti monachus*: studio quodam discendi ardentissimo, pro scientijs adipiscẽdis, Oxonium & alia quędam Anglorum gymnasia petijt impiger. Talemq; in illis, *partim legendo*, partim etiam docendo & scribendo, gloriam sibi comparauit, qualem nec ætas

hæc nostra cantitare adhuc cessat. Scripsit hic demum historiarum amator, inter alia multa, Chronicon sui cœnobij: ut Guilhelmus Botonerus, Bristollensis ille, in Anglicis antiquitatibus refert.

AEGIDIVS DE FOENO. XCIIII. Ex Lelando.

AEgidius de Fœno, quem Lelandus noster Anglum esse pronunciat, rerum naturalium indagator insignis ac philosophus, academias illas, quæ Oxonij & Lutetiæ nobilissimæ sunt iuxtà ac antiquissimæ, labore excolebat uel rarissimo. Vnde factum, ut & ipse philosophis ac theologis se socium illic adiungeret. Quę sors studij tam faustè ei illuxit, ut inter eos non infimum acciperet locum. Multa ille scripsit, uir suo seculo undecunque doctissimus, præsertim

Contra flagellatores, Lib.1. *In quodam sermone ad populum.*
De uegetabilibus & plantis, Lib.1.

Et alia. Opus aduersus flagellatores, Oxonij est in collegio Reginæ. Plura de hoc Aegidio Lelandus & alij prædicant.

GVILHELMVS ALBANENSIS. XCV.
Ex Bibliothecis.

GVilhelmus Albanensis, ad fanum Albani martyris monachus, aliquorum sodalium cœnobitarum admiratus cùm uirtutes tum doctrinam egregiam, cœpit & ipse illis incredibili bonarum literarū studio adhærere. Tandem emeritus eruditi uiri nomen, exhibuit rem titulo planè nō inferiorem. Prędicti nanque martyris Albani passionem bellè descriptam, ab Anglico sermone in Latinum eleganter transtulit,

Ad Simonem eius loci abbatem, Lib.1. *Reuerendo patri ac Domino.*

Et alia fecit multa. Claruit anno à Seruatoris nostri natiuitate 1170, sub Henrico secundo Anglorum rege.

THOMAS VIRLEY. XCVI.
Ex Lelando.

THomas Virley, inter nostræ nationis theologos & diuinæ professionis magistros, meritum exposcit locum, ut qui in ea cultura nonnihil laborauerit. fuit uir suo seculo ex frequentia theologicarum lectionum alicuius nominis: paucissimis tamen nostræ ætatis hominibus de nomine quidem nunc cognitus, tantum abest ut aliquid eius librorum publicis teratur manibus. Ego tamē (inquit Lelādus) reperi illū scripsisse luculētos cōmentarios,

In D. Pauli epistolas omnes, Lib.14.

Atque alia quædam, quæ adhuc extare dicuntur. Sed quo tempore claruerit, aut sub quo Anglorum monarcha, non reperi.

RICARDVS DEPEDALE. XCVII.
Ex Lelando.

RIcardus Depedale, Lynnensis oppidi maritimi, in Nordouicensi comitatu Carmelita & doctor, florebat, literarum (ut multi erāt id temporis monachi) amator maximus, & qui bona tempora melioribus studijs impendebat. Est enim Lymna celebre Icenorum, seu Volcarum aquilonarium ad Isidis ripas emporium: in quo finitis studijs, per multos annos optabiliter & cum nō uulgari nominis fama uixit. Accreuit illi laus magna, editis interim concionibus atque lecturis publicis. Et ut paucis absoluam, chartis ille utiliter commendauit, Sermones

De uita Christiana, Lib.1. *Conuersationem uestram habentes bonam.*

Num plura adhuc scripserit, mihi non cōstat. Sed hoc satis cōstat, in precio fuisse illum anno Domini 1380, regnante Ricardo secundo.

GVI-

GVIBERTVS BRISTOLLENSIS. XCVIII.

Ex Lelando.

GVibertus Bristollensis, alij Vuibertum appellāt, abbas insignis monasterij de Bristovue ad fanum Augustini: philosophiam Aristotelicam & literas sacras per suam ætatem apprimè coluit. Sonat enim Bristollum, Saxonicum uocabulum, Latinè illustrem locum: quem olim ueteres authores cum suo Ptolemęo, Ventam Belgarum uocabāt: estq; nunc urbs in Somersetensi patria ualde celebris. Huius urbis alumnus Guibertus, inter alia multa composuit,

Historiam sui temporis, Lib. 1.
Sermones aliquot, Lib. 1.

Hęc pauca sunt, quę de hoc authore dicenda suscepi. Quod facundia destitutus fuerit, non authoris, sed ætatis uitium iudico.

ADAMVS POVNTNAY. XCIX.

Ex Bibliothecis Londini.

ADamus Pountnay, quem & Paruum quidam authores cognomināt, dignissimus plane docti scriptoris titulo: usque adeò humanioribus iuxta ac diuinis adhærebat studijs, ut nullam putaret collocatam horam, nisi in bonorum librorum lectione. At incuria sui temporis scriptorum, obscurū eius nomen huic nostro reliquit seculo: quamobrem certè indoleo, utpote destitutus in causa honesta præsidio. In quibusdam tamē Londinensium bibliothecis obtulerunt se mihi huius authoris codices, quorum sunt tituli,

Tractatus Logices, Lib. 1. *Penes tractationem terminorum.*
Super dictionibus Bibliorum, Lib. 1.

Et in hoc posteriori eius opere, Alexandrum Neckamū, theologum insignem, est probè imitatus. Aliaq; plura congesit.

IOANNES DASTINVS. C.

Ex officinis.

IOannes Dastinus, alcumisticæ artis ætate sua primus, & in Anglia magister unicus, inanissima uanitate plura protulit: pollicebaturq;, quæ natura nullo modo aut attingere aut pati possit. Huius fuci, uel impunis impostura penetralia omnia tam solicitè perscrutatus est, ut experimēta nescio quæ præstigiosa, magnis ausis aggressus sit condere, & in lucem emittere. Notior mihi nulla ex parte hic author magis est, quàm editis earum inuentionū libris. Composuit enim mirabilis ille artifex, naturam omnem superare tentans, uisionem suam,

Super arte Alcumistica, Lib. 1. *Cum natura ipsa effectus sit fortior.*
Visiones adhuc alias, Lib. 1.
Secreta secretorum, Lib. 1.
Speculum philosophorum, Lib. 1.
Sapientem Aurinum, Lib. 1.

Aliaq; multa scripsisse eum fama refert, quæ hucusq; apud eius artis homines manent. De arte Alcumistica hi uersus scribuntur:

Ars suspecta probis, ars ipsa inuisaq; multis,
Inuisos etiam cultores efficit artis:
Mendaces adeò multi manifestè uidentur,
Qui seipsos aliosq; simul frustrantur inertes.

CENTVRIAE DECIMAE SCRIPTORVM BRYtanniæ Finis, authore Ioanne Baleo.



IOANNIS BALEI SVDOVOLGII, ANGLI, DE SCRIPTORIBVS BRYTANNIAE Centuria undecima, ex diuersis authoribus, Lelando præsertim, collecta.

GVILHELMVS TYRENSIS. I.
Ex Bello sacro.



GVILHELMVS Tyrensis, Anglicus, à patria sua peregrinus, Canonicorũ regularium in ecclesia Dominici sepulchri prior olim erat Hierosolymæ, ac postea primus Latinorum Tyrensium archiepiscopus post urbis liberationẽ constitutus, ut alter Guilhelmus refert in historia Belli sacri lib. 13. & 14. Ita illum mores incorrupti cum doctrina sana, Balduuino Hierosolymorum regi per eos dies commendabant, ut à Guaremundo patriarcha in archipræsulem eo præcipiente consecraretur: cui Honorius secundus Rom. Pontifex postea pallium concessit. Scripsisse hic dicitur,

Ad Bernardum Antiochenum, *Epist. plures.*

Et alia quædam. Relicto carnis onere, ad Christũ hic migrauit anno Domini 1130, postquã eandem ecclesiam 12 annis rexisset. Quartus iste fuit ante Guilhelmũ alterum, eiusdẽ sedis archiepiscopũ, qui prædictã historiã fecit.

ROBERTVS GLOCESTRIAE COMES. II.
Ex Galfrido & Pontico.

ROBERTUS, Glocestriæ comes, & illustrissimi Henrici primi Anglorũ regis ex concubina filius, ac Mathildis Augustæ frater: ille erat, ad quem, tanquam ad principem in literarum cognitione ualde insignem, Galfridus Monumetensis suum dedicauit opus de Brytannorum origine, adiectis his uerbis: Opusculo meo, Roberte dux Claudiocestriæ, sic faueas, & te monitore teq́ præside sic corrigatur, ut nõ ex meo fonticulo censeatur exortum, sed sale Mineruæ tuæ conditum. Illius æstimetur editio, quem Henricus illustris Anglorum rex generauit, quem philosophia liberalibus artibus erudiuit, quem innata probitas in militia præfecit, &c. Huius & Pontici Virunnij testimonijs, aliqua Robertus uidetur edidisse opuscula: sed, ut uerum fatear, illa nec tetigi, nec uidi.

Contra Stephanum Anglorum regem, sororis Imperatricis nomine, anno salutis nostræ 1140 exercitum parabat, regemq́ cæpit, & captiuũ Bristollij tenuit, donec & ipse ab eius hominibus caperetur. Quod cum fieret, principes permutatione quadam statuebant, ut uterq́ liber abiret.

HILDEVVINVS THEOLOGVS. III. *Ex Rob. Talboto.*

HIldevuinus Theologus, suo seculo uir pius, inter literarum proceres locum tenuit honorificum: quem & utriusq́ philosophiæ, moralis ac naturalis cognitio, & sacrarum scripturarum assidua meditatio, eò demũ euexerant. Theologus acutus, idemq́ concionator uehemens erat: quo calculo repressit fluxa & indomita uitiosorum hominum corda, Deiq́ timorem auditorum mentibus altius infixit. Extãt eius opera plura, copioso labore, nec impari felicitate conscripta: & inter ea,

Sermones ualde utiles, *Lib. 1. Cœli enarrant gloriam Dei.*

Comparuit hoc sermonum opus, inter alia multæ uetustatis exemplaria, Nordouici in musæo Roberti Talboti, uiri doctiss.

VVIGMO-

VVIGMORVS HOMELIARIVS. IIII.

Ex Bibliothecis.

VVigmorus Homeliarius, à frequenti concione sic dictus, uir sua ætate non contemnendæ cùm lectionis tum doctrinæ fuit. Non minorem ille ex elimata eruditione laudem accepit, quàm qui ipsum in eodem per longæua tempora præcesserāt munere. Id liquidò ex eius apparet cōcionibus, & maximè illis quas in amici Ricardi Graftoni, regij olim impressoris, officina reperi. Iste cum inutili seruo talentū sui Domini non fodit in terrā, sed ad animarum lucrum exposuit, in uolumenq; redegit, ac scripsit,

Sermones per Aduentum, Lib. 1. *Ecce rex tuus uenit tibi.*

Sermones per totum annum, Lib. 1.

Et alia multa composuisse dicitur, quæ tamen ad meam non peruenere noticiam, neq; quo uixit tempore.

RICARDVS BELGRAVE. V.

Ex Lelando.

RIcardus Belgraue, Carmelitanæ professionis monachus, ex Cicestriensi patria oriundus, Grantę Giruiorum seu Cantabrigiæ, bonis se totum addixit artibus, unde & in theologicorum magistrorum numerum tandem relatus est. Nihil hic prius habuit, quàm Aristotelicorum & Longobardicorum authorū scripta cōtrectare: & tanta cum uoluptate, ut laudem inter sui similes inde comparauerit. Stylo ille usus erat de more eius temporis, scholastico scilicet, tam in lecturis publicis, quàm editis etiam libris. Et scripsit,

Determinationum theologicarum, Lib. 1. *Vtrum essentia diuina posit.*

Quæstionum ordinariarum, Lib. 1.

Et alia eius generis plura. Floruit anno à nostræ salutis origine 1320, sub Edvuardo secundo eius nominis Anglorum rege.

IOANNES FLETE. VI.

Ex Nicol. Brigamo.

IOannes Flete, Benedicti Nursini sectator strenuus, & Vuestmonasteriensis cœnobij alumnus ac presbyter, non modò eruditione, sed & morum probitate clarus effulsit, maximæq; in legendis historiarum authoribus industriæ extitit. Degenerabant illis temporib. à sua puritate genuina, & artes & doctrinæ, unà cum Latinæ linguæ elegantia: perstrepebatq; in scholis nescio quæ inanis sophistarū garrulitas. Vt tamen Fletus noster posteritati gratus haberetur, de fundatione Vuestmonasteriensis ecclesiæ & cœnobij congessit

Insigne Chronicon, Lib. 1.

Homelias aliquot, Lib. 1.

Aliaq; nonnulla, quibus suum adhuc elucet nomen: ut Nicolaus Brigamus in Memorabilium rerum uenationibus refert.

GVILHELMVS BATHONIENSIS. VII.

Ex Lelando.

GVilhelmus Bathoniensis, inter Somurotriges seu Somersetenses homines natus, & cuiusdam nobis ignoti mendicantium ordinis monachus, scholas Isiacas, nescio an Grantanas, animo erga doctas artes flagrantissimo petijt. Altiora principiò iecit in naturali rerū cognitione fundamenta. Quo opere absoluto, maiestati diuinarum rerum se addixit, pedemq; fortius ibidem fixit. Postremò cōcionator facundus, idemq; bonus, simplicem perdocuit populum. Deinde & Homeliarum uolumen elegans, aptum, rotundum, piumq;, à docta legendum posteritate, in lucem protulit.

FRISINGFELDVS GRAMMATICVS. VIII.

Ex Bostono Buriensi.

FRisingfeldus Grammaticus, ex Sudouolgarum patria uir clarus, humaniores artes magna per suam ætatem cum felicitate docuit, & quorundam nobilium uirorum filijs in ea caligine non parũ profuit. Et ut aliquibus demum monumentis literarijs insigniretur, suiq; memoriam posteris exhiberet, composuit inter alia,

Practicam Grammatices, Lib.1. *Commoda prouenire pueris.*
Verbarium quoq;, Lib.1. *Cum sit necessarium ante omnia.*

Hi solum habentur librorum eius tituli, apud Bostonũ Buriensem in Catalogo scriptorum ecclesiæ: qui tamen eius non ponit tempus.

BRINKELAEVS MINORITA. IX.

Ex Bibliothecis.

BRinkelæus Minorita, Oxoniensis gymnasij sophisticus doctor, ac scriptor antiquus, celeberrimas sui ordinis scholas inibi sitas, tanto animi feruore coluit, ut suis consodalibus, in penitiori argumentalis prudentiæ cognitione mirificus haberetur. Longobardi locos communes, quos sententias illi uocant, & alia scholasticæ doctrinæ mysteria, ualde subtiliter in ipsis scholis, auditoribus suis exposuit: ac tandem scripsit

Lecturam Sententiarum, Lib.4. *Vtrum per aliquam disciplinam.*
Distinctiones scholasticas, Lib.1. *Ad sciendam primam originem & fin.*
Determinationes quoq;, Lib.1. *Sit aliqua conclusio theologiæ.*

Et alia eius generis nonnulla, quibus magnopere tum placebat. Claruisse fertur anno Christi 1310, sub Edvuardo secundo.

GALFRIDVS BABION. X. Ex Lelando.

GAlfridus Babion, celebris aliquando in Anglia concionator, & iniqui cõtemptor ocij, animũ sacrarũ scripturarũ lectione exercebat, ac spiritualium rerũ meditatione crebrò recreabat. Vir fuit ingenti literatura præditus, & qui Anglorũ populis magna cũ laude scientiã salutis assiduè ꝓponebat. Literisq; post multos in Christi uinea labores nouissimè cõmendauit,

Super potestate Regia, Lib.1. *Dicit apostolus Paulus: Non est potestas.*
Sermones quoq; plures, Lib.1.

Atq; alia. Plures sunt qui huius scriptoris mentionem faciunt: sed tempus in quo uixerit olim, non addunt.

ADAMVS SAXLINGHAM. XI.

Ex Lelandi collectaneis.

ADamus Saxlingham, Nordouolgianæ regionis Carmelita, uiriles attingens annos, in Cantabrigiensi gymnasio, artibus illis quæ tunc in precio fuerant, diligentissimus inuigilauit. Qui utriusq; eruditionis, diuinę, ut uocant, & humanæ nomine clarus, ac theologiæ candidatus, ut & eius fama apud posteros continua maneret, Latinè concinnauit,

Conciones à se editas, Lib.1. *Amice, accommoda mihi tres panes.*
Disputationes quoq;, Lib.1.

Et alia quędam. Claruit anno à nato in salutem nostram Christo 1350, dum Edvuardus tertius in Anglia regnaret.

ROBERTVS CHESTRE. XII.

Ex Lelando.

RObertus Chestre, uel de Cestria, in eadem, ut apparet, urbe oriundus, rerum mathematicarum candidus amator, atq; idem illustrator, nomẽ decusq; à studijs suo sibi peperit seculo, quæ nec adhuc quidẽ elanguerunt.

Cestria

Cestria ciuitas est in cornu Vuallici sinus ad septentrionē sita, urbsq; Legionum olim dicta, & Dea flumine alluitur, quod procul ab ea circiter passuum millia sex in Oceanū se emittit. Extat huius Roberti de Astrolabio libellus, iudicio scriptus planè acerrimo. Coniectura tantum mea est (inquit Lelandus) hunc authorem circiter Ricardi secundi imperium, in precio stetisse.

GVILHELMVS READE. XIII.

Ex Lelando.

GVilhelmus Reade, Martonense illustrauit collegium, partim eruditione sua insigni, partim etiā collatis librorum thesauris, exædificata nobili bibliotheca. Inter cætera cura fuit illi mathesis maxima: unde & eius tabulæ Astronomicę natę sunt. Hęc iuuenis. Maturior uerò factus, theologiæ impendiò insudabat: ac eius professionis dignitate suprema insignitus, fit tandem episcopus Cicestriensis, quo tempore Ambrolegæ prope ripas Aruntis fluminis, castellum operis egregij erexit. Edidit & aliud opus, quod Canones tabularum uocabat. Tantum Lelandus.

ALACENVS MATHEMATICVS. XIIII.

Ex Lelando.

ALacenus Anglicus, uetustus autor, naturali rerū cognitiōe instructus, non modò melioris notæ philosophus, sed & mathematicus insignis fuisse perhibetur. Hic magno conatu atq; industria Anglorū percelebrans scholas, meruit tum demum Astrologi peritissimi nomē. Sed & hoc unum præ cæteris omnibus eius tum famam tum gloriam multo celebriorem reddidit. Exquisita enim cura contexuit

Perspectiuam quandam, Lib. 1.
De ascensu nubium, Lib. 1.

Et alia his similia multa. Temporis tamen, in quo claruerit, nullus est autor qui mentionem faciat.

GRIFFINVS CAMBRIVS. XV. *Ex Phil. Vuolphio.*

GRiffinus Anglicus (potius Brytannus, & ex Cambria natus fuit) ordinis Prædicatorum, D. Dominici doctor eminentissimus: omniū uirtutum (sic Vuolphius scribit, qui eiusdem erat sectæ) genere conspicuus, uita amœnissimus, eloquio affabilis, & ingenio profundissimus. Philosophicarum argutationum acutissimus indagator extitit ille, atque tandem scripsit egregiè,

Super Sententias, Lib. 4.
Quæstiones disputatas, Lib. 1.

Et nonnulla alia, ut in sui ordinis bibliothecis per Angliam clarebat. Hæc Vuolphius in. 3. libro de Vitis peritorum uirorum.

IOANNES VVICHINGHAM. XVI. *Ex Bibliothecis.*

IOānes Vuichinghā, Franciscani ordinis philosophus ac theologus, Norduici & Cantabrigiæ politis artibus diligentiam adhibuit non uulgarē. Illud nihilominus commune cum alijs eius seculi pseudomagistris habuit, ut sophisticis rationibus scripturas contaminaret. Referunt tamē eius societatis scriptores, quod Cantabrigiensem populum frequenti concione, à uitijs ad uirtutes perducere laborauerit, ac literis cōmendasse ualde utiles per eam ætatem,

Sermones de tempore, Lib. 1. *Humiliamini sub potenti manu.*
Disputationes quoq;, Lib. 1.

Cæterorum eius opusculorum nihil manet quod uidi. Claruit Cantabrigiæ anno Domini 1362, regnante Edvuardo tertio.

RICARDVS VVICHINGHAM. XVII.

Ex Lelando.

RIcardus Vuichingham, patria Nordouolgius, Brunhamiēsium Carmelitarū cœnobiarcha, & sacræ, ut uocant, facultatis interpres, uitæ ceremoniali ac monasticæ, literarum eruditionem adiunxit. Extitit enim non modò acutissimus dialecticus, uerumetiam in penitiori rerum naturalium cognitione uel exercitatissimus. Hinc lectori satis erit ad præsens cognoscere, quòd primum & secūdum Sententiarū suo illustrauerit calamo, & quòd centum atq; sex sermones in alio ediderit uolumine. Congessit ergo

In Sententias Longobardi, Lib. 2.

Sermones per annum, Lib. 1.

Et alia his similia, quæ & ego aliquando uidi. Claruit anno salutis nostræ 1380. Nordouicíq; demum obijt, solenni sepultura donatus, regnante Ricardo secundo.

ALDERMANNVS LONDINENSIS. XVIII.

Ex Giraldo Cambrensi.

ALdermannus Londinensis (puto esse nomen officij, aliud tamen non recitat author(& eiusdem urbis alumnus, uersificator excellens & elegans, ac poeta curialis fuit. Qui tamen sensuum magis expressor, quàm uerborum aut metrorum aucupator extiterat: & carmina plura elegantissimus eorum formator composuit. Hæc Giraldus Cambrēsis in Speculo ecclesiæ, lib. 2. & cap. 20. Quæ ex eodem libro desumpsi, atq; huic operi ad plenum inserui: nec ampliora de illo unquam legi.

MARCERIVS HISTORICVS. XIX.

Ex Baconthorpio.

MArcerius historicus, author uetustus atq; anonymus, & ex Anglica gēte prognatus, uir erat nō mediocriter eruditus, eo quo floruit tempore. Amator suæ patriæ, ueterum scriptorū monumenta quærebat, ut inde per eius cōmoditates & illustria facta uirorū fortiū, eam sibi & amicis describeret, historiāq; cōderet. Et cum iam probè instructus eorum omniū cognitione esset, calamū sumēs, pingendo operi incubuit, chartisq; cōmendauit

Chronicorum opus, Lib. 1.

Huius operis mentionem facit Ioannes Baconthorpius, in prologo quarti Sententiarum, quæstione decima.

BARTHOLOMAEVS CVLEY. XX.

Ex officinis.

BArtholomæus Culey, uel secundum alios Convuay, genere Brytānus, Oxonij ea subtilium magistrorum secta fuit, qui elenchis freti, insidiosius argumenta implicabant. Philosophiæ illius placita, quæ naturam ipsam scrutantur, & quæ rerum principia atq; fines uafris syllogismis inquirunt artes, ille inuestigauit. Supersunt eius disputationes

De generatione & corruptione, Lib. 2. Sicut scribit Philosophus in princip.

Alia eius opera nō uidi, quamuis plura credantur esse. Sufficit igitur hæc sola ad præsens connotasse.

RICARDVS FERIBRIG. XXI.

Ex Bibliothecis.

RIcardus Feribrig, sophista subtilissimus, Oxonij in litigantium ac blaterantium sophistarū scholis frequenter disputabat: & addidit multa uerborum portenta eius generis doctorum scriptis, de suppositionibus obligatorijs, cōparatiuis, exclusiuis, exceptiuis, reduplicatiuis, ampliationibus, finito

finito & infinito, complexis & incomplexis, atq; alijs quæ nunc traduntur in paruis logicalibus. Ediditq;,

Consequentiarum regulas, Lib.1. *Consequentiarum quædam est bona.*

Et has cum Strodi opusculis, Alexander Sermoneta, Matthæus Campanius, & Gaitanus de Tiemis, Itali, commentarijs illustrabant, preloq; dabãt. Anno Domini 1360 claruisse fertur.

PETRVS DOMINICANVS. XXII.

Ex Phil. Vuolphio.

Petrus Anglicus (sic est ab authore peregrino cognominatus) ordinis Prædicatorum, tam sacrarum literarum quàm philosophiæ doctor eximius, omnifaria scientia eminẽs, uita & moribus clarus (ita fraterculi suos magisterculos attollere solẽt) ingenio excellens ac facundia eloquẽs, edidit tabulam notabilem,

Super glossam ordinariam, Lib.1.

Aliaq; nonnulla. Claruisse fertur Petrus, anno à Verbi incarnatione 1340. Hæc Vuolphius in uitis peritorum uirorum.

GVILHELMVS LVBBENHAM. XXIII.

Ex Lelando.

Gvilhelmus Lubbenham, Couentriensis urbis certè nobilis, Carmelita, philosophus ac theologus, apud Oxoniẽses tyrones rem suo tempore (sed barbarie quadam) promouebat literariam. Præses prouincialis eorũ sui ordinis fratrum, qui Angliam incolebant, communibus suffragijs & numero decimusseptimus designatus, illi functioni ad mortẽ usq; se accõmodauit. Qui & antea, quo inter scriptores haberet nomẽ, chartis commiserat

In Aristotelis posteriora, Lib.2. *Vniuersale dicimus esse.*

Quæstiones ordinarias, Lib.1.

Et alia quædam. Couentriæ in suo cœnobio cõmuni fato decubuit, anno Domini 1361, Edvuardo tertio regnante.

IOANNES ARDERNVS. XXIIII.

Ex Recordo.

Ioannes Ardernus, de Nevuarco chirurgus, seu medicus uulnerarius, aut qui uulnera curabat, peritissimus apud Anglos eius artis operarius extitit. Est autem Nevuarcus oppidum quoddã, à Lincolnio circiter duodecim distans milliaria, in quo Alexander eiusdẽ sedis episcopus, arcem tempore regis Stephani olim posuerat. Exarauit Ioannes, et in lucem emisit, ut prima eius operis demonstrat facies,

Practicam Chirurgiæ, Lib.1. *Ego Ioannes Arderne de Neuu.*

Et præterea nihil quod unquam legi. Claruit anno à diuini uerbi incarnatione 1370, sub rege Edvuardo tertio.

PENBVGILLVS SOPHISTA. XXV. Ex Lelando.

Penbugillus sophista, uulgariter Penbogull, magister Isiacus, atq; eius gymnasij alumnus, & frequenter & argutè in scholis philosophicis disputabat. Et poterat quidem (ut habet Lelandus) pro quodam suo iure id facere. nam & fontes (inquit) dialectici acuminis prius exhauserat. Extat libellus ab eo ingeniose cõpositus, De diuisione entis in prædicamẽto, cum alijs similibus. Scripsit etiã uniuersalia Logicalia, libro uno. Hæc Lelandus.

GVILHELMVS SHIRBVRNE. XXVI.

Ex Lelando.

Gvilhelmus Shirburne, Philosophiæ ac Theologiæ cultor planè sedulus, tam expeditus erat in disceptationibus Scholasticis, imò

tam

tam acer & acutus, ut facile laudē à studiosis omnibus demereretur. Quare iuuat tam insignem uirum aliquo doctrinę exemplo, lectorū auribus quàm commendatissimum tradere. Vnde eius extant in bibliothecis,

Quodlibeta theologica, Lib. 1.

Quod huius hominis opus eo seculo memorabile fuit. Claruisse scribitur anno gratiæ 1390, sub Ricardo secundo.

IOANNES VATAEVS. XXVII.

Ex Lelando.

IOannes Vuate, aliàs Vatæus, Cantabrigiæ circiter ea ipsa tempora (quæ tamen Lelandus non numerat) eiusdemq; & ordinis & instituti homo, cuius erat et Eluedenus Gundeuillanus, qui statim sequitur, in precio fuit. Id quod ut perpetuum sibi faceret, & nomen suum nō modò memorabile, sed & gratum quoq; posteritati redderet: *Tabulam in æquationes domorum*, præfixo canone concinnauit, rara mehercle usus tum industria, tum proportione, usq; adeò ut omnem in ea descriptione punctum tulerit. Hucusq; Lelandus.

GVALTERVS ELVEDEN. XXVIII.

Ex Lelando.

GVAlterus Elueden, uel Eluedenus, Grantæ Giruiorum seu Cantabrigiæ, inter Gundeuillanos, sapiētiæ tum humanæ tum diuinæ rudimenta cum omni sedulitate addiscebat. Quibus tanquam ad coronidem, rerum astronomicarū eximiam cognitionē adiecit. Et ne de hoc nostro testimonio quis fluctuet, cuperem ut à libris potius, quos edidit, quàm à dictis nostris, rei certitudinē æqui lectores caperent. Extat enim illius Calendariū cum tribus cyclis decēnalibus & argutè & significāter compactū. Tantū Lelādus.

RADVLPHVS SPALDINGVS. XXIX.

Ex Lelando.

RAdulphus Spaldingus, amœnissimi olim cœnobij, quod Carmelitæ sodales habebāt in Lincolniensi patria Stanfordij, alumnus, Grantæ Giruiorum seu Cantabrigiæ theologiam profitebatur, in eadem facultate supremus magister. Istum aūt inter præstantiores, ut ille putabat, ætatis suæ theologos, Thomas Vualdenus in Zizaniorū fasciculo numerauerat, tanquā illum qui inter cęteros Vuicleui doctrinā de Dei filio contra Papā impugnauerat. Composuit Radulphus tempore suarum lectionum xlv quæstiones,

Super Aristotelis Elenchos, Lib. 2. *Vtrum de syllogismo sophistico.*
Determinationes scripturæ, Lib. 1. *Quæritur utrum scientia posit.*
Sermones quoq; plures, Lib. 1.

Atq; alia quędam. Claruit anno à nostræ salutis origine 1390, sub Ricardo secundo: obijtq; demum Stanfordij.

PETRVS RVSSELLVS. XXX.

Ex Lelando.

PEtrus Russellus, Chordiger, Isidis uadum, urbem longè celeberrimam, parentem & altricem suorum studiorum habuit. Ille uerò, ne tam claræ parentis pietati iuxtà ac expectationi de se magnificè conceptę, aliquando non responderet, cogitabat suas esse in primis partes, bonas horas omnes in literis collocare melioribus. Id quod ingenuus pręstitit, eximiā à facto laudem tandem consecutus. Fit enim uirtutis nomine, Chordigerorum in Brytannia primas: à qua dignitate nō tam laudem sibi peperit, quàm eidem dedit. Postremò, admonitus titulo prænominis sui, diuum Petrum & ipse Petrus celebrare cupiebat. Iamq; animo & uoluntati, qua id potissimum efficeret ratione, succurrit statim Petri utraq; epistola canonica, quam ille tanquā

mnemosynon

mnenosynon sui patroni, cõmentarijs illustrauit non indoctis. Floruit Russellus anno à Christi incarnatione 1410, sub Henrico quarto.

GVILHELMVS ANGER. XXXI.

Ex Lelando.

GVilhelmus Anger, nõ exiguæ famæ Franciscanus, cum iam longiuscule scholas frequẽtasset Isiacas, decreto procerum suæ religionis, gubernationi collegij quod ad pontem Gualteri, oppidum Somurotrigũ seu Somersetensium institutũ fuit, præfectus est. Quo loco, quę ante plures annos apud Isiacos scripserat, ad limam reuocauit. Placuere authori suæ elucubrationes in Lucam euangelistam: quas & maturo quodam rectè usus consilio, publicas non sine laude fecit. Obijt mortem anno assumptæ humanitatis Christi 1404, in suo ad Bridgevuater cœnobio sepultus, ut in Franciscanorum registro.

BLAINCOTHVS BRYTANNVS. XXXII.

Ex Lelando.

BLaincothus Brytannus, amore sapientię totus inflammatus, à nugis ad seria, & ad philosophos se contulit. Et quoniam, ut ego ex nomine colligo, Camber erat, uoluit à barbarie ad eruditas artes se conferre. Fuit eo seculo, quemadmodum & nunc planè est, academia Isiacorum celeberrima, quò & equis uelisqꝫ contendebat. Successus in literis, ex alacritate ingenij ad altiora conscendentis, felix prouenit. Longobardi opus deamauit. argumento, & quidem manifesto, sunt cõmentarij in idem opus editi, libris quatuor. Aliaqꝫ fecit multa. Hæc Lelandus.

ROGERVS MARSHALL. XXXIII.

Ex Lelando.

ROgerus Marshall, Grantæ Giruiorum, seu Cantabrigię, inter Petrinos egregium non modò industriæ, uerũ etiam ingenij specimen exhibuit. Tentabat omne studiorũ genus: at philosophiam & mathesim in primis coluit. Extat eius de figura Cata & Apodiatis liber, nõ sine iudicio editus. Erat porrò ueterũ librorum indagator uel curiosissimus. Vnde & opima præda parta, quæ ne temerè collata inter priuatos ingloria delitéret, publicã fecit, erogato bibliothecę Petrinę thesauro undiqꝫ spectabili. Hucusqꝫ Lelãdus.

GALFRIDVS MARSHALL. XXXIIII.

Ex Registris.

GAlfridus Marshall, ex familia Benedictinorum, Glasconiensis cœnobij magnifici monachus, liberalium artium omnium ætate sua peritissimus, per eas partes habebatur. Qui Peripateticæ scientiæ potius qꝫ Christianæ sapientiæ amator, in eius generis authorum lectione bonas horas, imò maiorem uitę suę partem collocauit. At defuit ei ætate tam barbara, ueterum philosophorum in dicendo limpiditas. Scripsit tamen stylo illo seculo familiari,

Repertorium Dialectices, Lib. 1.
Repertorium Geometriæ, Lib. 1.

In philosophia quoqꝫ naturali & in alijs scientijs plura post se reliquit, uir inter scriptores aliqua memoria dignus.

IOANNES LANGTONVS XXXV.

Ex Lelando.

IOannes Langtonus, Isiacas scholas, seu Oxoniense gymnasium, Londinensis cœnobij Carmelita, pro comparandis artibus, quas uocant liberales, longo temporis spacio frequentabat. Et cum disciplinarum illic exhibi-

tarum absoluisset cursum, prima theologici tituli dignitate, magistrorũ suffragijs, doctrinæ nomine donatus fuit. Chartis ille uicturis mandauit, qui olim in precio fuerunt,

Actus suos ordinar.os,	*Lib.1. Cuiuslibet rei creabilis idea.*
Examen doctoris Crumpe,	*Lib.1.*
Contra errores eiusdem,	*Lib.1.*

Et alia. De Hērico Crumpo Hyberno, in 14. Centuria, plura reperies. Claruit Langtonus anno *Christi 1400*, & Londini tandem obijsse scribitur.

ROBERTVS VVANTHAM. XXXVI.

Ex Lelando.

ROBERTUS Vuanthā, monachus Cernelienſis cœnobij, in comitatu Dorceſtrienſi, *seu apud* Durotriges, tum antiqui tum celebris: Latinos non infœliciter uersabat authores, & eadem opera *uocabulorum origines*, ac significationes eorum, *iudicio doctisimorum* Grammaticorū, maximè proprias *exquisitè* discusit, & discussas in numerum *elegāter redegit: ita ut* uolumine iam confecto & perpolito, *opus maturum* orbi legendum emiserit. Quod dedicatum suo patrono & abbati Ricardo Synvuello, peruenit, quo casu nescio, ad Hunfridi ducis *Claudiani manus*, ac postremò ad augustam Isidis uadi *bibliothecam*. Hæc Lelandus.

IOANNES MONE. XXXVII.

Ex Chauorro.

IOannes Mone, *Anglus natione*, cupidissimus suam excolendi mentem *bonis studijs*, relicta sua patria, in Gallias, *Lutetiamq́ Parisiorum rectà* se contulit. Vbi *post cognitam* Dialecticam, quæ moderatrix est rationū, *Philosophiam* & alias artes professus, non sine emolumento *planè maximo*, in illis excreuit. *Qui tandem uolens ingenij* specimē dare, ex Ouidio Nasone & alijs authoribus collegit, & in Gallico sermone ualde *eleganter edidit*,

De arte amandi,	*Lib.1.*

Quem Galfridus Chaucerus, poeta insignis, & Anglicæ linguæ illustrator maximus, in Anglica metra *transtulit*, *titulum* addens operi, The Romaunt of thæ rose. Anno Domini 1390 claruisse fertur.

GVILHELMVS NORTON. XXXVIII.

Ex Bibliothecis.

GVilhelmus Norton, Couentrienſis cœnobij Franciscanus, tantam curam, diligentiam & operam in academijs Anglorum eruditis artibus adhibuit, ut tandem apud suos, doctrinæ excellentis nomine, illustris haberetur. Valde studiosus ille fuit, post profanorum authorum lectiones, *in sacrorum* Bibliorum libris, & eorum interpretibus, quibus indices fecit: præcipuè inter alios, Nicolaum Lyranum doctorē sui ordinis, super utroq́ Testamento copiosissimè tabulauit. Quod opus uocabat

Repertorium Lyræ,	*Lib.1. Abacuc propheta destructionem Chaldæorum.*

Cætera eius scripta in bibliothecis non uidi. Claruit anno à Christianorū hominum salute 1403, sub Henrico quarto.

HVGO SVETHVS. XXXIX.

Ex officinis.

HVgo Suethus, uel Suextus, Dominicanæ professionis monachus, & magnæ apud eos existimationis theologus, Oxonienſem palæstram, post humanarum artium exercitia à puero frequentauit. In legendis autem authoribus profanis & sacris, atque in formandis ad populum & clerum sermonibus,

sermonibus, ualde strenuus iste habebatur. Vnde inter cætera quæ edidit multa, Latinis characteribus insigni labore commisit,

De arte prædicandi, Lib.1. *Dilatandi modus est in sermonibus.*
Sermones etiam plures, Lib.1.

Elegantia tamen Latini sermonis illi multum defuit, sicut & alijs ferè omnibus eius ætatis scriptoribus.

RICARDVS FOLSHAM. XL.
Ex Bibliothecis.

Ricardus Folsham, Benedictinorum sodalitij monachus Nordouicẽsis cœnobij, in omni liberalium artium genere, sub peritis præceptoribus ab adolescentia se exercuit. Quibusdam argumentis adducor, ut illum credã transmarinas studiorum gratia petijsse scholas, non sine ingenti quodam discendi ardore: & Romæ aliquandiu cum purpuratis patribus consuetudinem habuisse. tam occupatus erat in epistolis scribendis. Exarauit enim, quas uocabat,

Epistolas natalitias, Lib.1. *Agamemnon Atridis filius, &c.*
Epistolas 28. ad Papam, Lib.1. *Beatissime pater, filiali submiss.*

Aliasque multas ad diuersos edidit. Claruit anno à Seruatoris ortu 1410. Thomæ Arundelo Cantuariensi archiepiscopo familiaris.

GVALTERVS KELLAVVE. XLI.
Ex Lelando.

Gvalterus Kellavue, in Eboracẽsi satrapia natus: & in Aluertonensi collegio, quod Eduuardus tertius rex parum antea fundauerat, Carmelitarum institutum professus, inter magistros Oxonienses insigni eruditione nomẽ decusque suum retinebat. Decimussextus sui ordinis in Anglia præses & magister factus, ad suorum decorem munus illud obiuit, ac decem annis utiliter eos gubernauit. Interim utebatur calamo suis relinquens posteris,

Quodlibeta theologica, Lib.1.
Determinationes quoque, Lib.1.

Atque sermones aliquot. Obijt demum Aluerodunii Brigantũ, seu Aluertonæ, anno Christi 1367, apud suos in Augusto sepultus.

CATALOGVS PROVINCIALIVM (VT VOCANT) magistrorum, qui Carmelitas sodales in Anglia per trecentos ferè annos ab introitu primo ad eorum eradicationem plenam usque regebant: qui propemodum omnes scriptores erant, ut ex præcedentibus & his Centurijs liquet.

Ordo uel series.	*Nomina regentium.*	*Patriæ eorum.*	*Anni à Christo.*	*Tempora regiminum.*	*Sepulturæ loca.*
1.	*Radulphus Fresburne,*	*Northumbrius,*	1240.	14.	*Alneuuici.*
2.	*Henricus de Hanna,*	*Brunhamiensis.*	1245.	17.	
Cœnobiorum incremento deinceps per Galliam & Germaniam insudabat.					
3.	*Rogerus Crostuuyck,*	*Nordouolgius,*	1272.	5.	*Brunhamiæ.*
	Heruæus de Brunham,	*Vicarius,*	1277.	1.	*Brunhamiæ.*
4.	*Gulhelmus Hanbergus,*	*Suthræus,*	1278.	3.	*Londini.*
	Iterum Henricus de Hanna,		1281.	18.	*Stanfordiæ.*
5.	*Gulhelmus Ludlyngton.*	*Lincolniensis.*	1299.	5.	*Stanfordiæ.*

Lites iste habuit cum Gerardo Bononiensi circa prouinciæ partitionem anno Domini 1303.

6.	Guilhelmus Neuuenham,	Cantabrigiensis,	1303.	2.	Cantabrigiæ.
7.	Ricardus Vueluuen,	Hartfordius,	1305.	4.	Hutchiniæ.
8.	Guilhelmus Pagham.	Cantianus.	1309.	3.	Midæ in Hyber.

A' Clemente quinto Rom. Pontifice factus est in Hybernia Midensis episcopus.

9.	Ioannes Berkhamstede,	Hartfordiensis,	1312.	7.	Londini.
10.	Ricardus Blyton,	Lincolniensis,	1319.	6.	Lincolniæ.
11.	Ioannes Vualsingham.	Nordouolgianus.	1326.	3.	Auenione.

Aduersus Ockamum Minoritam, Auenionem à Rom. Pontifice in certamen uocatus fuit.

12.	Ioannes Baconthorpe.	Nordouolgius.	1329	4.	Londini.

Romam & iste accersitus fuit, pro dirimendo quodam matrimoniali dubio.

13.	Ioannes Bloxham	Oxoniensis.	1333.	2.	Oxonij.

In Hyberniam ab Edvuardo tertio Anglorum rege missus, magnas fecit reformationes.

14.	Ioannes Polestede,	Sudouolgius,	1335.	7.	Eboraci.
15.	Ioannes Folsham,	Nordouolgius,	1342.	6.	Nordouici.
16.	Gualterus Kellauue,	Eboracensis,	1345.	5.	
17.	Guilhelmus Lubbenham,	Couentriensis,	1353.	1.	Couentriæ.
	Iterum Gualterus Kellauue,		1354.	5.	Aluertonæ.
18.	Ioannes Couuton,	Eboracensis,	1359.	3.	Londini.
19.	Thomas Brome,	Londinensis,	1362.	17.	Londini.
20.	Robertus Iuorius,	Londinensis,	1379.	13.	Londini.
21.	Ioannes Kinyngham,	Sudouolgius,	1393.	5.	Eboraci.
22.	Stephanus Pattington.	Eboracensis.	1399.	15.	Londini.

Hic regis confessor existens, assumptus est ab eo in episcopum Meneuensem.

23.	Thomas Vualden,	Essexius,	1414	16.	Rothomagi.

In uarijs legationibus hic regis ac regni negocia tractauit, confessor duorum regum.

24.	Ioannes Kenyngale,	Nordouolgius,	1430.	13.	Nordouici.
25.	Nicolaus Kenton,	Sudouolgius,	1444.	12.	Londini.
26.	Ioannes Myluerton.	Bristollensis.	1456.	11.	

Ob conciones quasdam Londini publicatas, Romam citatus per episcopos, in Hadriani mole triennium ferè peregit.

27.	Ioannes Sutton,	Doncastriensis,	1465.	3.	Doncastriæ.
	Iterum Ioannes Myluerton,		1469.	11.	Londini.
28.	Ioannes Vynde,	è Fano Botulphi,	1482.	23.	Bostonæ.
29.	Robertus Loue,	Nordouolgius,	1505.	7.	Nordouici.
30.	Ricardus Ferys,	Oxoniensis,	1513.	3.	Oxonij.
31.	Ioannes Byrde,	Couentriensis,	1516.	3.	
32.	Robertus Lesbery,	Northumbrius.	1519.	3.	Londini.
	Iterum Ioannes Byrde,		1522.	16.	Cestriæ.

Et assumptus est ab Henrico 8. Anglorum rege in episcopum Penricensem primò, Bangorensem postea, ac demum Cestriensem. Et Cestriæ obijsse fertur, anno Domini 1556.

Vnde Dominicani in Anglia manserunt annis 314. Franciscani 312. Carmelitani annis ferè 298. Augustiniani 288. Et omnes unà, iusto Dei iudicio, finem illic habuerunt per prædictum Henricum octauum eius nominis regem, anno Domini 1538.

BARTHOLOMAEVS FLORARIVS. XLII.

Ex Nicol. Brigamo.

BArtholomæus Florarius, à Nicolao Brigamo in Venationibus rerum memorabilium, Anglus pronunciatur: & tam à sacrarū literarum quàm philosophiæ studio multum commēdatur. In libro suo De abstinentia, corruptos aliquot mores in clero Papistico cursim perstringens, ad Mendicantes fraterculos tandem conuersus, sic loquitur: Mendicitas (inquit) spontanea ab Apostolo prohibetur, à Salomone abhorretur, ab Augustino et alijs expositoribus reprobatur, &c. Vnde odium eorum affatim incurrit, certè non modicum. Composuit nihilominus, à quo cognomentum accepit,

Florarium scilicet,	Lib. 1. *Gratias ago gratiæ largitori, quia.*
De abstinentia quoq;,	*Lib. 1. Est statutum prandendi tempus.*

Aliaq; plura, quę tamen ad lucem non uenerunt. Vixisse creditur circa annum à uirginis Mariæ partu 1420. Henrico quinto regnante.

THOMAS LANGLEY. XLIII.

Ex Bibliothecis.

THomas Langley, monachus Hulmensis, seu ad Benedicti fanū, in Nordouolgarum comitatu, poeta fuit in tanta Latinæ linguæ barbarie, ac literarum corruptela, non omnino contemnendus. In heroico enim carmine, alijsq; uersuū generibus, plura sub diuersis rerū argumentis, non infœliciter pertractauit. Præcipuè contexuit, ad Ioānem Nordouicensem episcopum,

Epigrammata diuersi generis,	Lib. 2. *Dudum conflictu uexatus.*
De uariandis carminibus,	Lib. 1.

Aliaq; plura congessit. Claruit Langlæus, anno à Christi natiuitate 1430, regnante Henrico sexto.

IOANNES STOVVE. XLIIII.

Ex *Rob. Talboto.*

IOannes Stovue, Nordouici ad fanum Seruatoris, Benedictinæ societatis monachus olim celeberrimi nominis fuit. Oxonij nimirū, à studijs ille laboriosis non cessabat, donec theologici doctoratus insignia secum inde ferret domum. Generali synodo, quæ Basileæ celebrabatur, inter alios cucullæ gerulos rabinos, & istum interfuisse, ex eius scriptis apparet. Nā inter alios à se libros editos, chartis ille commisit,

Acta eiusdem concilij,	Lib. 1. *Sacrosanctæ generali synodo.*
Disputationes solennes,	Lib. 1. *In solio residens eminenti.*
Collectionesq; uarias,	Lib. 1.

In quibus etiam recitantur acta & scripta quædam Adami Estoni Cardinalis. Claruit Ioannes anno Domini 1440, sub Henrico 6.

NICOLAVS BVNGEY. XLV.

Ex *Guil. Botonero.*

NIcolaus Bungey, in emporiolo sui cognominis apud Nordouolgios natus, scholarum cultor ingenuus, summis contendebat pasṣibus ad

literarum penetralia, quò tandem & prudentia duce prospero cursu peruenit. Tenebatur enim post priora studia, ardore mirifico Annales & Chronica cognoscendi: sub episcopo Londinensi clericus, & ipsi à sacellis: ac post labores in eo exercitationis genere scripsit,

Adunationes Chronicorum, Lib. 1.

Has nanque per plures annos multo cum sudore in unum redegit. Et claruit anno Seruatoris 1440, sub Henrico sexto.

HENRICVS BELFORDIVS. XLVI.

Ex Polydoro, & Lilio.

HEnricus Belfordius, aliàs Beuforde, Vuintoniensis episcopus, Ioannis Lancastrij ducis ex adulterino concubitu filius, & Henrici quarti Anglorum regis frater, à loco natali cognomentum illud accepit. Istum Romæ in cõsistorio priuato, anno Domini 1426, Martinus quartus Rom. Pontifex, tituli S. Eusebij presbyterum Cardinalem, absentem declarauit, ac suum legatum deinceps fecit, ut Bohemos, quòd sibi non parêrent, tanquam religionis hostes, bellator occideret. Et ut ad id bellum gerẽdum ualidior esset, decimam sacerdotiorum per omnem Angliam imperauit, magnasque indulgẽtias per fraterculos prædicari iussit. Belfordius uerò, cùm nec doctus nec pius esset, sed auarus & ambitiosus, pauca scripsit.

Dicebat tamen, cum uidisset quàm plurium nationũ Papistas à multo minori Bohemorũ numero superari: Si Deus pro ipsis, quis cõtra? Obijt mortem anno Domini 1447, Vuintoniæ demũ sepultus, regnãte Henrico sexto.

ADAMVS HEMLINGTONVS. XLVII.

Ex Lelando.

ADamum Hemlingtonum qui nõ cognoscit, me legat: & qualis fuerit, statim intelliget. Carmeliticis ab ipsa adolescẽtia ritibus studebat. Nec defuit in tanta religione adfectus quidam erga doctas artes planè ardens. Cui ut omnino satisfaceret, & Isidis uadum & Lutetiam Parisiorum, florentissimas academias diutiusculè coluit, gloriamque non leuem utrinque reportauit, utpote in collegium theologorum adscitus. Videbitur forsitan eruditulis noster Adamus, suorum librorum titulis parum illustris. Mihi tamen (inquit Lelandus) sciolorum aliquot tanti non erit authoritas, ut grauis philosophi & theologi memoriã impressa spongia obliterem. Scripsit Adamus, ne ulla ex parte tanto & tam claro nomini non respondere uideretur, præter alios libros, quos obliuio penè deleuit,

Sacrarum concionum, Lib. 1. *Petite, ut gaudium uestrum sit plenum.*
Quæstionum ordinariarum, Lib. 1.
De actu Parisiensi, Lib. 1.

Et alia plura. Claruit anno redemptoris nati 1420, sub rege Henrico quinto. Diem uitæ suæ clausit extremum Nordouici, eiusque sepulchrum ibidem ostenditur.

GVILHELMVS COPINGER. XLVIII.

Ex Balliolensi collegio.

GVilhelmus Copinger, Oxoniensis academiæ magister, eximia doctrinæ & ingenij signa præ se ferens, in hoc nostro scriptorum Catalogo non infimum meretur locum. In suis opusculis, theologus admodum pius, omni uirtute uacuos & inanes eos homines esse pronunciat, in quibus non regnat scientia Dei uera. Vnde & concinnauit homo ueritatis amans,

De uitijs & uirtutibus, Lib. 1. *Vani sunt omnes homines.*
Sacramentale quoddam, Lib. 1.

Et

Et alia, quibus suum manifestauit nomen. Sed hæc sola reperiuntur Oxonij, in Baliolensis collegij bibliotheca.

THOMAS STACY. XLIX. EX
collegio Regis.

THomas Stacy, mathematicis artibus, astrologiæ præsertim, inter Cantabrigienses artistas uehementer incubuit, ut stellarũ cursus cognosceret, indeq; iudicium de earum effectibus daret. Omnia ille constellationum ui prouenire putabat, atq; à sideribus fatali necessitate pendére docuit. Et sic, quę solius Dei sunt, astris idololatra tribuit: hominesq; temeritate impia siderum seruos facere studuit. In Anglico sermone ille composuit,

Iudicia reuolutionum, *Lib.1.*

Atq; his similia plura. Claruit in Regis collegio Cantabrigiæ, anno partę salutis 1440, sub rege Henrico sexto.

IOANNES TALAVGERNVS. L.
Ex Lelando.

IOannes Talaugernus, monachus Brauoniensis seu Vuigorniẽsis, Benedictinæ societatis, Isiaci assiduã theologicis rebus post lectas artes impendebat diligẽtiam, unde & collegio Theologorum primo ascriptus est. Excitauit mirificé hic honos eius animum, ut literarij aliquid monumenti posteris consecraret. Aggressus igitur prælectionem publicam in Isidis uado, ea quæ inter legendum accuraté annotauerat, in uolumen finita lectione redegit. Porrò contexuit,

Commentarios in Longobardum, *Lib.4.*

Nec aliud ab eo editũ legi. Claruit anno à Christo nato 1448, quo Sententias exposuit, Henrico sexto regnante.

GVILHELMVS SVTTON. LI.
Ex collegio Regis.

GVilhelmus Sutton, prædicti Thomæ Stacij discipulus, ut apparet, ex astrologiæ principijs scrutatus rerum causas, futura pollicebatur multa. Ingeniosa certé ad quæstum hęc erat stultitia. Sed si hominum uita & fortuna ab astris non sunt, in uanũ hic currebat astrologus. Varro grauissimus author, omnium superstitionũ uanitates ex astrologiæ sinu profluxisse testatur. Christiani ergo cum simus, Deo patri linquamus horas & momenta, qui ea posuit in sua potestate. Guilhelmus uerò scripsit, prædicti præceptoris exemplo,

De iudicijs reuolutionum, *Lib.1.*

Vel saltem illius opus eiusdem tituli, in linguam Latinam transtulit, additis quibusdam à se cõfictis mysterijs. Floruit Cantabrigiæ anno Christi 1450, sub Henrico sexto.

ROBERTVS BALSACK. LII.
Ex Nicol. Brigamo.

RObertus Balsack, uir erat, ut ex eius scriptis colligitur, tam literis quàm militię deditus, & qui in omni uita sua amœniores inter arma Musas ardenter amabat. Plurimis ille cogitabat, liberalium artium studijs inhærendũ ei esse, qui cum gloria, ut in bellorum quoq; negocijs, imperaturum se profiteretur. Prudenter ergo illis se dedit studijs, atq; demum congessit,

De re militari, *Lib.1.*

Et alia quędã, ut Nicolaus Brigamus in suis Venationibus refert. Claruit anno salutis nostræ 1450, sub Henrico sexto.

THOMAS

THOMAS DANDO. LIII. *Ex Lelando.*

THomas Dando, eximio probatæ uitæ & eruditionis nomine, sodalitio Carmelitarum Cunetionem, aliàs Marleburgũ, uetus Vilugianæ prouinciæ oppidum incolentium, præfuit. Sed multum abfuit ut ex illa functione, quamuis honesta, memoriam aliquam sui apud posteros speraret. Ad calamum igitur, inter immortalitatis assertores non minimus, se contulit: ac historiam Alphredi magni Visisaxonum regis, uicturis chartis commẽdauit. Quod opus uocabat,

Vitam Alphredi regis, Lib. 1. Cum contemplarer florigeros.

Hęc pauca habui de Dandone Marleburgẽsi, Hẽricianę ætatis scriptore, dicere. Claruit anno Christi 1436, Marleburgi demũ sepultus. Hæc Lelãdus.

GVILHELMVS GRAYE. LIIII.

Ex Lelando.

GVilhelmus Graye, clarissima natus Codonorum familia, studijs optimis addictus adolescens, philosophiæ iuxta ac theologię apud Isiacos incubuit, in collegio Balliolẽsi. Fama fortunarumq; splendore conspicuus, Guarino Veronensi apud Ferrariam in Italia, discipulum se adiunxit: ubi etiam & magnam meritò laudem ex linguis elimatis, ac uaria rerũ cognitione, feliciter sibi comparauit. Nicolaus quintus Rom. Pontifex, huius recondita eruditione delectatus, tanslato Thoma Bourcherio ab Eligensi sede ad Cantuariã, hunc præfecit ei sedi, anno Domini 1454. Multa hic scripsisse fertur, & ante & post acceptas Romæ infulas. Exactis in episcopatu 24 annis, obijt Anguillariæ, seu Eligiæ sepultus.

IOANNES KEMPE. LV. *Ex Polydoro & Panuinio.*

IOannes Kempe, uel, ut Polydorus habet, Chempius, primùm Eboracẽsis, postea Cantuariensis archiepiscopus, antistitũ ordine sexagesimus secundus, & totius Anglię primas, Ioanni Staffordio in ea successit sede. Istum Eugenius quartus, finito Florentino concilio, auditaq; sua in Basiliensi concilio depositione, ut illud conciliũ infirmaret, suasq; partes augeret, anno Domini 1439, Florentiæ in publico consistorio, cum alijs octodecim, sub titulo S. Albinæ presbyterum Cardinalem creauit, dum adhuc teneret Eboracensem præsulatum. Aliqua & iste scripsit, sed tituli non occurrunt.

Obijt in Anglia, uix triennio posterioris archiepiscopatus expleto, anno restituti generis humani 1456, & eius cadauer Cantuariæ sepultum est, regnante Henrico sexto.

ADAMVS MYLNERVS. LVI.

Ex Lelando.

ADamus Mylnerus, nobilis parentum stemmate, ingenio nobilior, uirtutum uerò calculo nobilissimus, bonas (ut fama prædicat) literas incredibili quodam candore fouebat. Quare operæprecium erit, Hartmanni Scedelli historiographi de eo iudicium subijcere. Inter quos (ait in Chronico chronicorum) & amicus noster Adam de Molneur, secreti regis signaculi custos, & literarum cultor, amisso capite truncatus iacuit. Hæc ille.

Causa eius mortis, ciuile bellum: hinc Henricianis, hinc Eduuardinis, de imperio contendentibus. Plura & iste edidit.

THOMAS CHILLENDENVS. LVII.

Ex Lelando.

THomas Chillendenus, operam præcipuè legibus cùm Cæsareis tum Pontificijs adhibuit. Successus autem eius studiorum talis tãtusq; fuit: ut tandẽ primis utriusq; iuris titulis donatus sit. Deinde, nescio qua pietate (super-

(superstitione) ductus, ad monachatum animũ adiecit, ac sano Seruatoris Durouerni (Cantuariæ) se suaq; tradidit, & scriptis cõmentarijs illustrauit

Leges antiquas, Lib. 1.

Quos & Guilhelmus Vuarhamus Cantiorum archiepiscopus, lectos à se aliquando testabatur, idq; cum fructu.

ROBERTVS BALE SENIOR. LVIII.

Ex Biblioth. Lond.

ROBERTUS Bale, uel Baleus senior, iurisperitus, in urbe Londinẽsi, in qua natus fertur, tantam est apud prætorem, tribunos ac ciues adeptus gratiam, ut publicus ciuitatis notarius, & in causis ciuilibus iudex haberetur. Nihil prius hic habuit in tam claris officijs, quàm eius urbis ornamento studere, illiusq; monumenta clariora reddere. Eius igitur res omnes in unum uolumen collegit: instituta, leges, fundationes, mutationes, restaurationes, magistratus, officia publica, comitia & alia: constituens quasi perpetuum Chronicõ ab ipso Bryto eius fundatore primo, & reparatore Luddo, usq; ad Henricum Cornhyllum & Ricardum Fizriuerium, primos eius cõsules, & inde ad suam ætatem. Descripsitq; eius ciuitatis formam, situm, ędificia, pontem, portum, & arcem: diuisitq; eam in quatuor & uiginti regiones, quas custodias nuncupabat, quibus & totidem præesse senatores retulit. Et ut ad eius perueniam scripta, congessit Baleus,

Londinensis urbis Chronicon, Lib. 1. *Anno ab orbe condito ad Rom.*
Instrumenta libertatum eiusdem, Lib. 1. *Vicecomitatus Londinensis, &c.*
Gesta regis Eduuardi tertij, Lib. 1. *Anno Domini 1312, tertiadecima die.*
Alphabetum sanctorum Angliæ, Lib. 1. *Adrianus abbas, Græca lingua.*
De præfectis & consulibus Lond. Lib. 1. *Hoc anno à Christi natiuitate.*

Et hoc ultimum eius opusculũ incipit à Ricardo primo, Leonino dicto, anno Domini 1189, quo comitia Londinenses habere cœperunt: & finit in primo introitu Edvuardi quarti, anno scilicet Domini 1461, in quo ille sub eodem rege claruit.

ROBERTVS BALE IVNIOR. LIX.

Ex Biblioth. Brunham.

ROBERTUS Bale, alius, & altero Roberto Baleo aliquanto posterior, patria Nordouolgius, ac Brunhamiensium Carmelitarum in eadem satrapia præses, ob amorem eximium quem erga literatos uiros gerebat, à sua societate multum meritoq; collaudabatur. Magno ille semper & scripturas & historias legendi tenebatur desiderio, quoties erat à cœnobij curis liber: & magnum eius generis authorum sibi comparauit numerum, quem uidi, edíditq; tum demum,

Annales sui ordinis perbreues, Lib. 1. *Anno mundi 3042. Helias Thesb.*
Historiam Heliæ prophetæ, Lib. 1. *Ecce ego mitto uobis Heliam.*
Officium Simonis Angli, Lib. 1. *Simon pater inclytus, & nostræ.*

Et conciones aliquot. Mortem obijt anno à nato in salutem nostrã Christo 1503, in suo cœnobio sepultus, regnãte in Anglia Henrico septimo.

HVGO MATISCONVS. LX.

Ex Biblioth. Lond.

HVGO Matisconus, poetarum sui temporis non minimus, musas amœniores olim iuuenis & aulæ cultor magnopere coluit, carmenq; multis de rebus quàm libentisimè cecinit. Sed ex omnibus eius in eo studendi genere, unum me tantum uidisse contigit opus, illudq; egregium, quamuis in seculo tam barbaro non ita elegans & rotundum, cui titulum adiunxit,

De clarorum militum gestis memorabilibus, Lib. 1.

Incipit opus: *Solis spirat ordo menti concorditer, &c.* Ex hoc uno huius authoris opere, credere cogor, illi non defuisse multarũ rerum noticiam, licet optanda defuerit eloquentia.

IOANNES SHIRVVODVS. LXI.

Ex Lelando.

IOannes Shirvuodus, episcopus Dunelmensis, uir doctus, floruit regnante Edvuardo quarto, Rochoq; Cartusiano monacho, propter studiorum similitudinem (nam uterq; musas amœniores coluit, & carmina quàm libentissimè cecinit) coniunctissimus erat. Huius crediderim uersus esse, quos nuper Shirvuodi titulo (Lelandus inquit) in Fontanẽsi cœnobio legi. Fuit aliquandiu in Italia, & Angli causas egit. Quo etiam tempore Græca exemplaria, quorũ studiosissimus erat, sibi cõparauit, & in Brytanniam aduexit. Post multos uerò annos, Cuthbertus Tunstallus, Dunelmensis quoq;, doctissimi Shirvuodi Græcos thesauros Archelandiæ reperit. Claruisse fertur Shirvuodus, anno Domini 1470, sub Edvuardo quarto.

THOMAS CANTIVS. LXII. *Ex Lelando.*

THomas Cantius, uulgari dictione Kent, à Martonensibus, societate Isiaca, meritò quidem collaudatur. Hoc eius uirtus in re literaria iure quodam suo poscebat. Philosophiam in primis excoluit, & in mathesi gloriam eruditissimus non leuem sibi comparauit. Isiacorum omnium suffragia abunde comprobabat. Sunt qui putent, multa eum scripsisse in re astronomica, quæ ad meos nondum peruenere oculos. Constat ex catalogo Martonensi, floruisse Cantium anno Domini 1470, temporibus Edvuardi quarti. Hæc Lelandus. Istum puto Ioannis fuisse fratrem, Kent cognominati, cuius in octaua Centuria fecimus mentionem.

ROBERTVS HVGGON. LXIII.

Ex relatione.

ROBertus Huggon, patria Nordouolgius, in Hardingamo eius terræ oppidulo prognatus, non à Dei spiritu, sed à malis dæmonibus edoctus, quasdã in multorum perniciem prophetias edidit. Insignem namq; cladem accepere Nordouolgij, occisis plusquam quatuor eorũ millibus, anno Domini 1549, dum quibusdã ex his pseudohophetijs creduli, ductore quodam Ketto, aduersus primores arma susciperent. Huiusmodi tamen artificiosa cõmenta, perditi quidam homines uarijs rationibus & argumentis stabiliunt, ut ab imperitis credantur. Vixisse dicitur Huggonus pseudouates, circiter annum à Christi natiuitate 1470, regnante Edvuardo quarto.

IOANNES MARFELDE. LXIIII.

Ex Lelando.

IOannes Marfelde, homo ad philosophiæ & rei medicæ cognitionem reconditam illam compositus, eò eruditonis peruenit, ut à ciuibus Londinẽsibus, per eum nullo non morborum genere curatis, immortalem famam acceperit. Excusserat multa solertia, medicorum omnium forulos, ac magnã inde diuitemq; supellectilem domi forisq; corraserat. Scripsit tum demũ de arte medendi, uel iustum uolumen: quod & Gilberti Anglici, cognomento Leglæi, industriam secutus, uocauit

Praxin medicinæ, Lib. 1.

Quo in opere, ut Gilberti interiori causarum cognitioni cessit, ita in praxi eundem longo præcessit interuallo. Londinum incoluit Marfeldus, prope fanum Bartholomæi.

GVILHELMVS GRENE. LXV.

Ex quodam Registro.

GVilhelmus Grene, uel Viretus, Carmelitici generis monachus, eò eruditionis ex Aristotele & Scoto peruenit, ut in Cantabrigiensi gymnasio scholasticæ theologiæ baccalaureus magistrorum suffragijs fieret. Ille sui ordinis ualde studiosus, per multas suorum cœnobiorum bibliothecas, authores & historias solicitè quæsiuit: & ex ipsis tandem post multos labores, opus collegit, quod uocabat

Hagiologum Carmelitarum, Lib. 1.

Aliud uerò nihil ab eo scriptum lego. Claruit anno restitutæ salutis humanæ 1470, Edvuardo quarto regnante.

THOMAS NORTON. LXVI.

Ex Rob. Recordo.

THomas Norton, patria Bristollensis, alcumistarum sui temporis non ultimus: eam profitebatur artem, quæ non ars, sed potius ociantis fex animi dici debeat. Eius nanque uanitas eo ipso se facilè prodit, quũ polliceatur, quę natura à Deo creata nullo modo pati possit, nec attingere. Vt tamen ea impostura, nouæ se naturæ demonstraret artificem, & posse ex alijs alia creare, Nortonus composuit,

Alchimiæ epitomen, Lib. 1. *Ad honorem Dei, in tribus personis.*

De transmutatione metallorum, Lib. 1.

Et alia quædã. Claruit anno gratiæ in Christo reuelatæ 1477, sub Edvuardo eius nominis quarto Anglorum rege.

IOANNES MEARVS. LXVII.

Ex Biblioth. Nord.

IOannes Mearus, Nordouicẽsis cœnobij monachus Benedictinus & doctor, ex litigationibus sophisticis tam Nordouici quàm Oxonij magnũ sibi comparauit nomen. Cuius rei uel hoc signum apertissimũ nunc esse potest, quòd eius scripta monumenta, licet barbara, in bibliothecis usque ad nostra remanserint tempora. Contexuit enim,

Lecturam Sententiarum, Lib. 4.

Conciones plures, Lib. 1.

Nonnullaque alia, mihi prorsus ignota. Sed quo tempore claruerit, incertus nihil pronuncio.

RICARDVS PORLONDE. LXVIII.

Ex Biblioth. Nord.

RIcardus Porlonde, ex Nordouolcarum patria, Franciscanorum instituti professor & doctor, uir erat multi apud suos nominis aliquando, ex assidua diuini uerbi prædicatione. Dum semel Nordouicum diuerterem, in ueteri nigrorum monachorum, Benedictinorum scilicet, eius ciuitatis bibliotheca, inter alios diuersi generis codices, casu incidi in aliqua huius authoris scripta. Nam sub eius nomine editos inueni,

De Christi passione, Lib. 1. *Christus passus est pro nobis.*

Sermones etiam aliquot, Lib. 1.

Cætera eius opuscula nullibi unquam me uidisse reminiscor, neque qua ille tempestate floruerit.

THOMAS MYLLINGVS. LXIX.

Ex Lelando.

THomas Myllingus, Visimonasteriensis cœnobij cultor, inter Isiacos fœlicia literarum fundamenta iecit: processuque temporis eò cognitionis

peruenit tandem, ut in supremam theologorum classem meritò relatus sit. Deinde suos repetens, eruditionis iuxtà ac uirtutis titulo, abbas ibidem designatus est. At non multis pòst annis, beneficio Edvuardi quarti magno, Herefordensis ecclesiæ pontifex constitutus: cui etiam à consilijs fuit, eiusque filium Edvuardum principem, susceptor de sacro leuabat fonte. Sunt qui hunc putent elegantem, ut illa ferebat ætas, scriptorẽ fuisse, ac linguæ Græcæ peritum. Claruit anno Domini 1480, sub Edvuardo quarto.

IOANNES SKOGAN. LXX.

Ex officinis librariorum.

IOannes Skogan, homo natura ipsa & ingenio facetus, in philosophia primùm & alijs disciplinis liberalibus, adolescens tam profecit, ut in artibus Oxonij magister ipse fieret: adeò gaudebat salibus argutis & ingenium redolentibus, ut postea in aulã à rege Edvuardo quarto uocaretur: ubi ut alter Democritus, omnia in risum soluebat. Ita enim iocis, à pueritia quasi, est ille delectatus, ut ad eos certè natus uideret. Edidisse fertur in ipsius regis curia,

Comœdias quasdam, Lib. 1.

Ad curiæ proceres quoq;, Lib. 1. *Illustres filij ac Domini chariss.*

Et alia. Cum omnibus ferè nõ nisi iocos tractabat. Claruitque anno à Christi natiuitate 1480, sub Edvuardo prædicto.

IOANNES SPYNE. LXXI.

Ex quodam Registro.

IOannes Spyne, *Bristollensis urbis, quam* Lelandus Antoninum imitatus, *Ventam* Belgarum appellat, Carmelita, & Oxoniensis academiæ theologus, à *suæ sectæ symmistis, ætate sua ualde celebris* habebatur. Non dissimilem enim à sui seculi doctoribus, in omni suorum studiorum genere methodũ secutus, post adeptũ publico eorũ suffragio magisteriũ, Latinè exarauit

Conciones æstiuales, Lib. 1. *Cum uenerit paracletus, quem.*

Disputationes solennes, Lib. 1.

Et alia quædam. Oxonij demum obijt, ubi (sic nanque scribunt) magistralem cathedram tenebat, anno à mundi renouatoris ortu 1484, tyrannizante Ricardo tertio.

GVILHELMVS CELLINGVS. LXXII.

Ex Lelando.

GVilhelmus Cellingus, duobus passuum millibus à Feuersamo celebri emporio natus, monasticæ præscripta uitæ sedulò imitatus etiam est, Durouerni seu Cantuariæ ad fanum Seruatori sacrum. Hic impetrata à præside facultate, peruenit Bononiam, utriusque iuris cultricem asśiduam: quibus & ipse delectatus studijs, feliciter pedem promouit, Angelo Politiano familiarisśimus. Industria & impensis Græca exemplaria multa per Italiam conquisiuit, ac Latinos antiquæ notæ codices. Quibus thesauris Durouernum repetens, publico suffragio suorum, in eius loci præsidem eligebatur. Henricus septimus Anglorũ rex, cognita eius eruditione, in rebus arduis uel Romam usque oratorem misit. Postremò annis iam grauis, ea quæ meditatus fuerat, partim chartis cõmiserat: sed imperfecta moriens plura reliquit. Adhæc claruit Cellingus, anno uerbi incarnati 1490, & Cantuariæ tandem sepelitur, sub Henrico septimo.

APPENDIX.

Annis abhinc paucis, intempesta nocte, temulentia quorundam seruorum, ædes subito igne conflagrarunt. In quarum supremo tabulato, thesaurus librorum Cellingi reconditus, unaq; exhaustus est,

est, maximo studiosorum incommodo. Ferunt hac clade, Ciceronis desideratissimum de Republica uolumen in cineres fuisse redactum. Commentaria Græca Cyrilli in prophetas, ac minutula alia, è medijs sublata flammis erant, sed semiustulata. Bona alios fortuna, Basilij scilicet Magni in Esaiã commentarios, & Synesij opera, una cum alijs Græcis codicibus, distraxit.

ROGERVS DE S. IVONE. LXXIII.

Ex Lelando.

ROgerus de S. Iuone, cuiusdam mendicãtium sectæ fraterculus erat: sed cuius generis aut speciei, nudipedum an lignipedum, albichlamydum an uersicolorum, præcinctorum an bracchatorum, certè nescitur. Interim tamen illum scimus, eandem esse secutum cum eius seculi sophistis ac rabinis studiorum methodum, qua parem tum famam tum laudem publico eorum suffragio adeptus fuit, dum in lectionibus maiestatem Stagiritę Aristotelis & magistri Sententiarum promoueret. Est autem Iuonis fanum, unde natus extitit, oppidum in terra Huntingtonensi, Slepham antiquitus dictum. Scripsit ille, ut in collectaneis Lelandus habet, contra hæreticos & Lollardos, præcipuè

Contra Ioannem Oldecastellum,	Lib. 1.
Lecturas scholasticas,	Lib. 1.

Et alia. Tam horrida solẽt impostores Papicolę, ueris Christi testib. nomina dare. Claruit Rogerus hic noster anno Domini 1420, sub Hẽrico quinto.

IOANNES DE MVRIS. LXXIIII.

Ex Rob. Recordo.

IOannes de Muris, quem Anglum fuisse scriptores ferunt, mathematicus ac philosophus ætate sua clarissimus, omniumq; bonarũ artium magister, ex eruditi sui ingenij fructibus & scriptis celebre sibi reliquit nomen. Qui uidens apud mortales, succumbere uirtutes, ac uitia indies & ubiq; in altum se erigere, ut seipsos demum colligerent, & ad cor redirent homines, iustitiamq; ex animo sequerentur, ex stellarum indicijs & effectibus futura prognosticans, protulit in apertum,

Prophetiam quandam,	Lib. 1. *Infrà annum certè mundi, potentior.*
Arithmeticam quoq; speculatiuam,	Lib. 2.

Et alia nonnulla composuit, ut apud doctorem Recordum, medicum insignem, Londini olim reperi. Arithmetica eius impressa Moguntiæ fuit.

THOMAS BOVRCHERIVS. LXXV.

Ex Polydoro & Panuinio.

THomas Bourcherius, uir doctrina, moribus, & Essexiæ comitũ sanguine clarus, Eligensis etiam episcopus, Ioannem Kempium, de quo dictũ est, in Cantuariensi archipræsulatu sequebatur, antistitum ordine sexagesimus tertius. Hic quia Reginaldo Pecocko uel Pauoni, Cicestriẽsi episcopo, Henrico Parcherio, Thomæ Holdeno, atq; alijs Christianę ueritatis professoribus, molestias multas intulerat, à Rom. Pontifice Paulo secundo anno Domini 1464, in presbyterum Cardinalem assumebatur. In lucem non uenerunt, quæ super illis negocijs ad Papam scripsit.

Ex hac uita migrauit Thomas, anno à Christi aduentu in carnem 1489, & Cantuariæ sepultus dicitur, Henrico septimo regnante. Ad istum Ioannes Burius Augustinianus suum opus dedicauit, contra dictum Reginaldum.

NICOLAVS SVVAFHAM. LXXVI.

Ex Lelando.

NIcolaum Suuafhamũ, hoc loco cõmemorarem (inquit Lelandus) nisi forsitã longiusculus uiderer, Itaq; hæc de illo lectore uolo cognoscere,

Grantanum fuisse theologum (sic Cantabrigiam appellat) tum præterea Carmeliticam cohortem ibidem gubernasse: & quod aliquanto clarius est, toti academię Cancellarij nomine pręfuisse. Deniq; duos de theologicis rebus, sed stylo scholastico, libellos edidisse dicitur, nempe

Ordinarium lectionum, Lib. 1.
Determinationum quoq;, Lib. 1.

Cætera nos latent. Fato tandem ille concessit Grantæ, anno à mundi redemptoris ortu 1449, regnante Henrico sexto.

PHILIPPVS BROMIERDVS. LXXVII.

Ex Phil. Vuolphio.

PHilippus Bromierdus, Dominicanæ professionis homo, his uerbis à Philippo Vuolphio Hierapolita, uiro Germano, in tertio libro de Vitis peritorum uirorum, posteritati commendatur. Philippus (inquit) Bromierdus Anglus, theologiæ professor eximius fuit, & in diuini uerbi prædicatione efficax laborator. Non est tamen, ut in eo Tullianam eloquentiam desideret quisquam, quum ea ætas doctiores quàm facundiores tulerit. Congessit nihilominus, sed stylo scholastico,

Diuisionum prædicabilium, Lib. 1. *Vt sacræ ueritatis splendor.*
Sermonum quoq; per annum, Lib. 1.

Et alia suo tempore composuit multa. Claruit anno à nostri Messiæ natiuitate 1490, Henrico septimo regnante.

IOANNES MYLIS. LXXVIII.

Ex Aeneo naso.

IOannes Mylis, aliàs Milonis, spectatissimus utriusq; iuris doctor, prima iuuentutis suę tempora, Oxonij ad Nasum æneum, Cæsarearum ac Pontificiarum legū studijs collocasse dicitur. Per eos nanq; dies, quibus illic primùm doctis artibus Ioannes incubuit, Guilhelmus Smyth episcopus Lincolniensis, Margaritæ, regis Henrici matris, exemplo ductus, scholasticorū collegium ad eius nominis aulā Oxonij posuit. Quod ideò deinceps sic appellari uoluit, quòd eò loci, ut Polydorus habet, imago ærea, facie admodū immani, præ foribus extaret. Scripsit Ioannes inter alia multa,

Repertorium Canonici iuris, Lib. 1. *Absenti quæritur actio ex contractu.*

Quod opus in præfato collegio uidi scriptum. Fuitq; tandem Basileę impressum, anno Christi 1488, apud Nicolaum Kessler.

SHIRBVRNVS ORATOR. LXXIX.

Ex Lelando.

SHirburnus, Anglorum regis orator, & in arduis rebus ad diuersarū terrarum principes nuncius: uir talis erat, ut bonis artibus elimatā eloquentiam terse adiunxerit: & in rebus quas præclarè gessit, nescio quid Italicum expresserit. Qui iuuenis adhuc, tanta Latinarum & Græcarum literarū auiditate ardebat, ut & naturalium & diuinarum rerum exquisitam cognitionem, è pleno tanquam fonte demum exhauserit. Nec defuit tam luculentis successib. suus honos. Multas enim sub ipso rege suscepit legationes, & magni splendoris obiuit munera. Accessit & ad dignitatis cumulum, episcopatus Cicestriensis, beneficio eiusdem regis. Vnde & meritò his nostris temporibus, iustam nominis sui gloriam est consecutus. hæc Lelandus.

ROBERTVS VIDVVS. LXXX.

Ex Lelando.

RObertus Viduus, pòst imbibitas ad Isidis uadum bonarū artiū disciplinas, ubi natus erat, Thacostedę, quę uicus limitaneus Ostrosaxonū est, fortuna

fortuna fauente, uicarius meritò quidem designatus fuit. Fontanam postea Somersetensium cathedralem ecclesiam petijt: ubi & Canonicus prębendarius factus, uicarias Decani partes subijt, ac mores clericorũ corruptos strenuè castigauit. Musas suo seculo tam feliciter coluit, ut à doctis in poesi magnus haberetur. Eduuardum Nigellum, Eduuardi tertij Anglorum regis filium, & Gallomastigen, cum Hectore Troiano, artificiosissimo carmine cõtulit. de quo etiam in Assertione Arturij cecinimus:

Contulit Hectoreis arguta uoce triumphis,
Eduuardum Viduus doctißimus ille Nigellum,
Et facti precium tulit immortale poeta.

Extat & huius Vidui libellus Epigrammaton. Iam Viduus senectute fractus, quum immortalem ex literis famã sibi cõparasset, moriens Fontaneti seu Vuelliæ, animam Seruatori cõmendauit. Claruit Robertus anno à Christi natiuitate 1490, regnante Henrico septimo.

PETRVS KENINGALVS. LXXXI.
Ex Lelando.

PEtrus Keningalus, Carmelitanæ professionis homo, & sacrarum cõcionum propalator suo seculo ualde celebris, locum eruditione uaria (uerba Lelandi sunt) in nostro petit Catalogo. Erat autem (inquit) ut ego didici, genere quidem nobilis, ex Anglo patre in Gallijs prognatus, sed literarũ & artiũ cognitione multo nobilior. Studuit inter Isiacos per multos annos: nomenq; insignis theologi, ex publicis actis ibidem promeruit. Luculentũ eius doctrinæ testimonium adhuc adferunt opera ab illo edita, scilicet

Conciones ad clerum, *Lib. 1. Recordare quia recepisti bona.*
Disputationes ordinariæ, *Lib. 1.*

Et nonnulla alia. Obijt in Isidis uado, quod alio nomine Oxoniũ uocant, anno Domini 1494, in suo cœnobio sepultus.

IOANNES MORTONVS. LXXXII.
Ex Polydoro & Panuinio.

IOannes Mortonus, uir moribus & doctrina per suã ætatem clarissimus, ex Eligensi antistite Cantuariensis archiepiscopus, ordine sexagesimus quartus, anno Domini 1489 cõstituebatur, & ab Alexãdro sexto Rom. Pontifice postea tituli S. Anastasiæ Cardinalis presbyter. Incommoda multa & carcerum molestias sub Ricardo tertio Anglorum tyranno ille sustinuerat, quòd eius tyrannidi in multis non consensisset: & ęcontrà apud regem Henricum septimũ maxima authoritate ualebat, supremus Angliæ cancellarius factus. Homo tam seuerus erat, ac recti amator, ut Reginaldo cuidam Braio consiliario nobili adiunctus, si quid interdum peccatum esset, illud acriter, sed insigni modestia, in ipso rege reprehenderet: ita ut diceretur regiorum actuum prudens moderator. Scripsisse plura dicitur, sed ea nondum uidi.

Mundum reliquit Mortonus, uir qui sua tempestate omnes Angliæ prælatos prudentia & grauitate superabat, anno salutiferi partus 1500, Henrico prædicto regnante, & Cantuariæ sepelitur.

HENRICVS MEDVVALL. LXXXIII.
Ex officinis Lond.

HEnricus Medvuall, homo perinde illustris atq; bonarum artium noticia clarus, authoritate quadam uel iustissima, nunc saltem exigit in nostrorum scriptorum referri numerum. Erat autem prædicto archiepiscopo, Ioanni Mortono, à sacellis atq; consuetudine domestica: & inter alia multa, in uulgari sermone ac poesi doctè & eleganter congessit,

De

De natura, Comoediam, Lib. 1. *Cunct. potens ille, qui omnem fabricam.*

Caeterarum eius editionum nihil uidi. Claruit anno salutis humanae 1490, sub rege Henrico septimo.

EADMVNDVS DVDLEY. LXXXIIII.

Ex relatione.

EAdmundus Dudley, illustris generis homo, & honestis progenitorum institutis à puero formatus, patriarum legum studijs Londini inter nobiles literatos, magnam diligentiam iurisconsultus adhibuit. Cum Henricus septimus Anglorum rex uideret, quaedā regni statuta à multis ac praecipuis uiris negligi, capto consilio ea recognoscere coepit: addita etiam mulctatione, illa non obseruantibus: huncq; constituit cum quodam Hemsono fiscalem iudicem. Qui ut à principe maiorem gratiam certatim iniret, delatorū armatus caterua, qui reorum nomina deferrent, prae studio conciliandae pecuniae, minus officij atq; humanitatis rationē habebat, aestimationemq; omnem inde amisit. Interim tamen iuridico stylo exarauit,

Arborem Reipublicae, Lib. 1.

Et alia nobis ignota. *Violatae fidelitatis demū accusatus, cum dicto Hemsono,* anno Domini 1509, ab Henrico octauo damnatur.

IOANNES BOKINGHAM. LXXXV.

Ex Bibliothecis.

IOannes Bokinghā, scholasticae theologiae doctor antiquus, & apud Oxonienses *multi ac magni nominis,* clarius mihi à libris quos edidit, & à Longobardi doctrina, quam in scholis exposuit, cognitus est, quàm à tempore quo *uixerit.* Apparet equidem, ut ea tam barbara ferebant secula, acutissimi ingenij uirum fuisse illum, & praeterea in eius generis literis à longo tempore uersatum, ac *magistrum earum eximium extitisse: quamuis* ad nullū Christianitatis commodum. Reliquit scriptis, ut sui nominis memoriam posteritas haberet,

Quaestiones Sententiarum, Lib. 4. *Vtrum Deo frui sit summa merces.*
Ordinarias disceptationes, Lib. 1.

Eiusq; generis alia. Et fuit eius opus in Sententias Parisijs excusum, anno à Christi natiuitate 1505, regnante Henrico septimo.

HENRICVS HORNEBY. LXXXVI.

Ex relatione.

HEnricus Horneby, ex patria *Lincolniensi natus, Cantabrigiensis* academiae theologus, & eius collegij rector, quod à Benedicto nomē accepit, eas artes in iuuentute excoluit, quę hominem sublimiora petentem in altum euehunt. Eius tempore Margarita Henrici regis mater, binas Cantabrigiae in loco celebri extruxit magnificas aedes, in quibus duo apparatu magnifico in studiosorum gratiam collegia condidit, alterū Seruatori Christo, alterum diuo euangelistae Ioanni sacrum, magnisq; prouentibus auxit. Ad hanc illustrissimam foeminam, Hornebius edidisse fertur,

Historiam nominis Iesu, Lib. 1. *A solis ortu usq; ad occasum laud.*
Historiam uisitationis Mariae, Lib. 1. *Aeterni patris filius, Mariam com.*

Cetera eius opuscula non uidi. Claruit anno restaurationis humanae 1510, sub Henrico octauo Anglorum rege.

GVILHELMVS BLAKENEY. LXXXVII.

Ex Lelando.

GVilhelmus Blakeney, qui Latiniori uocabulo Nigerius cognominatur, eiusdem sui natalis oppidi Carmelita, Grantanae scholae (sic scribit Lelandus)

Lelandus) cultor eximius fuit, & ibidem suffragio publico in theologorum relatus numerum. Qui pòst sophisticas & Scoticas artes, necromantiam studuisse dicitur, ac ceremonialis magiæ partes nouisse omnes: portentaq; multa & incredibilia per illas terras fecisse ab inhabitatoribus narratur. Ab eius ingenio sunt hæc profecta opuscula,

Lecturæ in Cantica canticorum, Lib. 1. *Osculetur me osculo oris sui.*
Disputationes subtilißimæ, Lib. 1.

Atq; alia. In precio senex fuit anno gratiæ 1490, & sub episcopo Nordouicensi incommoda pertulit. Obijtq; tandem Nigeriæ Volcarum aquilonarium, sub Henrico septimo.

IOANNES STANBRIGIVS. LXXXVIII.

Ex *officinis* Lond.

IOannes Stanbrigius, grammaticæ artis insignis ætate sua professor, Oxonij iam inde ab adolescentia bonarum se literarum studijs mancipauit, ut *multis per uitę suę reliquum prodesset tempus.* Apprimè enim necessariam esse comperiebat ad cęteras artes omnes, *Latinę linguę cognitionem.* Qua *potissimum ergo ratione puerorũ cõmodo consulere aut conducere posset* in tam utili negocio, diligenter inquisiuit, ac postea chartis tradidit

Paruulorum institutiones, Lib. 1. *Quid agendum sit cum uulgare aliquid.*
Vocabularium uersu, Lib. 1. *Sinciput & uertex, caput, occiput.*
De ordine constructionum, Lib. 1.
Vulgaria Stanbrigiana, Lib. 1.

Et alia quædam his similia. *Claruit anno à* Christi *seruatoris* aduentu in carnem 1510, sub rege Henrico octauo.

IOANNES HOLTIGENA. LXXXIX. Ex *officinis* Lond.

IOannes Holtigena (sic se appellat hic author) grammaticæ artis pædagogus quoq;, & prędicto Ioanne aliquanto posterior, studiosam pubem *bonis præceptis* ad usum Latinæ linguæ per eadem tempora probè educauit. Nullo sanè modo continere se poterat, quin & iste ad floridæ iuuentutis *utilitatem* publicã aliqua produceret. cõgessitq; in Anglico sermone opus, quod à nutriendi officio uocabat

Lac puerorum, Lib. 1.

Quod opus Londini cum Stanbrigij opusculis impressum fuit. Et claruit anno Domini 1510, quo præfatus Stanbrigius.

ROBERTVS SHIRVVODE. XC. Ex officinis.

ROberius Shirvuode, patria Couentriensis, ac professione theologus, *in ipso quasi regni umbilico natus,* post multarũ artium studia, in Oxoniensi gymnasio adlubescẽtibus magistris, magisterium & ipse adeptus est theologicum. Qui cum Louanij in Brabantinorum comitatu linguis politioribus ac literis sacris asiduam nauasset operam, anno à Christi seruatoris incarnatione 1523, ad Ioannem Vuebbe eruditum uirum, & Benedictinorũ cathedralis ecclesiæ Couentriensis præsidem scripsit

Explanationes in Ecclesiasten, Lib. 1. *Nescio profectò quo fato contigit.*
Sermones etiam edidit, Lib. 1.

Cætera eius scripta in lucem non uenerunt. Explanationes autem Antuerpiæ excusas uidi. Claruit anno prius numerato.

THOMAS ROBERTSONVS. XCI.

Ex *officinis.*

THomas Robertsonus, Eboracensis urbis alumnus, uir multæ eruditionis, & utriusq; linguæ Græcæ & Latinæ in Anglia peritissimus per suã

ætatem habebatur. Optimus iste Grammaticus, à D. Conrado Gesnero, clarissimo nostri tẽporis medico Tigurino, in uniuersali Bibliotheca nuncupatur, pro eo quòd inter cætera fœcundi ingenij monumenta, pro adolescentulorum informatione Latinè & doctè exarauerit, ad Ioannem Langlondũ Lincolniensem episcopum, annotationes in Guilhelmi Lilij regulas,

De Latinorum nominum generibus, Lib. 1. *Prodijt superioribus annis.*
De uerborum præteritis & supinis, Lib. 1. *Quædam istorum interdum.*

Appendices insuper adiecit,

De nominibus Heteroclitis, Lib. 1. *Adorsus de Heteroclitis scribere.*
De uerbis defectiuis, Lib. 1. *Sed nunc ut totum percurras.*
De uersibus pangendis, Lib. 1. *In hoc uersificandi methodo.*

Et hæc sunt à Bebelio & Cratandro Basileæ excusa, anno Domini 1532. Sed quid in theologia, eius etiam donatus professione, scripserit, nondum uidi. De cuius scriptis Henricus Knolæus:

Ausonij ruris segetes si falce recurua
Carpere fortè uelis, hunc pete lector agrum:
Vomere quem docto coluit doctissimus ille,
Ille Robertsonus, flos, decus Oxonij.

IOANNES PARKYNS. XCII.

Ex officinis Lond.

IOannes Parkyns, patriarũ legum uir ualde studiosus, ac Londini in interioris templi domo, leguleiorum seu iurisperitorum habitatione, socius et causidicus, per aliquot annos publicis illic foresium lectionibus præfuit. Ingeniosus admodũ atq; eloquens erat, in omni actione ad illud spectans officium, ut à pluribus audiui. & ad iuniorum antagonistarum informationem in ea speculatione clariorem ac necessariam, anno Domini 1530, Londini in lucem emisit,

Explanationes 11. *capitum iuris,* Lib. 1. *Qui usus rerum iuxta recti iud.*

Hæc sola sunt quæ sub eius nomine impressa uidi. Obijsse fertur circa annum à Christo incarnato 1545, Henrico octauo regnante.

ANTONIVS COPE. XCIII. *Ex officinis.*

ANtonius Cope, genere quidem nobilis & equestris ordinis homo, ut sapientia atq; uera animi nobilitate gauderet, multas per Angliã, Germaniam, Galliam & Italiam, bonarũ literarũ academias frequentauit. Indeq; tandem bonorum uirorum auditor non obliuiosus factus, ad diuinã legem se conuertit, & in eloquijs Dei cum sanctissimo Dauide frugaliter speculatus est. Postremò scripsit in Anglico sermone ad illustrissimam Catharinam Parram Angliæ reginam, elucidationes pias & doctas,

In uiginti Psalmos, Lib. 1. *Hominum in tribuendis strenis.*

Cætera eius scripta non uidi, cum tamẽ plura edidisse feratur. Claruit anno Domini 1548, sub Edvuardo sexto. In eius laudẽ Baptista Mantuanus epigramma olim cecinit, quod uidi.

OLIVERVS STARKEY. XCIIII.

Ex Grimoaldo.

OLiuerus Starkey, licet homo sit mihi tantum ex nomine notus, locum nihilominus in nostrorum scriptorũ Catalogo, iustissimo iure poscit, quum opuscula quædã, multa eruditione referta, scriptor & ipse secum adferat. Ita enim ille à primis studiorum annis, ut ex scriptis apparet, doctis assueuit artibus, ut maximarũ rerum noticiam inde non infeliciter hauserit. Vnde inter cætera condidit eloquenter ac nitidè,

Rhythmos in Ecclesiasten, Lib. 1.
Discursum in Salustium, Lib. 1.

Num alia præter hæc scripserit, affirmare adhuc non possum. Claruisse fertur anno salutis humanæ 1550, Edvuardo sexto regnante.

IOANNES BATMANSON. XCV. *Ex Brigamo.*

IOannes Batmanson, monachus Carthusianus, & monachorum eiusdem superstitionis in Londinensi cœnobio præses, superciliosus, audax, arrogans, & quasi ad lites ac iurgia natus: pro protegendis Papistarum nugis ac mendacijs cõtra Fabrum Stapulensem, Erasmum & Lutherum, illis se murũ opposuit. Hunc depingens dictus Erasmus in quadam epistola ad Ricardũ Vuintoniensem, iuuenem prorsus indoctum, à Læo subornatum, & ad insaniã usq; gloriosum uocat. Qui tamen, ut eius scripta calumniosa breuiter tangam, Latinè contexuit,

De unica Magdalena, contra Fabrum, Lib. 1.
Contra annotationes Erasmi, Lib. 1.
Contra quædam scripta Lutheri, Lib. 1.
In prouerbia Salomonis, Lib. 1.
In Cantica canticorum, Lib. 1.
Instructiones nouiciorum, Lib. 1.
De contemptu mundi, Lib. 1.
De Christo duodenni, Hom. 1. *Cum factus esset annorum duodecim.*
Super Missus est, Hom. 1.

Et retractationes tandem edidit, quòd tam præcipitanter in Erasmum ac Lutherũ scripsisset. Obijt anno Christi 1531, Londini in Carthusia sepultus, Henrico octauo regnante.

PETRVS VVATTES. XCVI. *Ex relatione.*

PEtrus Vuattes, eiusdẽ Carthusianę sodalitatis etiam monachus erat, sed relucente Euãgelio regni Dei, & quibusdam eius generis monachis ob rebelliones erga regem pro suo Abadone, extremo supplicio affectis, papisticam sectã illã ipse deseruit. Qui in Christiana philosophia deinceps se exercens, fidem in filium Dei cõtra humanorum operum dogmata, & nudã ueritatem aduersus hypocrisim, confidenter docuit. Et regis authoritate Vuintertonensis ecclesiæ pastor in Nordouolgia constitutus, in Anglico sermone composuit,

De superioritate regia, Lib. 1.
Super piorum hominum desiderio, Lib. 1.
Super uana spe Papistarum, Lib. 1.

Feruntur & alia. Claruit, ducta coniuge, anno à diuini uerbi incarnatione 1548, sub rege Edvuardo sexto.

ARTHVRVS KELTON. XCVII. *Ex officinis.*

ARthurus Kelton, genere quidem ac patria Brytannus, elegantium scriptorum ac festiui ingenij gratia, hoc nostri Catalogi loco prætereũdus non est. Qui studiorum causa pluribus in locis uersatus, post exactã multarũ rerum cognitionem, ad historiam, quæ testis est temporum, ac doctrix ueritatis, se cõtulit. Hinc lectis authoribus multis, ad patriam illustrandam se statim accinxit: atq; ad suum dominum Guilhelmum Herbert, tunc equitem auratum, Penbrochiæ uerò nunc comitẽ, in Anglicis rhythmis artificiosa concinnitate congessit,

Laudes Cambrorum, Lib. 1. *Illustri domino Guilhelmo Herbert.*
Genealogiam eorum à Bryto, Lib. 1. *Dum inclitus ac prudens secretarius.*

Atque alia multa edidit, sed hæc mihi sola contigit uidisse. Claruit anno à salutari uirginis partu 1548, sub dicto Edvuardo.

IOANNES BECKINSAV. XCVIII.

Ex *officinis*.

IOannes Beckinsau, in Hamptonensi satrapia fertur oriundus, & quãtum ad literas tum Latinas tum Græcas, uir doctus admodum fuit: sed in doctrina fidei, quæ credenti salutẽ adferret, omni uespertilione aut noctua lucifugior. Marsupio tamen ac uentri prospiciens, dum Henricus octauus Anglorum rex Romani Pharaonis tyrannidem regno pelleret, authoritatem eius in uniuersum fucatam, impiam, & cõtra Dei uerbum usurpatam esse & ipse sibi persuasit, Latinè scribens ad eundem inuictissimum regem,

De absoluto regis imperio, Lib. 1. *Qui rem aliquam literis suis illust.*

Opus est impressum. At nunc, ut canis ad uomitum, sub Maria filia reuersus, anno Domini 1554, Babylonicæ bestiæ fœdissimis pedibus oscula denuò præbuit.

THOMAS SVVINERTON. XCIX. Ex *officinis*.

THomas Svuinerton à *teneris annis* bonarum artium & linguarum studiosus, ac sacrificulus, publicas Anglorum academias cum fructu percelebrauit. Qui Mori Cancellarij tempore, inter primos Euangelij lucem amplectens, eorũ Papistarum horrore *territus*, qui Christi professores Sauli instar in custodiam tradebant, permutato nomine, Ioannem Robarts se dici simulabat. Immaculatã Domini legem multis in locis ille docebat, Gippesuici in *Sudouolgia præcipuè*, & in Cantia Sandouici. Interim etiam scripsit,

De Papicolarum susurris, Lib. 1.
De Pontificibus schismaticis, Lib. 1. *Consideras chare lector, tot esse.*
De tropis scripturarum, Lib. 1.

Bennonem quoque transtulit de uita Hildebrandi, et alia plura fecit. Anno Christi 1554. obijt exul, Emdonæ in Frisia sepultus.

ANDREAS SADELERVS. C.

Ex *persona*.

ANdreas Sadelerus Carlioli, *quod oppidũ est in læua insulæ parte uer*sus Scotiam situm, & Luguballia antiquitùs dictum, prognatus fuit: & *inter cultioris disciplinæ professores in inferiore* Germania *clarum* commeruit nomen. Ex Anglia nanque peregrinus, renascente doctrina fidei, Louanium *uenit*, & *inde in terram* Cleuensem, *ubi quorundam nobilium uiro*rum liberos Bucholdiæ primùm literis instituendos suscepit. Et ea potius illic docenda curabat, *quæ ad pueros Christianis moribus imbuẽdos faceret*, quàm quæ ad fabulas aut poetarum figmẽta. In quo munere quum summa integritate ac modestia uersaretur, *Vuesaliã ab optimo senatu uocatus est*, & in eius scholæ rectorem ac gymnasiarcham honorificè cooptatus. In qua quidem functione & *illum nunc manere puto, remque* literariam *non segniter* illustrare. Multa ille soluta ac pedestri oratione conscripsit, aduersus Antichristi & suorum dogmatistarum insanias: *potissimum contra duos* Minoritas Anglicos, hypocritas *insignes*, qui barbaris uersibus scurriliter in eum blaterassent.

Epigrammata etiam, & epistolas plures tam ad me quàm ad alios edidit. Claruit anno à diuini uerbi incarnatione 1556, dum Antichristus denuò in Anglia regnaret, atque innocentes flamma & igne consumeret.

CENTVRIAE VNDECIMAE SCRIPTORVM

Brytanniæ Finis, *authore* Ioanne Baleo.

IOANNIS BALEI SVDOVOLGII, ANGLI, DE SCRIPTORIBVS BRYTANNIAE Centuria duodecima, ex diuersis authoribus: & de illis, quorum tempora pro maiori parte ignorantur.

ALBANVS SOMNIATOR. I.

Ex Rogero Cestriensi.



ALBANVS Somniator, familiæ Benedictinæ ad D. Albani fanum in Hartfordiensi comitatu monachus, literarum cultu atque labore ingenium consecutus, doctrinæ suæ laude celebris euasit. Vnde eximia quadam arcanarum rerum cognitione præstās, ob uarias, quas in somnijs habebat, uisiones, tanquam magus aut uates in summa ueneratione habebatur apud multos. Nam & uersus quosdam propheticos edidit, per quos tandem cognosceretur Sextus ille Hyberniensis: de quo longè ante eius scripserunt tēpora & Gildas Albanius & Merlinus Caledonius. Chartis ergo commisit, uir prosa & carmine clarus,

Versus uaticinales, Lib. 1. *Anglia transmitte Leopardo lilia.*

Prophetias quoque, Lib. 1.

Potest bene esse, quòd alia adhuc multa composuerit: ego tamen, ut uerùm fatear, hos solos suorū operum titulos reperi. Sed quo tempore, aut sub quo rege claruerit, certè nondum inueni.

THEBITES ASTROLOGVS. II.

Ex Lelando & alijs.

THebites astrologus, mathematicusque doctissimus, Ben Chorat uel Chorę filius appellatus, genere quidē ac professione Iudæus fertur, & à Ioanne Lelando Anglicus, ab alijs uerò Hispanus esse cōmemoratur. Publico studiosorū bono, sua opera non defuit hic Thebites, dum uiueret sub imperatore Henrico sexto, qui quòd in non uagis seu inerrabilis sphæræ uestigandis motibus (ut habet Iacobus Curio) generosè cū obscurissimis & propè inexplicabilibus difficultatib. certarit, eruditis nō est ignotū. Congessit ille,

De significationibus Planetarum, Lib. 1.
De capite & cauda Draconis, Lib. 1.
Mathematum rudimenta quædam, Lib. 1.
De motu octauæ Sphæræ, Lib. 1.
Demonstrationes in Almagestum, Lib. 1.
Additiones in sphærica Menelai, Lib. 1.
De diffinitionibus, Lib. 1.
De imaginationibus, Lib. 1.
De Magia naturali, Lib. 1.

Et alia. Hic Alfragano eiusdē speculationis uiro coætaneus, claruit anno Domini 1190, & tempora Friderici 2 Imperatoris propè attigit.

GERIMVS THEOLOGVS. III.

Ex Glasconiæ Registro.

GErimus Theologus, Benedictinæ professionis monachus, & Glasconiensis cœnobij, ut ex scriptis apparet, alumnus, non solum eruditione, sed & uitæ quoque pia simplicitate clarus effulsit. In medio enim monasterialiū ceremoniarū, uel potius tenebrarū, eloquiorū Dei ex scripturis sacris

non obliuiscebatur, sed eam omnibus huius mundi elementis magnopere prætulit. Extatq; eius opus, diligenti cura conscriptum,

De diuina Dei lege, Lib. 1.

Cæterorum eius opusculorum nihil hucusq; uidi: neq; quo tempore uixerit, ex aliorum scriptis adhuc intellexi.

SOLITARIVS PRESBYTER. IIII.

Ex Iosia Simlero.

SOlitarius Cantuariensis ecclesiæ presbyter (aliud non inuenio impositum ei nomē) à paucis scriptoribus celebratus est: inter quos nunc prænitet Iosias Simlerus Tigurinus, nostri temporis scriptor planè eximius, in bibliothecæ Gesneri breuiario. Eluxit in Solitario illo alacritas quædam animi, qua proficeret ecclesiæ Christianæ, ut ex edito eius apparet libro. Composuit enim, religiose quidē, ac pro tempore ualde pie, opus, quod uocabat

Speculum Ecclesiæ, Lib. 1.

Nescio tamen, num idem opus sit quod Eadmundo eiusdem sedis archiepiscopo ascribitur. Nam quo tempore iste claruerit, penitus ignoratur.

GVILHELMVS DE LINCOLNIA. V.

Ex Lelandi collect.

GVilhelmus de Lincolnia, Carmelitanæ sectæ monachus, & in eadem urbe natus, magnam à literarū studijs, quas obnixè frequentabat, sibi comparauit laudem. Est Lincolnia urbs celebris in ora orientali sita, cuius pars altera monti imposita, ornatur templo magnifico, arceq; munitur ualida: altera loco plano posita, & ad austrū cōuersa, alluitur flumine Vuitham, & agrum habet tam fertilem quàm amœnum. Scripsit Guilhelmus, Cantabrigiæ doctor effectus, xxv Quæstiones,

In magistrum Sententiarum, Lib. 1. *Vtrum persona propriè dicatur.*

Oppositiones scholasticas, Lib. 1.

Sed & alia plura. Claruit anno à Christi Domini aduentu in carnem, 1360, dum Edvuardus eius nominis tertius in Anglia regnaret.

ERCOMBERTVS GRAMMATICASTER. VI.

Ex Glasconiæ registro.

ERcombertus Grammaticaster, quem Glasconiæ pædodidascalum ferunt, uir grauis ac modestus, summa cum diligentia rudiores pueros ad mores, iuuentutemq; ad literas informauit. Et ut hauriendis principijs facilior esset uia, pro tenera pube iuuanda, composuit

De octo partibus orationis, Lib. 1.

Regulas Grammaticales, Lib. 1.

De cæteris eius opusculis nihil constat: nec quo tempore claruerit, habetur quicquam.

IOANNES HYNTON. VII.

Ex Biblioth. Lond.

IOannes Hynton, maximus sui temporis sophista, nihil suis subtilitatibus magis aut potius agere uidebat̄, quàm ut auditores ab eo discerent insigniter errare, ac friuolis digladiationibus explicandam ueritatem obscuriorem reddere, uel planè obliterare. Tota nimirum eius disciplina non aliud quicquam erat, quàm captio quædam ex deprauatis uerborū dictionibus, subdola quadam cauillatione peruertens loquendi usum. Congessit ille

Fallaciarum formulas, Lib. 1. *Suppositiua, ad sensum dicta sunt.*

Cuius operis gloria, non nisi in sycophantijs ac fraudibus sita est. Huius etiam ignoratur tempus.

LENT-

LENTVVARDINVS THEOLOGVS. VIII.

Ex *Ioanne Frumentario.*

LEntvuardinus Theologus, & eiusdem professionis doctor, multi per suam ætatē nominis, à Ioanne Frumentario, qui uulgari nomine Vuhe-thampstede dicitur, in opere suo de Granis typicis, magnificè celebrabatur. Interpretatiuam theologiam patrum antiquorū exemplo, ille crebris laboribus studuit, didicit ac docuit, quæ separata quædā à scripturis uidetur esse sapientia, in qua unicuiq; iuxta suum sensuum abundare datum est, per uaria genera expositionum, quas D. Paulus mysteriorum locutiones uocat. Vnde post prælectiones publicas, in lucem emisit

In epistolas eiusdem Pauli, Lib. 14.

Et alia eius generis plura: quæ mihi nec in bibliothecis uidisse cōtigit unquam, neq; qua uixerit ætate constat.

ANONYMVS ANGLICVS. IX.

Ex *Martonensi collegio.*

ANonymus quidam Anglicus, calculator insignis, à literatura magis quàm de nomine mihi cognitus, Oxonij pro bonis artibus acquirendis, egregiam suo tempore nauabat operam. Qui quibusdam Mariani Scoti erroribus offensus, in libro illo potissimum quem de Vniuersali cōputo inscripsit, per uarias propositiones uehementer eos impugnabat. Casu semel contigit, ut apud Oxonium Martonensis collegij bibliothecam inuisens, in huius inter alios inciderem librum, quem aduersus eundem Marianum ediderat. Inexpectata illa fortuna lætus, authoris diligenter quæsiui nomē. Sed quum se non offerret legenti, operis titulum saltem in pugillaribus mœrens signaui, additis uerbis in eius libri frontispicio descriptis, scilicet, Anglicus quidam contra Marianum Scotum scripsit,

Circa calculationes, Lib. 1. *De numero annorum ab incarnatione.*

Posset tamen tam insigne ac laboris plenum opus, Emendationes temporum à nato Seruatore intitulari. In quo & nouam ac meliorem supputandi tradidit artem. Sed de tempore quo floruerit, reperio nihil.

ROBERTVS ORMESKIRCVS. X.

Ex *Biblioth. Oxon.*

RObertus Ormeskircus, Carmelitanę societatis fraterculus, Oxonij per diuersa studiorum genera, scientijs ad quęstum imbibendis solerter insudauit. Eius tempore, quidam eruditi uiri, Carmelitas sodales (quòd tetrè Vuicleui discipulos infestassent) frustra petijsse suam originem dicebant à Carmelo monte ac Thesbite Helia. Si sacer locus (inquiunt) & tempus longum, probos faciūt homines, Satan ipse ualde probus est, qui in cœlo cœpit ante hominem creatum. Addiderūt quoq;, inaniter gloriari illos in uirginis Mariæ titulo: potius enim debuissent in suam aduocatam assumpsisse Aegyptiacam meretricem illā, cum sint tam egregij scortatores. Scripsit igitur apprehenso calamo Robertus,

Propugnaculum sui ordinis, Lib. 1. *Romani pontifices & iura Canon.*

Et ualde pueriliter, sine solidis rationibus, suam est tutatus sectam. Claruit anno post Seruatorem natum 1380, regnante Ricardo secundo: & Oxonij tandem obijt.

IOANNES VVYCKAM. XI.

Ex *Martonensi collegio.*

IOannes Vuyckam, ordine sacrificus ac professione theologus, de eorum numero quos Scholasticos uocant, nihil prius habuit quàm assiduè aliorum,

aliorum, in quibus ingenium uigere nouit, scriptorum monumenta longa, eliminatis superfluis in compendia redigere. Et tanto cum fructu (inquiunt quidam) in aliquorũ operibus hoc fecit, præcipuè in ingentibus illis commentarijs, quos super quatuor Euangelistas Guilhelmus Notingamus minorita cõposuit, ut magnã inde laudẽ sibi cõparauerit. Opus illud uocatur,

Abbreuiationes Notingami, Lib. 4. *Abel. Super illo Christi dicto quæritur.*

Præter hunc unicum eius laborem, de isto authore nihil Oxonij in Martonensi bibliotheca, neq; alibi unquam, reperi.

THOMAS BRINTON. XII.

Ex Biblioth. Nord.

THomas Brinton (alij Britonem nuncupant) Benedictinorum ordinis apud Nordouicenses alumnos monachus, perlustratis Anglorũ gymnasijs doctis, summæ eruditionis fama multis per orbem innotuit. Romam in posterum perueniẽs, plures coram eius urbis pontifice in Latino sermone conciones fecit: & ideo Romanæ sedis pœnitentiarius ac Roffensis episcopus ordinatus, in Angliam ab eo discessit, & chartis commisit

Sermones coram pontifice, Lib. 1. *Gaudete in Domino semper, Phil.*
Sermones alios solennes, Lib. 1.

Aliaq; nonnulla composuit. Sed quo tempore, aut sub quo rege claruerit, compertum certè adhuc non habeo.

RADVLPHVS DE LONGO CAMPO. XIII.

Ex Ioanne Frumentario.

RAdulphus de Longo campo, sui temporis philosophus, rhetor ac poeta non ignobilis, urbes Anglicarum & Gallicarum regionum plures, bonarum literarum gratia, frequentauit & coluit. Adminiculatoribus interim atq; magistris optimis usus, sanis eorum institutis eò peruenit tandem, ut & ipse plura conscriberet ad aliorum utilitatem non modicam. nempe congessit, ut in Granis suis typicis Ioannes Frumentarius Albanensis abbas commemorat,

Commentarios in Anticlaudianum, Lib. 1.

De cæteris eius operibus nec ille, nec alius quisquam scribit, quòd unquam apud eos uiderim.

PHILIPPVS BEVERLAY. XIIII.

Ex Glasconiæ Registro.

PHilippus Beuerlay, seu sacrificus seu monachus fuerit, parũ nunc refert: inter Oxonienses alumnos, non exiguam sibi à sophistica subtilitate peperit suo tempore famam. Quam ut perpetuam conseruaret, consulto Aristotele, contentionis ac tenebrarum principe, cum alijs antiqui serpentis apparitoribus, ut & cognitu difficiliores & obscuriores scientias omnes redderet, dolosus artifex scripsit,

Quæstiones in Perihermenias, Lib. 2.
Super sex principijs, Lib. 1.

Et alia plura, sed eiusdem saporis. Quæ omnia in Glasconiensis monasterij bibliotheca, dum floreret, inueniebantur.

IOANNES LONEY. XV.

Ex Vualdeno.

IOannes Loney, *uel, ut alij scribunt,* Loueye, *Londinensis urbis* Carmelita, & Oxoniensis academiæ doctor, ut in Zizaniorum fasciculo Thomas Vualdenus recolit, ingenij præter communem sortem acuti, *utroq; in loco* specimen magnũ exhibuit. Quæ lis aut controuersia super paracleti à patre

cœlesti atq; eius æterno filio procesʃione, per illā ætatem fuerit, ſanè neſcio. Iſte autem in lucem tunc emiſit, quas Oxonij in magiſtrorum medio publicauerat, ordinarias quæſtiones plures,

De Spiritus ſancti miſsione, *Lib. 1. Vtrum Spiritus ſanctus procedens, &c.*
Lecturas ſolennes quoq;, *Lib. 1.*

Et plura his ſimilia. In quæſtione, apud Papicolas omnia ferè ſunt: tam uacillantes in ſua inueniūtur fide. Claruit Lonæus anno ab incarnato Dei uerbo 1390, ſub Ricardo ſecundo, & Londini demum obijt.

GVIDO DE MARCHIA. XVI.

Ex Biblioth. Oxon.

GVido de Marchia, ut ſub aliquo religionis colore ſuperſtitiones ad impietatem nutriret, Franciſcanorum ſectæ nudipedi ſe totum adiunxit, ac ſophiſticas artes ad doctoratum uſq; didicit. Quum aūt in aſtutijs deprehenderentur eius fratres ab his quibus diuina ueritas oculos dedit, & aperta penè eſſent eorum ſcelera, ad regem locuſtarum Romanum Pontificem rhythmicū ac barbarū opus pro ipſis defendēdis ille ſcripſit, quod uocabat *Querelam mundi contra religionem fratrum*, libro uno qui incipit: O' Chriſti uicarie (Satanæ dixiſſet) monarcha terrarum, &c. Liber eſt Oxonij, in collegio Reginæ.

RICARDVS LE RVYS. XVII.

Ex Biblioth. Nord.

RIcardus Le Ruys, ſtudioſus etiam Franciſcanæ profeſsionis æmulator & doctor, cauſam literariā legendo & diſputando in multis ſui ordinis cōuentibus ſtrenuè, at nō orthodoxè agebat. Nam multi tunc erant in mendicantium fraterculorum ſectis, non qui diuinas ſcripturas clariores redderent, ſed qui ueritatem ipſam ſophiſticis hominum commentis ac ratiocinationibus confunderent. Ex quorum numero & iſte Ricardus non infimus erat, qui ſuo tempore poſteris dedit,

Lecturam Sententiarum, *Lib. 4. Materia diuinarum ſcripturarum, &c.*
Quæſtiones quoq; uarias, *Lib. 1.*

In clauſtro monachorum Nordouicenſium commentarios hos uidi: nec aliud quod ſciam, huius authoris unquam uidi.

NICOLAVS ASTONVS. XVIII.

Ex Orialis collegio.

NIcolaus Aſtonus, Oxonij adoleſcens in Orialenſi collegio, quod Eduuardus ſecundus Anglorum rex condidit, philoſophiæ Ariſtotelicę operam olim dediſſe dicitur. In qua quum profeciſſet largiter, animum ad altiora, Petri nimirum Longobardi Sentētias, adiecit, ita ut earum ſupremus doctor & interpres ſit inde effectus. Et hoc ad coronidem addo, quòd poſt ſolennes in ea academia lectiones, ſcripſerit

Quæſtiones Sententiarum, *Lib. 4.*
Lecturas ordinarias, *Lib. 1.*

Hæc ſola ſe mihi obtulerunt in prædicti collegij bibliotheca, cæteris eius operibus in abdito ſepultis.

ADAMVS SCHOLASTICVS. XIX.

Ex Petro Vincentino.

ADamus Scholaſticus, magiſter in theologia gymnaſij Pariſienſis, ſed Anglicus natione, à Petro Vincentino Dominicano, inter eos doctores numeratur, qui Mariam Deiparam in originali peccato cōceptam, cum Dominicanis aſſerebāt, quorum ex omni ordine ingentem catalogum ad-

ducit. Inter Lutetianos etenim Sorbonistas, non exiguā ab ea speculatione, docendo & disputando sibi famam Adamus acquisiuit. Quam ut perpetuā in mundo cōseruaret, post publicas quas fecit in scholis lectiones, assumpto calamo prolixius concinnauit

Sententiarum commentarios, Lib. 4.

Ordinarias etiam quæstiones, & alia adhuc multa post se reliquisse comperitur. Sed de tempore quo uixit, nullibi scribitur.

GVILHELMVS STARNEFELDIVS. XX.

Ex Ioanne Lelando.

GVilhelmus Starnefeldius, patria Cantianus, & Nevuendeniensis cœnobij in eadem regione Carmelita, doctorq; Oxoniensis, tam ex Lelandi collectaneis quàm ex propria historia mihi cognitus est. Erat Nevuendenia solitudo quædam & locus olim syluestris, ad quem inter primos Carmelitæ, quum è Palestina in Angliam statim uenissent, anno Domini 1241, ex prima eorum institutione diuertebant. In hoc solitario loco, longo pôst tempore, Guilhelmus eius cœnobij præses factus, noctes atq; dies libris incumbebat, secum uoluens tempus omne perire, quod studio non impartiretur aliquo. Interim ille concinnauit

Historiam sui cœnobij, Lib. 1. *Quoniam secundum philosophum, primo Meta.*
Lecturas & conciones, Lib. 2.

Atq; alia quædam nobis ignota. Claruit anno à salutifero partu 1390, sub Ricardo secundo, fuitq; tandem Nevuendeniæ sepultus.

PVPVVELLVS SOPHISTA. XXI.

Ex Biblioth. Oxon.

PVpvuellus Sophista, sic dictus erat, nec aliud inuenio eius nomen, plures in Oxoniensi academia magister sophisticus produxit chimæras, in suppositionibus terminorum, hæcceitatibus, formalitatibus, ampliatiuis, instantijs, finito & infinito, fallacijs, consequentijs, obligatorijs, exclusiuis, distributiuis, reduplicatiuis & alijs, præter ea quæ traduntur in paruis logicalibus. Ex suo etiam Aristotele, magna barbarie extraxit

Quæstiones difficiles, Lib. 1. *Sciendum quod Aristoteles dicit.*

Aliaq; ludibria confinxit tenebricosus artifex, ut liberales scientias omnes atq; ueritates obscuriores redderet.

IOANNES DE MERISCO. XXII.

Ex Biblioth. Sanctofidensi.

IOannes de Merisco, Grammaticus ætate sua peritus ac doctus, inter cultioris literaturæ in seculo tam infœlici & barbaro professores, rara ingenij sui facilitate, clarum obtinuit nomen. Qui cum aperuisset literarium in Nordouolcarum satrapia ludum, prospiciens illis quos in sua arte docendos susceperat, opuscula quædam edidit, suis lectoribus grata, scilicet

De uarijs metrorum mensuris, Lib. 1. *Versus propriè dictus, restrictio est.*
Genera uerborum & nominum, Lib. 1. *Hæc nomina sunt generis dubij.*

Similiaq; plura. In Sanctofidensi monachorum cœnobio, quod à Nordouico ciuitate non procul distat, reperta hæc erant.

GALFRIDVS EGLYNE. XXIII.

Ex Roberto Recordo.

GAlfridus Eglyne, apud Anglos olim, Anglus & ipse, ualde celebris habebatur, tum naturalis eruditionis, tum Persicæ sapientiæ titulo. Persæ enim orientalium regionum populi, suos hariolos & uates Magos appellabant, sicut & Greci philosophos, Latini sapiētes, Brytāni & Galli Druydas, Aegyptij

Aegyptij prophetas ac sacerdotes, & Indi Gymnosophistas, suos dicebant. Eglinus uerò ex siderũ obseruatione & alijs naturalibus causis, scire se multa profitebatur, ac futura posse prædicere. Vnde uates uocari gestiens, artificiose congesśit

Quasdam prophetias, *Lib.1. Asinus coronatus turbabit regnum.*

Et alia quædã edidit. In Roberti Recordi illustris quidẽ medici musæo prophetiam hanc reperi, ubi didici Eglinum multo plures finxisse. Sed de eius tempore nihil accepi.

MARTINVS DE CLYVO. XXIIII.

Ex Nicol. Brigamo.

MArtinus de Clyuo, instituti Benedictini monachus Cantuariensis ecclesiæ ad fanum Seruatoris, à Nicolao Brigamo in Venationibus memorabilium rerum, ob doctrinam & scripta apertè celebratur. Erat fanum illud, templum ualde magnificum, à Romanis olim, ut Polydorus refert, suis dijs conditũ: & ab Augustino postea Christo, sed ad consuetas idololatrias, dedicatum, atq; in metropolitanam eius sedem translatum. In eo Martinus iste, cum à sacris esset concionibus, composuit

Homeliarum eruditarum *Lib.1. Nunc dicendum est primò de, &c.*

Alia quoq; formasse creditur: sed eius temporis chronographorum incuria, nihil eorum in lucem proferre ualemus.

RICARDVS CVNETIVS. XXV.

Ex Lelando.

RIcardus Cunetius, uulgò Kenet, eius generis cœnobita, quod à Carmelo Phœniciæ monte cognomentum accepit, philosophiæ ac cæteris artibus in Isiacorum gymnasio asśiduam dedit operam. Qui & salutis & uoluptatis gratia rei herbariæ studiosisśimus, inter cæteras occupationes, mira sedulitate uulgariũ herbarũ descriptiones, qualitates, uires, naturas & nomina, memoriter scire ac discutere laborauit, ut remedia certis ægritudinibus adferret. Ad rem medicã deinde, & ad sacras (sic Lelandus habet) se cõtulit literas, ex quibus splendidũ sibi comparauit nomen, scripsitq;

De uirtutibus aquarum, *Lib.1. Aurium pasśio, decimaseptima.*

Aliaq; dicitur edidisse quædam. Claruit Oxonij, anno à Christi seruatoris incarnatione 1390, sub rege Ricardo secundo.

DANIEL CERETVS. XXVI. Ex Ioan. Textore.

DAniel Ceretus, poeta memorabilis, musas amœniores suo seculo tanto cum fructu coluit, ut à peritis in ea arte hominibus magister nõ ultimus haberetur. Ex eius nempe doctisśimis carminibus, Ioannes Rauisius Textor Niuernensis, magnam suorum Epithetorum partem se fœneratum esse testatur. Sed in hoc uno nõ leuiter ipse fallitur, Brixianũ ciuẽ seu Transpadanæ regionis alumnum fuisse Danielem hunc iudicãs, quum certo fuerit suipsius testimonio Brytannus. Nam uno in loco sic habet,

Et nos exigua contenti nocte Brytanni.

Præter ea quæ alibi multis in locis recitat, elegãtisśima Ceretus epigrammata atq; carmina condidit, & alia multa fecit. Est in Brytannia Ceretica regio, quæ nunc Cardiganshire dicitur, cuius frequẽs in libris Syluestri Giraldi fit mentio.

GVALTERVS DVRI DENTIS. XXVII.

Ex officina Vuolphij.

GValterus Duri dentis, uetustus inter Anglos theologus, & in alijs sciẽtijs atq; artibus similiter eruditus, nihil ætate sua in uotis prius habuit,

quàm ueterum authorum monumēta assidua uersare manu. Qui ut illis suis doctoribus antiquis aliqua ex parte similis inueniretur, utq; fructus aliquis ex tam copioso labore posteris demum proueniret, propria sua manu congessit, Latinè & doctè,

In Euangelium Lucæ commentarios, Lib. 1. *Plures fuisse qui Euangelia scripserunt.*

Hoc opus uerò in quadam Londinensi bibliotheca, & apud Reynerum Vuolphium uidi: sed de alijs eius opusculis nihil.

IOANNES ROBINVS. XXVIII.

Ex Biblioth. Regis.

IOannes Robinus, uel ut uulgò dicitur Robyns, astrologus, prognosticator, ac prodigiorum cœlestium interpres olim clarissimus, in disciplinis liberalibus ab adolescētia ipsa sua adeò profecit, ut quicquid ad philosophiā pertinet, perfectè calluerit. In mathematicis etiam, quæ plures artes docent, qualis aut quantus fuerit, liber ab ipso in publicum editus, quem in Edvuardi sexti felicissimę memoriæ Anglorum regis bibliotheca uidi, satis abundè declarat. Valde lucidum opus exarauit Robinus, quod commentū uocabat

De portentosis Cometis, Lib. 1

Et Plinius ipse inter stellas repentè natas crinita sidera ponit. De quibus Lucanus Cordubensis, in primo poematum libro:

Ignota obscuræ uiderunt sidera noctes,
Ardentemq; polum, flammis cœloq; uolantes
Obliquas per inane faces, crinemq; timendi
Sideris, & terris minitantem regna Cometen.

RICARDVS MELCHESHAM. XXIX.

Ex Lelando.

RIcardus Melchesham, Cisterciensis ordinis ac Bellensis cœnobij, quod est in Cicestriensi diœcesi & in Sussexię Comitatu, monachus, multam docendo & dictitādo per eas terras famam cōparauit. Porrò cœnobiū illud etiam alio nomine Bellilocus, à bello quod Guilhelmus cognomēto Bastardus illic gesserat, ad monumentū partæ uictoriæ, dicebatur. In eo Melcheshamus per annos quàm plurimos prædicationis munus obiuit: & ut apud posteros maneret eius nomen, in lucem tum demum emisit

Sermonum iustum uolumen, Lib. 1.

Ita Ioannes Lelandus in suis Collectaneis, sed paucissimis uerbis, refert: de cæteris uerò factis eius nihil.

IOANNES. BEVERLAY. XXX.

Ex Biblioth. Oxon.

IOannes Beuerlaye, uel de Beuerlaco dictus, tanquam ex eius nominis oppido natus, eximiæ olim famæ theologicus doctor fuit, Oxoniumq; bonarum literarum urbem & eruditorum uirorum liberrimam fotricem ardenter excoluit. Beuerlacus autem, Eboracensis patriæ non infimæ notæ oppidum est, in ora orientali & in plano loco satis munitum, ut author est Polydorus. Ioannes iste in scholastica doctrina diu apud Carmelitas uersatus, & eius generis cuculliger fortassis, composuit

Quæstiones Sententiarum, Lib. 4. *Vtrum anima separata possit pati.*
Ordinarias disputationes, Lib. 1.

Aliaq; similia. Prædicta duo opera Oxonij sunt, in collegio Reginæ. Claruit anno salutis nostræ 1390, regnante Ricardo secundo.

STE-

STEPHANVS MESSALAH. XXXI.
Ex Lelando.

STephanus Messalah, ut ex Lelandi collectaneis accepi, Anglus, & astrologicæ artis professor peritissimus fuit, idemq; philosophus ac mathematicus insignis. Nimirum ille tam de astrorum cursu, quàm de iudicijs ad uitam & fortunam pertinentibus, plura suo tempore tum uerbis tum scriptis tractauit. Et ne de hoc nostro testimonio quis fluctuet, malo ex eius libris quàm nostra oratione, ipsius rei certitudinem perquiri. Nam chartis ille tradidit,

De reuolutione annorum mundi, Lib. 1.
Flores iudiciorum ex stellis, Lib. 1.
De compositione Astrolabij, Lib. 1.
De ratione circuli & stellarum, Lib. 1.

Et alia nonnulla, quorum aliqua per typographicam artem in lucem prodierunt, ut ex Roberti Constantini Nomenclatore claret.

REGINALDVS DE PIPERNO. XXXII.
Ex Biblioth. Ramesiæ.

REginaldus de Piperno, Dominicanæ societatis philosophus ac theologus, inter suæ professionis symmystas, ex claris facinoribus nomen laudesq; emeruit non uulgares. Saltem quòd post Porphyrium, Porretam, & Aristotelem, aliosq; eius generis magistros in sacrarum scripturarum explanatione, suos, Hugonem scilicet Barchinonensem, Aquinatem & Voraginem, tam anxiè sit sequutus. Composuit enim scholastico stylo,

Postillam in Ioannem, Lib. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium.*
Lecturas & sermones, Lib. 2.

Et alia his similia plura. Hæc olim in Ramesiensi monachorũ Benedictinorum cœnobio, uidenda se mihi offerebant.

IOANNES OXRACK. XXXIII.
Ex Biblioth. Ramesiæ.

IOannes Oxrack, secta, ut opinor, sacrificus, tam ex nomine, quàm ex quodam eius in Aristotelem scripto, mihi leuiter cognitus fuit, dum in cœnobio Ramesiensi ueterum librorum & antiquitatum monumenta disquirerem. Ex quo quidem opere illic reperto ac uiso, statim intellexi uersatum authorem in gymnasijs esse, & à literis atque acumine sophistico sibi acquisiuisse quoddam eruditionis nomen. Præficitur eidem operi, commentarij titulus,

In Aristotelis posteriora, Lib. 2. *Quemadmodum fatetur Aristoteles in tertio.*

De cæteris eius laboribus literarijs nihil accepi: solũ hoc legi, quòd Oxonij uixerit, docuerit, scripserit.

HVGO CAMPEDENVS. XXXIIII.
Ex officinis Lond.

HVgonem Campedenum his nostris scriptoribus adiungere, hoc inter alia me mouet. Quum in remotioribus terris diu multumq; studiorũ gratia laborasset, & earum linguarum peritus admodum esset, uertendis opusculis ab uno sermone in alium operam diligentem impendit. Et inter cætera nonnulla, historiam de Boccho Maurorum & Getuliæ rege, ac de quodam Sydraco, è Gallica lingua in Anglicam loquelam transtulit.

Liber incipit: *Inuenire poterunt homines in ueteribus libris, &c.* Opus habetur in Bibliopolarum officinis.

IOANNES YORKE XXXV.

Ex Biblioth. Nord.

IOannes Yorke, uel de Eboraco dictus, eiusdem antiquissimæ Brigantum urbis Carmelita, quæ ad literas sacras & philosophiam pertinent, Oxonij didicit, & ab ipso labore ingentem sibi famam ibidem acquisiuit. Et quum longo post tempore ad sublimiorem theologiæ cognitionem, ut tum erat, peruenisset, theologici nominis titulos ex academię suffragijs accipiens, eruditionis suæ specimen confestim exhibuit. Ascensa enim cathedra, utriusque instrumenti libros quosdã audientibus reliquis palàm interpretatus est: atque ut suorum studiorum fructus communiores faceret, scripsit

Præconia scripturæ sacræ, Lib. 1. Ego sum uia, ueritas & uita: qui, &c.
Lecturas in Genesin, Lib. 1. In principio creauit Deus cœlum.
Ordinarias expositiones, Lib. 1.

Et alia, quorum tituli in Nordouicensi monachorum cœnobio cum prædictis non inueniebantur. Sed de eius tempore nil constat.

STANTONVS MATHEMATICVS. XXXVI.

Ex Lelando.

STantonus mathematicus leuiter & tanquã per transennam mihi cognitus, at ita interim tamen, ut eum intellexerim non modò philosophum melioris notæ fuisse, uerum etiam mathematicum, & quidem insignẽ, quod eruditionis genus multa felicia ingenia antiquitùs cõmodissimè planè exercuit. Extant eius in tabulas Arsachelis uetustissimi authoris canones, opus non de triuio petitum, sed erutum potius ab ipsis sapientiæ recessibus, in libro uno. Extant & alia quæ composuit eius generis multa, quæ non uidi: nec quo tempore claruerit, noui.

GVILHELMVS DALTON. XXXVII.

Ex officinis Lond.

GVilhelmus Dalton, corporalium curationum magister, & multi per suam ætatem nominis medicus, ex uariarum ægritudinũ remedijs ac medelis, magnam sibi doctrinæ opinionem, amicitiam & fidem apud suos populares conciliabat. Rasis Arabs medicus in suis Aphorismis, unum medicum tantum ab ægrotante eligendum fore suadebat, quia unius (inquit) error magnam infamiam non inducit: & unius utilitas, quam in ægroto efficit, collaudatur. Huius sententiæ Daltonum esse memorẽ, pronunciant quidam, & ad multorum utilitatem contexuisse quandam ualde utilem

Practicam medicinalem, Lib. 1. Contra sonitum aurium, illatum.

Præter hoc unum, nihil opusculorum eius in Londinensium bibliopolarum officinis uidi, nec quo floruerit tempore noui.

ELANDVS DIALECTICVS. XXXVIII.

Ex officinis Lond.

ELandus Dialecticus, Oxoniensis academiæ sophista, tantũ in litigandi acumine ualebat, ut uafrum ac uersutum eius ingenium plures admirarentur. Poterat enim uanis & cõfictis uocabulis, quæcunque re ipsa falsissima sunt, ac rectæ hominum rationi impossibilia, mira calliditate uera esse conuincere. Concinnauitque pro sua arte confirmanda, fallacias quasdam, quas tamen uocabat

Conclusiones Dialecticas, Lib. 1. Omnia quæ sunt in mundo, conce.

Temporis, in quo Elandus hic noster uixit, nullus historicorum mentionem facit: nec multum refert.

GALFRIDVS ROMEVALLIS. XXXIX.

Ex Reynero Vuolphio.

GAlfridus Romeuallis, Bernarditarum seu Cisterciensium sectæ professor, ut ex scriptis eius apparet, quantum ad theologiæ cognitionem attinet, fama apud suos enituit multa. Erat post secularium (ut uocant) artiũ exercitationes primas, in sacrarum scripturarum lectione, ut illa tempora dabant, feliciter uersatus. Atq; ut suorum studiorum cursum auspicatius absolueret, partim concionando, partim dictando, uir prudẽs multa fecit, ac præterea scripsit

Sermonum suorum opus, Lib. 1. *Si filius Dei es, mitte te.*

Londini opus illud olim uidi, in officina Reyneri Vuolphij tunc regij impressoris: at tempus in quo uixerat, nullibi.

IOANNES MVLTON. XL. *Ex uetustis monumentis.*

IOannes Multon, Nordouicensis urbis Carmelita, & assiduus concionator, bonas horas sacrarũ literarũ studijs, sed eius ætatis fermento & Papæ sordibus pollutis, nocte dieq; collocauit. Defuit ei lepidum dicendi genus: non defuit eruditio tamen, si spiritus Apostolicus accessisset. Multa in prælatis ac monachis uehemẽter reprehendit: sed idololatrias Missæ, & alias Papistarũ præstigias nõ tetigit somniator. Scripsit in Latino sermone, quos uidi,

Sermones xc. per annum, Lib. 1.

Cætera, si quæ ediderit, in abdito delitescunt opuscula. Claruit autẽ anno summæ felicitatis nostræ 1400, sub Henrico quarto Anglorum rege.

ANDREAS HORNE. XLI.

Ex Gul. Botonero.

ANdreas Horne, Glocestriensis urbis alumnus, ut ego coniecturam facio, & eius antiquitatis ualde studiosus, Chronographos omnes, qui ante sua tempora eius de rebus quicquã scripserũt, summa solicitudine euoluebat. Et comparatis passim hinc inde multarum historiarum floribus, eos omnes quasi in unam rerum fascem uel congeriem collocans, conspicuum opus edidit, quod uocabat

Claudiocestriæ Chronicon, Lib. 1.

Hæc habet Guilhelmus Botonerus in Anglicarum antiquitatum opere, sed eius tempora non addit.

GVALTERVS CATCHEPOLL. XLII.

Ex Biblioth. Regis.

GValterus Catchepoll, iurisconsultus, eò post longa legum studia existimationis peruenit, ut multarum actionum ad iura ipsa spectantiũ munere per Angliam fungeretur. Qui patriarũ legum integritati uires omnes accommodans, chartis inter cætera commisit, opus ab eo magnis sudoribus collectum,

De constitutionibus Angliæ, Lib. 1.

Quod opus, in illustrissimi simul atq; sanctissimi Edvuardi sexti Anglorum regis bibliotheca quandoq; reperi.

IOANNES LANGHAM. XLIII.

Ex Biblioth. Nord.

IOannes Langham, ex humili quodã eius cognominis Nordouolgiæ pago, non procul à Nigeria natus, & Augustinianorum fraterculorum instituta Nordouici professus, Cantabrigiæ Aristotelis & aliorum paganorum artibus, cõpluribus annis paganus inuigilauit. Tandemq; theologi titulo, ex Lombardicarum sententiarum longa lectione donatus, scriptis tradidit

Institutiones Logicales, Lib.1.

Scholasticas disputationes, Lib.1.

Et his similia plura: quæ Nordouici inter bibliothecæ eius ordinis cœnobij spolia, apud Gadsaluum quendam uidi.

ROBERTVS VEYSE. XLIIII.

Ex Biblioth. Cantab.

ROBertus Veyse, de Hulmo, nō procul à marino littore, Nordouicensis, & Benedictinæ societatis monachus, exercitationem liberalium literarum in primis familiarem iuxtà ac gratam habuit. Latinę linguæ, in ipsa penè bonarum literarum defectione, cultor assiduus adhæsit, ut studia seueriora facilius aggrederetur. Interimq́ue, ut in uocabulis copiosior ipse esset, summa diligentia Dictionarium collegit, quod uocabat

Catholicon paruum, Lib.1. *Alma, uirginem apud Hebræos abscond.*

Opus illud Cantabrigiæ aliquando, in Reginæ collegio uidi: & ob id solum, authorem hunc inserui scriptorum catalogo.

GVILHELMVS HARSYCK. XLV.

Ex Lelando.

GVilhelmus Harsyck, in Brunhamiensi Nordouolcarum comitatus cœnobio Carmelitici sectator instituti, Cantabrigianas scholas celebrauit, unde & magnificum theologi nomen adeptus est. Cogitabat deinceps sui muneris esse, perpetuum aliquod scholasticæ doctrinæ monumentū posteris suis relinquere, potissimùm quòd statutum inter eos foret, nullū pro pileato haberi magistro, qui non commentarium aut scriptum aliquod edidisset. Correpto igitur calamo, scripsit

Distinctionum theologicarum Lib.1. *Licitè aliquis potest diligere.*

Magistrales disceptatiōes, & alia fecit multa. Claruit anno seruatoris Christi 1410, regnante Henrico quarto.

NICOLAVS BOLLAR. XLVI.

Ex Thoma Caio.

NIcolaus Bollar, à tenella ætate Oxonij bonis literis incubuit, ac philosophiæ cognitioni impigram operam dedit, ut eius principia per certas demonstrationes, non per uafros syllogismos sciret. Nouit enim, philosophiam à gymnasijs traditam, cùm de singulis disputet atq́ue opinetur, de nullis esse certam, sectis eius inuicem dissidētibus, litemq́ue alentibus. Solam igitur illius quæsiuit partem, quæ naturalium rerum scrutatur causas, ipsamq́ue naturam demonstrat. Et tandem scripsit

Experimentorum naturalium, Lib.1.

Aliaq́ue plura. Hoc unum eius opus tantum, cum suis experimentis uarijs, Oxonij uidi, apud amicum Thomam Caium.

DOVVNEHAMVS THEOLOGVS. XLVII.

Ex Biblioth. Cantabr.

DOuunehamus theologus, Cantabrigiensis academiæ doctor, &, ut arbitrantur quidam, eiusdem loci olim uicecancellarius, utriusq́ue literaturæ, diuinæ (ut uocant) pariter & humanæ rudimēta, è cathedris summis docebat. His etiam ad cumulū pro colenda pietate adiecit sacras è suggesto cōciones, frequentes & doctas. Nam inter cætera Douunehamus exarauit

Sermones aliquot, Lib.1. *Abijciamus opera tenebrarum.*

Distinctiones Theologiæ, Lib.1.

Aliaq́ue multa, ut Cantabrigiæ apud Gundeuillanos aliquando cōtigit me uidisse. Sed de eius ætate nil scribitur.

CLARA-

CLARATONVS ANGLICVS. XLVIII.

Ex officinis Lond.

CLaratonus Anglicus, homo à uarijs literis atque linguis suo seculo commendatus, in hoc scriptorum numero, uel doctorum uirorum Catalogo, meritò ponendus est. Ex quadam quippe Londinensis urbis bibliotheca didici, atque apud amicum legi, Claratonum istum in Gallijs olim studuisse, & inter ocia sua literaria in Gallicos rhythmos uertisse historiã antiquorum Brytonum Galfridi Monemuthensis. Cæterorum eius laborum nõ reperio quicquam.

GALFRIDVS LYNGE. XLIX. *Ex Botonero.*

GAlfridus Lynge, Franciscanæ professionis alumnus, Nordouici, urbe hominum conuentu & negociatorum copia celebri, splendidam ex uariarum historiarum noticia sibi gloriam comparauit. Magno etenim tenebatur ardore cognoscendi suę patrię ab initio res gestas & historias, quibus quum longo studio, cõsultis earum authoribus, se saturasset, arrepto statim calamo in chartas retulit, à Bryti regis introitu,

Chronicorum opus, *Lib. 1. Anno à creatione mundi 2390.*

Et alia quædam. Huius operis cum laude non uulgari meminit Guilhelmus Botonerus Bristollensis, in suis Antiquitatibus.

IOANNES VVAYNFLETE. L.

Ex Lelando.

IOannes Vuaynflete, Carmelitanæ sodalitatis amator ac professor, & academiæ Grantanæ (alij Cantabrigiam uocant) alumnus, philosophię primùm, theologiæ postea studebat, cuius & celebri titulo ab eruditorum choro donatus est. Huius hominis famæ, partim declamationes quas illic & alibi faciebat, partim scripta in publicũ edita, incrementa non parua dederunt. Vixit demum post expletas in gymnasio lecturas, ex loci consuetudine ei designatas, in collegio sui ordinis, quod in principe Lindorum urbe situm est (Lincolniæ scilicet) ubi theologiam publicè legebat, & scripsit

Determinationum theologicarum, *Lib. 1.*
Sacrarum concionum, *Lib. 1.*
Commentariorum scripturæ, *Lib. plures.*

Hęc in scriptorum suorum Catalogo Lelandus. Claruit Vuaynfletus, anno à uerbi incarnatione 1418, sub rege Henrico quinto.

DRIFELDVS THEOLOGVS LI.

Ex officinis Lond.

DRifeldus Theologus (aliud non legi datum ei cognomen) de terra Eboracensi oriundus dicitur, & ætate sua uir ualde celebris erat, cùm philosophiæ tum sacræ paginæ, ut interpretantur, calculo. In quibus terrenarum diuinarumque rerum scientijs, summã cognitionem adeptus, opusculis scribendis se statim applicuit, & tanquam per manus posteritatis memoriæ feliciter mandauit,

De theologica disciplina, *Lib. 1.*
Aridum campum quoque, *Lib. 1.*

Et hoc alterum eius opus à suo cognomine, quod Aridum campum Latinè sonat, titulum sumpsit, in quo plura tractantur utilia.

HENRICVS DE LA VYLE. LII.

Ex biblioth. Oxon.

HEnricus de la Vyle, in Oxoniensi gymnasio & alibi, in studiosorũ gratiam prælector publicus, multa doctorum eius temporis more fecit.

Aristotelem Stagiritam, quem Christi fuisse præconem in naturalibus, magistri Colonienses, authore quodam Lamberto de Monte, per editum libellum olim declarabant, ille per disceptationes longas exposuit. Patet id per quæstiones illas futiles, dixissem subtiles, quas scripsit

In eundem Aristotelem, de Anima, Lib. 3. *Quæritur, an de anima possit esse.*

Et in alijs eius farinæ cõmentarijs super eodem authore. Opus illud Oxonij est, in collegio Magdalenensi.

GVALTERVS BVCKDENE. LIII.

Ex Bostono Buriensi.

GValterus Buckdene, fanatico quodam Dominicanæ superstitionis ardore ab ipsa adolescentia conflagrans, eius sectæ fraterculorum gregi se socium adiunxit: sed tam astutum & solertem, ut magnum apud illos fauorem sibi conflauerit. Quærebat potius ea ætas sophisticos neruos ac subtilitates, quàm orationis pompam aliquam. In fine studiorum, post lecturam suam ordinariam, magister Oxoniensis factus, composuit

Theologiæ quæstiones, Lib. 1.

Sic habet Bostonus Buriensis in magno suo Catalogo scriptorum ecclesiæ, ubi de ipso nihil aliud tradit.

IOANNES SEVERLE. LIIII.

Ex Biblioth. Nord.

IOannes Seuerle, utriusq; iuris professor, inter eos legum studiosos causidicos, qui Oxonium tunc incolebant, eximiam ab ea eruditione parauit sibi laudem. Iuuat ergo tam præclarum hominem, doctorũ uirorum numero, cum opportunis præconijs adiungere. Necessaria enim est legũ promulgatio, ut inde coerceatur improborum audacia, & ut inter malos boni quietius uiuant. Congessit Seuerleus, inter ocia literaria,

Lecturas ordinarias, Lib. plures.

Lecturam extraordinariam, Lib. 1. *Octauus de interdicto liber.*

Atq; alia quædam edidit, quæ nõ comparent. Claruit in diœcesi Sarisburiensi, sed tempus eius ignoratur.

MARTINVS SCVLTHORPIVS. LV.

Ex Lelando.

MArtinus Sculthorpius, patria Nordouolgius, Nigeriensis (Blakeneyam Lelandus Nigeriam appellat) cœnobij Carmelita, inter homines sui ordinis uirtute literaria enituit clarus. Grantæ Giruiorum (Cantabrigiæ scilicet) in solenni theologorum choro, theologici doctoris titulo post certamina scholastica Sculthorpius est donatus, cuius (inquit Lelandus) extant Latinè loquentes

Conciones sacræ, Lib. 1. *Regnabit rex, & sapiens erit.*

Determinationes quoq;, Lib. 1.

Quas dum uiueret, scriptis publicauit. Hæc omnia Lelandus. Claruit anno salutis 1430, in suo postmodum cœnobio sepultus.

BRAINHAMVS SOPHISTA. LVI.

Ex officina Lond.

BRainhamus sophista, Oxoniensium sophistarum raras in argumentando admiratus tum uersutias tum calliditates, eorũ unus esse cœpit, & illi studiorum generi præ cæteris multis adhærere. Erumpens iste multoties aduersus ueritates, uelut ex equo Troiano, portentosorum uerborum machinis, & subitis fallaciarum incendijs ac ruinis eas uastabat. Edidit demum, post sophismatum strophas, Aristotelis interpres factus,

Quæstiones Physicorum, Lib.8. *Quæstio est, quid sit abstrahere.*

Cætera huius authoris, & eiusdem generis opuscula, in Londinensibus officinis & Oxonij reperiuntur.

ROGERVS VVYNDORE. LVII.

Ex uetere Catalogo.

ROgerus Vuyndore, monachus ad Albani fanũ Benedictinus, ac præcentor, inter alios eius loci & ordinis homines, à teneris annis bonarũ artium uel studiosissimus fuit. Illud Catyeuchlanorum oppidum, in Hartfordiensi patria celebre, quod nunc ab Albano cognominatur, ciuitas olim erat, Ptolemæo teste, primaria, Verolamium dicta, & Romanis scriptoribus nota. In eo monachi erant, qui successione quadam conducti, regum gesta conscripserunt. Quorum unus hic Rogerus extitit, & in sua sorte ante Matthæum Parisium concinnauit

Chronicum quoddam, Lib.1.

Eius Chronici mentionem facit Catalogus uetustissimus doctorũ ac librorum, quorum nomina alphabetico ponuntur ordine.

IOANNES SOMERTON. LVIII.

Ex officinis Lond.

IOannes Somerton, Dominicanæ professionis & Nordouicensis urbis alumnus, baccalaureusq́, ut uocant, in sacra pagina formatus, feliciora suorum temporum exercitia in concionibus formādis collocauit, doctusq́ in eisdem euasit. Hinc famam sibi non uulgarem, tam apud clerum quàm populum, multis in locis comparauit. Vnde ad scribendum se componens, posteris suis reliquit,

Sermones per annum, Lib.1. *Emitte agnum Domine, dominatorem.*

Et alia quędam, sed mihi penitus ignota. Neq; satis constat, quò tempore aut sub quo rege claruerit.

STATHANVS LEGISPERITVS. LIX.

Ex Roberto Recordo.

STathanus Legisperitus, uir eruditione, dum uiueret, & humana prudentia clarissimus, nondum mihi tam apertè ex historiographorum lectione cognitus est, atq; ego certè cuperem. Operæprecium nihilominus erit, posteris illum uelut in transcursu commendare. In confesso enim est, in utroq; iure, ciuili & canonico, pulchrè illum fuisse eruditum, & Oxonij nonnunquam bonis studijs inuigilasse. Scripsitq́ tandem insigni labore,

Epitomen actionum municipalium, Lib.1.

Quod opus uidi apud Robertum Recordum, præstantissimum medicum, dum sanctissimus Edvuardus sextus in Anglia adhuc regnaret.

IOANNES COLLAEVS. LX.

Ex Lelando.

IOannes Colley, uel Collæus, Doncastriensis collegij in Eboracēsi Comitatu Carmelita, tam accuratè à nostro Lelando, maximo Scriptorum celebratore, laudatus est, ut aliorum laudationibus non indigeat. Tantum igitur ea quæ in ipso rem literariam lectoribus nostris commendant, breuiter & in transcursu explicabo. Doctis à primis studiorum suorum annis ita adsueuit artibus, ut eruditus et facūdus deinceps haberetur: ac, teste Lelando, Latinè & doctè admodum composuerit,

De laudibus Apostolorum, Lib.1. *Græcorum religio statuit, ut.*
De Christi passione, Lib.1. *Vox sanguinis fratris tui Abel.*
Epistolas ad diuersos, Lib.1. *Reuerendißimo in Christo patri.*

Sermones aliquot, *Lib.1.*

Cætera eius scripta tam Lelādo quàm mihi incognita sunt. Claruit anno nati Seruatoris 1440, *sub rege Henrico sexto.*

GVALTERVS PARKER. LXI.

Ex Biblioth. Lond.

GVaIterus Parker, patria Cornubiensis, conditione & officio sacerdos, sacrarum literarū ualde studiosus, asidua concione tam clerum quàm populum à uitijs ad uirtutes magno animi feruore uocabat. Præcipuè clerū tum uerbis tum scriptis adhortabatur, ut Christi gregem suo muneri commissum, doctrina & exemplis Christianis nutrirent, pastoresq; pascentes, non pastos, aut mercenarios tondentes, seipsos ostenderēt. Pręterea scripsit stylo illi ætati assueto,

Dexteram partem oculi sacerdotis, *Lib.1.*
Sinistram partem oculi sacerdotis, *Lib.1.*
Conciones quoq; plures, *Lib.1.*

Et alia nonnulla, quibus per ætatem suam apprimè clarus habebatur. Sed de tempore quo floruerit, nihil inuenitur.

ROBERTVS GENTYLL. LXII.

Ex Lelando.

ROBertus Gentyll, Pontfretensis cœnobij & Benedictinorum ordinis monachus, studio theologus, idemq; concionator uehemens erat, quo calculo represit luxuriantia alioqui hominum uitia, ac uirtutes mentibus auditorum altius infixit. Est Pontfretum, quod alio nomine Pons fractus appellatur, oppidum quoddam Legeolium antiquitùs dictum, inter Dancastrium & Eboracum, in media fere uia situm, loco magis amœno quàm natura munito. In eius loci monasterio Robertus iste literis commendauit,

Homeliarum opus, *Lib.1.*

Comparuit nuper (sic habet Lelandus) Homeliarum codex hoc authore, in bibliotheca cœnobitarum monasterij Pontis fracti.

DAMPORTVS MONACHVS. LXIII.

Ex Lelando.

DAmportus, monachus eiusdē loci & ordinis fuisse creditur, cuius ante illum prædictus Gentilis erat, Pontfretensis scilicet. Nam coniectura est (Lelandus inquit) utrumq; olim Benedictinum fuisse monachum Pontis fracti. Hoc enim emporiū antiquitùs erat, &, ut ego ex uetustissimo authore Antonino in Itinerario colligo, Legeolium quandoq; nuncupatum. Hæc ille. Damportus uerò post multarum prædicationū labores, assumpto calamo scripsit

Homelias Damporti, *Lib.1.*

Sic eas à suo cognomine intitulauit. Opus illud alteri adiunctum esse, tanquam ei non dissimile, Lelandus affirmat.

THOMAS EBORALL. LXIIII.

Ex Biblioth. Paulina.

THomas Eborall, ecclesiæ cathedralis Londini (ut fertur) ad Pauli fanū canonicus, exacti uir iudicij, non solum in philosophicis rebus, sed et in theologiæ mysterijs ipsis à multis habebatur. Oxonij post artium studia, sacrę facultatis, ut uocant, donatus professione, ac doctor declaratus, gloriam ab eruditione partam Londini non oscitanter amisit: sed inter ipsos regni proceres declamator asiduus, uehemēter potius auxit. Suis ille posteris reliquit, Sermones quos fecit

In uisitatione cleri Londinensis, Lib.1. Visita nos in salutari tuo.

Feruntur & alia multa ab ipso edita, quæ tamen ad lucem hucusque non uenerunt. Hæc sola hoc loco dicenda se offerunt.

IOANNES VPTONVS. LXV.

Ex Lelando.

IOannes Vptonus, in Lincolniensi patria natus, & in Stanfordiensis oppidi cœnobio Carmeliticā sectam professus, prima satis feliciter inter Oxonienses suorum studiorū tempora collocauit, ac theologico ab ipsis insignitus munere claruit. Qui postea ob celebres, quas Londini fecerat, cōciones, ad illustrissimi principis Thomæ Clarentiæ ducis confessionem uocatus, famæ incrementa accepit, & in magna apud illum existimatione permansit, ut ex quadam ad eundem ducem epistola Thomæ Vualdeni liquet. Fertur hic multa scripsisse opuscula, præsertim

Sermones eruditos, *Lib.1.*

At præter hoc unum eius opus, nihil extare noui. Couentriæ tandē obijt anno incarnationis Dominicæ 1442, sub Henrico sexto.

RICARDVS ELTESLEY. LXVI.

Ex Lelando.

RIcardus Eltesley, secta sacrificus, & Elteslegiensis ecclesiæ in uilla quadam rustica apud Grantanos seu Cantabrigienses parochus, bonas horas peractis templi ritibus, in literis tam sacris quàm profanis libenter collocauit. Qui mediocriter eruditus, putabat suas maximè partes esse, ut Pandionæ uirginis, patris Scotiæ reguli tyrannidem fugientis, cuius & reliquiæ Elteslegæ conquiescunt, uitam simul & uirtutes orbi testatissimas faceret. Congessit ideo triuiali stylo,

Vitam Pandionæ uirginis, Lib.1.

Quo nomine locum in meorum scriptorū Catalogo, mea cura ob tinet. Sic Lelandus, in quarto libro de Viris illustribus.

GVALTERVS TIRYNGTON. LXVII.

Ex Biblioth. Ramesiensi.

GVALTERUS Tiryngton, utriusque iuris professor ac doctor insignis, ob claram & multis eius ætatis hominibus cognitam ipsius eruditionem, inter legum scriptores nostræ nationis meritò numerandus aduenit. Erat ille in explicandis Papisticarum legum placitis, ingenio promptus & apertus, ut ex eius operibus liquet, quæ in Ramesiensi monasterio diuite illo, uidenda mihi olim se præbebant. Scripsit enim,

Casus quorundam decretalium, Lib.1. *Rex pacificus. Præmissa salutatione.*

In quasdam constitutiones, Lib.1. *Cum in multis olim ante istam constit.*

Et alia nonnulla, quę illic uidi, atque auida adeò uersaui manu, post eius gloriosi cœnobitarum nidi ob scelera euersionem.

HENRICVS DE OXONIO. LXVIII.

Ex Biblioth. Rhedingensi.

HEnricus de Oxonio, Chordigeræ sectæ, seu societatis eorum qui uulneratum Franciscum agnoscunt patrem, philosophus ac theologus in primis eruditus fuit, & quibusdam eorū collegijs multa cum grauitate præfuit. Prædicandi munus atque officium, orator uehemens & audax, libenter obibat: sed an Christo potius quàm hianti marsupio lucra quæsiturus, certè nescio. Hoc tamen interim scio, chartis illum cōmendasse, quos declamasset

Sermones festiuales, Lib.1. *Ecce sponsus uenit, exite ob.*

Sermones Dominicales, Lib.1.

Hos in duobus uoluminibus scriptos, ac posteritati relictos sermones, in Rhedingensi Minoritarum cœnobio uidi.

ROBERTVS TOMBLEY. LXIX.

Ex Lelando.

Robertus Tombley, Benedictinorum in Crolandiensi, ut fertur, cœnobio institutum ab adolescentia professus, magnum contemplandæ cœlestis doctrinę suis posteris reliquit exemplum. Nulla præterierat dies, cum per alias occupationes liceret, quin aliqua legeret, doceret, aut scriberet, ad aliorum, ut ipse putabat, ædificationē. Lelandus tamen in suis Collectaneis, solius eius operis meminit, quod ille post suas Lecturas contexuerat,

Super Cantica canticorum, Lib. 1. Os sponsi, inspiratio Christi est.

Credidit nihilominus multa scripsisse illum. Sed amplius de eius uita aut morte, nihil certi habet quod referat.

EDVVARDVS DYNLEY. LXX.

Ex Reynero Vuolphio.

Edvuardus Dynley, Nouicastrensis oppidi in Dunelmensi ditione nobilis, quod Tynna flumē alluit, Carmelita, iugem bonis literis operam adhibuit, ad sublimemq; rerum cognitionem sua ætate peruenit. Vnde famam non leuem ex editis hinc illinc concionibus postea cōsecutus (erat enim sui prouincialis, ut pręsidem uocāt, Nicolai Kentoni, uiri insigniter tum docti, in sua uisitatione socius) Latinè demum congessit

Sermones uigintiquatuor, Lib. 1. Leua in circuitu oculos tuos.

Aliaq; multa fecit. Apud Reynerum Vuolphium regium impressorē dictum opus uidi. Claruit Dynlæus anno Domini 1450, sub Henrico sexto.

ROGERVS ALBANVS. LXXI.

Ex suo Chronico.

Rogerus Albanus, uel Albon, in Hartfordiensi satrapia & ad Albani fanum oriundus, urbisq; Londinensis Carmelita, ac politissimus sui temporis scriba, hæc de se in cuiusdam succinctæ Chronologiæ præfatiuncula refert. Considerans (inquit) Chronicorum prolixitatem, multitudinem ac difficultatem, circa regum Brytānicorum seriem atq; res gestas, librorumq; apud multos inopiam: cōstitui ex illis omnibus Breuiarium colligere, eo ordine, quo facilius possint memoriæ commendari. In quo quidem opere laborem assumpsi non leuem: breuitati tamen ita studens, ut nihil de ueritate historiæ detruncarem, ab Adam incipiens per Noe & Iaphet, usq; ad Brutū primum conquæstorem & regem huius regni, & ab illo usq; ad Henricum sextum perduxi. Hæc ille. Idem quoq; ex Biblijs fecit, ostensa patrum serie per generationes ab Adamo ad Apostolos usq;. Tituli operum sunt,

Progenies regum Brytanniæ, Lib. 1. Considerans Chronicorum prolixitatem.
Compendium historiarum Bibliæ, Lib. 1. Considerans historiæ sacræ ab initio.

Ex Thomę Vualdeni operibus pulcherrima uolumina fecit, multa et magna. Claruit anno Christi 1450, Henrico sexto regnante, Londini tandē mortuus ac sepultus.

IOANNES TARTAYS. LXXII.

Ex Biblioth. Oxon.

Ioannes Tartays, si quis è sophistarum numero ponendus inter eruditos esset, magnum certè possideret hic locum, ut qui disputandi acumine ingeniosissimus planè iudicatus fuerit. Oxonij namq; per plures annos in Baliolensi collegio studuisse olim dicitur, publico academiæ suffragio in ma-

gistrorum classem relatus demum. Inter occupationes uarias, sed inutiles, in animũ eius uenit, ut posteritati aliquid in scriptis ipse relinqueret. Et edidit

Summulas logicales, Lib. 1.

Quæstiones naturales, Lib. 1.

Suppositiones, obligationes, problemata, consequentias, atque alia ociosi ingenij portenta, quæ adhuc in eo sunt collegio.

HENRICVS CRIXSTEDE. LXXIII.

Ex Ioanne Frumentario.

HEnricus Crixstede, Benedictinæ sodalitatis monachus ualde celebris, idẽ fecit apud suos, quod nõ alij quamlibet magnæ authoritatis uiri apud aliarũ sectarũ homines fecerunt. Nam Benedicti sui methodum, quam eius ordinis monachi omnibus Prophetarum & Apostolorũ scriptis præferunt, Latinis commentarijs illustrauit, teste Ioanne Frumentario in libro de Viris illustribus: qui infert, quod scripserit

In regulam monachorum, Lib. 1.

At prętet hoc unum, nihil commemorat eius opusculorum in opere tam spacioso, nec refert quo anno ipse claruerit.

GVILHELMVS PARYS. LXXIIII.

Ex Biblioth. Regis.

GVilhelmus Parys, in Anglia cuiusdam ecclesiæ archidiaconus, in humanis scientijs exercitatus, sublimiora maiori aggressus est animo, uidelicet diuinarum scripturarum peruestigationem. Qua parte nec incassum ille se fatigauit, parta tum demum, eximio labore, utriusque Dei Testamẽti cognitione. Vnde, ut ex illa aratione fructum adferret mundo, chartis cõmisit

Commentarios in Psalterium, Lib. 1.

Quod opus me olim uidisse in bibliotheca serenissimi Anglorum regis Edvuardi sexti, memoria adhuc teneo.

IOANNES ALDAR. LXXV.

Ex Biblioth. Regis.

IOannes Aldar, uel Aldarus, historiographus ualde celebris, et utraque scientia, diuina & humana eruditus, in delicijs plerunque habuit, post grauiora studia, iucunda Chronicorum atque historiarum lectione, defatigatum releuare animum. Senserat ex ea magnum quidem, ut ipse putabat, fructũ: quo ne solus perfrueretur, latè tandem eius sparsit semina. Extat eius opus in bibliotheca prædicti regis Edvuardi,

De Scotis & Hybernis, Lib. 1.

Aliaque multa scripsisse dicitur, quorum titulos nec uidi, nec quo tempore floruerit adhuc noui.

ROBERTVS HARDEBIVS. LXXVI.

Ex Lelandi Catalogo.

RObertus Hardebius, uel Hardeby, ex urbe Lincolniensi assectator eorum qui à Carmelo Phœnicię monte cognomentum accipiunt, ac Peripateticę theologiæ professor, rem apud suos in magna superstitione promouit literariam. Præses & ipse sui cœnobij à suis constitutus, Deiparæ matris, cuius titulum usurpabant, conceptionem, atque in cœlos, ut somniant, assumptionem corporalẽ, pro fidei articulis credendas asserebat. Inque stabilimentum eius, imprudenter exarauit sermones euulgandos

In festiuitatibus Mariæ, Lib. 1.

Et alia quædam falsiloquijs ac fabulis plena. Vixit anno salutis Christianorum 1450, sub rege Henrico sexto.

DONA-

DONAKAMENVS CAMBRIVS. LXXVII.

Ex Roberto Recordo.

DOnakamenus Cambrius, ex antiquo Brytannorũ genere prognatus, & liberalium artium magister, longo obliuionis carcere detentus, Roberti Recordi illustris medici adminiculo tandem emergit, & in apertam lucem prodit. Cambria, montana regio est, quo Brytannorum reliquię, Saxonum fugientes tyrannidem, commigrauere, & Vuallia ignominioso nomine ab Anglis nunc uocatur. Donakamenus uerò, ut suis in aliquo prodesse uideretur, scripsit de sua Brytannia

Versus uaticinales, Lib. 1. *Intrans cum sole canis, taurusq; leone.*

De cæteris eius scriptis nihil apud eius terræ scriptores reperio, neque de ipsius ætate, obitu aut sepultura.

GALFRIDVS ASPALDE. LXXVIII.

Ex Lelando.

GAlfridus Aspalde, uel Aspaldus dictus, inter Isiacæ scholæ (ab Iside præterlabente fluuio, Oxoniũ Lelandus sic uocat) scriptores, quòd philosophus ac mathematicus in primis eruditus esset, meritò connumerandus uenit. Erat enim felice quadã dexteritate, in eruendis naturæ mysterijs præditus: quam etiam uel confirmatissimam, Aristotele Peripateticorum philosophorũ facilè principe præceptore, assiduus usus reddidit. Extat eius opusculum cõcoctum, & curiose defæcatum, in eiusdem Aristotelis de Generatione librum, quem ego aliquando apud Isiacos, in musæo Dunelmẽsi uidi, atq; adeò auida uersaui manu. Tantum Lelandus. Quæ de Aspaldo referã, ampliora non habeo.

HVGO SOTOVAGINA. LXXIX.

Ex Brigamo & Lelando.

HVgo Sotouagina, præcentor & archidiaconus Eboracensis ecclesiæ, & ad D. Petri fanũ præpositus, à Ioanne Lelando in suis Collectaneis, & à Nicolao Brigamo in Venationibus rerum memorabilium, ob eruditionem insignem disertè celebratur. Vtroq; etenim scribẽdi genere probè per sua tunc tempora exercitatus, amœniores musas auidissimè coluit, & super diuersis rerum argumentis ac rationibus carmina quàm libentissimè cecinit, composuitq;

De uera amicitia, Lib. 1. *Philosophus quidam requisitus, quid sit.*

Distinctiones metrorum. Lib. 1. *Surge piger, quare dormis, mortis.*

Epistolas plures & carmina etiam edidisse fertur, quæ licet agrestia sint, pulchras tamen sententias secum afferunt.

SIMON THORNAYE. LXXX.

Ex Biblioth. Ramesiensi.

SImon Thornaye, ex diuite illo & famoso Benedictinorum cœnobio quod Ramesiæ conditum erat, prodijsse fertur: atq; inter artium professores, qui sua ætate Oxonij studuerunt, nõ minimus extitit. Vnde insignia theologici doctoris in eodem gymnasio adeptus tandem, cathedram, ut appellare solent, magistralem, in magna suorum auditorum frequentia, ordinariè disputando, docendo, legendo, determinando, & quodlibetisando, per plures occupauit annos. Et ut ex tanto labore maturum aliquem (sed sine sapore) fructum daret, chartis tradidit

Quæstiones Sententiarum, Lib. 4. *Quæstio est, utrum obiectum uolunta.*

Et alia quædam eius generis, quibus culicem egregiè excolabat, cæcorũ ductor iniquus, ut camelum deglutiret.

IOANNES CRESSYE. LXXXI.

Ex Lelando.

IOannes Cressye, ad Botulphi fanum in terra Lincolniẽsi Carmelita, Oxoniẽsis academię cultor, idemq́ue theologus fuit. Qui cum longiuscule scholas illas frequentasset, completis ministerijs, quæ ad eius spectabāt functionem, in suam reuersus patriam, sui gubernationi collegij, à suis cōmilitonibus electus, præfuit. Tum denique, ut specimen illustre aliquod ingenij atque eruditionis ostenderet, Mariæ Christiparæ in cœlum assumptæ

Magnas edidit laudes, Lib. 1.

Homeliasq́; per annum, Lib. 1.

Et alia plura cōposuit. Claruit anno à diuini uerbi incarnatione 1450. tandemq́ue obijt, ad Botulphi fanum sepultus. Hucusque Lelandus.

REGINALDVS CANTVARIENSIS. LXXXII.

Ex Nicol. Brigamo.

REginaldus, ad fanum Augustini Anglorum apostoli Cantuariæ monachus Benedictinus, optimarum artium, pensata temporis barbarie, amator maximus fuit, & qui suas horas melioribus occupabat studijs. Multæ lectionis homo ille erat, & nō minoris in rebus sciendis iudicij, scriptorque tam carmine quàm prosa excellens. Versu concinnauit ex Suida & alijs authoribus opus, ut ea dabat ætas, perelegans ac uenustum,

Super Malchum Byzantium, Lib. 1. *Prælia gesturus, ludos prius & quasi.*

Erat Malchus sophista quidam Græcus, qui tamen scripsit historiā à regno Constantini ad Anastasium usque, ut tradit Volaterranus.

GVILHELMVS MAVLIVS. LXXXIII.

Ex Raynero Vuolphio.

GVilhelmus Maulius, cuiusdam Mendicantium sectæ fraterculus, & in Essexia prognatus existimatur: sed ordinis aut uestium genus authores in suis scriptis non indicant. Erat excellens ætate sua popularium sermonum difflator, & à quibusdā summæ authoritatis uiris impense laudabatur. Hoc etiam de ipso, apud Raynerū Vuolphium, illustrissimi Anglorum regis Edvuardi sexti typographum, reperi, quòd Latinè scripserit

Sermones quadragesimales, Lib. 1. Abijciamus opera tenebrarum.

Nihil aliud ab eo unquam compositum uidi. Cæterùm, de tempore quo claruerit aut scripserit, incertus, nihil dico.

IOANNES DEDECVS. LXXXIIII.

Ex Lelando.

IOannes Dedecus (sic est ab historiographis dictus) in scholis aliquando floruit Isiacis, & liberales artes iugi excoluit cura, ac philosophiā inter cætera studiorum suorum genera plurimi fecit. Et ita ipsi inter alios eius generis authores Aristoteles placuit, ut in publica academia quosdam eius libros commentarijs illustraret. Manent adhuc in eorum bibliothecis exemplaria quædam, quorū aliqua illi seculo tam erant grata, ut tandē Isiaci publico, ut tum quidē uidebatur, cōmodo, ea prælo tradiderint, præsertim quæstiones

In Ethica eiusdem authoris, Lib. 10.

Sed quo tempore floruerit, non satis mihi constat. Hactenus Lelandus. In Gerbrandi bibliopolæ officina prædictum opus uidi.

NICOLAVS BREKENDALE. LXXXV.

Ex officinis Lond.

NIcolaus Brekendale, celeberrimi nominis per sua tempora grammaticus, non ingenio modò, uerumetiam calamo, utpote liberaliter educa

tus, plurimum apud suos ualuit. Constituit ille, post Priscianum & alios eius artis authores tam ueteres quàm nouellos, sed suo more, rationem reddere, quomodo orationis partes inuicem distinguendæ sint, & quis illarum in cō structione seruandus sit ordo. Et conuersus ad calamum, inter cætera uersu conscripsit opus, quod

Deponentale uocabat, Lib. 1.
De uerborum significationibus, Lib. 1.

Aliaq; plura edidit. Istum autem posteriores Grammatici, ueluti barbarū, cum similibus multis nunc auersantur.

DIONYSIVS HOLKAM. LXXXVI.
Ex Lelando.

Dionysius Holkam, in Nordouolcarum satrapia natus, & inter Carmelitas Brunhamienses ad imposturas nutritus, theologici doctoris nomine apud Cantabrigienses, sophista subtilissimus demum donatus fuit. Qui non ueri inueniendi, sed potius inuertendi gratia, in disceptationibus publicis altercandi ac decipiendi propositum habens, ex suo Scoto & eius farinæ alijs, stylo barbaro Dædalius artifex, congessit sophisticationes quasdam, quas uocabat

Formalitates Logicales, Lib. 1.

Et alia. Inanibus his umbris ostendit, quàm friuola essent quibus ornabatur eius magisterium. Obijt Brunhamij, anno Domini 1466, in suo cœnobio sepultus, sub Edvuardo quarto.

MICHAEL SMALFELDE. LXXXVII.
Ex Lelando.

Michael Smalfelde, Bellensis, ut fertur, monasterij, quod est in Sussexiæ patria, & Cisterciensis sectæ monachus, impendio literarū studiosus fuit: quo tandem euenit, ut in eruditum iuxta illam ætatem euaserit uirum. In quo studio quū diutinū uitę suę cursum peregisset, cupiditas quędā eius excitauit animū, ut posteritati aliquem ex longis laboribus fructum dedicaret. Bonis igitur auibus negotium illud assumens, summa cura perscripsit

Summam Christianæ doctrinæ, Lib. 1.

Quod opus in prædicti monasterij bibliotheca olim apparebat, ut Lelandus ipse in suis Collectaneis refert.

GVILHELMVS LEMSTER. LXXXVIII.
Ex Biblioth Lond.

Gvilhelmus Lemster, ex Herefordensi oriundus patria, & cuiusdā, sed nobis ignoti, Mendicantium ordinis doctor, inter Oxoniensis scholæ theologos, qui scriptis sua secula decorarunt, numerandus aduenit. Qui magno Aristotele Stagirita & Petro Longobardo præceptoribus, ac mortuis, in eruendis scripturarū mysterijs, continenter usus, inter cætera concinnauit

Collationes Sententiarum, Lib. 4.
Quæstiones Theologiæ, Lib. 1.

Et eius farinæ adhuc alia. Hæc opera sophisticis elenchis plena, Londini in quadam officina aliquando uidi.

IOANNES SETONVS. LXXXIX.
Ex Lelando.

Ioannes Setonus (senior dici deberet, ad differentiam alterius qui multo iunior & Cantabrigiensis fuit) Isiacis frequens in scholis, penitiores Aristotelis secessus, pro cognoscēdis philosophiæ partib. ac principijs, curiose est perscrutatus. Idēq; cum accurate fecisset, motus titillantis gloriæ fama, ab

asidua

assidua lectione animum alacer ad calamum adiecit, & in plura eius opera, quem pro præceptore gerebat, commentarios elaboratos exarauit, atque in lucem emisit: præcipue,

In Metaphysicen eiusdem authoris, Lib. 12.

Honestum hoc de Setono Isiaco testimonium est, quod ad presens dabo. Sic de eo Lelandus scribit, in 4. libro de Viris illustribus.

RICARDVS VVINCHELSEA. XC.

Ex Lelando.

RIcardus Vuinchelsea, professione, ut Lelandus colligit, Dominicanus, à Vincelseio suę natiuitatis loco cognominatus, pro magno habebatur apud suos theologo, quòd sciret egregie contendere, & ad omne propositū instantias dare. Promptissimè fingere eucullatorum more nouit, nouosque inuenire loquendi modos, & ita obstrepere, ut à nemine præ uerborum portentis intelligeretur. Nam ex ea (ut Lelandus author est) scriptorum secta fuit, qui res philosophicas simul ac theologicas subtilius quàm fidelius discutiunt. Extat eius uolumen, inquit,

Quæstionum, ut uocant, opinabilium, Lib. 1.

Aliud huius authoris uidi nihil. Hæc ille. Nec ego ampliora de hoc sophistico Dominici Caliguriani filio legi.

GVILHELMVS SVRFLET. XCI.

Ex Lelando.

GVilhelmus Surflet, uel Surfletus, fanum Botulphi, nobile in Lincolniensi Comitatu oppidum, Carmelita, studijs honestis deditus, incoluit. Deinde & Grantam Giruiorum (Cantabrigiam Lelandus intelligit) gymnasium celeberrimum petijt: atque ita strenuè bonis incubuit artibus, ut inter doctissimos magistrorum choros, doctor & ipse, meritò connumeratus sit. Supersunt adhuc plura Latinè scripta opuscula, sed eius ætatis more, stylo scholastico, quibus suum nomen posteritati commendauit. Et hæc se palàm ostendunt in eius loci bibliotheca, scilicet

Conciones sacræ, Lib. 1.
De uitijs & uirtutibus, Lib. 1.

Atque alia. Obijt ad fanum Botulphi, ubi & sepultus est, anno Christi 1466, ac die 13. Nouembris. Hæc Lelandus.

PHILIPPVS AVBINVS. XCII.

Ex Lelando.

PHilippus Aubyn, uel Aubinus, homo ætate sua doctissimus, philosophus ac mathematicus insignis, luculēta præclari ingenij exempla multa Isidis in uado non sine laude exhibuit. Inter quæ & illud nō erat minimū, quod Alphonsi regis Castellæ ac Legionis, qui astronomiā sideralemque scientiam profitebatur, insigne exemplum secutus, utilissimas in eadem arte tabulas perscripserit. Hæc sunt quæ Lelandus ipse de nostro Aubino notauit. Reliquum est ergo, illius operis addere titulum, uidelicet

Canones tabularum, Lib. 1.

Quæ præter hoc ediderit opus, harum rerum authores, quos ipse uidi, nō ponunt: nec quo tempore ille uixerit, ponunt.

IOANNES DESTIGIVS. XCIII.

Ex officina Lond.

IOannes Destigius, uel ut uetus exemplar habet, Destigio, pro sui studij forma ac scriptorum genere, Alexandrum Neckamum, Guilhelmum Bretonem, & Alanum de Insulis, authores sibi assumpsit imitādos. Murachismi

etiam Frãciscani illius exemplo, qui Mamatrectum, barbarum opus, edidit, pro intelligendis sacris Bibliorum uerbis ac sententijs, cum quodam socio suo scripsit,

Super dictiones Bibliorum, Lib. 1.

Opus hoc Londini, inter alios multæ uetustatis libros, apud amicum Ricardum Graftonum, typographum olim regium, uidi.

GVILHELMVS SEYTON. XCIIII.

Ex *officinis Lond.*

GVilhelmus Seyton, doctor in medicinis, eximius appellatus, locũ suorum studiorum Oxonium elegisse dicitur, & illic non leuia inter artiũ professores ingenij signa ostendisse. Ad rem medicam ac chirurgicam conuersus demum, Hippocratẽ sequutus, medendi artem ad causarum agnitionem, signorum noticiam, rerum qualitates, & diuersas corporum habitudines gradusq; reuocauit. Vtq; in fine suorum studiorum rationem daret, ac posteris aliquantum prodesset, uicturis chartis commendauit,

De curatrice Chirurgia, Lib. 1. *Potio Anglicorum ad plagas diluendas.*

Feruntur & alia ab eo edita opuscula, in quibus de morborum originalibus causis plura tractantur, sed eorum tituli desunt.

ROGERVS BLAKE. XCV.

Ex *Nicol. Brigamo.*

ROgerus Blake, aliàs Nigellus, Vuestmonasteriensis cœnobij tum magnifici tum extra Londinum urbem positi monachus, inter sodales nigros, Benedicti potius quàm Christi auscultans ritibus, & ipse nigrescebat. Ingenio tamen atq; eruditione clarus, inter eos qui Isidis ripas accolebant, magisterio theologico donatus fuit. Qui ne tali functioni deesse omnino uideretur, correpto demum calamo Latinè congessit, quos coram regni primatibus fecisset,

Sermones eruditos, Lib. 1. *Sapientia uincit maliciam, Christus diab.*

Cætera deleuit obliuio. Perijsset & huius operis cum suo authore memoria, nisi in suis Venationibus eandem seruasset Nicolaus Brigamus.

IOANNES SVTTONVS. XCVI.

Ex *Lelando.*

IOannes Suttonus, in Eboracensi Comitatu natus, et in Dancastriensi collegio Carmelita factus, ita literis ac scientijs incubuit, tam secularibus q̃ diuinis, & in eis profecit, ut ab Oxoniensibus magistris in rabinum, & à sectæ suæ primoribus in prouincialem præsidem, ordine uicesimusseptimus, designaretur. Tribus ferè annis suorum fratrũ regimini præfuit, dum Romæ per episcopos Myluertonus diri carceris perferret molestias: & prodigioso quodam theologorũ eius ætatis more, per quæstiunculas & inanes syllogismos plura protulit: ac tandem, Lelando ipso teste, scripsit

Quodlibeta quædam, Lib. 1.

Ordinarias quæstiones, Lib. 1.

Nulla alia sub eius nomine opuscula edita uidi. Ex hoc migrauit seculo, anno incarnati Mesiç 1473, Dancastriç sepultus, regnãte Edvuardo quarto.

GILBERTVS SEGRAVE. XCVII.

Ex *Lelando.*

GIlbertus Segraue, ex Leycestriensi patria fertur oriundus, & Isiacarum scholarum ornamentum aliquando extitit, hoc titulo, quod in naturali rerũ cognitione instructissimus, eximium philosophi nomẽ doctorũ suffragio comparauerit. Comparent passim cùm in bibliothecis Isiacis, tum alibi

alibi frequentiuscule, opera eius satis prolixa, sed scholastico more in proble mata & quæstiones disposita. Cōposuit enim, ut ex librorum titulis claret,

Quæstionum theologicarum Lib. 1.
Quodlibetorum quoq; Lib. 1.

Et alios adhuc plures eius generis libros: sed num extent, haud satis noui. Hæc Lelandus in 4. libro de Viris illustribus.

EADMVNDVS STOVRTON. XCVIII.

Ex Glasconiæ registro.

EAdmundus Stourton, eius loci cœnobita uel monachus olim fuit, in quo templum eluxit ualde magnificum, cœnobiumq; monasticæ familiæ Benedictinorum ordinis nobile, ac splendidum sepulchrū Arthuro regi positum, loco nomē est Glasconia. Nolo hominē hunc, quamuis apud suos in summo esset precio, ad præsens accuratè depingere: contentus magni registri eiusdem monasterij solum subijcere testimonium, quod illum pronunciat, dum uiueret, edidisse

Dialogum in regulam Benedicti, Lib. 1.
Super nominibus Mariæ & Ioannis, Lib. 1.

Atq; alios aliorum argumentorum libros, quorum tituli nondum uenerunt in lucem. Sed temporis eius mentionem non facit.

IOANNES STVKEY. XCIX.

Ex Biblioth. Nord.

IOannes Stukey, Benedictinorum instituti monachus, in famoso illo Nordouici ad Trinitatis fanum cœnobio factus, Oxonij in gymnasio publico, per cōsuetos artium cōscendebat gradus, donec ad Papisticæ theologiæ doctoratū ductore Aristotele perueniret. Qui mixtione quadā ex scripturis diuinis & syllogismis sophisticis usus, post publica quædam præludia uel exercitia magistralia in anabathris & cathedris, chartis duraturis cōmēdauit

Lecturam Sententiarum, Lib. 4.
Commentarios Scripturæ, Lib. 1.
Sermones per annum, Lib. 1.

Et eius generis alia posteris legenda reliquit. Hęc Nordouici in cathedralis ecclesiæ bibliotheca olim uidimus.

GVILHELMVS HERVYE. C.

Ex Biblioth. Nord.

GVilhelmus Heruye, patria Sudouolgius, & ex magno illo Buriensi cœnobio uel ad Eadmundi fanum Benedictinus quoq; monachus, eius theologiæ in Oxoniensi gymnasio professor extitit, quæ à sola suorum doctorum, & Scoti præ cæteris, fide dependet. Ex rationibus humanis ac diuinis monstrum biforme constituens, pro doctrina sana quæstiunculas & opiniones litigiosus sophista fabricabat, uimq; scripturis intulit sacris, ac fidem orthodoxam apud huius seculi sapientes, ludibrio quasi exposuit. Testātur hæc eius opera, quæ ex magnæ meretricis poculo ebrius euomuit, scilicet

Quæstiones ordinariæ, Lib. 1.
Problemata disputata, Lib. 1.
Lecturæ scholasticæ, Lib. 1.

Atq; eius farinæ adhuc alia, in prædicta monachorum bibliotheca olim reperta: quæ num extent adhuc, planè ignoro.

CENTVRIAE DVODECIMAE SCRIPTORVM
Brytanniæ Finis, authore Ioanne Baleo.

PLACET HIS ADDERE QVOSDAM AETATIS NOstræ scriptores, quorũ opuscula partim Anglicè, partim Latinè, Londini et alibi sunt impressa, ne quem uel parui momenti artificem à nostro Catalogo secludere uideamur.

IOannes Aldrisius, è regijs, Hetonensi primùm, & Cantabrigiẽsi postea, collegijs assumptus, ab ipso rege tandem in episcopum Carliolẽsem constitutus fuit. Qui bonarum literarum egregiè peritus, Guilhelmũ Hormannum Hetonæ uicepræpositũ, poeta poetam aduersus Rob. Vuhityngtonũ cõcitabat, ut maledicum illum & quorundam eruditorum uirorum hostem retunderet. Quod & ipse fecit, Antibossicon, opus certè aculeatũ, in illum edens. Composuit enim heroico carmine Aldrisius,

Ad eundem Guilhelmum, Lib. 1. *Quæ facis in Bossum, te carmina.*
Epigrammata quoq;, Lib. 1.

Atq; alia multa fecit. Claruit anno Domini 1530, uaria cõponẽs ac scribẽs.

¶ IOANNES Russell, homo, ut apparet, illustris generis fuit, sed eruditiõe multo illustrior, qui percepta Dei ueritate, in Latino sermone cõgessit

Super iure Cæsaris & Papæ, Lib. 1.
Commentarios in Cantica, Lib. 1.

Primum opus uidi in bibliotheca regis, alterũ in Iosiæ Simleri Epitome. Claruisse fertur anno Domini 1530.

¶ GVILHELMVS Roye, ætate sua uir non ineruditus, in patria lingua scripsit, inter patrem Christianum & filium contumacem,

Dialogum Christianum, Lib. 1. *Ignotum uobis non est, chariss.*
Aduersus Cardinalem Vuolsium, Lib. 1. *Progredere parue libelle, nec.*

Et alia quædam. Claruit anno Domini 1530.

¶ SIMON Fyshe, patria Cantianus, professione causidicus, Londini in loco qui uulgò dicitur Grayes inne, patriarum legum studijs inuigilans, ingeniose contra clericorum expilationes scripsit

Querimonias pauperum, Lib. 1. *Summis lachrymis suas conqueruntur.*

Atq; alia. Lõdini perijt peste, anno Dñi 1531, in Dũstani templo sepultus.

¶ IOANNES Povuell, Brytannus, de quo Fridericus Nausea cõcionator in Germania Viennensis, honorificam in suis scriptis mentionem facit, inter cætera congessit aduersus Lutheri captiuitatem Babylonicam,

Propugaculum Ecclesiæ, Lib. 1.

Quod opus in Regis bibliotheca uidi. Claruit anno Domini 1530.

¶ EDVVARDVS Povuell, etiam Brytãnus uel Cambrius, & num prædicti Ioannis frater nescio, pariterq; ueritatis nunc demum reuelatæ inimicus, Hormanno teste, scripsit

Aduersus doctrinam Lutheri, Lib. 1.

Qui tandem in Antichristi causa suo principi rebellis, anno Domini 1540, in foro fabrili cum duobus socijs laqueo suffocatus, uitam finiuit.

¶ IOANNES Houghton, in Carthusianorum Londinensium præpositura Ioanni Batmansono succedens, dum Dionysij Rykelli opera sub prælo adhuc essent, Coloniæ apud Quentellum typis excudenda, Latinè scripsit ad Theodoricum Loer Carthusiæ illic priorem,

Epistolas aliquot, Lib. 1. *Miraberis forsan, religiosissime pater.*

Atq; alia quædam. Qui postea aduersus regem, seditiosus Baalita, Papismum defendens, in gabalo suspensus, uitam finiuit anno Domini 1535. Eius exitum Mauritius Channey subdolè descripsit.

IOANNES Ryckes, pius ac placidus senex, relicta Minoritarũ obseruãtiũ papistica

papistica secta, Euãgelij lucẽ libẽs apprehẽdit, & in Anglica lingua scripsit
Imaginem diuini amoris, Lib.1. *Animo perpendens quatenus homines.*
Contra Papistarum blasphemias, Lib.1.
Transtulit item ad Dominum Thomam Cromvuelum,
Othonis Brunfelsij Prognosticon, Lib.1. *Cum hunc perlegissem tractatum.*
Aliaq; fecit multa. Obijt Londini anno salutis 1536.

¶GEORGIVS Bulleyn, comes Rochefordiæ, & Annæ reginæ frater, diuersi generis in Anglico sermone edidit
Rhythmos elegantißimos, Lib.1.
Mortem ille obijt anno Domini 1536, ad turrim Londinensem, cum quatuor socijs decollatus.

¶FRANCISCVS Bigot, ex Eboracẽsi patria auratus eques, homo nataliũ splẽdore nobilis ac doctus, et Euãgelicę ueritatis amator, scripsit cõtra clerũ
De impropriationibus, Lib.1.
Quosdã itẽ Latinos libros, Anglicos reddidit. Inter seditiosos tandẽ anno Domini 1537, inuito tamẽ eo repertus, eadẽ cũ illis indigna morte perijt.

¶RICARDVS Vuyse, elegans ætate sua iuuenis, doctusq; & ingeniosus, edidit, dum domino Cromvuelo à domestica esset familia,
De ueritate credenda, Lib.1. *Perpendens animo miserabilem ruinam.*
Atq; alia nonnulla. Claruit anno Domini 1538.

¶HENRICVS Morley, qui & dominus de Morley dictus est, uir literis clarus ac generis nobilitate conspicuus, in Anglico sermone edidit
Comœdias & tragœdias, Lib. plures.
Vitas sectariorum, Lib.1.
Rhythmos quoq; plures. Claruit senex anno Domini 1540.

¶BRIANVS Tucka, illustris generis eques auratus, & (Lelãdo teste) Anglicæ linguæ eloquentia mirificus, aduersus Polydorum Vergilium, quòd in multis labefactasset patriæ suæ gesta,
Chronicon quoddam edidit, Lib.1.
Chaucerumq; elucidauit, Lib.1.
Et alia fecit multa. Claruit anno Domini 1540.

¶GVILHELMVS Thynne, præclari generis homo, & ab ineunte ætate in literis educatus, multo labore, sedulitate & cura usus, in perquirendis uetustis exemplaribus, Chauceri opera restituit, atque in unum collegit uolumen: quod Henrico octauo Anglorum regi dedicauit, addito titulo
Castigationum Chauceri Lib.1. *Inter excellentias omnes, gratiose.*
Multaq; primæ adiecit editioni. Claruit anno Domini 1542.

¶IOANNES Smyth, aliàs Faber ferrarius dictus, ex Hetonensis scholæ pędagogo, Dotechensis ecclesię pastor constitutus, inter cętera composuit
De expolitione thematis, Lib.1.
Nonnullaq; alia. Claruit anno Dominicę incarnationis 1540.

¶RICARDVS Turpyn, ex honesta quadam Anglorum familia natus, & Caleti sub rege Henrico octauo militiam exercens, Anglicè congessit
Sui temporis Chronicon, Lib.1.
Obijtq; Caleti circa annum à Christi natiuitate 1541, in D. Nicolai templo illic sepultus.

¶THOMAS Vuyat, ex illustri prosapia auratus eques, cum animi generositate literas Cantabrigiæ coniungens, in illustratione patrij sermonis plurimùm laborabat. Eo namq; pręceptore (Lelandus sic habet) Brytãnica nobilitas in omni pulcherrimo rhythmorũ genere carmina nitidißima compo-
nere

nere didicit. Facundus uir erat, & lingua ualde eloquens, miraq; facilitate & gratia in Anglicos rhythmos transtulit,

Psalmos pœnitentiales, Lib. 1. *Amor, ut subditorum cordibus legem.*
Psalterium quoq; totum, Lib. 1.
Diuersi generis cantilenas, Lib. 1.

Et alia fecit multa. In Cantia demum obijsse fertur anno à Christi natiuitate 1541, quadragesimum ætatis uix attingens annũ. De quo Lelandus Antiquarius in Nænijs suis:

Bella suum merito iactet Florentia Dantem:
Regia Petrarchæ carmina Roma probet.
His non inferior patrio sermone Viatus,
Eloquij secum qui decus omne tulit.
Transtulit in nostram Dauidis carmina linguam,
Et numeros magna reddidit arte pares.
Non morietur opus tersum, spectabile, sacrum:
Clarior hac fama parte Viatus erit.
Vna dies geminos phœnices non dedit orbi:
Mors erit unius, uita sed alterius.
Rara auis in terris confectus morte Viatus,
Houerdum hæredem scripserat antè suum.
Dicere nemo potest rectè perijsse Viatum,
Ingenij cuius tot monumenta uigent.

¶ HENRICVS Houuerde, siue Houerdus, Surriæ Comes, ac illustris Thomæ Nordouolgiorum ducis filius fuit, & Viati prædicti indiuiduus sodalis, cuius ingenium & alias naturæ dotes multi sunt uehementer admirati. Iste Anglicis metris elucidauit,

Ecclesiasten Salomonis, Lib. 1. *Ego Salomon Dauidis filius.*
Psalmos Dauidis aliquot, Lib. 1.
Vergilij Maronis Aeneida, Lib. 1.
Pro duce Richemondiæ, Lib. 1.
Contra Londinenses ciues, Lib. 1.
Carmina iuuenilia, Lib. 1.

Epistolasq; elegantes edidit. Boccatium quoq; ad Pinum pro consolatione ex suo exilio, trãstulit. Londini tandem anno Domini 1547, prope turrim decollatus fuit. De quo Lelandus Antiquarius:

Accipe Regnorum Comes illustrißime carmen,
Quo mea musa tuum laudauit mœsta Viatum,
Non expectato sublatum funere terris.
Nominis ille tui dum uixit magnus amator:
Tu modò non uiuum coluisti candidus illum,
Verùm etiam uita defunctum carmine tali
Collaudasti, quale suum Chaucerus auitæ
Dulce decus linguæ uel iustè agnosceret esse.
Perge Houuerde precor, uirtute referre Viatum:
Dicerisq; tuæ clarißima gloria stirpis.

¶ IOANNES Felde, ciuis Londinensis, legisperitus, et magnus antagonista, uir trium principalium linguarũ peritus, ac ualde ingeniosus: scripsit ad articulos à Moro, Roffensi, Rastello, & alijs, sibi, dum ob Christi confeßionem captiuus teneretur, impositos

Responsiones eruditas, Lib. 1. *Interrogationes nono post eius aduent.*

De

De seruo hominis arbitrio, Lib.1. *In explicandis sacris utriusq; Testamenti.*
Contra quosdam Pseudomonachos. Lib.1. *Vt ad inutile certamen non decet.*
Epistolas ad Frithum & alios, Lib.1.
Patriarum legum collectiones, Lib.1.

Et alia eius generis congessit multa. Obijt anno Domini 1546, in Augusto, Londini sepultus.

¶ TRISTRAMVS Reuell, literis tam Græcis quàm Latinis eleganter instructus, intellectis scripturarum mysterijs, sine Antichristi charactere & oleo Christũ per synagogas docuit, trãstulitq; in patriã linguã ad Reginã Annã

Francisci Lamberti paradoxa, Lib.1. *Gratia & pax à Deo patre.*
Abbreuiauit eius Apocalypsim, Lib.1.

Multaq; alia fecit. Claruit anno Domini 1546.

¶ HENRICVS Brinkelovu, ciuis ac mercator Londinensis, homo pius, fideq; magis quàm eruditione clarus, mirabili flagrans diuinæ ueritatis amore, & erga eius aduersarium Antichristum odio, quorundam eruditorum uirorum adminiculis edidit, sub nomine Roderici Morsij,

Ad parliamentum Angliæ, Lib.1. *Misericors & omnipotens pater.*
Super Londino querimoniam, Lib.1. *Misericordiarum Deus ac Domine,*
Expostulationem ad clerum, Lib.1.

Quæ omnia impressa uidi. Obijt anno Domini 1546, Londini sepultus.

¶ ROBERTVS Shyngleton, sacrificus eruditus, qui ob agnitam & in suis concionibus publicatam Dei ueritatem, anno Domini 1543, cum duobus socijs B. & Vu. ad palinodiam Londini per episcopos cogebatur, inter cætera scripsit

De septem ecclesijs, Lib.1.
De spiritu, Lib.1.
Super quibusdam uaticinijs, Lib.1.

Primi duo libri in Regis bibliotheca uidendos se offerunt: ob tertium, inter proditionis reos Londini strangulatum ferunt, anno Domini 1544.

¶ GVILHELMVS Parfeius, Brytãnus uel Cambrius genere, patria quoq; Denbigensis, ad Angliæ iuuentutem uxores impetuose affectantem, Latinè composuit

Speculum iuuenum, Lib.1. *Rogatu, impulsuq; quorundam uirorum.*

In quo opere plurimos fœminarum uiperinos mores (quibus extremam trahantur in perniciem) ex omni penè eruditorum authorum genere selectos, sole clarius deprehendent. Aliorum eius opusculorum uidi nihil. Claruit anno Domini 1547.

¶ IOANNES Guineth, ex eadem Cambriensium terra sacrificus, Romanæq; meretricis alumnus & impostor, pro cõfirmandis olim papisticæ missæ idolomanijs, contra Ioannem Frith opusculum scripsit, quod uocabat

Confutationem primæ partis, Lib.1.

Cætera non uidi. Claruit senex anno Domini 1543.

¶ ANDREAS Boorde, ex Carthusianæ superstitionis monacho, malus medicus factus, in monte Pessulano in Gallijs eius artis professionem ac doctoratum, spreto diuini uerbi ministerio, suscepit. Congessit mœchus in sacerdotalis matrimonij contemptum

Prognostica quædam, Lib.1.
Promptuarium Physices, Lib.1.
De iudicijs urinarum, Lib.1.

Et alia. Quum sanctus hic pater, Vuintoniæ in sua domo, pro suis concœ

libibus

libibus Papæ sacrificulis prostibulum nutriret, in eo charitatis officio deprehensus, uenenato pharmaco anno Domini 1548 sibijpsi mortem accelerauit, ne in publicum spectandus ueniret.

¶ PHILIPPVS Gerrarde, Edvuardo sexto Anglorum regi à cubiculis, in Christi philosophia probabiliter uersatus, in illos inuehebatur ueritatis aduersarios ac papistas, qui Euangelij cursum impedire tentabāt. Et in Anglico sermone ad eundem regem scripsit

In Bibliomastiges, Lib. 1. *Exuberantia uirtutis diuinæ.*

Sic est aggressus *iniquitates filiorum Edom, in die Hierusalem*. Claruit *anno Domini* 1548.

¶ IOANNES Hayles, *uel Halesius, illustris generis* homo, bonarum literarum, ut ab eius uicinis accepi, ac trium principalium linguarū peritus fuit, qui ut patriæ suæ ad *sapientiam & uirtutes prodesset, Couentriæ* magnificas *erexit* scholas, ac pro pueris instituendis edidit

Introductiones quasdam, *Lib. 1.*

Cætera illius scripta non uidi. Claruit anno Domini 1548, quo hæc mihi sunt ab amicis relata.

¶ RICARDVS Ryce, in Sudouolgia uir Christum edoctus, ac secundum scientiam, iuxta dictum *Apostoli, zelum habens, scripsit inuectiuam*

Contra leuiora quædam uitia, Lib. 1. *Vbi in præclaris operibus, multo.*

Atque alia. Claruit anno *Domini* 1548.

¶ EADMVNDVS Shefelde, uir nobilis ac regulus, ex Lincolniensi patria oriundus, composuit inter cætera, *referente Grimoaldo*

Sonettos Italico more, Lib. 1.

Nordouici demum, *in commotione rusticorum occisus fuit, anno Domini* 1549.

¶ CATHERINA Latimera, uel Parra, fœmina *præclarissima*, & *ultima Henrici octaui Anglorum regis* uxor, in omnibus naturæ & gratiæ dotibus abundans, ad consolationem *multorum in Christo credentium, in Anglico sermone protulit*

Meditationes Psalmorum, Lib. 1. *Inter cætera Christianæ pietatis.*
Lamentationem peccatoris, Lib. 1. *Dum ipsa considero in agnitione.*

Per eruditos uiros, Erasmi Paraphrases super nouum Testamentum in patriam linguam transferri fecit, & ex hac uita migrauit anno Domini 1549.

¶ ANTONIVS Cooke, eques auratus, uir nobilis & utraque lingua doctus, tanta eximiarū uirtutum pollebat gratia, ut Edvuardo sexto Anglorū regi, in eius ætate tenera, ad bonas literas à patre daretur institutor, Ioanni Cheko incredibilis eruditionis heroi comes adiunctus. Accepi autē ex sermonibus multorum, eximium hunc hominem, & erga pietatem Christianam egregiè affectum, plura in utroque scribendi genere cōtexuisse opuscula: sed eorum titulos scire, nō est adhuc mihi datū. Claruit anno Domini 1550, quo hæc sunt ab amicis narrata.

¶ IOANNES Mardeley, uir pius, multarumque rerum noticia clarus, talem est ex asidua sacrarum scripturarum lectione spiritum consecutus, ut cæteras omnes huius seculi uoluptates, ob illas, negligēdas esse putauerit. In Anglico sermone, tam metro quàm prosa hic edidit, præcipuè

Contra simulachrorum cultum, Lib. 1. *Confundantur omnes qui adorant.*
De uirtute uerbi in cœna, Lib. 1. *Non admiremini uos præsules.*
Super Mammonæ periculo, Lib. 1. *Inter malorum omnium congeries.*
Contra Catechismum Iusti Ionæ, Lib. 1. *Mirantur multi tales esse homines.*

De

De ingratitudine Scotorum, Lib.1. *Dum luctuoso animo cogitarem.*
Super reditu sui Iosiæ, Lib.1. *Vt sol coruscantibus radijs.*
Querelam Anglicæ reipublicæ, Lib.1. *Illustris Anglorum natio inter.*
Christianæ uitæ semitam, Lib.1.
Gubernaculum hominis, Lib.1.

Dauidicos Psalmos 24, *in Anglicas* odas uertit, & cantilenas religiosas plures ipse fecit. Sed ob Querelam reipublicæ, *tractatum ab eo editū, mortem ualde difficulter euasit.* Claruit anno Domini 1550.

¶EADMVNDVS Gest, *bonorum authorum frequentatione ab ipsa adolescentia optimè formatus,* in promouenda ueritatis doctrina studiū omne collocabat. ac tandem scripsit,

Contra missam papisticam, Lib.1.
De Christi præsentia in cœna, Lib.1.
De libero hominis arbitrio, Lib.1.

Nonnullaq; alia. Claruit anno Domini 1550.

¶GVILHELMVS Billyngeslay, alchimisticæ aliarumq; curiosarū artiū, Bushio quodam teste, ualde studiosus, *demum congessit*

Epitomen Alchimiæ, Lib.1. *Aristoteles philosophorum doctiß.*

Atq; alia quædam. Claruisse fertur anno Domini 1550.

¶FRANCISCVS Mallet, theologiæ doctor, & D. Mariæ Henrici octaui filiæ, atq; nunc Anglorum reginæ, *olim à sacellis, Erasmi Paraphrasin in linguam uernaculam transtulit,*

Super Ioannis Euangelium, Lib.1.

Nescio num plura fecerit. Claruit anno Domini 1550.

¶IOANNES Marbeck, ex Vuindesori *castro, ubi magnificum ualde symphoniacorum clericorum* collegiū est, musicus ac psaltes peritißimus fuit. Qui ob diuinæ ueritatis professionem ad flammas & focos *cum tribus alijs damnatus, anno Domini 1543* Henrici regis beneficio Antichristorum furores solus euasit. Postea non paruo *labore in sermonem uulgarem* transtulit, ad Edvuardum sextum,

Maiores concordantias bibliorum, Lib.1. *Regno Christum profitenti, nec optatius.*

Tentabatq; tandem, circa Dictionarium Anglicolatinum similem industriam præstare. Claruit anno Domini 1550.

¶THOMAS Phaier, Brytannus genere, professione leguleius ac medicus, ad proximorum, ut ille putabat, utilitatem edidit, Instrumentorum, seu

Communium scriptorum exemplaria, Lib.1. *Pensata utilitate magna.*
De natura breuium quoq;, Lib.1.

Transtulit ex Gallico sermone,

De ægritudinibus puerorum, Lib.1. *Quamuis (quod non dubito) quisq;*
Regimen uitæ naturalis, Lib.1. *Humanum corpus constitutum est.*
De pestilentia & eius curatione, Lib.1. *Postquam Deus, omnipotens pater.*
De natura simplicium, Lib.1.

Cætera non uidi. Londini claruit, anno Domini 1550.

¶RICARDVS Sherrey, Oxonij olim apud Magdalenẽses Grammaticę artis pro pube instruenda gymnasiarches, ac postea donatus artium professione, homo, ut audio, eleganter doctus, in Anglicum idioma uertit Erasmum Roterodamum

De schematibus & tropis, Lib.1. *Non dubito quin ex hoc tractatu.*

Aliaq; plura fecit. Claruitq; anno Domini 1550.

¶NICOLAVS Lessæus, ciuis ac mercator Londinensis, à puericia tamen

in bonis literis, Latinis & Græcis liberaliter educatus, in patriam loquelam uertit, dedicauitq; Richemondiæ ducissæ Mariæ, meæ olim beneficentissimæ Dominæ, Martini Lutheri commentarium

In utramq; epistolam D. Petri, Lib. 2. *Non est mirandum, inclyta ac uirtuosa Do.*
Censuram Erasmi de diuortio, Lib. 1. *Contigit à paucis diebus, generos.*
Aepinum in quosdam Psalmos, Lib. 1. *Dum inciperem transferre, pia & gen.*
Augustinum de prædestinatione, Lib. 1.
Polydorum de inuentoribus rerum, Lib. 1.

Incœpit etiam uertere meas primas Brytannicorum scriptorũ Centurias quinq;. Et claruit anno Christi 1550.

¶ EADMVNDVS Becke, faceti ingenij homo, & præterea doctus, nobiliumq; liberorum domini de Stafforde institutor, opusculũ edidit, quod sua lingua uocabat Table talke, Latinè uerò

Conuiuales sermones, Lib. 1.

Cōgessitq; prefationes & annotationes Bibliorũ. Claruit anno Dñi 1550.

¶ THOMAS Nycols, legisperitus ac ciuis Londinensis, in Anglicam linguam transtulit Thucydidis Atheniensis historiam

De bello Peloponnensium, Lib. 8.

Alia non uidi huius hominis scripta. Claruit anno Domini 1550.

¶ IOANNES Griffyn, Brytannus genere, Cisterciensis primùm societatis alumnus apud Hayles in Vuigorniensi patria, tandemq; fidelis diuinæ ueritatis præco apud Hamptonenses, Latinè scripsit super Euangelia & epistolas per anni circuitum

Conciones æstiuales, Lib. 1. *Modicum & iam non uidebitis me.*
Conciones hyemales, Lib. 1. *Cum appropinquasset Iesus Hierosol.*

Plura non noui. Claruit anno Domini 1550.

¶ GVILHELMVS Baldevuyn, homo multarum, ut ex scriptis apparet, literarum & sapientiæ, qualis in ipso Catone relucebat, plurimarum rerũ usu comparatæ. Nam scripsit lingua uulgari

Vitas & responsa philosophorum, Lib. 1. *Dum Pericles collegisset exercitum.*
Præcepta & consilia eorundem, Lib. 1. *Ignotum non est his qui noticiam.*
De Adagiorum usu, Lib. 1. *Quemadmodum amator in amatæ.*
De similitudinibus & Prouerbijs, Lib. 1. *Finitis tribus opusculis iuxta.*

Comœdias etiam aliquot. Claruit anno Domini 1550.

¶ THOMAS Chaloner, equestris ordinis homo, bonarum literarum peritus, atq; ore facundus, & regij consilij primarius scriba, composuit

Dictionarium paruum pro pueris, Lib. 1. *Licet, uiri uenerabiles, tractatus iste.*
Transtulit Erasmi Moriam, Lib. 1.

Et alia plura fecit. Claruitq; anno Domini 1550.

¶ GEORGIVS Ferrerz, studio iurisconsultus, de Lincolniensi, quod uocant, leguleiorum collegio Londini, è Gallico sermone in Latinum uertit, leges quæ dicuntur

Statuta magnæ chartæ, Lib. 1. *Hic habes, candide lector, leges.*

Acrhythmos aliquot edidit. Claruitq; anno Domini 1552.

¶ EDVVARDVS Seymour, Herefordiæ comes & dux Somersetensis, auiculusq; serenissimi Anglorũ regis Edvuardi sexti, & eius personæ regiæ gubernator, dum altera uice in turre Londinensi teneretur captiuus, è Gallica lingua in Anglicum sermonem uertit, doctoris Caluini opus

De consolatione in aduersis, Lib. 1. *Quamuis singularem tibi dederit Deus.*
De cruce ferenda quoq;, Lib. 1.

Prope

Prope turrim prædictam decollatus fuit mitissimus hic princeps, anno Christi 1552, die 22 Ianuarij.

¶GVILHELMVS Graye, prædicti ducis famulus, amœnum atque facetū ingenium habens, magno uerborum & sententiarum ornatu ac pondere, composuit aduersus Thomam Smyth atque alios Papistici regni propugnatores, in patrio sermone

Diuersi generis rhythmos, Lib. 1.

Aliaque non pauca. Obijt anno Domini 1551.

¶IOANNES Clarke, Nordouolgiorum ducis Thomæ Houardi senioris notarius, in literis & linguis longa peregrinatione excellens, Latino eloquio composuit

Meditationem erga mortem, Lib. 1. *En mortem corporalem, Christiane lector.*
De mortuorum resurrectione, Lib. 1. *Hæc in publicum edidi peregrinis eloq.*
De Italica uerborum declinatione, Lib. 1. *Accipe Italicorum & Gallicorum, quas.*
De Gallica uerborum declinatione, Lib. 1. *Vt in lingua Latina, sic in Gallica.*

E' Gallico sermone transtulit

Opus de nobilitate, Lib. 1. *Nobilitas penes authores omnes.*

Et alia. In turre Londinensi captiuus, proprio, ut fertur, cingulo seipsum strangulauit, anno Domini 1552, die 10 Maij.

¶HVGO Goodaker, mihi aliquando in mansuetissimi Ioannis Poneti Vuintoniensis episcopi domo coniunctissimus socius, & mecum unà ab illustrissimo Anglorum rege Edvuardo sexto ad munus episcopale uocatus fuit. Vna enim die acciti ab eodem rege fuimus, una die confirmati, & sine ullis nostris sumptibus aut symoniaca labe ad Hyberniam missi. Et cum Dublinium peruenissemus, una die per Georgium archiepiscopum, assidentibus ei Thoma Kildariensi & Vrbano Dunensi episcopis, inuestiturā ac manuum impositionem, iuxta morem eius regionis, non sine magno eius gentis applausu suscepimus. Inde Armachanus archiepiscopus & Hyberniæ primas factus, ego autem Ossoriensis antistes, ab inuicem mox discessimus, ille in Hultoniam ad Aquilonem, ego in Orientem ad Laginiam, Hybernicæ nationis prouincias, imposita nobis onera fideliter executuri. Propagandæ diuinæ ueritatis noster hic Hugo, uir ualde studiosus erat, & plura composuit, quę ob inopinatā eius mortē nondū uenerūt in lucē. Ab hac uita namque migrauit, finitis uix tribus mensibus, non sine opinione ueneni per sacrificulos, anno Domini 1553, & in Maio Dublinij sepultus est in maiori templo.

¶LVCAS Opilio, Colcestriæ, ut ferunt, in Essexia natus, poeta ualde facetus erat, qui in poematibus ac rhythmis Skeltono non inferior, in patrio sermone eleganter edidit, honestis iocis ac salibus plenos

Aduersus ueritatis osores, *Libellos aliquot.*

Quosdam etiam Psalmos in rhythmos Anglicos uertit, tractatulosque fecit plures. Claruit anno Christi 1554.

¶IOANNA Dudleye, uel ex genitore Graia, Henrici prȩclarissimi Durotrigum seu Dorcetensium marchionis ac Sudouolgiorū ducis filia nobilissima, & Gilfordi florentissimi iuuenis uxor, Henrici octaui Anglorū regis ex sorore proneptis, xvij annorum iuuencula, trium principalium linguarum, Latinæ, Græcæ & Hebraicæ peritissima, inter cætera multa scripsit

Ad quendam ueritatis desertorem, Epist. 1. *Quoties mihi in mentem uenit.*
Colloquium cum Feckenhamo monacho, *Sic me alloquebatur primum Feck.*
Ad sororem Catherinam exhortationem, *Libellum hunc ad te mitto, soror.*
Precationes pias in carcere, *Aeterne Deus, unice misericordiarum pater.*

Querimoniam peccatricis, *Domine Deus meus, tu nosti.*
Quid Christianum hominem deceat.

Et alia quædam scripta minutula. Abscisionem sui capitis, post diri carceris molestias, cum suo marito innocens pertulit anno Christi 1554, die 12 Februarij.

Ioannes Parkhurstus de Ioanna:

Miraris Ianam Graio sermone ualere?
Quo nata est primùm tempore Graia fuit.

Idem in Feckenhamum monachum:

Nigra tegit uestis Fecknamum, aterq; cucullus:
Nigrior in nigra ueste tamen latitat.

¶ GVILHELMVS Thomas, postquam in Italia & Gallia bonis literis pluribus annis uacasset, in Angliã denuò reuersus, ac regij consilij notarius constitutus, ex Italico sermone in Anglicam linguam transtulit,

Leges rerum publicarum, Lib. 1.
De pontificibus Romanis, Lib. 1.

Nonnullaq; alia fecit. Cum in Stephanum Vuintoniensem uiolentas manus inijcere statuisset, supplicio affectus est anno Domini 1554.

¶ IOANNES Heyvuode, ciuis Londinensis, musices ac rhythmicæ artis in sua lingua studiosus, & sine doctrina ingeniosus, pro choreis post comessationes & epulas hilariter ducendis, spectaculis, ludis, aut personatis ludicris exhibendis, alijsq; uanitatibus fouendis, multum laborabat, ediditq;

De aura comœdiam, Lib. 1.
De amore tragœdiam, Lib. 1.
De quadruplici P. Lib. 1.
Centum epigrammata, Lib. 1.
Ducenta alia epigrammata, Lib. 1.
Epigrammata prouerbialia, Lib. 1.

Sed in promouenda ueritate nihil egit, ueritatis fastiditor. Vixit ille anno Domini 1556.

¶ LEONARDVS Digges, præclari generis homo, ex Cantia prognatus, architectus ac Geometer, pro metiendis agris, fundis, lapidibus, lignis, alijsq; ad ædificia formanda spectantibus, opusculum edidit, quod

Tectonicon uocabat, Lib. 1.
Prognosticon generale, Lib. 1.

Atq; eius generis alia. Claruit anno Domini 1556.

¶ IOANNES Eden, Cosmographus & alchimista, ut à quibusdam narratur, ingeniosus ac peritissimus, inter alia scripsit

De nauigationibus Portugalensium, Lib. 1.

Transtulit Petrum Martyrem Angleriensem:

De insulis nuper inuentis, Lib. 1.

Aliaq; fecit multa. Claruit anno Domini 1556.

¶ RICARDVS Chauncellar, post prima bonarum literarum studia, omnẽ curam in siderum contemplatione collocans, in astrologia pleraq; scripsisse dicitur, sed librorum suorum titulos non uidi.

Claruit anno à diuini uerbi incarnatione 1556.

¶ IOANNES Adams, regiæ pubis institutor sub nobili uiro Henrico Sydnæo, etiam nauticæ artis studiosus, exarauisse dicitur

Anglorum nauigationes ad Muscouiam, Lib. 1.

De cæteris eius scriptis nihil accepi. Floruit anno Domini 1556.

¶ RICAR-

¶ RICARDVS Candish, præclari generis philosophus, in Sudouolgia oriundus, bonis artibus ab ipsa adolescẽtia magno cum fructu operam dedit, & in patriam linguam transtulit

Geometriam Euclidis Megarensis, Lib. 15.

Et alia plura fecit. Claruitq́ anno Domini 1556.

¶ IACOBVS Brokes, doctor olim Oxoniẽsis, ac Baliolensis collegij præses, Antichristo papa cum omnibus sortilegijs & Dardaneis artibus in Angliam redeunte, cum primis & ipse uentris gratia ad uomitum redijt, et corã regina concionem (quæ nunc exuditur) alta uoce pronunciauit,

Super Angliæ defectione à Papa, Lib. 1. *Filia mea modò defuncta est.*

Ac si Regina Christus esset, Brokus synagogæ princeps Iairus, & Anglia eius filia. Sic cum Euangelio iocantur impostores papicolæ. Sed inde factus episcopus, blasphemias euomuit plures, anno Domini 1556.

¶ MILO Porcarius, aliàs Hoggarde, arte caligarius, & insignis palpator acnebulo, uir omni bonarum literarum cognitione uacuus, ac simia. Iste à sacrificulis Baaliticis conductus & edoctus, eorum toxica uirulenta in ueritatis professores, edito libello probroso ac barbaro, euomuit: in quo paganorum placitis somnia ac deliramenta sua omnia confirmat. Famem & omnes alias incommoditates super Angliam, ob Euangelij prædicationem uenisse garrit. Ex Vergilij Aeneide & Tullij quæstionibus Tusculanis ieiunia facienda elicit. In cæcitatibus, ignorantijs, blasphemijs ac mendacijs, salutẽ maledictus asinus ponit, aliaq́ Christianis auribus indigna ingerit, titulum addens operi

Contra protestantes Anglicos, Lib. 1. *Aerumnarum multiplicium reminiscens.*

Sed de isto in nona Centuria plura cõmemorauimus. Floruit insanus Porcarius anno Domini 1556. Aduersus illum scripserunt, Laurẽtius Vmfridus, Robertus Croulæus, Guilhelmus Kethus, & qui statim sequitur Ioannes Plough, atq́ alij adhuc plures.

¶ IOANNES Plough, patria Notingamiensis, uir pius & in Anglia olim diuini uerbi minister, congessit aduersus prædicti Porcarij uirulentissimas insanias,

Apologiam pro protestantibus, Lib. 1. *Gygem Lydium imitatus hic præstigiator.*
Contra mitratos in regno papistico, Lib. 1.
Tragicæ tubæ sonitum. Super aduerbijs Eucharisticis. Et alia: Vixit Basileæ anno Domini 1558, quo hæc scripsimus.

¶ IOANNEM Standicium, doctorem theologum, quem magna pars populi pro morione & scurra tenebat, hoc unum inter alia uehementer cruciabat, quòd Bibliorum scripturæ in patria lingua haberentur. Ad parliamentum igitur post Edvuardi regis mortẽ (nam antè bestia nõ audebat) scripsit

Ne amplius ederentur uulgari sermone, Lib. 1. *Quæstio mouenda summo regni parliamẽto.*
Contumelias in doctorem Barnes, Lib. 1.

Et alia multa impostor ille fecit. Obijsse uerò dicitur anno Domini 1556.

¶ GVILHELMVS Perinus, professione Dominicanus, cum Antichristi iugum excuteret Henricus octauus illustrissimus Anglorum rex, cum suo Papa regnum exiuit: & post xx annos eo iterum redeunte, tandem & ipse redijt, ueritatis osor atque perniciosus æmulus. Qui sub specioso Eucharistiæ sacræ titulo quatuor sermones edidit

Pro magno Deo Mauzim, Lib. 1.
De Papistica missa quoq́, Lib. 1.

Aliaq́ similia. Vixit anno Domini 1556, cæcorum ductor.

In

In Perinum, qui libello edito, Missas stabilire conatus est, Ioannes Parkhurstus:

Desipis, insulsas qui fers ad sidera Missas:
Missas fac missas stulte Perine tuas.

Idem ad Thomam Benthamum:

Noscere forte cupis, quis nam fuit iste Perinus:
Accipe, si nescis, Dæmonicanus erat.

¶ IOANNES Barœtus, Linnæ in Nordouolgia ex honesta familia prognatus, atque inter Carmelitas sodales illic & Cantabrigiæ ad theologiæ doctoratum usque nutritus, optimeque institutus, relucente tandem Dei ueritate, inter primos cum Simone quodam Euangelicum dogma suscepit. Nunc autem, quo uertiginis spiritu ductus nescio, tanquam uilissimus canis, ad uomitum est reuersus, Christique stabiles testes ac famulos fideles, ut in Roberto Vuatsono & alijs claret, letaliter mordet. Scripsit ueruntamen inter cætera, Latinè & doctè,

Reformationes Ioannis Trissæ,	*Lib.1. Radulphus Alemanus de pro.*
Annotationes aliquot in Paulum,	*Lib.1. Paulus autem binomius est.*
In canonicam Ioannis primam,	*Lib.1. Qui in re theologica.*
Orationes ad clerum,	*Lib.1. Etsi fides totius ecclesiæ.*
Homelias quasdam Anglicas,	*Lib.1.*
Ad Vuatsonum in carcerem,	*Epist.1. Etsi literæ, quas ad me scrip.*

Et alia. Sed istũ in sua Aetiologia & in alijs scriptis Vuatsonus non cessat proprijs suis depingere coloribus. Claruit senex, anno Domini 1556.

In Euangelicum papismo fauentem, Ioan. Parkhurstus sic scribit:

Obscœno quicunque luto se immergere mauult,
Quàm puris lymphis, hic lutulentus homo est.

¶ PHILIPPUS Nycols, patria Deuonius, homo erga ueritatẽ Dei pium animum gerens, in Anglico sermone scripsit

Historiam 12 nunciorum Mosis,	*Lib.1. Cum omnia sub sole Salomon conside.*
Ad Angliæ protectorem Eduuardum,	*Lib.1. Sempiternus Deus ac misericors pat.*
Ad Crispinum Excestriensem canonicum,	*Lib.1. Casu uenit uenerande domine.*
Contra Cornubiensium rebelliones,	*Lib.1.*

Nonnullaque alia. Claruit anno Domini 1558, quo ista scripsimus.

¶ ELISABETHA, altera serenissimi Henrici octaui Anglorũ regis filia, ex uxore regina Anna Bullenia, à bonis præceptoribus optimè instituta, ac multis linguis ornata, Latina uidelicet, Grȩca, Gallica, & Italica: è Grȩco sermone transtulit in Latinum, Isocratis orationem

Ad Nicoclem de regno,	*Lib.1. Qui soliti sunt, ô Nicocles, uobis res.*
Tertiam orationem eiusdem Isocratis,	*Lib.1. Sunt quidam qui grauiter affecti.*

In Anglicum idioma è Gallico uertit quoque

Meditationes reginæ Nauerræ, *Lib.1.*

Et alia fecit plura. Claruit anno Domini 1558, quo hæc edidimus.

¶ HENRICUS Stafforde, Edvuardi illustrissimi Buckingamiæ ducis nobilissimus filius, & dominus de Stafforde dictus, uir multarum rerum ac disciplinarum noticia ornatus, è Latino in Anglicũ sermonẽ eleganter uertit

Vtriusque potestatis differentiam, *Lib.1.*

Quem librum Edvuardus Foxius, Herefordensis episcopus, edidisse fertur. Obijt anno Domini 1558, quo ista congessimus.

¶ CHRISTOPHORUS Goodman, Oxoniensis olim academiæ theologus, &

gus, & eius collegij, ut fertur, socius, quod ab æneo naso cognominãt, nunc autem apud Geneuenses Anglorũ ecclesiæ pastor, insignis eruditionis homo, Anglicè composuit

De recta obedientia principum, Lib. 1. *Quemadmodum ueræ obedientiæ.*

Et alia plura. Claruit anno Domini 1558, quo ista scripsimus.

¶ IACOBVM Pilkintonum, Lancastriẽsem, Ricardum Turnerum, quem de Cantuaria uocant, Staffordiensem, atq; Thomam Benthamum Eboracensem, uiros uenerabiles ac Dei spiritu affatim illustratos, libens his adderem. Quorum Iacobus Salomonis Ecclesiasten, utramq; D. Petri epistolã, ac Paulum ad Galatas: Ricardus, epistolam Iacobi, Paulumq; ad Hebræos & Ephesios: atq; Thomas, Apostolorum acta, nobis qui adhuc Basileæ sumus, pijssimè ac doctissimè exposuerunt. Sed eorum scripta nondũ prodierunt in lucem: quod tamẽ, Deo fortunante futurum, speramus. Viuunt hoc anno Domini 1558, quo ista scripsimus.

¶ IOANNES Hopkyus, Brytannicorum poetarum nostri temporis non infimus, eorum numero, & non immeritò certè, adiungendus est, ut qui eleganti concinnitate (nemo unquam nitidius) in Anglicis numeris posteritati suæ exhibuerit,

Psalmos Dauidis aliquot, Lib. 1.

Cæterorum eius operum nihil uidi. Claruit anno Domini 1556.

¶ PETRVS Moruingus, patria Lincolniensis, Oxonij in Magdalenensi collegio olim socius, & artium professione donatus, uir bellè doctus, in patriam linguam transtulit

Iosephum de bello Iudaico, Lib. 7.

Aliaq; plura fecit. Claruit anno Domini 1558, quo hæc edidimus.

RELIQVOS HVIVS GENERIS SCRIPTORES, *quòd multi sint, & quòd typographi tam properè festinent, ad præsens omitto: huic Centuriæ duodecimæ, atq; suis Additionibus, lubenter imponens finem.*

CONRADO GESNERO MEDICO ET PHILOSOPHO CLARISSIMO, CONRADO Lycostheni Rubeaquensi uiro doctissimo, Iosiæ Simlero Theologiæ professori Tigurino, amicis ac fratribus in Domino colendis, Ioannes Baleus S. D. P.



VETVS & uerum dictum est, doctissimi & clarissimi uiri, mentem hominis nouarum rerum auidam esse, quæ occulta & recondita & mirabilia inquirit semper, & inuestigat, eorumq; delectatione summa ducitur. Hanc uoluptatem, si quid aliud, uel maximè gignit & efficit historia, quæ magnarum & multarum rerum suauissimam narrationem continet. Quid enim illa nouitate iucundius? uarietate pulchrius? copia & multitudine rerum & exemplorum amabilius dici aut excogitari potest? Itaq; bibliotheca tua, GESNERE, omnes capiũtur: & plantas & pisces tuos amãt & emũt, quòd descriptione tot ac tantarum rerum sibi iucundissimè succedentium, pascas animos lectorum, & oblectes. Et quid Ostentis tuis, CONRADE LYCOSTHENES, prodigiosius? quid monstris gratius, aut optatius humano generi esse

 poterat?

poterat? quorum lectio cum nouas res semper parturiat & afferat, multos ad legendum & cognoscendum inuitat & allectat. Equidem de meo quoque animo ingenuè fatebor, harum quoque rerum studio accensus, ad lectionem historiarum, chronicorum, omniumque propè Antiquitatis me alacriter cõtuli, legere, audire, uidere gestiens, mirumque in modum rerum gestarum, euentorum, consiliorum, personarum uaria explicatione tacitè in sinu apud me gaudebam. Quod gaudiũ cum celari diu non potuisset, sed ad alios etiam erumpere subinde cuperet, ut solent hi qui ualde re aliqua lætantur, proferre in medium statui, & priuatum bonum publicum atque commune omnium facere. Nec enim solidum gaudium est, quod supprimitur: sed friget, quod alijs non communicatur. Quare, cùm centones multorũ Angliæ scriptorum consarcinassem, collectum & confectum opus qualecunque ante annum iam edidi, & Centurias aliquot (quo fructu, nescio, certè labore magno congestas) euulgaui: illustres uiros enumerando, qui nostris hominibus opem, diuinis ingenij monumentis relictis, quantum poterant, afferre conati sunt: ne, cum illi summis uigilijs immortales fœtus edere uoluerint, nostra negligentia, non sine graui studiorum iactura, perirent. Obscuros quidem multos, & tanquam gregarios, in eam turbam conieci, qui uel paucula uel paruula scriptitarunt, ut si uiuãt, ad maiora suscipienda animi adderentur: si mortui sint, ne simul cum illis partus eorum quantumuis exiles & rudes intermorerẽtur. Nam optimum illud quidem est, quod Maronẽ poetarum principem dixisse ferunt, se ex Ennij antiquissimi scriptoris sterquilinio margaritas collegisse. Et nullus liber tam malus est, quin aliquid boni ex eo bonarum rerũ studiosi decerpserint. Idcirco etiam malos & corruptos autores, Christi hostes, non prætermisi, sed admiscui etiam Centurijs, ut eorum nefaria et impia scripta uiuant in Ecclesiis, & conseruentur, ut nostri inde ad ictus aduersariorum retundendos & declinãdos cautiores prudentioresque redderentur. Nec enim tã remedia, quàm etiã antidota, scire Christianos ministros conuenit: ut uestra, Gesnere doctissime, Medicina nos docuit. Ut etenim medicamentorũ uires, naturarũ operationes: sic venenorũ quoque efficaciam, vim, proprietates inquiritis, lectoribusque ad cognoscendũ proponitis. Sic exemplo salubri Medicorũ doctus, omnes bonos malos, pios impios, nobiles ignobiles, illustres plebeios, huic numero inserui promiscuè: singulis tamen insigni aliqua nota designatis atque descriptis, ut filij lucis à filijs tenebrarũ aliquo manifesto discrimine distingui possent, & internosci. Iam hoc opere hucusque diuinis auspicijs prouecto, ad decimamtertiam Centuriam mea deuenit oratio, quæ etsi non eâdem uia procedit, tamen non admodum dissimili: at sic, ut cum proposito argumento cohæreat. Inscripsi enim titulum, de his qui in Anglia floruerunt, non Angli, sed exteri, qui in ea uixerunt aliquando, & docendo aut scribendo claruerunt. Altera pars eos tractabit, qui nati in Anglia, foris tamen uel officijs functi sunt, uel etiã obierunt. Huc siquidẽ tendit hic liber. Quem ego, quibus potius dedicarẽ quàm uobis? Nam si amicis inscribendi sint libri, uos omnes expertus sum amicitiæ sanctissimo uinculo coniunctissimos. Si patronis & censoribus,

bus, non alios reperio uel ad defendendum paratiores, uel ad discernendum examinandumq; acriores iudices. Etenim amicitia multis apertis significationibus probata, et plurimis uestris erga me officijs declarata est. Tiguri nimirum tuum animũ, medicorum decus GESNERE, sensi amãtißimum & paratißimũ: nec id solum, aut tum primùm. uetera sunt, & satis antè exhibita tua merita in me, nihil com meritũ: ut qui in Angliam, in Hyberniam, et in Germaniã inferiorem literas omnis humanitatis plenißimas dederis, & qui Mithridatẽ tuum de linguis, meo nomine exire in uulgus dignatus fueris. Tiguri quoq; tuam benignitatem expromptam intellexi, SIMLERE doctißime & humanißime, quòd peregrinum ad uos profectum tam alacriter & liberaliter cum alijs exilij socijs inuitaueris, & huc quoq; ad me laborantem penuria codicum, nonnullos miseris. Basileæ uerò, tua quotidiana societate & amicitia fruor suauißimè, CONRADE Lycosthenes, amicorũ charißime: quantis autem semper officijs, quo studio, quanta beneuolentia prosequaris, non attinet dicere. Prætereo etiam subsidium librorum, maximè historicorum, quos bibliotheca tua mihi indies petenti optimos, ueteres, nouos, suppeditat. Hæc uel una causa satis iusta & grauis uideri potest, cur in clarißimo nomine uestro hic libellus meus apparere debeat. Sed & illa altera non minus probata, patrociniũ scilicet & censura, quorum utrumq; præstarè pro eruditione potestis: & ut uelitis pro humanitate, etiam atq; etiã rogo. Qui enim uel patrocinari uel iudicare melius certiusq; possunt, quàm hi qui in eodem argumento semper uersati sunt? Bibliothecam nempe uniuersalem, siue omnium scriptorũ Catalogum locupletißimũ, ordine alphabetico & magnis sudoribus digestum & cõgestum, tu, Conrade, in breue compendium redactum hic Basileæ euulgari uoluisti in gratiam studiosorum, sed nõ ita pecuniosorũ ut grande opus illud possent cõmodè sibi coemere. Eandem Epitomen recognitam, & plusquàm bis mille authorum accessione locupletatam, tu demum, Simlere, in lucem iterũ emisisti: ita ut omnes uno consensu coniunctißimis studijs in eandẽ rem incubuisse uideamini. Cui labori me succeßisse fateor, & idem penè iugum trahere conor, non ea felicitate & facultate, qua uos, sed non minore fortaßis cum molestia. Omnes, quod possumus, contendimus, & sanè debemus, vt labores nostri in aliquem aliorũ fructum cedant. Vos certè profuisse scio, & mihi priuatim, quorum opera nonnunquam adiutus fui in hoc meo colligendo: idq; partim me cõmouit, vt uobis eum dedicarem, à quibus plus adiumenti ad efficiendum mihi est collatum. Ut autem hanc beneuolentiæ testificationem boni consulatis, iterum atq; iterum peto à uobis, clarißimi viri. Verùm ut & mei labores, & vestri, fiant utiles Ecclesiæ & Reip. Christianæ, Deum patrem nostrum, omnium studiorũ auspicem & adiutorem, precibus oro ardentißimis: cuius defensioni, quasiq; tutelæ, uos magnopere commendo. Valete in illo, ac uiuite: & rem literariam, ut cœpistis, promouete. Basileæ, Calend. Martijs, Anno à Christo nato

M. D. LIX.

IOANNIS BALEI SVDOVOLGII ANGLI, DE SCRIPTORIBVS EXTERIS QVI in Anglia, & de Anglis qui in aliȷs mundi regionibus functiones aliquas habuerunt, uel mortui fuerunt, Centuria decimatertia.

AVGVSTINVS ROMANVS, ANGLOrum Apostolus. I.



AVGVSTINVS Romanus, Benedictinæ sodalitatis monachus cucullatus, à Gregorio primo Romano Pontifice, quem sanctum appellāt, ad Anglosaxones papisticis traditionibus initiādos, Apostolus primus mittebatur. Stipatus quadraginta comitibus Italicæ nationis, ac magna ex parte monachis, præter interpretes quos secū habebat Gallos aliquot, Cantiorum insulam, quæ Tanetos nominatur, anno Domini 596 primùm intrauit. Qui tam diuinarum scripturarum quàm patriȷ sermonis ignarus, sine doctrina sana ritus peregrinos illuc aduehebat, ac sine perceptibili lingua, ignoti sermonis genti ea prædicabat. Conuersus tamē Berthæ uxoris persuasionibus Ethelbertus rex, Romanismum cum adiunctis idololatriȷs suscepit tandem: sed hac lege, ut liber omnino & nō coacticius esset nouus ille deorum cultus. Exinde se fecit Augustinus absq; eiusdem plebis electione, in Dorobernensem, quæ nunc Cantuaria dicitur, archiepiscopum Arelatæ in Galliȷs consecrari: Londino, Anglicarum urbium principe, perpetuo suo iure deinceps spoliato. Moxq; introduxit altaria, uestes, imagines, missas, calices, cruces, candelabra, thuribula, uexilla, uasa (ut uocant) sacra, lustrales aquas, & Romanarum ceremoniarum codices, quos cum D. Petri benedictione misisset illi Gregorius. Nam prima eorū studia erant, circa missarum oblationes, episcopales sedes, processiones, pompas ac decimas. Coacta igitur primùm synodo, ubiq; præcepit Romanas consuetudines in ecclesiis obseruari. Antea fuerat in his terris Christianitas, sed non ad eorum commodum: quoniam absq; missis, & absq; discrimine ciborum ac dierum erat. Brytanni nudum cum Asianis & Græcis obseruabant Euangelium, nullas cum Iudæis admittentes ceremonias, aut cum paganis idolomanias. Et quum huius tam sancti Apostoli decretis ac præceptionibus nollēt parēre Brytanni, fiebat tandem atrox bellum, eo incensore, in quo mille ac ducēti ex fidelibus eorū in Dei obsequio ministris, qui illuc orationis gratia confluxerant, illico occisi sunt, & sancto coronati martyrio. Sic carnalis illa Anglorum synagoga, quæ Roma tunc uenerat, illam persequebatur ecclesiam, quæ in fide Euangeliȷ apud Brytānos erat. Scripsit Augustinus, statim post eius in Brytaniam aduentum, ad ipsum Gregorium per suos nuncios Laurentium & Petrum,

De suo successu prospero, Lib. 1.
Ecclesiarum suarum statuta, Lib. 1.

Ac pauculas ad Gregoriū interrogationes, omni Euangeliȷ & diuinæ legis cognitione uacuas, imò insulsissimas: de quibus Bedas mentionē facit, in libro 1. & cap. 27 Ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum. Obiȷt Augustinus iste anno post Seruatorem natum 608, ac suæ legationis siue Apostolatus 13, & septimo calendas Iuniȷ, sub Ethelberto Cantiorum rege, Dorobernæ sepultus. Eius uitam scripsit Gotcelinus Bertinianus.

LAVREN-

LAVRENTIVS ITALICVS. II.

LAurentius, Italicæ nationis alumnus, ac monachus olim Romæ Benedictinus, cum prædicto Augustino, Melito, Iusto, Petro, Ioanne, Rufiniano, Paulino, et alijs cœnobitis, ad Anglosaxones Romana religione, utinam nõ superstitione, instituẽdos, à Gregorio magno mittebatur. Dialectices, ac reliquæ philosophiæ perbellè peritus, callidis rationibus & syllogismis arguere nouit, ac fucata sanctitate corda mouere. Ipsis ergo armatus clypeis, Ethelberti Cantiorũ regis fauore, in uniuerso ferè Anglosaxonũ dominio, plebem per interpretes papisticã fidem docuit. Erat tunc ea pars insulæ & potentior & maior, in septem regiones per eosdem Anglosaxones diuisa. Vnde Augustino tandem uita defuncto, Dorobernensis ecclesię archipræsul atque primas cõstitutus, ex Mona insula, ubi in episcoporum synodo, pro seruandis Romanis ritibus, contra Christianos Brytannos superbè dimicauerat, ad reliquos Hyberniæ & Scotiæ prælatos scripsit

De Paschæ obseruatione, Lib. 1.
Ad Brytannos de eadem, Lib. 1.

In hac & similibus ordinationibus, præposterè religiosus, magnopere culicem excolabat, quo prodigiosa posteritas facilius camelum deglutiret. In minimo superstitiosi tunc erant, sed in maximis negligentes. Obijt Laurentius undecimo archiepiscopatus sui anno, Christi autem 619, tertio nonas Februarij, Doroberne sepultus, Edbaldo apud Cantios regnante.

IVSTVS ROMANVS. III.

IVstus ex urbe Romana, Benedictinæ factionis monachus, & Gregorij magni discipulus, post intellectam Romæ per Laurentium & Petrũ, Anglosaxonum cõuersionem, Romanæ fidei pædagogus admissus, in Brytanniam uenit. Roffæ per Augustinum cõstitutus antistes, & post Melitum archiepiscopus Dorobernensis, studebat totis nisibus eas magnificare ceremonias externas, quas Paulus habet pro egenis elemẽtis, atque illa ipsa seruitute Iudaica. Istum ideo pro canonizato sanctulo Papistę gerunt, quòd eum Bonifacius quintus Rom. Pontifex in suis literis commendauerit, & cum metropolitana ordinatione pallium ei tradiderit, hac adiecta clausula: Studeat tua fraternitas, quòd ab Apostolicæ sedis humanitate percepit (sanctũ consilium) in ea gente seruare ac perficere, &c. Nulla alia miracula fecit. Edidisse tamen à Beda & Capgrauo dicitur

Ad præfatum Bonifacium, Epist. 1.

De cæteris eius scriptis nihil constat. Occubuit fato, anno à Christi seruatoris ortu 629, & sui archiepiscopatus 6 quarto idus Nouembris, apud Dorobernam sepultus, sub Cantiorum rege Edbaldo, quem post blandas & longas persuasiones, ad Romanam demum perduxerat fidem.

BERINVS DORCESTRIVS. IIII.

BErinus Dorcestrius, Italici generis homo fuit, & sub alterius Augustini titulo regularis Canonicus, sed ita cognominatus, quòd illo in oppido prædicauerit primũ ab Honorio primo Rom. Pontifice Apostolus missus, atque episcopalẽ sedẽ illic posuerit. Dorcestria oppidũ erat ad fluuiũ Tamam sitũ & Romanis nõ incognitũ, ut ex antiquis monumẽtis ac numismatibus apparet, quod adhuc ab Oxonio septẽ millia passuũ abest: in ea per quadringentos & quadraginta tres circiter annos episcopatus ille permãsit, Lincolniam inde translatus. Huius Apostoli opera, permittẽte Kinegilso occidentalium Saxonum rege, anno à Christo nato 635, ea ciuitas cum circumiacente patria, sub Euãgelij colore, papisticam fidem suscepit. De hac donatione

mentionem facit Bedas, in septimo capite tertij libri Anglorum historiæ. Et ut ad eius scripta perueniam, paucissima, quod legimus, erant: scilicet

Ad Honorium prædictum, *Epist. aliquot.*

Regularium Canonicorum sectam secum in Brytanniam Berinus adduxisse dicitur, anno Christi superius memorato: sicut & Augustinus prædictus sui ordinis monachos, anno Domini 596. Et hæ duæ sectæ, posterioris bestiæ cornua erant. Berinus uerò demigrans hinc tandem, Dorcestriæ sepulturam accepit, in sanctos papisticos relatus.

FOELIX BURGUNDIO. V.

FOelix Burgundio, ex ea Galliarum Celticarum gente oriundus, uir admodum eruditus in utraq; literatura, pia ac profana, per sequẽtium ætatum historicos, Bedam præcipuè, declaratur. Cum accepisset (à principe Sigeberto fortassis, patria tunc exule) omnia prosperiter & ad nutum Romanis Apostolis per quasdam Anglosaxonum terras cessisse, ad Honorium Dorobernensem archiepiscopum, Honorij primi Pontificis Rom. tempore ac nutu uenit. Vnde collatis inuicem rebus faciundis, ad orientalium Anglorum prouinciam apostolus & ipse perrexit, & eam statim mutatis ritibus ad Papismũ conuertit. Huius etiam hortatu ac suadela, Sigebertus prædictus earum tunc partium rex, Cantabrigiæ, quæ eius eo tempore ditionis erat, anno Domini 636, gymnasium instituit, iuxta formam à Cantiorum recenti synagoga receptam. Antea enim erant per Gregorium primum translata Brytannorum gymnasia, ad monasteria monachorum, sub Pelagianorum abigendorum fuco, ne nouiter plantatę religioni impedimenta darent, quorum tamen (Brytannorum scilicet doctorum) uix unus aut alter ex bellis, ut dictum est, relinquebatur. Contexuit inter alia Fœlix

Ad Honorium Dorobernensem, *Epist. plures.*

Episcopatum Dunuuicensem Sigisberti regis beneficio primus accepit, cui xvij præfuit annis. Et uitam demum in pace finiuit, anno post Seruatorẽ natum 647, & octauo idus Martij, Dunuuici sepultus, ut Bedas tradit in Anglosaxonicæ historiæ lib. 2. cap. 15. ab abbate Ethelstano ad Ramesiense cœnobium postea translatus.

THEODORUS CILIX. VI.

THeodorus Cilix, ex Tarso Ciliciæ procreatus, Græcus, utraq; sciẽtia diuina & humana, linguaq; tã Latina quàm Græca, nulli inter monachos Romanenses per suã ætatẽ secundus habebat. Istũ pontifex Vitelianus, septimũ Dorobernẽsis ecclesiæ archiantistitẽ ad Anglosaxones cõfirmandarum traditionũ gratia transmittebat, 66 annos ætatis habentẽ, & nostræ salutis anno 666, qui in Apocalypsi Ioannis tam numerus bestię q; numerus hominis est, mysterioq; nõ uacat. Nam quod tũc uenerit cum illius magnæ bestię charactere, apud Cestrẽsem, Capgrauũ & alios Anglicarũ rerum fide dignos authores, ualde perspicuũ fit, quũ antè id tẽpus tam fortiter iniquus ille Antichristus nõ operaret sui sceleris mysteriũ. Artes enim omnes calculandi, supputãdi, metricãdi, modulãdi, arguẽdi, syllogisandi, diuinãdi, ungendi, exorcisandi, ne dicã incantãdi Chaldęorũ more, secũ attulit, ac per mathematica quędã rudimẽta in clero suo Latinè & Græcè docuit. Vestales uotarias multis in locis fecit, ac Mildredã cum lxx mulierculis in insula Tanetos, ad papisticæ religionis cultũ superstitiose uelabat. Excubitorẽ nihilominus ac sociũ oculatũ illi assignauit Põtifex, Hadrianũ scilicet Aphrũ, abbatẽ, qui eum obseruaret, ne Græcus moliret quicq; fidei Romanæ cõtrariũ. Nouissimè Theodorus cõgessit, quo miseras hominũ cõsciẽtias ad quæstũ illaquearet, ac formidolosis cõminationibus terreret,

Summam pœnitentialem,	Lib.1.
Priorum patrum canones,	Lib.1.
Ordinationes sui cleri,	Lib.1.
De fide contra Eutychen,	Lib.1.
Commentaria quædam,	Lib.1.
Epistolas ad diuersos,	Lib.1.

Aliaq́ nonnulla. In prædicta enim Summa, ut Platina refert, declarauit, qua pœnitentia dilui unumquodq́ peccatum posit. Consummatis plerisq́ demum, quæ regnum Antichristi promouere uidebantur, uitæ suæ sortitus est finē anno salutiferi partus 690, et decimotertio Calendas octobris, in suo maiori templo sepultus, regnante apud Cantios Vuithredo.

IOANNES ARCHICANTOR. VII.

IOannes Archicantor Romanus, ecclesiæ D. Petri præcentor, & monasterij ad Martini fanum abbas, ab Agathone pontifice, pro expediendis regni papistici negotijs, ad Anglosaxones Benedicto Biscopio comprecatore ac duce nuncius mittebatur. Timebant autem sancti patres, suis obsistentes inceptis, Brytannos & Scotos. Interfuit igitur Hatfeldensi prælatorum synodo legatus Apostolicus, ut uocant: in quo Theodorus archiepiscopus post monachorum spectra, & alias pro erigendo eorum purgatorio cacodæmonum illusiones, plura pro onerandis hominū conscientijs constituit. Acceperat à Pontifice Ioannes in mādatis (uerba sunt Bedæ in libro 4 cap. 18.) ut legendi & canendi Romanorum illic ritum atq́ ordinem traderet, & cuius esset fidei Anglorum ecclesia diligenter ei monstraret. Docuit ergo cere moniarum atq́ cantionum ordinem & cursum in celebrationibus dierū festorum & missarum per totius anni circulum obseruādum, in Vuiremuthensi ac Girvuicensi monasterijs, confluentibus undiq́ ex omnibus totius insulæ cœnobijs monachis. Et ut in templis hæc per omnes regiones seruarentur, literis ille mandauit

Modulandi ac legendi ritus,	Lib.1.
De Hatfeldensi synodo,	Lib.1.
De catholica fide Anglorum,	Lib.1.
De quadam synodo Romana,	Lib.1.

Et alia, dum adhuc habitaret Romæ. Claruit anno à Redemptoris nostri in carnē origine 679, quo erat ab Agathone in Brytanniā missus, Egfredo in Northumbria regnāte. Sed ad patriā inde reuertens tandē, pertrāsito Oceano, infirmitate statim corripitur ac defungitur, Turoniæ in Gallijs sepultus.

HAYMO FVLDENSIS. VIII.

HAymo Fuldensis monachus, ex Anglosaxonum genere & populo oriundus, Bedæ uenerabilis non frater erat (ut aliqui scriptores somniant, præsertim Sabellicus, Volaterranus, Nauclerus & Platina) sed consanguineus, optimasq́ disciplinas in Brytannia sub Alcuino præceptore didicit. Fuldæ enim monasterium ualde magnificū erat, à Bonifacio Anglo Germanorum Apostolo conditum in Buconia sylua, Maguntia non procul, & ab Anglis ob Danorum in Brytanniam irruptiones & crudelitates tunc magnopere frequentatum. Illuc accesit Haymo uir undecunq́ doctissimus, ac Bibliorū sacrorū interpres per eam ætatē candidissimus: qui & summopere laborabat, in lectionibus & factis Bedam exprimere, quòd & fœliciter in multis fecit. Nam in declamandis ad plebem cōcionibus magnam habebat gratiam, & in lecturis publicis similiter ingenium excellens. Rabano Scoto, qui etiam dicebatur Magnentius Maurus, Achates fidelissimus fuit, dum

dum Fuldæ, atq; prius in Anglia, cum eo pariter habitaret. Abbas Hirsfeldensis postmodum, & Halberstatensis episcopus tum demum ordinatus, et utrobiq; tertius, utrumq; gregem in Dei uerbo, non hominum commentis, quæ tunc per uniuersum orbem regnarāt in clero, fideliter gubernauit. Scripsit in corruptissimo illo seculo, opuscula ualde multa, nō papismū, sed rem Christianam pulchrè promouentia, licet non à temporis eius maculis omnino libera: scilicet

Commentarios in Genesim,	*Lib.1.*
In Exodum,	*Lib.1.*
In Leuiticum,	*Lib.1.*
In Numeros,	*Lib.1.*
In Deuteronomium,	*Lib.1.*
In Iosuæ,	*Lib.1.*
In Iudicum,	*Lib.1.*
In Ruth,	*Lib.1.*
In Regum,	*Lib.4.*
In Paralipomenon,	*Lib.2.*
In Tobiam,	*Lib.1.*
In Esdram & Nehemiam,	*Lib.4.*
In Iudith,	*Lib.1.*
In Iobum,	*Lib.1.*
In Psalterium,	*Lib.1. Hymni uocantur singuli Psalmi.*
In Cantica canticorum,	*Lib.1.*
In Hester,	*Lib.1.*
In Esaiam prophetam,	*Lib.3. Esaias propheta, nobili prosapia.*
In Hieremiam,	*Lib.1.*
In Ezechielem,	*Lib.1. Et factum, &c. Dicit beatus Hieron.*
In Danielem,	*Lib.1.*
In minores Prophetas,	*Lib.12. Verbum Domini quod factum est ad.*
In Matthæum,	*Lib.1.*
In Marcum,	*Lib.1.*
In Lucam,	*Lib.1.*
In Ioannem,	*Lib.1.*
In Paulum ad Romanos,	*Lib.1. A' Corintho metropoli Achaiæ.*
Ad Corinthios,	*Lib.2. De nomine Pauli in epistola.*
Ad Galatas,	*Lib.1. Quòd nomen suum in omnibus.*
Ad Ephesios,	*Lib.1. Multi quærunt, quare Apostolus.*
Ad Philippenses,	*Lib.1. Quare posuit nomen suum.*
Ad Colossenses,	*Lib.1. Mysterium quod absconditum fuit.*
Ad Thessalonicenses,	*Lib.2. Nomen suum, suorumq; ponit.*
Ad Timotheum,	*Lib.2. Paulus Apostolus Christi Iesu.*
Ad Titum,	*Lib.1. Cum Dominus ac redemptor noster.*
Ad Philemonem,	*Lib.1. De nomine Apostoli sæpius in.*
Ad Hebræos,	*Lib.1. Omnis intentio beati Apostoli.*
In Epistolas canonicas,	*Lib.7.*
In acta Apostolorum,	*Lib.1.*
In Apocalypsim Ioannis,	*Lib.7. Legimus in Ecclesiastica historia.*
Homelias in Euangelia,	*Lib.1. Consulens Dominus humanæ.*
Homelias hyemales,	*Lib.1. Non solum opera & uirtutes.*
Homelias æstiuales,	*Lib.1. Commendat nobis hæc sacratiss.*

De uarietate librorum,	Lib.3. *Cum sis unicum & sanctissimum.*
De Christianarum rerum memoria,	Lib.1. *Quantum eruditionis, quantum diuinarum.*
De sancta Trinitate,	Lib.1.
De amore cœlesti,	Lib.1.
De mundi uoluptate,	Lib.1.

Aliosq́ tractatus & epistolas sine certo numero. Episcopatui, non ad fastum & pompam, sed pium animarum lucrũ, ut ex actis liquet, tredecim annis præfuit. Seculo ualedixit tandẽ senio grauatus, anno incarnati uerbi 853, ut Bruschius habet, in D. Stephani templo Halberstati sepultus, Anglis imperante Ethelvuolpho, & Alemanis Ludouico Pio.

VVALAFRIDVS STRABVS. IX.

VValafridus Strabus, Fuldensis cœnobij in inferiori Germania ac Maguntinensi diœcesi monachus, et ex Anglosaxonum genere uir natus, non Bedæ presbyteri & doctoris germanus fuit, ut indicãt authores Sabellicus, Bergomas, Textor ac Scedellus: cõsanguineus tamen fuisse iudicatur, & Alcuini diaconi quondam discipulus. Danis crebra depopulatione Brytanniam infestantibus, Fuldam iuuenis accessit, iure poscens eo in cœnobio sibi locum dari, quod Anglus Bonifacius Anglorum monachis ad perpetuã habitationem illuc parasset. Eo tunc in collegio rem omnem moderabatur Rabanus Scotus, omnis generis literarum peritissimus, cui ex olim cõdiscipulo diligẽs auditor atq́ notarius aduenit. Erat Strabus in scripturis tam diuinis quàm humanis nobiliter doctus, ingenio & eloquio clarus, commentatorq́ sacrorum eloquiorũ laudatissimus. Vnde quod apud authores longum ac spaciosum reperit, in compendiosiorem formam uel Epitomen redigere commodissimum duxit. Et ubi illi copiose ac largè, hic strictim & succinctè magis, rem omnem tractare curabat. Glossam iste, quam uocãt, Ordinariam, ex patrum sententijs piè collectam, primus adiunxit Biblijs: quam alij postmodum, sed corruptè, magis ampliarunt. Composuit Strabus, ad posterorum utilitatem,

Explanationes in Genesim,	Lib.1. *In principio creauit Deus cœlum.*
In Exodum,	Lib.1. *Huius libri quam subitam cernis expl.*
In Leuiticum,	Lib.1. *Libri Leuitici breuissimam habent.*
In Numeros,	Lib.1. *Synai interpretatur rubus.*
In Deuteronomium,	Lib.1. *Deuterononium dicitur secunda lex.*
In Regum,	Lib.4.
In Iudith,	Lib.1.
In Hester,	Lib.1.
In Sapientiam,	Lib.3.
In Ecclesiasticum,	Lib.10.
In Hieremiam,	Lib.1.
In Machabæos,	Lib.2.
In acta Apostolorum,	Lib.1.
In Apocalypsin Ioannis,	Lib.1. *Sicut in secularibus literis.*
Ad Ludouicum Cæsarem,	Lib.1.
De officijs Ecclesiæ,	Lib.1.
Homelias elegantes,	Lib.1.

Et alia multa. Claruit Strabus, apud Trithemium, annò post uirginis partũ 840. Bedam, Haymonem & Rabanum fideliter imitatus, nisi quod breuius omnia pertractauerit. De quo sic scribit Hermãnus Contractus in suo Chronico: Vualafridus Strabus, abbas Augiensis, uir doctus, anno Domini 849

obijt, Ethelvuolpho in Anglia & Ludouico in Germania regnantibus.

IOANNES ANGLICVS. X.

IOannes Anglicus, Pontifex olim Romanus, qui eius nominis à Sabellico septimus, à Platina ac Boccatio octauus numeratur, mulier erat, & ecclesiam illam meretricis magnæ esse sedem atque omnium fornicationum matrem, clarius quàm ullus unquam Apelles, post plenā ætatem magnæ bestiæ declarauit. Hæc in Maguntia Germanorum ciuitate, casu quodam nasci, ac Gilberta nuncupari narratur. Contigisse enim dicunt, sacrificum quendam Anglum, unà cum uxore grauida illuc aduenisse, uisitandorum parentū gratia, ibidemque deposuisse mulierem hoc sui uentris onus, & Gilbertam fuisse enixam. Quæ ad maturam ætatem perueniens, dum Fuldense monasterium Angli adhuc frequentarent, uni eorum impense erudito monacho, cuius tenebatur consuetudine, adhęrebat: et simulato sexu ac nomine, cum eo quasi iuuenis Athenas est profecta. Vbi post amplexus uenereos, tātum in literis ingenij facilitate asiduaque opera sub ipso profecit, ut eo tandē mortuo Romam reuersa, & pro homine Anglo ab illis recepta, in utraque lingua tam docendo quàm disputando longè princeps haberet. Et ex summa eruditione, tanta sibi Romæ accreuit fama, tantusque hominum fauor, ut mortuo Leone quarto, Romani papatus apicē sub Ioannis octaui nomine facilè sit adepta. Domestici Cardinalis concubitu tandem prægnans facta (talis est in ipso cœlibatu sanctitas) uterum ad maternos menses mira celauit arte. Tum uerò ex Vaticano, quum in procesione solenni Lateranensem basilicam inuiseret, inter Neronis colosseum & Clementis fanum, obortis repentè partus doloribus, enixa est, & eo loci defuncta. Statuitur, ut deinceps creandorum Pontificum genitalia, ab ultimo Cardinale diacono ex perforata sede attrectarentur, hac uoce data, Testiculos habet: ne in posterum eo astu fœmineo patres deciperentur. At frustra certè illud fit: quum mares esse testentur tum cōcubinæ tum nothi. Scriptis dedisse dicitur hæc ingeniosa & docta mulier

Necromantica quædam. Lib. 1.

Qua quidem arte, à soluendo statim, post mille annos à nato Seruatore, Satana, Papatum obtinuit Syluester secundus, & post illum alij multi: ac manet apud eos eadem practica in hunc usque diem. Obijt hæc fœmina Papa anno Christi 857: & tertio sui Pontificatus anno, Romæ sine pompa Papali sepulta. Poterat & hoc inter Bonifacij magni Germanorum Apostoli maiora miracula poni, quòd ille condidisset Fuldense cœnobiū: si non tacuissent Chronicorum scriptores monachi, utrumque eius amasium fuisse monachū, posteriorem uerò Cardinalem.

APPENDIX.

Iacobus Curio, in libro secundo Chronologicarum rerum: Narrant (inquit) sacerdotem quendam Brytannicū cum coniuge fuisse tum in migratione, & ex itinere, quòd uterum ferret uxor, commoratum tantisper Moguntiæ esse, donec grauida peprerat. Fertur autem eo enixa partu esse, Gilbertā puellam illam literatißimā, quæ mentito sexu, monachū maritum suum sequuta est, per Latina & Græca multa uagantem cœnobia. Quæq; extincto tandem marito, electa à Romanis patribus in Pontificem est, summumq; mundi nacta est honorem. Dubium uerò est, ingenium'ne et artes, an infandam huius temeritatem iustius quis miretur. Tam est hæc rari, aut nullius potius exempli fortuna. Appellata Romæ nomine est Ioannis septimi, ut quidem Sabellicus numerat: Platina Ioannē octauum ait fuisse fœminam, quod ad præsens relinquimus. Proditum autem comperimus, Dominam hanc eminentiæ simul & impudentiæ suæ finem morte fecisse dedecorosa & clara, anno Pontificatus sui tertio, qui fuit à nato Christo octingentesimus quinquagesimus sextus. Tantum ille. In hoc Romano

monstro, uel uncta Papalibus ceremonijs fœmina, potens esse cœpit Babylonicum scortum, subijcere sibi reges, Apoc. 17. Et ut Hieronymus Marius in Eusebio captiuo scribit: Ioannes octauus constituit, ne Romanæ ecclesiæ priuilegia, nisi centum annorũ præscriptione, tolli possent. Huius papæ meminit Baptista Mantuanus, in tertio Alphonsi sui libro, inferorum loca describens:

Hic pendebat adhuc sexum mentita uirilem
Fœmina, cui triplici Phrygiam diademate mitram
Extollebat apex, & pontificalis adulter.

ABBO FLORIACENSIS. XI.

Abbo monachus, natione Gallus, patria Aurelianẽsis, abbasq; tandem Floriacensis, cum Odonis Cantuariensis archiepiscopi nepote suoq; discipulo Osuualdo, post aliquot studiorũ annos, præceptor ab Aurelianis in Angliam uenit. Vir erat Abbo, in omnibus ethnicorum sciẽtijs ualde eruditus, linguaq; & ingenio ad omnem ratiocinandi formã promptus. Ramesiæ igitur primùm, deinde Eboraci, Buriæ ad Eadmundi fanum, Cantuariæ, et alibi per multa Anglorũ cœnobia publicas aperuit scholas. Fuere per hoc tempus monachi necromanticis studijs mirum in modum dediti, præsertim Floriaci: unde prodijt impostor ille pessimus Gilbertus, uel papa Syluester secundus, qui post mille annos à Christi incarnatione Satanã de abysso soluit, ut palàm per Antichristum, suam in Dei sanctos ageret tyrannidem. Nam & illa portenta, quæ malorum dæmonum opera, per Dunstanum & alios hypocriticos monachos, pro damnando ecclesiæ ministrorum coniugio, in Anglia tunc fiebãt, quia huic aderant à diutina cõsuetudine, & eum quoq; ualde suspectum reddunt. Composuit Abbo præter alios ingenij fœtus, præcipiente eodem Dunstano tunc archiepiscopo,

Vitam Eadmundi martyris,	Lib. 2. *Domino sancto Dorobernensi metrop.*
Apologeticum ad Francorum reges,	Lib. 1. *Sæpe contingit, ut dum nimius.*
Homelias in Euangelia,	Lib. 1. *Erunt signa in sole & luna & in.*
Ad Gregorium quintum,	Epist. 1.
Ad regem Robertum,	Epist. 1. *Præterea dominos meos cum.*
Ad Bernardum Bellilocum,	Epist. 2. *Quia te diuina pietas ad.*
Ad Imperatorem Othonem,	Epist. 1. *Otho Valens Cæsar, nostro.*
Ad Odilionem Cluniacensem,	Epist. 1.
Super calculo Victorij,	Lib. 1.
Additiones in eundem,	Lib. 1.
De motibus stellarum,	Lib. 1.
De planetarum cursu,	Lib. 1.
Contra episcopum Aurelianensem,	Lib. 1.
Rudimenta puerilia,	Lib. 1.
Categoriarum spiritualium,	Lib. 1.
De computo,	Lib. 1.
De Euangelijs,	Lib. 1.
De cœna Domini,	Lib. 1.

Et alia adhuc plura scripsit. De sancto Stephano protomartyre Sequentiam unam ac Responsoria quædam edidit. Item circulos annorum incarnationis Dominicæ, à Christo ad sua tempora correxit. Abbas tandem Floriacẽsis factus, à suis monachis est lancea cõfossus, & eliso gutture interfectus, anno Domini 1004, indictione secunda, & 13 die Nouembris. Eius uitam ad Heruæum scripsit Haymo Floriacensis.

LANFRANCVS LONGOBARDVS. XII.

LAnfrancus Longobardus, Papię apud Insubres oriundus, astuto ac uersatili ingenio perspiciēs, monachorū fortunas suo seculo meliores esse, peragratis Alpibus in Gallias peruenit, atq; in Beccensi Neustriorū cœnobio monachum statim induit. Erat sophismatum strophis, atq; omni dialectices & Aristotelicarum subtilitatum genere per suam ætatē instructissimus. Quibus armatus clypeis, Romam uenit, primò contra Berengarium Gallū, in fide Eucharistiæ à carnali illa Romanensium synagoga dissentientem: deinde pro defendendo Guilhelmi Normanorum ducis cōiugio, quod paulo antè sub interdicto pontificis erat. Fiebat inde ex Cadomēsi abbate, Cantuariensis archiepiscopus, Angliæ primas, sedis Apostaticæ adoptiuus filius & collateralis legatus. In Londinensi antistitum conuentu, longam super suo primatu, aduersus Thomam Normānum Eboracēsem archiepiscopum disceptationē habuit, ac sedes episcopales à uillis & pagis ad ciuitates tanquā ad celebriora loca transtulit: terreni dominij appetens, magnum Cantuarię templum instaurauit, preciosis ornamētis ditauit, monachorū auxit prædia, prębendas instituit, nouos disposuit cultus, aduentantibus peregrinis idololatris xenodochia cōdidit, & alia multa pro exaltando papismo fecit. In opusculo suo de Eucharistia contra Berengarium, pium atq; eruditum hominē, Hæreticum esse definit, non qui ab Euangelio, sed qui à Romana ecclesia in fidei doctrina dissentit. Vt ex Gualtero Albanensi, Bostono, Tritemio, Lelando & alijs authoribus colligo, suo tempore Lanfrancus congesit,

In omnes epistolas Pauli,	Lib. 14.
Homelias & sermones,	Lib. 1. *Gaudeamus in Domino dilectissimi.*
Elucidarium rerum,	Lib. 1. *Omnis lector postulat, ut in cœlo.*
Super casibus in missa,	Lib. 1.
Dialogum contra Berengarium,	Lib. 1. *Lanfrancus misericordia Dei cathol.*
De corpore & sanguine Do.	Lib. 1. *Nouiter ad nos rumor quidam.*
Commentarios in Psalterium,	Lib. 1.
De ceremonijs monachorum,	Lib. 1. *Lanfrancus indignus sancte Dorober.*
Epistolas ad Anselmum,	Lib. 1. *Domino, patri, fratri & amico Ans.*
Epistolas ad diuersos,	Lib. 1.
Decretales epistolas,	Lib. 1.
In regulam monachorum,	Lib. 1.
Regulam sui cœnobij,	Lib. 1.
Consuetudinarium ecclesiæ,	Lib. 1.
Ad Alexandrum 2. papam,	Lib. 1.
Scintillarium quoddam,	Lib. 1.
Gesta ducis Guilhelmi,	Lib. 1.
Ad episcopos Hyberniæ,	*Epist. 1.*

Et alia plura. Omnes (inquit Bostonus Buriensis) ueteris ac noui Testamenti libros, qui uitio scriptorum corrupti erant, necnon & scripta sanctorum patrum, secundum orthodoxam fidem correxit atq; emendauit. Vtinā non magis sua dialectica corrupisset, ita ut sol sit sub eo factus tanquam saccus cilicinus. Diem clausit extremum 5. nonas Iulij, anno Christi 1091, episcopatus sui 19. Cantuariæ sepultus, sub Guilhelmo Rufo.

ROBERTVS LORAYNE. XIII.

ROBertus Lorayne, ab Anglis sic dictus, quòd Lotharingus esset genere, parentum suorum cura tantum ab ipsa adolescentia in bonis literis

profecit,

profecit, ut maioribus quibusdam per Galliam Belgicam præfuerit scholis. Plurimum nanq;, ut ipsum sinebat tempus, atq; ut historici tradunt, in philosophia, rhetorica, arithmetica, musica, & in alijs quæ per demonstrationes fiunt, disciplinis ualebat. Quamobrem, Guilhelmo Notho Anglorum tunc regi, gratus, Gualtero cuidam Herefordensi episcopo, qui circiter annum Christi 1071, dum honesti ciuis coniugi ad stuprum (hircosus senex ac cœlebs) uim inferret, forcipibus eius inguina penetrantibus ab ea occidebatur, in illius ab eo assumptus est locum. Iste inter cæteros ingenij labores, ex ingenti Mariani Scoti Chronicorum mole, Epitomen elicuit perbreuem, priori editione multo commodiorem, ut faciliorem Angli ad sua studia methodum haberent, illiq; operi pro titulo addidit

Deflorationes Mariani,	Lib. 1.
Sermones per annum,	Lib. 1.
De sacramentis ecclesiæ,	Lib. 1.
De stellarum motibus,	Lib. 1.
Mathematicas tabulas,	Lib. 1.
De lunari computo,	Lib. 1.

Atq; alia edidit, ut in Bostono Buriensi. Adeò splendidè Marianum deflorauit (inquit Guil. Malmesburiensis in opere suo de Pontificibus) ut magis ualere uideantur illę deflorationes, quàm ingentis uoluminis diffusio alterius authoris. Obijt circa annum salutis humanæ 1096, regnante Guilhelmo Rufo.

OSMVNDVS NEVSTRIVS. XIIII.

Osmundus Neustrius, ex nobili quadam Normannorum prognatus familia, præter multarum literarum peritiam, prudentia ac rei militaris peritia præpollebat. Ob insignes animi sui politias, quas indies nouas habebat ad hominum rapinas ac cædes, à Guilhelmo Notho Anglorum rege magister militum, Sagiæ & Dorcestriæ Comes, Anglicíq; regni cancellarius effectus, lateri eius abesse unquã uix poterat. Vnde mortuo tandem Hermanno Sarisburiensi pręsule primo, qui illuc episcopalem sedem ex Shireburnia transtulerat, ut et in eo hominum genere suas exerceret cautelas, in ipsius sustollebatur locũ. In qua functione ac munere, pinguibus tauris Basan, nempe sacrificis rasis & unctis, pascua & excelsa templa ex pauperum sudore parauit, possesionibus ac prædijs ampliauit: crucibus, calicibus, uasis, uestibus, mitris, cappis, candelabris, atq; alijs mirè preciosis, sed ualde superfluis, ornamentis, ex orphanorum etiam ac uiduarum spolijs ditauit. Bibliothecã præterea nobilem, comparatis in hoc optimis iuxtà ac antiquissimis illustrium authorum monumentis, Sarisburiæ magnis expensis posuit. Nouissimè, composuit ad obscurandam Euangelicæ prædicationis gloriam, idolomaniamq; propagandam, Ordinarium papisticorum officiorum, quod prænotauit

Consuetudinarium Ecclesiæ,	Lib. 1.
Canones officiorum eiusdem,	Lib. 1.
Vitam Aldhelmi episcopi,	Lib. 1.

Et alia plura scripsit. Ex præfato ordinario papicolæ per Angliam, Cambriam & Hyberniam, desumunt ferè omnia, quæ in liturgijs celebrandis obseruant, neglecto atque contempto Dei Euangelio. Decessit hic prodigiosus Pontifex ac sanctus papisticus, pridie nonas Decembris, anno uerbi incarnati 1099, episcopatus sui 24. Sarisburię demum sepultus, sub rege Guilhelmo Rufo.

SERLO NORMANNVS. XV.

SErlo Normānus, in ea natus ultramarina regiōe, societatis Benedictinæ monachus fuit, ac magni nominis magister, quòd studiosissimè semper ab ipsa sua iuuentute doctas coluisset artes. Glocestricēsis abbas hic postmodum erat, in Angliam à Guilhelmo primo eius appellationis rege uocatus, & ei dignitati ob ueterē cōsuetudinem illius beneficio designatus. De quo Guilhelmus Malmesburiensis in libro quarto de regibus: Ne Anglia (inquit) expers boni putetur, quis posset præterire Serlonem abbatem Glocestriensem, qui locum illum ex humili ac penè nullo, ad gloriosum prouentū extulit: anno Domini 1089. Hic teste Bostono Buriensi, in Catalogo scriptorum ecclesiæ, posteritatis memoriæ per scripta commendauit

Super oratione Dominica, *Lib. 1. Protector noster Iesus Christus.*

Quod tamē opus Serloni grammatico Lelandus in suis collectaneis tribuit. Obijt autem hic Serlo noster, anno assumptæ per Christū humanitatis 1104. ætatis suæ circiter 68, & quarto nonas Martij. Vnde Godfridus Vuintoniensis, super eius morte:

Ecclesiæ murus cecidit Serlone cadente,
Virtutis gladius, buccina iusticiæ.

ANSELMVS BVRGVNDVS. XVI.

ANselmus Burgundus, Augustæ ad radices Alpium natus, parentibus suis obedire recusans, ad Becci claustra in Neustriam aufugiebat, sub Lanfranci prædicti prioratu militaturus. Fuit enim pro ætate literis profanis ac sophisticis institutus satis, sed eo doctore in breui peritior statim euasit. Institutum uitæ monasticæ, cultusq; eius æmulationem lætus acceptans, fiebat tandem Beccensis abbas, & inde Cantuariensis archiantistes, ambitione longa atq; immodica prælatorum uociferatione aduersus regem. Videbant in eo esse audaciam quandam impudentem, seu sine uerecundia temeritatem, qua in eorum causis, principum posset obstare conatibus. Porrò Guilhelmus Rufus Anglorum rex, in multis per ea tempora, non subseruiebat obscœnis eorum affectibus & insanis auaricijs. Romam persæpe Anselmus, Vrbano ac Paschale Pontificibus uisitabat, ubi suis egit imposturis, ne inordinandis aut inuestiēdis episcopis, Anglorum reges potestatem ullam deinceps haberēt, aut in clerum ius aliquod. Pro abortiuis planè ducebat superbissimus nebulo, si quos rex Henricus primus ad præsulatus aut abbatias admisisset, detrectans illis confirmandis imponere suas manus. In synodo Londinensi, dum hęc & similia portenta publicarentur, clericis etiā ademit Christiana coniugia, omniq; spurcitia ac præposteræ ueneris genere, eo facto totā illam regionem hypocrita pessimus impleuit. Frigidissimis rationibus Scripturæ authoritatem in multis deprimebat, ut ex quibusdam eius opusculis liquet, quæ plura conscripsit, præcipuè

De fermento & azymo,	*Lib. 1. Anselmus seruus ecclesiæ Cantu.*
De conceptione Mariæ,	*Lib. 1. Cum in omnibus religiosæ tuæ.*
Cur Deus homo, contra Gentes,	*Lib. 2. Sæpe & studiosè à multis.*
De sancta Trinitate,	*Lib. 1.*
De incarnatione uerbi,	*Lib. 1. Domino & patri uniuersæ eccle.*
Prosologion,	*Lib. 1. Eia nunc homuncio, fuge &c.*
Monologion,	*Lib. 1. Si quis unam naturam summam.*
In Cantica canticorum,	*Lib. 1.*
De Spiritu sancto, contra Græcos,	*Lib. 1. Negatur à Græcis, quòd Spiritus.*
De casu diaboli,	*Lib. 1. Illud Apostoli, Quid habes quod.*

De diuersitate sacramentorum,	Lib.1. Domino & amico Vualeranno.
De pace & concordia,	Lib.1.
De uoluntate Dei,	Lib.1. Humana ratio, quum de Deo.
De libero arbitrio,	Lib.1. Cum liberum arbitrium uideatur.
De gratia & arbitrio,	Lib.1. De tribus illis quæstionibus.
De beata uita,	Lib.1.
Dialogum de ueritate,	Lib.1. Quoniam Deum ueritatem esse.
De similitudinibus,	Lib.1. Voluntas tripliciter intelligitur.
De mensuratione crucis,	Lib.1. Quoniam iubente filio tuo.
De beata sufficientia,	Lib.1.
Meditationes redemptionis,	Lib.1. Domine Deus meus, da cordi.
Meditationes de paßione,	Lib.1. Anima Christiana, anima de graui.
Stimulum amoris,	Lib.1. Iesum Nazarenum à Iudæis cruci.
De bona occupatione,	Lib.1.
Pro insipiente,	Lib.1. Dubitanti utrum sit uel poßit.
Contra insipientem,	Lib.1. Quoniam non me reprehendit.
De concitando timore,	Lib.1. Terret me uita mea, & mise.
De laudibus Mariæ,	Lib.1.
De Antichristo,	Lib.1. De Antichristo tractaturus iam.
Dialogum Christiani & Gentilis,	Lib.1. Maiestas æterni patris & Do.
De 14 beatitudinibus,	Lib.1. Superius enunciatis quæ ad.
In Hexaemeron,	Lib.1.
De membris Deo attributis,	Lib.1. Vbicunq; sacra scriptura pronunci.
De officijs diuinis,	Lib.2. Celebratio missæ in commemora.
De domo conscientiæ,	Lib.1. Domus hæc in qua habitamus.
Ad Lanfrancum archiepiscopum,	Lib.1.
De Grammatico,	Lib.1. De Grammatico locuturus, peto.
Ad Guilhelmum Hirsaugiensem,	Lib.1. Ex quo uestra probitas mihi suam.
De assumptione Mariæ,	Lib.1. Intrauit Iesus, &c. Quid ad glo.
De Ioanne Baptista,	Lib.1.
Epistolas 367 ad diuersos,	Lib.1. Suo Domino & suo patri in.
Aliud epistolare,	Lib.1. Seruus seruorum Dei in Beccensi.
Dialogum de morte Christi,	Lib.1. Domine Iesu, qui salutem attulisti.
De peccato originali,	Lib.1.
De æterna beatitudine,	Lib.1. Multi homines quibus nonnunquam.
De beatitudine & miseria,	Lib.1. Notandum est primùm, de beatitudine.
Planctum amissæ uirginitatis,	Lib.1. Anima mea turbata est ualde.
De uita monachorum,	Lib.1.
Orationes ad sanctos,	Lib.1. Omnipotens Deus qui in sanctis tuis.
De excellentia beatæ uirginis,	Lib.1. Supereminentiam inter omnes qui.
Parabolarum seu Prouerbiorum,	Lib.1. Ante prandium consuetudo fit.
De monte humilitatis,	Lib.1.
Super Psalterium,	Lib.1. Beatus uir, &c. Hic triplex.
De corpore Christi,	Lib.1. Primùm in hoc nostro tractatu.
De uoluntate Dei,	Lib.1. Cum de uoluntate Dei præsens sit.
De uoluntate propria,	Lib.1.
De scientia animæ Christi,	Lib.1. Hugoni in Christi charitate dilec.
De motione altaris,	Lib.1. Quod de altari datur occasio.
In Euangelium Matthæi,	Lib.1. Omnibus in Christi saluatoris.
In Euangelium Ioannis,	Lib.1.

Soliloquium

Soliloquium de Trinitate, Lib. 3.
De septem uirtutibus, Lib. 1.
De moribus humanis, Lib. 1.
De timore mortis, Lib. 1.
In Apocalypsim Ioannis, Lib. 1.
In epistolas Pauli, Lib. 14.
Sermones aliquot, Lib. 1.
De mysterijs ecclesiæ, Lib. 1.
De prædestinatione & præscientia; Lib. 1.
De origine animæ, Lib. 1.
De fide Christiana, Lib. 1.
De 7. gradibus humilitatis, Lib. 1.
De imagine mundi, Lib. 2.
Versus Heroicos, Lib. 1.

Atq; alia. Sine necessitate plura disputabat friuolis etiã argumẽtis, ut sunt de fermento & azymo, de conceptione Mariæ, de uita monachorũ, de mensuratione crucis, de motione altaris, & similia, quæ apud prophetã sunt uelut aranearũ telas texere. Ex hac luce migrauit Anselmus xj. calendas Maij, anno Christi 1109, archiepiscopatus sui 16, & ætatis 76. Cãtuariæ sepultus, sub Henrico primo Anglorum rege.

GOTCELINVS BERTINIANVS. XVII.

GOtcelinus Bertinianus, natione Gallus, & patria Morinensis, monachus ad Bertini fanum inter Belgicas gentes uersus mare Brytãnicum fuit: qui ita à iuuẽtute Latinas excoluit literas, ut eas pro animi sui ornamento summopere necessarias duceret. Quæ opinio hominem adeò non fefellit, ut postmodum unica fuerit illi causa, ad magnorum uirorum amicitias ac familiaritates perueniendi. Vnde in Angliam uocatus ab Anselmo archiepiscopo & alijs multis, nõ moriturũ nomen docendo & scribendo apud illos obtinuit. Habitauit enim Ramesiæ primùm in famigerabili illo cœnobio, quod à diuitijs cognomen acceperat, sub Hereberto abbate. postea Cantuariæ in monasterio solenni, quod ad Augustini Anglorum Apostoli fanum tunc erat, sub eius loci abbate: ad quem atq; alios eius ecclesiæ monachos scripsit, sub utriusq; Maioris scilicet ac minoris historiæ titulo,

Vitam dicti Augustini, Lib. 2. *Decreueram hanc historiam uelut.*
De miraculis eiusdem, Lib. 1. *Cum Danorum adhuc exercitus.*
De translatione eius ac sociorum, Lib. 2. *In arce sapientiæ ad mensam cœl.*
Vitam Laurentij archiepiscopi, Lib. 1. *Dominis charissimis & paternæ.*
Vitam Suuithuni episcopi, Lib. 1. *Glorioso rege Anglorum Egberto.*
Vitam D. Grimbaldi, Lib. 1. *Vrbs Morinorum quondam ampla.*
Vitam D. Erkenuualdi, Lib. 1. *Post passionem ac resurrectionem.*
De origine S. Iuonis, Lib. 1. *In ciuitate Frianeos qua rese.*
Vitam dicti Iuonis episcopi, Lib. 1. *Doctor Apostolicus & ueri solis.*
De translatione eiusdem, Lib. 1. *Postquam sanctissimum corpus.*
Vitam D. Eadgithæ, Lib. 1.
Vitam D. Milburgæ, Lib. 1.
Vitam D. Vuitheburgæ, Lib. 1.

Præter hos eius libros, alios in Anglia adhuc extare nullos noui. Claruit Gotcelinus anno à diuini uerbi incarnatione 1110, regnante in ipsa Anglia Henrico eius nominis primo. Sed ubi demum obierit, authores non prodiderunt.

FARITIVS THVSCVS. XVIII.

FAritius Thuſcus, monachus, in ea Italiæ regione quæ & Hetruria dicitur, natus, in Angliam fortaſsis cum archiepiſcopo Lanfranco per Guilhelmum regem cognomento Baſtardum uenit. Quantum uerò ad bonarũ artium cognitionem pertinet, fama earum pereleganter enituit, eo tempore potiſsimum, quo per totam Europam barbarie præualente, tantum non interierãt. Erat ille in Abindonenſi monachorum collegio Benedictini nominis ad Thameſin fluuium ſito, abbas, eruditus quidem: ubi inter alias occupationes, ante Guilhelmi Malmesburienſis tempora, qui & de illo mentionem facit, uicturis chartis commendauit

Aldhelmi epiſcopi uitam,	Lib.1.
Epiſtolas ad diuerſos,	Lib.1.

Atq; alia multa. Hæc apud Lelandum in ſuis Collectaneis uidi. Claruiſſe Faritius fertur, anno felicitatis noſtræ per Chriſtũ 1110, Henrico primo apud Anglos regnante.

RICARDVS CLVNIACENSIS. XIX.

RIcardus Cluniacenſis, ab eo Burgundiæ loco ſic nuncupatus, quò Berno quidam eius author ſectæ ſuos primùm traduxit monachos, homo tam ſcientijs eruditus extitit, quàm bonorum teſtimonio probatus. Referã ergo aliorum dicta, præſertim Ioannis Trithemij in Catalogo ſcriptorum eccleſiæ. Ricardus (inquit) monachus Cluniacenſis, ordinis S. Benedicti, uir in diuinis ſcripturis eruditiſsimus, et in ſecularibus literis, omnium fama, ſuo tempore doctiſsimus, ingenio ſubtilis, & diſertus eloquio: qui uaria ſcribendo & componendo ſyntagmata, nomen ſuum cum ingenti gloria ad poſteritatis noticiam tranſmiſit. Nihil tamẽ eorum ad manus noſtras huc uſq; perueniſſe memini, præter hæc inſignia & clara opera, ſcilicet

Hiſtoriarum temporum,	Lib.1.
Epiſtolarum quoq; ad diuerſos,	Lib.1.

Accedunt quæ carmine edidit.

De *Cluniacenſi monaſterio,*	*Car.*1.*Roma ſecunda uocor, meus eſt.*
De *Anglia & eius laude,*	*Car.*1. *Anglia terra ferax & fertil.*
De *Londino & eius laude,*	*Car.*1.*Ibis & in noſtros diues Londo.*
De *transfiguratione* Domini,	*Car.*1.*Lætetur hodie, matris eccleſiæ.*
De *Maria Magdalena,*	*Car.*1.*Procumbit pedibus, non lota lach.*
De *diua Catharina,*	*Car.*1.*Cœlum cœlibes agit nuptias.*
Epigrammata quædam,	*Lib.*1. *Vſus uentilabri quid conferat.*

Aliaq; multa cõgeſsit. Claruiſſe à Trithemio ſcribitur, anno Domini 1160, & Friderici primi tempore. ſed Chriſtianus Maſſæus in 17 libro Chronicorũ mundi, teſtatur eum uſq; ad annum à nato Seruatore 1200, produxiſſe ſuas hiſtorias, ſub rege Ioanne.

GVILHELMVS GEMETICENSIS. XX.

GVilhelmus Gemeticenſis, qui à Gualtero, Albanenſi cantore ac bibliothecario, in opere ſuo de Libris eccleſiæ, Cœnobita cognominatur, patria Normannus fuit, profeſsione monachus Fiſcanẽſis, ac rerũ Normannicarum illuſtrator ſuo tempore maximus. Nemo mirabitur, ea tempeſtate monachos apud principes in magno fuiſſe precio: cum intelligere debeat, cæteris hominibus eos tunc fuiſſe doctiores. Exegit ab iſto Henricus ſecundus Anglorum rex, quum ualde literatum ſciret, ne ſtylum elegãtem monachali ocio rubiginem contrahere ſineret: ſed utriuſq; patrię Angliæ & Normãniæ, quarũ ipſe curã habebat, res geſtas æternitati per ſcripta cõſecraret. Quod fecit, chartis cõmendans

Chronicon suorum Normannorum,	*Lib.1. Ex quo Francorum gens opus hoc.*
Historiam de Anglorum regibus,	*Lib.1.*
Officiarium ecclesiæ quoq;,	*Lib.1.*

Et alia nonnulla, ut in Catalogo scriptorum ecclesiæ Bostonus Buriensis recolit. Claruisse Guilhelmus fertur, anno à Christi Domini nostri aduentu in carnem 1160, Henrico prædicto regnante.

PETRVS BLESENSIS. XXI.

PEtrus Blesensis, uel de Blesis, natione Gallus, officio sacrificus, sed ex Anglorũ genere ab una parte fertur oriundus, uir lingua disertus & eloquens, omnigeno nitidioris doctrinæ honestamento nobilitabatur. Non assentator Gnathonicus, palpare, sed testis & præco ueridicus, prælatorũ ac principum uitia modestè redarguere non metuens, in gratiã ita uenit coram Henrico secundo Anglorum rege, ut primùm archidiaconatu Bathoniensi, postea Londinẽsi, demumq; Cantuariẽsi, per illum donaretur. Thomę Becketi Cantuariorum archipræsulis, quem pro raro numine tunc clerus habebat, tumentem arrogantiam, in epistolis ad amicos & in familiaribus colloquijs solerter, sed religiose, stringebat. Clerumq; ipsum à uero dissentiẽtem, quasi impetu quodã, sæpiusculè uocabat Syriam, Edom, uitulos Bethel, idola Aegypti, pingues Samariæ, sacerdotes Baal, Iudices qui cõdunt leges iniquas, & plura similia. Episcopi domo, inquit, ut cum familia dominũ comprehendam, nihil est damnabilius ad meritum, nihil inhonestius ad mores, nihil sordidius ad conscientiam, nihil culpabilius ad famã, nihil perniciosius ad exemplũ. Aufer Domine de domo tua idolum, & confringe cornua peccatoris. Munera Romæ omnia peruertunt, & omnia monachis ipsis licere permittunt: imò ad omnes carnis illecebras, quas annua redimũt pensione. Cantantur eorum turpitudines in tentorijs Geth, & in compitis Ascalonis. Sic factus est princeps Sodomorum, discipulis post eum in cathedra pestilẽtiæ sedẽtibus, &c. Ingenio acutissimus fuit, & ad dicendũ prõptissimus, multasq; eruditas lucubrationes ad posteritatis usum in lucem emisit, uidelicet

De amicitia Christiana,	*Lib.1. Quoniam diminutæ sunt ueritates.*
De pœnitentia salutari,	*Lib.1. Rogasti me frater, ut tibi aliquid.*
De accelerando passagio,	*Lib.1. Quis dabit capiti meo aquam.*
De qualitate pœnitentiæ,	*Lib.1. Nimia tui rigoris austeritas.*
Sermones de Ieiunio,	*Lib.1.*
De sapientiæ studio,	*Lib.1. Diuisus es, & cor tuum à te.*
Contra deprauatorem,	*Lib.1. Exhortatiunculam tuam, quam ad.*
Exhortationes ad abbatem,	*Lib.2. Electus es à uestris fratribus.*
De officio Episcopi,	*Lib.1. Petis instantius reuerende pater.*
De præstigijs fortunæ,	*Lib.2.*
De periculo prælatorum,	*Lib.1. Quoties recolo uerba scripturæ.*
De uita clericorum curialium,	*Lib.1. Gratias ago gratiæ uestræ, quam.*
Epistolarum numero 194,	*Lib.1. Rogatus à uobis, epistolas has.*
De synodis celebrandis,	*Lib.1. Sic nos existimet homo, ut mi.*
Canonem episcopalem,	*Lib.1.*
Vitam patientis Iob,	*Lib.1. Henrico illustrissimo Anglorum regi.*
Vitam Vuilfridi archiepiscopi,	*Lib.1. Exquisitissima deliberatione consilij.*
Vitam Guthlaci confessoris,	*Lib.1. Quia gesta uirorum illustrium solet.*
Dialogum regis & abbatis,	*Lib.1. Filios enutriui, ipsi autem spreue.*
De peregrinatione Hierusalem,	*Lib.1.*
Sermones in festis diebus,	*Lib.1. Dum medium silentium tenerent omnia.*

De conuersione D. Pauli,	Lib. 1. *Recolenda diui Pauli memoria.*
De transfiguratione Domini,	Lib. 1. *Magistri cœlestis Iesu Christi Domini.*
De assertione fidei,	Lib. 1.
Testimonia fidei catholicæ,	Lib. 1. *Cum in fundamento ecclesiæ cathol.*
De Iudæorum perfidia,	Lib. 1. *Quærebam in uisione noctis.*
Manipulum florum,	Lib. 1. *Abijt in agrum, ut spicas colligeret.*
Acta Henrici secundi,	Lib. 1.
Piarum exhortationum,	Lib. 1.

Et alios adhuc tractatus plures. Ioanni Sarisburiensi Anglo, uiro doctissimo, tunc Carnotēsi in Gallijs episcopo, familiarissimus erat, ad quem nonnullas scribebat epistolas. Claruit anno à nato Messia 1160, regnante Henrico secundo, ac Bathoniæ tandem sepultus fertur.

ROBERTVS DE MONTE MICHAELIS. XXII.

ROBertus de monte Michaelis, famigerati illius cœnobij monachus & abbas, patria Normānus, circiter Stephani Anglorum regis tempora, ob multarum rerum scientiam, in precio fuit. Qui sui nominis memoriam literarijs aliquot monumentis perpetuare satagens, ueterum quorundam historiographorum moribus ac uestigijs inherescens, historias & ipse in quorundam authoritate ualentium hominum gratiam, congessit. Placuere eius opera per eam ætatem multis, uidebanturq; eis tam utilia quàm docta. Sed quod de nominis fama ex ipsis sperauit, difficulter in posterum obtinebat, quum puluere obsita, in paucis deliterent monachorum bibliothecis. Bostonus tamē Buriensis, in talibus exquirendis uir diligentissimus, hos eius operum in suo Catalogo signauit titulos

Chronicorum opus,	Lib. 1.
Gesta Vualuuani,	Lib. 1. *Vter Pendragon rex pater Arth.*
Gesta Marodoci,	Lib. 1. *Memoratu dignam historiam.*

Et alia ipsis similia. Superest ut lector intelligat, perduxisse illū sua Chronica usq; ad annū à Christi seruatoris incarnationē 1158, Thoma Rudburno atq; Lelando testibus, quo anno uixit, Henrico secūdo in Anglia regnante.

ROBERTVS MONTENSIS ABBAS. XXIII.

ROBertus Montensis abbas, alius à prædicto Roberto, patria quoque Normannus (nam & ea terra sub Anglorum regis ditione tunc erat) non ultimus inter sui temporis scriptores & ipse agnoscebatur. Is primùm fuit famosi illius Beccensis monasterij, quod tot Anglorum ecclesijs archipræsules, episcopos, abbates, priores & doctores pepererat, sub Benedictinorum instituto monachus. Postea montis Naualis, à quo cognomen accepit, in Abrincensi diœcesi præses seu abbas constitutus, & Anglorum regi Henrico secūdo familiariter notus, ad illum in Angliam anno Domini 1176, confidenter uenit, chartamq; & sigillum magnarum eleemosynarū pro ædificando sui cœnobij templo, ab ipso demum obtinuit. Annales iste centum ferè annorum, Sigeberti Gemblacensis cœnobitæ chronico addidit: in quibus Ioannem Anglorum regem, contra monachorum eius temporis morē, à multis commendat, præsertim ab insigni quadam de Gallis uictoria, & liberatione suæ matris Aleonoræ. Quod opus aptissimè dici poterit

Appendix ad Sigebertum,	Lib. 1. *Vualdrico Laudunensi à suæ urbis.*
Bella Christianorum principum,	Lib. 8. *Inter omnes historiographos, illi.*
Ad Guilandum monachum,	Lib. 2. *Sanctorum patriarcharum benedictio.*
Acta conciliorum,	Lib. 1.

De suis temporibus, Lib.1.

Vitam Henrici primi, Lib.1.

Aliaque composuit multa. Interfuit iste comitijs prælatorum tam Romæ quàm Tholosæ, ubi omnia scriptis commendauit. Suam uerò appendicē ab anno Seruatoris Christi 1112, porrexit usque ad annum 1210, in quo claruit, Anglorum regi Ioanni admodum gratus.

GVILHELMVS CHIERBVRGVS. XXIIII.

GVilhelmus Chierburgus, patria Normannus, & in uilla eiusdē cognominis prope Rothomagum natus, liberalium artium candidatus fuit, ac pro illa ætate elegāter tam in poesi quàm in soluta oratione doctus. Qui ad fabulas poetico more conuersus, lasciuientibus metris credulas stultorū hominum aures, mendaciorum architectus, suauibus nugis multoties delectabat. Et ut Papicolis olim placeret, in Anglos garriens Normannus, ob Thomæ Cantuariensis necem, qui nihilominus tam regni quàm regis proditor apud Antichristum fuerat, adulator ac detractor debacchatus est, usque ad insaniam accusans & mordens. Impudenti etiam audacia ac furenti rabie æstuans, carmine aduersus Angliam edidit

Super morte eiusdem Thomæ, Lib.1. *Ve tibi terra ferox, Anglorum liuidus.*

Pluraque alia. Talem poesim Augustinus *uocat uinum erroris, ab ebrijs doctoribus propinatum.* Claruisse Chierburgus fertur, anno incarnationis Dominicæ 1170, Henrico secundo regnante.

THOMAS BAIOCENSIS. XXV.

THomas Baiocensis, uel Bayona, cognomento Iunior, sacerdos olim Normannus, & senioris Thomæ Eboracensis archiepiscopi nepos (si *non filius*) uir fama & doctrina clarus, in eandem sedem & ipse archipræsul, antistitū ordine uigesimusseptimus, cōstituebatur. *Romæ receptus mos est à diebus antiquis,* ut religionis gratia spurij semper pro nepotibus habeant. Nescio num ritus ille cœlibibus peculiaris, ad Neustrios *usque peruenerit,* & inde ad Anglos per Oceanum. Attamen de hoc Thoma Houedenus refert, quòd fœminas nunquā tetigerit (id tamen musicis ualde rarum est) sed ex illarum defectu, spretis medicorum suasionibus, *sibi mortem accelerauerit.* Composuit hic Thomas ad usum Eboracensis ecclesiæ,

Cantus ecclesiasticos, Lib.1.

Officiarium eiusdem ecclesiæ, Lib.1.

Et alia quædam. Basilicamque cathedralem Eboraci magno sumptu construxit, & canonicis secularibus impleuit, *anno incarnati Messiæ* 1169, ut in Antiquitatibus Botonerus tradit.

RICARDVS DE PRATELLIS. XXVI.

RIcardus de Pratellis, magni cuiusdam, ut fertur, monasterij in Gallijs abbas, sed in Anglia nutritus, tantū in literis tum profanis *tum sacris profecit,* quantum illa sanè admirabantur secula. Et exarata ab eo tunc literarū monumenta nòn modò laudibus illum extulerunt, uerumetiam summis honoribus dignum *apud posteros reddiderunt.* Per opera clara, quę suis legenda reliquit, innotuit eius nomen, authore primùm Bostono Buriensi in Catalogo eorum qui in Bibliorū libros scripserunt, ac postea Ioanne Pollano per epistolam ab Oxonio ad me missam. Credebat hic author, cęlesti doctri*næ addictissimus,* habere se satis ex sacrorum Bibliorum codice, quæ populo Christiano sine paganorū nugis sufficerent. Vnde nō infœliciter cōgessit

Expositiones in Iosuen, Lib.1. *Quanta, fratres dilectissimi, suauitate.*

Super Iudicum, Lib.1. *Eo pandente qui aperit, & nemo, &c.*

Super Ruth,	Lib.1.*Libro Iudicum subnectitur libellus qui.*
Super Sapientiam,	Lib.1.*Diligite iusticiam,qui iudicatis ter.*

Et in alios utriusq; Testamenti libros, nõ paruo labore cõmetarios fecit, ut Christianorum animos in fide roboraret, ab obseruationem mandatorũ Dei. Sed de eius tempore non constat.

GERARDVS PVELLA. XXVII.

GErardus Puella (Neustrius an Anglus sit nescio, sed uirum apprimè eruditum fuisse sat scio) ob uarias ac non uulgares, quæ in eo relucebant, uirtutes, à multis & eisdem doctis authoribus commendatur. Quorũ unum in medium adducere, ad præsens non grauabor, Robertum scilicet Montensem, seu de Monte nauali, qui in Sigeberti cõtinuationibus ita scribit: Magister Gerardus (inquit) cognomento Puella, uir magnæ literaturę & honestatis, electus est anno Domini 1182, in episcopum in Anglia Cestriensem: qui episcopatus tres habet episcopales sedes, Cestriensem, Couentriensem, & Lichefeldensem.

Plura Gerardum scripsisse Rogerus Crolandiensis in uita Thomæ, post alios authores refert: sed operũ tituli non occurrunt. Mortẽ obijt anno nati Seruatoris 1183, & episcopatus sui anno secundo, Henrico secũdo regnante.

HENRICVS DE SOLIACO. XXVIII.

HEnricus de Soliaco, aliàs Blesensis, Henrici regis ex Adela nepos, & Ricardi filij consanguineus, professione uerò monachus, ex Bermundensis insulæ abbate, Glasconiensis cœnobij præses, ac postea Vuintoniensis episcopus per eosdem reges designabatur. Cum dictus Hẽricus rex, Hyberniæ imperium ambiens, in Cambriam exercitum conscripturus uenisset, ab eius terræ regulis pro dignitate acceptus, Bardos in conuiuijs ad lyram concinentes, nõ sine uoluptate, interprete usus, audiuit. Quo tempore cum rex ab eorum uno didicisset, sepultum fuisse Arthurum fortissimum Brytannorũ regem, in sacro Aualoniæ cœmeterio, cum abbate nepote egit, ut diligentia exquisita sepulchri locum perquireret. Quod opus cum aliquoties tentasset abbas, magna tandem cum difficultate corpus eius inuenit, ut post Giraldum Cambrensem Lelandus in eiusdem Arthuri assertione refert. Scripsit Soliacus plura, tam prosa quàm carmine: & inter alia ad auunculum regem, adiutore iam dicto Giraldo,

De inuentione corporis Arthuri,	Lib.1.

Reliqua eius opuscula nec tetigi unquam, nec uidi. Claruit anno à Christi seruatoris origine 1190, sub Ricardo eius nominis primo, & Vuintoniæ tum demum episcopali sede, in fata concessisse creditur.

ROBERTVS FISCANENSIS. XXIX.

ROberti Fiscanensis, monachi apud Normannos Benedictini, mentionem in suis scriptis plerique authores faciunt, referentes qua fama, qua authoritate, quo denique iudicio, in literis enituerit. Volentem me tamen nunc susius de tam illustri scriptore & chronographo loqui, materia iusta planè desereret, nisi quæ Nordouici apud amicum Talbotum, antiquitatis amatorem, uiderim, ad præsens explicarem. In eius inueni musæo, quòd Robertus iste Neustrius fuerit, & quòd à Christo incarnato usque ad sua tempora condiderit

Chronicorum opus,	Lib.1.

Reliquorum eius opusculorum non uidi quicquam. Claruisse putatur, anno à diuini uerbi incarnatione 1180, sub Henrico secundo.

GVILHELMVS DE COVCHES. XXX.

GVilhelmus de Couches, patria Normãnus, ac studio philosophus, meritò inter scriptores eruditos ponendus accedit: sed illius ualde tenuis, ex incogitãtia fortaßis authorum eius temporis, ad nos peruenit cognitio. Constat tamen ex inspectione cuiusdã eius uetustißimi libri, in Orialis collegij apud Oxonienses bibliotheca, illum fuisse aliquando hominẽ in omni philosophiæ genere uersatũ & doctũ. Ipsius enim scientiæ placita, quæ rerũ naturas ipsas seriò ac medullitus scrutantur, rerumq́ earũ principia & fines, sine uafris syllogismis firmiter inuestigauit. Apud Bostonum quoq; Buriensem, authorem uerè nobilem, in Catalogo scriptorum ecclesiæ, scripsisse dicitur Guilhelmus, de naturis inferiorum & superiorum, hoc est

Philosophiam primam, | *Lib. 1. Cum dudum mota esset quæstio, qui.*
Philosophiam secundam, | *Lib. 1. Quæris, quid secunda philosophia.*
Vniuersalem quoq; philosophiam, | *Lib. 1. De philosophia tractantes, quid.*

Aliosq́ tractatus edidit plures. Vnde coniecturis ducor, floruisse hunc authorem in Anglia istis temporibus, sub Ricardo primo & Ioanne eius fratre, principibus illustrißimis.

HVGO NOVAVNT. XXXI.

HVgo Nouaunt, uel Nouantus, genere Normannus, sed in Anglia Couentriensis, Cestriensis & Lichefeldensis episcopus, eximia magni ingenij ac multæ literaturæ signa præ se tulit. Hic inter alia quæ à Chronographis seriò notantur, monachos anno Domini 1191, de sacerdotum collegio quod Couẽtriæ in urbe erat, eiecit, presbyteris in eorum locum substitutis, qui uulgò seculares dicuntur, permutatis eorũ fructibus in præbendas. Scelerate enim ac luxuriose uiuebant illi monachi, nolentes ab episcopo reformari: sed cum eo cõtendentes, in summo templo & ante altare magnum, ad sanguinis ipsum effusionem usq; sauciabant. Qui tamen septimo post anno, Cœlestini tertij Rom. pontificis authoritate, per Hubertũ Cantuariensem metropolitem, Hugonem Lincolniensem episcopũ, & Samsonem Buriensem abbatem, iterum sunt in illud collegium, eo mortuo, currente pecunia, restituti. Edidit Nouantus super eiectione Guilhelmi Longshampij Eligensis episcopi, & regni cancellarij sub rege Ricardo, omnium quos sol tunc uidit ambitiosißimi,

Historiam mirabilem, | *Lib. 1. Quæ literarum apicibus annotantur.*
Ad Ricardum Londinensem, | *Epist. 1. Nouerit tua discretio, quod uenerab.*

Et alia multa. Obijt in Normannia tandẽ, post labores, apud Berchelvuinum, anno à nato in salutem nostram Christo 1198. & sexto calendas Aprilis, in monachorũ cœnobio non monachus sepultus, regnante in Anglia Ricardo primo.

LECHBERTVS ABBAS. XXXII.

LEchbertus, abbas uenerabilis S. Rufi ab historicis nuncupatur, ordinis Canonicorũ regularium D. Augustini (locus esse dicitur in Gallia Narbonensi, non procul à Valentia) in literis tam diuinis quàm humanis ita à iuuentute processit, ut magnus tum demum theologus haberetur. Preclarum semper in Anglia gerebat nomen, ac si illic fuisset ab incunabulis nutritus: Bibliothecis ubiq;, eius in Psalterium erudita commentaria proferentibus. Hic in uarijs mundi regionibus, tanquam alter Pythagoras, cœlestem philosophiam didicisse ac docuisse monstratur, & multos uitijs assuetos ad uirtutes authoritate quadam reuocasse. Matronas ad pudicitiam, & iuuenes ad modestiã cohortabat, adeò ut de illo æquè dici poßit, atq; de Pythagora,

Mente

Mente deos adijt: & quæ natura negauit,
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Quid multis? Protulit Lechbertus ex pectoris thesauro, ut sui memoriã posteris relinqueret,

Explanationes Psalmorum, Lib. 1. *Prophetia, est aspiratio diuina.*
Commentarios quoq; alios, Lib. 1.

Sunt quædam exemplaria, quæ Flores in Psalterium, primum opus adnotent. Cæterorum eius operum non uidi titulos. Claruisse fertur circa annum à natali Dominico 1210, Ioanne rege Angliam gubernante. Hunc crebrò allegant Patringtonus & alij.

NICOLAVS GRAECVS. XXXIII.

Nicolaus Græcus, officio clericus, & in Anglia prope fanũ Albani sacerdotiũ adeptus, clarũ utriusq; linguæ decus (ita illũ Lelandus depingit) bonis literis partim ad Isidis uadũ, partim Lutetię Parisiorũ, diligentissimus inuigilauit. De quo Mattheus etiã Parisius hæc in maiori Chronicorũ uolumine scribit, ad annũ Domini 1242: Robertus episcopus Lincolniensis (inquit) in Latina & Græca lingua peritissimus, è Græco in Latinũ trãstulit, Testamẽta duodecim patriarcharũ, coadiuuãte Nicolao Græco abbatis D. Albani clerico, in cõfusionẽ inimicorũ Dei Iudæorũ & hæreticorũ, qui per maliciã & inuidiã ea diu occultauerãt. Hæc ille. Vterq; eorũ, ut apparet, id fecit.

Labor Nicolai incipit: *Post annos duos mortis Ioseph.*
Opus uerò Roberti, sic: *Transscriptum testamenti Ruben.*

Vnde coniectura est (inquit Lelandus) Nicolaum, non dissimilem Roberto exhibuisse operam, in Damasceno ac Dionysio, commentarijs eius illustratis. Claruit Nicolaus anno Domini 1250, sub rege Henrico tertio.

ALBERTVS LINCOLNIENSIS. XXXIIII.

Albertus, homo Germanus, Lincolniensis episcopus post Robertum Grosseteстum, ab Innocentio quarto Rom. Pontifice, atq; eo, ut apparet, nondum mortuo, per maliciam factus: uir erat, si tempora cõsideremus, terse ac nitidè eruditus. Neq; est illud silentio prętereundum, quod ante hęc tempora fuerit Prussiæ archiepiscopus, & Rom. ecclesiæ in Angliam sub dicto Innocentio legatus à latere ad Ricardum Cornubiæ ducem & Henrici regis fratrem ditissimum, anno Domini 1252, ut ei Apulię regnum, illius pontificis nomine, offerret uenale: ut in 3 libro de Historiarum floribus, Matthæus Vuestmonasteriensis habet. Quod tamen regnum alteri cuidã principi antea uendidisse dicitur. Addit & Thomas Gascoigne, in Dictionario theologico, quod Latinè ediderit, dum apud Anglos esset,

Eadmundi Cantuariensis uitam, Lib. 1.

Coniectura mea est, hunc Albertum illum esse, de quo Hermannus Bonnus in Lubeci chronico sic scribit: Præfuit Lubecensi collegio Albertus episcopus è Liuonia pulsus, scholasterus quondam maioris ecclesiæ Bremẽsis. Claruit anno Domini 1260, sub iam dicto Henrico.

RADVLPHVS ALCMANVS. XXXV.

Radulphum Alcmanum, à literis ac uitæ moribus commendauit, idq; accuratè, Ioannes Lelandus Antiquarius, in operis magni de uiris illustribus libro quarto, his uerbis: Transfretauerat illis diebus (anno scilicet Domini 1273) in Brytanniam Radulphus quidã Alcmanus, uir magnæ tum cõtinentię, tum eruditionis, & præterea gubernator summus totius Carmeliticæ sectæ post Nicolaum Gallicum Narbonẽsem, inq; magistrorũ eius familiæ generalium ordine octauus. Is fratrum suorum, qui in urbibus contra

prima eorum statuta morabantur, multis leuitatibus atque criminibus offensus, lecto etiam dicti prædecessoris Nicolai opere, quòd in eos aculeatū scripserat, addito Igneę sagittæ titulo, cognitaque antè per literas Holnēsis eremi prope Alneuicum in Northumbria celebritate, eam solitudinem, ut & alter in Gallijs montem Evuatrof, petijt, ut illic in silentio & spe (iuxta Prophetæ dictum) deinceps esset ipsius fortitudo, Esa. 30. Ex qua solitudine scripsit cō solationis plenas

Ad diuersarum nationum fratres, *Epist. plures.*

Vbi, deposito prius magistratus sui onere, quatuor ferè annis, inter solitarios homines, solitarius & ipse, Christianusque philosophus, relictis mundi illecebris uixit: ac tandem anno Domini 1277, carnis onus deposuit, in Anglia regnante Edvuardo primo.

GVIDO DE COLVMNA. XXXVI.

GVido de Columna, Siculus natione, bonarum literarum professor, ac Messanēsis ciuitatis alumnus, cum Edvuardo eius nominis primo Anglorum rege in Angliam primùm uenisse dicitur, quum ex Asiatico bello ille redijsset. Est autē Messana, locus ut apparet eius natiuitatis, regni Siciliæ urbs inclyta, & Peloro monti propinqua: à Messenijs Achaiæ populis, qui eam condiderant, ita appellata. De qua Silius Italicus poeta in 15 libro de bello Punico, sic scribit:

Incumbens Messana freto, niuibusque reuulsa.

Restaurauit hic Guido (sic habet Bostonus Buriensis) ac scholijs ornauit, tam Dictyn Cretensem quàm Daretem Phrygium, in historijs de bello Troiano. Et scripsit plenissimè, quicquid in tota historia uniuersaliter ac particulariter fuerat gestum. Ediditque historiam ex multis authoribus,

De eodem Troiano bello, *Lib. 36. Licet quotidie uetera recentibus.*

Et alia quædam. Hæc ille, in suo Catalogo scriptorū ecclesiæ. Claruit anno à nato in salutem nostram Christo Domino 1287, in quo finiuisse illum dictam historiam, Edvuardo regnante, prædictus author tradit. Sed ubi demum obierit, non lego.

ANIANVS DE SCHONAVV. XXXVII.

ANianus de Schonavu, nescio an de Schonhouia Batauorum oppido potius sit nominandus, inter Dominicanæ factionis fraterculos, non modò doctrinæ, sed & magni nominis laudem capessebat. Incidit ei familiaritas cum Anglorum rege, fortassis Edvuardo ab Asiaticis prælijs reuertente, cui ab auriculari confessione fuisse putatur. Pręmium denique post aliquantos labores à liberali quodam in Anglia patrono suscepit, quisquis ille fuerit rex aut pontifex, episcopatum nempe Asaphensem. Quoniā illis diebus Cantuariensem metropolim, ac tandem Romæ Cardinalatum occupabat Robertus Kilvuarby, eius etiā ordinis monachus. Congessisse enim Anianus fertur,

Super fabulis poetarum, Lib. 1.

Opus hoc habebatur Glasconiæ, ut testatur eius cœnobij registrum. De Aniano uerò mentionem facit Philippus Vuolphius in Vireto Calaguritanorum, de tempore tamen nihil dicit.

GVILHELMVS BOVGEVILLA. XXXVIII.

GVilhelmus Bougeuilla, Neustrius genere, et Beccensis in Normannia cœnobij monachus, magnā à bonarum literarū studijs tam illic quàm in Anglia sibi cōparauit laudem. Loca enimuero eiusmodi laboribus commoda & apta, prudens utrobique delegit: & ne studiorum seueritas animi uigorem

gorem

gorem minueret, ad iucundam historiarum lectionem peropportunè se contulit. Vnde in Angliam demum peregrinatus, insigniora regni monasteria inuisit, & Chronicon magnū ab anno Domini M, ad suam ætatem usq; collegit. in cuius præfatione sic inter cætera scribit: Vidi (inquit) & legi in regno Angliæ, in excellenti ecclesia martyris Eadmundi, historias & chronicas quamplures, ubi multa mirabilia oculis concepi & inserui. In ecclesia S. Albani, in Vuestmonasterio, & in regno Franciæ ad S. Dionysium, ac Parisijs, &c. Opus illud uocatur

Vnus omnium, *Lib. 6. Quotiescunq; diuinarum scripturarum.*

Prototypon eius Cantabrigiæ uidi, in collegio regis. Claruit anno salutiferi partus 1288, quo dictum finiuit Chronicon, Edvuardo post Cōquestum primo in Anglia regnante.

PETRVS CORBARIVS. XXXIX.

PEtrus Corbarius, cognomento Remalutius, in agro Reatino ex humili loco natus, sed doctus, & ad res agendas, ut Platina scribit, aptissimus: uxorem legitimam habuit, Ioannam Matthæi Corbariensis ciuis filiam. Qui tamen non religionis, sed superstitionis atq; ambitionis gratia, ea renuente ac reluctante, Franciscanorum cucullam induit: & à Cæsare Ludouico Bauaro, sub Nicolai quinti nomine, contra Ioannem 23 Romanus Pontifex anno Domini 1328 salutatus fuit. Et quū annos tres, menses tres, & dies quatuordecim à sua creatione, & in sua (ut loquūtur) obedientia rexisset, ac plura scripsisset, præcipuè

Glossulam super Christi imitatione, Lib. 1.

in Angliam occultè uenit, atque anno Domini 1331 Londini mortuus est, & inter Minoritas sepultus. Hoc non solum ex Floribus historiarum Matthæi Vuestmonasteriensis didici, sed etiam ex quodam antiquissimo Franciscanorum registro.

Nec uerum esse credo, quod Platina, & post illum Panuinius, somniant, quòd Bonifacius *Pisanus Comes, rem gratam* Ioanni 23 Pontifici, quem illi *22 eius nominis* ponunt, facturus, illum ceperit, & Auenionem perduxerit: & quòd ab eodem *pontifice in carcerem sit coniectus*, ac biennio seruatus. *Quis crederet*, tantam fuisse commiserationem in tam immani tyrāno: qui tam truculenter Hugonem *Giraldum Caturcensem* episcopum, insignibus *pontificijs*, anulo, mitra, cappa, pileo, camisiaq; Romana priuatum ac degradatum, brachio seculari, ut uocant, *cruciandum, excoriādum*, & comburendum *tradiderit*, donec animā in horribilibus tormentis efflaret, quod in eius personam multo adhuc leuius coniurasset? Certè nullus.

IOANNES FROSSARDVS. XL.

IOannes *Frossardus, patria* Hannonius, canonicus ac thesaurarius Chimaijensis in comitatu eiusdem Hannoniæ, & Leodiensi diœcesi, *inter eos qui magnorum principum* ac populorum spectabilia gesta commemorat, eminere plurimum uidetur. Incidit in tempus omnium quæ præcesserant, ex nimio sectarum prouentu & pontificum schismate, nocentissimum: idcirco *sunt eius scripta* à studiosis lectoribus diligētiori indagine legenda. Fuerat enim ei cum Philippa Hannoniensis Comitis filia, & *Edvuardi tertij* Anglorum regis uxore, *muliere longè florentissima*, prolixa consuetudo: cuius gratia utramq; secutus aulam, tam uisa quàm audita eius ætatis facta, *chartis* bona fide, sed in Gallico *sermone commendauit, illiq;* Anglorum tunc reginæ dedicauit

Sui temporis chronicon, Lib.2. *Vt illustres ac celebres conatus.*
Continuationes eiusdem, Lib.1.
Laudes Philippæ reginæ, Lib.2.

Incipiũt hęc Chronica ab Edvuardo prædicto, anno à Christi natali 1326, durantq; per lxxiiij annos ad Henricum quartum usq;, annũ scilicet Domini 1400, Quæ Ioannes Bourchier uir nobilis in Anglicum sermonẽ, & Ioannes Sleidanus in Latinum compendium uerterunt.

CONRADVS TREMONIVS. XLI.

Conradus Tremonius, uel à suo genitore Ernestus cognominatus, genere quidem Germanus, ac professione Carmelitanus fuit. Qui quum ad uirilem ætatem peruenisset, emigrans ex patria ac paterna domo, studiorum cupidissimus in Italiam & rectà Bononiam se contulit. Vbi post artes sophisticas, quas illi tamen dialecticã ac philosophiam uocant, theologiam sententiariam professus, in magni nominis uirum post aliquot annos in suã reuersus patriam statim excreuit. Contigit illis diebus Thomam Vualdenũ, supremum sui ordinis in Anglia præsidem, ad Constantiense generale concilium, cum sui regis authoritate nuncium atq; oratorem aduersus Hussitas aduenisse. Cuius lateri Conradus confestim adhæsit, & cum eo in Angliam proficiscebatur, illic deinceps tanquã eius socius & collega moraturus. Abbreuiauit ille, Michaelis Angriani Bononiensis Carmelitæ quæstiones,

In opus Sententiarum, Lib.4.
Catalogum sui ordinis, Lib.1.

Aliaq; multa ad eundem Vualdenum & alios conscripsit. Fato tandem in Anglia concessit, anno restitutæ salutis humanæ 1419. Londini in sui ordinis cœnobio sepultus, ac decẽti marmore tectus, Henrico quinto regnante.

MICHAEL ANGLICVS. XLII.

Michael, cognomine Anglicus, quia ex antiquo fortassis Anglorum genere oriundus, sed natione Gallus & patria Belmontensis, utriusq; iuris professor, politioribus à tenera ętate disciplinis imbutus, suauissimis poeticæ atq; oratoriæ artis deinceps fruebatur delicijs. Præteritis ergo saxosis Alpibus, in Italiam est profectus, ut & illic incrementa susciperent præmeditatã suarum literarum studia. Venit Mantuam, ut Baptistam illic, quem alterum credebat esse Vergiliũ, senem inuiseret. Vidit, ac fertilissimi sui ingenij primos ei fructus iudicandos atq; corrigendos obtulit. Ille autem non solũ eius carmina probauit, sed & eruditionem illius Epigrammate edito commendauit. Id ipsum quoq; postmodum fecit Ioannes Rauisius Textor, qui in suis Epithetis, plusquam 150 uicibus eum citat. Composuit Demosthenio nitore celebris uates,

Eclogas ad Parisiensem episcopum, Lib.4. *Qualia Sidoniæ struxerunt pran.*
Eclogas ad Ludouicum Villerium, Lib.2. *Myrtile quid fœdo squales pro.*
De mutatione studiorum, Lib.1. *Gaufrede Palladiæ spirabilis au.*
Elegiam deprecatoriam, Car.1. *Virgo Panomphæi genitrix.*
Ad Petrum Courthardum, Car.1. *Ecce ego qui quondam fatis agi.*
Quercum Preslinam, Car.1. *Quæ stat Preslinos quercus con.*
In enarratione fastorum Ouidij, Car.1. *Eia age docta cohors cui plec.*
Ad regni Francorum præsidem, Epist.1. *Ego gaudium solidum atq; inti.*
Ad Franciscum Luxenburgum, Epist.1. *Non me latet pater reuerende.*
Diuersi generis carmina, Lib.1.

Quæ omnia Parisijs sunt impressa. Claruit anno ab apparente in carne Dei filio 1500, plura in lucem emittens. Istum non ideo inter Brytannos locaui, ut

ui,ut Anglus natus crederetur: sed quoniam à nemine alio eius scripta hoc ordine notantur.

BERNARDVS ANDREAS. XLIII.

Bernardus Andreas, patria Tolosanus, quem Augustiniani instituti monachum ferunt, homo eruditus, et poeta per illam ætatẽ excellens, artes ferè omnes quas liberales nominant, tanquam ex plenis fontibus ad saturitatem hausit. Est autẽ Tolosa, Narbonensis Galliæ nobilissima ciuitas, Tectosagum olim à Plinio dicta. Ab ea decedens Bernardus, uidendarum terrarum gratia, in Angliam Londinum usq; peruenit. Hinc est ab Henrico octauo illustrissimo Anglorum rege in aulam accitus, ac regij poetę nomine statim insignitus. Qui ut pleniori obsequio tanti regis demereretur animum, diuersi generis carmina edidit, eiq; dedicauit

Hymnos sacros per totum annum, Lib. 3. *Aurelius Prudentius Cæsaraugustensis.*
Vitam D. Andreæ Apostoli, Lib. 1.

Atq; alia multa, quorum tituli non occurrunt. Claruit ferè sexagenarius, anno nati Seruatoris 1510: & Lõdini tandẽ post aliquot annos mortẽ obijsse fertur, apud suos Augustinianos sepultus, regnante eodem Henrico rege.

HADRIANVS CARDINALIS. XLIIII.

Hadrianus Castellensis, homo Hetruscus & Corneti natus, plurimas literas habebat, & eas non uulgares, sed reconditas, ac summũ bonorũ uerborũ delectus iudicium. Primus omnium memoria nostra fuit, qui post Ciceronis seculum suis scriptis mortales excitauit, ad perfectas literas de doctissimorum authorum fontibus hauriendas. Docuitq; modũ purè ac nitidè loquendi, ita ut eo doctore latinitas ubiq; gentiũ ab integro renascatur. Ab Innocentio octauo Romano pontifice in Angliam & Scotiam missus, & à Ioanne Mortono Cantuariensi archiepiscopo, regi Henrico septimo commendatus, fiebat primùm Herefordensis episcopus: & eo relicto, postea Bathoniensis ac Vuelensis. Cæterùm breui pòst tempore Romam reuersus, in Cardinalium numerum, post pontificium in Anglia quæstoratum ac protonotariatum, sub Alexandro sexto uenit: presbyter Cardinalis, anno Domini 1503, ad S. Chrysogonum factus. Ingenij monumenta plura Hadrianus posteritati commendauit, uidelicet

De modis Latinè loquendi, Lib. 1.
Venationem ad Ascanium, Lib. 1.
Iter Iulij secundi Ro. pont. Lib. 1.
De uera Philosophia, Lib. 4.

Quod opus ex quatuor ecclesiæ doctoribus, Augustino, Hieronymo, Ambrosio & Gregorio collegit. Veritus demum Leonis decimi Ro. pontificis uim, quod facinoris Alphonsi Petrucciani conscius esset, anno Domini 1518 aufugit, omni dignitate priuatus: nec amplius uisus fuit.

ANDREAS AMMONIVS. XLV.

Andreas Ammonius, Italus, patria Lucensis, regis Angliæ olim secretarius, multas ad Erasmum epistolas elegantes dedit, multasq; ab eo uicissim recepit. Nihil ab isto proficiscebatur, quod non uehementer admiraretur ille. Poema eius rhetoricum esse dicebat, ipsumq; rhetorem poeticum. In oratione soluta (inquit) carmen agnoscit, & in carmine rhetoricam phrasin. Non tamen erat tam ostentandi ingenij studiosus, quàm ostendendę rei paratus ac promptus: facundum enim, eruditũ atq; ingeniosum est eius carmen. Et si nihil aliud accessisset, patria, forma, ætate, ingenio, moribus, optimi cuiusq; fauore, fortunatissimũ illum Erasmus existimabat. Optabatq; nõ

procul abesse dic̄, qui pulcherrimas eius dotes esset pulcherrimis fortunæ ornamētis æquaturus. Edidit Ammonius plura, tā prosa q̄ carmine, præsertim

Epistolas ad Erasmum,	Lib. 1. *Quibus uictimis hoc expiabo.*
Scotici conflictus historiam,	Lib. 1.
Bucolica uel Aeglogas,	Lib. 1. *Tu ne ades ô dulcis Lycæ iucunde.*
De rebus nihili,	Lib. 1.
Panegyricum quendam,	Lib. 1.
Varij generis epigrammata,	Lib. 1.
Poemata quoq; diuersa,	Lib. 1.

Aliaq; nonulla. In Anglia demum fato concessit, anno restituti generis humani 1518, ac Londini sepultus dicitur, Henrico octauo regnante. Candidissimū amicū Erasmus hunc uocabat, atq; à modestia mirificè cōmēdabat.

IACOBVS CALCVS. XLVI.

IAcobus Calcus, de Papia Italiæ ciuitate, familia non incelebri oriundus, à teneris annis Carmeli monasticen eadem in urbe apud eos qui illum erudiebant, pro uitæ forma suscepit. Cum ille post longa studia, præceptores fermè omnes ingenio & doctrina superaret, Romam à tricesimo sui ordinis generali magistro Bernardino Senensi uocatus, fiebat suorum fratrum præses ad S. Martinum in montibus, ut & illic probatæ eruditionis neruos extenderet. Feruentiori postea discendi ardore exæstuans, Parisiorū Lutetiā uenit, magisteriumq; theologicum in magna eorum Sorbona solenniter est adeptus. Illum deinde Venetorum oratores, ex Scotia demum uenientem exceperunt, & Henrico octauo Anglorum regi sublimiter commēdarunt, cum esset adhuc recēs inter theologos, diuortij sui à demortui fratris cōiuge Catherina, disceptatio. Quod ille, auditis rationibus & solutis argumentis, non solum legitimum edito libello probabat, uerumetiā cum Parisiensibus magistris in arenam descendens, ac triumphum inde reportans, plenum eorum ea in re consensum diplomate firmatū obtinuit. Multa eruditi ingenij monumenta Iacobus iste reliquit, ad regem præsertim

Super eodem diuortio,	Lib. 1. *Henrico octauo, Angliæ, Franciæ.*
Contra Ro. pontificis primatum,	Lib. 1. *Rationi planè consentaneum est.*
De incerto purgatorij loco,	Lib. 1.
De impunitione spiritus,	Lib. 1.
Super genealogia Christi,	Lib. 1.
De filio hominis,	Lib. 1.
Orationes elegantes,	Lib. 1.
Lecturas theologiæ,	Lib. 1.

Cætera nō uidi. Ex primis hic erat, qui à Ro. pontificis tyrānide defectionem regi ipsi persuaserunt. Peste tandē Londini perijt, 19 die Augusti, anno à diuini uerbi incarnatione 1533, apud Carmelitas sepultus: et tam à Clemente pontifice, quàm à suo generali magistro Nicolao Cyprio execratus.

POLYDORVS VERGILIVS. XLVII.

Anglia Sacra Vol. 1. Praef. p. 14

POlydorus Vergilius, Vrbini in Italia natus, Romani pontificis quæstor, pro colligendis D. Petri denarijs (nam suum quisq; persoluebat nummum, ad sacram synaxin admissus) in Angliā primū aduenit. Ob insignem in omni bonarum literarum genere eruditionem, Vuellensis ecclesiæ archidiaconus postmodum factus, priori officio Pontifici resignato, constituit Romam non repetere, sed deinceps in nostra permanere insula. Et licet in plerisq; scriptis suis ueræ religioni superstitionē prætulerit, piè nihilominus Christianorum ministrorum coniugia defendebat, pieq; statuarum cultum

damna-

damnabat, cum quibusdam alijs Romanensium Rabbinorum imposturis. Quòd antiquitati Brytannicæ in Anglorum historia, quàm par est, iniquior sit, ex ueterum illius gentis Chronicorum & historiarum ignoratione prouenit. Quòd præterea reges aliquot ab impietate pios, & alios ediuersò ab ipsa æquitate iniquos etiam promulgauerit, communi ante agnitam ueritatem per Dei uerbum, errori ac cæcitati imputandum esse iudico. Galfridum Monemuthensem, uirum certè pro suo seculo insigniter eruditum, inconditè tam acriter mordet, Nouoburgensem monachum Guilhelmum Petytum secutus, quum tamen illius ope in concinnanda historia tam frequens utatur. Nobilis ingenij specimen opusculis aliquot reliquit. nam scripsit

De rerum inuentoribus,	*Lib.3. Sum equidem nescius, Ludouice Odaxi.*
De ritibus Christianorum,	*Lib.5. Christus seruator noster, qui quemad.*
In precationem Dominicam,	*Lib.1. Dominicam precem quoties, optime.*
Anglicam historiam,	*Lib.26. Brytannia omnis quæ hodie Anglia.*
Emendationes Gildæ,	*Lib.2. Abhinc aliquot annos, cum ego ad.*
Adagiorum ad Guidonem,	*Lib.1. Trœzeni Atticæ regionis illustres.*
Dialogorum de prodigijs,	*Lib.3. Accuratè, sed nescio quàm bene.*
De patientia & eius fructu,	*Lib.2. Humanæ uitæ curriculum natura.*
De uita perfecta,	*Lib.1. Nunc certè tua Vergili patientia.*
De ueritate & mendacio,	*Lib.1. Multum difficilis sit, cum omnis quæst.*
Epistolas eruditas,	*Lib.1.*
Chrysostomi uersiones,	*Lib.1.*

Pluraq; alia edidit. Erat certè Polydorus ob erudita illa De rerum inuentoribus, Sacrorũ ritibus & Prodigijs opuscula, ab ipsis etiam pijs suspiciendus. Obijt dierum plenus, Vrbini, ut fertur, anno ab apparẽte in carne Dei filio 1555, in suæ natiuitatis urbe sepultus, Antichristo per milites rasos in Anglia tyrannizante.

De Praesulibus Angliae — Anglia Sacra Vol. 1. praef. p. 14.

MARTINVS BVCERVS. XLVIII.

MArtinus Bucerus, patria Germanus, & Argentinensis ecclesiæ pastor olim supremus, triũ principaliũ linguarũ peritus, gymnasia melioribus literis, & ecclesias saniori doctrina fœliciter iuuabat. Cum uir pius et doctus inter alios uerbi ministros, uniuersam Christi ecclesiam multis superstitionibus corruptã, & prauis dogmatibus infectã uidisset, ex ipsis Euangelij fontibus amplexus ueritatẽ, eandem editis libris ab erroribus uindicauit, coramq; Imperij principibus contra furiosos aduersariorũ conatus defendit. Argentinæ, Vlmæ, Bonnæ & alibi multis in locis per Germaniã, Euangeliũ prædicauit, ecclesias piorum constituit, et religionis formam eis conscripsit. Eodẽ tempore Eduuardus sextus Anglorũ rex, Christi gloriæ ac salutis patriæ cupidissimus, quum omni uirtutis genere cæteros antecellere studeret, uiros doctrina & pietate præstantes ad se oblatis multis præmijs accersiuit: inter quos & Bucerus postremus non erat. Illũ enim præ cęteris rex plurimi fecit, & hospitio humaniter exceptũ, curauit ut in altera regni sui academia, Cantabrigiæ scilicet, sacras literas doceret, atq; Testamentum Christi fideliter declararet. Catalogum librorum huius Buceri, doctor Gesnerus in sua bibliotheca sic colligit. Congessit enim

Versionem Psalmorum,	*Lib.5.*
Explanationes eorundem,	*Lib.1.*
Locos comunes ex scripturis,	*Lib.1.*
Enarrationes Euangeliorum,	*Lib.4.*
Metaphrases in D. Paulum,	*Lib.14.*

Dissidentium locorum decisiones,	Lib.1.
In Paulum ad Ephesios,	Lib.1.
In Sophoniam explanationes,	Lib.1.
Apologiam pro cœna Dominica,	Lib.1.
In Pauli locum, An nescitis, &c.	Lib.1.
Annotationes in quædam Lutheri,	Lib.1.
Ad epistolam Lutheri,	Lib.1.
Ad Pomeranum pro uersione Psalt.	Lib.1.
De uera ecclesiarum doctrina,	Lib.1.
Acta colloquij Ratisponensis,	Lib.1.
Contra episcopum Abrincensem,	Lib.1.
Contra Bartholomæum Latomum,	Lib.1.
Disputata Ratisponæ,	Lib.1.
Collocutorum responsa,	Lib.1.
De concilianda religione,	Lib.1.
Ad Vuintoniensem de cœlibatu,	Lib.1.
De uera animarum cura,	Lib.1.
Catechismum minorem,	Lib.1.
Contra scriptum Pauli tertij,	Lib.1.
Summam Christianæ doctrinæ,	Lib.1.
Ad libellum quendam famosum,	Lib.1.
De missa ueteris ecclesiæ,	Lib.1.
De regno Christi,	Lib.2. Beneuolentia & benignitas Dei.

Et alia plura: ueritatemq; cõstanter ad extremum uitæ diem est professus. Vltimum hoc opus ad Edvuardum regem scripsit, sub quo in Anglia obijt anno nati Seruatoris 1551, penultimo die Februarij, Cantabrigiæ in D. Mariæ templo sepultus. Sed sexto post anno insanientes Papicolæ, effossum eius corpus cum Pauli Fagij cadauere immaniter combusserunt.

APPENDIX.

Tragœdiam hanc accipe, ut & ego ab amico quodam descriptam accepi. Anno Domini 1557, circa decimum Februarij diem, misit Cantabrigiam Cardinalis Polus suo nomine legatum, adiunctis illi tribus episcopis, scilicet Thirlibæo Eliensi, Vuatsono Lincolniensi, & Christofersono Cicestrensi, Martini Buceri atque Pauli Fagij conflagrandorum corporum gratia. Et ipso die quo urbem ingressi sunt, solennitate magna atq; insolitis obuiam itionibus excipiebantur. Legatus templum ingressus, quo Bucerus publico bonorum luctu sepultus fuerat, missantem sacrificum sistere, ac uestes statim exuere iussit, & Deum suum Mauzim seu siligineum Christum cum suo ciborio inde secum exportare, ne mox fulminandi anathematis & ipse eorum Deus particeps esset. Quo facto, templum illud solenni ceremonia ab eis maledicebatur, profanabatur, anathematizabatur, diris deuouebatur, & usq; ad inferni nouissima damnabatur. Et ut quamprimum denuò expiaretur, atq; ad eorũ usum in missis & alijs idololatriarum sacris habile fieret, legati ipsius mandato, effossum est Buceri cadauer, & ad locum ei comburendo destinatum efferri iussum. Sed primùm pro tribunali cum Caypha & Anna sedebant, statorem adesse iubebant, atq; tandem ter, peremptoriè mortuum citabant, ad interrogata respondere iubebant, & alia mirabilia magna faciebant. Et quum nihil responsi dedisset mortuus, maledictis, probris & contumelijs eum afficiebant, pertinacem esse dicebant, hæreticum iudicabant, ligna, fasces & ignem parari præcipiebant: in flammas proijci, torreri, cremari atque in cineres redigi, minaci ac toruo uultu imperabant. Simili modo tractabantur & ossa Pauli Fagij, uiri etiã doctissimi & Christianissimi, sine omni humana ratione, ac unà cum Buceri ossibus absumebantur. Horridum certè spectaculum erat, & inaudita à seculis hæc rasorum & unctorum hypocritarum tyrannis, tam atrociter sæuire in mortuos, uirosq; iampridem optimos.

His ita gestis, artium magistros omnes, quotquot essent in Academia, adigebant ad suos ordines:

ordines: & qui illi decreto minus erant audientes, cogebantur cedere suo iure. Bacchalaurij, quos uocant, iureiurando pollicebantur legato, quamprimum ad eum magistrorum gradum peruenirent, similiter se facturos. Tanta enim fuit per uniuersam Angliam eorum qui missificarent inopia, ut, nisi hoc modo prouideretur in futurum de sacrificis, actum prorsus uideretur de Romanis ritibus. Eo ferè tempore Oxonij quoq; sæuitum est in cadauer uxoris D. Petri martyris, ne & ipsi in Antichristi melancholijs ac furoribus deesse uiderentur: sed non eodem modo. Eruebatur enim è sepulchro eius corpus, & in sterquilinium defodiebatur. Causa uerò, cur non, ut illi, adureretur, erat: quòd hæreses, ut uocant, nullas publicitùs docuisset, quodq; eius nomine nihil extaret, quo homines abducerentur in errores: uerùm, cum maritum habuisset tot hæresium tam insignem patronum & defensorem, ut ipsi intelligunt, iniquissimum uideri, inter Christianos sepulturæ locum illi concedere. Talis est regeneratorum in Anglia nunc Papistarum insania.

PAVLVS FAGIVS. XLIX.

PAulus Fagius, patria et ipse Germanus, atque Argentoratensis ecclesiæ minister, uir de Hebraicis literis optimè apud eruditos meritus, à Ioanne Sleidano in Commētariorum suorum libro 21 de Statu religionis & reipublicæ, ita celebratur: Archiepiscopus Cantuariensis (inquit) Thomas Cranmerus, Angliæ primas, uir excellenti doctrina, totus in hoc erat, ut studia literarum atq; pietatis excitaret. Cum ergo statum Germaniæ & doctorum hominum ibi periculum uideret, crebris literis Bucerum in primis, & Paulum Fagium, Hebraicæ linguæ peritissimum, solicitabat, ut in Angliam uenirent, omnē amorem atq; fidem eis pollicitus. Itaq;, de assensu & uoluntate senatus Argentoratensis, calendis Aprilis iter ingrediebantur, ut ibi sementem puræ doctrinę facerent. Aduentus eorum & regi fuit & toti propè nobilitati atq; populo gratissimus. Et quum apud Cantuariensem aliquandiu substitissent, Cantabrigiam mittebantur ambo, docendi causa. Tantum ille. Transtulit hic Paulus ex Hebræo in Latinum,

Thisbiten Heliæ Leuitæ,	Lib.1.
Sententias elegantiores,	Lib.1.
Sententias morales ben Syræ,	Lib.1.
Tobiam Hebraicum,	Lib.1.
Precationes Hebraicas,	Lib.1.
De fide cuiusdam Iudæi,	Lib.1.
Dictiones quasdam Hebraicas,	Lib.1.
Paraphrasin Hebraicam Onkeli,	Lib.1.
De perfecta Christianorum fide,	Lib.1.
Prima 4 capita Geneseos,	Lib.1.
Rationem legendi Hebræogermanica,	Lib.1.
Isagogen in linguam Hebræam,	Lib.1.
Commentarios Kimhi in Psalmos,	Lib.1.
Præfationem in Lexicon Chaldaicum,	Lib.1.
Thargum Onkeli in Mosen,	Lib.5.
Collationem præcipuarum translationum,	Lib.1.

Annotationes etiam cum scholijs multas fecit, in Bibliorū libros, & alia plura. Sub finem Nouembris, quartana febri perijt Fagius, anno à Christi incarnatione 1550, Cantabrigiæ in D. Michaelis templo sepultus: & post sex annos, ut dictum est, à Papistis rabiosis exustus.

IOANNES VERONVS. L.

IOannes Veronus, natione Gallus, patria Senonensis, uir uita & eruditione spectabilis, doctrinæq; Euangelicæ absolutus professor, ludum literarium multis in locis apud Anglos aperuit, Latinasq; literas magna cum fœlicitate

licitate docuit. Senones autem, ut de eius gente aliquid dicam, Galliæ populi sunt, finitimi Belgis: qui olim, Brenno Belini Brytãnorum regis fratre duce, urbem Romam incenderunt, & Capitolium obsederunt. Veronus iste, quum uulgarium linguarum peritiam, bonarum literarum studiosis apprimè necessariam duceret, qua potissimũ ratione ipsorum commodis in tam utili foro consulere posset, diligenter uestigauit. Et Dictionariũ Latinogallicum à Roberto Stephano editum nactus, Anglicam interpretationẽ summa cum industria, idq; in gratiam Brytannicæ pubis, ei adiecit: certò sciẽs, illam eius operã grandioribus etiam in literario negocio non inutilẽ esse. Singulis nanq; dictionibus sua uaria et omnimoda significata, unde et phraseos quoq; diuersitas multo facillimè addisci posset, quãto potuit labore subiunxit. Conscriptũ ergo, in tribus linguis, Latina, Anglica & Gallica, exhibuit

Dictionarium puerorum,	*Lib. 1. Quum linguarum, quas uulgares.*
Contra Anabaptistarum sectam,	*Lib. 1. Beatus Apostolus Paulus in 2.*
Dicta S. patrum super Eucharistia,	*Lib. 1. Solent pro maiori parte homines.*
Ad ueritatis professores Anglos,	*Lib. 1. Hic habetis, Christiani lectores, opi.*
Quòd Bibliorum uerba, Dei uerba sint,	*Lib. 1.*
Contra sui temporis Arrianos,	*Lib. 1.*
Grammaticam Gallicæ linguæ,	*Lib. 1.*

Et alia plura tam in Anglico quàm Latino sermone, ad nostræ gentis utilitatem composuit, diuini itidem uerbi promulgator insignis. Nescio num adhuc in Anglia supersit, in tanta Christianorum ministrorum trucidatione per Antichristos.

ALTERA PARS HUIUS CENTURIAE DECIMAE TERTIAE, DE ANGLIS, QVI in alijs regionibus officia gesserunt, uel obierunt.

MAGLORIVS DEMETA. LI.
Ex Capgrauo.



MAGLORIVS Demetarum alumnus, in ætate adhuc tenera, Samsoni Glamorganio, uiro insigniter erudito, qui paulo antè scholas instituerat, bonis literis imbuendus, à suis parẽtibus tradebatur. Tanto uirtutis ac prudentiæ successu sub illo creuit, adhuc adolescens, dum esset in sua patria archiepiscopus Meneuẽsis, & in Armoricana tandem Brytannia Dolensis etiam archipræsul ac metropolites, ut post illius mortẽ Doli & ipse succederet. Erat enim prædicti Samsonis cõsanguineus atq; comes indiuiduus, uir planè nõ minoris sanctitatis quàm eruditionis. Claruisse aũt, ac plura scripsisse, circa annũ à Christi Seruatoris natiuitate 580, dum Maglocunus in Brytãnia regnaret, ac Doli tum demũ obijsse mortẽ, fertur.

OFFO MONACHVS ANGLICVS. LII.
Ex Seb. Munstero.

OFfo Anglicus, uel ut Santphurdius in libro de Perpetua ecclesiæ conseruatione refert, Otho nuncupatus, & honesto inter Anglosaxones loco prognatus, ubi maturiores attigisset annos, monachatum literarum audus induit. Inde eximium aliquid habens, ac prædicationis gratia ualens, relicta sua patria, in Germaniam, ubi consanguineos & cognatos habebat,

secundis

secundis uentis nauigauit. Et ibi statim Christi fidem Romanis ceremonijs atq; allegorijs deformatã, à monachis edoctus publicauit. Vixisse circa annum partæ salutis humanæ 610, à Pantaleone scribitur, sub casu Brytannici regni, Cadvuano adhuc dominante. Offonis huius in sua Cosmographia mentionem facit Sebastianus Munsterus.

VVIGHARDVS CANTIVS. LIII.

Ex Beda & Lelando.

VVighardus Cantius, suo seculo (Lelando teste) commendatissimus, à literis laudem meritò tulit magnam. Vixit Durouerni Cantiorum, seu Cantuariæ, quæ urbs tunc academiæ præ se ferebat speciem. Tandemq; Egberto Cantiorum regi rectè cognitus, eam facilè iniuit gratiã, ut mortuo Theodato archiepiscopo, ipse in metropolitana succederet dignitate. Agebat igitur persuadente Osvuio Transabrinorũ rege, qui tunc apud Cantios hospes erat, ut comparatis in usum necessarijs, Romam peteret, insulasq; de more acciperet. De hac profectione, libellus qui de uita Theodori archiepiscopi inscribitur, hæc refert: Vuighardus presbyter, uir doctissimus de gente Anglorum, ab Egberto rege Cantiorum, & Osvuio rege Northumbriorum, Romam missus, ut in archiepiscopum consecraretur, peste cum suis (si non ueneno) Romæ sublatus est. Bedas in libro de Abbatibus sui monasterij, hæc eadem refert. Vnde & coniectura iusta est, ea quæ prius attulimus, inde fuisse translata. Huc usq; Lelandus. Plura Vuighardus composuit, atq; obijt anno Christi 664, regnante prædicto Egberto: successitq; ei Theodorus Græcus.

HEVALDVS VTERQVE. LIIII.

Ex Beda & Trithemio.

HEualdus uterq;, Niger et Albus, ex Anglorũ natione monachi ac presbyteri, qui diu in Hybernia exulauerant, uenerunt pòst Vuillebrordum ad prouinciam antiquorum Saxonum, si fortè ibidem prædicãdo aliquos possent ad papismũ trahere. Erant autẽ, ut Bedę uerbis utar, unius ambo sicut deuotionis, sic etiam uocabuli. nam uterq; eorũ appellabatur Heualdus: ea tamen distinctione, ut pro diuersa capillorum specie, unus Niger, alter Albus Heualdus diceretur. Quorum uterq; pietate religionis imbutus fuit, sed Niger Heualdus magis sacrarum erat literarum scientia instructus. Qui uenientes in prouinciam illam, intrauerunt hospitium cuiusdam uillici, qui (ut petiuerant) aliquot eos diebus secum retinuit. Sed quum fuissent à barbaris cogniti, quòd alterius essent religionis (nam quotidie missabant, habentes secum uascula & tabulam altaris uice dedicatam) suspecti sunt habiti, quòd ad nouam religionem homines transferrent: sicq; paulatim omnis eorum prouincia, ueterem cogeretur in nouam culturã mutare. Itaq; rapuerunt eos subitò, & interemerunt: Album quidem Heualdum ueloci occisione gladij, Nigellum autem longo suppliciorũ cruciatu & horrida membrorum omnium discerptione: quos interemptos in Rhenum proiecerunt. Quid antea scripserint, nescio.

Passi sunt pro papismo, papistici martyres, anno à Christi incarnatione 693, quinto nonarũ Octobriũ die, regnãte Ina apud Visisaxones in Anglia. Suntq; eorum cadauera Colonię tandem inuenta. Vide Bedam lib. 5. cap. 11.

FRIDERICVS CRIDIODVNVS. LV.

Ex Malmesburio & Lelando.

FRidericus Cridiodunus, patria Deuonius, cognomento ac natione Anglicus, Vuenefridi Bonifacij Moguntinensis archiepiscopi & magni

Germanorum apostoli nepos atque discipulus fuit. Cum dictus Bonifacius, relicta sua patria, Romã adiret, & à Gregorio secundo Ro. Pontifice authoritatẽ & Apostolatũ accepisset, Fridericus comes illi semper indiuiduus, ad mortẽ usque aderat, ac ipsi fideliter administrauit. Habetque Guilhelmus Malmesburiensis, in opere suo de Pontificibus Anglorum, quòd plura suo tempore ad ecclesiarum utilitatem scripserit, quæ tamen extare nullibi reperio. Claruit Fridericus anno salutis humanæ 760, cum Kenulphus apud Visisaxones in Anglia regnaret.

IVLIVS, QVI ET LVLLVS. LVI.

Ex Malmesburio & Lelando.

IVlius Anglus, qui & Lullus, homo tũ eruditionis tum sanctitatis approbatæ, exemplum tandem uirtutũ, gentibus Christianæ fidei studentibus, eximium se præbuit. Cumque iam uis tyrannica (sed suo merito) Bonifacium eius patronum è medio sustulisset, & Maguntiaca sedes pastore uigilanti careret, cõmunibus suffragijs decretum est, ut pręceptori discipulus simillimus succederet, ne in ea ecclesia enatæ bonæ artes, & literæ sacrę, degenerarent. Quæ autẽ eius æstimatio à suscepta fuerit dignitate, apud scriptores liquet: præcipuè Guilhelmũ Malmesburiensem, in primo libro de Regib. Interfuit bellis à Carolo magno in Saxonia gestis, & anno Christi 787 ex hac uita decessit, 31 archiepiscopatus sui anno.

BVRCHARDVS EPISCOPVS. LVII.

Ex Capgrauo & Lelando.

BVrchardus, gente ac patria Anglus, uir pius atque religiosus, à Bonifacio Moguntinensi archiepiscopo, suo consanguineo, educatus ac liberalissimè institutus: constituebatur ab eodem, consensu Pipini & Caroli magni Francorũ regum, antistes primùm Herbipolensis, postea Vuirtzenburgensis. Præfuit autem episcopali officio docendo, atque alijs piorũ munerũ exercitijs, quadraginta annis integris, prudentissimè. Huic episcopo adseruandos & erudiendos dedit Carolus Magnus xij obsides, à deuictis Saxonibus datos, ac summo loco natos adolescẽtes, ut ab illo in scientijs instituerent. Decessit plenus dierũ ex hac mortali uita, anno Domini 791, in arce Hohenburgensi ad Mœnum sita: & in Herbipolẽsi ecclesia sepelitur. Cum Sigvuio fratre remanserunt libri, quos scripserat: qui num adhuc extent, nescio.

SIMEON ANGLICVS. LVIII.

Ex Alcuino & Lelando.

SImeon Anglicus, homo ab ipsa adolescentia in literis tam sacris quàm profanis, ita eximiè doctus fuit, ut doctoratus etiam titulo insignitus haberetur. Eius enim claram facit mentionem Flaccus Albinus, in libris epistolarum, ut ex his uerbis ad Caluinum apparet: Simeon (inquit) summus sacerdos, quem ego, licet indignus, pater nutriui, educaui, & ad perfectũ perduxi uirum, quem uos elegistis in Pontificatus honorẽ, &c. Extat præterea epistola Albini ad ipsum Simeonem, qua collaudatum admonet officij, & alioqui sua properantem sponte cõcitat. Apud Albinum tamen nulla fit de sede eius episcopatus memoria. In Gallijs fuisse eum episcopũ, mea quidem (Lelandus inquit) opinio est. Claruit Simeon, anno à salutis nostræ origine 790, tandemque ad patres abijt.

CANDIDVS PRESBYTER. LIX.

Ex Alcuino & Lelando.

CAndidus Presbyter, literis & uirtuti operam in Lindisfarnensi insula, sede episcopali, dedit: usus patrono ac præceptore, Higebaldo episco-

po,

po. Huius cura tandem est factum, ut Candidus in Galliam commigrans, se ad Flaccum Albinum, tanquam ad torrẽtem literarum cõferret. Quod tam fœliciter ei successit, ut domum rediens, magnã sibi ab elimata eruditione laudem inter suos pepererit. Senserat Albinus hæc in eo pullulantiũ uirtutũ incremẽta, dum ea in epistola ad Flauium Damœtã scriberet: Damœta (inquit) Saxoniam, Homerus Italiam, Candidus Brytanniã recessit. Albinus commentarios quosdã, Candido presbytero & Nathanaeli, aliàs Naistano diacono, postea consecrauit. De libris (fructu uidelicet utriusq;) scriptis, frigida & ieiuna est quæ restat cognitio. Pessimè sit Danicis piratis (ait Lelandus) Lindisfarnensis bibliothecæ depopulatoribus. Claruit Candidus anno incarnationis Dominicæ 790, regnante Osredo.

VVILLEHADVS BREMENSIS. LX.

Ex Crantzio in Metropoli.

VVillehadus, uel Vuillelhardus, Anglicus genere, à Britricho Visisaxonum rege & Anglicanis episcopis in Phrisiam post Bonifacium Germanorum apostolum missus, trigintaquinq; annis tam Phrisijs quàm Saxonibus prædicauit. Qui postquam in illam uenisset patriam, magnatum liberos literis primùm imbuebat: ac plerunq; per occasionem pias interim conciones, sed non sine hominum placitis, fecit, martyrijq; desiderio Bonifacij more pro Ro. ecclesia flagrabat. Cum uerò Francorum rex Carolus tantum in eo zelum intelligeret, tanquam bene de omni maritima regione promeritum, digno pontificatu illum remunerare constituit. Ad se igitur tandem uocatum, anno qui erat à Christo nato 788, in primum Bremẽsis ecclesię archiepiscopum, super Phrisones et Saxones illum iussit ordinari. Satagebat interim bonus pontifex (inquit Crantzius in Metropoli) ministerium suum feruentius implere, ex eo die quo se maioris talenti & loci rationem reddere intelligebat. Plura scripsisse Vuillehadus iste dicitur, sed ea se mihi non prodiderunt.

Obijt senex & plenus dierum in Phrisia, apud Plexen in Rustris (ita nũc uocant ditionem illam) anno post natum Christum 791, & tertio sui archiepiscopatus anno, 6 idus Nouembris. Corpusq; eius Bremam fuit depotatũ ac sepultum. Successit ei Villericus, ex eius discipulis unus.

SVIDBERTVS VERDENSIS. LXI.

Ex Beda & Bruschio.

SVidbertus, abbas Anglicus Benedictinæ professionis, primus in orientali Saxonia Verdensis episcopus, uir & uita modestus & corde mansuetus à nostro Beda in lib. 5 & cap. 12 describitur. Qui audiens Saxoniam (ut Bruschius refert) ad Ro. ecclesiæ religionem nouam esse conuersam, & ibi desiderari pastores, qui populum in eo Christianismo cõfirmarent, feruore propagandarum eius traditionum, illuc uenit. Vbi à Carolo magno clementer exceptus, statim nouo huic episcopatui Verdensi præsul primus anno Domini 776 ille præfectus est. Præfuit teneræ adhuc & pubescenti illi ecclesiæ, summo studio, cùm doctrina tum exemplis (moraliter bonis) per annos unum & uiginti. Condidit auxilijs prædicti Caroli, cœnobiũ cathedrali ecclesiæ contiguum, pro Canonicis sub Benedicti regula (Euangelium nõ placebat) uicturis. Pellebatur tandem per quosdam maleuolos, anno Domini 797, ab eiusdem ecclesię regimine. Ei igitur domina Bertrada, Pipini regis cõiunx, & Caroli mater, pagum Kheisersvuerd insulam Rheni dedit, in qua domunculam sibi cõstruens, reliquum uitæ exegit. Dicitur hic scripsisse aliqua, sed non reperiuntur.

Ab hoc migrauit seculo Svuidbertus, anno salutis Christianæ 807, & ultima die Aprilis: sepeliturq; in templo, quod ipse in eo pago prope suum oratorium, sibi atq; suis erexit, Egberto in Anglia regnante. Succesit ei Patto Scotus, ut in Centuria decimaquarta reperietur.

CEVILO VERDENSIS. LXII.

Ex Crantzio & Bruschio.

CEuilo, ex Anglorũ gente ortus, alicubi Leuilo dictus, Vuillehadi Bremensis archiepiscopi, ut apparet, discipulus, quintus in Verdensi ecclesia, quę sedes est ultra Visurgim amnem, pontifex fuit, & Nortilæ Scoto successit. Cuius (inquit Crantzius) non aliò sunt in fastos acta relata, quàm quòd magni apud Deum meriti crederetur: & eidem præsedisse ecclesiæ legatur, propter temporis maliciam & maleuolorum furores. Hoc uerò unde factũ sit, nihil inuenitur, nisi quòd Saxonum dura pectora non facilè poterant aut citò permolliri. Erat autem hæc ecclesia in medio multorum hostium posita, ut crebrior illi tumultuatio quàm alijs proueniret. Nam ab oriente Vuandali infestauere, necdum Christo creduli. A' meridie Saxones, necdum satis in fide solidati. Ab aquilone Dani & Normanni, qui illa tempestate cœperunt infestare Saxoniam, donec à Ludouico rege imperatoris filio comprimerentur. Hęc Crantzius & Bruschius. Claruit Ceuilo, anno à Christi incarnatione 822: sed quid scripserit, nescio.

ISINGERVS VERDENSIS. LXIII.

Ex Crantzio & Bruschio.

ISingerus Anglus, Vuillehadi etiam quandoq; discipulus, in Verdẽsis ecclesiæ gubernatione apud Saxones, Kortilam uel Nortilam Scotum, episcopus ordine septimus excepit. Mirum (ut scribit Crantzius) quomodo in hoc episcopatu tam breuis mora & tam obscura sint acta. Fuisse tamen uirũ sanctitate præcipuum, uel inde possumus coniectare, quòd tum nemo nisi sanctitate conspicuus, ad laborem patientissimus, & ad mortem imperterritus, assumeretur. Aduenisse eum de longinquo per maria scimus, & rudibus *populis* Saxonum, quasi suis progenitoribus, prædicasse. *Meminerat* Anglosaxones ab *illis regionibus profectos*, primùm ad facienda stipẽdia, de*inde ad posidẽdã* regionẽ, in Brytanniã emigrasse: insulamq; *Pictis et Scotis* retrò pulsis uacuatã, deinde pro sua *tenuisse*. Hęc *Crantzius*. Claruit Isingerus, anno post natũ Seruatorẽ Christũ 828, in Anglia regnante Egberto.

HELIGANDVS VERDENSIS. LXIIII.

Ex Bruschio & Crantzio.

HEligandus, uel Helingardus, genere quoq; Anglus, in Verdensiũ episcoporũ catalogo nonus à Gaspare Bruschio numeratur, & Harrucho Scoto in ea sede successisse proditur. De isto, præter merũ nomẽ, nihil planè est in *fastos relatum*, ut scilicet, quis fuerit, aut unde sit ortus, *quomodo uixerit*, aut quanto tempore suam ecclesiam *gubernauerit*. Hoc solũ nobis scriptum relinquitur, quòd in *suo ordine* Verdensis antistes extiterit: & quòd adesset certissimo documento, quum archiepiscopatui Hamburgensi Ansgarius nobilis præfectus esset, sub imperio Ludouici Pij. Claruit tamẽ, pręgdicto Bruschio teste, anno à nostri Mesiæ aduentu in carnem 833, quum in Anglia Ethelvuolphus regnaret.

IERONVS PRESBYTER. LXV.

Ex Cornelio Cornipolitano.

IEron, uel Ieronus presbyter, Anglus natione, cum audiret in Anglia adhuc moratus, congentiles suos Saxones Caroli Francorum regis domitos armis,

armis, iam auscultare Euangelio: traiecto mari, in eam conuolauit prouinciam, pijs concionatoribus indigentem. Mutatum per illos dies erat insulæ nomen, per Anglosaxones, ita ut ex Brytannia tunc Anglia diceretur. Intellexerat quoque ex parentum suorum relatu, illam sibi suisque auis ac proauis cognatam esse gentē: & quòd apud eos populos messis esset multa, pauci uerò cernerētur operarij. Itaque solerter obiuit hoc munus, serens Dei uerbū in cordibus ipsorum, multosque conuertens ad Christum. Sed dum hæc fierēt, eo commonstrante iter ad cœleste regnum, apud Nortvuick in Hollandia maritimum oppidum, in eum irruentes feroces tyranni, bene merentem occiderunt, circa annum Domini 849, ut Cornelius Cornipolitanus in libro de Temporibus, atque alij scriptores referunt.

ERLVLPHVS VERDENSIS. LXVI.

Ex Bruschio & Crantzio.

ERlulphus, etiam ex Anglorum gente originem ducēs, in Verdensi episcopatu decimus, Heligando cōterraneo successit. Hunc notant annales, diu post susceptum pontificatum, Bonifacij Germanorū apostoli exemplo (quod sitiuerat) Danorum uiolentijs occisum esse. Nam & Gaspar Bruschius in Verdensium episcoporum catalogo sic habet: Trucidatur Erlulphus, & martyrio coronatur, cum multis alijs Christianis, in loco qui dicitur Eppekstorp (in quo postea monialium cœnobium est constitutum) à Normannis ac Danis, Saxoniam miserè uastantibus, circa annū Christi 876. Hæc ille. Regnabat tunc in Anglia Alphredus magnus. Vnde Crantzius in lib. 2 & cap. 30 suæ Metropolis: Huc usque (inquit) omnes ferè Verdensis ecclesiæ pastores, aut Scotici, aut Anglicani generis fuere: quod tituli testantur abbatiarum, à quibus sunt translati. Et ipsa uocabula ac nomina uirorum indicio sunt, quod non nostræ fuerint gentis. Sic ille.

GREGORIVS SIMPLEX. LXVII.

Ex Bruschio, de Monasterijs.

GRegorius Simplex, Eduuardi Anglorum regis cognomēto Senioris filius (nothus fortasse) & Edithæ imperatricis germanus frater, cum ipsa in Germaniam circa annum Domini 930, ad suum maritum Othonē magnum, & eius nominis primum Imperatorem uenit. Cum autē plura in Heluetiorum terris collustrasset loca, in densissimam quandam eremum, cōtemptis tandem aulæ delicijs, religionis gratia concessit. Vbi homo per omnia religiosissimus, Eberhardum quendam eremiticæ uitæ studiosum inuenit. Fuerat ille quidē summi Argentoratensis collegij olim decanus, qui ut Deo precibus ac ieiunijs seruiret, illū elegerat locum, ueteremque D. Menradi cellam sexaginta post eius mortē uacantē annis & collapsam refecerat. Apud hunc per aliquot annos Gregorius remansit, sanctis contemplationibus & diuinæ philosophiæ studijs se totum commendans. Claruit anno à uirginis partu 950, Eldredo in Anglia regnante ubi lis erat, num panis realitas in Eucharistia post sacra maneret.

RANVLPHVS CISTERCIENSIS. LXVIII.

Ex Lelandi Catalogo.

RAnulphus, Cisterciensis monachus fuit, cuius memini superius (inquit Lelandus) in uita Ricardi Eboracensis, ubi de tredecim monachorum commigratione à Mariæ Eboracēsis cœnobio ad fontes, pauca retuli. Hic, quoniam fama scriptorem hunc fuisse confirmat, in medium adferā id quod Hugo Kirchostallensis de eo, in historia quam de rebus Fontani cœnobij concinnauit, prædicat. Siguuardus, episcopus Bergensis in Noruuegia, ad

monasterium Fontanum in Angliam uenit, & conuentum monachorum cum Ranulpho abbate, secum deferēdum magnis precibus impetrauit, anno Domini 1145. & eundem Lisã, nouo monasterio, donauit. Saxo Grammaticus, in historiæ Danicæ libro 10 hæc recitat. Nec minus Noruegia Bernardi ex Anglia profecti, saluberrima admonitione profecit, &c. Claruit Ranulphus anno superius numerato.

GVILHELMVS TYRENSIS. LXIX.

Ex Belli sacri lib. 13. cap. 23.

GVilhelmus, ecclesiæ Dominici sepulchri Hierosolymæ Regulariũ Canonicorum prior, natione Anglicus, uir uita & moribus commendabilis, anno Domini 1128, postquam Tyrorum ciuitas fidei Christianæ restituta est, à Guimundo Hierosolymorum patriarcha, eidem urbi primus archiepiscopus præficiebatur. Est autem Tyrus ciuitas antiquissima, secundum Vlpianum iuriscõsultissimum, in Digestis, tit. de Cens. qui ex ea urbe traxit originem. Est & Phœnicis uniuersæ metropolis, quæ inter Syriæ prouincias, & bonorum omnium penè commoditate, & incolarum frequentia, primum semper obtinuit locum. Post conscripta quædam opuscula, & epistolas ad Bernardum Antiochenũ editas, ut in Centuria undecima monstratur, Guilhelmus iste ad Dominum migrauit, deposito carnis onere anno Christi 1130, quum duobus tantum sedisset annis: & in Tyrensi ecclesia sepelitur, successitq; ei Fulcherius. Quęre in alterius Guilhelmi eiusdem sedis archiepiscopi lib. 13 & cap. 23, lib. 14 & cap. 11 de Bello sacro.

RICARDVS SACRISTA. LXX.

Ex Lelando.

RIcardum Anglicũ, aliàs Sacristam, at Latinius à functione Aedituum, uirum fuisse apprimè doctum, ex Augustino Acgæo Phrisone, medico præter communem sortem erudito, didici. Itaq; rem dignam memoria fecero, si, quę mihi priuatim narrauit, literatis omnibus significauero. Accipe igitur, quæ ille mihi tradidit. Locus est in Phrisia, non procul ab urbe Gruningensi, quod uocatur fanum Bernardi, in Aedierth, id est, terra Adonis, quæ per alluuionem accreuit, quam Phrisiones patria lingua Vert appellãt. Vbi nunc Cisterciensium monachorum cœnobium est: reliquijs D. Ricardi, cuius de Harmonia liber egregius extat, famosissimum. Hæc meus Acgæus penè ad uerbum. At quo tempore floruerit Ricardus, aut cuius sectæ monachorum fuerit ille, ne uerbum quidem unum.

RICARDVS FASTOLPHVS. LXXI.

Ex Lelando.

RIcardi Fastolphi, Cisterciensis monachi uitam, sic accipe quoq;. Dum semel diuerterem Ripodunum urbem Brigãtum, fama olim nobilem, & casu reperirem Hugonis monachi Kirchostallensis librum de origine ac rebus præclarè gestis Fontani monasterij, hæc quæ sequuntur de eo addidici. Erat tunc temporis (inquit) in monasterio Clareuallensi, pręcentor quidam, Ricardus Fastolphus nomine, abbas quondã Vallis clarę, natione Anglus, & in ciuitate Eboraco ortus, uir uitæ probatæ: familiaris admodũ pro uitæ merito, S. patri Bernardo, & Henrico Murdachio abbati Fontano ac postea archiepiscopo Eboracensi: à quibus factus est Fontanus abbas, à primo proximus. Hæc ille. Vidi librum eius Homeliarum, elegantem ac lucidum. Claruit regnante Stephano rege, Clarouallæq; tandem mortuus ac sepultus est. Scripsit etiam de Musica librum.

BOSO CARDINALIS. LXXII.

Ex Onophrio Panuinio.

BOSO Anglicus, ac professione, ut fert, monachus (sed cuius fuerit instituti, factionis aut familiæ, nondum indicatur) inter laureatos sui seculi theologos, nomen laudesq; emeruit. Qui Romam aduenions, & suæ doctrinæ eminentiam inter purpuratos patres ostendens, tantum apud illos fauorem obtinuit, ut anno Domini 1153, ab Hadriano quarto Rom. Pontifice, etiam Anglo, in prima Cardinaliū creatione, diaconus Cardinalis S. Cosmæ & Damiani, Romanæq; ecclesiæ camerarius fieret. Crescente præterea eius nominis fama, sequenti anno ab eodem Hadriano factus est presbyter Cardinalis S. Pudentianæ in tit. Pastoris. Post edita quædam scripta, Romæ sub Alexādro tertio uitā finiuisse, & ibidem demum sepultus esse dicitur, dominante in Anglia rege Stephano.

GVALTERVS PANORMITANVS. LXXIII.

Ex Radulpho Dicetensi.

GVALTERUS Anglus, Henrici secundi magnifici Anglorum regis sacellanus, uir magnæ literaturæ & honestatis à Brytannicarum rerum consarcinatoribus fuisse describitur. Huius magnifaciens probitatem idem sapientissimus rex, priusquam Ioannam filiam Guilhelmo iuniori Siculorum regi in matrimonium daret, eum illuc misit: quemadmodū Radulphus Dicetensis, & alij authores referunt, ut illum in liberalium literarum disciplinis informaret. Qui breui sub eius magisterio ita profecit, ut non solum Latinæ linguæ usum, sed & artem, ut uocant, uersificatoriam subinde obtineret. Illū igitur post tam insignes labores, Panormitanum archiepiscopum & totius regni Siciliæ primatem, idem rex fecit: & tanquam præceptorem ac patrem honore summo coluit. Scripsisse Gualterus ad Guilhelmum regem fertur,

Pro Latinæ linguæ exercitijs, *Lib.1.*

Et alia nonnulla. Claruit anno à diuini uerbi incarnatione 1177, quo prædictus Guilhelmus Ioannā Henrici regis filiam iuniorem in uxorem accepit, ut habet Robertus Montensis in continuatione Chronicorum Sigeberti; & Panormi sepelitur.

RICARDVS SYRACVSANVS. LXXIIII.

Ex Radulpho Dicetensi.

RICARDUS Anglicus, sacerdotalis ordinis ac theologici doctoratus gradibus insignitus, suo seculo celebris, nō eruditionis solum, sed & prudentiæ atq; sapientiæ titulo fuit. Vnde apud Henricum prædictum Anglorum regem eius appellationis secundum, tantam est existimationem adeptus, ut in longo itinere Siciliam uersus, filiam suam Ioannam eius, inter alios heroici generis uiros, tum fidei tum tutelæ committeret. Guilhelmus ergo utriusq; Siciliæ rex, cui ipsa tunc fuerat ab Henrico patre in matrimonium data, in laboris & confidentiæ præmium, episcopum Syracusanum illum constituit. Eorum uerò quæ ipse per scripta sua edidit, præter epistolas aliquot, authores nihil depromunt. Claruit Ricardus, anno à nato in salutē nostram Christo 1180, & in sua tandem ecclesia sepultus esse dicitur.

HEREBERTVS CVSENTINVS. LXXV.

Ex Nicolao Triueto.

HEREBERTUS, genere quoq; Anglus fuit, sed ab Hereberto Boshamo Beneuētano archiepiscopo, de quo in tertia Cēturia nostra mētionē fecimus,

mus, longè alius inuenitur. Nam ille in Suthsexia ad meridiem genitus erat, iste à mediterraneis Anglis originem habuit. Ille Beneuentanus archiepiscopus in Hirpinorum ditione fuit, hic Cusentinus in Apulia uel Calabria. Qui cōstitutus archipræsul in ea regione, anno Dñi 1185, cum clero & familia tota, ac magno ciuium numero, à quodā terræmotu, perinde atq; olim Chore, Abirō & Dathan, mirabili Dei iudicio absorptus fuit: ut Nicolaus Triuetus in suo Chronico tradit. Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos, cum omnibus suis cœlibibus, rasis, unctionibus, impietatibus ac pompis. De eius ergo scriptis interrogare, superuacaneum esset, quum ipse cum uniuersa substantia de populi medio perierit totus.

GVILHELMVS RHEDINGENSIS. LXXVI.

Ex Floribus historiarum.

GVilhelmus Rhedingēsis, ex Anglorum genere ortus, & Benedictinorum familiæ monachus, multa eruditione plenus, celebriores sui seculi scholas excoluit, flagranti doctæ cognitionis ardore correptus. Quocirca processu temporis, Henricum sępe memoratum Anglorū regem, mœcenatem ac fautorem habere meruit: à quo, post certas in Galliis legationes, archiepiscopatum Burdegalensem in præmium accepit. Plurima Guilhelmus opuscula scripsisse dicitur, sed eorū interciderūt tituli. Claruit anno à mundi renouatoris ortu 1190, regnante in Anglia Ricardo Leonino, ut in historiarū Floribus Matthæus Vuestmonasteriensis ostendit: & in sua sede demū, extremum obiit diem.

RICARDVS ADAGONISTA. LXXVII.

Ex Philippo Vuolphio.

RIcardus Adagonista, Anglicus natione, magnus iurisconsultus, præuenit Pileum Modicensem, Italum, utriusq; iuris professorem, leges & canones pro utraq; parte allegando, dum adhuc Bononiæ in publica academia legentem audiret. Sic de ipso referunt Guilhemus Fastregicus in opusculo suo de Virorum illustrium scriptis, ac Philippus Vuolphius in 2. libro de Vitis peritorum uirorum. Atq; ex inuidia aut elatione, hæc fecisse illum, quis negabit? Et inter cætera composuit, inquiunt,

Tractatum super Decreto, Lib. 1. Patres nostri sub nube omnes.

Mentionē in eodē opere de seipso Ricardus facit, quod dicti Pilei exemplo, Summā utilē ac necessariā de ordine iudiciorum ediderit. Claruisse fertur circiter annum à Christi incarnatione 1210, sub Anglorum rege Ioanne.

PHILIPPVS GVALENSIS. LXXVIII.

Ex Lelando.

PHilippus Gualensis, aliàs Vualleys, Cordigeræ sectæ Minorita, cum Adamo quodam Eboracensi, ab Helia Asisiate summo sui ordinis post Franciscum pręside, accersitus, Lugdunum, Gallię Narbonensis urbem, aduolauit. Et ibidem ille diuturnitate quadam tam philosophiam quàm theologiam scholasticam, publicè docuit, & coram auditorio solenni lecturas continuauit. De scriptis nihilominus hominis huius nulla fit apud rerū eius ordinis consarcinatores mentio: quum tamen plura edidisse dicatur. Claruit Philippus anno à Christi Seruatoris in hunc mundum aduentu 1250, regnante in Anglia Henrico eius nominis tertio.

NICOLAVS FRANCISCANVS. LXXIX.

Ex Lelando.

NIcolaus, Anglicus genere ac natione, inter Franciscanos non modò doctrinæ, sed & pietatis quoq; (tenebras lucē Lelandus hic ponit) summam

mam laudem tulit. Galliā namq; & Italiam, discendi cupidus, ætate maturus petierat: quod postremò fructum illi atq; gloriam contulit. Incidit enim ei familiaritas cum Innocentio quarto Ro. pontifice (prodendi sui principis gratia fortassis) cui & ab auriculari fuit cōfessione. Munus deniq; à liberali accepit patrono, nempe episcopatum Asisiensem: ut refert Thomas (Ecklestonus) Franciscanæ scriptor historiæ. Concinnasse quædam Nicolaus hic fertur, & in sua obijsse sede. Hæc Lelandus. Claruit anno Christi 1260, sub dicto Henrico.

RICARDVS RVFVS. LXXX.

Ex Lelando.

RIcardus Rufus, patria Corinianus, uel usitatiori uocabulo Cornubiensis, non modò ad Isidis uadum (Oxonij scilicet) sed & Parisijs quoq;, melioribus inuigilauit literis: quod luculenter tradit Franciscanæ collector historiæ, prædictus Thomas. Ricardus Rufus (inquit) Cornubiensis, qui eo tempore, quo frater Helias de Asisio religionem turbauit, Parisium ingressus est, ubi postea curiose legit Sententias, & admirabilis philosophus (sophista portentosus) iudicatus est. Sed lectori de eius libris, quos plures fecit, iudicium relinquo. Tantum Lelandus. Claruit anno à Christi natiuitate 1270, regnante in Anglia Henrico tertio.

IOANNES LONDINENSIS. LXXXI.

Ex Lelando.

IOannes Londinensis, iuuenis ad bonas artes & linguarum cognitionem fœlicem natus, relicta urbe natali, Isidis uadum sola studēdi gratia petijt. Quo in loco, fortunis destitutus honestis, duram ac parcam ducebat uitam. Contigit tandem, ut Rogero Bacono innotesceret. Ille adolescētis ingenio alacri delectatus, tum præterea misertus eius tenuitatis, in Minoritarum familiam susceptum, utraq; lingua, & in primis mathesi, erudiendum curauit. Discipuli in immēsum accreuit alacritas, adeò ut & Lutetiā usq; præceptorē secutus sit: quem postea laudatorē etiam habere meruit, ut apparet ex eius ad Clementem quartum pontificem Ro. epistola, cuius & hæc sunt uerba: Non remansit (inquit) unus Parisijs, qui plus nouit de philosophiæ radicibus: quamuis & fructus nondum produxerit, propter iuuenilem ætatem. Hunc Romam misit Baconus ipse, cum libellis & organis mathematicis à se compositis, ad Clementem præfatum, hoc nomine, ut interpretis in rebus difficilioribus partes egregiè præstaret. Hæc Lelandus. Claruit Ioannes anno salutis humanæ 1270. ac plura tandem scripsit, Henrico prædicto regnante.

ROBERTVS TVRNEHAM. LXXXII.

Ex Lelando.

RObertus Turneham, Franciscanus, theolologiæ professor insignis, Lynnæ, celebri Icenorum ad ripas Isidis emporio, collegio suorum fratrum magnificè præfuit. Eduuardus princeps, cognomēto Longus, Henrici tertij filius, bellicam expeditionem contra Saracenos Assyriam incolentes, anno Domini 1268 parabat. Ad tantam profectionem quæsitus quoq; orator uehemens, qui plebis, in causa religionis, animos excitaret: Turnehamus principi uisus uel dignissimus est, qui munus hoc obiret. Sic tanquam signifer constitutus, Assyrios unà cum Anglico exercitu petijt, ac suum non sine laude præstitit officium. Claruit anno salutiferi partus 1280, uaria componens, sub eodem Eduuardo eius nominis primo post Conquestum.

ANCHERVS LONDINENSIS. LXXXIII.

Ex Onophrio Panuinio.

ANcherus Londinensis, atq; eius inclytæ urbis in Anglia olim filius & alumnus, operam artibus eruditis diligentissimam, ingenij fœlicitate adiutus, per Angliam, Galliam & Italiam cursim exhibebat. Romam tandem perueniens, exactis pluribus annis, ab Vrbano quarto pontifice primùm anno Domini 1262, ad S. Praxedē presbyter Cardinalis, in prima eius ordinatione constituebatur: & à Nicolao tertio postea, totius Rom. ecclesiæ presbyter. In quibus officijs, sub eis & eorum successoribus, qui numero octo erant, uiginti annis perseuerauit, quàm plurima scripta post se relinquens, quæ ibidem perierunt.

Mortalium conditioni demum satisfecit, circa annum à Christi seruatoris natiuitate 1286, Romæ sepultus ad suam Praxedem, sub Honorio quarto Pontifice.

GVILHELMVS CARDINALIS. LXXXIIII.

Ex Panuinio.

GVilhelmus Anglicus (sic illum cognominat Onophrius Panuinius in Pontificum uitis) Ancheri prædicti socius, homo facundus, & idem doctus, relicto natali solo, Italiam sciendi desiderio Romamq; ipsam petijt. Qui ab Vrbano quarto fauorem nactus, in purpuratorum patrum numerū unà cum Anchero socio, anno Christi 1262 assumebatur, adhibito illi titulo presbyteri Cardinalis ad S. Marcū euangelistam. Ad hæc mortuo tandem, ut dictum est, Anchero, post uicesimum sui Cardinalatus annum, in archipresbyteratu Rom. ecclesiæ, Honorij quarti suffragijs, Guilhelmus ei successit, & plures, qui non comparent, tractatus edidit.

In his inde perdurauit officijs ad annum usq; à diuini uerbi incarnatione 1290, in quo & obijsse fertur, sub Nicolao quarto, Romæq; sepelitur.

THEOBALDVS CARDINALIS. LXXXV.

Ex Panuinio.

THeobaldus Anglus (nescio num ille sit qui in decima Centuria Stampensis cognominatur) prima literarum incrementa inter suos Anglos accipiens, altiora discendi cupidus, Galliam atq; Italiam successu temporis quæsiuit. Incidit ei tandem familiaritas cum Nicolao quarto Rom. Pontifice, qui illum primò sui Pontificatus anno presbyterum Cardinalem constituit, adiuncto ei titulo S. Sabinæ in Auentino, ut inter alios authores Onophrius Panuinius exprimit. Hunc Raphael Volaterranus in Anthropologia, inter Dominicanos post Gualterum Anglicum, cognomento Vuinterburnum ponit. Sed illud inconsideratè ab eo factum esse iudico, quum Dominicanus non fuerit, & Gualterum longè præcesserit.

Opera quæ composuisse dicitur, præter ea quæ in decima Centuria notantur, à me nec tacta nec uisa unquam sunt. Romæ autem fato concessisse existimatur anno à mundi renouatoris ortu 1289, sub dicto pontifice Nicolao.

HVGO DE EVESHAM. LXXXVI.

Ex Ioanne Euerisdano.

HVgo de Euesham, professione & arte medicus, homoq; per Angliam & Galliā summopere notus, Romā à Martino quarto eius urbis pontifice per nuncios accersebat, ut obortis tunc quibusdā in re medica controuersijs, suum iudiciū ipse daret. Quod quū expeditè & doctè, post ex utraq; parte

parte rationes factas & argumenta fecisset, ab eodem Pontifice anno Domini 1281, presbyteri Cardinalis titulo ad S. Laurētium in Lucina insignitus est. Hæc inter alios authores, Ioannes Euerisdenus Buriensis monachus, in Serie temporum tradit. Fuit postea Hugo, statim à morte sui conterranei Guilhelmi Cardinalis, Romanæ ecclesiæ archipresbyter factus, sub Cœlestino quinto. Et inter cætera congesit,

Super opere febrium Isaac,	Lib. 1. *Quoniam de filij bonitate, sicut test.*
Medicinales canones,	Lib. 1.
Problemata quædam,	Lib. 1.

Atq; alia adhuc plura, ut & in Centuria quarta ostēsum prius est. Interijsse tum demum fertur circiter annum salutis nostræ 1294, sub Bonifacio octauo, non sine suspicione dati ueneni: & Romæ sepultus dicitur.

ANTONIVS BECKVS. LXXXVII.

Ex Lelando.

ANtonius Beckus, episcopus Dunelmensis fuit, regnante Edvuardo eius appellationis ab aduentu Guilhelmi magni in Angliā primo. Electus est in patriarcham Hierosolymitanum anno Christi 1305, & à Clemente quinto Rom. Pontifice confirmatus. Splendidus erat suprà quàm decebat episcopum. Construxit castrum Achelandæ, quatuor passuum millibus à Dunelmo in ripa Vinduglesi fluuioli: Elteshamum etiam uicinum Grenouico, ac Somaridunum castellum Lindianæ prouinciæ, ædificijs illustria reddidit. Denique & palatium Londini erexit, quod nunc Edvuardi principis est. Tandem ex splendore nimio & potentia conflauit sibi apud nobilitatem ingentem inuidiam, quam uiuens nunquam extinguere potuit. Sed de Antonio & eius scriptis fusius in Opere, cui titulus De pontificibus Brytannicis, dicemus. nam illorum res gestas magna cura exquisiui. Hæc Lelandus. Obijt Antonius, anno à nato in salutem nostram Christo 1310, Edvuardo secundo regnante.

THOMAS VVICHYNGHAM. LXXXVIII.

Ex Lelando.

THomas Vuichyngham, Nordouicensis Carmelita, non dedignabitur se post Simonem eiusdem cognominis ac professionis in nostro Catalogo poni: quando eruditionem nec tribuat locus, nec adimat. Literas procul à patria, Coloniæ Agrippinę quæsiuit & inuenit. At quo à suis remotior fuit, hoc iam mihi quæ fecit obscuriora reddidit omnia. Nihil ab illo scriptum unquam uidi, præter Sermones aliquot: scio tamen affirmare quosdam, illum authorem aliquot fuisse librorum. Vuichingamij enim quatuor, ad nostrorum scriptorum numerum accedunt: Simon, Thomas, Ricardus & Henricus, Carmelitæ omnes, theologiæ candidati omnes, denique quasi synchroni omnes. Sed ego hoc unum pro iure meo facio, ut Simon primum obtineat locum, Thomas uerò secundum. Sic Lelandus in illustrium uirorum Catalogo. Sed de eius tempore nihil apud scriptores inuenitur.

ALDRICVS LEGVM DOCTOR. LXXXIX.

Ex Guil. Fastregico.

ALdricum causidicum Anglum, ob eximiam eius eruditionem, à Guilhelmo Fastregico, homine Veronensi, ac urbis Venetiarum ciue, in libro suo de Originibus rerum, commemoratum atq; commendatum, sic accipe. Aldricus (inquit) legum doctor, ex qua patria originem traxerit, uel

quo sub principe clarus fuerit, aut quod singulare opus ediderit, nō legi. Super libris tamen Iuris Ciuilis scripsisse constat. Nam Acursius, librorum Iuris Ciuilis glossator ordinarius, scriptorum huius atque opinionum in glossis suis multa commemorat. Hactenus ille. Ista ad præsens ideo introduxi, ne Aldrici huius nomen aut gloria, quæ per librariorum incuriam et negligentiam quandoque euanescebat, nunc inter nostros scriptores tota interiret, aut posteritati saltem obscura maneret.

THOMAS DE HANNEYA. XC.

Ex officinis Lond.

THomas de Hanneya, Grammaticę artis olim præceptor non ignobilis, & antiquus scriptor, ludum literarium ætate sua nō solùm Anglus apud Anglos, sed & in exteris quoque per mundum nationibus aperuisse scribitur. Parum huic uisum fuit adolescentes literas scire, nisi & illæ certo gradu formaque iungerentur, atque ex literis syllabæ, & ex illis tandem dictiones ac uerba formarentur. Ausus est igitur ingeniosus homo, in seculo tam barbaro, loquendi regulas & constructionum formas illis adiungere, ueterum Grammaticorum sequutus authoritatem: ut quicquid secundum illas diceretur, bene et ordine quodam dici uideretur. Condidit igitur, ut uniuersum eius artis negotium uno complecteretur uolumine,

De quatuor Grammaticæ partibus, *Lib. 1. In qualibet arte diffusio fastidium.*

Præter hoc unum, nihil opusculorum eius uidi. Claruisse fertur Tolosę aliquando, Gallię Narbonēsis urbe, & illic studuisse circa annū à nostri Messię natiuitate 1360, regnante in Anglia Edvuardo tertio.

ROBERTVS DE S. FIDE. XCI.

Ex Lelando.

RObertus de S. Fide, in eius cognominis oppido prope Nordouicū natus, & in ipso Nordouico ciuitate nobili Carmelita factus, relictis scholis patrijs, ad aliarum terrarum academias se contulit: periclitaturus, quantū studijs ac rationis acumine ualeret. Quem tantæ non modò eruditionis, uerumetiam ingenij (Christianorum principum ac rerum publicarum proditor ille fuit) in rebus maximis expediti, uirum fuisse constat, ut ab Vrbano eius appellationis sexto pontifice Romano, in Hispaniā et Angliā nuncius magnæ authoritatis mitteretur. Et hæc fiebant anno à Christi seruatoris incarnatione 1386, insequentibus maximis prælijs inter Lusitanos & Castellanos, aliasque finitimas gentes. Plura Robertus scripsit, sed ad Christianæ plebis perniciem potius quàm salutem. Et illum in simili Antichristi legatione obijsse tandem in Hispania ferunt.

BENEDICTVS DE S. FIDE. XCII.

Ex Lelando.

BEnedictus de S. Fide, etiam Carmelita eiusdē inclytę urbis & cœnobij, mihi (inquit Lelandus) dum hæc scripsissem, catalogo inserendum se obtulit. Fuit ille quidem (etiam insignis nebulo) uir tum doctus, tum insigniter prudens, & ad res gerēdas (proditiones intellige) dexterrimus. Quibus uirtutibus, Romæ multis præclaris uiris (uulpibus uulpes) innotuit, ac præsertim cuidā Henrico Minutulo, archiepiscopo Neapolitano & S. Anastasij ac tandem Tusculanensi Cardinali: cuius opera, dum & ipse esset legatus Bononiæ & in exarchatu Rauennensi, legationis etiam munere in rebus ad ecclesiam Romanā spectātibus, sub Bonifacio nono & in schismate,

functus est. Claruit Benedictus, qui & nonnulla scripsit opuscula, anno post Christum natum 1410, regnante in Anglia Henrico quarto, & Neapoli obijsse fertur.

IOANNES BATERLEY. XCIII.
Ex Philippo Vuolphio.

IOannes Baterley, *natione Anglicus, professione Dominicanus* ac theologus, à Philippo Vuolphio, in Calaguritanorum uireto, *inter alios* plures, ob *eruditionem mirificè* commendatur. Maturior ætas, uirtute ac fortuna comite, ita illum post conciones aliquot principi commendabat, ut mortuo archiepiscopo Tuamensi in Hybernia, in eius locum & ille succederet. Vtranq; enim literarum cognitionem, humanam, ut uocant, ac diuinam assecutus, theologiam scholasticam magna cum celebritate, in Anglorum gymnasijs profitebatur. Congessit item plura, sed suorum operum tituli nunc desunt, cum tempore in quo claruit. Refert Conradus Tremonius in catalogo Episcoporum sui ordinis ad Vualdenum, Ioannem Geesum Carmelitam & Oxoniensem theologum, simili ratione Lismorensem ac Vuaterfordensem episcopum in Hybernia factum esse. Sed super his, & sine numero similibus, quiescendum esse iudico, ne lectoribus tædium prolixitas generet.

ROBERTVS SARISBVRIENSIS. XCIIII.
Ex Onophrio Panuinio.

RObertus, Sarisburiensis episcopus, ex regio genere prognatus, nondum ita mihi cognitus est, ut eius acta lectoribus, tanquam in lucido speculo, monstrare possim. Hoc unum refert Onophrius Panuinius, Veronensis scriptor, in Rom. Pontificum gestis, quòd Ioannes 24 Rom. Pontifex (23 ille scribit) Baltassar à Cossa ante Papatum dictus, hunc anno Domini 1411, in presbyterum Cardinalē (titulus nō apponitur) assumpserit. Aliqua scripsisse hic dicitur, sed ea sunt nobis ignota, perinde atq; ubi demū obierit.

THOMAS DVNELMENSIS. XCV.
Ex eodem Panuinio.

THomas, Dunelmensis antistes, cuius nec Panuinio nec mihi cognomen occurrit, ingenio tam acutus erat, ac Papisticarum legum peritus, ut prædicto Rom. Pontifici Ioanni gratissimus etiam haberetur. Ipsum etenim cum præfato Roberto, in prima Cardinalium creatione, inter ecclesiæ Rom. presbyteros Cardinales quoque numerauit: sed sine suo titulo, quòd absens tunc esset. Claruit anno salutis nostræ 1411. qui & uaria scripsisse fert: sed ubi tandem uita decesserit, nondum legi.

THOMAS CRANLEY. XCVI.
Ex Lelando.

THomas Cranley, Dubliniensis ecclesiæ archiepiscopus & primas, non modò ingenio, uerumetiam calamo, utpote bonis instructus artibus, plurimū ualuit. Constituerat eum Henricus, ut ego (Lelandus inquit) coniecturam facio, quartus Anglorum rex, tanquam præsidem, qui nocentum colla iugo premeret. At Hyberni, non immemores pertinaciæ ac fraudis, quibus naturæ quodam instinctu semper assueuerant, iniquis primatem urgebant conditionibus. Id ille ægerrimè ferens, consilio non inepto, opem ab Henrico patrocinij, per epistolam argutam iuxta ac elegantem, carminibus centum & sex inscriptam, petijt. Quam & ego satis aculeatam,

non sine uoluptate quadam legi, memoriaq; seruaui. Tantum Lelandus. Obijt Cranlæus anno salutis Christianæ 1417, pontificatus sui anno 20, Dubliniæ sepultus.

IOANNES PALMER. XCVII.

Ex Biblioth. Nordouicensi.

IOannes Palmer, Anglus genere ac natione, utriusq; iuris peritus ac doctor, nihil in ecclesia, rigidus censor, iudicari aut discuti uolebat, sine conciliorum, canonum ac decretorum authoritate. Huic enim canonis decreto firmus semper hærebat, ne aliud uolumē, uel quicunq; liber per theologos editus (imò per uniuersum mundum, ait) recipiatur, nisi ille qui per ecclesiam Romanam Papæ canonibus comprobetur. Vnde in Basiliensi cōcilio generali auditor causarum factus, pro regno papistico contra Hussitas acutissimè disputabat. Ac demum ille congesit

Contra articulos Bohemorum, *Lib. 1. Excelsus ille propheta Dauid.*

Aliaq; plura edidisse comperitur. Claruit anno salutiferi partus 1433, in Basiliensi concilio uaria scribens, regnāte in Anglia Henrico sexto. At ubi obierit, non noui.

IOANNES OVINHELVS. XCVIII.

Ex Lelando.

IOannes Ouinhelus, Oxoniensis theologus, è sodalitio eorū qui se à Carmelo Phœniciæ monte cognominant, uir ualde celebris per suam ætatem erat, nō modestiæ solum, sed & doctrinę solidæ titulo. Qui post iustos labores in sacris studijs collocatos, Caletum ultra mare in Morinorum terrā uocatus, et suorum inibi fratrum collegio pręfectus, multas diuinarum literarū expositiones tam è cathedra quàm suggestu soleniter pronunciauit. Etymologijs & uerborum proprietatibus inuicem comparatis, scripturas concordare fecit, plures earū ad animæ negotiū & iusticiæ opera, eius seculi more, trahens: alias uerò ad ecclesiam per tropos, alias ad rerum cœlestium contemplationem per mysticos sensus referens. Vnde tandem exarauit, ac posteris legenda reliquit,

Exempla scripturarum, *Lib. 1. Refert magister in historijs.*
Sermones per annum, *Lib. 1. Saluator tuus uenit soluere te.*
Distinctiones rerum uariarum, *Lib. 6.*

Et alios plures tractatus ac libros edidit. Caleti, quod alio nomine Gesoriacum Ptolemæus uocat, ab hoc seculo Ouinhelus migrauit, anno à diuini uerbi incarnatione 1438, sub Henrico sexto, & illic sepultus est.

EDVVARDVS BLVNTE. XCIX.

Ex Lelando.

EDuuardus Blunte, alias Blondus, originem à proceribus titulo Moniorum clarissimis duxit: quam per se nobilem satis, uirtutum incremento magno nobiliorē reddidit. A' bonis ille literis fœliciter exorsus, scholas celebrauit Brytannicas. Nec sic contentus, Gallicas quoq; & Italicas petijt. Patauium id temporis disciplinas melioris notæ omnes, unà cum antiqua illa Latinæ linguæ eloquētia excolebat. Hic supremam studiorum metam defixit, & assiduam ab industria assidua famā inter eruditos sibi peperit. Et iam maturus erat, cœpitq; meditari, componere, chartis deniq; uicturis talia consecrare, qualia nisi mors prohibuisset importuna, posteritas nō modò legisset, uerumetiam approbasset. Febre tandem correptus acutissima, in medio studiorum cursu Patauij obijt, ubi non sine publico doctorum hominū luctu elatus est, ac sepultus,

CHRI-

CHRISTOPHORVS VRSVVICVS. C.

Ex Polydoro & Panuinio.

CHristophorus Vrsuuicus, iurisconsultus, *regis Henrici septimi* eleemosynarius, & ad *Christianos principes*, Maximilianum Romanorum & Carolum octauum Gallorum reges, Franciscum Brytanniæ ac Ludouicum Aureliæ duces, aliosq; principes, orator ac legatus, reconciliandæ amicitiæ & pacis causa multoties fuit. Plura & iste cum Ioanne Mortono Cantuariorum archipræsule, cui familiarissimus erat, atq; aliis nobilibus uiris, sub Ricardo tertio Anglorum tyrãno passus est mala. Istum post Ioannem Lilium patria Lucensem, Alexãder sextus Rom. Pontifex, suum in Anglia quæstorem fecit, & Iulius secundus Rom. ecclesiæ presbyterum Cardinalem tituli S. Praxedis. Composuit legationis suæ tempore plura, sed titulos eorum operum non noui.

Romæ tandem mortuus est, anno post Seruatorem natum 1514, pridie calendas Iulij, ab irato familiari Mutinensi (ut Panuinius habet) ueneno necatus. Et sepultus illic est, in Anglorum collegio.

CENTVRIAE DECIMAETERTIAE SCRIPTORVM

Brytanniæ Finis, authore Ioanne Balco.

VETERVM AC RECENTIORVM

QVORVNDAM LIBRORVM CATALOGVM,

in tuam ac sociorũ gratiam, Gesnere uir optime, his addidi, quos pulcherrimè scriptos, at non typis excusos, quod sciam, Papistarũ uiolentijs coactus, in hoc altero meo exilio, in Hybernia reliqui: ut ex eorũ titulis scires, qui & quales sint: ac mihi condoleres eorum iacturam & interitum, nisi Deus illos seruauerit.

CHRONICA ET HISTORIAE BRYtannicorum scriptorum.

Dares Phrygius, de uastatione Troiæ.
Dictys Cretensis, de bello Troiano, cum alijs historijs antiquissimis.
Nennij Brytanni, de origine Brytannorum Chronicon uetustissimum.
Eulogium Brytanniæ, eiusdem authoris.
Gildæ Hybernici breuiarium, seu historia Brytannorum.
Idem Gildas, de mirabilibus Brytanniæ.
Galfridus Monemuthensis, de origine & historia Brytannorum.
Geruasij Tilberiensis illustrationes super eisdem.
Henrici Huntingtonensis historia rerum Anglicarum.
Eiusdem Henrici historia breuior, ac liber de Imagine mundi.
Guilhelmi Malmesburiensis opus magnum, de Regibus Anglorum.
Idem de gestis Pontificum, cum historia nouella.
Itinerarium Ioannis abbatis, eodem authore, de miraculis D. Andreæ apostoli, & in Threnos Hieremiæ commentarius.
Bedas Girvuinus de gestis Anglorum.
Idem de uita & miraculis Cuthberti, cum alijs.
Simeonis Dunelmensis Continuationes Bedæ.
Rogeri Houedeni, Anglorum chronicon post Bedam.

Alphredi Beuerlacensis Chronicon.
Guilhelmi Nouoburgensis Chronicon.
Radulphi de Diceto Imagines historiarum.
Idem Radulphus de synodis Ecclesiæ.
Eiusdem Radulphi Chronicorum opus.
Geruasius Tilberiensis, de ocijs imperialibus.
Eiusdem Geruasij historia terræ sanctæ, & de mirabilibus orbis.
Radulphi Nigri historia succincta.
Ioannis Anglorum Regis gesta per eundem Radulphum.
Radulphi Coggeshali continuationes prædictæ historiæ.
Matthæi Parisij ingens Chronicorum opus.
Guilhelmi Rishangri continuationes eorundem.
Matthæi Vuestmonasteriensis flores historiarum.
Thomæ Rudburni Breuiarium Chronicorum.
Ranulphi Higdeni Polychronicon.
Eiusq; continuationes per Thomam Vualsingham.
Rogeri Castriensis monachi Polycratica temporum.
Ricardi Cicestriensis Anglosaxonum Chronicon.
Ioannis Euerisdeni series temporum, cum alijs.
Iocelini Brakelondij Chronicon.
Giraldi Cambriensis Speculum ecclesiæ.
Idem Giraldus de Topographia Hyberniæ.
Ioannis Hagustaldensis historia 25 annorum. Item de signis & cometis.
Ricardi Hagustaldensis Chronicon, cum gestis Stephani regis.
Nicolai Triuethi historia sex regum Angliæ.
Thomæ Vuycki annales ducentorum & uiginti annorum. Eiusdem Catalogus abbatum de Osney.
Adami Muremuthensis lxxviij annorum historiæ.
Ioannes Capgrauus, de nobilibus Henricis.
Idem de sequacibus diui Augustini.
Catalogus sanctorum Angliæ, eodem authore.
Alexander Essebiensis, de sacris diebus, carmine.
Guilhelmi Caxtoni fructus temporum, cum alijs.
Ioannis Hardingi Chronicorum opus.
Thomæ Vualdeni fasciculus zizaniorum Vuicleui.
Thomæ Eclestoni liber, de aduentu Minorum ad Angliam.
Idem de impugnatione eorum per Dominicanos.
Petrus Pateshull, de Vitis fratrum Mendicantium: uel eius commentarius in prophetiam Hyldegardis, cum rhythmis facetissimis.
Guilhelmi Couentriẽsis Compendium historiarum, Annales breuiores, de Laude religionis, & Scutum Carmelitarum.
Thomas Scropus, de sui ordinis institutione.
De fundatione eiusdem ad Eugenium quartum.
De sectis, & eorum introitu ad Angliam, atq; alia.
Ricardi Diuisiensis epitome rerum Brytannicarum.
Tempora regis Ricardi primi, eodem authore.
Hugo cuiusdam monasterij præses, De excidio Troiano.
Ioannis Goueri tripertitum Chronicon.
Stephanus Eiton, de uita regis Edvuardi secundi.
Heliæ Trickyngami Annales temporum.

Bostoni Buriensis Catalogus scriptorum Ecclesiæ, opus ualde laboriosum & utile.
Roberti Bale scribæ Londinensis Chronicon eiusdem urbis, cum alijs eius opusculis.
Alterius Roberti Bale, Brunhamiensis, annales perbreues.
Stephanus Langtonus, de uita Thomæ Cantuariensis.
Benedictus Petroburgensis, de uita eiusdem Thomæ.
Ioannes Sarisburiensis, de uita eiusdem.
Polycraticon de nugis curialium, eiusdem Ioannis.
Rogerus Crolandiensis, de uita & epistolis Thomæ.
Radulphi Marhami Manipulus Chronicorum, opus magnum.
Ioannis Lelandi Pygmæomachia, Antiquitates, Epigrammata, Itineraria, Collectanea, aliaque nonnulla.
Collectiones meæ in tribus uoluminibus,
Anglorũ Heliades, cum alijs libris, tractatibus & scriptis sine certo numero.

Chronica & Historiæ externorum scriptorum, cum alijs.

Vincentij Beluacensis Speculũ historiale, in tribus magnis uoluminibus, cum indicibus locupletissimis.
Gregorius Turonensis, de historia Gallorum.
Ado Viennensis, de sex ætatibus mundi.
Martini Carsulani chronicon, de Ro. pontificibus & imperatoribus.
Haymo Floriacensis, de uita Abbonis monachi.
Regnum Scotorum & Pictorum successiones, incerto authore.
Vita Martialis Apostoli, cum alijs multis.
Philippus Ribotus de gestis Carmelitarum, in decem libris, ex Ioanne Hierosolymitano, Cyrillo Græco, Guilhelmo Samuco, & Siberto de Beca, collectis.
Ioannes de Molinis, Ioannes de Chimineto, Ioannes Baconthorpius, Bernardus Olerius, Ioannes Vinetus, & Ioannes Grossy, de eisdem.
Breuiora Anglorum chronica, authoris incerti.
Apocalypsis Goliæ pontificis, cum rhythmis Gualteri Mapes.
Isidorus, de ortu & obitu sanctorum patrum.
Hieronymus, de uiris illustribus.
Gennadius, de uiris illustribus.
Isidorus, de uiris illustribus.
Ioannes Trissa, de uiris illustribus, & sui ordinis generalibus magistris.
Arnoldi Bostij tractatus tres, de uiris illustribus.
Laurentius Burellus, de uiris illustribus, carmine.
Ioannes Tritemius cum meis additionibus, & alijs eiusdem tituli.
Veterum scriptorũ & doctorũ Catalogus, incerto authore, liber ualde antiquus.
Antonij Auerarij Sermones, de uirtutibus.
Elisabetha quædam, de uirginibus Brytannicis.
Abbreuiationes Iuliani Hasarti & Aegidij fabri.
Vitæ & legendæ sanctorum.
Historia uetustissima diuæ Annæ.
Vita D. Annæ, authore Gualtero Bornio Carthusiano.
Ioannis Mandeuili, Itinerarium mundi.
Ludolphi de Suchen, Itinerarium Hierosolymæ.
Duæ partes historiarum scriptarum, authoris incerti.

Ioannis Palæonydori Chronicon illustratum.
Petri Comestoris historia scholastica.
Hieronymus sanctus, de xij scriptoribus. Eiusdem tractatus undecim.
Monachi Dunelmensis ignoti nominis Chronicon.
Historia Bibliorum ad Adamo ad Christum.
Enochus Hierosolymitanus, de uita Angeli Hierosolymitani.
Ioannes Maria Politianus, de uita Alberti Drepanensis.
Monaldus Rosarius, de uita Simonis Angli.
Rolandus Bourcherius, de uita eiusdem Simonis.
Franchi Senensis uita, incerto authore.
Ioannes Fauentinus, de uita Petri Thomæ patriarchæ Constātinopolitani.
Pilippus de Macerijs, Siculus, de uita eiusdem Petri.
Ioannis Sorethi uita & uirtutes.
Chronica & annales diuersorum, sine authorum nominibus.
Bernardus Clareuallensis, de uita Malachiæ archiepiscopi.
Guilhelmus Ramesiensis, de uita Neoti abbatis, carmine.
Passio Albani martyris, authore incerto.
Amandi à Zierxea, compendiosum chronicon.
Gesta regis Edvuardi tertij, per incertum authorem.
Philippus Ribotus in Anglicam linguam translatus per Thomam Scropū.
Excerpta à Guilhelmo Malmesburiensi per Guil. Hormannum.
Excerpta à Matthæo Parisiensi & Simeone Dunelmensi.
Anglorum chronica, usque ad Guilhelmum primum.
Bella principis Edvuardi Nigelli.
Iacobi de Vitriaco narrationes.
Vita D. Benedicti abbatis monachorum.
Calendaria Minorum, Carmelitarum & Augustinensium.
De sepulturis Minoritarum utriusque sexus.
Doctorum omnium Carmelitici generis per Angliam registrum.
Annales breuiores, ad annum Domini 1293.
Depositio regis Ricardi secundi, cum eius temporis chronico.
Ioannes de Plano Carpini, de moribus Tartarorum.
Alexandri magni historiæ plures.
Vuestmonasteriensis cœnobij fundatio.
Hierosolymitanorum gesta per Pontium & Raimundum.
Chronicorum opus, quòd Anglorum regibus Scoti sint subiecti.
Annales monachorum Glocestriensium.
Gregorij Kairguenti uel Vuintoniensis chronicon.
Thomas Monumethensis, de uita Guilhelmi martyris Nordouicensis.
Radulphus Bockingus, de uita Ricardi episcopi.
Guilhelmus Tripolitanus, de statu Saracenorum.
Helenæ imperatricis uita & translatio.
Vita Dauidis Meneuensis archiepiscopi.
Historia Thomæ Herefordensis episcopi.
Historia Ricardi Hampole, eremitæ & doctoris.
Fascis rerum Brytannicarum Guilh. Hormāni, cum alijs eius opusculis.
Diuisiones decem nationum Christianarum.
De antiquis Gallorum regibus.
Vita D. Kierani, episcopi Hybernici.
Proditiones Friderici Barbarossæ, per pont. Rom. Et alia multa.

Miscel-

Miscellanea diuersorum.

Ioachim abbas, contra pullulantium fraterculorum ordines.
Cyrilli Græci Carmelitæ oraculũ, super futuro Ecclesiæ statu, cum commentario eiusdem Ioachimi abbatis.
Ioannes Baconthorpius super quatuor libros Sententiarum.
Compendium legis Christi, eiusdem Ioannis.
Vitæ Christianæ compendium eiusdem.
Ricardus Armachanus, de Christi paupertate.
Idem Armachanus, de Mendicitate fratrum.
Rogerus Convuay, contra informationes eiusdem.
Ricardi replicationes contra eundem Rogerum.
Guilhelmus de S. Amore, De periculis nouissimorum temporum.
Eiusdem Guilhelmi collectio canonicæ scripturæ, ad defensionem ecclesiasticæ Hierarchię, ac præparationem fidelium Christi, contra pericula imminentia ecclesiæ generali per hypocritas & pseudoprædicatores, penetrantes domos, atq; ociosos & curiosos gyrouagos.
Idem de quinquaginta signis pseudoprophetantium.
Thomas Aquinas pro fratribus, contra Guilhelmum.
Bonauentura, de opere manuum ac mendicitate.
Guilhelmus prædictus contra Bonauenturam.
Arnoldi de Villa noua Gladius iugulans, contra Thomistas.
Allocutio Christi, de conuenientibus creaturæ, per eundem Arnoldum.
Eiusdem Apologia, de uersutijs pseudotheologorum.
De mysterio cymbalorum Ecclesiæ. De consummatione seculi.
Et prophetia catholica, eiusdem Arnoldi.
Ioannes Peckam, super confessionibus quas audiunt fratres.
Dialogus eiusdem, inter Franciscum & paupertatem.
Canticum pauperum, cum alijs eius tractatibus.
Robertus Lincolniensis ad fratres Minores.
Guilhelmi Excestriensis determinatio, pro fratrum mendicitate.
Vtredi monachi quæstiones, contra fratrum *mendicitatem.*
Ioannes Vuicleuus, *de decem præceptis*, opus magnum.
Eiusdem Vuicleui Trialogus. Et xxiiij tractatus.
Thomæ Vualdeni tria magna uolumina *pulcherrimè scripta.*
Primum contra Husitas, alterũ de Sacramẽtis, tertiũ de Sacramẽtalibus.
Eius sermones, lecturæ, epistolæ & ambasiata.
Guido Perpinianus, de hæresibus.
Idem Guido in cantica Zachariæ, Mariæ & Simeonis.
Nigelli Cantuariensis Speculum stultorum, *aculeatum opus*, aduersus omnis *generis monachos.*
Eiusdem Nigelli monita ad amicum.
Contra ætatis suæ barbariem.
Excerptiones ex Guernerio. Distinctiones utriusq; Testamenti, & alia.
Ioannis Hanvuillensis Architrenium, carmine.
Thomæ Gascoigne *secunda pars* dictionarij theologici, opus magnum, doctrinale & historicum.
Iacobus Theramus, de consolatione peccatorum.
De mirabilibus utriusq; Testamenti, authore incerto.
Gobelinus Alemanus, De pœnitentijs magistrorum Angliæ.
Eiusdem Gobelini constitutiones arbitrales.

Ioannes Soreth, in regulam Alberti Hierosolymitani.
Ioannes Beets, de uitio proprietatis.
Thomæ Dockingi quæstiones super Lucam.
Petrus de Riuo, de Christi temporibus.
Petri de Bruno Tabulare quoddam.
Ioannis Palæonydori epistolæ plures.
Baptistæ Mantuani orationes synodales & epistolæ.
Super ingressu religionis ad patrem.
In primitijs Petri Brixiensis.
Ad Ambrosium Coriolanum, cum responso.
De Maria Lauretana.
Suburbanum Bucolicorum.
De Benaco fluuio, & alia.
Baptistæ Panætij Ferrariensis Carmelitæ sermones.
Martini Personæ, Itali, elegans oratio, Agrigenti Siciliæ habita.
Ioannis Andreæ Seraboni, Veronensis, orationes coram Papa.
Ioānis Diophylacis Christomachia, Chaldaica fornax, Catachresis Israelitica, Erotema religionis, De laude crucis, Odæ natalitiæ, & alia.
Methodij martyris reuelatio. De situ urbium Aegypti.
Nordouolgiorū mores, authore Petroburgensi monacho ignoti nominis.
Oxoniensium magistrorum literæ ad regem.
Innocentius tertius, de mundi miseria.
Eiusdem Innocentij moralitates quædam.
Angliæ descriptio, cum Merlini uaticinijs.
Monaldus Rosarius, de pœnitentijs & remissionibus.
Eiusdem Monaldi expositio decretalis: Omnis utriusq; sexus.
Ioannes Consobrinus, De iustitia commutatiua.
Caradocus Lancaruanensis, super prophetijs Merlini.
Vita Gildæ sapientis, eodem authore.
Iosephus Deuonius, De bello Troiano, carmine.
Rhythmorum & carminum opus magnum, ex diuersis authoribus.
Ioannis Fordhami lectiones ordinariæ, cum alijs opusculis.
Lanfranci Cantuariensis dialogus.
Guilhelmus Iuæus, contra hæresim de mendicitate Christi.
Ricardi Armachani determinationes, contra priuilegia fratrum.
Propositiones eiusdem Ricardi coram Papa, ac sermones eius.
Guilhelmus Grocinus, contra hostiolum Vuicleui.
Vtredi, monachi Dunelmensis, sermones quidam.
Ioannis Vuichingami sermones quoq;.
Guilhelmus Ockam, de Hæresibus Ioannis xxij papæ.
Nicolaus Fakenham, super Ecclesiæ unione.
Ricardus Conyngton, in Psalmos pœnitentiales.
Guidonis de Marchia, querela contra religionem.
Opus pastoralium Ioannis Gualensis, & alia opuscula.
Ioannis Rideuallis, in Valerium ad Rufinum.
Stephanus Patrington, ad archiepiscopum Cantuariensem.
Item eius sermones per annum.
Guilhelmi Haruy, monachi Buriensis, quæstiones disputatæ.
Ioannis Hovudeni rhythmica opuscula.
Formalitates Petri Thomæ.

Elmeri

Elmeri Cantuariensis monachi sermones.
De exercitijs uitæ spiritualis eiusdem, & epistolæ familiares.
Guilhelmi Malmesburiensis commentarij in Threnos Hieremiæ.
Robertus abbas, de Benedictionibus Iacob & Mosi.
Dunstani Cantuariensis archiepiscopi Benedictionarium.
Anselmi archiepiscopi ccc. lxvij Epistolæ.
Eius meditatio de æterna beatitudine.
Presbyter Ioannes, ad Fridericum Cæsarem.
Idem Ioannes, de suis terris ac dominijs.
Ricardus Præmonstratensis, super canone Missæ.
De computo Ecclesiastico, authoris incerti.
Iacobus de Casulis, De ludo scaccorum.
Iacobi de Lausanna moralitates in Iobum.
Petri Blesensis commentarij in Iobum, cum Epistolarum opere.
Ricardi Dunelmensis episcopi Philobiblon.
Prophetia, de tempore regis Ricardi secundi.
De fide catholica ad Oxonienses, authoris incerti.
Aristotelis secreta secretorum, per Ioannem Patricium.
Edvuardi primi Anglorũ regis scriptũ ad Papã, super suo iure ad Scotiæ regnum.
Gregorij Magni dialogorum libri quatuor.
Speculum laicorum authoris incerti.
Dialogus, de reformatione errorum in Ecclesia.
Speculum saluationis humanæ.
Petrus Ioannis in Apocalypsim & in Genesim.
Ioannes Bury contra Reginaldum Pecockum.
Anselmi Cantuariensis opuscula xx.
Petri de Riga, opus Bibliorum, uersu.
De modo procedendi prælatorum contra fratres.
De sceleribus monialium & clericorum.
Sermones Augustini & Bernardi.
Commentarij in Iobum, authoris incerti.
Cyrillus Hierosolymitanus, super transitu Hieronymi.
Speculum diui Bernardi. Speculum Eadmundi archiepiscopi.
Ricardi Hampolensis opuscula plura.
Vtredi Dunelmensis monachi meditationes.
Isidori Hispalensis Etymologia.
Michael Cornubiensis, contra Henricum Abrincensem.
De ortu & infantia Saluatoris.
De uaticinijs Sibyllarum. Liber de naturis animalium.
Ioannis Bridlyngtoni uaticinale carmen, cum expositione.
Robertus Baston, de bello Striuelingensi, uersu.
Adalberti Leuitæ speculum.
Gelasij decreta, super libris recipiendis.
Canones Apostolorum, cum alijs multis.
De uictoria legis nouæ super legem mortis.
Augustinus, de conuenientia duorum testamentorum.
Gregorius Magnus, super agno paschali.
Ambrosius de quatuor difficilibus in Salomone.
Cassiodorus de institutione diuinarum lectionum.
Sixti philosophi Enchiridion.

De diabolicis illusionibus & phantasmatibus.
Augustinus contra Pseudochristianos.
Idem super reddendis decimis, & de corpore ac sanguine Domini.
Biblicorum uerborum expositiones.
Hugutionis ac Bretonis abbreuiationes.
Ioannis Blakeney compilationes Grammaticales.
Thomæ Langley monachi epigrammata.
Ricardus Kendale, de uerborum ornatu.
Ioannis de Bononia tabelliones.
Viridarium Guidonis de arte dictandi.
Astronomiæ iudicia, authoris incerti.
Roberti Lincolniensis opus Gallicum.
Templum Domini, eiusdem authoris opus.
Augustini, Hieronymi & Anselmi opuscula nonnulla.
Alphredus Rhieuallensis de uera amicitia.
Breton super dictionibus Bibliorum.
Monumenta magni monasterij Buriensis.
De purgatorio Patricij Hybernensis.
De Christi passione & sacramentis.
Sigillum Mariæ, in Cantica canticorum.
De Adæ eiectione ex paradiso. De pœnitentia eiusdem.
De Mariæ uirginis assumptione.
De ortu & uita Antichristi.
Ioannis Tissyngtoni confessio, contra Vuicleuum.
Thomas Vuinterton, contra confessionem Vuicleui.
Guilhelmi Thorpij examinatio per episcopos.
Acta concilij Constantiensis contra Husitas.
Constitutiones synodi Pragensis.
Articuli damnati Parisijs & in Anglia.
Ricardi Maydestoni, Protectorium pauperis.
Ioannis Hornebij determinationes solennes pro Carmelitis, contra Dominicanos.
Sermones eiusdem ad clerum, pro eisdem.
Guilhelmus Vuodeforde, contra trialogum Vuicleui.
Ricardi Maydestoni determinationes, contra Ioannē Ashvuerby, pro mendicitate fratrum.
Idem super concordia Ricardi regis ac ciuium Londinensium.
Nicolai Galli Narbonensis Ignea sagitta, aculeatum opus.
Arnoldus Bostius, De patronatu Mariæ, ac uiris illustribus.
Gerardi de Edam, & Ioannis Kuccij carmina.
Blasij Lorini Carmelitæ Eclogæ ad Ludouicum.
Petrus Lilla Beluacensis, de sui ordinis antiquitate.
Tullij Ciceronis liber de differentijs.
Methodius de principio ac fine mundi.
Ricardus de S. Victore, super Apocalypsim.
Guilhelmus Masiliensis, qui & Vrbanus quintus, in Apocalypsim.
Eugenij papæ literæ, super reformatione Græcorum.
Clementis sexti literæ, super anno Iubileo.
Bartholomæus Iscanus, de mundo & corporibus cœlestibus.
Roberti Lincolniensis epistolarum libri duo.

Euangelium Nicodemi, cum historijs de Pilato, de Iuda, de Simone Mago & Antichristo.
Odonis de Ceritona parabolæ.
Forma coronationis regum.
Disputatio inter diuitem & Lazarum
Registra bibliothecarum diui Albani, Ramesiæ, Glasconiæ, Nordouici, & Dominicanorum Londini.
Faustus contra Pelagianos.
Hugolinus de urbe ueteri, super Sententias.
Lateranensis concilij constitutiones.
De reuelationibus Mechtildis & aliarum mulierum.
Rogeri Tuuifordi Itinerarium mentis in Deum.
Ricardi Cheferij Augustiniani sermones.
Alexandri Nekani Mythologia uel Scintillarium.
Idem de nuptijs Mercurij super Marcianum.
Ioannes Thoresbius, Eboracensis archiepiscopus, ad suos sacerdotes.
Ioannes Mounem, episcopus Londinensis ad suos parœcos.
Roberti Lincolniensis constitutiones & confessiones.
Thomas, eius archidiaconus, de baptismo.
Stephani Langtoni Cantuariensis conciones.
Ioannis Deiri distinctiones, uel Pera spiritualium.
Nicolai de Aquæuilla sermones Dominicales.
Ioannes Beston de uirtutibus & uitijs oppositis.
Visiones Pauli, opus à monacho confictum.
Visiones Militis, de purgatorij pœnis.
Visio monachi de Euesham.
De alia quadam purgatorij uisione.
Visio cuiusdam patrisfamiliâs.
Visiones Drithelmi apud Bedam, & Caroli.
Confœderatorum uisiones duæ.
De spiritu Guidonis apud Dominicanos anno Domini 1452, prodigiosissima impostura.
Hildeberti Cenomanensis epistolæ, ac meditationes.
Epistolæ monachorum D. Albani.
Iacobi de Vitriaco historia Hierosolymitana.
Versus uetustissimi de omnibus capitibus Bibliorum.
Prophetia de Antichristo per fratrem Columbinum.
Remigij commentaria super Sedulium.
Hugonis Legati commentaria in Architrenium Ioan. Hanvuillensis.
Gilberti Foliothi præsulis Herefordensis epistolæ.
Carmen contra sacerdotes concubinarios.
Guilhelmi Flete, Augustiniani, tres epistolæ ex Italia.
Ricardus Hampole, de ueneratione nominis Iesu.
Idem de mysterijs rerum quæ fiunt in Ecclesia. aliaq; plura.

DE LIBRIS IMPRESSIS NIHIL HIC DICO, *quos tamen optimos ac selectißimos habui.*

PRO

PRO ALIQVANTO EORVM LEVAMINE, QVI *post mea tempora ex prædictis & alijs antiquorum ſcriptorum laboribus hiſtoriam conflare fortaſsis adhuc cupient, hunc ordinem hoc loco ponere ualde commodum duxi: ut illorum operum durationes ac tempora ſcirent.*

HIſtoriam antiquiſsimam de origine ac geſtis Brytannorum, primus ex Vuallico ſeu Cambrico ſermone in Latinum traduxit Galfridus Monemuthēſis, finiens regum ſucceſsiones in ipſo caſu Brytannici regni, anno Domini 689, ut Matthæus Vueſtmonaſterienſis tradit: narrationem nihilominus pertrahēs ad Ethelſtanū regem uſq;, annū ſcilicet Chriſti circiter 924.

Eaſdem res Cambricas uel Vuallicas à Galfrido excepit Caradocus Lancaruanenſis, incipiens ab ipſo Brytannici regni caſu, & per 460 annos eas continuans, ad annum Domini 1150. De duobus Gildis ultimis, Melkino Aualonio, Nennio Bannochorenſi, et alijs Brytannorum ſcriptoribus nihil hic pronuncio, quorum hiſtoriæ tamen excluſis fabulis inſeri poſſent.

Anglorum res geſtas ab Angloſaxonum aduētu primo in eam inſulam, anno Domini 451, Bedas Girvuicenſis congeſsit, uſq; ad ſua tempora, annū uidelicet Chriſti 734.

Guilhelmus Malmesburienſis Bedam excipiens, & ſuccinctè colligens, uſq; ad regem Egbertum, qui uaria ſorte profligatis regulis, inſulæ penè totius nactus eſt monarchiam, hiſtoriam produxit: & inde pleno curſu tempora lucidè deſcribit, uſq; ad finem Henrici primi, annum ſcilicet Domini 1135.

Nicolaus Triuethus Malmesburienſem excipiens, incipit à rege Stephano, & deſinit in mortem Edvuardi primi, anno Domini 1307. Stephanus Eyton congeſsit acta Edvuardi ſecundi.

Ab hoc qui filum hiſtoriæ recto tramite deinceps deducerent, non ſunt reperti. Sed pleriq;, ſuo quiſq; ſtudio, particularia delegerūt ſibi proſequenda, principium finemq; pro arbitrio ſtatuentes.

Eadmerus Dorobernenſis ſobria ſermonis feſtiuitate, ab Edgaro rege uſq; ad Guilhelmum primum, raptim tempora perſtrinxit: & inde licentius euagatus, uſq; ad obitum Radulphi archiepiſcopi, diffuſam atq; neceſſariā hiſtoriam ſtudioſius exhibuit. Ita prætermiſsis à tempore Bedæ ducentis & uiginti tribus annis, temporum curſus clauſit.

Gualterus, Oxonienſis archidiaconus, qui ex Armoricana Brytānia, Brytonum hiſtoriam Brytannicè ſcriptam attulit, à Galfrido Monemuthenſi latinè transferendam, per ſexcentos annos eandem continuaſſe fertur. Id tamen eius ſcriptum, quòd ſciam, non extat.

Alphredus, Beuerlacenſis theſaurarius, non ſolū defloraiut Galfridi prædicti hiſtoriam, ſed etiam ſcripſit Brytannicorum & Anglicorum regum res geſtas, uſq; ad Normannorum imperium.

Guilhelmus, Rhieuallenſis monachus, ſuorum Anglorum hiſtoriā concinnauit, atq; Ealredo eius ædis abbati dedicauit: qui propterea inter præcipuos Chronicorum authores, à Ioanne & Ricardo Haguſtaldenſibus, Ranulpho Higdeno & Guilhelmo Hormanno connumeratur.

Ioannes Sariſburius, Carnotēſis olim in Gallijs epiſcopus, in ſuo Polycratico de nugis aulicorū, de ſtatu Romanæ curiæ, & in alijs ſuis eruditiſsimis ſcriptis, ætatis ſuæ tragœdias aptiſsimè per omnes circūſtantias perſtrinxit.

Geraldus Cambrienſis, author etiam ualde commendabilis, in ſuis Topographijs, Itinerarijs, & in Speculo eccleſiæ, ſuorum temporum hiſtorias ad unguem manifeſtauit.

Florentius

Florentius Vuigorniensis monachus, Gildam, Bedam, Adonem Viennensem, Marianum Scotum, Sigebertum & similes probè secutus, seruato temporum ordine, congesit opus, quod uocabat Chronicon ex chronicis, usque ad annum Domini 1118, unà cum continuationibus prædicti Mariani.

Thomas Vualsingham, ad Albani fanum monachus, scripsit Anglorum res gestas ab irruptione Normannorum in Angliam, usque ad principium regni Henrici sexti, cui opus dedicauit: ac deinceps usque ad Edvuardum quartum, annum scilicet Domini 1460.

Matthęus Parys, ex eodem Albanēsi cœnobio, iam dictum Vualsinghamum longè præcesit, Anglorum historiam scribens à Conquestu per Guilhelmum Normannorum ducem per octo regum tempora, usque ad annum Domini 1250, additis postea nouem ferè annorum appendicibus.

Guilhelmus Rishanger, ut eiusdem societatis alumnus, in eo scribēdi officio, Matthæo succesit: & ad Ioānem eiusdem loci abbatem cōposuit, Chronicorum opus ab anno Domini 1259, quo Matthæus cessabat, usque ad annū Domini 1312.

Rogerus Vuyndore, eiusdem loci etiam cœnobita fuit, sed his tribus antiquior: & texuit Chronicum quoddā, cuius mentionem facit Catalogus quidam uetustissimus doctorum Ecclesiæ, Alphabetico ordine congestus, qui incipit, Abbas Ioachim, &c.

Matthæus Vuestmonasteriensis ecclesiæ monachus, cognomine Florilegus, collegit à cōdito mundo ex diuersis authoribus, Historiarum flores in tribus libris, opus eximium ualde, usque ad annū à Seruatore nato 1307, quas adhuc per 70 annos continuasse dicitur.

Henricus Huntingtonensis archidiaconus, primordia rerū Brytannicarū ex Galfrido Monemuthēsi, sui temporis scriptore, collegit, ac distēdit ad Iuliū Cæsarē, inde cōtexens historiā ad postremos ferè annos Stephani regis.

Rogerus Houedenus, ex Eboracensi prouincia iurisperitus, præclaram gentis Anglorum historiam cōgesit, à Bedę Venerabilis senectute, usque ad quartum annum Ioannis Anglorum regis.

Geruasius Tilberiensis, Anglus, Arelatensis in Gallia Marescallus, sub imperatore Othone quarto, scripsit de ocijs imperialibus historiam perpulchram, & illustrationes Brytannicæ historiæ.

Simeon Dunelmensis, pręcentor ac monachus, historiam quoque composuit de regibus Anglorum, ab obitu ipsius Bedæ, usque ad annum ab incarnatione Dominica 1130.

Ioannes de Hexhā, uel Hagustaldensis cœnobij præses, eundē Simeonē excipiēs, eius historiā in xxv annis ampliauit, desinens in anno Domini 1156.

Ricardus Hagustaldensis, eiusdem loci post dictum Ioānem præpositus, quinquaginta sex annorum annales composuit, ab anno Christi 1134, ad annum eius 1190.

Ealredus Rhieuallensis, Cisterciensis ordinis abbas, etiam edidit circa eadem tempora Chronicon quoddam, de regibus Anglorum.

Guilhelmus Nouoburgensis, aliàs Petitus, Canonicus regularis, scripsit historiam de gestis Anglorum in quinque libris, à Guilhelmo Notho usque ad annum Domini 1197, ac de Regibus.

Radulphus de Diceto, ad diui Pauli fanum Londini olim decanus, Imagines historiarum, unà cum temporibus mundi & alijs reliquit, à mundi initio usque ad annum Domini 1210.

Radulphus Niger, Buriensis in Sudouolgia, ut fertur, alumnus, Chroni-

con scripsit à Christi incarnatione, & aliud à condito mundo, usq; ad annū Domini 113, atq; acta regis Ioannis.

Radulphus Coggeshale, Cisterciensis ordinis abbas in cœnobio illius cognominis, Cōtinuationes prędicti Radulphi Nigri edidit, per annos 116, usq; ad annum Domini 1229.

Gualterus Couentriensis, Galfridi, Houedeni, Huntingtonensis & aliorum authoritate usus, à Brytānorum origine usq; ad annū Christi 1226, Chronicon pulchrum edidit.

Gualterus Gisburnensis Canonicus, cognomento Hemmyngforde, plena oratione per scripsit historiam, à Guilhelmo primo eius nominis Anglorum rege, usq; ad Edvuardum secundum.

Sequuti sunt & alij, qui horum & multorum aliorum ante se scribentium particulas in unum corpus conficerent. E quorum numero est maior horū pars, quæ his nunc accedit.

Ranulphus Higdenus, Cestriensis monachus, scripsit uarij generis, uariarumq; gentium historiam in septem libris, orsus à mundi origine, eamq; texens usq; ad annum Christi 1363, in quo obijt, quam Polychronicon decreuit appellari.

Rogerus, Cestriensis dictus, eiusdem cœnobij cultor, Polycratica temporum edidit, opus elegans ac rotundum, à mundi quoque initio, usque ad annum Domini 1327.

Ricardus, Cicestrius appellatus, Vuestmonasteriēsis ecclesiæ monachus eruditus, composuit Anglosaxonū Chronicon, atque illud produxit ad annum usque Domini 1348.

Thomas Rudburne, noui Vuintoniēsis cœnobij ad Hidā monachus, ex uarijs authoribus collegit Chronicon maius ac minus, ab introitu Bryti usq; ad decimum octauumannum regis Henrici tertij, ac deinceps usq; ad annū Domini 1480.

Ioannes Fiberius, uel Beuer, Vuestmonasteriensis ecclesiæ monachus, historiographus excellens, congessit à Bryti introitu primo in hanc insulā, usque ad annum à Christi incarnatione 1307, Editiones Chronicorum. Sic opus uocabat.

Ioannes Burgensis, uel Petroburgensis abbas, bono ordine plura digerens, cōgessit Annales seu collectanea Chronicorum, breuiter ac succincte, usque ad annum Domini 1340.

Ioannes Euerisden, monachus Buriensis, monasterij ualde famosi ad Eadmundi martyris fanum, edidit seriem temporum, à mundi origine usque ad annum Domini 1336.

Adamus Muremuthēsis, ad Pauli fanum Londini Canonicus olim præbendarius, scripsit sexaginta annorum Chronicon, ab anno Domini scilicet 1320 usque ad annum 1380.

Thomas Vuyike, apud Oxoniēses, canonicus olim regularis de Osneye, historiam perbreuem, sed luculentā composuit, à Guilhelmo Bastardo usq; ad annum Domini 1290.

Epilogus.

Alij adhuc sunt, uenerabiles domini Gesnere, Lycosthenes, ac Simlere, & non inferioris notæ, Brytannorū chronographi, ut in nostris Centurijs atq; Appendicibus uidere poteritis: sed isti tanquā magis à nostris Anglis cogniti, ad præsens sufficiant. Hos atq; alios adhuc ualde plures, uidi, manibus cōtrectaui, ac legi, paucissimis exceptis, & typis excudi libens cupere.

CATA-

CATALOGVS ERVDITORVM VIRORVM, VETErum ac recentiorum, qui ex Asianis, Græcis, Latinis, Italis, Germanis, Brytãnis, Gallis, Hispanis, Anglis, aut alijs mundi nationibus, in Apocalypsim D. Ioãnis Apostoli, ab ipsa Christianæ ecclesiæ origine, commentarios ediderunt: ex nostra Præfatione in eandem Apocalypsim.

Nomina.	Nationes.	Libri. Scriptorum initia.
Papias Hierapolites,	Asianus.	Lib. 1.
Iustinus Martyr,	Græcus.	Lib. 1.
Melito Sardensis,	Asianus.	Lib. 1.
Irenæus Lugdunensis,	Phrygius.	Lib. 1.
Hippolytus Episcopus,	Romanus.	Lib. 1.
Dionysius Alexandrinus,	Aegyptius.	Lib. 1.
Victorinus Pictauiensis,	Gallus.	Lib. 1.
Ticonius Doctor,	Aphricanus.	Lib. 1.
Hieronymus Stridonensis,	Dalmata.	Lib. 7. Apocalypsis Ioannis, tot habet sacra.
Augustinus Carthaginensis,	Aphricanus.	Lib. 1.
Vigilius Diaconus,	Aphricanus.	Lib. 1.
Primasius Vticinensis,	Aphricanus.	Lib. 5. Tuis, uir illustris & religiose Cast.
Gennadius Maßiliensis,	Gallus.	Lib. 1.
Aprigius Pacensis,	Hispanus.	Lib. 1.
Caßiodorus Rauennas,	Italus.	Lib. 1.
Isidorus Iunior,	Hispanus.	Lib. 1.

Ex Benedictinis sodalibus.

Bedas Venerabilis,	Anglus.	Lib. 3. Fundata per Apostolos Ecclesia.
Alcuinus Diaconus,	Anglus.	Lib. 1.
Haymo Hirsueldensis,	Germanus.	Lib. 7. Legimus in Ecclesiastica historia.
Strabus Fuldensis,	Germanus.	Lib. 1. Sicut in secularibus literis.
Rabanus Maurus,	Scotus.	Lib. 1.
Ambrosius Ansbertus,	Gallus.	Lib. 10. Dei illustratione afflatus.
Haymo Dionysianus,	Anglus.	Lib. 8. Planior fit sensus mysteriorum.
Radulphus Flauiacensis,	Gallus.	Lib. 1.
Anselmus Cantuariensis,	Burgundus.	Lib. 1.
Robertus Tuitiensis,	Germanus.	Lib. 12. Vt tu quoque uenerabilis Coloniens.
Ioachimus Abbas,	Calaber.	Lib. 7. Quia profunda libri huius.
Introductorium eiusdem in Apocalypsim.		Lib. 1. Cum propensorijs studijs à uiris.
Helimandus Frigidi fontis,	Gallus.	Lib. 1.
Petrus Berthorius,	Gallus.	Lib. 1. Ioannes in insula quæ dicitur.
Monachus Cantuariensis,	Anglus.	Lib. 1. Legitur Genesis 28. Vidit Iacob.
Castertonus Nordouicensis,	Anglus.	Lib. 1. Posuit castra sua in medio.
Alter quidam monachus,	Anglus.	Lib. 1. Spiritu magno uidit ultima.

Ex Cistercienſibus monachis.

Galfridus Antisiodorensis,	Gallus.	Lib. 1.
Gilbertus Suuinsetus,	Anglus.	Lib. 1.

Ex Canonicis regularibus.

Ricardus de S. Victore,	Scotus.	Lib. 1. Accipe, charißime frater, & hoc.
Robertus Crickloden sis,	Anglus.	Lib. 1. Reuelatio, quæ Græce dicitur.
Guilhelmus Maßiliensis,	Gallus.	Lib. 1. Innuitur, quòd ubi expositor.
Robertus Bridlyngton,	Anglus.	Lib. 1. Beati Dionysij Corinthiorum epis.

Nomina.	Nationes.	Libri. Scriptorum initia.
Bernardus de Rosergio,	*Tolosanus.*	*Lib.1.*
Ex Carthusianis monachis.		
Henricus de Hassia,	*Germanus.*	*Lib.1.*
Dionysius Rickel,	*Leodiensis.*	*Lib.1.Ecce puer meus electus.*
Iacobus de Paradiso,	*Germanus.*	*Lib.1.Libet præter ea quæ dicenda.*
Ex sacerdotibus profanis.		
Epiphanius de 12 lapidibus,	*Cyprius.*	*Lib.1.*
Ambrosius de 7 tubis,	*Romanus.*	*Lib.1. Tempus autem arbitror esse.*
Audilbertus commentator,	*Germanus.*	*Lib.1.*
Berengarius Turonensis,	*Gallus.*	*Lib.7.Beatum Ioannē Apostolū et Euang.*
Gilbertus Porreta,	*Brytannus.*	*Lib.1. Omnes qui piè uolunt uiuere.*
Petrus Commestor,	*Lombardus.*	*Lib.1.In medio Ecclesiæ aperuit.*
Robertus Polenus,	*Anglus.*	*Lib.1.Sopitam plerunq; concupiscentiam.*
Petrus Cantor Parisiensis,	*Gallus.*	*Lib.1.Apocalypsis hæc, Reuelatio dicitur.*
Bruno Herbipolensis,	*Germanus.*	*Lib.1.Apocalypsis Ioannis, ut Hieronymus.*
Andreas Archiepiscopus Cæsariæ.		*Lib.1.*
Arethas presbyter,	*Græcus.*	*Lib.1.*
Robertus Grossetest,	*Anglus.*	*Lib.1.Vidi in dextra sedentis super.*
Radulphus Lugdunensis,	*Gallus.*	*Lib.1.*
Ioannes Vuicleuus,	*Anglus.*	*Lib.1.Apostolus Paulus dicit:Omnes.*
Ioannes Hussius,	*Bohemus.*	*Lib.1.Cum finierint testimonium suum.*
Ioannes Puruey,	*Anglus.*	*Lib.1.Apocalypsis, quasi diceret: Non.*
Paulus Burgensis,	*Iudæus.*	*Lib.1.Licet opinio expositorum sit.*
Ioannes Andeuer,	*Anglus.*	*Lib.1.Oportet te iterum prophetare.*
Georgius Chadley,	*Anglus.*	*Lib 1.*
Ioannes Tynmouth,	*Anglus.*	*Lib 1.*
Anonymus quidam,	*Anglus.*	*Lib.1.Nunquid ad præceptum eleuabitur.*
Iacobus Stralen,	*Germanus.*	*Lib.1.Vidit Iacob in somnis scalam.*
Anonymi Postilla in Apocalypsim.		*Lib.1.Apocalypsis hæc inter reliquos.*
Anonymus adhuc alter,	*Anglus.*	*Lib.8.Diuersos marina discrimina.*
Ex Carmelitanis fraterculis.		
Ioannes Bacontborpius,	*Anglus.*	*Lib.1.Apocalypsis Iesu Christi, &c.*
Ioannes Titleshalus,	*Anglus.*	*Lib.1.Est autem Apocalypsis, Græcus sermo.*
Thomas de Illeya,	*Anglus.*	*Lib.1.Apocalypsis, reuelatio est.*
Ioannes Barath,	*Hannonius.*	*Lib.1.Ego Ioannes uidi ostium apertum.*
Ioannes de Vernone,	*Gallus.*	*Lib.1.*
Nicolaus de Alsentia,	*Germanus.*	*Lib.1.*
Ioannes Bloxham,	*Anglus.*	*Lib.1.De apertione septem sigillorum.*
Ioannes Elinus,	*Anglus.*	*Lib.1.Secundum Isidorū Etymologiarū lib.*
Robertus Iuorius,	*Anglus.*	*Lib.1.In Ecclesiastica historia Ioannem.*
Ioannes Tylueye,	*Anglus.*	*Lib.1.Septem Ecclesijs in Asia specie.*
Ioannes Thorpe,	*Anglus.*	*Lib.1.*
Henricus Vuichyngham,	*Anglus.*	*Lib.1.Apertum est templum Dei uiui.*
Ioannes Aegidius,	*Gallus.*	*Lib.1.Apocalypsis, &c. Ioanni Euangel.*
Ioannes Haynton,	*Anglus.*	*Lib.1.Beatus qui legit uerba proph.*
Claudius de monte Martyrum,	*Gallus.*	*Lib.1.*
Ex Augustinianis fraterculis.		
Augustinus de Anchona,	*Italus.*	*Lib.1.*

Nomina.	Nationes.	Libri. Scriptorum initia.
Iordanes Saxonius,	Germanus.	Lib. 1.
Bertrandus Parayte,	Tolosanus.	Lib. 1.
Simon Baringuedus,	Tolosanus.	Lib. 1. Scio tribulationem tuam, quia.
Thomas de Stureya,	Anglus.	Lib. 1. Vidi Angelum Dei per medium.
Augustinus de Roma,	Italus.	Lib. 1.
Philippus de Mantua,	Lombardus.	Lib. 1.
Ioannes Capgrauus,	Anglus.	Lib. 1. Venerabili in Christo Domino.
Syluester Meuctius,	Venetus.	Lib. 1. Pro maiori intelligentia subsequi.
Alterius generis Eremitæ.		
Theolopherus Cusentinus,	Thebanus.	Lib. 1.
Ricardus Hampole,	Anglus.	Lib. 1.
Ex Dominicanis fraterculis.		
Iordanes Botergius,	Alemanus.	Lib. 1.
Thomas Aquinas,	Apulus.	Lib. 1. Vox Domini præparantis ceruos.
Stephanus Burgundius,	Gallus.	Lib. 1.
Hugo Barchinonensis,	Catalanus.	Lib. 1. Asser, pinguis panis eius, & præbebit.
Albertus Magnus,	Germanus.	Lib. 1. Confitebor tibi pater Domine cœli.
Guilhelmus Peralt,	Gallus.	Lib. 1. Spiritu magno uidit ultima.
Stephanus Bisuntius,	Gallus.	Lib. 1.
Nicolaus Gorham,	Anglus.	Lib. 1. Liber iste diuiditur in tres partes.
Bernardus de Trilia,	Narbonensis.	Lib. 1.
Paganus Bergomas,	Lombardus.	Lib. 1.
Alnardus de Caturco,	Tolosanus.	Lib. 1.
Christophorus Molbusen,	Germanus.	Lib. 1.
Ioannes Meydenburgus,	Germanus.	Lib. 1.
Ioannes Cransben,	Germanus.	Lib. 1.
Fridericus de Venetijs,	Venetus.	Lib. 1.
Ioannes Annius,	Viterbiensis.	Lib. 1. Beatus qui legit & qui audit.
Hieronymus Sauanorola,	Italus.	Lib. 1.
Sanctes Pagninus,	Lucensis.	Lib. 1.
Ex Franciscanis fraterculis.		
Alexander de Hales,	Anglus.	Lib. 1.
Helias de Hannibalis,	Italus.	Lib. 1.
Petrus Ioannis,	Gallus.	Lib. 1. Erit lux lunæ, sicut lux solis.
Ioannes Vualleys,	Anglus.	Lib. 1. Legimus apud Eusebium in Eccl.
Petrus Aureolus,	Tolosanus.	Lib. 1. Nunc accedit quartus liber.
Henricus Costesay,	Anglus.	Lib. 1. Ecce descripsi eam tibi tripliciter.
Et idem Henricus,		Lib. 1. Quod uides, scribe, Apocal. primo.
Nicolaus Lyranus,	Anglus.	Lib. 1. Oportet te iterum prophetare.
Idem Nicolaus, Moraliter,		Lib. 1. Apocalypsis, &c. Sicut dicit.
Astesanus Astensis,	Lombardus.	Lib. 1.
Guilhelmus Herbert,	Anglus.	Lib. 1.
Bernardinus Senensis,	Italus.	Lib. 1. Beatus qui legit & qui audit.
Theodoricus Andreæ,	Tolosanus.	Lib. 1.
Ioannes de Rupe scissa,	Gallus.	Lib. 1.
Ioannes Edæus,	Anglus.	Lib. 1.
Matthias Doringus,	Germanus.	Lib. 1.
Franciscus Titelmannus,	Hassius.	Lib. 1. Superioribus diebus, eruditissime.

Nomina.	Nationes.	Libri. Scriptorum initia.
Tacitus Zegerus,	Germanus.	Lib.1. Optimo iure mihi suspiciendus.
Ex neotericis Scriptoribus.		
Martinus Lutherus,	Germanus.	Lib.1. Varias prophetias inuenimus in.
Sebastianus Meyer,	Bernensis.	Lib.1. De libri Apocalypsis cum authore.
Georgius Aemilius,	Mansfeldensis.	Lib.1. Mira quædam inest auiditas.
Franciscus Lambertus,	Auenionensis.	Lib.7. Israelitis à Mose Dei lege conscriptū.
Conradus Pellicanus,	Sueuus.	Lib.1. Seruatori nostro Iesu Christo.
Ioannes Caluinus,	Gallicè.	Lib.1.
Melchior Hofman,	Germanicè.	Lib.1.
Conradus Hensel,	Hassius.	Lib.1.
Gregorius Cœlius,	Pannonius.	Lib.1. Multis olim, nec dubijs modis.
Petrus Artopœus,	Germanus.	Lib.1. Pro consolatione afflictæ nostræ eccl.
Theodorus Bibliander,	Heluetius.	Lib.1. Expendamus breuiter ultimum.
Claudius Guillaudus,	Gallus.	Lib.1.
Ioannes Functius,	Norimbergius.	Lib.1.
Geruasius Scholasticus,	Argentinensis.	Lib.1.
Henricus Bullingerus,	Heluetius.	Lib.1. Prophetæ Dei ueteris Testamenti.
Guilhelmus Postellus,	Gallus.	Lib.1. Non solum qui primus & ultimus.
Ioannes Gagneius,	Gallus.	Lib.1.
Ioannes Malter,	Germanus.	Lib.1.
Fernandus de Corduba,	Hispanus.	Lib 1.
Osuualdus Berus,	Heluetius.	Lib.1.
Ioannes Leonardus,	Pedemontanus.	Lib.1. Cum parte Apocalypsis, &c.
Paulus Scalichius,	Croatus.	Lib.7 Diuersa sunt Dei dona, &c.
Ioannes Baleus,	Anglus.	Lib.3. Tam necessaria, Christiane lector.

FINIS.

OPTIMIS ET CHARISSIMIS IN CHRISTO FRATRIBVS, VIRIS PIETATE ET doctrina præstantibus, Alexandro Alesio & Ioanni Knoxo, Ioannes Baleus Anglus S. D. P.

Cum maioris Brytanniæ scriptores hactenus persecutus fuerim, ut opus inchoatum pertexerem, quæ cum hoc meo instituto coniuncta sunt, decreui attexere. Itaq; finitimos Scotos mihi tractandos & percensendos uideo: quos non potui præterire silentio, si qui in ea regione clariores illustrioresq; extiterunt. Etenim cum Angliæ contermina sit & uicina Scotia, uisum mihi est, utramq; limitibus confinijsq; propè contiguam, in hac recensione ac recitatione authorum amicè coniungere. Aluit enim hæc natio quoq; ingenia præstantissima, multisq; uiris excellentibus fœcundã olim fuisse constat: etsi in lucem eorum opera non ita multa emanarint. Hanc partem ad uos, optimi fratres, mitto: Catalogum nimirum Scriptorum qui in uestra Scotia aliquando innotuerunt: non ut ego uos in patria uestra doceam, homo alienus & hospes: sed ut beneuolentis animi aliquam testificationem quasi monumentum edam, ut intelligatis quid animi de uobis habeam, & quo affectu uos quantumuis disiunctos & absentes prosequar. Fuit enim mihi iam ante aliquot annos necessitudo uetus cum utroq; uestrûm: quã quotidianis et mutuis officijs corroborare magis ac magis, & subinde crebris literis quasi tesseris obsignare debemus. Sic enim excitatur, uiuit & crescit amicitia.

Quod sæpe & diligenter factitatum abs te recordor, Alexander dulcissime, nõ in Anglia modò, sed & in Hybernia, cum Eduuardi sexti regis sanctissimi iussu, Ossoriensis episcopus uerbi diuini ministerio uacarem: quo tempore memini te frequentibus amantissimisq; scriptis me consolari solitum fuisse, & ad perseuerantiã aduersus horrendum Romanæ urbis monstrum doctissimè animasse. Hortabaris etiam tum, pro tua singulari prudentia, cum pari humanitate coniuncta, ut ex ipsis Antiquitatum penetralibus, quas habebam, et incognitis orbi historijs, quas in Anglia reconditas eruissem, Ecclesiæ causam pro uirili iuuarem: fidelissimisq; fratribus in eo negotio gnauiter industrieq; uersantibus, opem qualecunq; ac suppetias adferrem. Huc inuitauit etiam uir optimus & nobilis, Gasparus à Nydbruck, iurisconsultus, ac illustrissimorũ regum, Ferdinandi nunc Cæsaris, et eius filij Maximiliani Bohemorum regis consiliarius. Equidem uestris consilijs acquieui, & hactenus enixus sum pro talenti exigui modulo, quæ in tenebris extremaq; caligine, in angulis secretissimisq; bibliothecis iacuerunt, inuestigata & perquisita in medium apertumq;, quoad eius fieri potuit, producere. Quis enim illum conatum tantorum uirorum non promouere, non omnibus modis prouehere debet?

Intellexi enim, à uiris eruditione & pietate rara præstantibus, D. Matthia Flacio Illyrico, Ioãne Uigãdo, Matthæo Iudice, Basilio Fabro, alijsq; Ecclesiæ ministris,

nistris, magnum Ecclesiasticæ historiæ opus fœlicissimis auspicijs adornari, cui simile ab ipsis Apostolorum temporibus nullum extitisse, exceptis illis ipsis Apostolicis actibus, non sine causa iudico. Quibus utinam usui & subsidio esse posset meus hic labor tenuis: imò non scriptorum solum opem illis opto, sed etiam adiumenta et adminicula principum, qui beneficentia sua frigidam, quod aiunt, suffundant, calcarq; addant currẽtibus. Ego sanè eam ob causam festinaui in his Centurijs, uitisq; Ro. Pontificũ absoluendis, quibus multa addidi. Quod & libentissimè in eorũ gratiam feci, & facere adhuc studebo, ut mundus tandẽ aliquando clarè perspiciat, quid lux, quid tenebræ sint: deniq; quid obliquũ & rectũ, quid sacrum atq; prophanum, planè discernat: ne nimirũ fascinatus & dementatus porrò pergat delirare.

Tuæ autẽ humanitati gratias habeo, Alesi charissime, qui me officij mei hac in parte admonueris, & laborantẽ uel plausu tuo uel hortatione incitare uolueris. Quare tibi non immeritò has primitias nostri in Scotica historia laboris offero, uelu ti à quo permotus et exuscitatus fuerim nõ semel, ut hoc uel aggrederer, uel absoluerem. Nec mihi excidit illa Londini inita tecum noticia, sub Henrico eius nominis octauo Anglorum rege inuictissimo, cum tu quasi fortis athleta cum acerrimo aduersario Stokislæo digladiareris, qui tum Londinensis episcopus fuit, generosissimo ac pio Mecœnate Domino Cromvuelo tuam causam approbante, & patrocinio suo propugnante.

Te uerò Knoxe, frater amantissime, coniunxit mihi Anglia & Germania: in primis aũt, doctrinæ nostræ in Christo Domino fraterna consensio. Nemo est enim qui tuam fidem, constantiam, patientiam tot ærumnis, tanta persecutione, exilioq; diuturno & graui testatam, non collaudet, non admiretur, non amplectatur. Et, ut pergas diuinum talentum ad Christi gloriam conferre, & ad Ecclesiæ cõsolationem conuertere, etiam atq; etiam te rogo. Cæterùm, de uestris laudibus non est cur multis hic agam, quas scio notiores esse quàm ut frigida prædicatione mea indigere uideantur. Quod uobis dedico uestros, gratum erit: nisi uestræ humanitatis opinio, quã concepi, me fefellerit. Qualecunq; sit, ex animo sanè bono et amico profectũ est.

Paucos quidem esse scriptores à me citatos fateor, septuaginta et sex scilicet: nõ quòd non fuerint plures, sed quod mihi extero homini non perinde sint noti. Nec enim unquam in Scotia fui, nec eorum uidi bibliothecas: sed ab externis accepi, quicquid hic adductum est. Cogitabam sanè in Scotiam proficisci, sed in ipso itinere aliò me uertit Dominus: dum à piratis spoliatus, immaniterq; tractatus, ac in Germaniam post multa pericula ac magnam uim deuectus sum, tandemq; precio soluto dimissus. Itaq;, si quid erratum est, ueniam peto, non negligentiæ, sed infortunij: non uoluntatis, sed casus. Dominus, Ecclesiæ suæ sponsus, & uestra negotia fortunet, & spiritus dirigat, ad gloriam sui nominis: omniaq; nostra opera per se prophana sanctificet & consecret,

Amen.

IOANNIS

IOANNIS BALEI SVDOVOLGII, ANGLI, DE SCRIPTORIBVS BRYTANniæ, Scotis & Hybernis, Centuria decimaquarta.

SCOTIAE DESCRIPTIO, EX PAVLO *Iouio episcopo Nucerino, de imperijs ac gentibus cogniti orbis.*



COTIAM ab reliqua omni Brytannia, quæ Anglia nunc dicitur, Tuedo amne, Cheuiotaq; monte, & diuersis duobus æstuarijs regni nomen obtinuisse docuimus. Ea, in Septentrionis parte ad Orchadas uergit, triploq; Anglia minor existimatur, quòd aduersis utrinq; pressa extenuataq; littoribus, enormi & ualde oblonga ceruice in orientem promineat, uti ex Ptolemæi tabulis apparet: quanquã Tacitus Brytanniam bipennis formę persimilem tradat. Atq; ideo Scotia nihil ad orientẽ solem incuruata flexu littorum extendi uideatur: sicuti eam Germanos pictores, Taciti authoritatem secutos, in Ptolemæi libris expresisse conspicimus. Accepit autem nomen ab externæ, nec admodũ antiquæ gentis aduentu. Nemo enim è Latinis authoribus Scotorũ meminit ante Marcellinum, qui Iuliano Cęsari æqualis fuit. Neque satis constat, è qua primùm regione Scoti in Albionem traiecerint, quum uariantibus non Anglorum modò, uerùm & Scotorũ annalibus magna dubijs rebus obscuritas inducatur. Nam alij ex Hybernia, nonnulli ex Dania, Cimbricę Chersonesi, uel Gothiæ, Noruegiæq; peninsulis originem suam deducunt. Nec defuere, qui ex Hispania classibus aduectos existimarẽt. & impudenter Scoticæ stirpis nomen à Mose ipso, ac Aegyptijs ementirentur: idq; authore uiro Scoto, Hectore Boethio, qui insigni facundia, ac pari diligẽtia, perpetuam Scotorum Regum historiam, ad Iacobum eius nominis tertium deduxit. Sed ab eorũ opinione, qui eos ex Hybernia aduectos arbitrantur, minimè discesserim.

Numerant autem Scoti ex incorrupta annalium memoria, abhinc mille amplius & septingẽtis annis, centum & quinq; Reges, à Fergusio primo ad Iacobum quintum, qui hodie (anno Domini 1542) iuuenis adhuc iam per uiginti & septem annos, nullis unquam externis aut intestinis bellis implicitus, tranquilla & maximè diuturna pace perfruitur. Is à toto ualidi corporis habitu, & facie hilari, decora, ac ipsis tuẽdæ pacis artibus, spem nequaquam incertam bellicæ laudis præfert: ostendetq; se inde clarissimis factis ad laudem, nisi fata conceptæ uirtuti fœlicem cursum inuiderint. In his tot seculis, admirabile dictu est, quantum ambitio, regniq; cupiditas, secunda paucis, pluribus autẽ aduersa, exitiosaq;, ualuerit. Tres enim & quinquaginta Reges, aut bellica ui, aut procerum insidijs, crudeliter interempti referuntur. Exercuere siquidem ab initio Romana arma, Pictos subegere, sustinuere demum Danorum impetus: ac omni ferè tempore, quum à ciuilibus bellis ocium esset, cum Anglis de finibus contendere, tanta animorum contumacia, ut quum superbia atq; odio, nulla calamitate frangerentur, aduersis contusi prælijs, Edvuardo Anglorum regi sacramentum dicere & tributa pendere cogerentur.

Cæterùm Rex Donaldus, à Fergusio Scotorũ rege primo, si interiectos enumeremus, ordine uigesimusseptimus, quum diu & uaria quidẽ fortuna cum Seuero Cæsare dimicasset, primus è Scotis regibus Christianæ religio-

nis sacra suscepit. Primusq́ in Scotia, quum uenalia in humanos usus aliarũ rerũ permutationibus, aut aliunde importata pecunia, in foro & nundinis emerentur, aurum & argentum Scotica nota percussit. Sed præclarum Christianæ pietatis specimen supra cęteros præbuere, Guilhelmus, qui Ricardo regi Angliæ in Syriam ad expugnandam Ptolemaidem proficiscenti, Germanum fratrem cum lectissimis Scotorum copijs adiunxit, & Alexander eius nominis secundus, à quo maximè pio & liberali studio Ludouicum Gallię regem, eximijs ducibus, ualidisq́ Scotorum cohortibus adiutum ferunt: quum ille regum optimus atq́ sanctissimus, sacro etiam tum ardente bello, in Aegyptum ad Damiatam, transmarinam expeditionem, religioso admodum incœpto, sed aduerso exitu suscepisset. Sed post multa ex intestinis cædibus interregna, atrocesq́ multorum tyrannorum interitus, ad Stuardam domũ nutantis imperij nomen deuenit. Ea tum planè illustris, à præalta origine Danicam progeniem respiciebat. Facilè enim ad regium fastigium repentè euadentibus, uanitate quadam peregrinæ stirpis honos exquiritur, utpote quibus patria nobilitas, uti nullis innixa fabulis, obsolescat.

Stuardum enim eorum lingua senescallum, id est regij conuiuij magistrũ uocant, quem honorem eximię dignitatis apud Neapolitanos reges, à nobilissimis procerum expeti uidemus. Hoc enim præclaro officij munere, rex Malcolmus, animi uirtute memorabilis, Valterium generosum pariter atq́ impigrum ducem, oriundũ è Dania, uirtutis causa perornarat, quòd Valterius in Syria aduersus Saladinũ, insigni cum laude Christianis ducibus operam nauasset. Ita, ut eius dignitatis nomen, quod à posteris per manus exciperetur, in familiam adoptatum, facilè permanserit. Fuere autem è Stuarda familia, tres Roberti reges continua serie ad Iacobum primũ. Qui Roberto genitus, id nomen primus suscepit, tradiditq́ perpetua successione, Aegyptiorum regum more, quatuor ab ipso regibus, quibus id omnino fatale & prorsus infœlix extitisse uidetur. Iacobus enim primus, à coniuratis in cubiculo confossus interijt. At secundus, ipsius filius, diffracto uiolẽtia ignis tormento, metalli frustulis est discerptus. Porrò tertius, oppugnante parricida filio, iusta acie superatus, ad Sterlingum occubuit. Quartum autem, primi recta serie pronepotem, ingenti prælio ad Flodon superatum, Surreius interfecit: quũ Hauardus ipsius filius, imperatori patri in prima acie fœlicem operam nauando, uictoriam maturasset. Impulsu etenim Ludouici Galliæ regis, quum ab Henrico octauo in Morinis, ingentibus Anglorum & Germanorum copijs premeretur, Iacobus Angliam inuaserat rege destitutam, roboreq́ omni ueterum militum in continentem abducto, in tutela Reginæ Surreiq́ relictam.

Scoti siquidem Reges, mutuo commodo, Gallorum regum amicitiam obnixè colunt, repetitam usque à Carolo magno, cui Achaius rex amicissimus fuit, cõfirmatamq́ demum certis fœderibus à Dauide rege. Qui ab Anglis bello captus, eo tempore quo Ioannes rex Galliæ ductus in triumphum Londini aderat, raram Edvuardi fœlicitatem opportunè cumulauit, quũ in eius mensa insigni fortunæ ludibrio, captiui duo reges spectarentur. Peruetusta itaq́ consuetudine, quum Angli Scotiæ fines inuadunt, insigniq́ apparatu arma mouent, Scoti statim Gallorũ opibus confirmantur, pecuniaq́ in primis egregiè, ac item tormentis, armis, copijs, peritisq́ præsertim belli ducibus adiuuantur. Parem autem beneficij gratiam Scoti promptissimè referendam existimant, quum in continentem Anglorum copiæ traijciũt: in Anglicos enim fines penetrant, tumultuq́ hostili in Northumbria cuncta permiscent,

permiſcent, ut domeſtico belli metu, Anglorum aduerſus Gallos apparatus atq; impetus retardentur. Vnde illud non infacetè dictum Ludouici undecimi Galliæ regis, qui conceptæ inſaniæ opinionem admirabili ſæpe prudentia opportunè atq; fœliciter eleuauit. Quum enim Edvuardus infeſto animo in Galliam eſſet traiecturus, ſociorumq; legati à Ludouico amicè ſolicitéq; requirerent, ut oppida ad Samorabrinam amnẽ, uti hoſti expoſita, diligentius permuniret, ad ueteres munitiones ſe uallum probè ualidum atque denſiſsimũ adieciſſe, reſpondit. Muſſantibus porrò legatis, qui nihil tale factum aut cogitatum quidem nouerant, atq; itidem ut publicæ ſaluti proſpiceret ſuadebant, quòd negligentia eorum qui extruendo operi munus ſuſcepiſſent, nihil omnino eſſet additum, ſubridens: Contendite (inquit) in Scotiam, ſi aggeres meos uidere concupitis. Quòd intelligi uellet, Anglos, ſi à fronte in aliena terra bellum quærerent, domi protinus, qui terga cæderet, à Galliaq; retraheret, proprium & uerum hoſtem habituros.

Datur autem honoris cauſa ob eximiã fidem Scotis militibus, ut eis Galliæ reges corporis cuſtodiam, ſalutemq; ſuam committant. Vt hinc quoque pernobili ſpectatę conſtantiæ argumento opportunas arces, uti Mediolani uidimus, Scotici præſidij tutelæ demãdatas, minimè miremur. Alunt & Galliæ reges Scotorum alas, earumq; præfectos in honore habẽt: uti nuper Eberardum Obigninũ, à nobis in hiſtorijs alterna ludẽtis fortunæ cum laude poſteris narratũ: atq; item Ioannem Stuardum Albaniæ regulũ, qui uirtutis eximię teſtimonium, dum Gallis militaret, in Italia reliquit. Robertum quoq; cùm ſua tum Eberardi patrui uirtute, bello illuſtrem, inter Gallorum duces ætatis authoritate facilè primũ, militiæ incõmoda egregiè adhuc ferre audimus. Scotiæ regibus eadẽ ſunt iura ac imperia, in ſacerdotes, proceres, & minorum gentium claſſes, quæ apud Anglos uigere meminimus. Vtriſq; enim eſt eadem ferè lingua, nec leges omnino diſsimiles: quanquã Angli municipales, Scoti autem ciuiles magis reſpiciunt. Paria quoq; exigũtur uectigalia, atq; una omnino cogendi alendiq; exercitus conſuetudo: ſed Angli reges pecuniam, Scoti uerò militẽ imperant, uerùm in conſcribendo eadem delectus cura ſeruatur. Scoti quoq; hiſdem utuntur armis: ſed ſagittarum uſus crebrior apud Anglos, quod nuper tradẽtibus Gallis ſclopetto uti didicerint. Raros autẽ equites, ſed eos eximię uirtutis, in eorum acie conſpexeris. Deſilire enim ab equis, æquare uitæ pericula, & communicare ſpem laudis, uel ipſi etiam reges ſolent: recentiſsimo Iacobi quarti exemplo, qui pedes pugnando, aduerſis uulneribus confoſſus occubuit.

Pugnaciſsimi autem milites exiſtimantur è Laudonia, quæ Pictlandia dicitur, antiqua ſcilicet Pictorũ ſedes: Anguſiaq; item, & Fifa, quòd eæ regiones Anglis ęternis hoſtibus maximè ſint propinquę. Suſpecta enim utrinq; arma, ipſos finium cuſtodes plurimum exercẽt, uti nũquam inter eos firma pace, dubijsq; ſemper inducijs, & ad mutuas inſidias concitante odio, quod nulla regum amicitia, uel cognatione, aut fœderum tabulis, minimè reſtingui poſſe perſuaſum habent. Armatura porrò, ueſteq;, & reliquo cultu, Gallos imitantur, quorum amicitiam mutuis commercijs colunt. Epularum autem copia, edacitateq; noſtris hominibus penè incredibili, Anglos antecedunt, uerùm nequaquam erudito gulæ ſtudio. Protracta in integras noctes conuiuia exercent. Sed certè frigidior cœli plaga uoracitatem excuſaret, niſi uaria ſaporum irritamenta, ſupra ſatietatem inexplebili quadam ingluuie peterentur. Quamobrem neceſſe eſt, ut fœminæ continuis redundantiæ uitijs confectæ, amiſſo flore illo ualde præcipiti, puellaris

ætatulæ, aniles statim atque insuaues induant uultus, & firmissimorum etiam uirorum robora citissimè dissoluantur. Hoc etiam immoderato conuictus sumptu, plerique deuoratis patrimonijs, ad tantam rei familiaris inopiam rediguntur, ut ab obuijs stipem emendicare non pudeat, quòd agrum colere, aut sellulariam exercere artem, honesto loco natis indecorum arbitrentur: usq; adeò, ut plerique latrocinijs & furtis sese alere, nullo pœnæ metu æquissimum putent.

Sed eam gulæ intemperantiam plurimùm adauget obsoniorum immensa fertilitas. Nulla enim toto orbe regio, uel altilium, omnisq; generis uolucrum & ferarum, quæ aucupijs atq; uenatione parantur, ubertate copiosior. nulla fluminibus, æstuarijs, lacubus, & toto deniq; Oceani littore piscosior. nulla maioris, minorisq; pecoris carnibus abundantior. Quæ adeò delicatæ sunt, ut ferinis præferantur, & plures bubulæ summam saporis dignitatem attribuant. Et hæc etiam adeò uili precio constat, ut obesi singuli boues, sine tamen tergore, singulis sæpe aureis coemantur. Tanta autem ubique uenatio sese offert, ut uel recta & quotidiana conuiuia, tripertitis cœli ac terræ marisq; ferculis onerentur. Maximè etenim aucupijs atque uenationibus student, nec his eximiæ sagacitatis & roboris canes desunt. Reperiuntur enim ualde proceri ferocesq;, qui herum uel contra armatos hostes egregiè tuentur, quum admirabili ingenio fideq; depugnent. His etiam innata uis est humanæ propè solertiæ, ut sicariorum, maleficiorumq; hominum uestigia sectari, eosq; latebris ad pœnam eruere soleant. Neq; ulli uel regulo fas est, quæritantibus fores obijcere, ut noxius ad alienam iniuriam abscondatur. Allatrant enim, ianuam que unguibus pulsant, & tanquam magistratuum apparitores, iusticiæ nomine sibi uel interiora cubicula pandi iubent.

Iura enim solidæ pacis rex iuuenis Iacobus quintus egregiè tuebatur, Anglorum & Gallorum affinitate ac amicitia stabilitus. Quum Henricus Octauus Angliæ rex, sorore genitum territis semper Scotorum regulis, qui ad imperium aspirarent, constantissimè foueret: atque quum postea Franciscus rex Galliæ, tradita in matrimonium Magdalena filia, sibi generum asciuerit, uniuersæ porrò Scotiæ regiones, atque urbes, lacus, flumina & portus singillatim enumerasse, ipsius Boethij muneris fuit. Qui curiositate & diligentia, amore patriæ dignissima, nihil intactum, & sine laude, uel in aspretis atque paludibus reliquit: nos pro instituto, nobiliora tantum attingemus. In Laudonia urbs est Edinburgus, Scotorum regia, senatusq; sedes, cincta mœnibus & arce, quæ ab asseruatis sibi puellis nomen ducit, ualde insignis. Alluitur autem Forthea amne, excipitq; ab eiusdem nominis æstuario, nauigia ab orientali Oceano, in frequentissimum portum uix mille passibus ab urbe distantem, ubi Hæmonia est insula, hodie Columba dicta. Vltra Fortheam, in cuius ostio conspicitur castellum Dumbar, Fifa regio occurrit, insignis sancti Andreæ urbe, sacrorum primatu, & gymnasij authoritate, portuq; clarissima, cui hodie (anno Domini 1542) præest Dauid Betonius, purpurei galeri dignitate ac ingenij grauitate illustris. In latere autem lacus est, copia capturaq; piscium celebratus.

Nam in Scotia multæ ingentes & piscosissimæ quidem paludes numerantur, quarum maximæ sunt Laomunda, sub Grampio monte in Oceanum decurrens, & Fincia in Argadia regione, insulis, arcibus, & frequentibus ædificijs memorabiles. E Fincia in proximum agrum enatasse memorant prægrandem belluam, molosso phocæque persimilem: quæ cum obuijs

obuijs forte uenatoribus ingenti detortæ caudæ ictu crura perfregisset, prodigio locum fecit: quoniam non multo post Iacobus quartus, cum multo maxima nobilitatis parte, ab Anglis acie cæsus, insignem Scotiæ luctum attulerit. Ad Fifam Angusia, dicta olim Horestia, sequitur, Thao amne longè omnium totius Scotiæ maximo celebris: cuius, seruato adhuc prisco nomine, Tacitus meminit. Oritur ex monte Grampio, Iulij Agricolæ uictoria nobilitato. is hodie Granzebenus appellatur: id est, eorum lingua, incuruus & asper. Defertur autem Thaus in æstuarium, ubi urbs, olim Alectum, à rege demum Dauide religionis causa, Deidonum appellata. Introrsus uisitur Perthum, in eiusdem Thai multis iam torrentibus adaucti ripa ædificatum, quod à templo diui Ioannis, nouum postea nomen quæsiuit. Nec à Pertho multum distat Scona oppidum, antiquis ceremonijs celebratum, quum solenni admodum pompa Scoti reges ibi coronentur. Hæc in Noruegiam spectant. Succedit autem Marria, quæ ad extremam insulæ partem extenditur, una prorsus Aberdonia urbe memorabilis, quæ inter Donam & Deam fluuios sita, propter gymnasium optimarum artium, portumque summæ opportunitatis, multarum gentium concursu frequentatur. Nec in ultima parte laudis posuerim, quòd Boethium, quem suprà citauimus Scoticarum rerum scriptorem aluerit.

Inde ultima Scotiæ littora cuneantur, efficiuntque promontorium Dounesbium, Ptolemæo Taruedunum, quod Deucalionico immenso mari obijcitur. Ab eo in Septentrionem, & mox horrido & maximè scopuloso littoris tractu, insulæ extrema reflectuntur: ab occasu autem, austroque pariter occurrunt, Cathanesia syluestris gentis, itemque Rosia & Morauia, Lornaque generosi ordei maximè ferax. Vbi promontorium Creanter, olim Ptolemæo Nouantium, quod longissimè prominet in Aquilonem, efficitque ingentem sinum, adeò castigatis introrsus terris, ut diuersa duo maria, non maiore quàm uiginti milliarium spacio, dirimantur. Inde amnis Cluda, à Tacito Glota nominatus, uasto æstuario in Hybernicum sinum decurrit, ad Dounbretum portum & emporium. In id enim Cantabri & Aquitani, ipsique presertim Hyberni, breuissimo sinu superato, cursum dirigunt. In ripa Cludæ, duodecim millibus passuum recedens à mari, sita est Glasquensis ciuitas, Archiepiscopatu & Gymnasio celebris, opulentaque item profluentis commoditate, quum à Dumbreto totum id spacium commeantibus nauiculis frequentetur. In eius agro aurifodinam inuenit Iacobus quartus, in qua & ille ex auraria gleba cyaneus puluis eruebatur, quem Azurium uocamus. emuntque pictores, uel mediocre æquato auri precio, ut in tabulis iucundissimum, nec facilè interiturum, sereni cœli colorem efficiant. Sed ea sectura demum exoleuit, cum rege uita functo, Quintus hic, qui hoc meo tempore regnauit, è fascijs hereditatem consecutus, nutriciorum incuria utilissimi operis cogitationem abiecerit.

Sequuntur & ordine in Austrum uerso, Nithdalia, in qua Dumfreus portus, lanarum in eo tractu præstantia celebratus, quarum tenuissimis uelleribus chirothecæ conficiuntur magnorum Antistitum, inter sacrorum ceremonias, manibus dicatæ, expetitæque plurimùm à delicatis mulieribus, ut digiti earum ab hyemis iniuria muniantur. Id lanarum genus, mirè coccum ebibit, & florentem ad tineas usque ultimas conseruat. In tergo Nithdaliæ, Cumbria patescit, propter gentis nobilitatem, Vualliæ Anglicæ facilè æquata: quoniam nemo Cumbris imperat, nisi legitimæ hæreditatis prærogatiua imperio destinatus. Inde succedit Anandia, & mox

 Gallouidia,

Gallouidia, Brigãtibus quondam possessa regio. In ea est paucis admodum stadijs remota à mari urbs, Candida Casa nomine uocata, insignis episcopatu opulento, & frequentia peregrinantium, qui religionis causa (horrenda bestialitas Romanistarum) ad diui Niniani templum, prodigijs illustre cõfluunt. Introrsus nõ longè ab Edinburgo, quod diximus, uisuntur & duæ urbes, frequentatæ regibus, Hadintona & Sterlingum.

Terra autem Scotica, in uniuersum ubertate culturaq; Anglicæ facilè cedit. Est enim pluribus in locis obsita saxis, arboribus glabra, passimq; obsessa palustribus aquis, adeò ut supra id quòd ferendis uitibus atq; oleis est infœlix, in ea etiam triticum in siliginem citò degenerat. Sed eam uini atq; olei inopiam, natura uarijs metallorum dotibus compensauit. Quandoquidem in uberrimos prouentus, si Reges liberali sumptu certam spem fodientium sustentent, magna uis eruatur argenti & orichalci, albiq; plumbi, & ferri. Reperitur & Gagates lapis, si bibatur cum aqua tritus, ad deprehendendam puellarum uirginitatem mirificus: mingere enim uitiatas statim cogit. Certisq; in uadis margaritas magnitudine insigni, sed quæ ruffescant, gibbosæq; sint, omnium rerum pater Oceanus abundè suppeditat. Conchæ enim, dum è profundo in summum tranquilli maris æquor sese attollunt, ut ore patulo cœlestem rorem excipiant, exquisita arte, magnoq; silentio ab urinantibus capiuntur. Eijcit & Oceanus in Scotica littora succinum, ab antiquis Electrum alio nomine dictum, quod nos hodie Ambram uocamus. Est id subflauum & odoratum gummi genus, omnino duplex: alterum igneo nitore translucidum, alterum pinguius, & in melleum colorem deflectens. Ex hoc fiunt corollæ, moniliaq; dicata ceruicibus puellarum, quòd tonsillis & anginis medeantur. Ex illo autem uarias imagines sculptura exprimi uidemus, quæ illigatæ auro, Emblematis & bullæ nomine, torques & militares pileos exornant. Id uerò ex spuma, sordicieq; maris, uel, ut plures produt, ex peregrinarum arborum lachrymis, excipiente cogenteq; eas Oceano durari.

Credibile est, in Glessarijs Germanici maris insulis, quæ à succino, Glessum earum gentium lingua uocato, nomen tulerint. Eius autem ingentem massam, in littore Scotico à pastoribus repertam, Boethius scribit. Quæ inscitia, agrestiq; libidine perfracta, & temerè cremata in odorem, priusquam à peritis nosceretur, magna ex parte perierit: quum ex ea, ut credi par est, immensi precij potoria uasa fieri potuissent. Fert, & non uno in loco, mirabilem glebam, in coquinarios usus opportunam. Quæ succensa, & candens, ligni modo nunc ardet, & cuncta commodissimè percoquit: hybernaq; cœnacula uapore complet, ab nullo nidore fumi algentibus periucundo. Cæterùm, Caledonia sylua, antiquis nota scriptoribus, quæ hodie Calendar appellatur, uasta sui magnitudine, è mediterraneis ad maritima, uarijs anfractibus se extendit. In ea, inusitati generis feras & uolucres esse tradunt, equos scilicet agrestes & indomitos, atque item tauros summæ feritatis leonum similitudine iubatos, bisontibus, quos Sarmatia gignit, populusq; Romanus aliquando in harena spectauit, toruitate aspectus non omnino dissimiles. Hi uestigia hominum, insidiarum metu, astutis sensibus deuitant: attrectatas'que fortè hominis manu frondes quum olfecerint, repentè profugiunt. Nec capti labyrinthis & foueis, ulla omnino pabuli copia placantur. Seruitutis enim contumeliam non diu ferunt: in ea'que mœsticia contumaci spiritu efflato, citissimè moriuntur. Tanta autem iracundia & robore uenatores inuadunt, ut eos nonnunquam

quam transfossos cornibus, euibratosque in sublime, crudeliter interimant. Subiisseque id uitæ discrimen, Robertum regem cognomento Brusium, annales memorant: quum pro salute Regis, quidam e comitatu eius longe promptissimus, irruentis feræ impetum obiecto corpore, ad dubiam mortẽ excepisset. Scatent & nemora nigris pauonibus, qui puniceo supercilio, & leporinis ferè pedibus anseris magnitudinem implent, triplicique pulparum seriè sapidissimi existimantur. Occurrunt & Bustardę olorum amplitudine, quas Plinius aues tardas uocauit. Celebrantur & Solandæ aues, aquilæ marinæ persimiles. Quæ adeò fœliciter piscãtur, ut quum è profundò optimos quosque pisces miro delectu rostris corripiant, ad nidosque pullorum deportent, magnam prędæ partem hominibus, id cum uoluptate spectantibus, benignè largiantur. Suppeditentque item ligna coquendis piscibus, quum nidos è uirgultis & surculis, ciconiarũ more, in præaltis cautibus constituant. Visuntur & castores fibri, Ponticis pares: itemque nobiliores martę, id felium & uiuerrarũ est genus: quorum animalium pellibus, mollicie læuoreque prestantibus, principum uestes sulciuntur. Fuere & qui crederent, quarundam arborum folia, quum in mare deciderent, occulta quadã Oceani potestate in anates aues conuerti. Sed ea miracula regionis, euulgata in remotas gentes, aut falsa omnino, aut certè minora uero, uel curiosus & indefessus uiator inueniet. Quod alij atque alij populi ad ulteriores semper admirabiliũ rerum famam facile transmittant, adeò ut irrita spe talia quærentium, quum extremæ terræ itinera pariter, uotaque hominũ finiant & eludant, in longinquas & ab orbe nostro penitus diuisas insulas, nusquam uisa, nec certa narrantiũ fide audita, miracula referantur.

FINIT SCOTIAE DESCRIPTIO,
per Paulum Iouium.

IOANNIS BALEI SUDOUOLGII, ANGLI, DE SCRIPTORIBVS BRYTANNIAE, Scotis & Hybernis, Centuria decimaquarta.

FERGVSIVS ILLVSTRIS. I.



ERGVSIVS Illustris, primus Scotorum rex, quem aliqui ex Dania, alij ex Hybernia prodijsse commemorant, uir magnanimus, & rei militaris sciẽtissimus, multa cum potentia rerũ apud illos gubernaculis præfuit. Qui peragrans primùm regni sui limites, diuisiones ac schismata consopiuit, periculosas hominum factiones remouit, & publicos hostes patria profligauit. Posteaque regnũ illud munire & ornare satagens, uillas, urbes & castra, sapienter hinc inde cõstruxit, ac subditas sibi gentes in fortitudine manus suæ potenter defendit. Vnde post multas ab inimicis per mare terramque uictorias & triumphos, populum antehac à tyrannis oppressum, ad tranquillitatem ac pacem restituit, & cum utilitate magna rempublicam suam administrauit. Scotici annales Fergusium istum tradunt, postquam in Brytãniam uenisset, agmini in signa dedisse leonem rubrum, quibus in hunc usque diem Scotorum reges utuntur: & ob res fœliciter gestas, primum omnium à sua gente regem esse dictũ anno mundi conditi 3652, & ante Christum incarnatum 318. A' quo, eius terræ scriptores, sua incipiunt Chronica, 273 annos ad Iulij Cæsaris imperium, & 45 ad

ad Christum usque numerantes. Quum autem prædicta omnia insigni labore compleuisset, magnoque sumptu firmasset, flagitia populi pro uiribus emendans, æquissima iura instituit, simulque publicauit

Politicas leges, Lib. 1.

Super reliquis eius factis, Hectorem Boethium, Balantinum, Maiorem, & alios rerum Scoticarũ consarcinatores quære. Obijsse fertur, anno à mundi origine 3678. & ante Seruatoris aduentũ in carnem 292, ac regni sui 25, Berigonij sepultus, Eleazaro existente Hebræorum pontifice.

DORNADILLA MARINIVS. II.

DOrnadilla Marinius, Scotorum rex quartus, ac Marini prædecessoris etiam regis filius fuit, qui suscepto mox post patris mortem eiusdem regni imperio, nouũ statim per legatos cum Brytannis & Pictis, benignus princeps inijt pacis fœdus. Amicam enim concordiam bellis longè anteponens, modestissimus homo, ut nocentissimã pestem, omne dissidiorũ genus declinasse, & in illis quæ ad tranquillam uitam attinebant apprimè delectatus esse scribitur. Venationes, uenatoriosque canes, ob corporis exercitationem, & pro uitãdis inutilibus ocijs, post cibos & gentilicia sacra, in magnis ille, cum saltem à publicis regni negocijs uacaret, frequenter habebat delicijs. Et quum hæc ita fierent, Iuallus, uel alio nomine Elanius dictus, quem Hector Boethius Elganum appellat, monarchiam apud Brytãnos gessit, ac Thaara apud Pictos. Rex iste Dornadilla, post edita quædam statuta tabularia, Fergusij prędicti legibus adiuncta, tanquam alter Artaxerxes composuit, ad suæ posteritatis usum,

Leges uenatorias, Lib. 1.

Has apud Scotos in hunc usque diem inuiolatas seruari, fatentur omnes Scoticarum antiquitatum annotatores. Obijt circa annum à mũdi creatione 3751, & ante Messiam natum 219, regnique sui 28, Berigonij humatus, Onia summum sacerdotium Iudæorum tenente.

REVTHA NATHACIVS. III.

REutha Nathacius, septimus Scotorũ rex, ac Prouidus cognominatus, Reutheris regis frater, & Nataci tyranni iunior filius fuisse creditur, regnique habenas post utriusque mortem prudenti moderamine tenuit. Modestissimus hic princeps, cum esset æquitatis & iusticiæ ualde strenuus sectator, nihil intermisit eorum quæ uel ad regni decorem, uel ad reipublicæ utilitatem spectarent. Simulque inter alia eius generis negocia, medicinæ nouũ pro populi sanitate usum, salubriter adinuenit: & ut uirorum fortium, à Scotici regni initio, gesta colligerentur, prospexit, ordinauit, instituit. In fine etiam literarum characteribus in sua lingua commisit,

Medicamentorum canones, Lib. 1.
Historiam suæ gentis, Lib. 1.

In quibus exemplum illustri & cordato principe dignum exhibuit. Fato ille absumptus est, circiter annũ à mundi initio 3795, atque ante filij Dei incarnationem 175, & suę gubernationis anno 17 in sua terra sepultus, Menelao Iudæos sacerdotio fraudante.

IOSINA THEREVS. IIII.

IOsina Thereus, Scotorum rex nonus, optimus certè inter gubernatores ethnicos princeps erat, qui & pacem per omnia & ubique quæsiuit, tam à Brytãnis quàm à Pictis, gentibus sibi propinquis. Et quoniam adhuc puer, ob uarias ægritudines, apud medicos olim atque chirurgos in Hybernia nutritus & educatus extiterat, eos præ multis alijs hominum generibus deinceps

ceps honorauit. Ex mera pariter in plebem pietate, hoc fecit benignus rex, cum esset naturalium causarum studiosissimus. nam uiderat ex illarum ignoratione perijsse quamplurimos homines. Gentilium quoque sapientibus ac philosophis, potissimũ Druydibus, quos Scoti Durcerglios tunc uocabãt, opportunas & idoneas mansiones, atque alia quæ ipsis usui essent, parari affatim fecit, ut nobiliũ liberos disciplinis ac moribus liberaliter informarent. Cæterùm, quia unius Dei opt. max. cultum, Druydes ipsi ex obiectis creaturis ac stellis persuaserãt, multa ueneratione est illos prosequutus. Physices interim peritus & ipse Iosina, pro morbis uulneribusque curandis contexuit

De uiribus herbarum, *Lib. 1.*

Pacificè post patris tyrannidem regnauit Iosina 24 annis: decessitque tum demum Berigonij, senex admodum, anno à seculi origine 3832, & ante Redemptoris ortum 138. sepulturamque illic accepit, Ioanne Hyrcano Iudæorum monarchiam administrante.

ETHODIVS PRIMVS. V.

ETHodius, eius nominis primus Scotorum rex, Mogalli regis ex sorore nepos, post eius mortem, princeps, ut author est Hector Boethius, bello ac pace clarus, domitis primùm Hebridianorum seditiosis, regnũ suum in bona pace gubernabat. Et ne senex post prælia, quæ cum Romanis ac Britannis gesserat, ignobili torperet ocio, uenandi ludum repetijt, quo fuerat à puero inter literas institutus: permagnam adhibens diligentiam, ne maiorũ ea in arte placita obliterarentur. Quum etiã à uenatu, temporis habita ratio ne uacaret, honestis uoluptatibus incumbẽs, cantandi modulandique peritos tibicines accersiuit. Et ut se demum, suamque gentem, super Romanorum, qui tunc in Britannijs erant, præsertim Auli Victorini (quem fracto Hadriani muro postea superauit) iniurijs atque contumelijs ulcisceretur, scripsit, ut & ipse ei quoque se auxiliarem præberet,

Ad Pictorum regem, *Epist. plures.*

Ediditque uenationum statuta aliquot, Dornadillæ legibus adiuncta. Tandem anno Christi 196, ac regni sui 34, cuiusdã Hebridiani tibicinis dolo, qui ei à cubiculis erat, per noctem strangulabatur, & in Euonij campo sumptu regio sepeliebatur.

PALLADIVS GRAECVS. VI.

PAlladius Græcus, primus Scotorum apostolus, Ioannis quadragesimi quarti Hierosolymorum episcopi discipulus olim fuit (ut author est Nicolaus Harlemius) dum adhuc eremi cultor, solitaria Syriæ loca, potissimè Carmelũ incoleret. Eius inquam Ioannis, qui ob Origenis allegoricum dogma, Hieronymi atque Epiphanij in se concitauit scripta: quibus tamen ipse sui studij rationem reddens, respondit se non Origenis fidem, sed ingenium esse imitatũ: ediditque librũ contra sui studij obtrectatores, & de institutione primorũ monachorum ad Caprasium librũ allegorijs plenũ, quẽ è Græco translatum uidi. Palladius uerò, ante Ephesinam synodum, à Cœlestino primo Rom. pontifice, anno Domini 431, in Brytanniam & Scotiam episcopus mittebatur, ut Pelagianam hæresim inde arceret, & ut sacerdotalem ordinẽ inter Scotos Romano ritu institueret. Habebãt antea Scoti suos episcopos ac ministros, ex uerbi diuini ministerio plebiũ suffragijs electos, prout Asianorum more fieri apud Brytannos uidebant: sed hæc Romanis, ut magis ceremoniosis, atque Asianorum osoribus, non placebant. Palladium nihilominus ferunt, suis concionibus pijs, à multis gentilium superstitionum maculis ecclesias illas purgasse, in hũc igitur diẽ usque Scotorũ Apostolus appella-

tur. Pontifex insuper bonus, gratus, & officij plenus (ut Polydorus habet) dum esset apud Scotos, omnibus precibus Constantinum eorum regem est dehortatus, ne uellet Anglos Saxones, gentem impiam, armis iuuare cōtra Brytannos, homines semper Christianos: quum certò scire posset, totius insulæ imperium eos quærere. Quæ admonitio ita Constantinum mouit, ut auxilia postmodū nonnulla Brytannis aduersus Anglos subministraret. Ad istum scripsit Cyrillus Alexandrinus, dialogum de adoratione in spiritu: & quòd lex, Euangelicæ uitæ umbra tantū, typusq; sit. Scripta quæ sequūtur, reliquit Palladius ad posteritatis usum,

Contra Pelagianos, Lib.1.
Vitam Ioannis Chrysostomi, Lib.1.
Homelias plures, Lib.1.
Epistolas ad Cælestinum, Lib.1.

Præter ea quę Grecè prius ediderat. Claruit anno uirginei partus 434 sub Cæsare Theodosio, & Constantino primo Scotorum rege. Et post pios tandem sudores ac religiosa exercitia, in Forduno Merniæ uico, fœlicem huius uitæ sortitus exitum, 18 calendas Ianuarij fatis concessit.

SERVANVS EPISCOPVS. VII.

SEruanus, Scotorum episcopus, & Orchadū apostolus primus, ex Scotis parētibus in ipsa Scotia natus, adultæ ætatis flore, studijs eruditis iuxtà ac pijs, animum uirtutibus dedicatum, applicabat. Et præceptores auido cursu suam lubenter ad id impendebant operam, ut optimæ indolis adolescens, illis altoribus, sublimium rerum fastigia tractim cōscenderet. Qui subinde singulari uir bonitate ac modestia præditus, dum præfatus Palladius in Scotiam, ut dictū est, apostolus ueniret, illius uestigijs, ut Euangelij causam eum eo unà promoueret, firmiter adhæsit. Qui ipsum postea perinde sanctū ac doctum inueniens, ad Orchades tandem cum Dei benedictione Apostolum misit, ut insulanos illos Christianæ religionis cultum doceret. quod & studiose fecit. Kentigernum, natione Brytannum, inter alios multos discipulum obsequentissimum habuit, qui & ab eo doctus, apud Orchadianos & alias finitimas illis gentes, fideliter in uitæ uerbo laborauit. Congessit Seruanus, ut Hector Boethius in Scotorum chronicis refert,

Ad Orchadianos illos, *Epist. plures*.

Cætera eius scripta, quæcunq; illa fuerint, nobis huc usq; incognita manēt. Claruit anno à Christi natiuitate 440. Sed ubi, aut quo tempore obierit mortem homo sanctissimus, apud eius terræ scriptores nondum inuenio.

TERVANVS PONTIFEX. VIII.

TEruanus etiam, testante Boethio, Scotorum episcopus, Seruani prædicti socius, & Palladij, statim post eius in Stotiam aduentum, fidelis discipulus, Apostolicæ doctrinæ negotium pariter cum illis pro uirili sua prouexit. Quem idem Palladius, peragratis primùm cum dicto Seruano, in diuini pastus administratione, Scotorū prouincijs, ad Pictos apostolum per manuum impositionem, sicut ad Orchadenses prædictum Seruanum, destinauit, ut pias apud eos Niniani Brytanni in Domini uinea plantationes irrigaret. Vbi cum omni sedulitate ac fide, officiū peregit, quod ipsi impositū à tanto doctore fuit. Erant enim Picti, partim rudes, partim Pelagiana labe infecti, deerantq; eis rectè uiuendi exempla, unà cum admonitionibus sacris. Intentus ergò operi, non tantum prædicabat, sed & exarabat quoq;,

Exhortationes quasdam, Lib.1.

Atq; alia. Claruit anno Seruatoris in carnem uenietis 440. Vnde & rebus

tandem ritè dispositis, relictoq; fideli successore, fato ibidem concessit: sed quo in loco illic sepultus sit, apertè non inuenitur.

CAELIVS SEDVLIVS. IX.

CAelius Sedulius, natione Scotus, & conditione presbyter, homo ad literas natus, ab ineunte ætate, Hildeberto doctissimo Scotorũ archiepiscopo, ut Tritemius habet, non indiligenter discipulus adhærebat. Quo preceptore posteà defuncto, natale solum relinquẽs, Hispaniã, Galliã, Italiã, Græciam, & Asiam, ampliora discẽdi desiderio, ingenti itinere perlustrauit. Postremò post publicatas in Achaia regione, nõ sine multorũ emolumẽto, lecturas elegantes, Romã adhuc rursus reuertebatur, et multo sudore cõparatos doctrinæ thesauros, ubertim ac magnificè illic quoq; distribuit. Vir erat in diuinis scripturis exercitatus, ingenio preclaro preditus, & in secularibus literis eruditissimus, carmineq; excellẽs & prosa: eò usq;, ut in Decretis dist. 15 Gelasius pontifex uenerabilem Seduliũ illũ uocauerit, eiusq; non mediocri laude commendauerit scripta. Eius etiam preconia olim proferebant Paterius Gregorij Magni discipulus, ac Remigius Antissiodorensis in commentario super eundem Sedulium. Composuit antem Sedulius, in utroq; scribendi genere, tam carmine quàm prosa scilicet, opuscula plura, de quibus apud Bostonum Buriensem ac Tritemium subiecta tantum reperi. Ad Macedonium presbyterum opus insigne, iuxta seriem totius Euangelij, quod prænotauit,

Carmen Paschale,	Lib. 5. *Paschales quicunq; dapes.*
De signis & uirtutibus,	Lib. 1. *Domino meo charissimo.*
Gesta & miracula Christi,	Lib. 4. *Expulerat quondam &c.*
Super utroq; Testamento,	Lib. 2.
In Psalmos Dauidicos,	Lib. 1.
Collectanea in Paulum,	Lib. 14. *Antequam Apostolica uerba.*
In Paulum ad Romanos,	Lib. 1. *Sciendum est quòd in hoc.*
Ad Corinthios,	Lib. 2. *Quod nomen suum præponit.*
Ad Galatas,	Lib. 1. *Hoc est non ab humana præ.*
Ad Ephesios,	Lib. 1. *Refert Scriptura, testante.*
Ad Philippenses,	Lib. 1. *Metropoli Macedoniæ cum.*
Ad Colossenses,	Lib. 1. *Hac uice Apostolatus auto.*
Ad Thessalonicenses,	Lib. 2. *Quod non dicit Apostolus.*
Ad Timotheum,	Lib. 2. *Non secundum præsumptionem.*
Ad Titum discipulum,	Lib. 1. *Hanc epistolam scribit de Nic.*
Ad Philemonem,	Lib. 1. *In carcere, uel in cathenis.*
Ad Hebræos,	Lib. 1. *Quoniam apud Hebræorum.*
De factis Christi prosaicè,	Lib. 2.
Ad Cæsarem Theodosium,	Lib. 1. *Romulidûm ductor claris.*
Exhortatorium ad fideles,	Lib. 1. *Cantemus socij Domino.*
Epistolas ad diuersos,	Lib. 1. *Sedulius Scotigena, dilec.*
In editionem Donati,	Lib. 1.
In Prisciani uolumen,	Lib. 1.
Carmina diuersi generis,	Lib. 1.

Edidit & Hymnos, quibus Ecclesia utitur: scilicet, Hostis Herodes impie, & A solis ortus cardine, atq; alia plura. Claruit anno Christianæ salutis 450, sub Cæsare Theodosio iuniore, Fergusio secundo in Scotia regnante, post longè miserrimum eius regni excidium per Romanos. De hoc authore plura scribunt Sigebertus & Bostius.

FRIDELINVS VIATOR. X.

FRidelinus Viator, Scotorum Hybernicorum regis olim filius, philosophiæ studijs præclarè imbutus, & Ecclesiasticæ uitæ in primis studiosus, peregrinationē à patria magnā, plantandæ religionis ac propagandi Christianismi gratia suscepit. Docuit homo pius circūquaque primùm in Gallijs, ut in prima Germanicorum monasteriorū Centuria Gaspar Bruschius tradit: & ad Pictauiam tandem ueniens, in D. Hilarij fano monachorum pater extitit, cœnobiumq; magnificū regis Clodouæi subsidijs erexit. Inde postea discedēs, idem ad Mosellā apud Belgas, idem in altis Vosagi cacuminibus, idem Argentinæ, Curiæ Rhetiorū, & alibi per Burgundiæ prouincias fecit. Postremò autem Augiæ Seckingensi ad Rhenū appulit, ut in ea etiam insula ædiculam conderet. Iste uerò post multas conciones, & sacrarum literarū coram discipulis explicationes, ad uirgines sacras scripsisse fertur

Exhortationes quasdam, Lib. 1.

Atque alia plura. Claruit anno à Seruatore nato 495, quo erat prædictum Seckingense cœnobium inchoatum: & in eo post aliquot annos mortuus, ad sinistrum chori parietem primò, & ante aram postea conditus fuit.

BRIGIDA LAGINENSIS. XI.

BRigida Laginensis, Scotica mulier, ex turpi & indecoro adulterio nata, Dubtacū, præclari generis Hybernum, in ulteriori Scotia genitorē habuit, ac matrem Brocsecam elegantis formę mulierculā. Ab uxore proterua coactus Dubtacus, ut in Capgraui catalogo claret, impraegnatā ancillā præstigiatori cuidam mago pro pecunijs uendidit, qui in sua domo utramq; & matrem & filiā nutriuit, ac suas artes docuit. Adulta tandem Brigida, cōtem pto salutari cōiugio, cum tribus puellis ad episcopū Sodrēsem nomine Machillam, nauigio perrexit: atq; in Mona insula sub habitu monachali cum ipso deinceps habitauit, mirabilia magna cum aqua lustrali sub eius famulatu faciens. Alium insuper episcopum, Bronum seu Brunonem dictum, probatæ fornicationis ex genito infante reum, magicis carminibus ab infamia corā populo purgauit: tametsi super eius calicem, dum sacra litaret, hirci umbratici deforme prodigium postea uiderit. Nulla unquam inter Papistarū aduocatas sanctissimas maiora, si Dijs placet, miracula fecit, neq; plura (Boethio etiam teste) in Scotiæ regno, ad hunc usq; diem templa consecrata possedit, quàm hæc sua Brigida, mirum in modum à superstitiosis eorū scriptoribus celebrata. Nam & angelo quodam dictante, edidisse illam ferunt,

Suarum reuelationum Lib. 1.

Angelo dictante, Brigida orante, & scriptore notante, liber est compositus, inquit Geraldus Cābrensis, in secūdo lib. de mirabilibus Hybernię, cap. 39. Sed tanta est in uerbis obscuritas, ut mulierculatū scholijs, aut aniliū fabularum interpretibus, ad ea enucleāda opus sit. Obijt anno Domini 518, Conrano regnante.

APPENDIX.

Huius Brigidæ defunctum corpus, scriptores ferunt, anno à Christi natiuitate 524, ab Hebridibus in Dunum Hyberniæ urbem celebrem delatū, ac prope diuum Patricium tumulatū esse: & hoc uetustissimum distichon pro confirmanda historia addunt,

Tres sunt in Duno, tumulo & tumulantur in uno:
Brigida, Patricius, atq; Columba pius.

Huius Dianæ tenebrosa somnia, seu, ut ipsi uocant, Reuelationes, in scholis Oxoniensibus & in cathedris publicis, magistraliter exposuerunt magni sua ætate doctores, Thomas Stubbes Dominicanus, Ricardus Lauynham Carmelita, & adhuc alij eius generis multi, circa annum Domini 1370, ut talibus mulierculatum delirationibus, sole clariorem Dei ueritatem, Sophistæ obnubilarent.

COLVMBANVS ABBAS. XII.

Columbanus abbas, ex ueteri quadam Scotorum prosapia non ignobili oriundus, apud Hybernos & Scotos, ut eorum testantur annales, habebatur aliquando Druydum sui temporis magister ac princeps. Qui post imbibitas demum rerum naturalium scientias, ac per quasdam allegorias leuiter cognitam Bibliorum doctrinam, sub patre Congello apostolicæ uitæ propositum, in Bannochorensi Brytannorum cœnobio suscepit: & inde in Burgundiã, teste Beda, cum quibusdam discipulis perrexit. Vbi post uoluntariorum aliquot atq; humanorum operum buccinationes, pro dispergendo per Christianas prouincias monachatu, summa uitæ modestia ac doctrina, patriarum primoribus notus & acceptus, Luxouiense monachorum receptaculum insigne condidit. Sed in exilium actus tandem, quòd Theodoricum Austrasiorũ regem solito liberius ob stupra reprehenderat, plura Galliæ, Germaniæ & Italiæ solitaria loca, homo, ut uidebatur, abstinentissimus uisitabat. Vnum hoc in sequẽtis ætatis scriptoribus non parum in eo displicuit, quòd Pascha die Dominico celebrandum, in Brytannia sub Congello educatus, qui Asianorum, non Romanorum ritus obseruabat, non docuerit. De quo Tritemius *in annalibus Francorũ*. Columbanus (inquit) presbyter, abbas, & doctor Scotorum ac Pictorũ, plura sanctitatis exempla reliquit, præterquam quòd rustica simplicitate pascha Dominico die celebrari debere, & nunquam alia die, neq; didicit neq; docuit. Tantum ille. Reliquit Columbanus posterorum suorum lectioni, *edita scripta*, parabolicè magis ac superstitiose quàm eleganter elucubrata,

In Psalterium commentarios	Lib.1.
Collationes ad monachos,	Lib.1.
De moribus eorum metricè,	Lib.1. *Hæc præcepta legat deuotus, &c.*
Monasteriorum methodos,	Lib.1.
Epistolas ad commilitones,	Lib.1.
Aduersus regem adulterum,	Lib.1.

Et alia, ut ex Bostoni Buriensis catalogo liquet. Futurorum præsagus, de Francorũ regno pleraq; Columbanus prædixit. Moriebatur tum demũ dierum plenus, in illo Bobiẽsi monasterio, quod in Italia uiuẽs cõstruxerat, anno uerbi incarnati 598. Vndecimo calendas Decẽbris, regnãte apud Scotos Aidano.

DAGAMVS EPISCOPVS. XIII.

Dagamus, Scotorũ episcopus, uir apostolici ordinis, in Bannochorensi celeberrimo Brytannorum collegio, in illis quæ ad religionem spectabant, ab ipsa adolescentia nutritus, alios ritus quàm apud eos inuenerat, in suis ecclesijs admittere nũquam uoluit. Quum enim Augustinus Anglorũ apostolus, à magno Gregorio in Brytanniam missus, cassatis primitiuæ ecclesiæ ritibus sacris, Romanas ceremonias intrudere niteretur, præsertim in Paschę celebratione ac ministerio baptismi: Dagamus ueteri Brytannorũ consuetudini semper assuetus, illi assentire negauit. Testis accedit Beda, in libro 2. & cap. 4 ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum, adducens Laurentij Anglorum archiepiscopi literas ad Scotiæ clerum scriptas: Scotos (inquiunt) per Dagamum episcopum & Columbanũ abbatem, nihil discrepare à Brytonibus in eorum conuersatione didicimus. Nam Dagamus episcopus ad nos ueniens, non solum nec cibum nobiscum, sed neque in eodem hospitio, quo uescebamur, sumere uoluit. Scripsisse uerò Dagamus fertur,

Ad Brytannorum ecclesias, Lib.1.

De cæteris non legi quicquam. Claruit anno ab apparente in carne Dei

filio 599, cum Gregorius Melitum, Iustum, Paulinum, Rufinianum, & alios, prædicto Augustino in adiutorium in Brytanniam mitteret.

GALLVS PRESBYTER. XIIII.

GAllus, presbyter & abbas, ex Scotia claris parentibus ortus, atque abbati Columbano in discipulum datus, ab eodē est tam sacris quàm profanis literis institutus, & Apostolici ordinis ad patris Cōgelli regulam formatus. Qui cum eodem Columbano in Galliam nauigans, & inde in Germaniam ad Lidiniacum flumen (Acronianum lacum Bruschius uocat) perueniens, cōtra diuersi generis idololatrias, in loco qui Ticonia dicitur, Christi fidem feruenter prædicauit. De quo Cornelius Cornipolitanus, in libro de Temporibus: Sanctus Gallus (inquit) è Scotis ueniens, apud Heluetios monasterium ædificabat. Et Volaterranus libro 16 Commentariorū: Gallus abbas ex Hybernicis Scotis oriundus, sub disciplina Columbani sanctissimi, diuersa cœnobia obiuit, eius tandem hæres & successor nominis. Quum autem Gunzonus (Gunzo Sueuorum dux erat) eius terræ princeps, ad Constantiensem episcopatum, Gallum istum uocaret, solitudinis amator, Ioannē discipulum ac diaconum suum illi prætulit sedi, & scripsit

In eius electione, *Orat.* 1. *Sempiternus & inæstimabilis Deus.*
Gubernandæ ecclesiæ formam, *Lib.* 1.

Et ad Vulmarum presbyterum monita salutaria edidit. Febre demū correptus, ac languore pressus, cum esset 95 annorum senex, circa annū Domini 640, ad Christū migrauit, 17 calēdas Nouēbris, in castro Burguirio sepultus.

IONAS MONACHVS. XV.

IOnas monachus, ex Scotorum gente oriundus, prædicti abbatis Columbani discipulus, & in peregrinatione socius, pro seminādo per orbē Apostolici ordinis, nō Benedicti, sed Congelli, monachatu, cum eo proficiscebatur in Gallias. Consummato tandem magnifico ac primario Luxouij monasterio, ubi primùm iuxta eius ordinis statuta, de suarum manuum labore in commune uiuebant, apud illos & ipse manebat. Qui tamen postea, cum uidissent Euangelij sinceritatem ad suas cupiditates parum adferre, sub ficto statim sanctitatis colore, blanda magis quàm salutifera crassis auditoribus proponebant. Erat Ionas, ut Tritemio uisum est, uir studiosus, eruditus, & scientia clarus, ac non minus religione quàm doctrina uenerabilis, qui ad ædificationem multorum (inquit) rogantibus suis fratribus, composito sermone congessit,

Vitam abbatis Columbani, *Lib.* 1.
Vitam Attalæ monachi, *Lib.* 1.
Vitam Eustachij abbatis, *Lib.* 1.

Atque his similia plura, quæ tamen anilibus fabulis non carent. Claruit Ionas, anno post Seruatoris in carne originem 630, uaria componens, regnante apud Scotos Ferquhado, eorum rege.

LEVINVS MARTYR. XVI.

LEuinus, Scotorum archiepiscopus & martyr, licet à paucis scriptoribus celebretur, non est tamen, ob inclytas actiones, silentio prætereundus: saltem in hoc Catalogo, ubi de eius terræ uiris illustribus agitur. Fuit ille tam doctrina quàm genere, ut in eius uita legit, clarus, qui ut in sua patria sacras studiose didicisset literas, sic Christianè ac piè easdem & alios docebat, magnosque in Ecclesiæ ministerio & in Christi Domini regno pertulisse labores narrat. Vnde de isto Leuino Christianus Massæus Cameracenas, in 13 libro Chronicorū mundi, sic scribit: Anno Domini 631, sanctus Leuinus (inquit)

natione Scotus, archiepiscopus Hyberniæ (uel syluestris Scotiæ) Gandauũ uenit cum tribus discipulis 16, Iulij, indictione 6, & mansit illic mẽse uno. Deinde profectus ad Escã, prædicauit Christũ, multosq́ cõuertit. Quidã uerò indurati, occiderunt eum, xij Nouembris eiusdem anni. Decollatus autem, erexit se, & tulit suum caput, ac portauit in Houtthem, in sepulchrum angelicis manibus præparatum, ubi quieuit annis 208. Deinde leuatus à Theodorico Cameracẽsi pontifice, &c. Contexuisse suo tempore Leuinus fertur

Homelias aliquot, Lib. 1.

Epitaphium Allovuini Bauonis Austrasiorum ducum hęredis, qui illum Gandaui per annum unũ morte præcesserat, Latinè & doctè edidit. Translatum est huius Leuini corpus Gandauum, anno Domini 1007: & in templo, quod nunc S. Bauonis dicitur, tumulatum.

AIDANVS EPISCOPVS. XVII.

AIdanum Avuinium, Apostolici ordinis uirum, & Lindisfarnensem episcopum, quem alij Brytannum, alij Scotum uel Pictum fuisse pronunciãt, Hector Boethius & Ioannes Maior, inter Scotorum memorabiles doctores connumerant. Avuina insula est, ubi olim erat huius Aidani cœnobium, in quo sub ipso manebant homines non ad Benedicti, sed ad Euangelij regulam formati, quam Bedas dicebat ad Brytones attinere, sed eam nihilominus religiosis Scotis tunc Pictos contulisse. Producitq́ idem Bedas, in quinto capite libri tertij Anglorum historiæ, de Aidano hæc quæ sequũtur: Non aliter (inquit) docebat Aidanus, quàm uiuebat. nihil enim huius mundi quærere uel amare curabat. Cuncta quæ sibi à regibus, aut huius seculi diuitibus donabantur, ea mox pauperibus, qui occurrerent, erogare gaudebat. Discurrere per omnia & urbana & rustica loca solebat, non equorum dorso, sed pedum incessu uectus, nisi maior fortè necessitas compulisset. Et ubicunq́ uel diuites uel pauperes aspexisset, confestim ad eos diuertens, si infideles essent, ad fidem inuitauit: si uerò fideles, in ipsa fide confortauit, & ad eleemosynas pauperibus dandas excitauit. Omnesq́ qui cum illo incedebant, cuiuscunq́ generis essent, clerici uel non clerici, debebãt aut legendis scripturis, aut psalmis discendis operam dare. Atq́ hoc erat quotidianum eius opus, & omnium qui cum eo erãt fratrum, ubicunq́ locorũ deuenissent, &c. Scripsit Aidanus, ut in Centuria prima etiam commemoraui,

In Scripturam commentarios, Lib. 1.
Homelias & conciones, Lib. 1.

Et alia quędam. Decessit Aidanus ex mortali hoc seculo, anno salutis humanæ 651, postquam episcopale munus 17 annis in Anglia Lindisfarnæ administrasset: & ultimo die Augusti, in suorum fratrum cœmiterio sepultus. Dunelmumq́ tum demum translatum est eius corpus, & in cathedrali templo locatum.

APPENDIX.

Ex Bedæ *lib. 3. & cap. 5. historiæ gentis* Anglorum: *Cum* Osuualdus Berniciorum *rex, de proxima* Scotorũ *prouincia doctorem postulasset, qui sibi ac suæ genti uitæ uerbum ministraret: & inde postea reuersus, qui missus fuerat, in cõuentu seniorum ingemuisset, quòd apud eos docẽdo nihil profecisset: dicebat illi* Aidanus, *Pauli doctrinã fortaßis, frater, non es secutus, lac primùm dando, ac postea solidiorẽ cibũ. Debueras enim gentẽ imperitã benignè, & nõ duriter, ad fidẽ ac mores Christianos pertrahere: suauia quædã fundamẽta præponere, ac postmodũ fortiora superædificare.* Vetus etenim prouerbiũ est: *Debile principiũ melior fortuna sequetur. Debueras mollioris doctrinæ pastũ porrigere, donec paulatim* Dei *uerbo enutriti, ad capienda maiora, faciendaq́; sublimiora* Dei *præcepta sufficerẽt.* Quo *audito, qui in cõcilio sedebãt, ipsum ad erudiẽdos incredulos et indoctos debere mitti decernebant:*

decernebãt, qui gratia discretionis, quæ uirtutum est mater, ante omnia probabatur imbutus: sicq; illum ordinantes episcopum, ad prædicandum Septentrionalibus Anglis miserunt.

Et in fine 17. cap. eiusdem libri, sic concludit: Qui Aidanus, ut multa comprehendam, nihil ex omnibus quæ in euangelicis, siue apostolicis & propheticis literis facienda cognouerat, prætermittere: sed cuncta pro suis uiribus, operibus implere curabat. Atq; hæc in præfato antistite (inquit Bedas) multum complector & amo, quia nimirum hæc Deo placuisse non ambigo. Sed quòd pascha nõ suo tempore obseruabat (temporum obseruator cum pharisæis ac Papistis erat Bedas hoc loco) uel canonicum eius tempus ignorans, uel suæ gentis authoritate, ne agnitum sequeretur, deuictus, non approbo, nec laudo. In quo tamen hoc approbo, quia in sua celebratione paschæ, nõ aliud corde tenebat, uenerabatur, & prædicabat, quàm quod nos: id est, redemptionem generis humani, per passionem, resurrectionem, atq; ascensionem in cœlos mediatoris Dei & hominum, hominis Christi Iesu. Hæc Bedas. Cuius dictis aliquas propositiones addidit Ioannes Maior, theologus Parisiensis, in 2. lib. de gestis Scotorum, cap. 11. Merebatur (inquit) & bene egit Aidanus, celebrando sicut celebrauit. Probatio. Ad actum moraliter bonum, non requiritur quòd à uera prudentia reguletur actus: sed sat est, quòd ab errore inuincibili reguletur. Et sic erat in isto patre. Erat ius Pontificium humanum in oppositum, quod non tenebatur scire. Scripturis sacris & deuotioni se accommodabat, & maiorum uestigia in hoc sequutus est. In humanis legibus positiuis, unusquisq; in suo sensu abundat. Hæc ille.

SEGENIVS ABBAS. XVIII.

Segenius Scotus, abbas & presbyter, Apostolicorum uirorum collegio in Huensi insula præfuit, dum ad Septentrionalium Anglorum prouinciam Aidanus ex eo, diuini uerbi minister & episcopus mitteretur. Quæ uidelicet insula ad ius Brytannorum pertinebat, testimonio Bedæ, nõ magno ab illis freto discreta: sed Pictorum donatione, qui illas tunc partes incolebant, Scotorum monachis tradita fuerat, quod illis prędicantibus Christi fidem percepissent. Et monasterium illud in cunctis penè Scotorum ac Pictorum cœnobijs, non paruo tempore, teste etiam illo ipso Beda, arcem tenebat, regendisq; per Euangelium eorum populis præerat, priusquam Benedictini sodales se tandẽ pro intrudẽdis Romanis ritibus intromisissent. Vnde inter alia uiuendi documenta, Segenius saluberrimũ abstinẽtiarum ac ueræ pietatis studiorum exemplum, subditis & discipulis reliquit. Cuius doctrinam ex Christi Euangelio sacrosancto profluentem, id maximè commendabat omnibus, quòd non aliter cum suis assectatoribus uiuebat, quàm publicitùs ille apud omnes docebat. Plura & iste ad Christiani pastoris officium spectantia congessisse dicitur, sed eorum adhuc non uidi titulos. Claruit anno à Christi seruatoris aduentu in carnem 634, utilis in Dei uinea colonus.

FINNANVS EPISCOPVS. XIX.

Finnanus & ipse, eiusdem Apostolicæ religionis professor, Nennij olim Brytanni, ac Segenij prædicti tandem discipulus, ab eadem Huensi insula & monasterio destinatus, Aidano in Lindisfarnensi episcopatu apud Anglos, successit. Qui eiusdem Aidani, quantum potuit, uestigia in fide atque moribus secutus, post salutaris uerbi prædicationem, ecclesiam Christiano populo congruam, insigni labore propagauit. Erat illis temporibus, procurante diabolo, quæstio frequẽs & magna de Paschæ obseruatione, ut Ecclesia, quæ huc usq; integra & sancta erat, impuris hominum traditionibus corrumperetur: atq; ut Christianorum cœtus, ad egena pharisæorum rudimenta denuò conuersus, contra D. Pauli doctrinam, dies obseruaret ac menses, Gal. 4. Idq; urgebãt doctores, qui de Cantio uel ex Gallijs aduenerãt, quod Scoti Dominicũ paschæ diem, ut Bedas narrat, contra Romanæ synagogæ (non Asianæ aut Græcæ ecclesiæ) morem celebrarent. Fuit inter hos acerrimus disputator Romanus, etiam Scotus, qui cum Finnano episcopo confligens,

fligens,non poterat à recepta uia,contra patriæ suæ morem,illum auertere: quin potius, quod esset uir magnanimus, acerbiorem eiusmodi nouorũ rituum propulsatorem reddidit. In ea tamẽ Paschæ dissonantia, à patribus tolerabatur Finnanus, quòd opera fidei,pietatis ac dilectionis,iuxta morẽ sanctis hominibus consuetum, diligenter exequi curaret. Nihilominus contexuisse putatur,contra Ronani rationes,

Pro ueteri Paschatis ritu, *Lib. 1.*

Atq; alia. Ab omnibus meritò diligebatur, etiam his qui de Romanis ceremonijs multo aliter sentiebant: nec solum à mediocribus, uerùm ab ipsis quoq; australium & orientalium Anglorum episcopis uenerabatur. Obijt autem anno salutis Christianæ 661, & decimo suæ administrationis, in sua ecclesia sepultus.

RONANVS PRESBYTER. XX.

RONANUS presbyter,natione Scotus, quem aliqui Rouanum scribũt, in Galliæ uel Italiæ partibus,ecclesiasticarum traditionum, ut Bedas asserit,regulas edoctus, Romanas consuetudines in Paschate celebrando, & in cleri tonsura,cum alijs Paparum ceremonijs,non animaduersis D. Pauli dictis,mordicus defendebat. Qui cum audisset prædictum Finnanum,ueterũ ecclesiarum more,& ut à patribus acceperat, in suo episcopatu Pascha celebrasse,cum Cantianis & Gallis sacrificulis illum conuenit, argumentisq; callidissimis impetiuit. Et quum, propositis problematibus, astutis ac multis, nihil profecisset, Eanfledæ Northumbrorum reginæ, ac Iacobi cuiusdã diaconi uenerabilis Eboracensium olim archiepiscopi Pauliani,multæ authoritatis uiri, obseruationes nouellas adduxit,ut eorũ exemplis traheret, uel saltem illi terrorem incuteret. Firmus tamen & immobilis, ut dictum est,in recepta religione permansit Finnanus. Vnde nonnunquam illis temporibus, testante Beda,contigit,Dominicum pascha in uno & eodem anno bis celebrari. nam & Rex ipse semel, solutis ieiunijs, resurrectionis diem absens solennizabat,dum Regina adhuc in ieiunijs persistens,Palmarũ diem ageret. Ronanus uerò,ne nihil demum fecisse uideretur,chartis commisisse dicitur,

De Paschæ celebratione, *Lib. 1.*

Quod aliud quicquam ediderit, apud Scoticarum & Anglicarum rerum scriptores non lego. Claruit anno restaurationis humanæ 660, ut ex Bedæ historia colligitur lib. 3. & cap. 25 de gestis Anglorum, regnante Ferquardo Scotorum rege.

COLMANNVS ANTISTES. XXI.

COLMANNUS Antistes, Apostolici ordinis monachus,nõ Benedicti,sed Congelli regulam imitatus Euangelicam, uenerabile tam inter Brytãnos quàm Anglosaxones obtinuit nomen,dum diuini spargens semina uerbi,uniuersas ferè Albionum regiones peragraret. Ob insitã (inquit Bedas) illi prudentiã,multum eum diligebat Northumbriorum rex Osvuius,parsimoniamq; eius,uitæ continentiam, & in pauperes commiserationem laudabant plurimi. Longè plus etiam fauebant Scotis quàm Brytannis Anglosaxonum tunc prælati,quòd suis cõcionibus eos iuuarent. Defuncto tandem Finnano, dum in Lindisfarnensi præsulatu,regis Osvuij dono,Colmannus succederet,multo asperior quàm prius pullulabat de Paschæ obseruatiõe ac tonsura clericorũ cõtrouersia. Petijt igitur Hylda sanctissima Pharesis abbatissa,Scotorũ adhærens parti,synodũ anno Domini 664, in suo celebrari cœnobio,ut lis inde consopiretur. Et quum peruentũ esset ad disputationem, Colmannus,cum Cedda Eboracensi archiepiscopo, & Hylda prudẽtissima

B muliere,

muliere, in medium adduxit ueteres ac sanctas Asiaticarũ ecclesiarum cõsuetudines, à Brytãnis eius regni primis Christianis illuc usq; seruatas. Econtrà Vuilfridus, Benedictinus monachus, qui cum Agilberto episcopo, Agathone presbytero, & Iacobo diacono, ex aduersa stetit parte, Romam ob apostoli Petri sepulturam, Asiæ statim prętulit, cuius peregrinus paulo antè fuerat, obstinatiæ Brytannos & Scotos arguens. Sic ad mendaces fabulas currebat hypocrita, quum Petrum nunquam fuisse Romæ, ex scripturis satis constaret. Tum pro sua parte citabat Colmannus, Euangelistæ Ioannis authoritatem, & Anatolij atque Eusebij Pamphili scripta. Ineptè ac flagitiosè respondit Vuilfridus, in multis iudaizasse Ioannem, pro uitandis Iudæorum scandalis: quod nullus catholicorum ante ipsum dixerat unquam. Addiditq; impostor ille, quòd idololatricus olim peregrinus esset, Romanas consuetudines, Pontificum decreta, & non interpretabilem Papæ authoritatem, per hæc Seruatoris uerba: Tu es Petrus, &c. In fine, sophisticis dolis præualuit, dementatis qui aderant regibus & episcopis, qui insulsissimo hoc epilogo colloquium soluebãt, Petrum carne exutum cœlorũ nunc ostiarium esse, & nec uelle reserare eis fores, nisi his cõsentirent. Vnde ex antiquorũ patrum sententijs & dictis, cõgessit Colmannus contra ceremoniales Romanistas,

Pro socijs Quartadecimanis, *Lib. 1.*

Quo nomine eos deridebant hypocritæ, qui non ipsorũ more pascha celebrarent. Inde Colmannus, ob spretam eius doctrinam, episcopatu relicto, cum suis Scotis ac triginta Anglis concedens in Hebrides, collegiũ illic condidit, & reliquam inibi cum ipsis peregit uitæ suæ portionem. Claruit anno à Christi natiuitate 670, sub Malduino Scotorum rege, uixitq; cum suis deinceps, de suarũ manuũ labore, quod desidiosis Romanis ualde molestũ erat.

APPENDIX.

Vt Eusebius refert in Ecclesiastica historia, lib. 5. & cap. 20, Victorem Romanũ Pontificem ante annos circiter 470, Irenæus Lugdunensis episcopus, insignis doctor Ecclesiæ, audacter increpabat, quia fratres in Paschatis celebratione à se dissidentes, excommunicare, & à sua ecclesia diuidere statuerat. Multa deinceps (inquit Agrippa) super hac Paschatis obseruatione, conciliorum & pontificum decreta, ac patrum ratiocinationes, et quæ uocantur Ecclesiastica computa emanarunt. Neq; tamen in hunc usq; diem, ueram, atq; per uniuersum orbem eandem Paschatis diem constituere potuerunt. Et in hunc diem usq;, consultis astrologis, de Calendarij reparatione, sed indeciso negocio, disputatur. Digna profectò res, pro qua ob unius Romani pontificis pertinacem religionem, tantum Ecclesia pateretur naufragium. Ioannes Maior lib. 2. cap. 11. de gestis Scotorum: Quæstio hæc de Paschæ obseruatione, solum erat de iure humano seruando, & debebat Colmannus (inquit) multitudini ac Brytonum consuetudini, si qua talis erat, cedere. Quia seruanda est loci consuetudo, secundum illud uulgare: Si fueris Romæ, Romano uiuito more, &c. Et hoc in lege humana, de qua loquor. Legem humanam consuetudo interpretatur, & eidem derogat, & nonnunquam humanam legem abrogat. Ex his liquet, quòd uenerabilis Beda talem casum non debebat grandem facere, postquam de iure humano consuetudinario loci contendebatur. Et quia Scotorum modum uiuendi, in partes Angliæ boreales, iam Aidanus cum successore Finnano introduxerat, Colmannus oppositum non tenebatur assumere: licet Romanorum esset consuetudo, & maioris partis multitudinis. Quicquid tamen sit, apud Anglos Colmannus longiorem moram trahere noluit. Hæc Maior.

Colmanno Scoto, in Lindisfarnensi præsulatu, Tudas Anglus ac monachus successit, qui episcoporum Northumbriorum primus, tonsuram, quæ est Romanæ bestiæ character Apocal. 13, suscepit: quem eodem anno, cum ingenti plebis multitudine (nota diuinam hanc operationem) ultrix pestilentia mundo surripuit. Eodem anno Dominicæ incarnationis, quo recepta est cleri tonsura, uel quo suos ea signare incipiunt, scilicet 664, facta est eclipsis solis (inquit Bedas lib. 3. cap. 27.) die tertia mensis Maij, hora circiter decima diei. Mysterium intellige. Quo etiam anno (inquit) subita pestilentia

lentiæ lues, depopulatis prius australibus Brytanniæ plagis (unde prædicti disputatores aduenerãt) Northumbrorum quoq; prouinciam corripiens (ut qui has Antichristi imposturas approbauerant) atq; acerba clade diutius longè lateq; deſæuiens, magnam hominum multitudinem strauit. Qua plaga præfatus ſacerdos Tuda, raptus eſt de mundo, &c. Addunt Anglorum historici, quòd elementa ut ignis ardebant diebus decem, cometa tribus menſibus apparebat: pluuiæ, tonitrua & grandines ſequebantur, ac ſegetes conculcabant, & alia mirabilia inaudita fiebant. Notanda hoc loco occurrũt, quæ prædictus Bedas lib. 3 & cap. 26 ſcribit: Nunquam (inquit) ad eccleſiam illis diebus ueniebant, niſi orationis tantum & audiendi uerbum Dei cauſa. De miſsis audiendis nullus eſt ſermo. Rex ipſe (inquit) cum opportunitas exegiſſet, cum quinq; tantum aut ſex ueniebat: & expleta in eccleſia oratione, diſcedebat. Miſſæ ergo, ut apparet, nondum erant natæ. Tota enim tunc erat ſolicitudo (ait) doctoribus illis, Deo ſeruiendi (non tamen miſſas habebant) non ſeculo: tota cura cordis excolendi, non uentris. Vnde & in magna erat ueneratione (inquit) tempore illo, religionis habitus: ita ut ubicunque clericus aliquis, aut monachus adueniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur.

Et iam ſi in itinere pergens inueniretur, accurrebant, & flexa ceruice, uel manu ſignari, uel ore illius ſe benedici gaudebant. Verbis quoq; horum adhortatorijs diligenter auditum præbebãt. Sed & diebus Dominicis, ad eccleſiam ſiue monaſteria certatim, non reficiendi corporis (aut audiendæ miſſæ) ſed ſe erudiendi ſermonis gratia confluebant. Et ſi quis ſacerdotum (iam ſacerdotes incipiunt uocari) in uicum forte deueniret, mox congregati in unũ uicani, uerbum uitæ ab illo expetere curabant. Nam neq; alia ipſis ſacerdotibus aut clericis uicos adeundi, quàm prædicandi, baptizandi, infirmos uiſitandi (non ergo miſſandi) & ut breuiter dicam, animas curandi cauſa fuit. Qui in tantum erant ab omni auaritiæ peſte caſtigati, ut ne territoria ac poſſeſsiones, ad conſtruenda monaſteria, niſi à poteſtatibus ſeculi coacti, acciperent. Hæc Bedas. Nota hoc loco, quòd poſt prædictã diſputationem, ſcilicet anno Domini 664, ſacerdotium cum tonſura ſimul induerunt Anglorum prælati: nam prius apud Bedam, presbyteri, non ſacerdotes, erant dicti, per totum. Vnde anno Domini 666, in pleno numero nominis Beſtiæ Apoc. 13, cantum Latinum cum organis, eccleſia Latina per Vitelianum pontificem ſuſcepit. Miſſam Latinam deinceps conflare, uel ex multis particulis conſuere cœperunt, altariaq; cum idololatricis imaginibus erigebant. Sequebantur mortuorũ inuocationes, exorciſmi, atq; alia Papiſtarum portenta. Nota prædictum numerum in Græca dictione λατεινος.

FLORENTIVS SCOTVS. XXII.

FLorentius Scotus, nobili familia natus, ſanctorum Arbogaſti, Theodati, & Hildolphi amicus, peregrinationum & exilij comes, ac eremiticæ uitæ iuxta Apoſtolicum ordinem ſocius fuit. Oratorium ille initio ſibi condidit ad Haſelium fluuiolũ, nõ procul à Brüſchio percelebri Alſatiæ amne, in denſiſsimis nemoribus, qualia loca in primis tum amabant ſanctiſsimi hi patres: uetuſtiſsimos ſapiẽtes, prophetas, philoſophos & poetas in hoc imitati, de quibus extat uetus ille uerſiculus,

Sylua placet Muſis, urbs eſt inimica poetis.

In his latebris operam dabat uir pius agriculturæ ſtudijs, diligenter interim Deo precibus inſtãs, pro eccleſia tota. Et quum Dagoberti Francorum regis filiam Rathildim, cæcam & mutam, ſanitati per aſsiduas orationes reſtituiſſet: idem rex pro illo beneficio, eo ipſo in loco ſibi ac ſuis diſcipulis magnificum cœnobium conſtruxit, Haſelachiũ dictum, à nomine præterfluentis riui. In quo legendo ſcripturas ſacras docebat, atq; orando Domino ſeruiebat: donec tandem poſt epiſcopi Rotharij mortem, anno Domini 663, Argentinenſis eccleſiæ præſul, unanimi totius & cleri & populi conſenſu deſignaretur. Præfuit illic piè ac laudabiliter annis xij, aliquaq; ſcripta reliquiſſe fertur, ſed titulos eorum non uidi.

Et quum multi ad eum peregrinarentur Scoti, docti ac pij homines, ædificauit ipſis præclarum etiam cœnobium ad amnem Bruſchium, in quo di-

ſcendis ſcripturis ſacris, ſummo ſtudio operã nauabant. Euocauit eum Deus ex hac miſeriarum ualle anno Chriſti 675, & ſepeliebatur in prędicto Scotorum cœnobio. Hæc habui ex catalogo epiſcoporum Argentinenſium Gaſparis Bruſchij, & ex Coſmographia Munſteri.

KILIANVS MARTYR. XXIII.

Kilianus, uel Chilianus, præclari generis ac monaſticæ profeſsionis Scotus, literis tam profanis quàm ſacris inſtitutus, quum parum apud ſuos aſsidua prædicatione promouiſſet Eccleſiæ cauſam, in ritibus his nouis, Paſchate, tonſura, & ſimilibus, cõſtituit cum ſocijs Colonato ac Thotnano longius ire. Indeq; deceſsit, primò quidem in uiciniorem regionem, Angliam ſcilicet, poſteà in Galliam, ac tandem in Germaniam, & ad Franciæ orientalis urbem Herbipolim, quæ alio nomine Vuirciburgus à Tritemio uocatur, diuertit. Erat enim eius terræ, ſub Theodorico Francorum rege, præfectus Gosbertus, aliqua ei ſanguinis neceſsitudine cõiunctus, ſed nouarum Eccleſiæ traditionum ignarus. Zelum habebat Kilianus, licet non ſecundum ſcientiam, quo putabat illam in ipſo præfecto ignorantiam errorem eſſe gentilitium. Compatienter ergo Romam acceſsit, & ab eius urbis tunc pontifice, Benedicto ſecundo, anno Domini 686, obtinuit in epiſcopum conſecrari, ut maiori authoritate Herbipolim reuerſus prædicaret, adiunctis ei prædictis ſocijs, Colonato presbytero, & Thotnano diacono conſtitutis. Sunt quidam authores, qui illum ſcribunt Arrianiſmum ac Gentilitatem doctrina impugnaſſe: ſed id additum eſſe credo à Papiſtis, in contemptum conſuetudinum prioris Eccleſiæ ſub apoſtolis ac patribus. Cum tamen uideret Kilianus prædictum Gosbertum regium præfectum, apud ſe tenere uxoris loco, fratris ſui coniugem Geilanam, amanter primùm, acerbius poſtea in Dei uerbo illum admonebat. Quod cum odorata eſſet Geilana, furore accenſa, Kilianum & ſocios interfici procurauit: & eorum corpora cum libris ac ueſtibus abſcondi ſub terra, ne factum proderetur. Scripſiſſe fertur Kilianus aduerſus Arrianiſmum, ut dictum eſt, uel

Contra peregrinos cultus, Lib. 1.

Ita pro ſuo Abadone inſimulant piorum primitiuæ eccleſiæ patrum approbatas cõſuetudines impijſsimi Sophiſtæ. Martyrium paſſus eſt Kilianus cum ſocijs anno incarnati uerbi 689, Conone pontificatum Romæ tenente. Quorum cadauera Burcardus Anglus, primus epiſcopus Herbipolenſis, in eccleſiam transferri fecit, additis his uerſibus Epitaphij loco:

Hi ſunt, Herbipolis, qui te docuere magiſtri:
Qua uerum coleres relligione Deum.
Impia quos tandem iuſsit Geilana necari,
Celauitq; ſub hunc corpora cæſa locum.
Ne turpi ſine laude, ſitu defoſſa iacerent
Corpora, Burcardus ſub monumenta locat.

COLONATVS ET THOTNANVS. XXIIII.

Colonatus presbyter & Thotnanus diaconus, ex Scotorum genere monachi, ac uiri per illam ætatem docti, longam relicta patria, ut dictum eſt, cum prçceptore Kiliano, peregrinationem per Chriſtianas prouincias fecerunt. Cauſa præcipua erat, ut eccleſiæ ritus in Paſchate & tonſura, alijsq; ceremonijs in Anglia iamdudum fulminatis, per doctrinas ſuas latè ſpargerent, & ut aliarum nationum populos Romana ſedes obaudientes haberet, atq; ut eſſet per omnem Europam, in noua hac religione conformitas,

mitas. Et ad Herbipolim, quæ ciuitas est in Germania, ad Mœnum nobilissimum amnem sita, peruenientes, à Rom. pontifice Benedicto secundo confirmati, ueterum ecclesiarũ consuetudines sacras in Romanas cæremonias mutare cum suo Kiliano laborabant. Atq; ut hæ firmius hominum animis hærerent, gentilitias superstitiones, ac falsas de ipso Deo opiniones illas fuisse, & has esse ueritates irrefragabiles, monitore pontifice, populo persuadebant. Suntq;, qui istos aliqua super scripta reliquisse putent, ego tamen me fateor nihil eorum uidisse unquam.

Vitæ finem accepisse feruntur cum prædicto Kiliano, anno à nostri Messiæ natiuitate 689, Geilanæ iniquæ mulieris atroci consilio trucidati. Suntq; eorum corpora à Burcardo episcopo in maiorem eius urbis ecclesiam postmodum translata.

ADAMANNVS COLVDIVS. XXV.

Adamannus Coludius, conditione monachus, sed absq; uotis, & eius ordinis quem Apostolicũ uocabant, clariq; illius cœnobij, quod olim Columbanus Congelli Brytãni discipulus in Huensi fundauerat insula, moderator, se uirtutis exemplar multis proposuit imitandũ. Vir ipse erat in diuinis scripturis, Tritemio teste, ualde studiosus & eruditus, seculariumq; literarum non ignarus, ingenio cautus, ac dulcis eloquio. Vitaq; & conuersatione præclarus fuit, & non sine sanctitatis opinione multorum monachorum pater. Vnde septentrionales Brytanniæ regiones ferè omnes perlustrãs, insignis cõcionator, Scotis, Pictis, & Anglosaxonibus, diuinas admonitiones dedit. De memorabilibus Palæstinæ, ac cæterarum terræ sanctæ locis, eorumq; situ, cupienter eos loquentes audiebat, qui illas partes uisitassent, credens per ipsos clariorem scripturarum intellectum se assequi posse. Et casu tandem uentorum ui contigit, Arnulphum quẽdam Galliarum episcopum, qui Hierosolyma uenerat, nauigio illuc appulisse, & de omnibus his, ut Chronographi referunt, Adamannũ plenè docuisse. Qui mox chartis omnia committens, scriptum opus Northumbriorũ regi Alphredo Notho dedicauit, adiuncto ei titulo,

De locis terræ sanctæ,	*Lib.1.*
De situ Hierusalem,	*Lib.1.*
De Paschate legitimo,	*Lib.1.*
Epistolas quoq; edidit,	*Lib.1.*

Atq; alia, quæ non comparent. Sunt, qui ab hoc opere plura Bedam desumpsisse credant, & suo eiusdem tituli libro inseruisse. Claruit anno salutis humanæ 690, sub Eugenio sexto Scotorum rege.

MAILDVLPHVS PAEDAGOGVS. XXVI.

Maildulphus Pædagogus, Scotus, uir eruditione atq; ingenio singularis, Latineq; & Græcè institutus, ex longa consuetudine cum Italis & Gallis, Romanarum constitutionum acerrimus defensor extitit. Eius tamen primordia & successus, sic pertractat Guilhelmus Malmesburiensis in uita Aldhelmi episcopi: Maildulphus (inquit) natione Scotus, ac studio philosophus, Malmesburiense cœnobium fecit. Qui quum natali solo uoluntariè carens, illuc tãdem deuenisset, nemoris amœnitate, quod tunc temporis in uniuersum eo loci succreuerat, captus, eremiticam uitam exercuit. Deficientibusq; necessarijs, scholares in disciplinatum accepit, ut ex eorum liberalitate, tenuitatem uictus corrigeret. Illi autem procedente tempore, magistri sequaces, & ex scholaribus effecti monachi, in conuentum

non exiguum coaluerunt. Horũ exemplo & cõsortio Aldhelmus attractus, &c. cum frequens esset de Paschæ obseruatione, tonsura & cœlibatu apud Anglosaxones quæstio, cum aliquibus, præcipuè Finnano episcopo conterraneo suo, & hic conflictasse fertur, ac sophisticis elenchis de uictoria triumphasse. Paschæ etenim legitimationem (non scripturas, sed astrologos consulens) ab æquinoctio uernali, integro plenilunio, ac die Dominico trahebat: non pensitans quæ Paulus, ex obseruatione superstitiosa dierum, mensium, annorum, & temporum, Galatis obiecisset. Habebant in monasterijs solennioribus priuatas scholas tunc prælati, futuris commodis prospicientes, dum adhuc non essent in Anglorum gente Gymnasia publica, propter sibi contrarias Brytannorum & Scotorum opiniones, quas ipsi timebant. Visumq; illis erat, loricatum hunc satellitem, ad Cairbladon Visisaxonum urbem, quæ alio nomine Durotellus Bladuni nuncupabatur, collocare: ut ipsis Brytannis os obstrueret, qui illam ut sibi uiciniorem regionem sæpenumero frequentabant. Cœnobium ergo eorum ope adiutus Maildulphus erexit, anno Christi 685, ut scholam illic publicam tam Græcæ quàm Latinæ linguæ aperiret, ac artes prælegeret. quod ab eo deinceps unà cum urbe cognomentum accipiens, Maildulphesbery, id est Maildulphi curia (nunc uerò, sed corruptè, Malmesbery) in rei gestæ memoriam diceretur. Plura Maildulphus post se Latinè scripta reliquisse fertur, contra Brytannos & Scotos, præsertim

De Paschæ obseruatione, Lib. 1.
Pro tonsura ac cœlibatu, Lib. 1.
Regulas artium diuersarum, Lib. 1.
De disciplinis naturalibus, Lib. 1.
Hymnos ac dialogos, Lib. 1.
Epistolas quasdam, Lib. 1.

Atq; alia. Claruit senex anno à salutifero diuæ uirginis partu 690, sub Ina Visisaxonum rege: doctorum uirorum catalogo meritò ascribendus, si non sorduisset papistica labe, ac monachalibus imposturis. Et in prædicto Malmesburiensi cœnobio, institutor primus, post fata tandem necessaria quieuit sepultus.

ARTVILLVS ILLVSTRIS. XXVII.

ARtuillus Illustris, magnorum uirorum stemmate clarus, cuiusdam Scotorum reguli filius erat, & ab eruditis præceptoribus in bonis literis à pueritia ipsa nobiliter educatus. Qui post adultam ætatem adhuc studiosissimus, rerumq; plurimarum noticiam suis studijs adeptus, fertilis ingenij experimentum ilico exhibuit, opusculis quibusdam in publicum datis. Sua tamen scripta, Aldhelmo doctori & episcopo Shireburnensi submisit, eiusq; iudicio examinanda & probanda commisit, antequam ea uellet in aliorum uenire manus, ut in secunda parte maioris operis uirorum illustrium Ioannes Lelandus tradit: in testimonium adducens Guilhelmi Malmesburiensis uerba, ex eius opere de pontificibus. Quicquid Artuillus literariæ artis elaborabat, aut scriptis dabat, quod non adeò exile erat, Aldhelmi committebat arbitrio, ut eruditi ingenij lima, scabredo eradicaretur Scotica. Hactenus ille. Composuisse Artuillus fertur,

De rebus Mathematicis, Lib. 1.
Ad Aldhelmum episcopum, Lib. 1.

Et alia, quorum titulos hucusq; non uidi. Claruit anno restaurationis humanæ

humanæ per incarnatum Mesſiam 710, ſub Eugenio ſeptimo Scotorũ rege. Sed ubi ſuæ carnis depoſuerit onus, apud ſcriptores non legi.

SEDVLIVS IVNIOR. XXVIII.

SEdulius Iunior, auſtralium Scotorum epiſcopus, homo in literis ab ipſa adoleſcentia fœliciter uerſatus, excellentis famæ precium inter eruditos commeruit. Vt teſtis eſt Ioannes Maior lib. 1. cap. 4. & 8 ſuæ hiſtoriæ, in regno Scotorum duæ linguæ ſunt, quarum una aliam nõ intelligit. Syluestres enim et inſulani Scoti, Hybernica, ſed fracta utuntur loquela: alij uerò, quos domeſticos uocant, linguam habent cum Anglis communem. Atq; ut lingua ſunt diuerſi, ita & moribus ſunt contrarij. Priores equidem altæ terræ, quoniam in montibus ac ſyluis ſunt nati: reliquos autem imæ terræ, nuncupare ſolent. In ueſte, cultu, & moribus, reliquis, puta domeſticis ac manſuetis, agreſtiores ſunt, non tamen ad bellum minus præcipites. Sed quia tum boreales magis ſunt, tum in montibus nati atq; ſyluicolæ, pugnaciores ſuapte natura inueniuntur. Penes domeſticos attamen totius regni pondus manet, ac regimen: quia melius & iuſtius quàm alij politizant. Hæc Maior. Sedulius autem, cum Perguſto Pictorum epiſcopo, religionis gratia, in generali ſynodo Romæ ad S. Petrum aderat, ſcripſitq;

Statuta eiuſdem concilij, Lib. 1.

De alijs eius operibus reperio nihil. Claruit anno ſalutis Chriſtianæ 714, prædicti concilij tempore, Gregorio ſecundo Romæ ſedente, & in Scotia regnante Eugenio ſeptimo, ut claret in ſynodorum ſtatutis. Quo in anno conſtituit idem Gregorius (Sigeberto teſte) ut miſſarum celebritas in eccleſijs fieret: quod antea non fiebat.

PERGVSTVS PICTVS. XXIX.

PErguſtus, quem alij Ferguſtum uocant, Pictorum epiſcopus, & Sedulij prædicti ſocius, utraque eruditione, cœleſti ac naturali inſignis, multa apud illam gentem non infœliciter pertractauit. Atque ut de Pictis ipſis aliquid ex Beda & Maiore in medium proferam: Picti de Scythia per Oceanum, uentorum flatu nauibus uenientes, à Brytannis permiſsi, habitare per Septentrionales inſulæ partes ad Orientem cœperunt. Et cum uxores primùm non haberent, petierunt à Scotis: qui eas hac ſolum conditione dare conſenſerunt, ut ubi res ueniret in dubium, magis de fœminea regum proſapia quàm de maſculina regem ſibi eligerent. quod uſque hodie apud ipſos conſtat eſſe ſeruatum. Picti dicebantur (inquit Maior) uel quia eleganti forma & præſtanti corpore erant, uel quia ueſtibus coloris uarij tanquam depictis uulgò utebantur. His Ninianus Brytannus Euangelium primò prædicabat: Laudoniamq;, & partes illas ultra fretum Scoticum, ac meliorem portionem & fertiliorem borealis partis crebrò poſſederunt. Vt tandem ad Perguſtum reuertar, prædicto Sedulio ſocius adiunctus, interfuit generali concilio Romæ anno Domini 714, apud S. Petrum, Gregorij ſecundi pontificis authoritate celebrato, ut in Conciliorum ſtatutis apparet. De ſcriptis eius nihil hucuſq; ad meas peruenit manus, quanquam plura edidiſſe feratur.

Claruit anno poſt incarnationem Meſsiæ 723, ſub Mordaco Scotorum rege pacifico: cuius tempore ſumma erat concordia inter Brytannos, Anglos, Scotos, & Pictos. Multiq; ſunt eo ipſo anno ſacerdotijs priuati, quòd colendis ſtatuis conſenſum non dediſſent.

CLEMENS PRESBYTER. XXX.

CLemens presbyter, natione Scotus, relicta sua terra cum omni cognatione, properanter in Gallias uenit, ubi inter eius temporis eruditos homines, doctrinæ beneficio, non infimum promeruit locum. Coaluerat ei, postquam illò peruenisset, consuetudo gratissima cum Adelberto quodam Gallo, magno literarum cultore, cui quorũdam monachorum per eam ætatem hypocrisis non parum displicuit. Ab eo Apostolicas ueritates edoctus Clemens, multa in Gallijs & in Germania, sub Venefrido Bonifacio Anglo, Maguntinensi archiepiscopo & magno Germanorum Apostolo, post quasdam disceptationes, incõmoda pertulit. Nam uiderat in eo Bonifacio *Satanam perfortiter mysterium iniquitatis operari cœpisse*: dum illius ministerio translatum esset florentissimum Francorum regnum, ab antiqua & legitima Merouei stirpe (*qui regum eorum primus*, Sabellico teste, Christum induerat) in adulterinam Pipini progeniem, solutis etiam subditis ab omni fidelitatis iureiurando. Potestatem regiam, *quæ à solo Deo est*, Rom. 13, ab ipso Deo ad uilissimum eius aduersarium Antichristum, impetuose rapi, impium esse existimabat: dum Papæ instinctu anno Domini 750 Pipinũ illum iuniorem, deiecto Childerico, dictus Bonifacius coronaret. Hocq; à Diabolo ideo fieri coniectabat, ut eius synagoga meretrix, post adultam *ætatem bestiæ coccineæ, suas exerceret tyrannides*, atq; in omni spurcitiarũ genere triumpharet. Vehemẽter ergo Clemẽs, cum dicto Adelberto ac socijs, Samsone, Sydonio Bauarorum archiepiscopo, & Virgilio Hyberno, quorum Nauclerus & Auentinus mentionem faciunt, in multis illi restitit. Eiusq; *odiosis ac superstitiosis conatibus occurrit, circa impurum cœlibatũ mox clericis imponendum*, reliquias non contrectandas, statuarum uenerationes, Rom. pontificis primatum, *depositiones regum, iuramentorum uiolationes, missas pro mortuis, purgatorij terrores*, & alias Diabolorum imposturas. Vnde edidisse tandem Clemens fertur,

Contra eundem Bonifacium, Lib. 1.

Et alia. Claruit anno prædicto salutiferi partus 750. Eadfino in Scotia regnãte. Istum Apostolorum successorem se iactitasse, ac de cœlestium mysteriorum arcanis uana protulisse, deq; hominis uita & moribus ineptissima disputasse, *probrose garrit Bernardus Lutzenburgus Dominicanus, in suorum hæreticorum Catalogo*.

SAMSON PRESBYTER. XXXI.

SAmson presbyter, patria etiam Scotus, & prædicti Clemẽtis familiaris socius, tam intra quàm extra natale solum, bonarum literarum gloria celebris apparebat. Qui quum eiusdem esset scholæ cum suo Clemente, Bonifacij Moguntinensis apostolatui tam scriptis quàm uerbis, idq; publicè, restitit, quòd *potius Antichristianismum ac Paganismũ quàm Christianismũ*, per Galliam & Germaniam, in suis reformationibus plantasset. Illum enim in Germaniam cum turgidissimis bullis, Gregorius secundus Rom. pontifex, *suum longè antea designauerat Apostolum, ut omnia ad Rom. synagogæ formam commutaret*, & Germanos ad ipsum potius quàm ad Christum *conuerteret: sicut in Anglia Augustinum Romanum monachum simili apostolatu fecisse olim legimus*. Et ualde solicitus erat Bonifacius ille, in ea functione, super Papæ, non Christi regno promouendo: & nihil Christianum tunc credebatur, quod non è Roma uenisset. *Fidem meam* (*in præstito Papæ iuramento inquit*) atq; concursum, tibi & utilitatibus tuæ ecclesiæ exhibebo. Et ad Zachariam papam *in suæ legationis epistola: Quantoscunq;*

audientes

audientes uel discipulos in hac legatione mihi Deus donauerit, ad obedientiam Apostolicæ sedis inclinare nō cesso. Vnde ad Papæ utilitatē, reliquias uenerandas exposuit, purgatorium prædicauit, oblationes pro mortuis in missis offerri iussit, & alia multa fecit. At Samson, cum quodā Sydonio Bauarorum archiepiscopo & alijs, audacter se illi opposuit, editis etiā quibusdam, ut ferunt, scriptis.

Claruit cum socio Clemente, anno Christi 750. Valde multos sacerdotes huic Germanorum apostolo reclamasse, in Bauarorum annalibus Ioannes Auentinus scribit, eumq; in publicis concionibus accusasse, quòd esset mendaciorum author, Christianę pacis perturbator, ac religionis corruptor. Sed partim pontificum Rom. tyrannide, partim Regum authoritate, hos pietate præstantes uiros repressit.

APPENDIX.

Ex diuersis scriptoribus. Papisticis blasphemijs & erroribus, in sua uisitatione nullibi restitit hic magnus Germanorum apostolus Bonifacius: sed leuicula tantum atq; ridicula quædam, communi Papistarum more tangebat, quasi puluerē (quod aiunt) uulpina cauda abstersurus. In quadam epistola, Papæ solummodo indicat quosdam Romanistarum abusus, quibus Germani, qui Romæ tunc fuerāt, scandalizarentur: ac temerarias quasdam eius dispensationes: cupiens fortassis res illic, cautè saltem, si non castè, agendas esse. At religionem Christianam, absq; pharisæorum & hypocritarum fermento puram, & ab Apostolorum discipulis, ac primis Ecclesiæ doctoribus plantatam, auferre conabatur, & Papæ synagogam eius loco statuere. In ministerio baptismi, quibusdam utebatur exorcismis, quos nō à scripturis sacris, sed à Rom. Pontificum traditionibus didicerat. Constitutiones in sua uisitatione fecit, non ut Dei uerbum sincerè prædicetur, sed ne sui sacrificuli arma portarent, nè ue uenaticos canes aut accipitres nutrirent. Cœlibatum sacerdotibus imponebat: imò contra eius decretum, cuius apostolus fuit. Nemo scortum (alibi ait Gregorius secundus) aut concubinam alat: sed quisq; aut cautè uiuat, aut uxorem ducat, quam repudiare fas non esto. Ita Germanos apostolus iste, ex Christi cultoribus Papæ cultores fecit, sicut & cum Anglosaxonibus ante illum Augustinus monachus egit. Quæsiuit etiam per suas ad Papam literas, tam sanctus apostolus, de lardo, quando sit comedendum: ut in secundæ Centuriæ appendicibus prius ostenditur. Difficilis certè quæstio est, & religione quam docuit digna.

Illius igitur apostolatum pleriq; non probabant: sed multis rationibus, ut par erat, improbabant. Præterea, uitam eius in multis redarguebant, ut primorum apostolorum uitis contrariam atq; hypocriticam. Adulatorem illum uocabant, præstigiatorem, exorcistam, insidiatorem callidum, mollem et effœminatum martyrem: quum sociabiles ac familiares haberet de sua natione fœminas, Liebam & Hadelogam, quas suas delicias ac Teclas nominabat, Bertgiten, Vualtburgā, & alias. Sydonius enim Bauarorū archipræsul, Virgilius Hybernus Iuuauiensis ac Salisburgensis episcopus, Adelbertus Gallus, Clemens Scotus, & Samson etiam Scotus, atq; alij adhuc multi, ut dictum est, non solum ab eo dissentiebant in multis, sed etiam eius dicta atq; facta per multas propositiones impugnabant. Quorum Sydonius & Virgilius, apud Zachariam Papam scriptis illum deferebant, quòd quosdā neophytos rebaptizasset. & ille rescribens, eorum sententias aduersus illum approbauit. Epistola eius est in primo tomo Conciliorum. Reliquis eius aduersarijs, non episcopis, hæresim non obiecit Zacharias, sed schisma tantum. quo datur intelligi, quòd in articulis fidei non errassent: sed potius nō omnia probassent, quæ tantus arroganter tentesset Apostolus. Bernardus tamen Lutzenburgus, in Hæreticorū catalogo sic habet, contra Adelbertum & Clementem (nam tertium, Samsonem, omisit:) Tanto (inquit) periculo Bonifacius occurrens, Romam ad Zachariam pontificem scripsit. Qui in episcoporū concilio rem omnem exposuit, & sententiam doctorum uirorum aduersus eorum barbariem poscebat. Ibiq; consensu omnium, Adelbertus & Clemens sacerdotijs priuati, execrabantur, & ab ecclesiæ communione ejciebantur. Hæc ille.

Adelbertum quoq;, ut Vuilibaldus scribit, excommunicatione damnatum, Bonifacius in Fuldensis monasterij carcerē coniecit: ubi, ut apparet, sub tanti Apostoli tyrannide computruit ille bonus ac

pius homo. Vuicelius iunior, Lutzenburgo similis, mendax & Papista, in uita Bonifacij sic aduersus pios homines mordaciter latrat, & suum uirus, de Satana loquens, euomit:

Progenerans quosdam Stygio è fœtore scatentes,
Insipidum Albertum, Clementem, & finibus isdem
Samsonem, Scotos, sinceri dogmatis hostes,
Audentes sanæ doctrinæ opponere sancti:
Latrantes nil esse, sacro si fonte renati
Signentur sancta cruce, detestentur & hostem:
Sufficere, impositam dextram semel esse lauantis,
Nil conferre etiam sacri baptismatis undas.

Alphonsus de Castro, Minorita, in suo opere contra hæreses, prædictum Lutzenburgum Dominicanum plerisq; locis seueriter taxat, quòd in suo Catalogo plures in hæreticorum retulerit numerum, quorum tamen opiniones recitat nullas. Vt uerò de Claudio Taurinensi episcopo, & de Claudio Clemente Altisiodorensi præsule aliquid dicam, propter eos qui hos duos episcopos cum uno tertio, non episcopo, Clemente scilicet Scoto, unum esse credunt, utq; omnem eorum submoueam dubitationem: Claudius Taurinensis, Gallus uel Hispanus erat, qui acriter uoce ac scriptis pugnauit contra adorationem imaginum, crucis & reliquiarum, contra peregrinationes et inuocationem mortuorum sanctorum, & multa similia, libro aduersus Theodomirum abbatem edito, & anno Domini 820 sub Papa Paschale primo uixit. Claudius Altisiodorẽsis, de quo statim, quia Scotus erat, sequetur: Alcuini olim & Ioannis Mailrosij, sub Anglo Beda presbytero, in pueritia condiscipulus fuisse scribitur, anno Christi 790, floruit, sub Hadriano primo. Clemens autem anno Domini 750 claruit, ut superius diximus, sub Zacharia primo.

IOANNES MAILROSIVS. XXXII.

IOannes Mailrosius, cognomine ac natione Scotus, Alcuini Angli doctissimi olim socius, & sub præceptore Beda, dum adhuc puer esset, condiscipulus, atq; dum bonas artes Vuermuthę profiteretur, frequens auditor extitit. Is quum esset utriusq; linguæ, Latinæ & Græcæ, peritissimus, quod de ipso referunt historici ferè omnes, adiuncto sibi Claudio Clemente, pari doctrina prædito uiro, cum mercatoribus Anglis Oceanum mare traiecit, ac Parisium usq; peruenit. Vbi quum inter alios in publicum forum prodijsset, nec quicquam patria præter literarias disciplinas exportasset, se scientias profiteri, ac sapientiā habere uenalem cum suo socio cõclamabat. Quod audiens rex Carolus, cognomento Magnus, prouisis statim necessarijs, eos ilico retinuit, ut confluentes passim ad ipsos nobilium Francorū adolescentes liberaliter erudirent. Frequens inde illuc aduenientium conuentus effecit, ut Parisij statim percelebre foret auditorium. Sanxit inde Carolus, prouocante Alcuino, ut deinceps illic esset generale bonarū artium gymnasiū, & ut Claudius in eo prælectiones inciperet: Ioannes uerò Papiam seu Ticinum concederet, ut & academiam illic & ipse inchoaret. Polydorus Vergilius, Hector, Maior, & alij, hos nihilominus ab Achaio Scotorum rege ad Carolum missos ostendūt, postquā ab eo uiros eruditos per literas petijsset. Qui licet (inquit Maior) nexibus scholasticis & Sorbonicis cautelis non abundarent, tamẽ in scripturarum sacrarum lectione eruditissimi erant. Veruntamen Ioannes iste in libro suo, quem de naturæ diuisione inscripsit, soluendis quæstionibus utilis iudicatur. Sed papistis plurimū, Antonino teste, displicuit, quòd Græcis adhærens, Rom. synagogę impura dogmata in multis nõ probasset. Composuit Ioannes eleganti sermone, rogantibus discipulis, clarissima opuscula, hæc scilicet, ut Bostonus & alij referunt,

Super canones Arzachelis, Lib. 1. De canonibus Arzachelis trac.

Ad

Ad Carolum regem,	Lib.1. *Valde quidem admiranda.*
Versus diuersi generis,	Lib.1. *Lumina sidereo recitans.*
In Euangelium Matthæi,	Lib.3.
De officijs humanis,	Lib.1.
De officijs diuinis,	Lib.1.
Dialogum de natura,	Lib.1.
De naturæ diuisione,	Lib.1.
De primo rerum principio,	Lib.1.
De Eucharistia,	Lib.1.
Commentarios scripturarum,	Lib.1.
Homelias eruditas,	Lib.1.
De Germanis, iuxta Irenicum,	Lib.1.

Nec dubitat Bostonus, plura illum adhuc edidisse. Diui Augustini Benedictinorum cœnobio, Carolus hunc Ticini præfecit, anno salutis humanæ 792, in quo & senem obijsse tandem nonnulli credunt, Scotis imperante Soluathio rege. Contra hunc Ioannem Scotum, scripsit Florus quidam, ut Simeon Dunelmensis author est in suis Chronicis: quem aliqui putant fuisse Paulum Florum, qui Iustiniani imperatoris res gestas carmine composuit. Hunc & Lutzenburgus inter suos hæreticos connumerat.

CLAVDIVS CLEMENS. XXXIII.

Claudius Clemens, illustris generis Scotus, Alcuini & Ioannis supradicti in scholis olim socius, sanctisimi Bedæ presbyteri saluberrimas Vuermuthæ & alibi lecturas frequentabat, literarum & ipse auidus. Erat autem hic Claudius, ut authores sunt Tritemius, Hector, ac Lilius Gyraldus Ferrariensis, ab ineunte ætate in diuinis scripturis ualde studiosus atque eruditus, & secularis doctrinę non ignarus, carmine exercitatus & prosa, qui & in sacris uoluminibus multa erudite exposuit. Quibus uerbis Ioannes Maior hæc addit in lib. 2 & cap. 13 de gestis Scotorum: Prima fronte (inquit) mirandum est, quomodo in orbis angulo ante uniuersitatem omnem, uiri tanta scientia pollerent. Sed omnibus æqua lance trutinatis, stupendum minime est. Nam plerique, qui Brytanniæ fines egresi nunquam erant, ut Bedas ait, Græce, Latineque ad perfectum locuti sunt, &c. Hic Claudius ille erat, qui Parisijs inter mercatores Anglos, cum Ioanne Scoto, Mailrosio dicto, sapientiam habere se uenalem dicebat, nihilque se petere mercedis loco, præter uictum & uestes. Edidit inter alia doctrinæ monumenta, dum illic esset gymnasiarches, ex Origenis, Hieronymi, Ambrosij, Hilarij, Augustini, Rufini, Ioannis Chrysostomi, Fulgentij, Leonis, Maximi, Gregorij, Bedæ, & aliorum opusculis,

Commentarios in Matthæum,	Lib.3. *Domino sancto, & in Christi.*
In Pentateuchum,	Lib.5.
In capita Iudicum,	Lib.1.
Enarrationes in Ruth,	Lib.1.
Super Psalterium,	Lib.1.
In omnes epistolas Pauli,	Lib.14.
De Euangelistarum concordia,	Lib.1.
Memoriale historiarum,	Lib.1.
Summam quandam,	Lib.1.
Homelias quoque,	Lib.1.

Atque alia ad Christianam religionem pertinentia, ut in Bostoni Buriensis Catalogo lucet. Claruit senex anno post Seruatorem natum 790, regnante

apud Scotos Achaio rege. Et constitutus demū Altisiodorensis episcopus, sub rege Carolo magno, in sua ecclesia sepelitur.

PATTO MONACHVS. XXXIIII.

PAtto Monachus, Benedictinæ professionis, natione Scotus, abbas pridem Amarbaricēsis in sua prouincia floruit, prout Albertus Crantzius in sua metropoli, seu Ecclesiastica historia, lib. 1 cap. 21, & post eum Bruschius in episcoporum Catalogo disposite ponunt. Qui, non pro Christo, ut idem Crantzius affirmat, sed pro Papæ regno propagando, longè peregrinatus, quum audisset Saxoniam illi religioni iam diu contumacem, tunc armis esse à Carolo magno coactam, ut eius traditiunculis auscultaret: quumq; uersaretur ea in prouincia, & ipsius Antichristi decreta ac superstitiones strenuè gentibus illis prædicaret; eius zelo delectatus Carolus, ecclesiæ Verdensi præfici pontificem illum iussit. Erat autem Svuidberto Anglo, primo eiusdem sedis præsuli, proximus successor. Longè enim ea diœcesis procurrit in orientem per terram ditionis Luneburgensis, usq; in marchiam Brandenburgensem. Plura scripsisse dicitur hic Patto.

Sed de illis & alijs rebus ab eo gestis, nihil nobis traditum est ab eius memoriæ scriptoribus: quocirca diuinare non licet. Pro certo tamē accipimus, claruisse illum anno uerbi incarnati 810, Achaio in Scotia regnante.

ACHAIVS REX. XXXV.

ACHaius, primus eius nominis Scotorum rex, ac Edfini regis filius, princeps omni laude cumulatus fuit, ut in quinto Anglicæ historiæ libro Polydorus Vergilius scribit. Anglosaxonum opes (inquit) quæ maiorem in modum in dies singulos creuerunt, ualde pertimescere cœpit Achaius. Vnde anno Domini 788, cum potentissimo Gallorum rege Carolo magno statim inijt fœdus duraturū, ut quoties summa occurreret necessitas, se semper mutuò iuuarent. Et non sine Dei numine id factum prædicant, quando etiam nunc amicitia inter Scotū & Gallum inuiolata manet, ita ut alter cum altero in perpetuum consentiat. Id quod etiam ferunt, assignādum odio inter uicinos suis semper finibus timentes orto: & idcirco illud utrisq; in Anglum, & Anglo uicissim in utrosq; commune esse: ita (inquit Maior) ut in Europa haud inuenias inter duo regna solidiorem pacem. Sic Francus Scoto milite cōtinenter utitur, ex perpetuo hoc fœdere cum Scotis iuncto: quibus propterea libens dat in suo regno mercaturas facere, agros habere ac domicilia, & honores consequi, perinde ac si Gallici homines essent nati. Achaius item ad Carolum, qui nouas conditurus academias, ad se usque ab extremis orbis partibus eruditos uiros aduocabat, Clementem & Ioannem, ut prædictum est, homines doctissimos misit: per quos Carolus postea & Lutetiæ & Ticini, bonas artes cunctos mortales docendos curauit. Hic per historicos colligi fecit, quod & ante illum rex Eugenius septimus tentauerat quoq;,

Acta suorum prædecessorum regum, Lib. 1.
Leges etiam condidit plures, Lib. 1.

Prædictum fœdus postea cum Philippo Valesio Gallo, Edvuardi tertij Anglorum regis tempore, renouatum est per Dauidem eius nominis secundum, regem. E uita migrauit Achaius, anno à ueri Messiæ natiuitate 819, honoreq; regio tumulatus fuit.

TANCO EPISCOPVS. XXXVI.

TAnco, natione etiam Scotus, professione monachus Benedictinus, & in sua patria post Pattonē Amarbaricēsis abbas, Crantzio ac Bruschio testibus,

testibus, Verdensis ecclesiæ tertius in Luneburgensi ditione pontifex successit. Qui & ipse pro Papæ religione, monachali more peregrinatus, inuenit se dignum locum, ut dictus Crantzius habet, in quo non Christo (ut ille refert) sed Antichristo prolixius militaret. Exoptabat enim apud ferocem illam Saxonum gentem, pro suo Abadone, coronā accipere martyrij, ut eandem in ore populi obtineret gloriam, quam audiuerat antea Bonifacium Anglum ex cōsimili casu promeruisse apud Phrisones. Per eiusmodi quoq; occasionem, ad brauium supernæ uocationis se posse peruenire putabat, & ita inter neotericos, ut demum ei contigit, numerari papistarum deos. Quæ autem scripta Tanco post se reliquerit, monstrare nequeo.

Inuida sors nobis hæc subduxit, & quo exitu aut anno hinc tandem abierit. Claruisse tamen fertur, anno Christianæ salutis 820, dum Conuallus secundus Scotorum rex in sua terra pacificè regnaret.

KORTILA SEXTVS. XXXVII.

KOrtila, uel, ut Bruschius habet, Cortyla dictus, è Scotorum gente oriundus, de longinquo per maria, ut Saxonum populis papismum prædicaret, aduenit, & sextus in ecclesia Verdensi episcopalem sedem Ceuilone defuncto suscepit. Ita frequenter recruduit Saxonum furor, absente rege Ludouico, Caroli successore, ut igne & gladio in hos plerunq; pontifices exteros, ac noui generis prædicatores sæuirent, quos malorum incentores appellabant. Inuiti etenim uidebantur, his iritatoribus, temporali Francorum iugo premi: propterea indies magis atque magis ab ipsis abhorrebant. Duplici funiculo populum illum in quotidianis concionibus illaqueabant, Romani scilicet papæ & Gallorum regis, ut eos tam anima quàm corpore concaptiuarent. Plura putatur edidisse Kortila, ad utrumq; commodum illorū: sed mihi non dabatur ea uidisse unquam.

Quid rerum ultrà gesserit, uel quantum suæ profuerit ecclesiæ, aut quo modo uitam finierit, in Verdensibus chronicis, Crantzio teste, nō scribitur. Claruisse tantum recolitur anno Christi 826, Dungallo in Scotia regnante.

HARRVCHVS OCTAVVS. XXXVIII.

HArruchus, & iste defuncto Isingero, qui ordine septimus erat, octauus in Verdensi apud Saxones ecclesia, pontifex successit, qui & Scotus natione, & abbas Amarbaricensis extiterat. Nam omnes eius sedis episcopi, qui decem numerātur, uel Angli fuere, uel Scoti, ad Vualterum undecimum usq;: quod & abbatiarum tituli, à quibus translati sunt, & ipsa uirorū nomina, testantur abundè satis. Vnde, uenisse hos (inquit Crantzius) in eam prouinciam Saxonum ab imperatoribus euocatos, persuaderi uix potest: quando de suo Franciæ regno, & propinquioribus locis euocari apposite magis poterant. Sed deuotio singularis ad papam, & in eius causa martyrij sitis, hos monachos traxit, ut pro ipso Abadone se mittterent in laborem, ad papisticæ beatitudinis præmium consequendum. Verùm, quid interim literis ipse commiserit, authores non prodiderunt.

Quamuis hoc prodant, quod sub eius episcopatu canonizati sint eius prædecessores Patto ac Tanco, & à Rom. pontifice in diuorū numerū relati. Claruit Harruchus anno salutiferi partus 830, Alpino in Scotia regnante.

KENNETHVS REX. XXXIX.

KEnnethus Scotorum rex, & Alpini regis filius, in Argadia ut regni hæres atq; imperio maturus, in demortui genitoris locū à sua plebe subli-

matus fuit. Quoniam Picti patrem eius bello captum, absque omni commiseratione aut iure bellico trucidauerant: Kennethus illos, frequēti prælio demum superatos, omnes prorsum deleuit: Camelodunum regiam eorum urbem solo æquauit, ac suum, Scotorum scilicet, regnum, ad Northumbriam usque protendit. Et ita Pictorum ferox regnum, cæsa uniuersa penè multitudine, in Albione esse desijt, quum annos mille, centum & septuaginta fuisset illic, Boethio teste, ab ipsis regnatum. Erat tunc annus à Christi Domini aduentu in carnem, DCCCXXXIX. & nondū erat Sco[illegible]um regnū in diœceses diuisum, usque ad Malcolmi tertij tempora. Alia quoq[illegible]m gessit, quibus ingenij fœlicitatem ad urbana ac religiosa, perinde atque ad [illegible]ilitiam, ostendit accommodatam. Scoticarum enim legum immensam cōgeriem, ad communem plebis utilitatem, superuacanea resecans, in breuem redegit formam, illamque uocabat

Breuiarium antiquarum legum, *Lib. 1.*
Nouasque eisdem addidit, *Lib. 1.*

Et his in foris publicis utuntur iurisconsulti. Moritur tandem rex omni uita illustris, pituitæ exundantia, apud Forteuiotum, anno sui regni 20, & Christi Domini nostri 855. Eius funus celeberrima pompa in Ionā insulā est elatū.

RABANVS MAVRVS. XL.

Rabanus, cognomento Magnentius Maurus, natione Scotus, Alcuini Angli theologi præclarissimi quondam auditor, discipulusque coniunctissimus, omni sub eo in Anglia bonarum literarū genere, Eboraci atque alibi mirabiliter profecit. Ricobaldus Ferrariensis, Ptolemæus, Volaterranus, & alij quidam, hunc Anglum fuisse affirmant: credentes, ut apparet, ex Geographorum lectione, unam esse gentem Anglorum & Scotorum, quod tamen in Brytanniæ quàm Angliæ uocabulo rectius conuenisset. Ab Achaio Scotorū rege ad Carolum Magnum, Rabanus iste cum aliquot theologis, & eiusdem regis fratre Guilhelmo, nuncius mittebatur, pro perpetuo illo inter Scotos & Gallos firmando fœdere, aduersus Anglos creberrimos hostes, & alias exoticas gentes, quod in hodiernum usque diem, ut dictum est (licet aliquoties magno eorum incommodo) perdurat inuiolatū. Iuuenis adhuc Benedictinæ sectæ monachum induit, ac tam moribus quàm scientijs mirabiliter profecit: & omnium dicendi generum peritus, Parisiensem scholam ab Anglis & Scotis inchoatam, sua doctrina celebriorem reddidit. Summus enim theologus erat, philosophus, astronomus, rhetor, ac poeta subtilissimus: cui per eam ætatē, ut de ipso scribit, nec Italia similē, nec Germania æqualem peperit. Multa etiam in Bibliorum libros & luculenter & accuratè conscripsit. Ex monacho demum & abbate Fuldensi apud Germanos in Buchonia sylua, archiepiscopus Moguntinensis post Otgarium constituebatur: ubi anno Domini 848, congregata synodo aduersus Godescalcum quendam presbyterum, qui uisis sacerdotum ac monachorum nequitijs, prædixerat ex 24 Matthæi capite instare iudicij diem, multa constituit, sed omnia in commodum & utilitatem sui cleri. Reliquit ex abundanti ingenio Rabanus, tam carmine quàm soluta oratione, monumenta quamplurima: præcipuè ad Freculphum Luxouiensem episcopum,

In Genesim, Lib. 4. *In princi. &c. Plurima super.*
In Exodum, Lib. 4. *Exodus, exitus dici potest.*
In Numeros, Lib. 4. *Numerorum librum multipli.*
In Leuiticum, Lib. 4. *Sequentis libri, id est Leuit.*

In

In Deuteronomium,	Lib.4.Filij Israel castra mouerunt.
In Iosuæ,	Lib.2.Domino beatissimo uereq; ca.
In Iudicum,	Lib.2.Post mortem Iosuæ consuluerunt.
In Ruth Moabitem,	Lib.1.Scrutantibus ergo historiam.
In Regum ad Hilduinum,	Lib.4.Fuit uir,&c.Dicamus primum.
In Paralipomenon,	Lib.4.Adam,&c.Decimus ab Adam.
In Esdram & Nehemiam,	Lib.4.
In Tobiam,	Lib.1.
In Iudith,	Lib.7.Domine electe, & meritò.
In Hester,	Lib.1.Liber Hester,quem Hebræi.
In Iobum,	Lib.1.
In Psalmos,	Lib.1.
In Prouerbia Salomonis,	Lib.1.
In Ecclesiasten,	Lib.1.
In Cantica canticorum,	Lib.1.
In Sapientiam,	Lib.3.Diligite,&c.Amouet Sapiens.
In Ecclesiasticum,	Lib.10.Omnis sapientia,&c.Principium.
In Esaiam prophetam,	Lib.8.Domino reuerendissimo,& in.
In Hieremiam,	Lib.20.
In Ezechielem,	Lib.20.Et factum est,&c.Vsus prophe.
In Danielem,	Lib.3.
In prophetas minores,	Lib.12.
In Machabæos,	Lib.3.Et factum est postquam percussit.
In Euangelium Matthæi,	Lib.8.Expectationem itaq; uestram.
In Euangelium Marci,	Lib.4.
In Euangelium Lucæ,	Lib.3.
In Euangelium Ioannis,	Lib.1.Inter omnia diuinæ historiæ.
In omnes epistolas Pauli,	Lib.23.Venerando fratri Lupo,in.
In epistolas Canonicas,	Lib.7.
In Acta Apostolorum,	Lib.1.
In Apocalypsim Ioannis,	Lib.1.
De laude crucis,	Lib.2.Rex regum Dominus,mundum.
Ad Haymonem de uniuerso,	Lib.22.Primum apud Hebræos Dei.
De uniuersali natura,	Lib.1. Vniuersitatis disputatio.
De diuinis officijs,	Lib.1.
Ad Ludouicum Regem,	Lib.1.
Ad Herebaldum episcopum,	Lib.1.
De quæstionibus Canonum,	Lib.1.
De proprietate uerborum & rerum,	Lib.22.
De institutione clericorum,	Lib.3.Domino re.ac reli.Haistulpho.
De computo,dialogum,	Lib.1.Quia te uenerande præceptor.
De corpore & sanguine Domini,	Lib.1.
De rerum naturis,	Lib.5.
De prædestinatione,	Lib.1.
De opere Christi,	Lib.1.
De benedictionibus patrum,	Lib.1.
De uidendo Deum,	Lib.1.
De puritate cordis,	Lib.1.
De pœnitentia,	Lib.1.
De ortu & moribus Antichristi,	Lib.1.

Signa natiuitatis Domini, Lib.1.
Epistolarum ad diuersos, Lib.1.
Sermones plurimos, Lib.1.
De uirtutibus numerorum, Lib.1.
De omnibus sanctis Homelias, Lib.1.

Et alia sine certo numero. Vita Rabanus excessit, anno à Seruatoris ortu 856, & archiepiscopatus sui decimo anno, in monasterio diui Albani prope Moguntiam sepultus, Donaldo quinto Scotis imperante, & Alemanis Lothario. Quod monasteriū, referente Nauclero, terræmotu secundo pòst anno & mense Februario corruit.

APPENDIX.

De hoc Rabano sic habet Ioannes Tritemius in Catalogo scriptorum Ecclesiæ: Tandem offensus (inquit) improbitate suorum monachorum Fuldensium, qui eum dicebant nimium scripturis intentū sacris temporalia negligere, agente id in eis diabolo, displicentiam contra eum acceperunt, scandalizati in eo quo maximè debuerant ædificari. Dans igitur locum iræ eorum, nec cum ingratis ouibus diutius manere consentiens, monasterium & habitatores eius deseruit, & ad Ludouicum imperatorem Caroli filium transmigrauit, cum quo & multis diebus permansit. Monachi autem pœnitentia ducti, legationem ad illum mittentes, rogabant ut ad monasterium rediret: sed non impetrarunt. Mansit ergo cum Imperatore ad mortem usq; Otgarij Moguntinensis archiepiscopi: in cuius locum suffectus, eidem præfuit ecclesiæ. Tanti uiri eruditionem (inquit Bruschius) omnes Bibliothecæ nobis commendāt, & quantum ingenio ualuerit, edita ab eo uolumina demonstrant. Bibliothecam enim Fuldensem, tanta librorū multitudine locupletauit, ut dinumerari uix queant. Illum tamen Thomas Vualdenus in epistola ad Papam Martinum quintum, & in libro suo de Sacramentis, inter hæreticos numerat, cum Herebaldo quodam Altisiodorēsi episcopo, quem Reginbaldum Tritemius appellat: quòd eucharisticum panem, cibum digerendū esse dixerit, & secessui obnoxiū, Bertramiq; partes fouerit.

ANONYMVS SCOTVS. XLI.

ANonymus quidam Scotorum episcopus, quem tamē alij Fothadum, alij Ethelredum dici putant, uir ualde ingeniosus, doctus, & eloquēs, hac ætate sub Duffo, Culeno & Kennetho Scotorum regibus claruisse scribitur. Istum Alpherus Merciorum comes, ab Elfritha Anglorū regina prouocatus, in Angliam cum aliquot uiris eruditis, anno Domini 976 aduocauit, ut sacerdotum cōiugia contra monachorum tyrannidem & hypocrisim defenderet. Quum uero apertis rationibus, argumentis ac scripturis in Caluensi synodo Dunstanum archiepiscopum Cantuariensem cum sibi adhærentibus superasset, ita ut non haberent quod responderent, eò res deuenit, ut Dunstanus diceret se senio confractum, & ecclesiæ laboribus ita fatigatū esse, ut studijs incumbere ulterius non posset, & nec uelle se eiusmodi colloquijs deinceps molestari. Et quamuis (furiose inquit) uideamini uictoriam habere, ea tamē non gaudebitis, nec uelle uestrū in ea parte sequetur. Vnde malis artibus per eundē Dunstanū hos uita priuatos, euersa domo in qua disputabant: Vincentius, Antoninus, Capgrauus & Fabianus in suis Chronicis affirmare uident̄. Bruschius tamen lib. 2. de Patauiensibus archiepiscopis, occisum refert anno Domini 1012, apud Stockherouium, qui locus est sex supra Viennam milliaribus in sinistra parte descendentis Danubij, & inde ad Melicense cœnobium translatum esse. Is Colomannus (ait) patria Scotus, Malcomi regis filius, Ethelredus initio, sed postea ab euentu Colomannus dictus, post patris obitum, maximis in regno dissensionibus & bellis inter fratres exortis, exul in Germaniā uenit. Per quam dum linguæ Germanicæ ignarus peregrinaretur incautius, cum quodam fortunarum suarum socio Gothalmo, à Stockherouiensibus agricolis trucidatus est. Quid autem scri-

pserit,

pserit, seu Fothadus seu Ethelredus is fuerit, præter argumēta quædam pro coniugio sacro aduersus prædictum Dunstanum, certè non lego.

MALCOLMVS SECVNDVS. XLII.

MAlcolmus Secundus Scotorū rex, Kennethi tertij regis illustrissimi filius, & Cumbriæ olim, Anglorum regis beneficio princeps, duodecimo die post extinctum patrem, more progenitorum fatali insidens cathedræ, faustis omnium acclamationibus consalutabatur. Qui post uictum singulari certamine Grimum, regni sui inuasorem ac tyrannum, consopitis aduersariarum factionum seditionibus, multa ad Scoticæ plebis commoditatem ordinabat. Magistratus ciuiles insignibus uiris, patrio iure eruditis, militares autem claris bellica uirtute heroibus commendauit. Nec unquā diuo defuit Edvuardo Anglorum regi, cognomento Simplici, cum ualida Cumbrorū manu, aduersus immanissimos Dacos, ex fœdere suppetias ferre. Fœliciter eo modo administrata per illum republica, ut & perciperent posteri ex eius operibus fructum, condidit inter cætera, quas regni primores iudicijs ferendis exinde ferè seruarunt immutatas,

Leges municipales, *Lib.1.*

Et alia quædam. Ad Glammys oppidum insidijs petitus, per quosdā aulicos, largitione corruptos, noctu tandem trucidabatur. Perijt Malcolmus anno salutiferi partus 1040, & administrationis suæ xxxj, in Iona insula maiorum more sepultus.

HELIAS SOLITARIVS. XLIII.

HElias Solitarius, natione Scotus, relicta patria uir factus, in Germaniā cum alijs uenit, & anno Domini 1035, ut Marianus in Chronicis prodit, monasteria D. Pantaleonis ac D. Martini in Colonia pariter regebat. Qui propter monasticam disciplinam (inquit) & strictius uitæ genus, in utriusq; monasterij abbatem assumptus, sub Piligrino eius sedis archiepiscopo, maleuolis instigantibus, incommoda multa pertulit. Decreuerat enim idem archiepiscopus, expellere omnes Scoticæ nationis monachos, quos secum habebat in dictis cœnobijs Helias, quum de Curte regia, loco sic dicto, reuertisset. Sed ut certò presagiebat Helias, Piligrinus interim moriens, nunquam deinceps Coloniam peruenit. Prædicta uerò cœnobia, Guilhelmus Achai Scotorum regis frater, qui sub Carolo Magno militauerat, cum alijs tredecim in Alemania quondam erexit, proprijs impensis dotauit, & ut Scoti eisdem quoq; præficerentur instituit, ut Maior in lib.2 cap.13 de Scotorum gestis insinuat. Aliqua edidisse Helias dicitur, sed operum titulos nequaquam inuenio.

Prudentem ac religiosum uirum, prædictus Marianus in suis annalibus illum uocat, ac mortē obijsse Coloniæ demonstrat, anno incarnati uerbi 1042, & 2 idus Aprilis, Duncano in sua patria regnante.

ANMICHADVS INCLVSVS. XLIIII.

ANmichadus Inclusus, præclari generis Scotus, post uaria bonarum literarum studia, de gente & cognatione sua exiens, longam per Gallias ac Germaniam, sub imperatoribus Henrico secundo & Conrado primo, peregrinationem fecit. Qui ad Fuldēse monasterium, in Buchonia Germaniæ sylua, inter Hassiam & orientalem Franciam situm, perueniens, cum magna uitæ austeritate inclusionem accepit. Erat autem monasterium illud ab Anglo Bonifacio, magno Germanorum apostolo, olim pro suis Anglis ac Scotis in amœnissimo loco superstitiose fundatum, & est omnium Germaniæ monasteriorum caput, abbasq; eius loci abbatum omnium primas, & Ro-

mani (ut Bruschius habet) imperij princeps. Quid Anmichadus illic ad Christianae plebis utilitatem commiserit chartis, apud historiographos certè nullibi reperio, quamuis quaedam edidisse illum non negent.

Ceterùm, obijsse eum eodē in cœnobio anno à filij Dei incarnatione 1043, & *tertio* calēdas Februarij, Marianus in Chronicis refert, in Scotia regnante praedicto Duncano. Et super *eius* (*inquit*) *sepulchrum uisa sunt lumina, & psalmodia audita.*

MARIANVS SCOTVS. XLV.

MArianus Monachus, cognomine ac natione Scotus, homo in literis tā diuinis quàm humanis *eruditus, tumultuātibus* in sua patria rebus sub Machabaeo tyranno, *relictis* fortunis, in Germaniā peregrinus aufugit. Coloniae *primùm* in D. Martini cœnobio monachus effectus, *solitudinis* ac studij desiderio per biennium *permansit inclusus*. Fuldam inde per monachos translatus, ac postea Moguntiam per eius sedis archiepiscopum, triginta annis ferè *omnium* admiratione solitarius durauit, atque continuis perseuerauit studijs. Habebatur à suis monachis, *historiographus insignis*, computista celeberrimus, ac theologus grauis, quae nomina in hodiernum usque diem & scriptores omnes illi adhuc tribuunt. Plurimùm nempe dicitur laborasse in *corrigendis temporum* & annorum erroribus, ex paschali cyclo Dionysij Romani, ut à iusta Euangelicae ueritatis computatione omnia duceret, quae in historijs sequuntur. Et ex Asserio Meneuēsi chronographo, ut author est Lelandus, flores collegit. Vnde composuit Marianus, à condito mundo ad suam fermè senectutem,

Annales chronicorum,	*Lib. 3. Diuino informamur praecepto.*
Euangelistarum concordiam,	*Lib. 1. Fuit in diebus Herodis regis.*
De uniuersali computo,	*Lib. 1. Menses dicuntur à mensura.*
Emendationes Dionysij,	*Lib. 1. Quia Chronicae nouae annorum.*
De magno Cyclo paschali,	*Lib. 1.*
Algorismum quoque,	*Lib. 1.*
Breuiarium in Lucam,	*Lib. 1.*
Annotationes scripturarum,	*Lib. 1.*
Epistolas hortatorias,	*Lib. 1.*

Atque alia, ut ex Gualtero Albanēsi & alijs scriptoribus intellexi. Moguntiae demum obijt, anno gratiae 1086, & aetatis suae 58, in maiori templo apud D. Martinum sepultus, Scotis imperante Malcomo tertio, & Alemanis Henrico etiam tertio.

APPENDIX.

Ex tertio libro Matthaei Vuestmonasteriensis, de historiarum floribus. Marianus Scotus, Bedae linealiter ex parentibus olim Anglis consanguineus, ipsius sancti libros omnes cum alijs multis perscrutans, similis illi in moribus & in scientia esse nitebatur. Iste primùm à condito mundo, postea à Christi natiuitate chronicam incipiens, ueram et plenariam usque ad annum Domini 1082 perduxit, multum laborans ut errorem computationis annorum Christi corrigeret. Super hoc enim multorum opinio animos lectorum reddidit suspensos, &c. Ex Martonensi bibliotheca Oxonij: Anglus quidā Marianū Scotum impugnabat, & contra eius calculationes uehementem scripsit librū, qui incipit: De numero annorū ab incarnatione Domini, quidam calculator, &c. Ex tertio libro Chronicorū eiusdē Mariani: Anno Domini 1074, Hildebrandus, qui & Gregorius septimus papa, synodali iudicio multorū episcoporū cōtradicēs, interdixit presbyteris, diaconibus, omnibusque clericis uxores, deinceps habere, aut omnino cum fœminis habitare, nisi cum eis quas regula uel Nicena synodus cōcessit. Et anno Domini 1075, plures clerici sub sententia interdicti Apostolici libentius esse uoluerunt, quàm fœminis & uxoribus carere. Sed ut uel per alios castigarentur, decreuit papa synodica legatione, etiam hoc anno, ut nullus Christianus audiret missam coniugati presbyteri, &c.

VERE-

VEREMVNDVS HISPANVS. XLVI.

VEremundus presbyter, ad diuum Andream olim in Scotiæ regno archidiaconus, natione tamē Hispanus, ob multiplicem, & ut Scotis tum uidebatur, reconditam eruditionem, plurimum apud ipsos ualebat. Atque erat sua tempestate philosophus, rhetor, theologus & historicus, inter sui similes non incelebris. A' multis etiam illum commendat Hector Boethius, nostri temporis scriptor eximius, in Chronicorum suorū opere, præcipuè ab his quæ ad historiam spectant: ut quod clarè ac lepidè ueterum heroum gesta tractauerit, quòd uero similiora sine circulatorū fabulis tetigerit, & quòd fuerit ab externis authoribus in temporum supputatione minus dissonus, Bedæ sanctißimo in temporum narratione plenè consentiens. Congeßit enim Latinè & lepidè, à Scoticæ gentis exordio, usque ad Malcomi tertij cognomento Cammoiri tempora, ipsiq; dedicauit,

Scotorum antiquitates, Lib.1.

Aliaq; dabat hominum memoriæ, sed crueta bellorum strages ea omnia sustulit. Claruit anno restaurationis humanæ 1090, sub Malcomo præfato Scotorum rege. Et eius historiam Guilhelmus Elphinstonus Aberdonēsis episcopus, tandem sub Iacobo 3 restituit.

DAVID PRESBYTER. XLVII.

DAuid presbyter, natione Scotus, antiquorum philosophorum exemplo ductus, reliquit terram patriam, & amore bonarum disciplinarū longinquas regiones adijt. In superiorem Germaniā post longa ac laboriosa studia expaciatus est, ad Vuirciburgensem scholam insignem pædotribes tandem admissus. Eo tempore Henricus quintus imperator, in Italiam rebus agendis proficiscens, se non solum armatis militibus, sed & peritis quoque uiris ac literatis hominibus muniuit, ut per ipsos cuiq; poscenti, in omni eruditione rationem redderet. Inter eos Dauidem hunc Scotum, à sacellis habuit, doctrina ac morum probitate præstantē uirum. Qui iussus ab illo, ut Vrspergensis abbas Conradus à Lichtenavu in Chronicis author est, itineris eius cursum, rerum in eo gestarum ordinem, facili stylo, quo ab omnibus intelligeretur, congeßit. Et Guilhelmus Malmesburiensis, in libro 4 de Regibus: Dauid Scotus (inquit) Bancornensis episcopus, iter Cæsaris ad Romam exposuit, quod Panegyricum dici poterit. Quod tamē opus prænotauit hic Dauid,

Expeditionis seriem, Lib.3.
Magistratuum insignia, Lib.1.
Apologiam ad Cæsarem, Lib.2.
De regno Scotorum, Lib.1.

Et alia plura scriptis protulit. Simplicibus & indoctis (inquit prædictus Conradus) consuluit historicus iste, in expeditionum opere, per sermonis rusticitatē, ne cuiquam esset eius lectio grauis. Claruit anno Christi 1110, Alexandro primo in Scotia regnante.

RICARDVS DE S. VICTORE. XLVIII.

RIcardus de S. Victore, ad muros olim Lutetianos seu Parisienses, sub titulo D. Augustini Canonicus regularis, sed genere ac natione Scotus, ex continua, in literaria palæstra, exercitatione, disputator euasit omnium sui temporis acutißimus. Vnde speciosum apprimè ac decorum ei uidebatur, & rerum sacrarum lectioni ualde conducibile, omnia Peripateticorum more diffinire ac diuidere, & per demonstrationes naturales comprobare.

Ingenij sublimitate flagrans & æstuans, Apostolis ac Prophetis, in scripturis sanctis multo peritior haberi uoluit, æterno Christi spiritui, in earum expositione, Platonicas ideas præferens. Diuinam philosophiam à sui spiritus uigore ad frigidas allegorias, Essenorum exemplo, imò modernorũ Anabaptistarum more, deduxit, ad opera nostra per hypocrisin ea trahens, quæ ad Dei uiuentia uerba seu fidei regnum spectant. Ita tunc sese contra Deum erexit sapientia carnis, uiam Abbadoni Antichristo, & eius horrido regno assiduè pullulanti parans. Nam & de authoritate Petri apostoli pro suo papa, ac de profectu monachorum, pro confirmanda eorum hypocrisi, inutilia plura quotidie disputabat. Atq; ad perpetuandam tum demum sui nominis gloriam, hæc quæ sequuntur uolumina contexuit,

De sancta Trinitate,	*Lib. 6. Iustus meus ex fide uiuit.*
De gratia contemplationis,	*Lib. 5. Surge Domine in requiem tuam.*
De duodecim patriarchis,	*Lib. 1. Beniamin adolescentulus in.*
De Arca mystica,	*Lib. 5. Mysticam illam Mosi, &c.*
De xlij mansionibus,	*Lib. 1.*
In Cantica canticorum,	*Lib. 1. In lectulo, &c. Anima quæ.*
De exterminatione mali,	*Lib. 2. Quid est tibi mare quòd fugisti.*
De promotione boni,	*Lib. 1. Omne caput languidum & omne.*
Contra Iudaizantes,	*Lib. 1. Ecce uirgo concipiet & pariet.*
De tabernaculo fœderis,	*Lib. 1.*
De tribus appropriatis,	*Lib. 1. Quæris à me mi Bernarde.*
De authoritate Petri,	*Lib. 1. Quodcunq; ligaueris super ter.*
De potestate iudiciaria,	*Lib. 1. In regeneratione cum sederit.*
De 4 gradibus charitatis,	*Lib. 1.*
De charitate uiolenta,	*Lib. 1.*
De peccatorum differentijs,	*Lib. 1. Quoniam quæstioni tuæ, &c.*
De instructione nouitiorum,	*Lib. 1. Afferte Domino filios Dei.*
De spiritu blasphemiæ,	*Lib. 1. Quæ in Euangelio leguntur.*
De sacerdotio Melchisedech,	*Lib. 1.*
De 12 apparitoribus,	*Lib. 1.*
In Apocalypsim Ioannis,	*Lib. 1. Accipe charissime frater & hoc.*
In Danielis prophetiam,	*Lib. 3. Quoniam illud Nabuchodonosor.*
Exceptionum uel diuisionum,	*Lib. 4. Deus summe bonus & immutab.*
De studio Sapientiæ,	*Lib. 1.*
De profectu Monachorum,	*Lib. 1.*
In Esaiam prophetam,	*Lib. 1. Exponens illud, Ad me clama.*
De uerbis Esaiæ,	*Lib. 1. In illa die nutriet homo uaccam.*
De Apostolorum actis,	*Lib. 1. Misit Herodes rex manus, ut.*
De oratione mentali,	*Lib. 1.*
De triplici holocausto,	*Lib. 1.*
De uerbis Apostoli,	*Lib. 1. Quæris, quomodo ab Apostolis.*
Aliud opus de eisdem,	*Lib. 1. Ea quæ de lege & Apostolo.*
De uitæ nouitate,	*Lib. 1. Expurgate uetus fermentum.*
De officijs Ecclesiæ,	*Lib. 1.*
De diuersis effectibus,	*Lib. 1.*
De uisione Nabuchodonosor,	*Lib. 1. Quid est illud, quod fiet.*
De quatuor uentis,	*Lib. 1. Videbam, & ecce arbor in.*
De Emanuele, dialogorum	*Lib. 2. Post illum, quem superius.*
Epitomen Bibliorum,	*Lib. 1.*

Chronicon

Chronicon à mundi initio,	Lib.1.
Explanationes Psalmorum,	Lib.1.
In Threnos Hieremiæ,	Lib.1.
Aduersus Andream Anglum,	Lib.1.
De Paschate gemino,	Lib.1.
De sacrificijs Abrahæ & Dauid,	Lib.1.
De sacrificijs Abrahæ & Mariæ,	Lib.1.
Confessionale quoddam,	Lib.1.
De statu interioris hominis,	Lib.3.
De eruditione eiusdem,	Lib.3.
De uerbo incarnato,	Lib.1.
De plagis in mundi fine,	Lib.1.
Difficultatum declarationes,	Lib.1.
De Spiritus sancti amore,	Lib.1.
Quibus prosint eleemosynæ,	Lib.1.
De baptismo Christi,	Lib.1.
Comparationes Christi & Mariæ,	Lib.1.
In signum populorum Christus,	Lib.1.
Difficultates ex tabernaculo,	Lib.1.
De templo Salomonis,	Lib.1.
Regum Iudæ & Israel tempora,	Lib.1.
De uisione Ezechielis,	Lib.1.
De templo Ezechielis,	Lib.1.
De die Paschæ,	Hom.1.
De paracleti missione,	Hom.1.

Atque alia non pauca. In libro 3 de gestis Scotorũ, cap. 11 tradit Ioannes Maior, quòd omnium primus Christiparam uirginem originali noxa leuarit. Quàm temerarium hoc fuerit, iudicent qui scripturas norunt. Claruit anno incarnati Messię 1140, sub Dauide primo Scotorum rege, Parisijs tandem ad D. Victorem sepultus, cum hoc epitaphio.

Moribus, ingenio, doctrina clarus, & arte,
Puluereo hic tegeris, docte Ricarde, situ.
Quem tellus genuit fœlici Scotica partu,
Te fouet in gremio Gallica terra suo.
Nil tibi Parca ferox nocuit, quæ stamina paruo
Tempore tracta, graui rupit acerba manu.
Plurima namque tui superant monumenta laboris,
Quæ tibi perpetuum sint paritura decus.
Segnior ut lento sceleratas mors petit ædes,
Sic propero nimis it sub pia tecta gradu.

CLEMENS DOMINICANVS. XLIX.

CLemens Dominicanus, ex Scotiæ terra oriundus, uir erat per suam ætatem scientijs clarus, & moribus ornatus, ut ex Leandri Bononiensis ac Philippi Vuolphij scriptis liquet. Leander enim in tertio libro de Viris illustribus Prædicatorum, inter alia sic habet: Clemens (inquit) in Scotia antistes, & patris Dominici ordinem professus, fide & uirtutibus plenus, anno Domini 1250 uita functus est. Eadem, uel ipsis non dissimilia uerba profert & Philippus, in tertio etiam libro de peritorum uirorum uitis, aliquot additis ad decorem dictionibus. Inde colligi potest, hominem fuisse Clementem

hunc, aliquo doctrinæ genere ea tempestate famosum & illustrem. Sed episcopatus sui nomen authores isti non apponunt, nec operũ eius titulos pronunciant, quum aliqua tamen scripsisse illum designent.

Plura his addere opus esse nõ uideo, quum hæc sola sint, quæ nobis commendauerint prædicti authores. Vitæ finem Clemens hic habuit, anno quo dictum est, sub Alexandro 3 Scotorum rege.

IOANNES CAMPVSBELLVS. L.

IOannes Campusbellus, præclari generis Scotus, ex nobilissimorum Argadiæ Comitum peruetusta familia, reque bellica insigni, uitæ per parentes originem traxit. Magna illum tenuit, cum adhuc puer esset, bonarum literarum uoluptas, quas & sub dignis præceptoribus, ut annales eorum referunt, fœliciter tandem assecutus est. Fœcundum habebat ingenium, et disciplinis omnibus ualde accommodatum. Vnde post adeptam multarum rerum noticiam, historias perquirere, quę temporum sunt patefactrices, dulcissimum duxit, ac magnifica priscorum heroum gesta ex ipsis elicere. Cæterùm ex diutina & crebra earum lectione ac labore, Chronographus effectus (probatum authorem Boethius eum appellat) à Scoticę gentis origine ad suam ætatem usque, per regum omnium successiones, abundè ac nitidè satis omnia complexus est. In quibus perpulchrè describit Claudij Cæsaris expeditionem in Brytãnos et in Orchades insulas, eo tempore quo Petrus Apostolus ex Antiochia in alias Orientis prouincias sit profectus. Hominum ergo memoriæ commendauit, perpetua recordatione uir dignus,

Scotorum chronicon, Lib. 1.

Quod quasi in fascem redactum, res eorum insigniter gestas cõtinet. Claruisse fertur anno à conceptu uirgineo 1260, sub Alexandro tertio Scotorum rege: & illum authorem in sua historia Hector Boethius potissimũ sequitur.

THOMAS LEIRMOVTH. LI.

THomas Leirmouth, uel alio cognomine Ersletonus, genere quidem Scotus, ex præcipua prædicendi tam arte quàm consuetudine, ab Anglis & Scotis uates habebatur insignis. Nam & hoc de ipso manifestum adfert testimonium Hector Boethius Deidonanus, in libro 13 Scotorum historiæ: Quemcunque (inquit) illum existimare placet, quo'ue afflatum numine, præclarus sanè uir erat, ac toti suæ terræ admirabilis. Nec ferè aliter quàm mox euenerat, licet obscuris de industria uerbis uteretur, futura prognosticabat. Hæc ille. Suo enim tempore tam sæuiebant in Septẽtrionales Anglos Scoti, quemadmodum in suis Chronicis commonstrat Nicolaus Triuethus, ut in patria Northumbriẽsi mulieribus mammas abscinderent, ac scholares circiter ducentos in ipsis scholis comburerent. Edidit uerò inter alia Thomas, in Scotico sermone,

Vaticinales rhythmos, Lib. 1.

Et ob id, teste Ioanne Maiore, rhythmicus uates ab Anglis cognominatur. Repentinã prædixit Alexandri tertij Scotorũ regis mortem anno Domini 1286, sub quo & ipse claruerat, ubique per adiacentes prouincias famigeratus.

MICHAEL SCOTVS. LII.

MIchaelem Scotum non grauabor his addere, propter authores illos, qui ex patrio solo Scotum esse putant, quum tamen Anglus & Dunelmi educatus primùm, ex aliquorum eorum scriptis fuisse uideatur. Adducam hoc loco Lelãdi Antiquarij uerba, ex eius opere de illustribus Anglis.

Michael mathematicus (inquit) proprio cognomine Scotus dictus, non tamē à regione natali: nam à fide dignis didici, eum in Dunelmensi ditione genitum & ortum fuisse, ac prima in literis incrementa Dunelmi imbibisse. Maturior annis, Isidis uadum & Lutetiam de more petijt, ubi philosophiæ ac mathematicis artibus diligentissimam adhibuit operam. Conscendit etiam tandem per gradus ad ipsa theologiæ fastigia. Et quia magiæ naturalis penitiores recessus inuestigauit, necromanticus à uulgo creditus est. Comparata autem doctarum linguarum cognitione, interpretationi se consecrauit, qua parte & bonas artes iuuabat, Rogero Bacone non malo teste, in libro de linguarum utilitate. Conradus Gesnerus Michaelis meminit, cuius & opus de Physiognomia notat. Hæc Lelandus.

Cætera huius Michaelis opera, quę octodecim sunt numero, cum eorum titulis, in Centuria quarta Brytānicorum scriptorum inuenies. Claruit anno à diuini uerbi incarnatione 1290, Ioanne Baliolo in Scotia regnante.

IOANNES DVNS. LIII.

IOannis Duns, cognomento Scoti, uitam & prodigiosa facta, scripsere quidem multi, præcipuè Franciscanorum & Dominicanorū chronographi, qui omnes ab ingenij acumine subtilem pronunciant, ac Scotum natione diuulgant. Nec dedignatur Ioannes Maior, in libro 4 & cap. 16 de Scotorum gestis, illorum subscribere sententijs. In eadem (inquit) tempestate, post Ricardum de Media uilla, scripsit Ioannes Duns, doctor subtilis, Scotus Brytannus de uico Duns, octo millie passibus ab Anglia distante, & à me septem aut octo leucis ortus. Hunc puellum in grammaticis initiatum, ad Oxonium duo fratres Minores Scoti duxerunt (quia tempore illo, in Scotia nulla erat uniuersitas) & in Minorum conuentu, gratia istorum duorum fratrum, Oxonij conuersatus, beati Francisci religionem professus est. Vir erat sublimi ingenio, & oppugnator acer, propterea Subtilis nomen non ab re meruit. Sic Oxonij profecit, ut in Metaphysicam & in quatuor Sententiarum libros monimenta lectione digna posteris reliquerit. quod Sententiarum scriptum, opus Anglicanum, siue Oxoniense, uulgò dicitur. Postea à Minoritanis Parisiensibus uocatus, lecturam aliam in Sententias, priore contractiorem & magis frugiferam edidit. Hæc Maior. Contendunt (ait Lelandus) scriptores multi, uerbis multis, at rationibus paucis aut nullis, hunc Scotum fuisse. Inter quos & Tritemius, cui ne posteri hac parte fidem habeant, certa ex hac ediscant inscriptione, quæ passim in codicibus bibliothecæ Martonensis in Oxonio comparent: Explicit lectura doctoris Subtilis, in uniuersitate Oxoniēsi, super libros Sententiarum scilicet: doctoris Ioannis Duns, nati in quadam uilla de Emyldun, uocata Dunstane (contractè Duns) in comitatu Northumbriæ, pertinente ad domum scholasticorum de Marton Bavule in Oxonio, & quondam dictæ domus socij. Sic Lelandus. Opera uiginti & unum edidit, ut in Centuria quarta præsentis operis claret, quorum titulos nunc denuò repetere opus non est.

De pernicioso eius doctrinæ genere, atque opinionibus improbis, illic abundè tractatur. Coloniam demum à suis Franciscanis inuitatus, uenit: ubi anno Domini 1308, extremum inter eos diem iuuenili adhuc ætate clausit, regnante in Scotia Roberto Brucio.

STEPHANVS BROVVNE. LIIII.

STephanus Brovune, Carmelitanæ factionis monachus, ex illis duodecim theologis Aberdonensibus unus esse perhibetur, quos Eduuardus primus Anglorū rex accersiri in Angliam iussit, & Oxonij retineri, ne suos

apud

apud Scotos conatus impedirent, dum, ut Boethius tradit, eius regni monarchiam peteret. Nam dum anno sexto post Alexandri tertij Scotorum regis mortem, scilicet anno Domini 1292, eidem Edvuardo liceret, ex optimatum eius regni sententia futurum regem dicere, concilium aduocauit, mature agitaturus, ea de re cum suis, antequam eorum legatis respōsum daret. Et omnes mox ueterum historiarum annales, magna diligentia perquiri fecit, pro cognoscendo suorum prædecessorum iure ac titulo ad idem Scotiæ regnum: & inuenit se per authentica scripta Scotici regni monarchā, rege sine liberis decedente, ut Ranulphus Higdenus in lib. 7 cap. 39 Polychronici refert. Oratoribus ergo respondit, se perinde populi Scotici atque Anglici libertatem rempublicamque, suo studio ac patrocinio conseruaturum: sed quum interregnum esset, & olim Scoti reges fidem sæpissimè eius maioribus obligassent, uelle speciatim à Scotis principibus cōceptis uerbis iusiurandū sibi dari, ut Scoticę terræ domino, atque cunctas regni arces in suam potestatē tradi, ac tum demum daturum operam regi creando. Qui, licet petitio uisa sit nedum aspera, sed & parum iusta, quia tamen inter se tunc principes dissidebant, regi morem gesserunt. Stephanus autem ita se postmodum gerebat, ut sub Edvuardo tertio, Rossensis in sua patria pontifex designaretur. Qui inter cætera scripsisse fertur, coram regibus factas

Conciones eruditas, Lib. 1.
Lecturas in theologia, Lib. 1.

Et alia quædam. Claruisse etiam senex putatur circiter annū à Christi aduentu in carnem 1340, sub Dauide secundo Scotorū rege. Eius meminit Conradus Tremonius, Germanus Carmelita, in episcoporū sui ordinis Catalogo ad Thomam Vualdenum.

THOMAS VAROYE. LV.

THomas Varoye, origine Scotus, & claro genere natus, tam proba morum ac literarum educatione, ut ea tempora dabant, ab ipsa profecit infantia, ut ad quodlibet pro republica subeundum munus, potēs crederetur. Erat ille pòst diuturna liberalium artium studia, doctor ac præpositus primus Bethvualiæ, ut Maior indicat libro 6 & cap. 4 de gestis Scotorum, poetaque ætati suæ planè consentiens: hoc est, rusticus, insipidus, ac barbarus. Interea tamen, quamuis inconditum & agreste sit eius carmen, non uenit nihilominus, ob rerum gestarum historiam, omnino cōtemnendum. Huius tempore Ioannes Steuartus, Roberti regis primogenitus, post patris mortē corona regia insignitus fuit: & Ioannis in eo nomen, in Roberti nomen commutatum. Placuit optimatibus (inquit Polydorus) huic nomen patris imponere, quod Ioannes parū esset nomen regibus fœlix, omen à Ioanne Francorum rege accipientibus, qui inauspicatò cum Anglis pugnasset. Sed uide Papistarum insaniam. Ioannis uocabulum, quod in Euangelio Spiritus sanctus exhibet sanctissimo Christi Domini præcone, quo nullus in mulierum natis maior, dignum, insulsissimi præstigiatores exosum habent, infortunatum iudicant, ipsisque formidandum regibus somniant. Composuit Thomas utroque stylo, prosa ac metro, opuscula plura, præsertim

De Otterburnensi prælio, Lib. 1. *Musa refert fatum, fore scriptum.*
Odas & rhythmos, Lib. 1.

De cæteris eius elucubrationibus nihil apud Scotorum historiographos reperio. Claruit anno à filij Dei incarnatione 1390, sub Ioanne Steuarto, prędicto Scotorum rege, quem permutato nomine Robertum tertium appellant.

IACOBVS

IACOBVS STEVARTVS. LVI.

IAcobus Steuartus, eius nominis Scotorum rex primus, Ioannis Steuarti, qui, ut dictum est, mutato nomine Robertus uocabatur, iunior filius, patrem, auum, ac proauũ in uirtute, ut recitat Maior, longè exuperabat. Is autẽ quatuordecim natus annos, à patre in Gallias missus anno Domini 1406, ut apud principes Francos, mores & linguam gentis addisceret, fortè in naues Anglicas dum eò proficisceretur incidit. Henricus quartus Anglorum rex, sua classe captũ adolescentem regium, non modò non neglexit, sed magnopere curauit (inquit Polydorus) ut ille se in bellicis ac ciuilibus rebus exerceret. At pater, uir teneriore animo, cœpit ob eum casum repentè frangi, quòd filium iam pro perdito haberet: atque ita cadere, ut nulla res eum ad æquitatem animi potuerit extollere, sed breui pòst è uita migrauit. Sub prædicto tamen Henrico rege Iacobus per diuersi generis pædagogos instructus, humaniores artes, Grammaticam, Oratoriam, ac Poeticen, pro tempore satis nouit. Musicam uerò exactè tenebat, ac quicquid illi arti est affine. In uernaculo sermone, ornatissima carmina faciebat: Latinè uerò iuxta eius ætatis morem incondita & confusa, grauibus tamen referta sententijs. Et inter cætera, dum esset in Anglia captiuus, in Anglico sermone congessit,

Super uxore futura,	Lib. 1.
Cantilenas Scoticas,	Lib. 1.
Rhythmos Latinos,	Lib. 1.

Et alia, quæ multis sunt probata. In suam patriam post xvij annos dimissus, ducta prius Ioannis Clarentiæ ducis priuigna, Scotici regni administrationem xiij annis tenuit. Occisusq; demum à suis est anno Christi 1436, die Februarij 20. in Parthi suburbio apud Carthusianos sepultus.

APPENDIX.

Ex Anglicæ historiæ libro 22 Polydori Vergilij: Iacobus post longum exilium in patriam reuersus, res parũ quietas reperit, quòd sub idem tempus Robertus Albaniæ dux regni gubernator, è uita excesserat. Quare confestim principum conuentum fecit, in quo postquam ipse cum regina coronatus est, & regni status rectè constitutus, cum senatu egit, ut se pecunia iuuaret. quod libenter cuncti fecerunt. Rebus ex sententia ita actis, tanta gloriæ ueræ cupiditas Iacobum à primo cæpit, ut nihil posthac antiquius habuerit, quàm bonas literas paßim docendas per uiros doctißimos precio accitos curare, ac iusticiam & bonos mores, quos apud Anglos didicerat, colere, cum suis heroibus de uirtute certare, iuuentutem legibus continere, bellicisq; exercere artibus, ut ne animi per licentiam & ocium insolentes fierent. Et quia nouerat apud ipsos Anglos, quantum in bello ars sagittariorum ualeret, idcirco pubem Scoticam usum eius rei diligentius solito perdiscere uoluit. Quid, quòd pœnam ijs statuit, qui à puero arti operam non dedissent? Talibus studijs imperium gerebat Iacobus, cum illa syluestres Scoti, duce Kennetho uiro forti, non item probo, impedire conati sunt, qui populationes in meridionalem agrum facere cœperunt. Sed eam procellam multo maiorem fecit Alexander Insularum, ita eius regnum uocitant, regulus, qui se cum Syluestribus copulauit. Verùm Iacobus, comparato protinus exercitu, tam citò nascenti malo remedium adhibuit, ut priusquam erumperet, in ipso propè uestigio sanauerit, reductis ad sanitatem eius labis authoribus.

GVILHELMVS ELPHINSTON. LVII.

GVilhelmus Elphinston, illustris generis Scotus, homo doctissimus, & Aberdonensis episcopus, Iacobo tertio regnante, in magnum Scotici regni Cancellariũ & secreti regis signaculi curatorẽ, ob insignẽ eius probitatem atq; industriã prouehebat. Magno bonarũ literarũ emolumẽto, studiosorũ uirorũ gymnasiũ primus ille posuit & instituit, regiumq; collegiũ in eo

construxit, ut omnium illic doctrinarum genera et artium disciplinæ auditoribus proponerentur. Et quum omnem ferè regionem accurata indagine perlustrasset, quicquid monumentorum ueterum ipse in rebus Scoticis inuenire poterat, id totum scriptis pro condenda tandem historia demandauit, ut omnia insignium uirorum facta in hominum memoriam ex tenebris reuocaret. Ac præ alijs historicis, Veremundum fani olim D. Andreæ archidiaconum, & Ioannem à Campobello, ut authores ex ipsa uetustate magis probandos, in suo opere imitatur, eisq; potiorem suorum Chronicorũ partem se debere fatetur Hector Boethius, in sua præfatione ad regem. Ex collectis igitur hincinde historijs Elphinstonus conflauit

Scotorum chronicon, Lib. 1.
Conciliorum statuta, Lib. 1.

Atq; alia multa contexuit. Postremò claruit anno à communis salutis origine 1480, sub prædicto rege Iacobo tertio. Huius tempore claruit Henricus quidã, à natiuitate luminibus captus, qui carmine uulgari Guilhelmi Vualleys uitam conscripsit, de quo Maior lib. 4. cap. 15.

GAVINVS DOVGLAS. LVIII.

GAuinus Douglas, clarissimæ familiæ Scotus, patriæ suæ gymnasia, florentis ætatis adolescens, laboriosè coluit, ac bonæ indolis & ingenij præter communem sortem acuti, manifesta postmodum exhibuit signa. De hoc uiro ad præsens plura producerem, si Polydorus Vergilius in Anglicæ historiæ libro tertio, se eius laudatorem non interponeret, qui et ipsum olim ex facie nouit. Nuper (inquit ille) Gauinus Douglas Dunkeldensis episcopus, homo Scotus, uirq; summa nobilitate & uirtute, nescio ob quam causam in Angliam profectus, ubi audiuit dedisse me iampridem ad historiam scribendã, nos conuenit, amicitiamq; fecimus. Postea summè rogauit, ut ne historiam paulo antè à quodam suo Scoto diuulgatam sequerer, in rebus Scoticis explicandis: pollicitusq; est se intra paucos dies missurum Commentariolum de his neutiquam negligendum, id quod & fecit. atq; in eo erat origo eius gentis peruetusta. Sic ille. Gauinus iste in Scoticis metris, ad Iacobum quartum Scotorum regem scripsit,

Palatium honoris, Lib. 1. *Dum aurora, lachrymabili facie.*
Aureas narrationes, Lib. 1.
Comœdias aliquot, Lib. 1.
De rebus Scoticis, Lib. 1.

Transtulit in sermonem uulgarem,

Aeneidos Vergilij Maronis Lib. 12. *Laus, honor, iubilatio.*

Et alia multa fecit. Verùm non licuit diu (inquit Polydorus) eo frui amico: sed eo ipso anno, qui fuit salutis humanæ 1521, Londini pestilentia absumptus est, dum Iacobus quintus in Scotia regnaret.

IOANNES MAIOR. LIX.

IOannes Maior, Hadingtonensis, patria Scotus, professione theologus, perceptis in rure natali profanarum artium principijs, ad Cantabrigiam *in Anglia uenit, & in Christi collegio trium mẽsium auditor factus est*: ut in primo suo libro de Scotorum gestis, cap. 5 commonstrat. Parisium inde in Gallias peruolabat, uberiorem suorum studiorum cursum *illic in* collegio Montis Acuti completurus. Vnde ex eo tandẽ prodijt loco, magnæ Sorbonæ scholasticus doctor, & in ea speculatione disceptator acutissimus. *Tentabant illis diebus fanatici Papistæ, ut sunt insanijs pleni, ab inferis tandem reducere suum Aristotelem, & in sanctos referre*: cuius Dardaneis artibus

ac uafris imposturis, continuò post quingentos & plus annos à Satanæ solutione, Christi gloriam obscurare essent conati. Nam & super ea re tractatum tunc edidit Lambertus quidam Carthusianus, qui Coloniæ in Gymnico monte quadraginta circiter annos, Aquinatis cōmentaria legens, illius dogmata disseminauit. Quæstionem magistralem & satis acutam (inquit Balthazarus Colmarius in additionibus Tritemij) scripsit Lambertus de Monte, ostendens per authoritates scripturæ diuinę, quid iuxta saniorem doctorum sententiam probabilius dici poſsit, de saluatione Aristotelis Stagiritæ. Hæc ille. Maior uerò composuit, ad Iacobum quintum Scotorum regem, à Brytannorum initio ad sua usq; tempora,

Historiam maioris Brytanniæ,	Lib. 6. *Brytanniam insularum longè clariſsimam.*
Decisiones Sententiarum,	Lib. 4. *Quomodo uiator potest fidem.*
Sophisticalia Parisiensia,	Lib. 1. *Cum in erudiendis artistis, quorum.*
Placita theologica,	Lib. 1.
Commentarios in Matthæum,	Lib. 1.
Disputationes Sorbonicas,	Lib. 1.
Sermones per annum,	Lib. 1.
Caxtoni Chronicon transtulit,	Lib. 7.

Aliaq; multa Sorbonico stylo Latinè protulit. Claruit Parisijs anno à salutifero uirginis partu 1520, & sub prædicto Iacobo quinto Scotorum rege in patriam tandem reuersus, illic consenuit, ac uitæ suæ finem accepit.

APPENDIX.

Ioannes Maior, in Scotorum historia, sacerdotes auaros ac monachos uagos quibusdam in locis uehementer taxat. Opes (inquit) primatiua deuotio peperit, sed matrem lasciua filia suffocauit. Et pastores eos uocat, sed semetipsos pascentes. Lib. 3 cap. 11: Amplos prouentus appetunt, nō ut prosint, sed præsint, & marsupia referciant. Ad modum lucifugarum, per rimas templa in tenebris, ut oleum exugant, ingrediuntur. Abbas opulentus, curiam indisciplinatam alit. Ad Aegyptum, quam reliquerunt, redeunt. Abbas & procurator officium habent à uera religione tam alienum, quàm erat inter Apostolos officium traditoris Iudæ de seruandis loculis. Lib. 3 cap. 15: De iure diuino est, ut Clericus sit à Laico iudicandus. Lib. 4 cap. 3: Missarum celebratio quandoq; ex delirio procedit: ut patet de quinq; monachis, Suuinseti in Anglia quotidie missantibus pro liberanda ab inferni pœnis eius monachi Bernarditæ anima, qui Ioannem regem ueneno occidit. Lib. 4 cap. 7. Sophistica Rom. pontificis execratio, illis timenda non est qui iustum habent titulum. Nullo modo formidāda est Papæ excommunicatio, si iniusta sit: quia non aliter est excommunicatio, quàm homo mortuus sit homo. Lib. 4 cap. 9: Magis irritatur Deus in pertinaci ceremonialium Mosaicæ legis obseruantia, quàm in publica meretricum pernicie. Inter Christianos tam utiles sunt Iudæi, ut inter mundum triticum mures. De Papisticis sacrificis ac monachis idem dici posset. Lib. 4 cap. 14: In turpi promisso fidem rescindere, & decretum irritare, operæprecium est. Lib. 5 ac cap. 20 damnat in Minoritis magnifica templa, & alibi alia facit.

Appendix alia.

Henricus Cornelius Agrippa in sua declamatione De uanitate scientiarum, cap. 54, de sanctitate Aristotelis, irrefragabilis Papistarum doctoris, sic scribit: Legimus (ait) ab Aristotele probatam, et lata quoq; lege permissam in Creta insula, masculam uenerem. Aristotelis autem uerba in Politicis, ubi censet utilem esse reipublicæ, ne sit plebeijs hominibus numerosa soboles, hæc sunt: Ad cibi temperantiam ueluti perutilem, multa legislator sapienter ac studiose constituit, & de mulierum diuortijs, siquidem, ne superfluam parerent multitudinem, cum masculis indixit concubitum. Hic est ille Aristoteles, cuius mores sunt à Platone reprobati: unde exortum erat illius in magistrum odium & ingratitudo. Qui scelerosæ uitæ iudicium ueritus, Athenis clam raptimq; profugit. Qui in benefactores ingratiſsimus, etiam Alexandrum illum magnum, à quo amplè magnificeq; ornatus extitit, quiq; illi uitam, corpus, animamq; credebat, ac patriam restituit, Stygiæ aquæ ueneno peremit. Qui

etiam de anima malè sentiens, locum gaudij post mortem negauit. Qui ueterum dicta compilatus, maligneq; interpretatus, ingenij laudem furto ac calumnia quæsiuit. Quin iam inueteratus dierum malorum, ex scientiæ immoderata cupiditate in rabiem uersus, sibiipsi intulit necem, ipsis dæmonibus dignum factus sacrificium, qui docuerunt illum scire. Dignissimus profectò hodie, Latinorum & ecclesiasticorum gymnasiorum doctor, & quem Colonienses theologi etiam diuis adnumerarent, librumq; sub prælo euulgatum ederent, cui titulum facerent, De salute Aristotelis. Sed & alium uersu ac metro, de uita & morte Aristotelis, fecerunt, quem theologica insuper glossa illustrarunt. In cuius calce concludunt, Aristotelem sic fuisse Christi præcursorem in naturalibus (impostores Papicolæ) quemadmodum Ioannes Baptista in gratuitis.

GILBERTVS CRABBE. LX.

GIlbertus Crabbe, natione Scotus, relicta sua patria, liberalium artium Parisij magister effectus, eruditione, lingua, & ingenio, magnum sibi per diuersas Galliarum ciuitates obtinuit nomen. Quibus in hoc homine clarissimis Dei donis, permotus regius apud Burdegalam Vasconum urbem primariam aduocatus, filium ei seniorem cum quibusdam spectabilium uirorum liberis in literis formandum cōmisit. Vnde Gilbertum hunc à moribus probis ac doctrina, in quadam epistola commendat Arnoldus Anedelius de Sonis, bonarum artium ac theologiæ professor apud Condomienses in Vasconia Carmelitas. Non ei (inquit) satis erat, toto gutture cordatissimos prædicare mores, suoq; exemplo edocere & aduocare homines ad moralissimam uitam, sed & insuper addidit humanissimus interpres, suæ integritatis & acerrimi ingenij flosculos. Nempe scripsit ex omni Philosophia Gilbertus,

Terminorum moralium,	*Lib.1. Quæro, an quilibet actus.*
Pro puritate Mariæ,	*Lib.1.*
Ad suos discipulos,	*Lib.1.*

Feruntur & alia, sed tituli desunt. Burdegalæ tandem quadra genarius ab hoc migrauit seculo, anno à Christi Iesu natali 1522, subdiaconatum solum habens in regno Papistico, regnante apud Scotos Iacobo quinto.

HECTOR BOETHIVS. LXI.

HEctor Boethius, Deidonanus, genere quidem Scotus, et Aberdonensis gymnasij doctor, uir in omni Philosophiæ ac theologiæ scholasticę cognitione affatim eruditus, eandē compluribus annis moderatus est scholam. Cum isto Parisiorum Lutetiæ non iniucundam se consuetudinem habuisse fatetur Desiderius Erasmus Roterodamus, in epistola quadā, quum illic in literarum stadio anno à Christi natiuitate 1497, pariter currerent, singularemq; in eo ingenij fœlicitatem agnoscit, & facundiam oris commendat. Vnde ad illum Erasmus postea scripsit, postremum suarum lucubrationum Catalogum, ut ad recentem ipse Aberdonensis gymnasij institutionem per scripta rogasset. Vt temporum uariationes, fortunarumq; ac rerum uicissitudines in sua patria, sicut & in alijs mundi nationibus, essent per omnes ætates notæ, à prima Scotorum gentis origine, ad Iacobum secundum usque, qui anno Domini 1436 regnare cœpit, maiorum suorum ac principū gesta, illustratione non uulgari congessit. Sed quòd sequentium regum ac fortium uirorum uitas, historiarum narratione non prosequatur, remorantes causas allegat, quas tamen apertè non exprimit. Disertissimo stylo fabricauit insignis hic author, ad suum regem,

Catalogum Scotiæ regum,	*Lib.1. Fergusius primus Scotorum rex.*
Descriptiones eiusdem regni,	*Lib.1. Cosmographiam ad historiarum.*
Historiarum Scoticarum,	*Lib.17. Cæterarum orbis gentium more.*

De

De nauigationibus, Lib. 1.
Aberdonensium pontificum uitas, Lib. 1.
Sermones & lecturas, Lib. 1.

Orationes atque epistolas eloquentissimas etiam edidit, & alia adhuc multa. Claruit anno incarnati nostri Messiæ 1526, sub rege Iacobo quinto, in quo ingens Chronicorum suorum opus, prælo Parisijs, per Iodocum Badium dabat.

Plura in istum epigrāmata Ioannes Lelandus edidit, sed aculeata & acerba nimis, ex quibus sunt ista quæ sequuntur.

In Hectora Boethium:

Multa tibi debet Patauinus Liuius Hector,
Multa etiam Tacitus debet & ipse tibi.
Quorum ne premeret doctos obliuio libros,
Vteris insigni sed pietate noua.
Sedulus hinc carpis uel plurima, carpis & illinc,
Solicitaq́; seris per tua rura manu.
Sed tam conueniunt spinis uiolaria, libris
Quàm bene conueniunt ista uel illa tuis.

In eundem Boethium:

Iliacæ gentis quondam dux inclytus Hector,
Vulnifica gessit fortia bella manu.
Præco suæ gentis tam clarè scilicet Hector,
Solicita scripsit bella cruenta manu.
Tam bene bella tamen non gessit Troius Hector,
Hector quàm scripsit Scoticus iste malè.

In eundem Boethium:

Ex nostris Hector Scotorum millia regem,
Vel solo uisu multa fugasse refert.
Planè illud uerum est inter mendacia mille,
Nam tunc Scotorum rex Basiliscus erat.

In eundem Boethium:

Hectoris historici tot, quot mendacia scripsit,
Si uis ut numerem lector amice tibi:
Me iubeas etiam fluctus numerare marinos,
Et liquidi stellas connumerare poli.

GVILHELMVS GREGORIVS. LXII.

GVilhelmus Gregorius, genere ac natione Scotus, relicta sua patria, Lutetiæ Parisiorum apud Gallos, in collegio Montis Acuti, Ioanni Maiori suo conterraneo admodum familiaris, inferiorum artiū rudimenta perdidicit. Cum autem Ludouicus de Ambasia, uir genere nobilis ac doctus, & Albiensis ecclesiæ præsul, suę ciuitatis atq; diœcesis Carmelitas, quos ualde dissolutos nouerat, magnis laboribus & expensis anno Domini 1499, ad reformationem, accitis ex Mantua nouellis eius sectæ professoribus cogeret, ex illis xxij studiosis iuuenibus, quos ex dicto Mōtis Acuti collegio ad eam plantationem nouam parauerat, & hic tunc unus erat. Postea Galliarum reginam Mariam, Ludouici duodecimi sponsam, & Henrici octaui Anglorū regis sororem, studiorum suorum fautricem ac mecœnatem habens, post spinosas in magna Sorbona conflictationes, theologici doctoris adornabatur titulo. Hinc fuit Meldunæ, Albiæ, ac Tolosæ sui ordinis cœnobiarcha, & prædictæ Albiēsis reformationis per eas partes uicarius: aliquoties interim

 à Francisco

à Francisco Gallorum rege accersitus, pro audiendis eius cõscientię secretis. Protulit Gregorius iste ex ingenij sui penetralibus, sed stylo Sorbonico, ad prædictum Ludouicum Albiensem episcopum,

De duplici potestate,	Lib.1. *Quia præditus es utraq; potes.*
Elucidationes sententiarum,	Lib.4. *An solus Deus sit fruitionis sub.*
Quæstiones uesperales,	Lib.1. *Vtrum sacra scriptura diuinitus.*
Collectiones Sorbonicas,	Lib.1.
In Politica Aristotelis,	Lib.8. *Rex imminenter continere deb.*
De animæ potentia triplici,	Lib.1. *In homine sunt tres potentiæ.*
De æterno Christi regno,	Lib.1. *Quia materia de regno Christi.*
Summam theologiæ sacræ,	Lib.1.
De triplici principatu,	Lib.1. *Quis principatus melior sit.*
De scripturæ sensibus uarijs,	Lib.1. *Sacræ scripturæ potior sensus.*
Auctarium uocabularij theologici,	Lib.1. *Abbas, uocabulum est, à Syro ser.*
De disciplina iuniorum,	Lib.1.
De sacra synaxi,	Lib.1.
In Psalterium commentarios,	Lib.1.
Sermones in Epistolas,	Lib.1.
Sermones in Euangelia,	Lib.1.
In quodam capitulo Minorum,	Lib.1.

Et alia adhuc plura. Tolosæ apud hunc mansuetum theologũ, ad aliquot septimanas hospes mansi, anno incarnationis Dominicæ 1527. Qui ultra sumptus necessarios, pleraq; mihi tunc obtulit, ut societatis & solatij gratia secum per annum unum morarer: sed missationum fœditates aspernatus, amico assentiri non poteram. Tolosæ demum obijsse fertur.

PATRICIVS HAMMYLTON. LXIII.

PAtricius Hammylton, illustrissimi generis Scotus, & uigintitrium annorum iuuenis, eruditione præditus non uulgari, ab illo mundi angulo ad Marpurgam, Hessiæ in Germania ciuitatem, uenit, ut illic abundantius in Dei ueritate confirmaretur. Is enim primus erat, qui post exuscitatam illic ab Hessorum principe Philippo bonorum studiorum academiam, Christianissima aliquot axiomata palàm & doctissimè asseruit in eadem. Robustior postmodum factus, assumpto socio in Scotiam redijt, ut & illic manifestè Christi ueritatem doceret. Mox principes sacerdotum cum Antichristi satrapis, ad urbem S. Andreæ conuenerunt in unum, ut illum, licet regio sanguine clarum, rege adhuc puero, caperent, ac ilico interimerent. Ille autem in Christi confessione totus ardens, non aufugit, sed tempus eorũ præuenit: & pridie calẽdas Martij mane, pinguibus illis Samariæ uaccis mitissimus adfuit, anno ab incarnato Dei filio 1528. Et ab illis ipse, ut à maleuolis Iudæis Christus, statim damnatus & morti adiudicatus, à prandio ipsius diei, ad stipitem ligatus comburebatur. Ab huius erudito ingenio fluxerunt hæc opuscula,

De lege & Euangelio,	Lib.1. *Lex doctrina est, bona præ.*
De fide & operibus,	Lib.1. *Fides est, in Deum credere.*
Locorum communium,	Lib.1.

Atq; alia. Franciscus Lambertus, Auenionensis, in operis sui præfatione super Apocalypsim, ad prædictum Hessiæ principem, inter hæc testatur, se uix reperisse alium, qui de eloquijs Dei syncerius loqueretur. Is uerè (inquit) in Domini ecclesiam non solum suam gloriã, sed & uitam quoque attulit.

IOAN-

IOANNES ALTVS. LXIIII.

IOannes Altus, natione Scotus, ex Roxburgensi oppidulo, ubi castrum olim erat munitissimum, natus, & in diuersis gymnasijs non infœliciter uersatus, non ultimas famæ suæ partes à literis accepit. Fuit ille pro tempore suo, tam apud suos Scotos quàm alios, magni nominis rhetor ac poeta, litemq; diuturnam habuit cum quodam Elisdano Morpethi, quod oppidum à Scotia non procul distat, pædagogo Anglico, cuius uirulentis scriptis frequẽter impetebãt, ut ex Nicolai Brigami libro de Rerũ memorabiliũ uenationibus claret. Sed Altus demũ famæ suæ prospiciens, ut se ab eius inuidia liberaret, pennam arripuit, & carmine ad eundem Elisdanum rescripsit

Apologiam argutam, Lib. 1. *Nunc usq; arripuit uehemens sopor.*
Contra eius Antiscoticon, Lib. 1. *Morpetine caue, ne Scotus de.*
Epigrammata quoq;, Lib. 1.

Aliaq; nonnulla, quibus laceratũ suum nomen affabrè sanauit, uictoriaq; potitus est. Claruisse fertur circiter annum à Seruatore nato 1530, sub Iacobo quinto Scotorum rege.

IOANNES BALANTYNE. LXV.

IOannes Balantyne, qui & alio cognomine Bellendenus dicitur, ex orientali Scotia oriundus, scholasticæ theologiæ doctor & archidiaconus Morauiensis, accuratione non modica scientias humanas ferè omnes atq; diuinas acquisiuit. Sic multę eruditionis præses inde factus, tantorum thesaurorum non perparcus dator haberi uoluit. Sed quicquid bonarum disciplinarum longo quæsiuerat labore, ualde prodesse studiosus magister, ubertim profudit in omnes. Cum Balantinus uidisset suæ gentis historiã ab Hectore Boethio, uiro disertissimo, in xvij libris copiose traditam, à multis desiderari, à paucis tamẽ ob Latini sermonis ignorãtiam intelligi, in idioma Scoticũ fideliter eam transtulit, ut omnibus esset commune, ab omnibusq; perciperetur. Ex sui præterea festiui ingenij promptuario, quo prædicta omnia facilius intelligerentur, in Scotico sermone protulit

Cosmographiam dictæ historiæ, Lib. 1. *Syluatica Diana fulgentibus radijs.*
Albaniæ descriptionem, Lib. 1. *Qualiter alterationi & morti omnia.*
Ad Iacobum quintum regem, Epist. 1. *Erasmus Roterodamus in libro de.*
Super litera Pythagoræ, Lib. 1.
De uirtute & uoluptate, Lib. 1.
Super quodam somnio, Lib. 1.
Diuersi generis carmina, Lib. 1.

Cæterorum eius operum nihil apparet. Non desunt tamen, qui ad prædicti Hectoris Chronicon, centum annorum auctarium addidisse illum ferãt, à Iacobo secundo, usq; ad Christi seruatoris annum 1536, in quo sub Iacobo quinto floruit. Romæ tandem obijsse dicitur.

DAVID LYNSEYE. LXVI.

DAuid Lynseye, ex Scotorũ genere & natione originẽ ducens, post studia bonarum literarum, Heraldicæ arti se totum tradidit, famamq; nõ minimã ab eadem accepit. Est enim ars illa & heroica philosophia, in censendis ac distribuẽdis nobilium clypeis admodũ occupata. Heraldos ab heroibus deducit Aeneas Syluius, qui ueterani milites erant, laboribus absoluti: quorum officium erat, reipublicę consulere, sontes arguere, laudare probos, corripere malos, uiduis ac pupillis fauere: & à Libero patre seu Baccho, filio Iouis, originem habuisse dicuntur. Composuit inter cætera Lynsæus, in uulgari sermone, dum studijs aliquando uacaret,

Psittacum

Psittacum loquacem, Lib. 1.
Acta sui temporis, Lib. 1.
De mundi miserijs, Lib. 1.
Testamentum Cardinalis Betoni, Lib. 1.

Et alia quædam, quorum tituli non occurrunt. Claruit anno à Christi seruatoris aduentu in carnem 1540, Iacobo tertio in Scotia regnante: & an adhuc uiuat, nescio.

ALEXANDER SETONVS. LXVII.

ALexander Seton, patria Scotus, professione theologus, natalíũq; splẽdore coruscus, & Iacobo quinto Scotorum regia à secretis cõscientiæ, in Angliã religionis causa, relictis fortunis, homo pijssimus uenit. Nempe audíuerat, post tantas seculorum excæcationes & impijssimorum sophistarum tenebras, purissimam, diuina miseratione, Euangelij ueritatem, per doctores pios illic publicitùs tradi. Accessit ergo Londinum, uir multæ ac perspicuæ eruditionis: & inter alios cœlestis doctrinæ præcones, concreditum sibi talentum (nemo fœlicius) in Domini sui lucrum exposuit. In magna uirtute spiritus, Euãgelicus interpres, scripturas ibidem ex sacris codicibus per synagogas docuit, frequentissimum habens auditorium. Vnde salutiferam scientiam nõ ex hominum commentis, aut philosophorum placitis, sed è purissimis uitæ Christianæ fontibus eduxit, ut homines ad sacræ lectionis studium alliceret. Aduersus hunc tandẽ excitata est, per Gardineri Vuintoniensis & Boneri Londinensis pontificum tyrannides, persecutio grauis: cõpulsusq; fuit sub horribilis incendij pœna, quæ de captiuo hominis arbitrio, ac iustificatione per fidem docuerat, Londini anno Domini 1541, & in Decembri, ignominiose cum quodam Tolvuino retractare. Congessit Alexander, inter saluberrima scripta,

Processum suæ examinationis, Lib. 1. *Auditu percipiens, candide lector.*
In utramq; epistolam Petri, Lib. 2.
In canonicam Iacobi, Lib. 1.
In Actorum 18 capita, Lib. 1.
Conciones eruditas, Lib. 1.

Et annotationes in eloquia sacra plures. Obijt anno uirginei partus 1542, in illustrissimi Sudouolgiorum ducis Caroli domo, cui à concionibus erat, relinquens prædictum opus de sua tractatione per episcopos, cum fidei suę ratione, Iacobo quinto in Scotia regnante.

IOANNES VVOVRAM. LXVIII.

IOannes Vuouram, uel Vuyrem, origine ac patria Scotus, & ad fanũ Andreæ Canonicus regularis, ita adolescentiam bonis literis formauit, ut eximium ab ampla doctrina sibi comparauerit nomẽ. Est autem urbs S. Andreæ, totius regni Scotiæ metropolitana & archiepiscopalis sedes: est & solenne gymnasium, ex quo tanquam ex fœcundo literatorum uirorum aluëario, homines prodierunt in omni eruditione planè doctissimi. Inter quos hic noster Ioannes, non est ultimo ponendus loco. Quoniã inter cætera ille scripsit, in uulgari sermone,

Catechismum fidei, Lib. 1.

Alia eius opuscula à me uisa nõ sunt, cum tamen plura esse credantur. Claruit anno salutis humanæ 1546, quum per interreges Scotia gubernaretur.

IACOBVS HARRYSON. LXIX.

IAcobus Harryson, ex meridionali Scotorum patria natus, & liberalium disciplinarum instructione formatus, Dionis Syracusani exemplo, patriã suam

suam ab opprimentium tyrannide liberari, Antichristi potissimùm, intimo corde sitiebat. Videbat indies, ex mutuo magnorum uirorum odio, cædes ac strages fieri. Videbat cōmunitates opprimi, urbes destrui, domos incendi, nobiles occidi, matronas ac uirgines uiolari, Deum negligi, leges confundi, munitiones & castra dirui, atque omnem rempublicam miserrimè uastari: nouitq;, malis his omnibus coniunctam uicinorum principum ac populorum amicitiam mederi posse. Inde ergo suos conterraneos Scotos, ad cōcordiam & pacem cum Anglis, eorū uicinis, tam in Christiana professione, quàm etiam in rebus ciuilibus, doctè ac piè inuitauit, scribens eis exhortationem ualde utilem,

Super eorum regnorum unione, Lib. 1. *Comminiscens, ut soleo per ocium.*

Alia quoque edidit, sed ea non noui. Hoc elegans ac mellitum opus, anno à Christi incarnatione 1547, clarissimo Somersetensium duci, & Angliæ protectori, Edvuardo Semario tunc dedicauit.

DAVID BETONIVS. LXX.

DAuid Betonius, ex mediocri natalium stirpe in Scotia ortus, iuuenis animo uafer & audax, in sua patria primùm, postea Parisijs, artibus ad blandiloquentias, ad ambitionem, pompam, luxum & quæstum necessarijs, se totum contulit. Fiebat inde post aliquot legationes ad Franciscum Gallorum regem, & Paulum tertium pontificem Romanum, archiepiscopus S. Andreæ, ac totius regni Scotiæ primas, ut Christi Euangelium ab Anglis nuperrimè susceptum, à finibus illis arceret. Atque ita se gessit eo in officio, persequendo fideles, ut anno Domini 1538, & 13 Calendas Ianuarij, ab eodē Paulo factus sit presbyter Cardinalis tituli S. Stephani in Cœlio monte, & à suo latere legatus Apostaticus. Eiusq; Paulus Iouius in Scotię descriptione, succinctè meminit: dum archipræsulatus & purpurei galeri dignitate illum, D. Andreæ metropoli ac gymnasio præesse dicit. Qui Sodomæ tyrannus, plures in Scotia inuictæ ueritatis testes, ut erant Dauid Stratonus, Georgius Vuiserdus, Guorlęus sacrificus, & alij, uiolenter ad ignes traxit, et in cineres redegit, ut patrum suorum pontificum & scribarum mensuram luctuosam impleret. Vt operis nostri argumento respondeat, præter epistolas aliquot, pauca scripsisse dicitur.

Ob exustionem cuiusdam illustris generis uiri, anno post Seruatorem natum 1546, & die 28 Maij eius castrum intrabant manè quidam eiusdem familiæ nobiles, euaginatisq; gladijs illū interimebant: ac tandem Cardinalitij ordinis insignijs ornatum, ad murum suspendebant.

APPENDIX.

Ex Eduuardi Halli 8 libro *De duarum familiarum unione: Anno Domin 1540, ac die 28 Maij, prædictus David archiepiscopus & Cardinalis, in cathedrali ecclesia urbis S. Andreæ, Caiphæ loco, cum episcopis, abbatibus, prioribus, præpositis, doctoribus, fraterculis, scribis, & alijs Antichristi ministris, pro tribunali (ut uocant) in pestilentiæ cathedra sedens, quendam militaris ordinis uirum nobilem, Ioannem Borthuuyck, hæreseos damnauit, ob sequentium articulorum assertiones. Dixerat enim dictus dominus Ioannes, primò, quòd Romanus pontifex maioris authoritatis nō esset, quàm alius quisquam episcopus aut sacrificus. 2. quòd eius indulgentiæ res essent nihili, nisi sint decipiendarum animarū instrumenta. 3. quòd Papa sit spiritualiū rerum uenditor, & Simoniacus. 4. quòd matrimonia contrahere ex Dei uerbo etiam sacrificis ac monachis liceret. 5. quòd Anglorum liturgia noua laudabilis sit, & à Christianis seruāda. 6. quòd Scotiæ populus à suo clero sit excæcatus. 7. quòd ecclesiastici temporalibus nō gauderent. 8. quòd rex Scotiæ deberet in pios usus suarū ecclesiarum prouentus conuertere. 9. quòd Scotorum ecclesiæ Anglico more deberent gubernari. 10. quòd episcoporum canones & decreta nullius sint ualoris. 11. quòd sectæ monasticæ, ut*

monstra deformia tolli debeant, sicut in Anglia. 12. quòd hæreticorum (ut uocant) libros haberet, utpote nouum Christi Testamentũ in Anglico sermone, Oecolampadiũ, Melanchthonem & Erasmum, cum Vnione dissidentiũ. 13. quòd pertinax sit in istis assertionibus, & Rom. ecclesiæ obedire nolit. Pro his articulis non solum hæreticus, sed & hæresiarcha ab hoc Cardinale simul adiudicatus ac damnatus est. Imaginemq; eius fieri præcepit, et in foro publico ignibus spectãte populo tradi, ac in cineres cremari fecit. Euaserat prius ungues Ioãnes tam truculenti tyrãni. Sed ecce mirũ diuinæ prouidentiæ indiciũ. Sexto pòst anno, eisdemq; mense, die & hora, occisus præfatus Cardinalis fuit, probro expositus, et ad fenestram sui castri, in solenni Cardinalatus apparatu suspẽsus, ut dictum est.

GEORGIVS BVCHANANVS. LXXI.

GEorgius Buchananus, natione Scotus, & à pueritia in literis utiliter educatus, tam in Anglia quàm in ipsa Scotia, quorundam optimatum filijs, urgente sua necessitate, scholam publicam aperuit. Iactis ita Latinæ linguæ fundamentis optimis, ut alias ipsis adijceret artes, nempe Dialecticam atq; Rhetoricam, utq; pariter Græcæ linguę cognitionem haberet, Parisiorum Lutetiã gnauiter petebat. Vbi quũ tam in his quàm in alijs profecisset studijs, in Angliam primùm, postea in Scotiã reuersus, Euangeliũ regni Dei cũ magno feruore docuit, multaq; hic & illic in ea functione pertulit. Vtq; ad eius scripta me cõuertam, ex Anglico sermone in Latinum transtulit (in auctario Gesneri Lycosthenes sic habet) Thomæ Linacri,

Rudimenta linguæ Latinæ,	Lib. 1.
In historiam Iepthæ, tragœdiam,	Lib. 1.
Axiomata quædam,	Lib. 1.

Et alia edidit multa. Claruit anno nati Redemptoris nostri 1540, in Scotia adhuc regnante Iacobo quinto: & à Sodomæ tyrannis, mitratis, rasis & unctis, ob diuinæ ueritatis assertionem, igne tandem sublatum ferunt.

IOANNES MACHABAEVS. LXXII.

IOannes Machabæus, ex præclara quadam Scotorũ familia natus, à puerili ætate, ac penè ab incunabulis ipsis, animum erga literas mirè propensum habuit. Hanc in puero indolem, seu futuræ probitatis effigiem, parentes eius ita exosculati sunt, ut illum eruditis præceptoribus educandum & docendum committerent. Cum autẽ ingenuis moribus & artibus optimis rectè ab his institutus esset, audita religionis in Anglia mutatione, & ab Antichristo Romano ad Christum Dei filium defectione, illuc properanter accessit. Erataq; statim per Nicolaum Shaxtonum, episcopum tunc Sarisburiensem, Domino Cromuuelo & alijs quibusdã regni proceribus in magnò precio, tum ob ardentem Christianę fidei zelum, tum ob insignem eius eruditionem. Hæc quidem & his similia, effecerunt primùm, ut illum ad se accersirent, summo cum honore exciperent, atq; abeuntẽ demũ munificentia quadam dimitterẽt. Restabat nunc solum, ut librorũ quos edidit, elenchum apponerem, sed tituli memoria exciderunt, præter hunc unum, scilicet,

De uera & falsa ecclesia,	Lib. 1.

Differam igitur in aliud tempus, donec fœlicius occurrant. Quædam tamen themata in Dania disputauit. Obijsse fertur in eadem Dania, anno à diuæ uirginis partu 1550, dum per gubernatores Scotia adhuc regeretur, eratq; serenissimo Danorum regi Christiano à sacris concionibus.

PATRICIVS COCBVRNVS. LXXIII.

PAtricius Cocburnus, ex illustri quodã Scotorũ genere prognatus, olei tantum & operæ in studijs honestis collocauit, quantũ suo seculo in ea patria pauci, claris natalibus orti. A' præcipuis bonarũ literarum magistris diligen-

diligentissimè primum instructus, se contulit Parisium, & trium linguarum principalium studiosis se comitē adiunxit. Hinc illi magna accessit tum omnium mundi naturalium rerum, tum cœlestis doctrinæ cognitio. Latinæ illic puritatem linguæ, & doctas artes omnes, tum præterea scribendi & dictandi peritiam, tanquam ex amœno Heliconis fonte, haurire uisus est. Et ne aliquando in cœptis tam magnificis deesset immortalitas, Latinè & doctè inter alia multa composuit,

De excellentia uerbi Dei,	Lib. 1.
De peccato in Spiritum sanctum,	Lib. 1.
Epistolas & orationes,	Lib. 1.

Cætera eius scripta non comparent. Claruit anno à diuini uerbi incarnatione 1551, in quo primum eius opusculū *Parisijs est excusum, apud* Michaelem Fezandatum & Robertum Grauionem, eius urbis typographos.

ALEXANDER ALESIVS. LXXIIII.

ALexander Alesius, genere ac natione Scotus, uir omnibus bonarum artium *scientijs præditus, ac theologus insignis,* ob impiam constitutionem, quam Antichristi filij, Scotorum episcopi, aduersus Dei ueritatem euulgauerāt, terram illam prorsus dereliquit. *ferre nimirum non poterat animus* admodum Christianus, manifestata Euangelij luce, uiam ad Dei regnum, Pharisæorum & *hypocritarum stercoribus* obstrui, aut populum *immaculati agni sanguine* redemptum, sub euacuatis umbrarum legalium figuris, ad animarum eorum perniciem ulterius detineri. Constituit ergo pijssimus Christi famulus abire, ac pro Dei domo zelū habens, *remotiores adire* prouincias, ut tam apertam Dei blasphemiam, & salutaris eius uerbi iniuriā, grauibus suis scriptis uindicaret. Et quum uenisset Londinum, quosdam & illic inuenit eodem laborantes morbo. Hi ueritates quasdam à semetipsis confictas, obtrudentes, & sub anathematis pœna credendas esse uociferantes, non solum diuinis illis, Spiritu sancto dictatore, præscriptis eas æquarunt, sed & longè prætulerunt, atque ut eas opprimerent totis uiribus quæsiuerunt. Arripuit propterea calamum, & post quandam in ea re, pro curante Cromuelo, disceptationem, aduersus Ioannem Stokisley Londinensem episcopum, ex scripturis sacris congessit,

De *authoritate uerbi* Dei,	Lib. 1. *Ante biennium inclyto Scotorum regi.*
Ad *Scotorum regem contra episcopos,*	Lib. 1. *Cum inter cæteras regias uirtutes.*
In *omnes epistolas* Pauli,	Lib. 14.
Disputationes in Paulum ad Rom.	Lib. 1. *Repetam in disputationibus episto.*
Epistolas tam ad me quàm alios,	Lib. 1. *Intellexi ex nobili uiro Ioanne.*
In aliquot Psalmos,	Lib. 1.
De utilitate Psalmorum,	Lib. 1.
In Euangelium Ioannis,	Lib. 1.
De scripturis legendis in lingua materna,	Lib. 1.
Contra Louaniensium articulos,	Lib. 1.
Pro Scotorum concordia,	Lib. 1.
Orationem de gratitudine,	Lib. 1.
De restituendis scholis,	Lib. 1.
Catechismum Christianum,	Lib. 1.
De iustificatione contra Osiandrum,	Lib. 1.
Contra Michaelem Seruetum,	Lib. 1.
Contra calumnias Cochlæi,	Lib. 1.

De utriusq; naturæ officijs in Christo,	Lib.1.
De distincta eius hypostasi,	Lib.1.

Conuertit ab Anglico sermone in linguam Latinam,

Ordinationes Anglorum ecclesiæ,	Lib.1.*Conuersis multorum animis ad studium,*
Præfationē super obedientia Gardineri,	Lib.1.*Non sine magna admiratione legi orati:*
De mea uocatione quoq;,	Lib.1.

Et alia multa ad utilitatem Ecclesiæ fecit. Claruit Alesius in Saxonia, Lipsensis academiæ professor & in theologia decanus, anno Christi seruatoris 1551, & adhuc puram illic Euangelij doctrinam ministrat, ueraq; inuocatione Deum colit.

APPENDIX.

Conuenit his addere, huius grauißimi uiri testimoniū, de nouo atq; sanctißimo Christi martyre, Thoma Cranmero, Cantuarienſi iampridem archiepiscopo, quem in ueræ religionis contemptū Papicolæ tortores atrocißimæ morti in Anglia dederunt, ex quadā eius epistola. Amorem hunc meum (inquit) mirificè augebat admiratio excellentis doctrinæ illius, & acerrimi iudicij, magnæ sapientiæ, grauitatis, moderationis, clementiæ in deliberationibus & iudicijs: aßiduum & indefessum studium in quærenda & eruenda ueritate difficilium quæstionum de dogmatibus, ex uetustißimis & probatißimis scriptoribus: munificentia & liberalitas in conquirendis & alendis hominibus doctis ex omnibus nationibus: benignitas, affabilitas, bonitas in tractandis, fouendis ac defendendis, cùm alijs omnibus bonis & pijs, tum etiam exteris; & reliquæ præclaræ & uerè heroicæ uirtutes eius. Quarum catalogum pertexere ut longum foret, ita nihil nunc opus est, cum sint non solum omnibus in Anglia, sed etiam multis in Scotia, Gallia, Germania, & alijs regnis notißimæ. Hoc unum addam, me in uita, & diuturna ac longinqua mea peregrinatione, in qua multorum hominum ac populorum cognoui mores & urbes, nusquam uidisse Episcopum doctiorem, magis grauem, prudentem, pium, humaniorem, affabiliorem, aut beneficētiorem. Idq; soleo apud omnes, cum quibus familiariter uersor, prædicare, &c. Quàm misera igitur bestia nunc Anglia est? quæ frendentibus sub Antichristo ex rasorum grege tyrannis impudentißimis, tam probos & sanctos homines, furore plusquā Pharaonico aut Neroniano, mactat, torret, & exurit?

IOANNES KNOXVS. LXXV.

IOannes Knoxus, origine ac patria Scotus, uir non minoris literaturæ quàm uirtutis, eloquiorum Dei dogmata Christiano populo intrepidè proponens, non uulgarē apud suos tum Scotos tum Anglos gratiā inibat. Qui anno Domini 1550, in terra Dunelmēsi Dei uerbum annunciās, coactus est coram episcopo Tonstallo & eius doctoribus, super missa papistica opinionem suam dicere. Et 4 die Aprilis eiusdem anni, aperiens in concione eius idololatrias & horrendas blasphemias, tam solidis argumentis abominationem esse probabat, ut cum omnibus sciolis, Saturnius ille somniator, refragari non posset. Cum uerò tandem esset religionis in Anglia mutatio, quos illic uiuentis Dei sigillo consignatos nouit, ad patientiam & constantiam per literas inuitauit, cum amplius nō posset eis ęternę uitę pabula ministrare. Vnde in Anglico sermone quosdam paruos libellos scripsit, scilicet

Ad Londinenses & alios,	Lib.1.*Cum terribilium minitationum Dei.*
Ad Euangelij professores,	Lib.1.*Tempus ab hominis formatione.*
Qualiter sit orandum,	Lib.1.*Si pia precatio refugium unicum.*
In Psalmum, ad matrem,	Lib.1.*Domine, ne in furore tuo ar.*
Contra missam Papisticam,	Lib.1.*Hodie coram uestris conspectibus.*
Doctrinale Missantium,	Lib.1.
De fide Eucharistiæ,	Epist.1.*Primò confitemur actionem esse.*
Ad ecclesias afflictas,	Epist.1.*Transi per mediam ciuitatem, &c.*

Ad Scotiæ reginam Mariam,	*Epist.1.Aeterna prouidentia Dei uiuen.*
Consilium in his angustijs,	*Epist.1.Non solum ut instruam,dilecti in de.*
Buccinæ afflatum primum,	*Lib.1.Regnum Domini Dei nostri est.*
Appellationem à Sententia Cleri,	*Lib.1.Non amor uitæ corporalis solum.*
Ad populares Scotiæ,	*Lib.1.Quid à Regina postulauerim.*

Plures præterea in Anglorum ecclesijs, quæ Francofordiæ ac Geneuæ nunc sunt, in Genesin conciones fecit. Iamq; (ut audio) in Scotia Euangelium Christi magno cum fructu prædicat, anno Domini 1558, quo hæc scripsimus. Dominus illum in tam pia functione protegat.

IOANNES MACKBRAY. LXXVI.

IOannes Mackbray, uel Mackbræus, natione etiam Scotus, bonarum artium ac sacrarum literarum cultor asiduus, à me hoc loco non est silentio prætereundus, quandoquidem fuit per aliquot annos mihi familiariter notus. Cum Angli quidam ob diuinæ ueritatis professionem profugi, & à suis sedibus exules facti, Francofordiæ ad Mœnum in ecclesiam sese colligerēt, ille primus aratro manum admouit, ille salutarem Euāgelij doctrinam ipsis ibidem pronunciauit. Et postquam in eo per annum laborasset officio, ecclesiam in inferiori Germania, in Dei uerbo regendam pastor suscepit, in qua nūc totus illi incumbit functioni. Sed ut his eius adiungam scripta, arrepto, priusquam illuc uenit, per ocium calamo, insigni labore (opusculum uidi) Latinè & eleganter congesit, prædictæ Anglorum ecclesiæ

Originem & progressum,	*Lib.1.*
Explicationem suæ fidei,	*Lib.1.*

Homelias quoq; in Oseæ prophetiam fecit, & alia quædam in Anglico sermone composuit. In Germania, ut prædixi, nunc uiuit, anno salutis humanæ 1558, quo hanc de Scotis & Hybernis Centuriam edidi.

Dum ista darentur prælo, ex urbe Geneuensi mihi superuenit hæc epistola, ab amico quodam conscripta, quam his statim, quòd signa quædam diuinæ miserationis exhibita nobis nunc demum referret, præ gaudio inserere curaui.

AMICO COLENDISSIMO IOANNI BALEO BASILEAE COMMORANTI, Gulielmus Colus Anglus S. D. P.



EGO'NE tui oblitus, eximie pater? ego'ne propterea indignus, quem vicinum tuum esse dicas? Non possum, mihi crede, non possum tui obliuisci, quo cum suauiter tam diu vixerim. Tuus sum, & ero semper, etiamsi tot locorum interuallo remouemur, vicinus. Si animorū coiunctio eadem maneat, quæ fuerit aliquando inter nos maxima Basileæ: si vterque de utroq; amicè iudicamus & loquimur: si nos ita inuicem comparamus, vt quæ unus sentit, siue sint aduersa siue prospera, uterq; sentiamus: nulla erit corporum disiunctio tanta, quæ impediat, quo minus uicinum me appelles. Atque tametsi maximè uelim sermones conferre tecum, absens cum absente per literas, tamen quoties occupationes tuas, quibus quotidie distineris, considero, rarò scribendum existimo. Satius enim puto, diuturno silentio res multas prætere-

rire leuiculas, quàm quotidie inani loquacitate obtundere tuas aures. Et nisi huc vndiq; confluxissent ad summos montes læta & horrenda noua, in quibus diuinã in suos bonitatem, in impios seueritatem cõtempleris, præter salutem nihil hoc tempore misissem. Heri enim D. Knoxus ex Scotia noua certissima de immutata religione accepit: Christum publicè per totum illud regnum doceri: & ita demum hominum corda occupasse, ut omni metu posito audeant publicis precibus interesse sua lingua celebratis, & sacramenta quoque habeant ritè administrata, impuris Antichristi ceremonijs abiectis.

Calendis Septembribus, cum idolum Aegidij monachi nebulonum quorundã humeris portaretur per omnes totius Edenburgi uicos, Regina ipsa cum suis nobilibus prosequẽte, in amplissima ciuitatis platea subitò factus est multorum millium magnus in idolum impetus: quod statim in multas conuulsum partes, cruribus, brachijs & capite detruncatis, coniecerunt in sentinam publicam, quò omnes totius ciuitatis cloacæ exonerantur. Impura sacrificorum & diuersicolorum monachorum caterua, sibi suoq; consuluit gregi per angiportus. crucigeri quoq; dederunt se in fugam: & ne cruces, quas totas habebant aureas, sibi raperentur, eas tegebant ueste, abiectis hastilibus. Nunc Regina cogitat reformationem religionis, indicto die, quo conuentus fiat totius regni. Paulus Messinus, aliquando famulus D. Couerdalli, nunc autem minister Dundensis, reus factus hæreseos, & iamiam sententiam mortis accepturus, fuit constipantis populi uoce liberatus. Nam coràm populus profitebatur, eiusdem se esse religionis: & proinde, nisi prius fratre suo liberato, non se passuros, ut iudices uiuì è loco suo discederent.

De sacrificis Brytanniæ nostræ, quam nunc Angliam uocant, horrenda noua. In comitatu Notinghamiensi, suam uitam alij finiuerunt ferro, alij laqueo, nonnulli aqua. multi dederunt se præcipites de summis ædibus, & quatuordecim horum generum numerantur. Post reginam & Cardinalem Polum, qui infra tres horas unà obijsse dicuntur, undecim ex episcopis maioribus, sunt etiam breui pòst tempore, mœrore, ut creditur, extincti. Omnes Manchestrenses quoq; grauissima febris sustulit, uix ut unus in tanta ciuitate sit superstes.

De Polonia non opus habeo ad te scribere, qui uicinior es D. Bullingero, quàm nos. Is scribit de ministris duobus, quorum templa erant contigua. Isti inter se grauiter conflixerunt de religione, idq; non semel. Qui papismum susceperat propugnandum, in alteram partem pro concione inuectus acerrimè, petijt à Deo certum signum, quo scirent homines, quis ueritatem oppugnaret. Eueſtigiò adhuc illo uerba faciente, cœlesti igne templum eius conflagrauit. In altera ciuitate, inter se ciues diuidebantur, multa & sæpe disputantes de rebus sacris. Sed cum pars aduersaria, nulla posset ratione adduci, ut ueritatem amplecteretur: Deus cœlitus combussit ædes istorum, quo scirent, cum hæc calamitas non communiter omnium, sed sui ipsorum tantùm esset, frustra conari, quotquot se opponunt ueritati, quæ perpetuò Deum habeat suum vindicem in cœlis. Hæc

lis. Hæc mira sunt: &, nisi à D. Bullingero scriberentur, nequaquam credibilia. Sed cum creatura nulla sit, quam non possit Deus armare in perniciem suorum hostium, à fide non sunt ista prorsus aliena. Volui, uir optime, harum nouarum rerum facere te participem. Vale, & uxorem tuam salutes meo nomine, D. Foxum & uxorem eius, Humfridum & uxorem eius, Stuardum, &c. Valent tui, & te salutant.

Tuus Gulielmus
Colus.

INTEGERRIMO ET OPTIMO VIRO D. GVILhelmo Vuilliamo Anglo, amico suo charissimo, Ioannes Baleus etiam Anglus S. P. D.

NEC maligna nec sterilis doctorum hominum parens est Hybernia: quæ ut rebus cæteris ad uictũ cultumq́ necessarijs non parum abundat, ita literatos uiros & optimos & plurimos procreauit. Sed cum non tam foris quàm domi inclarescere, nec scriptis mandare cogitationes suas uoluerint, factum est, ut scriptores dignitate quidem præstantes aliquot, numero autem pauciores, ad cõficiendum historiæ nostræ contextum haberemus. Quos uerò undiq́ conquirendo, diligenterq́ legendo inuenire potuimus, attulimus: allatos ad te, uir eximie, munusculum quidem re ac per se exiguum, animi tamen ac studij, officijq́ erga te nostri argumẽtum non leue, promptissimè alacriterq́ mittimus. Nec enim sum tam stupidus ut nõ intelligam, nec tam ingratus ut non meminerim, quantis me, quantis alios fratres meos beneficijs affeceris. Nam quantus hoc calamitoso peregrinationis nostræ tempore Mecœnas fueris, quantus exulum patronus, Ecclesiæ Anglorum Francofurtensis ac Geneuensis, alijq́ complures testari possunt: qui tanquam Abdias quispiam profugos ac hinc inde errantes, tuo salutari præsidio protegere, ac subsidio munificentiaq́ sustentare dignatus fuisti, flens ipse cum flentibus, & malis alienis bonitate ac pietate tua admirabili ingemiscens.

Sed antiqua sunt tua in me, neq́ recentia tantum merita: quæ si commemorarem singula, epistolæ angustias rei tantæ magnitudo & amplitudo excederet: nec tam principium mihi quærendum, quàm modus finisq́ potius uideretur. Nec solum in me hæc tua extiterunt beneficia, sed in fratrem meum, uirum doctrinæ sinceritate ac uitæ integritate conspicuum, D. Hugonem Goodacrum, beatæ memoriæ concionatorem in Hybernia uigilantissimum, ac theologica eloquentia non immeritò commendatum. Cum enim regis serenissimi Edvuardi sexti imperio ad extirpandam idololatriam, ueramq́ religionem plantandam eò uenissemus, quis humanius recepit, benignius tractauit, commorantes liberalius subleuauit? Meritò tu sanè monetæ regiæ reiq́ nummariæ præfectus illic à Rege eras constitutus, qui nummos toties tantumq́ erogaris. Cumq́ maliciam Satanæ ac crudelitatem sacrificorum non ignorares, quàm solicitè nostram salutem curaueris, quid attinet recensere? Declarauit id unicum pietatis tuæ documentum. Nam quando D.

do D. Goodacrus Armachanus, antistes meritissimus, Dublinium, cōsiliarios regios de reformanda religione quibusdamq; quæstionibus ac controuersijs dirimendis, conueniendi causa esset profectus, non me latet, quanta illius uitam diligentia custodiueris, quanta cura toxico (ut ferunt) correptum & ægrotum domumq; ad te deductum alueris, quibus remedijs moribundum & morti uicinum reuocare ac sanare uolueris, mortuum quibus lachrymis fueris luctuq;, cum charissima tua uxore, modestissima & pia fœmina Ioanna, prosequutus.

Ego uerò, licet multis millib. passuum abessem, ac procul habitarem, eò tamen tua ad me peruenit, non dico per literas crebras consolatio, sed & crebra quoq; & singularis beneficentia: nunquam profectò benignitatem tuam erga me clausam, sed apertā paratamq; tum ego, tum coniux mea Dorothea, non rarò sensimus. Sæpe etiā suo tuoq; nomine literas ad me dedit uxoris tuæ frater Thomas Vuoodus, vir non solum in bello fortissimus, sed & in militia Christiana constantissimus heros, neq; imperitus: quibus, consilio, consolatione, modisq; omnibus me excitare ac admonere soliti fuistis, maximè vt valetudini ac vitæ contra audaciam inimicorū mihi propter Christum insidiantium probè cauteq; consulerem. At quid hæc repeto infinita? Deus, qui talibus viris bonis semper bene facere & benedicere solet, tibi in die illo rependat. Ego uerò, ut omnia memoria complecti ac animo consequi uix possum, ita multo minus uerbis ualeo & oratione, singula persequi. Nimirū, nec enim uera dissimulanda sunt, secundum Deum, primum ac maximum fautorem, patronum, ac etiam patrem te agnosco, cui meipsum totum ac uitam debere me non grauatè confiteor.

In Hybernia sustentatus ac releuatus, tectusq;, dum essem in maximo vitæ periculo, precio conducta naui, amicissimè tandem ac liberalissimè abs te dimissus fui. Extra Hyberniam item piratis obiectus, ac omnibus fortunis exutus, atq; à quibusdam pijs mercatoribus post calamitates multas & magnas redemptus, in Germaniam tum demū delatus appuli. Hæc aliaq; referre, humanitas pietasq; requirunt, ac officij mei ratio postulat: sed quia modestia tua laudes omnes respuit, præterire mallem silentio, quàm odiosa cōmemoratione tædium fastidiumq; auribus tuis afferre. Verùm paucula hæc non potui non dicere breuiter, ne tot tantorumq; bonorum oblitus uidear: & cum gratias referre non valeam, quod possem saltem, uerbis hac præfatiuncula agere uolui. Quod ut æqui boniq; cōsulas, oro: & pro tuo candore facturum te non diffido. Vt enim tibi consecrarem Hybernicos hos scriptores, id hæc beneficiorum tuorum magnitudo extorquet et exigit. Et cui æquius dicari debent Hybernica, quàm tali tamq; benigno in Hybernia amico, tantoq; illic præfecto & administratori, Dominus IESVS addat & resarciat, quod meæ imbecillitati negatū est: cui te etiā atq; etiam cum cōiuge tua Christiana & uerè pia, totaq; familia, commendo & consecro, in quo bene valeas ac viuas, Amen.

HYBER-

HYBERNIAE DESCRIPTIO, EX POLYDORI VERGILII LIBRO XIII Anglorum historiæ.

QVONIAM autem eò peruentum est, ut de Hybernorum scriptoribus, qui etiam Brytannis nunc parent, aliquid in medium proferamus: non alienum esse uidetur, de eius terræ situ, moribusq; gentis nonnihil explicare. Hybernia (inquit Polydorus) insula in Oceano, inter Brytanniam atq; Hispaniam posita, ab ortu habet ipsam Brytanniam unius diei nauigatione propinquam, & Galliam ab austro: Hispaniam trium dierum, ut aiunt, nauali cursu affinem ab occidente: Oceanum infinitum à septentrione: & non multum distat à Scotia. Forma eius oblonga, ad similitudinem oui: ac à meridie, uti etiam Brytannia est, in septentrionē protensa, ubi latior est. Hyberniam ab Hybero duce, homine Hispano, nominatam ferunt, qui primus magna hominum congregata multitudine, eam occupasset: siue, ut alij sentiunt, id nomen tulit ab Ibero flumine Hispaniæ celeberrimo, quòd illius accolæ primi insulā habitassent: aut ab hyberno tempore, quia ad occidentem uergit. Sed illud uerisimilius est, ut uel à duce Hispano, uel à flumine Ibero dicta sit, quādo Hyberni cùm habitu corporum, tum uiuendi ritu atque moribus non ualde discrepant ab Hispanis uicinioribus. Scoti à Scythia, seu ab Aegypto, ut ipsi prædicant, profecti, expulsis prioribus incolis, aliquandiu tenuerunt, ab seq; Scotiam appellarunt. Sed posteaquam illi longo pòst tempore Pictis suæ nationis hominibus fœdere iuncti, supremam Brytanniæ partem, quę ad septentrionem uergit, occuparunt, & ipsi Hyberniæ sensim pristinum nomen redditum, & pars illa Brytanniæ à Scotis occupata, Scotia dicta est. Spacium Hybernię dimidio minus quàm Brytannię æstimatur, quòd non amplius milliarijs CCC in longitudinem, & XC in latitudinem pateat.

Cæterùm, solum & cœlum haud multū differt, nisi quòd Hybernia montosior est, & aquis abundantior: quippe quæ in editissimis etiam montibus passim paludes & stagna habet. Mira cœli temperies, fertilitas terræ insignis: etsi Hyberni agriculturæ parum student. Nullum gignit uenenatum animal, nec aliunde illatum nutrit. Maleficum habet lupum & uulpem: reliqua omnia animalia mansueta, & corpore minora quàm alibi. Apes etiam passim reperiuntur, quod falsò quidam negant. Fert Hybernicus Oceanus margaritas, sed subfuscas ac liuentes. Hybernia autem est omnis diuisa in partes quatuor: quarum unā, quæ ad austrum spectat, Momoniam appellant: alteram aquilonarem, Hultoniam: tertiam, quæ ad solem orientem uergit, Laginiam: quartam occiduam, Connaciam. & has Hyberni pariter ciuiliores atque syluestres sparsim incolunt. Cæterū ciuitates à cultu minus absunt, quòd regi Anglo parent: unde mores bibunt honestiores. Momoniā à Laginia Suirus flumen, qui ad Vuaterfordiam oppidum portum facit, quo ex Anglia breuior est transmissus, & à Connacia Sinneus diuidit. cuius princeps ciuitas occidentalis oræ est Limericū, quod Sinneo omniū totius Hyberniæ fluminum maximo alluitur. Oppida uerò celebriora, Vuaterfordia: & secundū Suiri ripam, Charygiū, Clomellū, Charris, ac Cassellū ciuitas firma: & in Angulo Corcagia: contraq; eam altera in septentrionali ora, Cherrium, ubi insula in Austrum uersus angustior esse incipit, magisq; syluestris.

Altera sequitur Hultonia, quæ contrà est, spectatq; ad septentrionem: quā à Laginia discludit Boandus flumē, quo Druda oppidum maritimum

ac Midia urbs alluitur, *cuius em porium est* Armachum. Et in ora aquilonari Stranfordia oppidum: à quo ad Scotiam, quam ex ea parte finitimam insula habet, breuior est traiectus, & *quædam alia paruula oppida*, atque *insulæ com plures*, *per eam oram* septentrionalem, usque ad alterum occidentalem angu lum. Item interius *amplissimus lacus*, *quem uocant* Logfoylum, *unde ma nat Sinneus: qui* latè fluens interiores Hybernos, qui occidentales sunt, ab orientalibus discriminat, ad *Limericumque portum facit multarum nauium capacem.* Iam tertiã ponamus partem Laginiam. Hæc à Druda orientalis oræ oppido incipit, pertinetque ad *Rossium oppidum* eiusdem *oræ*, *quod ad austrum uergit*, *in* lõgitudinem circiter millia passuum 190. Ciuitates habet, Dublinium, totius insulę caput: *Midiam*, *Forneum*, ac oppida *munita* Kildariam, *Kilkennium*, Offorium (meæ iampridem diœcesis locum) Calanum, Lechlinium, Tostonum, *Benedicti pontem*: & *huius quoque* bonam partem Hyberni *syluestres tenent.* Vltima pars Connacia, quæ ad occidentem *solem spectat*, multo incultior: quam in austrum uersus, *ut suprà diximus*, Sinneus à Momonia disiungit. *illincque protenditur* parum ultra Slygarium *oppidum oræ septentrionalis*, cuius principalis ciuitas est *Galuia*, item portus frequentes, insulæ admodum *paruæ*, ac *lacus.*

Hæc uerò crebris montibus, atque paludibus plena, ferè tota syluestris, à pluribus regulis possidetur, administraturque: *quorum princeps unus*, *qui se Connaciæ regem nominat: cuius* incolę, ut longè durissimum hominum genus, non multum frumento, sed maximam partem *lacte atque pecore uiuunt.* panem, quando *uescuntur*, ex farina auenacea conficiunt. Hi syluestres uocitantur, quod fermè ferarum ritu uitam degant. quãquam *in ea* feritate Christianam religionem patrio more colunt. Statura sunt non indecenti, tunicã ex panno lineo confectam induunt: & eam non mutant, donec contrita sit. quam ne sordescat, croco inficiunt: cui, cum in publicum exeunt, aut frigoris uitandi causa, pallium laneum, & illud quidẽ uillosum, atque in superiore parte iubatum imponunt. & hic pariter uiris ac fœminis cõmunis uestitus. Nobiles uerò ueste talari amiciuntur, tegmenque à posteriore parte ad caput inducunt, & id usque ad calcem pendet. calciamentum etiam usurpant. At reliqui aperto capite, ac nudis pedibus incedunt. porrò ita pedum cutis suapte natura callet, ut pueri, quorum pedes nondum longo usu aut labore obdurarint, mira quadam pernicitate per loca etiam aspera currant. Capillum parum supra aures circuncidunt: aliqui tamen more uetusto, capillo usque ad occipitium reciso, in parte capitis quæ antè est, longos gerunt crines. Barbam frequẽter radunt, labio duntaxat superiore ad terrorẽ, ut credere par est, intonso. At gens cõtinuis seditionibus agitatur: ac ob id prælijs & rebus gerẽdis assueta, solers est, ad omnia momẽta rerũ, imperiũque accipiendũ præstò.

Inermes corpore pugnant: idque pro audacia & robore uirium æquè habent. atque ferre arma, pro onere ducunt: etsi paulatim suo periculo sapientiores effecti, arma iam nunc induere incipiunt. Sine ephippijs equitant: licet nunc stratis quambreuissimis, sine ullis phaleris utantur. equos uerò magna cura nutriunt pabulo herbaceo, ac sub diuo. Arma habent, iacula, gladium, securim, & lapides: quibus, cum alia arma amiserint, se defendunt. indiscreta apud eos hæc sunt. Lingua omnibus eadem, quam balbutientium ac gementium more pronunciant: subita ingenia, ferocia, & ad uindictam prona: non item fida, sed mendacio gaudentia, literarum non expertia. nam à pueris grammaticæ & iuri tam pontificio quàm ciuili operã dant. preterea sobrij, & inediæ patientissimi, comiter & perbenignè colũt hospites. In delicijs

licijs habent, à laboribus uacare. agriculturam cæterasq; artes non magnopere exercent, præter musicam, cuius peritißimi sunt. canunt enim cùm uoce tum fidibus eleganter, sed uehementi quodam impetu: sic, ut mirabile sit, *in tanta uocis linguæq; atq;* digitorũ uelocitate, posse artis numeros seruari. id quod illi ad unguem faciunt. Domos habent aut lapideas, aut ligneas, mu*ris è luto cõfectis. Demortuos magnis clamoribus diu lugent*: si summi sint uiri, conducunt mulieres, quæ circa funus plangant. Miracula autẽ Hyber*niæ quæ uulgò prædicantur, quoniam eo remotius fugere* solent, quo diligentius inquiruntur, repetere superuacaneum duximus, arbitrantes nos sa*tis de ea insula hic apposite dixisse. Hæc Polydorus.* Cæterùm, unde digreßi sumus, iam ad scriptores nostros reuertamur, hanc ultimã Centuriam cum *Hybernis finiendo.*

POSTERIOR PARS HVIVS CENTVRIAE DECIMAEQVARTAE, DE *Scriptoribus Hyberniæ.*

PATRICIVS HYBERNORVM APOstolus. LXXVII.



ATRICIVM, Hybernorũ Apostolũ, cognomento Succetum uel Magonium (sic enim Ioannes Lelandus de illo scribit) Calphurnius Brytannus presbyter, ex Conche coniuge, D. Martini Turonensis episcopi sorore, in Brytannia seu Cambria generauit. Vir erat Patricius in primis eruditus iuxtà ac bonus, qui Martinum auunculum primò, & Germanum Altisiodorẽsem antistitem, postea dũ ille Brytannos à Pelagiana hæresi liberaret, per multos annos præceptores obseruauit, dilexit, ac coluit. Ad Hybernos tandem insulares, à Cœlestino primo Rom. Pontifice, Apostolus mittebatur, cum Segetio quodã presbytero: & anno Domini 432, multos Euãgelici uerbi tonitru ac fulmine, ab idolorũ cultura deterruit. Iactis igitur in Hybernia per totos 39 annos, fidei sanctæ seminibus, in patriam suam redijt, atq; inter eremitas, seu solitarios Aualoniæ patres xx annis uixit. Et cum ageret undecimũ supra centesimum (alij 122 numerant) annum, fato concessisse Dunæ in Hybernia perhibetur. Dum antiquum Aualoniæ oratoriũ repararet hic Patricius, inter neglectas reliquias librum, tantum non consumptum carie, reperit, in quo descripti erant Apostolorum actus, unà cum rebus à Fugatio & Damiano in Brytannia gestis. Patricius de antiquitate Aualonica, sed breuißimè, scripsit, quod in suum librum de Glasconiensi antiquitate Guilhelmus Malmesburiensis transtulit, chartulæ uetustatem ueneratus. Scripsit etiã Patricius Hodœporicon siue itinerariũ Hyberniæ, sub cõfeßionis titulo. Quæ præterea edidit, in obscuro sunt. Hucusq; Lelandus. Colligunt Gildas quartus, Syluester Giraldus, & Bostonus Buriensis, illum adhuc scripsisse multa, saltem

De tribus habitaculis,	*Lib. 1. Tria sunt habitacula, cœli, mundi.*
De futura electorum uita,	*Lib. 1.*
Abiectoria 366 numero,	*Lib. 1.*
Historiam Hyberniæ ex Ruano,	*Lib. 1.*
Sermones aliquot,	*Lib. 1.*
Epistolas quoq;,	*Lib. 1.*

Nõnullaq; alia, ut in Cẽturia prima huius operis habetur, suo loco. Cõmuni

fato demũ absumptus est, anno à cõmunis salutis origine 491, & prope Dunẽse Hultoniẽsis patriæ oppidũ in quadã spelũca sepultus. De huius Patricij miraculis, ut Lelãdus ꝓdit, sex libros cõpegit antiquitas cũ hoc disticho:

Tres sunt in Duno, trino & tumulantur in uno,
Brigida, Patricius, atq; Columba pius.

BRENDANVS CONNACIVS LXXVIII.

Brendanus Conacius, ueterũ monachorũ abbas, in occidẽtali Hybernicæ insulæ patria originẽ habens, apud Hercũ episcopũ quẽdã à puero remãsit, sub quo prima acquisiuit secularių literarũ rudimẽta. Aetate robustior factus, & ad monachismum, ut dicitur, natus, in Brytãniã ad patrẽ Congellũ monachorum primipilũ uenit, ab eoq; in Bannachorẽsi collegio didicit monasterialis uitę regulas. Vnde inertis illud instituti genus augere cupiens Brendanus, in Lancaruanẽsi Cambricæ regionis ualle cœnobiũ statim erexit, eiq; præfuit annis aliquot. Postea circuiuit omnẽ Hyberniã atq; Scotiam: & ad tantũ peruenit discipulorũ numerũ, ut triũ monachorũ milliũ, de manuũ tamẽ suarũ laboribus uictitantiũ, diceretur pater. Horumq; tunc habebantur præcipui, Machutus Cambrius & Molochus Scotus, quibus cœnobiorũ in illis regionibus curã reliquit, Hyberniã gubernandã sibiipsi deinceps reseruans. In septennali nauigatione, fortunatas perquirens insulas (si uera sunt quæ de ea peregrinatione referuntur) Iudam Christi Domini proditorem in mari sedentẽ inuenit, qui nec monachorum cœtum hucusq; deseruit. Purgatoriũ quoddã (teste Ranulpho) & iste habuit quoq;, sicut et alter Patricius, ille scilicet abbas Hybernicus, & alia malè conditarũ conscientiarum terriculamenta. Ex ore Angeli Brendanus multa scripsisse dicitur, ad monachatũ spectantia. Sed execrabilis habeatur (inquit apostolus Paulus) angelus ille, quisquis fuerit, qui præter id quod accepistis, Euãgeliũ, aut Christianæ uitæ regulam dederit. Composuit iste, ut apud scriptores reperi,

Confessionem Christianam, Lib. 1. *Confiteor tibi summe, increate, &c.*
Chartam cœlestis hæreditatis, Lib. 1. *Quisquis sapiens hæreditatem uendi.*
Monachorum regulam, Lib. 1.

Et hanc monachi olim uocabant, Verba religionis Dei. Claruit Brendanus, anno à Christi incarnatione 560, & tandem ab hoc migrauit seculo, in Cluenarca sepultus, Maglocuno in Brytannia regnante. In Christianorũ ecclesiam ita irrepsit post tyrannos, pseudodoctores & hæreticos, monachorum hypocrisis, multo nocentior pestis.

FVRSAEVS PEREGRINVS. LXXIX.

Fursæus Peregrinus, in Hybernia natus & in literis educatus, aliud monachorũ, nempe Benedictinorũ cœnobitarũ, institutũ induẽs, pro eo dilatãdo celer in Gallias uenit. Qui, ut Sigebertus Gemblacẽsis narrat, & post eum Ioãnes Tritemius in annalibus recolit, à Clodoueo Francorũ rege honorificè susceptus, Latiniacẽse cœnobium anno Domini 647 fundauit, monachosq; sui ordinis in eo locauit. Magnus certè propinquorũ ac uicinorũ æstimatione hic fuit, & uniuersę per eas partes solitariorũ uirorum societati quasi antesignanus. Scholas bonarũ literarũ, iuxta cõsuetudinẽ eius tẽporis monachorum, erexit: ac semen Euangelicum, sed nõ sine humanarum traditionum zizanijs, per patriã illam sparsit. Et quamuis opuscula quædam scripsisse dicatur, longa tamen ætas è medio cuncta nobis surripuit.

Claruit Fursæus, anno à diuini uerbi incarnatione 650, & in suo tandẽ cœnobio post mortẽ sepultus fuit, & papisticorũ sanctorum ascriptus numero.

FOILLANVS ET VLTANVS. LXXX.

Foillanus & Vltanus, patria Hyberni, professione quoque monachi, ac prædicti

prædicti Fursæi germani fratres ut prędicti testantur authores, pari peregrinationis uoto fratrem sequuti, uerbo & exemplo uitæ Gallias illustrarunt. Ex quibus Foillanus, dono cuiusdam Gertrudis uirginis, Fossense monasterium in regno Franciæ postea fundauit: ubi tum demũ martyrio coronatus, anno à Christi seruatoris aduentu in carnem 654, in Domino fœliciter quieuit, ut in suo Chronico Sigebertus refert. Sed qualis Vltano obtigerit casus, non lego. Viros istos fuisse per eam ætatem literatos, certis rationibus asserere cogor, licet monumentorum nihil supersit.

ARBOGASTVS EPISCOPVS. LXXXI.

ARbogastus, secundus Argentinensis urbis episcopus, ex Hybernia ortus fuit, ut non cõtemnendi authores affirmãt. Is peregrinus & eremita in Alsatiã uenit, ibiq; in sacro nemore, ubi nunc Haganoa sita est, oratoriũ sibi cõstruens, Deo ieiunijs ac precibus diligenter seruiuit. Non ociosus tamen prorsus erat: nam & prodibat, & accolas de uera Dei cognitione, de uero Dei timore, & uera per filiũ Iesum Christũ inuocatione, reprehẽsis idololatricis cultibus, ac phanaticis opinionibus, diligentissimè erudiebat. Perturbatas etiã cõscientias ita uerbo Dei erigebat, ut hilares ab eo discederẽt, qui tristi ac perturbato animo accesserant. Hæc uera uitæ sanctimonia cum innotuisset Francorũ regi Dagoberto, uocauit ad se Arbogastũ, eius utens cõsilio in grauissimis negocijs. Quẽ cum uideret singulari sapiẽtia cõspicuũ esse senẽ, uocauit eum ad erudiendã in Christianismo tumultuantẽ urbẽ Argentinã, cuius loci episcopũ etiam post S. Amandum cõstituit, anno Christi 646, addito mandato, ut Argentinenses doctorẽ hunc audirent, eiq; obtemperarent. Præfuit aũt 12 annis docẽdo & cõcionando, atq; euulgasse dicitur

Homelias aliquot, Lib. 1.

Decessit ex hac uita anno Domini 658, sepeliturq; iuxta patibulũ in colle quem S. Michaelis uocant. Id enim ita postularat, imitaturus fatum Christi, qui extra Hierosolymam in loco sceleratorum passus fuisset. Hæc sunt ex Sebastiani Munsteri Cosmographia, & episcoporum catalogo Gasparis Bruschij collecta.

VIRGILIVS SOLIVAGVS. LXXXII.

VIrgilius Soliuagus, illustri inter Hybernos familia ꝓgnatus, ubi ad maturiores annos peruenisset, relicta sua patria cum quibusdã sibi similibus eremi cultoribus in Germaniã uentis secundis nauigauit. Qui doctrina & pietate clarus, uetustissimę D. Petri abbatię, intra Salisburgẽsis urbis muros sitæ, anno Domini 754, ab Odilone præpotẽti Bauarorũ duce præficiebatur, & episcopatui Iuuauiẽsi postea, quibus triginta annis præfuit. Hic uidens (inquit Bruschius, in primo Germanicorũ monasteriorũ tomo) Christi fideles in sua ditione ualde creuisse, pluribus templis opus esse ratus, aliã sedem episcopalẽ erexit: nempe Salisburgẽsem, insignẽ nouamq; basilicam fabricauit Illis temporibus contigit Bonifacium Anglum, magnum Germanorum apostolum, in sua uisitatione quosdam in Bauaria, tanq; non rectè baptisatos, lustrali aqua rebaptizasse. Virgilius aũt, consulto Sydonio Bauarorum archiepiscopo, ab ipso dissentiebat, & eiusmodi neophytos (quos rectè lustratos credebat) rebaptizari omnino prohibebat. Cumq; Bonifacius sententia sua non cederet, illi duo ad Zachariam Ro. Pontificem prouocabãt. Qui Bonifacio rescribens, Sydonij ac Virgilij sententiam approbauit, contra tam sanctum ecclesię suæ Apostolum. Hæc apud Gasparem Bruschium, in primo de Patauinis episcopis libro reperiuntur. Virgilius igitur scripsit,

Ad Zachariam Rom. Pontificem, Epist. 1.

Nec aliud ab eo editum quicquam lego. Ex hoc seculo migrauit tandem

Virgilius, anno per Christũ restituti orbis 784, Salisburgi in sua ecclesia sepultus. Epistola uerò Zachariæ super negotio prædicto ad Bonifacium scripta, extat in libris Conciliorum, tomo primo.

In Sydonij archiepiscopi gratiam, sequens epigramma Bruschius lusit.

Præfuit & Boijs heros Sydonius aris,
Intra urbem positis urbs Patauina tuam.
Pontificis dignus mitraq; pedoq;, utriusq;
Qui sophiæ miro numine gnarus erat.
Huic & Zacharias Romanus papa fauebat,
Contra † Euergeten ipsius acta probans.

† Bonifacium.

ACDERICVS BARBOSVS. LXXXIII.

ACdericus Barbosus (sic illum uocat Marianus Scotus) uir olim in Hybernia ualde celebris erat ac famigeratus, tum insignis eruditionis tum raræ sapientiæ titulo. Sed eius gloria, quemadmodum & illustrium Hybernorũ ferè omniũ, ita eius temporis scriptorũ ignorãtia uel obliuione obscurata est, ut uix ausim tam nitidum sperare solem, quem eius planè uita in hoc mundo desiderat. Ne tamẽ perpetuis deliteat tenebris, ex dicti Mariani & aliorũ chronicis nunc aliquid dicam. Inter Hybernos aũt non infimo loco natus, literarũ amore præceptores perbellè doctos excoluit. Et inde ob eximias artes, quas sub ipsis hauserat, aliasq; in eo prænitentes uirtutes, in magna apud suos existimatione semper fuit. Quid præterea chartis cõmiserit, authores ipsi nõ produnt. Certũ est tñ ex præfato Mariano, claruisse illũ anno à cõmunis salutis initio 1053, Edvuardo Simplici in Anglia regnante.

CELSVS ARMACHANVS. LXXXIIII.

CElsus Armachanus, eiusdem sedis archiepiscopus, & totius Hyberniæ primas, ex illustri quodam Hyberniensium genere natus, post elementa prima, literarum adhuc appetentior adolescens, traiecto mari, Oxonium accessit, florentissimum Anglorum gymnasium. Vbi excussis per aliquot annos omnibus omnium exercitijs, cum magnis doctrinæ suæ thesauris in patriam remeabat. Vxorem ac liberos habebat Celsus, in ipso etiam suo archiepiscopatu, ut moris tunc erat apud Hybernos ad hanc ætatem usq;. Hæreditaria namq; successione pontificatum, cum spirituali, ut uocant, totius eius terræ primatu, per xv generationes & ducentos ferè annos, sine Bestiæ charactere, capitis scilicet tonsura, gerebant: & octo eorum literatissimi fuerunt. Non enim patiebantur ordinari quẽquam in ea metropoli, extra eandem familiam aut tribum. Hæc post D. Bernardum Clareuallensem in uita Malachiæ eiusdem sedis archiepiscopi, Vincẽtius, Antoninus, Petrus Equilinus & Capgrauus affirmant: iudicantes tamẽ in tyrannico Antichristi spiritu, tale matrimonium rem esse perniciosam, atque acerbissima morte puniendam. Celsus igitur ab illis demum seductus, qui in hypocrisi mendacia docebant, dæmoniorum doctrinam in suo clero coniugia damnantem, in Hyberniam delirus senex primus introduxit. Pro quo insigni, horrẽdo potius, flagitio confirmando, ut cœlebs quidam Malachias sibi succederet, arrepto calamo pro eo scripsit

Testamentum ad ecclesias, *Lib. 1.*
Constitutiones quasdam, *Lib. 1.*
Ad prædictum Malachiam, *Epist. plures.*

Obijsse mortem Celsus dicitur, circa annum à Christi incarnatione 1128, & in Armachana ecclesia cum uxore sepultus. Post cuius discessum Hadrianus

nus 4 & Alexāder 3 Rom. pontifices, Henrico secundo Anglorum regi Hyberniæ dominatum bullis confirmarunt, ut eosdem Hybernos ob hanc & consimiles in eo regno mutationes, tanquam suæ sedi rebelles & hæreticos opprimeret. Vide Triuethum & Hardingum.

MALACHIAS COELEBS. LXXXV.

MAlachias Cœlebs, in Aquilonari Hybernorum regione, Hultonia scilicet, parentibus barbaris, sed potentibus et ortus & educatus, à quodam Imaro recluso & Malcho Lismorensi episcopo, superstitiosam uitæ formam accepit. Huic, ut in eius uita D. Bernardus refert, non defuit pro ætate ingenium, nec uentosa scientia literaturæ secularis. Proficiebat super omnes coætaneos, in ea quidem disciplina quæ illi ætati competebat, unctione magistra. Vigintiquinque annos natus, diaconus ordinabatur à Celso archiepiscopo, postea sacerdos, & canonum formam (non Euangelium) in uita seruauit. Episcopus Conerethensis deinde factus, pulpiticum semen seminauit in gente non sancta, deditque rudi populo sine lege uiuenti legem doctrinæ papalis. Cum tandem fieret archiepiscopus Armachanus, & Hyberniæ primas post Celsum, & anno 38 ætatis suæ metropolim ipse intraret, cœlibatū statim admisit, & sacras in suo clero nuptias damnauit. Tradebat noua iura nouus legislator, leges (inquit Bernardus) plenas modestiæ & honestatis (quasi coniugium non esset honestū) Sed & Apostolicas sanctiones, ac decreta sanctorum patrum, præcipueque consuetudines sanctæ Rom. ecclesiæ in cunctis Ecclesijs statuebat. Cantum instituit, horas canonicas celebrari iussit, usum confessionis approbauit: unctiones, dedicationes, oblationes, uenerationes, confirmationes, pœnitentias, missas pro mortuis, & alias traditiones, cum decimis & primitijs introduxit, atque ea omnia iuxta morem Papalis ecclesiæ fieri præcepit. Et cum pro sorore defuncta (ut narrat Petrus Equilinus) quotidie celebraret, eius animam per missas (horribilis blasphemia) purgatam, puram, candidam, ac sole clariorem reddidit, & ad cœlos euolare fecit, quamuis eius carnalem uitam prius esset aspernatus. Multaque alia in eius habentur uita, quę diabolismū sapiunt. Cudebātur à Malachia, quantū ad literas, & ad posterorū memoriā scripto mandabātur,

Institutorum communium,	*Lib.1.*
Legum cœlibatus,	*Lib.1.*
Nouarum traditionum,	*Lib.1.*
Ad D. *Bernardum,*	*Epist. plures.*

In quibus omnibus, Romanas consuetudines sequendas esse docuit. Clareualli tandem in Burgundia ab hac luce migrauit, anno salutis nostræ 1148, ætatis suæ 54, officij 17, & quarto nonas Nouembris, inter Cisterciēsis monachos sepultus, dum altera uice metropolis suæ palliū ab Antichristo Rom. longo itinere quæreret, nec obtineret nummorum defectu.

APPENDIX.

Vide in huius Malachiæ historia, horribilem cæcitatem et blasphemiam illius Bernardi, qui ipsam edidit: & disce eiusmodi sanctis Ecclesiæ doctoribus non fidere, quamuis habeantur pro sanctißimis. Certum est, hominem fuisse illum pro ea ætate & pium & doctū, sed suorum monachorum figmentis nimis credulum. Mortua est (inquit) soror Malachiæ illa, quam præfati sumus. Nec prætereundæ sunt uisiones (illusiones) quas uidit de ea. Huius siquidem sanctus carnalem exhorruerat uitam: & tanto zelo, ut se deuouerit non uisurum eam in carne uiuentem. At illa carne soluta, solutum est uotum: & cœpit uidere in spiritu, quam in corpore noluit. Quadam nocte audiuit per somnium uocem sibi dicentis, sororē eius stare foras in atrio, & ecce per totos triginta dies nihil gustasse. Qui euigilans cito intellexit, cuius escæ inedia marceret: & diligenter discusso numero dierum quem audierat,

audierat, ipsum esse reperit, ex quo pro ea panem de cœlo uiuum (horrenda blasphemia) non obtulisset. Tum ille, qui sororis non animam oderat, sed peccatum : beneficentiam, quam intermiserat, rursum adoritur. Neq; id frustra. Non multum pòst, uisa est illi peruenisse ad limen ecclesiæ, necdum tamen posse intrare, apparere etiam in ueste pulla. Cumq; ille perseueraret, curans ne qua die solita stipe frustraretur, secundò uidit eam in ueste subcandida, admissam quidem intra ecclesiam, sed altare contingere non permitti. Tertiò tandem uisa est aggregari cœtui candidatorum, & in ueste candida, &c. Hoc planè sacramentum, potens est peccata consumere, debellare obuias potestates, inferre cœlis reuertentes de terra. Hæc Bernardus. Ista & eiusmodi alia multa, à Congano quodam abbate Hybernico & impostore diabolico, Bernardus accepit, & tanquam cœlitus missa oracula certò credidit. Tametsi insanus uix putaret, spiritum esse localem, & à loco in locum moueri posse, uestiri, cibari, ac missis iuuari. Sed talia sunt monachorum monstruosa commenta atq; mendacia in eo Diaboli regno, ut missæ Sathanicæ æstimationem augerent.

Appendix alia.

Ex uita prædicti Malachiæ, authore D. Bernardo Clareuallensi. Anno Domini 1132, Hybernia sub archiepiscopo Malachia cœlibatum admisit. Remanent inde Malachiæ foris pugnæ, intus timores. Nam Nigellus, qui se post Mauritium, archiepiscopum gerebat, secum tulit textum Euangeliorum beati Patricij, & baculum Iesu, quibus à Malachia auertebat populum. Mulier quædam clamoribus improbis, hypocritam Malachiam uocabat, & inuasorem alienæ hæreditatis: sed & caluiciei illius improperabat. Vocauerat enim Malachias episcoporum coniugium, diuersis temporibus, ius prauum, morem pessimum, execrandam successionem, morte puniendam iniuriam, generationem malam & adulteram, Ecclesiasticæ disciplinæ dissolutionem, censuræ eneruationem, religionis euacuationem, sæuam barbariem, & paganismum inductum sub nomine Christiano. Vnde illic scribitur: Pulsa post triennium barbarie (nuptias eorum intelligit) cogitare cœpit de sua pace. Fiunt de medio barbaricæ leges, Romanæ introducuntur. Recipiuntur ubiq; Ecclesiasticæ consuetudines, contrariæ reijciuntur. Reædificantur basilicæ, ordinatur in illis clerus, & sacramentorum ritè (papisticè) solennia celebrantur. Confessiones fiunt, ad ecclesiam conueniunt plebes, &c. Sed subito flagello Dominus ciuitatem deleuit. Circa annum Domini 1145, clericus quidam Lismorensis, probatæ uitæ homo, publicè profitebatur, in Eucharistia tantum esse sacramentum, non rem sacramenti, & ingenij uiribus ac scriptis se fortiter defendebat. Dicebatq;, Malachia disputante, se non ratione uictum, sed archiepiscopi potius authoritate pressum. Et tu (inquit) ô Malachia, sine causa me hodie confudisti, aduersus profectò ueritatem locutus, & contra tuam ipsius conscientiam. Et anathematizatus est ille, & hæreticus iudicatus, &c.

Ibracense cœnobium Malachias construxit, & Banchorense monasterium antiquum reædificauit. Pro metropolis suæ pallio, bina uice Romam adiuit: sed id, ut apparet, precio carens, non obtinuit. Papa tamen cum manipulo stolam eius imposuit capiti, quibus deinceps inter offerendum in Missa utebatur. Legatum suum per Hyberniam, illum Papa constituit: & ipse eandem per totam regionem exposuit, ad faciendam uindictam in nationibus & increpationem in populis. Aqua lustrali prodigia multa fecit, & nouam religionem plantauit, propagauit, fouit. Monachos ordinauit, mulieres unxit, & curiosa ædificia illis posuit. In Missa suum diaconum pollutum nouit, ac super caput crucifixi columbam candidam uidit. Cœmiterium Patricij per noctem circuiuit, sed ægrè ferebat metropolis pallio ad mortem usq; se caruisse. Promittit tamen post suam mortem, futurum se esse pro Cisterciensibus monachis aduocatum. Intolerabiles in his sunt blasphemiæ. Hæc tamen omnia D. Bernardus, magnus Rom. ecclesiæ doctor, in cumulum collegit, ab abbate Congano & alijs Hyberniæ monachis edoctus, spiritus non explorans, iuxta Euangelistæ Ioannis monitum sacrum, an ex Deo sint.

CONGANVS ABBAS. LXXXVI.

Conganus, abbas Hybernicus Cisterciensis ordinis fuit: sed cuius cœnobij, Bernardus Clareuallensis non explicat: qui tamen in præfatione in uitam prædicti Malachiæ archiepiscopi, non leuem eius mentionem facit. Erat Conganus ab ipsa adolescentia literarum studiosus: & in disciplinis, quas dicunt liberales, eius ætatis ac patriæ more doctus. Ad inueniẽdas

igitur & cōfirmandas in omni deceptione ac dæmoniorū doctrina supersti tiones, ualde inter suos idoneus est repertus. Eius etenim cura & informatione factū est, ut præfatus Bernardus eiusdē Malachiæ uitā, per multa mendacia superstitiose describeret. Tu id mihi (in dicta præfatione Bernardus inquit) abba Congane iniungis, reuerendus frater & dulcis amicus meus, ac tecum pariter (ut ex Hybernia scribis) uestra illa omnis ecclesia monachorum. Libens obedio, præsertim quòd non eloquium exigitis, sed narrationem. Sequitur: Sanè, narrationis ueritas secutura apud me est, intimata à uobis, &c. Scripsit Conganus ad Bernardū, mendaciter, sed argutè,

Gesta Malachiæ archiepiscopi, *Lib.1.*
Ad Bernardum Clareuallensem, *Epist. plures.*

De alijs nulla est apud scriptores mentio. Claruit anno à D. uirginis partu 1150, uarijs præstigijs illi illudens seculo, & apud suos Hybernos insignis impostor & hypocrita consenuit, in Anglia regnante rege Stephano.

TVNDALVS MAGVS. LXXXVII.

TVndalus Magus, in Momonia, australi Hyberniēsis insulæ regione, natus ac nutritus, genere quidem nobilis erat & eques auratus, sed animo crudelis & atrox fuisse scribitur. Sunt qui istum credāt Carthusianū tandem factum: quod quidem bene esse tunc poterat, quum ad monachorū claustra, tanquam ad malorum omnium asylum, post uitæ turpitudines, aleas, scorta, furta, latrocinia, atq; homicidia, ab huiusmodi hominibus plerunq; concurratur. Prodigiosa enim ac lectu mirāda, Ioannes de Indagine, eiusdem sectæ monachus Germanus, atque alij papistę referunt, pro territandis hominum conscientijs, implendisq; eorum insaturabilibus crumenis: ut quòd à Domino morte subita percussus sit, quia eorum templa cum sacris neglexerit: & quòd omnia subterranea inuiserit loca, ad ipsam gehennam usq;, angelos allocutus ac dæmones. Talia ad terrorem fingebant scelestissimi nebulones, pro territandis miserorum conscientijs ad desperationem usq;. Vnde reuersum demum ab inferis referunt, & exarauisse commemorant

Apparitionum suarum *Lib.1. Cum anima mea corpus exueret.*

His & similibus nugis suum fabricarunt purgatorium, Missas pro defunctis, atque animarum nundinas constituerunt. Claruit Tundalus anno salutis humanæ 1149, Stephano rege in Anglia dominante, & Satana apud Hybernos suas uires exercente.

CORNELIVS HISTORICVS. LXXXVIII.

COrnelius historicus, ex Hybernica gente oriundus, in hoc illustrium scriptorum albo omittendus non est, sed meritò cum alijs collocandus. Ita probiter iste omnes adolescentiæ suæ annos, tum in Hybernia tum alibi, humanis consecrauit literis, ut nomen ab illis non infimum sibi tandem comparauerit. Huius uiri per suam ætatem longè clarissimi, scriptores tam ueteres quàm recentiores, honestam fecere mentionem. Inter quos occurrit nunc Hector Boethius, insignis Scotorum chronographus, qui in præfatione magni sui operis de Scotorum historia, istum inter alios præcipuos authores commemorat, tanquam illum à cuius labore esset plurimū adiutus in prima eius editione. Composuit ergo Cornelius Hybernus (sic illum cognominat præfatus Hector)

Multarum rerum Chronicon, *Lib.1.*

Et alia quędam, nobis tamen hucusq; incognita. Claruisse fertur circa annum à diuini uerbi incarnatione 1230, Henrico tertio Ioannis regis filio in Anglia regnante.

THOMAS DE HYBERNIA. LXXXIX.

THomas de Hybernia, sic est à Theologis cognominatus, quoniam ab illa gente ac patria originem duxit, cum esset maximæ spei iuuenis, Parisium usque relicta sua patria perueniens, literas solicitè quæsiuit & inuenit. Qui postquam in scientijs diuinis & humanis longo profecisset studio, scholasticæ theologiæ magisterium, suffragijs doctorum, in magna Sorbona suscepit. Vir ille fuit facundia atque eruditione clarus, & ex lectissimis authoribus sedulò collegit flores omnium penè doctorũ, qui super sacris literis hactenus scripserunt, necnon quorundam aliorum, & in capita ceu in locos cõmunes alphabetico ordine digessit. Erat opus hoc, Ioanne Gualense Anglo authore, inchoatũ primò, sub Manipuli florũ, seu Originaliũ tabulæ titulo: sed sine perfectione et ordine, intercedente morte, ab eo relictũ. Nũc autẽ ab hoc Thoma emendatũ et auctũ, aut potius nouũ factũ, Anthologia, uel, ut uerè dicã, nõ modò theologiæ, sed etiã totius philosophiæ thesaurus appellari posset. Namque ex eo lectori est integrum, & cultum ingenij, ac morum elegantiam eruere, & uitæ integritatem atque dignitatẽ colligere. Edidit igitur Thomas, ut tandem ad eius perueniam scripta,

Flores omnium doctorum,	*Lib. 2. Bonum est in cibo, cum gratiarum act.*
De Christiana religione,	*Lib. 1.*
De illusionibus dæmonum,	*Lib. 1.*
De tentatione diaboli,	*Lib. 1.*
De remedijs uitiorum,	*Lib. 1.*

Et alia multa. Extat primũ opus, exactiore iam fide & animaduersione, quàm unquã antea, castigatũ & impressũ. Claruit anno post Christi aduentũ in carnem 1290, Edvuardo eius nominis primo post Cõquestũ in Anglia regnãte.

GVILHELMVS ABBAS. XC.

GVilhelmus abbas Hyberniæ (sic reperio ab authoribus scriptum: sed cuius abbatiæ fuerit rector, expositũ non inuenio) uir tam claræ extitit famæ, ut eius memoria nondum persenserit extremã obliuionis ruinã. Erat enim ex Bardorũ uel pseudouatũ genere, quos Cambri & Hyberni in maximo semper habuerunt precio. Et mira sunt quę de eo referuntur, sed suis coniecturis utebatur semper: non quas in insula Patmo didicit, apertis cœlis, sed in Delo aut Icaro, aut Nephelococcygia, apertis cuculorum nidis. uel saltem hanc diuinandi artem è Druydum quercubus, uel Cynthio monte, cum responsis accepit. Vnde produxisse tandem Guilhelmus scribitur,

Prophetias rerum futurarum, *Lib. 1.*

Feruntque illum, consuetudine quadã fuisse coniunctum eius temporis uatibus fama notissimis. Claruit circa annum à nato seruatore Christo 1298, regnante adhuc in Anglia Edvuardo primo.

MALACHIAS MINORITA. XCI.

MAlachias Minorita, uel Franciscanę professionis monachus nudipes, genere ac natione Hybernus, inter insigniores sui ordinis proceres numeratus, magnam ab eruditione laudem, domi forisque sibi comparauit. Quanta autẽ in existimatione apud suos, tũ in sua patria tũ Oxonij hic olim fuerit, ob eximias artes, & alias quæ in ipso renidebãt uirtutes, uel hinc perpendere licet, quòd dignus sit uisus qui corã mundi principibus ac primatibus diuina Dei oracula declararet. Fuit enĩ, ut in quorũdã Chronographorũ scriptis habetur, prędicator ualde probus, ac doctor ualde strenuus, & uitiorũ sui seculi acerrimus obiurgator, si eius idololatrias & papismũ cæcus præterijsset. Congessit nihilominus ad multorũ consolationẽ, sermone Latino,

De

De peccatis & remedijs, Lib.1.
Conciones quoq; plures. Lib.1.

Fertur præterea & alia scripsisse nonulla, sed tempus rerum edax, ea nobis ad incommoditatem abstulit. Malachias iste claruit anno à Christi seruatoris origine 1310, regnante in Anglia Edvuardo secundo.

DAVID OBVGE. XCII.

DAuid Obuge, uel Obugæus, supremæ clasis in ecclesia papistica magister, Hybernus natione, ac patria Kildariensis, in Laginia, orientali eius terræ regione natus, inter sui seculi theologos contentiosos (scholasticos uocãt) nõ infimus habebatur. Oxonij primũ in Anglia, ac postmodũ Treueris in Germania, Gobelino Alemano teste in suis cõmentarijs, tũ docendo tum disputãdo, magnũ eruditionis obtinuit nomen. Ipse enim decẽ eorũ theologorum unus & immobilis extitit, qui cum Guilhelmo Lidlyngtono Anglorũ prouinciali, contra Gerardũ Bononiẽsem generalẽ eorũ magistrũ fortiter steterunt, ne Anglia discinderetur in duas illorũ prouincias, & ideo in exiliũ cum alijs tunc missus fuit. In Hybernia tandẽ Carmelitarũ summus præses effectus, uniuersam ferè insulam, principes & episcopos, suo arbitratu dirigebat. Erat namq; philosophus, rhetor, theologus, & utriusq; legis in tota illa terra peritissimus, atq; ita totius Hybernicæ nationis lucerna, speculum, ac decus à multis appellatus: ut refert Ioãnes Bloxhã Anglus in magno suarũ epistolarũ opere. Alibi tamẽ scribit eodẽ in opere, quod spuriũ quendam Radulphũ in urbe Pontana genuerit, stuprata cuiusdã mercatoris Guilhelmi Kellei coniuge: qui Radulphus postea fuit Carmelita & Cassellensis archiepiscopus. Talem solẽt sordidissimi Papistæ, in turpissimo suo cœlibatu sanctis Dei de matrimonio legibus reuerentiã exhibere. Et apud Hybernos in hũc usq; diem, nõ horrificũ, sed honorificũ ualde credit, rasos hos hircos ac libidinosas bestias, habere genitores, siue sint episcopi, siue abbates, sacrifici, aut monachi. Composuit prædictus Dauid, latinè & non indoctè,

Sermones ad Clerum, Lib.1.
Epistolas 32 ad diuersos, Lib.1. *A dilectionis fœdere non recedit.*
Propositiones disputatas, Lib.1.
Lectiones Treuerenses, Lib.1.
Regulas quasdam iuris, Lib.1.
Contra Gerardum Bononiensem, Lib.1.

De cæteris eius opusculis nihil hucusq; contigimus. Claruit suæ sectæ, ut uocant, prouincialis, anno à Christi Iesu natali 1320, sub Edvuardo secundo Anglorum rege: & in Atrio Dei atq; Dubliniæ capitula celebrasse scribitur. In Kyldariensi quoq; cœnobio, dierum plenus, ab hac luce tãdem migrauit, ibiq; sepelitur.

GILBERTVS VRGALIVS. XCIII.

GIlbertus Vrgalius, ex Hybernis parentibus & in Hybernia genitus, superstitioso quodã sectariæ religionis ardore conflagrãs, in ipsa adolescentia Carmelitarũ gregi se sociũ adiunxit. Sed ubi, aut quo loco, in bonis literis usq; ad ætatem maturã informatus primùm fuerit, certò indicare non possum, quum in ea regione nulla tunc essent gymnasia. Oxoniũ ergo, consueto Hybernicorũ hominũ more, post pauluũ gustata Grãmaticæ artis rudimenta prima, & illũ peruenisse facilè crediderim. Quocũq; modo res acta sit, oculos, animũ, sensusq; suos omnes ad literas cõuertens, in uirũ per eam ætatẽ eruditũ Gilbertus tandẽ euasit. Vnde in patriã post studiorũ labores reuersus, ingenij sui monumẽta quædam posteritati cõmendauit. Et ut Ioannes Bloxhamus in Epistolis tradit, in duobus magnis uoluminibus reliquit

Summam quarundam legum, Lib.1.
De rebus etiam theologicis, Lib.1.

Aliorum attamen eius operum non meminit. Vixisse illũ idẽ Ioannes in eisdẽ epistolis ostẽdit, anno à salutifero diuæ uirginis partu 1330, sub illustrissimo Anglorum rege Edvuardo, eius appellationis tertio, ac uaria scripsisse.

RADVLPHVS KELLEY. XCIIII.

RAdulphus Kelley, prædicti Dauidis monachi Carmelitæ & meretricis adulteræ, mercatoris scilicet Guilhelmi Kellęi uxoris, ex fœda scortatione filius, ab ipso cœlibatu papistico, atque ad uirginem Deiparã uirginali professione, in urbe Põtana procreatus, prodijt. Qui exacta uix pueritia, in Kyldariẽsi prostibulo, dixissem cœnobio, per uestes Carmeliticas, uirgineæ matris miles inutilis factus, post literas Latinas, leges papales didicit, & eandẽ cum patre pudicitiã induit. Profectus inde Romã, et per Gallias Aueniones, ubi tunc Antichristus, ipso Satana superbior, cum suis Carnalibus & Episcotis residebat, ordinatus est pro toto suo ordine prolocutor, anno Domini 1336: & sub Petro de Casa generali magistro, generalis aduocatus. Et ita strenuè in eo se gessit officio, ut à Clemẽte sexto Rom. põtifice, qui Benedicto 12 successit, in archiepiscopũ Cassellẽsem anno Domini 1342, in sua patria, sit cõstitutus. Edidisse fertur, ut sui laboris ac nominis famã post se relinqueret,

In iure Canonico, Lib.1.
Epistolas familiares, Lib.1.

Atque alia quædã, quorũ tituli nõ extant. Floruit anno superius numerato, quo ab Auenione in Angliã, & inde in Hyberniã, archiepiscopali pompa re dierat, regnãte Edvuardo tertio, & in cathedrali synagoga demũ sepelitur. Huius faciunt mentionem, Bloxhamus in epistolis, & Conradus Tremonius in Episcoporum catalogo.

IOANNES CLYNNE. XCV.

IOannes Clynne, Hybernicę nationis, in oriẽtali parte, Laginia scilicet, ac Frãciscanæ professionis alũnus, Kilkenniense sui ordinis cœnobiũ, literatus incoluit. Est autẽ Kilkẽniũ, Ossoriẽsis diœcesis oppidũ bene munitũ, & in amœno loco sitũ: in quo cum cathedrali ecclesia, dũ illic episcopus agerẽ, quoddã pro habitatione, defensionis castrũ habebã. Et ea pars patriæ à cultu minus abest, quod à syluestribus Hybernis disiũcta Anglo regi pareat, ac mores imbibit & honestiores & ciuiliores. Cæterùm ut ad Ioannẽ, de quo nũc est sermo, mox redeã, inter cæteros studiorum labores, memorabilia sui tẽporis, ac præteritorũ seculorũ res gestas collegit, & scripsit à Christi incarnatione ad annũ eius 1350, apto annorum ordine, ac Latinè,

Annalium chronicon, Lib.1. *Secundum Orosium, ab orbe condito.*
De regibus Anglorum, Lib.1. *Saxones sapientius agentes.*
De custodijs prouinciarum, Lib.1. *Anglia habet custodias septem.*

Et alia quædã. Vltimus liber, de Franciscanorum cœnobijs & eorũ distinctionibus est, in quo etiã de quibusdã eorum scriptoribus tractatur. Claruit Clynnus anno prædicto nostri Seruatoris 1350, sub Edvuardo tertio.

HVGO DE HYBERNIA. XCVI.

HVgo, de Hybernia dictus, quũ aliud eius cognomen scriptores nõ nouerint, Hybernus genere fuit, & Franciscanorũ professor instituti: qui & superstitiosam, qua utebat, uiuẽdi formã ab illis accepit. Prolixã ualde peregrinationem inutili ocio, gyrouagus hic monachus, fecisse per mundũ scribitur: quæ tamẽ in tam longo uidit itinere, sedulitate nõ modica chartis cõmisit. Nec diu mãsit sine magno huius tum laboris tum studij sui præmio, relatus uidelicet in illustriũ scriptorum classem, Nam monachus ille Nordouicensis

censis Benedictinæ sodalitatis, qui quorundam ueterum scriptorum Catalogum fecit, & istum inter cæteros non neglexit. Hugo (inquit) de Hybernia, ex Minoritarum genere, scripsit

Itinerarium quoddam, Lib. 1.

Sic habet ille. Nihil aliud ab hoc Hugone cōpositū legimus. Claruisse uerò fertur circa annum à ueri nostri Messiæ natiuitate 1360, sub Edvuardo eius appellationis tertio Anglorum rege.

RICARDVS ARMACHANVS. XCVII.

RIcardū Fizrauf, uel, ut perspicacius dicā, filiū Radulphi appellatū, quem inter Anglos in quinta Centuria, tanquā Anglū natū numeraui, cogor hoc loco repetere, & inter Hybernos ponere, propter eos qui Hybernum fuisse cōtendūt. Oxonij liberalibus artibus, dum illic apud Carmelitas prælegeret Ioannes à Bacōthorpo, philosophus ac theologus insignis, infatigabili sedulitate Ricardus operā nauauit. Cum uerò tādem in eadē academia, in iure ac theologia & ille prælegeret, pessimè ei cum Fraterculorū mendicantiū ordinibus cōuenit, præsertim Franciscanis ac Dominicanis, arrogantissimis hominū generibus. Nimirū solebat in publicis lectionibus, eorū ineptias, fraudes, imposturas, luxurias, libidines, fastus, petulantias, pompas, & alias fratrales uirtutes, facetè & amœnè detegere. Addiditq; interdū, turpe esse Christianis hominibus, sponte sua mendicare, cum Dominus id uetet Deut. 15, his uerbis: Omnino mēdicus & indigēs nō erit inter uos. Feruntq; Vuicleuus in Trialogo, & Vualdenus in suorū Zizaniorū fasciculo, illū ab Anglorū episcopis & prælatis ad id incitatū, qui eorū tunc arrogātijs mirum in modū offendebātur. Fuit primū, suffragante rege Edvuardo tertio, Lichefeldēsis ecclesiæ archidiaconus, deinde Oxoniēsis gymnasij cancellarius, ac tū demū archiepiscopus Armachanus & Hyberniæ primas, habebaturq; in theologia & in utroq; iure per eam tempestatem doctissimus. In his diutius non immorabor, quum alibi satis ea declarauerim: sed potius ostendam ex Lelando, quam ille ingenij fœturam posteris reliquit. Congessit enim,

Contra fratres Mendicantes,	Lib. 16.	*Quia cum septem libellos de pauperie.*
De Christi pauperie, ad Innocentium,	Lib. 7.	*Sanctissimo in Christo patri Innocent.*
Illustrationes Euangeliorum,	Lib. 4.	
Sermones octoginta nouem,	Lib. 2.	*Venit Ioannes Baptista prædicans in.*
De quæstionibus Armenorum,	Lib. 29.	*Reuerendis in Christo patribus, Mersi.*
De potestate spirituali,	Lib. 1.	
De passione Dominica,	Lib. 1.	
Contra suum archidiaconum,	Lib. 1.	

Cum alijs nouendecim operibus, in quinta Centuria nostra memoratis. Auenioni postremò ex hac uita decessit, anno ab incarnato Dei uerbo 1360. Vbi cum prædictis fraterculis, super eorum mendicitate, diu coram pontifice litigauerat. Tandemq; sunt eius ossa in Hyberniā translata, & apud Dondah, ubi natum credunt, solenni sepulturæ tradita.

APPENDIX.

Ex Catalogo testium ueritatis Mathiæ Flacij Illyrici: Ricardus Armachanus archiepiscopus & Hyberniæ primas, scripsit contra mendicantes omnes. Præcipuè autem reprehendit, quod in mendicatione (quæ in ualidis furti genus est) religionem collocarent. Item, quòd freti licentia bullarum Papæ, ministerium in parochijs inuaderent, & ecclesias perturbarent. Contentio ea usq; ad mortem eius producta est, nec unquā uel antea uel postea, aut ipse dānatus est, aut monachi absoluti. Vnde apparet, multos sub principiū, crescenti nouæ isti monachatus pesti, repugnare conatos esse, sed frustra, tuente quippe eos Pontifice. Vtile enim sibi esse iudicauit Papa, habere istos quasi satellites, per or-

bem terrarum sparsos, sibiq; ob tam multa priuilegia deuinctos: per quos & Ecclesijs & episcopis, & Regibus & Caesaribus ipsis, ubiq; molestus, timendusq; esse posset: dum illi in eius gratiam, lucem in tenebras, et contra, pro concione mutare non uereantur, plebemq; in Papae sententiam pertrahant. Asserit quoq; idem Ricardus, in quaestionibus Armenorum, confirmationem non minus ad sacerdotes quàm episcopos pertinere, imò quoq; sacerdotes & episcopos eosdem olim fuisse. Haec ille. Ricardus iste nouum Christi Testamentum in Hybernico sermone (à se fortassis translatum) anno uno aut altero ante suam mortem, in quodam ecclesiae suae muro occultauit: in cuius fine, quasi prophetizans, hoc scripsit: Cum hic liber inuentus fuerit, ueritas toti mundo manifestabitur, uel Christus orbi mox apparebit. Et repertus est ille liber circa annum à nato Seruatore 1530, in reparatione eiusdem ecclesiae. Quatuor in Hybernia sunt sedes archiepiscopales, sicut sunt quatuor illic prouinciae, quae illis correspondeant: Armachana, Dublinensis, Cassellensis, & Tuamensis. Quarũ Armachana 15 habet episcopatus, Dublinensis 5, Cassellensis 13, & Tuamensis 10. Et hanc ordinationem fecit Eugenius tertius pontifex Rom. anno Domini 1152. per legatum à suo latere, Ioannem Papirionem, tituli S. Laurentij in Damaso presbyterum Cardinalem.

HENRICVS CRVMPE. XCVIII.

HEnricus Crumpe, natione quidem Hybernus, sed in Anglia et Oxonij, in habitu ac proposito monachali egit: erat enim Cisterciensis ordinis, seu Bernarditarũ sectae alumnus. Qui post inferiorũ artiũ studia, theologiae doctor effectus, quia Ioannis Vuicleui discipulos è magistrali cathedra, Petrum quendam Stokesum Carmelitam secutus, haereticos & Lollardos ausus est appellare, ab actibus suis (ut cum scholis loquar) publicè per cancellarium suspendebatur. Fuit quippe tunc cancellarius, theologus admodum pius, Robertus Ryggus, qui cum suis procuratoribus Vuicleuo patrocinabatur. Profectus ergo Londinum Crumpus, querelam archiepiscopo Guilhelmo Corteneio suam exposuit, & consilio regis. Vnde accersitus cancellarius anno Domini 1382, regis & cõsilij nomine, sed pontificis instinctu, noua accepit mandata, ad inuestigandos persequendosq; haereticos. Postea tamẽ Crumpus, qui prius Vuicleui persecutor extiterat, quia fraterculorũ mendicitatẽ unà cum cõfessionibus ipsis factis aliquantulũ uellicauerat, haereseos ab episcopis postulatus est. Restat indicare, quos libros ediderit. nã scripsit

Determinationes scholasticas,	*Lib. 1.*
Contra religiosos Mendicantes,	*Lib. 1.*
Responsiones ad obiecta,	*Lib. 1.*

Et alia quaedam. Hunc in Hyberniam reuersum tandem, Simon quidam ex Dominicano Midensis episcopus factus, diu tanquam haereticum hominem detinuit captiuum, ut Vualdenus in Zizaniorum fasciculo tradit. Claruit anno salutiferi partus 1392, sub Ricardo secundo Anglorum rege.

PHILIPPVS NORRYS. XCIX.

PHilippus Norrys, natione Hybernus, et officio sacrificus, ac Dubliniẽsis ecclesiae decanus tandẽ fuit: qui adepto Oxonij theologico magisterio, post philosophiã atq; rhetoricen, in utroq; iure ac literis sacris doctissimus euasit. Non poterat homo & prudẽs & sagax, procaces atq; impudẽtes arrogantias aequo animo ferre, quas indies magis atq; magis in mendicantium monachorum sectis sub magno religionis obtentu uidebat: qui tanquã Libani cedros, in altum attollebant pileatos suos uertices & capita rasa. Sed uisis eorum insolentijs ac stupidis stulticijs, in quotidiana lectura & è suggesto concione, per apertas Bibliorũ scripturas, Antichristos eos nominabat lupos, latrones, proditores, uulpes, fures, porcos uorantes, canes insatiabiles, hypocritas, hęreticos, Mahumeti discipulos, nebulones pessimos, atq; ipso Satana peiores. Hi illi Gabaonitae (inquit) sunt, qui Iosue, pium iudicem, callidis hucusq; suis circumuenerunt mendacijs. Ab Antiocho suo missi (Papa

si (Papa scilicet Romano) loquuntur in dolo pacifica uerba. Et hi potius essent à Christi fidelium cœtibus sanctis proijciendi, quàm uel Arriani uel Pelagiani, Donatistæ uel Nestoriani, aut hæreticorum alij, quicunque pestilentiores sint. Addiditque ex prædecessore Ricardo Armachano, damnabile fore Christianis, & diuino Dei præcepto tanquam ex diametro repugnans, quum fortes sint, ac præ corporis debilitate non indigeãt mendicare. Illum igitur conducto quodam Dominicano, uniuersa fraterculorum colluuies anno Domini 1446, apud Eugenium quartum Rom. pontificem hæreseos deferebat. Sed ab eo Philippus ad generale concilium appellauit, pontificis iudicio stare nolens: & deinceps erat ab omni gradu suspensus & excommunicatus, usque ad ingentem (ut ferunt) nummorum solutionem. Sunt & qui illum quoque à prælatis ad id suscitatum credant. Scriptis reliquisse fertur

Declamationes quasdam,	Lib. 1.
Lecturas scripturarum,	Lib. 1.
Sermones ad populum,	Lib. 1.
Contra Mendicitatem ualidam,	Lib. 1.

Aliaque nonnulla. Ob has nouas in Anglia perturbationes aduersus Antichristi satellites, Nicolaus Kentonus, suos cœnobitas denuò ab hæreticis molestari flebiliter est cõquestus. Claruit autem Philippus anno supradicto salutis humanæ per Christum 1446, Henrico sexto regnante.

EDVVARDVS VVALSHE. C.

EDuuardus Vualshe, illustris generis Hybernus, ita à primis studiorum annis, bonis adsueuit artibus, ut inde Latini sermonis lepôrem non infœliciter hauserit. Adolescẽs hic pius, à teneris quasi unguiculis, quòd in eo populo rarissimum est, uirtutem amauit: ac per diuersas Anglorum regiones & urbes eam studiose quæsiuit. Affectione quadam sancta, suę patriæ salutem optauit: & ut Christus æternus Dei filius, spretis Papistarũ nugamentis, ab Hybernica gente seriò reciperetur, ad lachrymas usque ardẽter auebat. Atque ita ex audito in Anglia Dei uerbo, esuriẽs ac sitiẽs diuinã in Hybernia iusticiã, beatitudinem à Christo declaratã, cum promisso cœlorũ regno, pro se & pro alijs multis, Dei seruus expectauit. Et ut prædicta publicitus demũ exprimeret, calamũ cum fœlicitate exercuit, & in Anglico sermone scripsit

De officijs pugnantium pro patria,	Lib. 1. *Tot deuinctus beneficijs uestræ.*
Vt Hybernia per Dei uerbum reformetur,	Lib. 1.

Cætera eius scripta mihi prorsus incognita sunt. Claruit sub eruditissimo atque sanctissimo Edvuardo Anglorum rege, anno salutis Christianorum 1550: eratque, ut fertur, de domestica auunculi eius regis, Edvuardi Somersetensium ducis, familia.

HEBRIDVM ET ORCHADVM INSVLARVM DESCRIPTIO, EX PAVLO IOVIO episcopo Nucerino, de imperijs ac gentibus cogniti orbis.



INTER Scotiam autem & Hyberniã, extrorsus in Septentrionem, per Oceanum sparguntur Hebrides insulæ, numero quadraginta tres, Eboniæ quibusdã dictæ: è quibus Hyla promontorio, quod diximus, Nouãtio aduersa, & post eam Cumbra & Mula metalliferæ, sed exercendis fornacibus lignorum inopia damnatæ, distant ab Hybernia triginta passuum millibus, Scotico autem litori

litori proxima est Hiona (uel Iona) quæ & Chilca hodie uocatur, intercurrente freto, stadiorum fermè centum. In ea, sedes est episcopalis Sodorensis, cuius antistitis in circumiectas insulas, sacrarum ceremoniarum iura ac imperia diffunduntur. Ibi etiam uiget cœnobium cucullatorum sacerdotum ex ordine D. Benedicti, miro templi ornatu, & sancta conuictus frugalitate celebratum. In ea quoq; antiquissimorum regum sepulchra, insculptis elogijs & rerum gestarum titulis, spectantur. Nam antiquitùs eorum funera, sumptuosissimo apparatu, in Ionam atratis classibus ducebantur: qui mos demum exoleuit, frigente scilicet cura pietatis & laudis apud eos, qui astuta ratione ut pompæ decus cōtemnere uideātur, facilè uel honestissimis sumptibus parcunt, & suorum manibus, nullo uel simplici cultu parentandū existimāt. Asseruantur & in arcanis templi armarijs, uetustissimorum annalium codices, atq; item latæ membranæ, ipsorum Regum subscriptæ manibus, aureisq; uel cereis sigillorum imaginibus obsignatæ, quibus antiquæ leges, edictaq;, & finium ac ciuitatum iura publica continentur.

Fama quoque est, prisca ingeniorum monumenta, Romanasq; historias, quæ quisq; uel idiota cupidissimè desideret, in illis scrinijs recōdi. Quas Fergusius Scotorum regulus, non incuriosus, ut uideri potest, amator historiæ, Alarico Gothorum regi comes, direpta urbe Roma, secum abstulerit: in Ionamq; demum tumultu Danico, diligentius & tutius asseruandas, religiose transtulerit: ita, ut non omnino uanum & irritum uideri possit, reliquas Titi Liuij decades expectare: quarum è tenebris erutarū certa exempla ad Franciscum Galliæ regem, Scotorum literis prolixè atq; munificè promissa nuper audiuimus. Maxima uerò omniū Hebridum Leuissa existimatur: quam è littore Brytannico ab Agricolæ socero spectatam Tacitus Tylen esse putauit: Quum Schotlandia proculdubiò, uti terrarum ultima, ea sit Tyle, quæ Vergilij carmine celebratur: in quam uix trium dierū nauigatione, & secundis quidē tempestatibus, ab extrema Scotia peruenitur. In ea Ichthyophagi omnium rerum, & brumali præsertim tempore, cœlestis lucis inopes degūt. Cæterùm ex Hebridibus, extrema uocatur Hircha, ab hircis ingētibus, quibus abundat, ut ferunt, appellata: hi enim proceritate eximia asinos antecedunt, in eaq; polus ab Arctoo cardine, tribus & sexaginta gradibus eleuat. Ad earum porrò numerū, ut diximus, reliquæ accedunt: & hæ prorsus ignobiles, quòd alia, cœli & terræ malignitate, sit inculta, aut aspera saxis, alia aūt arbustis & uirenti cespite nuda: nōnullæ etiā, uti perpetuis cinctæ cautibus, penitus inaccessæ: atq; ita formidabiles, ut à piscatoribus tantum adeantur.

Inde uastus sese in immēsum pandit Oceanus, ad Corobrechū supra Hircham, inuisitata ineuitabiliq; uertigine infamis. Nam ibi maria, occulto naturæ impetu in orbem rapidissimè concitata, attractu uiolento nauigia absorbent. Quum itaq; Hebrides ad occasum in Hyberniam spectent, ab altero Scotiæ littore Orchades ab oriente sole in Noruuegiam obuertuntur, numero, uti ferunt, ad triginta. In his Pamonia summam obtinet claritatem, Chirchouallio urbe binis munita arcibus ualde insignis. Est enim Pamonia cęteris omnibus maior atq; fertilior, è qua Claudius Cęsar, deuicto & capto Gamo rege, triumphi laureolā expetiuit. Segete omni, præsertimq; ordeo, plurimū abundat: triticum tamen ad generosam frugem non prouehit, quū nec maiores & fructiferas arbores ferat. Sed in ea sunt frequētia maioris minorisq; pecoris armenta, leporumq; & cuniculorum admirabilis multitudo. olores, gruesq; uisuntur innumeri. Subest & opima piscatio, ita, ut hac insigni tantarum rerum copia, desideratæ frugis incōmoda facilè sarciantur.

Cæteræ insulæ sunt in ditione Pamoniensis antistitis: sed Scotię regum imperijs reguntur. In his eadem natura soli, atq; eadem cœli salubritas: sed quę ad Norvuegiam propius accedunt uitæ duritie & moribus, multo agrestiores existimantur.

Sunt & aliæ ultra Orchades insulæ, quas Scethlandias uocant. Earum incolæ seminudi atq; inopes, ouis auium & solis propè piscibus sese alunt: iusticia & pace gaudent. Et quum diuitiarum atq; luxuriæ nomina nunquam audierint, in summaq; egestate & in perpetuis brumæ tenebris uiuant: ferè omnes incredibili naturæ fœlicitate, ad summam senectutem perueniunt. Deum adorant: & sacrorum causa quotannis circa solstitium, sacerdos ad eos è Pamonia traijcit: natosq; eo anno infantes, baptismatis fonte perfundit. Sacra solennia celebrat: indeq; speluncis atq; tugurijs eorũ sancta aspergine collustratis (Euangelij prædicatio nulla) acceptisq; ex durato pisce decimis, abundè ditatus, ad Orchadas reuertitur. Vltra Scethlandias ad dextram, aliæ quoq; paruæ, & ob id innumerabiles insulæ, immanium scopulorum effigie, toto eo Oceano se diffundunt: quo horrentia gelu & tenebris Norvuegiæ litora quatiuntur. non longè enim abest illud extremum Norvuegorum caput, quod antiquis incognitum, recentiores Cosmographi Nodrosium appellant. Enormi siquidem terrarum & litorum uastitate, ut suo loco dicemus, Scythia in Corum uentum procurrit: continente ipsa, in modum perangustæ falcis, ad Orchadas incuruata: ita, ut amplissimo sinu, uarijsq; et admirandis anfractibus, Suecorum & Gothorum populosissima regna complectatur.

Inde ille immensus, & in nullum postea littoris conspectum, nisi infausta temeritate nauigabilis, patescit Oceanus, cuius fertilissima piscatione quotannis Europam omnem facilè compleri conspicimus. Incredibile dictu est, quanto apparatu quantisq; classibus, in eos tractus expeditionem suscipiant populi fermè omnes: qui Brytannię, Gallięq;, & totius Germanię oram attingunt. Ingenti siquidem studio, laboreq;, uti accidit, in spem certã uberrimi prouentus, societates ineunt, constitutis inter se legibus, quibus patentis Oceani spacia & tractus, sublata cõtentionis occasione diffiniunt. Ea uerò captura omnis unis alecibus constat, nunquam expansæ manus mensurã excedentibus. Hi pisces clupeæ, uel minoris alosæ, argenteo nitore speciem referunt, Aringæq; uocantur: quæ salitæ cadis, aut ad pallorem aureum fumo inueteratæ, ad nostra quoq; emporia conuehuntur. Discedunt, ut credi par est, ex ultimis Arctoi maris partibus, tanquam ex hybernis: ut in orbe nostro mollius æstiuent, ouaq; deponant. Piscantium uerò classes, in queis sæpe ad mille nauigia numerantur, adulto uere, è continenti Galliæ, atque Brytannniæ portubus soluunt. Circa solstitium, toto sparsim diffusæ pelago piscantur: remeant autem ante æquinoctium onustæ præda, quæ demum fœminarum excepta manibus, peculiari ipsarum arte & diligentia curatur atque diuenditur.

Cæterùm, quum in alto piscationi incumbunt, tanta aringarum uisitur multitudo, ut earum densissima infinitaq; agmina, perpetuo transcursu liquidissimi æquoris nitorem obscurent, indeq; pigrescant fluctus, & oppositæ incidentium impetu retia sepissimè rapiantur. Nauigia eorum in medio lata, rotundaq; sunt: obtusis admodum proris & puppibus, ad quas retia religant. Ea autem adeò scitè atq; celeriter, si fortè tempestas immineat, lignea testudine conteguntur, ut omnem uel immanium fluctuum contumeliam facilè ferant: & nautæ, sola in uertice adaperta fenestella, cœlum spectent,

ac inde pariter aerem, lucemq́ recipiant: commissuris scilicet adeò peritè obstructis atque picatis, ut agitata & fluctuantia pelago, nec mersa unquam, librante sustinenteq́ incluso spiritu, tutissimè uolutentur. Adapertus enim Oceanus per solstitiales dies, admirabili tranquillitate cõsternitur: quum rarissimè quoque eueniat, uel subortis etiam uentis, ut spumosis atq́ refractis fluctibus intumescat: remotis scilicet terris, quæ suo naturali halitu uentos & procellas adgenerent,

In extremis porrò & niuosis Noruegiæ littoribus, homines feros monstroso aspectu, & prælongis undiq́ setis & crinibus coopertos, maximeq́ horribiles uersari tradũt: qui terribili garritu pro sermone utãtur, minoresq́ plantas admiranda ui manibus reuellãt: in Oceano quoq́, & fluuijs mirificè corripiẽdis piscibus urinentur, & per glaciẽ & duratas niues firmo uestigio stantes, in corticibus arborũ, præustisq́ innixi contis decurrant, ut feras consectentur. Ab his eiectos in littus peregrinos homines, per noctem, quòd perosi lucem, in tenebris maximè grassentur, fustibus interimi, deuorariq́ asseuerant, immanium Canibalum more: quorum insulas ea sęuitia infames, Columbus Ligur Hispanica classe prouectus, in occidente repererit, quum fœlici ausu alterum nobis orbem aperiret. Has Scythicas atroces belluas, ætate nostra conspexere Scotorũ legati, à Ludouico rege Galliæ redeuntes: uixq́ eas militari uigilia, uirtuteq́, post insignem metum, effugêre: quum è Morino littore in altum arrepti, transuersis tempestatibus ad inhospitum Noruegiæ littus peruenissent. Sed hæc monstrifera loca, inusitataq́ pericula narrantibus, nemo nisi inuerecundus fidem astruxerit, aut improbus eleuarit. Nos autem in præclaro testimonio recentis historiæ, ut in certissima ueritatis luce, consistemus: ne adulatione dulcissima ægris, aut ociosis animis, fabulosa ad uoluptatem scribere uideamur.

Hæc Iouius.

CENTVRIAE DECIMAE QVARTAE, SCRIPTORUM Brytanniæ Finis, authore Ioanne Baleo.

RERVM ET VERBORVM IN CENTVRIIS NOVEM PRIORIBVS IOANNIS BALEI *De Scriptorib. Brytanniæ, &c. memorabilium* INDEX.

B

C

D

Dantes

Dona-

G

Guilhelmus

 Lan-

M

Magnus

monachis

O

O

P

Papatus

Q

R

rasorum

Septonia

tonitrui

Vla-

FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN POSTERIORI-
bus V. Centurijs Ioan. Balei de Scriptorib. Brytanniæ, &c. memorabilium.
INDEX.

Congellus

E

Fœlix

Ioannes

N

Nennius

O

Q

Quæ-


Ricardus

Seue-

T

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA IOANNIS OPORINI ANNO SALVTIS HVmanæ M. D. LIX. Mense Februario.


INVIA VIRTVTI NVLLA EST VIA.